Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE
ECCLESIASTICAE
SCRIPTORES.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prov germ. S. J. A. Lehmitz.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HISTORIAE ECCLESIASTICAE SCRIPTORES GRAECI,

nempe:

Eusebius, cognomento Pamphilus, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus.
Socrates Scholasticus, Constantinopolitanus.
Theodoritus, Cyrenensis Episcopus.
Hermias Sozomenus.
Euagrius Scholasticus, Epiphanensis.

IOANNE CHRISTOPHORSONO, ANGLO, CICEstrensi quondam Episcopo, interprete.

Hac noua editione de integro recogniti, & variè illustrati à SVFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI, FRISIO, V. I. C. vti plenius est videre pagina sequente.

Adiecto indice rerum memorabilium locupletissimo.

18347
Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S. I.
IHS DOM. PROV. GERM. BIBL. SCRIPT. SOC. JESU
PROV. GERM. BIBL. SCRIPT. SOC. JESU
Ex Libris



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud hæredes Arnoldi Birckmanni,
Anno cIↃ. IↃ. LXXXI.
Cum Gratia & Priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CONTINENTVR HOC VOLVMINE:

Euſebij, cognomento Pamphili, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libri X.
Eiuſdem de vita Conſtantini Magni, lib. IIII.
Conſtantini Magni oratio ad ſanctorum cœtum.
Eiuſdem Euſebij oratio in laudem Conſtantini Magni, ad trigeſimum illius Imperij annum, quam hic interpres primum in lucem dedit.
Socratis Scholaſtici Conſtantinopolitani hiſtoriæ Eccleſ. lib. VII.
Theodoriti Cyrenenſis Epiſcopi, lib. V.
Hermiæ Sozomeni Salaminij lib. IX.
Euagrij Scholaſtici Epiphanenſis lib. VI.

IOANNE CHRISTOPHORSONO, ANGLO, CICESTRENSI quondam Epiſcopo, interprete:

à quo, quicquid, ſiue in dictionibus, ſiue in ſententijs vniuerſæ hiſtoriæ Græcæ obſcurum hactenus fuit, illuſtratur, deprauatum reſtituitur, mancum atq; imperfectum, omnibus ſuis numeris & partibus perficitur atque expletur, quam ad rem multorum veterum manuſcriptorum exemplarium vſus beneficio, prudens ac ſyncerum adhibuit iudicium.

His iam recens acceſſerunt, opera & induſtria SVFFRIDI PETRI LEOVARDIENSIS FRISII. V.I.C. *annotationes ad calcem operis adiectæ, quibus textus Græci codicis emendatur, & ratio explicatur translationis Chriſtophorſonianæ: item, Chronologia in vniuerſam hiſtoriam, non modò omnibus libris generatim in frontiſpicio propoſita, ſed etiam ſingulis paginis & capitibus in diſcurſu ſpeciatim declarata. Indices etiam in ſingulos libros, & ſingula capita, præcipuorum autorum, ex quibus præſentis argumenti explicatio pendet. Concordantiæ præterea, quas vocant, capitum, in quibus eædem materiæ toto opere tractantur. Annotationes denique rerum præcipuarũ in margine, & locorum obſcuriorum explicationes in contextu, & quædam alia non contemnenda, quæ in præfatione plenius explicantur, quibus ſingulis, vt operi vbique multum lucis adfertur, ita ſtudioſis aufertur plurimum laboris.*

AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS INTEGERRIMISQVE VIRIS AC DOMINIS, CONSVLIBVS ET SENATORIBVS INCLYTAE IMperialis ciuitatis Coloniæ Agrippinæ, Mæcenatibus ac patronis ſuis perpetua obſeruantia colendis. S. P. D.

ANNI ſunt plus minus iam tredecim, ampliſsimi præſtantiſsimiq; viri, ex quo vir præſtãtiſsimus, ac de re literaria optimè meritus ciuis veſter Arnoldus Birckmannus, poſt obitum Ioannis Chriſtophorſoni, tribus libris vltimis Hermiæ Sozomeni, quos ille morte præuentus intactos reliquerat, in Latinum de Græco transferẽdis, operam meam requiſiuit. Quam quidem quo minus promptè illi tunc ego addicerem, quàm ipſe pro veteri inter nos amicitia me facturum expectau erat, cauſæ plures extiterunt. Iam enim ante ſexennium relicta Erphordienſi Academia, vbi per annos aliquot vtramque linguam publicè profeſſus eram, ad intermiſſam iuris profeſsionem toto pectore me retuleram, alijsq; præterea occupationibus ita multis tum diſtrictus eram, vt ſine præſenti, eoq; nequaquam leui incommodo, hanc prouinciam ſuſcipere non poſſem. Moleſtum & illud erat, quòd in opere alieno verſaturus eſſem, in quo inuidiæ quidem particeps forem interpreti defuncto apud fautores Muſculi, cui ille Colophonem addere voluit, gratiæ particeps non forem apud amicos eius, qui meam tranſlationem, qualiſcunq; tandem foret, cum illius verſione eodem loco nequaquam ponerẽt. Accedebat huc, quòd virũ doctiſsimum, & mihi arctiſsima familiaritate coniunctum Hadrianum Iunium, eoſdem hos libros transferẽdos recepiſſe cognouiſsẽ, ita vt mihi falcem meã in illius meſſem nõ temerè immittendã arbitrarer. Birckmannus igitur, vt me, quò cœperat, impelleret, complures mox viros præſtantiſsimos adducebat, quorum, vt amicitia mihi iucunda, ita & authoritas venerãda ſemper fuit. Adducebat & ipſum Iunium, qui commodùm ea tempeſtate Louanium aduenerat. Horum autem ſingulorum orationes etiamſi diuerſis argumentis niterentur, omnium ſententia tamen vna hæc erat, me communi Eccleſiæ hanc operam præſtare debere, cuius ſolius ratio habenda ſit, etiamſi fortè priuatorum quorundam affectus expectationi noſtræ non reſponderent. Addebat Iunius, ſe hoc munus olim animo libenti ſuſcepiſſe, neque iam proinde vel inuidia cuiuſquã vel gratia motum, ſed infortunio quodã ſuo perculſum ab incepto deſtitiſſe. Quippe huius operæ occaſione incenſo muſeo ſuo, multa tum ſua, tum veterum authorum ſcripta Latina ac Græca, quæ in lucem hactenus edita non fuiſſent, conflagraſſe, quòd candela ab ancilla negligentius habita, ante ipſius acceſſum in hæc ſcripta, quæ nocturnis horis elucubrabat, euerſa, his accẽſis etiam proxima quęque inflammaſſet. Non poſſe igitur iam ſe his animum rurſus adijcere, ne amiſſorum recordatione ſæpius angeretur. Cùm igitur finis vrgendi non fieret, ſubmiſi tandem humeros oneri, & cũ accepto exemplari Græco, eo, quo interpres Chriſtophorſonus erat vſus, perſpicerem, quanta induſtria ille verſatus eſſet in conferendis cum vulgato textu Græco diuerſis exemplaribus manu ſcriptis, equidem velut acerrimis quibuſdam calcaribus additis extimulatus ſum ad maiora etiam præſtanda, quàm quæ rogatus eram. Nam cum toto opere ad marginem viderem collectas ex varijs codicibus in S. textus emendationes, quibus ille fretus veteri tranſlatione meliorem verſionem molitus erat, putaui non minus iſta, quàm tres illos libros, ſtudioſis impartienda eſſe, ſi quidem & vſibus Eccleſiæ, & expectationi eruditorum, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

voluntati Christophorsoni satisfaciendum esset. Accinxi itaque me operi, & quidem eo proposito, vt non modò tres istos libros, quos susceperam, Latinos rederem, verùm etiam vt vniuerso operi, quod huc vsq; Louanij iam tum excusum erat, adnotationes, siue castigationes, ad calcem subijcerem, quibus tum de mea, tum etiam de Christophorsoni diligentia, tum etiam de ipsius trãslationis excellentia constaret ratio. Ac libros quidem istos mox expediui. Castigationes autem dũ cudo, iustis de causis in patriam auocatus sum. Vbi propter factiones, quæ tum per totum Belgium gliscebant, totum ferè triennium inuitus hæsi. Interea temporis opus historiæ Ecclesiasticæ in lucem prodijt absque castigationibus nostris, quòd reditũ nostrum frustra videretur expectare Birckmannus, de quo ne ipsi quidem certi quicquam promittere vnquã poteramus. Postquam itaque doctissimus integerrimusq; vir Arnoldus Mylius de iterãda operis editione me certiorẽ reddidisset, equidem quò hanc morã per me factam luculento aliquo fœnore cõpensarem, maioribus quibusdã præsidijs maturè me fulciui, & præter annotationes istas, quas promiseram, multa alia etiam contuli, quæ operi ornamentum, studiosis subsidium, Ecclesiæ fructum, vt spero, haud quaquã penitendum, allatura sunt. Quæ quidem qualia sint, vt dilucidè cognoscatur, haud abs re me facturum puto, si primùm demonstrauero, quanto interuallo Christophorsonus noster superiores interpretes superauerit, deindeq; declarauero, quid huic editioni per nos accesserit, quod in editione præcedenti non habetur. Incrementum itaq; & profectus historiæ præsentis in Ecclesia Romana, (vt à prima sui origine constet) huiusmodi fuit. Primùm enim Eusebij decẽ libros Ruffinus Aquileiensis presbyter Latinos fecit, ac duos his de suo appendicis loco adiecit: Socratem deinde, Theodoritum, & Sozomenum, qui temporis ordine Eusebium proximè subsequuntur, ex Græcis Latinos reddidit Epiphanius scholasticus. Quos ipsos mox Cassiodorus monachus animaduertens in eiusdem ætatis historia scribenda non oẽs omnia consimiliter tradidisse; seruata eadem trãslatione in epitomẽ cõtraxit, quã seruatò temporis ordine in actorũ locos cõmunes dispartiuit; &, quoniã ex prædictis authorib. tribus consarcinauerat, historiã tripartitã appellauit. Cũ itaq; Cassiodorus iste sub Theodorico Gothorũ Rege floruerit, vtpote cui à secretis fuit, ac proinde factus monachus circa annũ Christi quingẽtesimum sexagesimũ hoc scriptũ emisisse deprehendatur, per annos nõ multò pauciores mille cõtinuis in Ecclesia Latina hæc supellex vniuersalis Ecclesiasticæ historiæ sola fuit, quæ quidẽ à Græcis petita sit. Nam post ætatẽ Cassiodori, Gothis iã diu variè tumultuatis, cũ tandem Longobardi alijq; Barbari in Italia succederent, vnà cum ipsis Græcis etiã Græcæ literæ ex Imperio Occidentali exterminatæ sunt. Hæc enim causa est, cur Euagrius, qui tripartitis istis proximè succedit, interpretem Latinũ nõ inuenerit; cur Nicephorus alijq; multi Græci, qui post illũ scripserũt, Latinis aurib. ad nostram vsq; ætatem incogniti remanserint. Soli itaque Ruffinus & Epiphanius tanto temporis spacio Ecclesiasticæ historiæ habiti sunt interpretes in Ecclesia Latina. Quod tamen de Ruffino valde mirandum est, cum & Galasius Pontifex D. Hieronymũ secutus, eius translationem condemnauerit, & post eum D. Hieronymus Eusebium de integro conuerterit. De Epiphanio minus mirũ est, qui tametsi Ruffino doctior nõ fuit, fidelior tamen fuit. His igitur interpretibus regnãtib. Græci ipsi nusquã apparuerũt. Nuper enim, hoc est, anno demũ Christi 1535. Basileæ Theodoritus prodijt, excusus typis Frobenianis, quem insequenti mox anno Latinitate donauit Ioachimus Camerarius. Anno deinde 1544. typis Regijs opus integrum historiæ Ecclesiasticæ Parisijs excudit Robertus Stephanus. In quo Musculus ẽnumerat Eusebij libros quindecim, decẽ scilicet Ecclesiasticæ historiæ, &

& quinq; de vita Cõstantini, Socratis libros septẽ, Theodoriti libros quinq;, Sozomeni libros nouẽ, Theodori lectoris libros duos, Euagrij libros sex: quos libros oẽs, addita etiã Synopsi Dorothei ipse Musculus elapsis annis quinq; Latinos reddidit, exceptis quinq; libris Theodoriti, quos ita boni cõsuluit, vt à Camerario dudũ conuersi erant. Elapsis aũt post hanc editionem annis 11. hoc est, anno 1570. Prima editio Christophorsoni prodijt, facta simul Louanij in octaua, & Coloniæ in folio, quã hæc iam consequitur editio Coloniẽsis, priori isti numero librorum planè par, in qua vti tunc fuerunt, ita etiã nunc sunt omissi propter causas, quas mox dicemus, Ruffini isti libri duo, quos Musculus quindecim libris Eusebij subiunxerat, & duo libri Theodori lectoris, & Synopsis Dorothei. Synopsis enim Dorothei, vt ab vltimis incipiamus, ad ordinẽ præsentis historiæ non pertinet. Nam cũ Ecclesiastica historia peculiariter ad Ecclesiã spectet, quæ ante natũ Christũ nulla fuit, hæc Synopsis magna sui parte cõtinet vitas Prophetarum veterum, quæ spectant ad Synagogã Iudæorum. Deinde & ea ipsa, quæ de viris Apostolicis tradit, fermè omnia in præcedentibus libris habentur, vt eadem rursus inculcare nihil sit necesse. De Theodoro lectore idem iudicandum est. Hic enim eadem duobus libris strictim docet, quæ libris sex longè fusius, & quidem cum auctario docet Euagrius, vt interim taceam, quòd oblitus instituti sui, ordinem historiæ confundat, & quæ aliena sunt à proposito suo, prosequatur. De Ruffini libris duobus diuersum sentiendum non est, cum succedentes Eusebio Socrates, Theodoritus, & Sozomenus diligentissimè sint prosecuti, quæ tradit Ruffinus, paucissimis quibusdam exceptis, in quibus tamen illi fidem derogauit Socrates. Christophorsonus itaq; ab ordine hæc remouit, partim quia aliena, partim quia superflua, partim quia indigna videbantur, quæ cõplexu huius operis cernerentur. Quinq; etiam libros istos Eusebij vltimos melius discreuit, cũ horum 4. priores, Eusebij de vita Constãtini, quintum ipsius Constantini, vt est, orationem ad Sanctorũ cœtum inscripserit. His porrò ipse recens inuentã adiecit orationem Eusebij de laudibus Constantini. Atq; hæc quidẽ omnia idem Christophorsonus eodem dictionis filo solus de integro interpretatus est, exceptis tribus libris vltimis Hermiæ Sozomeni, quos nos transtulimus, & libro quarto de vita Cõstantini, quem trãstulit Nicolaus Carrus. Magis aũt fortasse videatur mirũ, cur Christophorsonus post Musculũ, quã, cur Musculus post Ruffinũ & Epiphaniũ hoc opus aggressus sit, præsertim cũ Musculus Camerario fasces submiserit, q̃ Christophorsonus nõ fecit. Musculum enim facilè tuetur ipsa operis plenitudo, & cõtinuata series historiæ, quã in prioribus istis desideramus. Excusat etiã ratio propositi, cũ lectorem à riuulis ad fontes ipsos deducere voluerit. Ruffinũ sanè haud immeritò remouendũ censuit, quem vt oẽs eruditi, ita etiam ipse Christophorsonus, tũ ob alia plura, tum etiã ob id insectatur, quòd Eusebium nobis mutilũ ac truncatum dederit: haud immeritò etiã Epiphaniũ, vtpote qui nec Græcæ, nec Latinæ linguæ satis peritus indoctissima translatione sua propositos authores istos non cõuerterit, sed planè peruerterit. Quo non cõtentus tamen Cassiodorus, eosdẽ porrò nõ aliter quã Penthea Mænades in diuersissimas partes distraxit, vt ne integrũ quidem corpus, q̃ acceperat, nobis conspiciendũ traderet. Huius igitur facti sui cõsimiles rationes reddere nõ videtur posse Christophorsonus. Ad hęc sanè paucis respõderi potest, ẽrę totius ecclesię fuisse semper, vt interpretes isti de medio tollerentur, sed multũ interesse p quẽ hoc fiat. Nã si hoc tentaret is, qui malũ nõ tolleret, sed mutaret, satius fuisset istos retineri, quã hunc admitti. Notũ enim malũ optimũ est, & minus periculosè bibitur ex riuulis turbulentis, quã ex fontibus intoxicatis. Christophorsonus aũt ipse, si vita suppeditasset, actorũ suorũ ratiões facilè redditur⁹ erat,

id quod ex inchoata eius præfatione, cuicumq; volenti satis euidenter constare potest. Vbi cũ rationem reddit cur ab ordine remouẽdus sit Ruffinus, dubitandũ non est, quin & de Epiphanio, & de Camerario, ac demum consequenti ordine de Musculo etiam dicturus fuerit, nisi institutũ eius mors interrupisset. Quod quidem cum proinde illi per fata iam non liceat, nobis hic paucis agendum restat. De Epiphanio autem si quis præter ea, quæ nos paulò antè diximus, aliquid requirit amplius, videat Musculum, videat Camerarium, videat deniq; Rhenanum in horum operum præfationibus, ne nobis hic actũ agere necesse sit. Cur autem Camerario Christophorsonus non itidem assurrexerit ac Musculus, in promptu ratio est. Camerarius enim in transferendo Theodorito secutus est Græcum textum excusum Basileæ à Frobenio, qui multò castigatior est quã Roberti Stephani textus Parisiensis, adeò quidem, vt is ex Basiliensi pluribus in locis emẽdari possit. Musculus igitur, qui nullum aliunde subsidium se habuisse, & proinde se id saltem, quod habetur Græcè, reddidisse Latinè profitetur, si, vt in reliquis, ita etiam in Theodorito textum Parisiẽsem sequeretur, deterius eum transtulisset, quàm Camerarius; si sequeretur Basilienſem, non transtulisset melius. Vtrouis igitur euentu deterritus, intactũ prætermisit. quod accidere Christophorsono non potuit, qui præter ea, quæ Camerarius habere potuit, ijs etiam subsidijs instructus fuit, quæ nos infra mox declaraturi sumus. Musculum igitur iam ordo postulat, cui vt præponatur Christophorsonus, si parum adferat momenti, quòd is in proposita historia habito operum delectu superflua resecuerit, desiderata restituerit, confusa discreuerit, in eo certè præstantior illo videri debet, quòd eadem lingua loquentes nobis exhibere voluerit omnes historiæ Ecclesiasticę scriptores; cum Musculus data opera, siue noluerit, siue non potuerit plus videre quàm Camerarius, continuum interpretationis suæ decursum, interiecta illius versione interruperit. At verò, cùm non his tantùm causis prerogatiuæ ratio inter ipsos terminetur, diligenter expendi debet, quem affectum, quas facultates quisque ad hoc opus transferendum attulerit. Qua quidem in comparatione, non desunt, qui vtraque ex parte Musculum Christophorsono longissimè postponẽdum esse censeant. Lippis quippe atque tonsoribus, quod dici solet, notum est, hanc fuisse multorum iam publicatam de Musculo querelam, quòd is partim studio pleraque longè aliter Latinè reddiderit, quàm haberentur Græcè. Quorum sententiæ eatenus sanè suffragatur finis & character epistolę dedicatoriæ, quã trãslationi suæ præmisit, vt satis certum sit, eum partibus fauisse. Euentus etiam ipse eousq; suffragatur, vt negari non possit, multa esse ab eo versa minus syncerè quàm deberent. Hęc vt vt sunt, nollemus esse facta: à Musculo tamen simplici errore potius, quàm dolo malo, quæ ita sunt, translata arbitramur, eò ducti argumẽto, quòd locos aliquot ab eo syncerè tractatos esse cognouerimus, quibus alioqui vitiatis permultum suis partibus adstruere potuisset. Credamus igitur, Musculum nõ minus syncerè vbique voluisse reddere, quod inuenerat, quàm Christophorsonum, & proinde sicuti conatibus euentus non respondit, non voluntatem illi, sed facultatem defuisse. Interim verò, quia vt pereuntis nihil interest, stultitiáne interimẽtis iuguletur, an peruerso studio, ita nec lectoris quidem refert, vtrúmne culpa interpretis an dolo fraudetur expectato historiæ fructu: non immeritò palmam tribuemus illi, qui ad fructum historiæ legitimè præstandum maximè instructus fuit. Quocirca cum primus historiæ fructus in veritate, secundus in delectatione versetur, ad veritatem fides codicũ, ad delectationẽ interpretis industria potissimum pertineat, satis dilucidè iam apparet, vter vtri in hoc certamine præferendus sit. Idem codex Græcus vtriq; transferendus contigit. Sed ex eo sicuti excusus est, historię veritas erui perpetuò nõ potest. Vtpote qui

qui mendis, defectibus, lacunis in finitis contaminatus, mutilatus, interruptus est. Hic igitur, hic, inquam, codex Græcus, integritati suæ ante omnia restituendus est ab interprete, vt ipse prius authorum genuina verba habeat, quorum sententiam lectori reddere conatur. Atqui vt non negemus, esse nonnulla in textu Græco eius generis menda, quæ solertia docti & exercitati interpretis vtcumque sanari queant, ita tamen maxima & præcipua horum pars eo modo se habet, vt non Musculus, non Christophorsonus, imò verò non Oedipus, nõ Sphinx interno aliquo subsidio, hoc est, eruditione & ingenio quantumuis sagaci, ea curare possit. Externis igitur adiumentis, collatione scilicet vetustorum codicum & lectione diuersorum authorum ad hæc impedimenta tollenda opus est: quæ si quis non adhibuerit, hic interpres veritatem Historiæ propositæ se tueri non posse fateatur. Musculus autem de subsidijs, quibus instructus fuerit, ipse nihil dicit. Quin potius hoc dicit, se nudum textum Græci codicis, ita vt à Roberto Stephano publicatus est, secutum esse: de emendatione eius verbum nullum. Et quid autem de emendatione cogitaret, qui nihil incorrectum sensit? Atque hoc quidem nemini mirum videri potest, qui facultates eius vel in illis tantummodo ponderauerit, quæ citra adiumenta externa ab homine semidocto non difficulter sarciri poterant. mox enim comperiet, quàm crassa sint, quæ ille non viderit, quàm exilia sint, ex quibus ille se extricare non potuerit. Nec est, quòd hac in re meis verbis quisquam credat potius quàm oculis suis. Petat enim experimenti gratia quisquis vult ex castigationibus nostris, vnde plena manu hauriri possunt, locos aliquot in textu à Christophorsono restitutos, & consideret, quo modo se in his antea gesserit Musculus: & postquam veritatem penes nos esse rebus præsentibus deprehenderit, inuidia nos non oneret, neque postulet, vt, qui Musculum syncerè voluisse interpretari, quantum in ipso fuit, hanc Historiam, multis contradicentibus, asseueramus, ijdem etiam contendamus eum potuisse. Fuerit sanè Musculus vir bonus, non ideò tamen mox etiam fuit interpres bonus. Non defuit Musculo candor, non synceritas, quod nos quidem arbitramur: sed defuit eruditio, defuit industria, defuit externum subsidium, quod certò scimus, quando non exemplarium veterum collatione, non diuersorum authorum lectione, non sua saltem aliqua industria propositum textum vel in minimo quouis castigasse demonstrari potest. Musculus igitur, qui se Roberti Stephani textum, ita vti est, secutum profitetur, quicquid ille intriuisset, sibi exedendum ratus est: quæ causa fuit, vt, quæ ibi abundant, non resecuerit, quæ deficiunt, non suppleuerit, quæ deprauata sunt, non correxerit, talemque proinde interpretationis suæ massam conflauerit, quæ alibi plus, alibi minus, alibi aliter, de re præsenti loquitur Latinè, quàm author ipse scripsit Græcè, vt insanus videri non iniuria possit, si quis ex huius interpretatione se genuinum ac verum Historiæ Ecclesiasticæ sensum perpetuò consecuturum speret. De delectatione igitur, quid est, cur multa dicamus? quæ si vlla omninò expectari à cordatis potest, vbi veritatis lumẽ est extinctum; ibi tamen haberi nulla potest, vbi interpres ipse nec dicendi genus lepidum habet, nec authoris propositi mentem assequitur, sed cum erroribus ac mendis haud aliter quàm cum laruis luctatur, & proinde dum aliena pro genuinis amplectitur, & quæ longissimè disiuncta sunt, connectit, & quæ connectenda fuerant, disiungit, non modò obscurè, sed etiam absurdè multa tradit, quæ delectationi sunt maximè contraria. Huic igitur interpreti qui Christophorsonum in hac palæstra opposuerit, causas etiam cur prę ferendũ dicat, non difficulter reddiderit. Hunc enim ab omni partium studio alieniſsimum, & religionis catholicæ studiosissimum

sissimum semper fuisse, nemo est qui negare possit: vtpote, qui inter orthodoxos ab ineunte ętate educatus, eam institutionem sortitus est, quę futurum aliquando Ecclesiæ orthodoxæ antistitem deceret, à qua ad extremum vitæ diem, ne latum quidem vnguem deflexit. ijs etiam artiũ subsidijs à tenero imbutus fuit, quæ ad boni interpretis facultatem permagnum adiumentum adferre possent. Itaq; non modò vtriusq; linguæ, sed & artium dicendi & reliquæ Philosophiæ scientia imbutus est. Mox etiã theologiæ studijs adhibitus, veterũ patrum lectione consuetũ Ecclesiæ tũ apud Gręcos, tũ apud Latinos loquendi modũ penitus perspexit, vt in transferẽdo digna dignis vsitatè redderet. His præsidijs instructus, & in alijs etiã Græcis authoribus iam antea in Latinũ transferendis egregiè exercitatus, cũ animum ad historiam Ecclesiasticã adiecisset, nucem sibi frangendã ratus est, si nucleum esse vellet. Itaq; cùm ad sensum authoris nullus detur accessus, nisi vbi de orationis proprietate cõstiterit, hic interpres, antequã versionem auspicaretur, id sibi agẽdum existimauit, vt in contextu operis superflua resecaret, defecta suppleret, repugnãtia conciliaret, ambigua discuteret, suppositicia remoueret, genuina restitueret, luxata sanaret, omniaq; quæ perturbata essent, quantũ in ipso erat, in pristinum statum restitueret: quo facto, sine mora, sine impedimento consequeretur, quod interpretem bonum decet, vt lectori mentem suscepti authoris fideliter ac plenè reddat. Nullũ igitur diligentiæ genus omisit, quod ad huius operis emendationem aliquid momenti allaturũ videbatur. Veteres enim scriptores Græcos, Epiphaniũ, Athanasium, Iustinum, Clementẽ, Nicephorum, Iosephũ, & consimiles alios omnes euoluit, ex quibus vel ipse Eusebius, ac cæteri præsentis historiæ scriptores, vel qui ex Eusebio cæterisue aliquid citarẽt, quod sui collatione præsentẽ locũ emendare posset. Quinetiam præsentis historiæ manuscripta exẽplaria terra mariq; venatus est, nec eum piguit horũ nomine longinquas profectiones suscipere, nec destitit, antequam præter cætera, quæ diuersa in diuersas partes seperatim habuit, tria consequeretur præcipua, primũ Romæ, alterum Florentiæ, tertium Venetijs, quæ omnia sicuti mirabili integritate præstabant, ita singula in totũ corpus historię pertingebãt. His fretus tantũ adiumenti ad emendationẽ Græci textus contulit, vt mihi vestigia eius consectãti, dubitatio suborta frequenter sit, vtrũne magis mirandũ sit, tot mendis hoc opus citra plenũ eius interitum potuisse contaminari, an verò, quod ita contaminatũ esset, vnius hominis industria in tãtam integritatẽ potuisse restitui. Hercules ab Eurystheo iussus Augiæ stabulum vno die ab vniuerso purgare fimo, quem per multos annos aliquot boum millia congesserant, cùm & operis magnitudinem & breuitatem temporis consideraret, quod alioqui nullis viribus fieri potuisset, ingenio perfecit. Immissis enim duobus fluuijs, Alpheo Peneoque, facilè sordes omnes eluit. Christophorsonus verò non vnum tantummodo diem, sed multos potius annos in hoc opere purgando consumpsit. Nec enim hæ sordes per multos annos, vt istæ, sed per multa sæcula congestæ sunt, nec fuerunt hic tantummodo animalia mansueta, vt istuc, sed & fera etiam & monstrosa, bubali scilicet, onagri & centauri. Nec enim solũ imperiti, sed etiã docti, impij scilicet hęretici & schismatici sordes hasce comportarunt. Itaque nec vnius quidem, sed diuersi generis extiterunt, & quæ proinde non duobus duntaxat, sed & pluribus & diuersis modis eluendæ erant. Nihil hic dico de his, quæ in literis, quæ in syllabis, quæ in nudis dictionibus vel transpositis, vel mutatis, vel infartis, vel omissis sita sunt, quorum myriades infinitæ sunt: sed integras sententias, integras periodos, integra capita, integras paginas tam multas, confusas, peruersas, intermissas tacere quis potest? Quæ quidem cùm per Christophorsonum restituta sint, apud

Musculum

Musculum desiderentur, ecquis tam iniquus iudex sit, qui aut negare audeat, Christophorsono iustam fuisse causam transferendæ de integro huius historiæ post Musculum, aut eum hoc assecutum esse non fateatur, vt ipsius translatio Musculanæ meritò præferenda sit, quatenus saltem primùm historiæ fructum hoc est, veritatem ipsam respicimus? Delectationis enim ex eius translatione tantum capi potest, quantum ex cuiusuis Latini scriptoris genuino sermone solet, cùm vtique oratio nusquam Græcismos redoleat, vbique perspicua sit, vbique propria, vbique composita sit, vndique debitis ornamentis exculta niteat. Quod si ergo ob has causas vtique iustissimas, relicto Musculo, Christophorsonum in Historia Ecclesiastica interpretem amplectendum suadeam, equidem spero, neminem fore tam iniquum iudicem, qui hoc consilium meum veluti friuolum aut temerarium censeat esse reijciendum. Nam sanè cùm ab ipsis penè incunabulis, tum Latinis, tum Græcis literis fideliter imbutus, ab ineunte mox iuuentute vtriusque linguæ professione per multos annos exercitatus, & in hoc ipso interpretandi genere interim diu multumque versatus sim, si mihi de interpretum præstantia iudicium aliquod assumam, videor id mihi iure quodammodo meo vendicare. Nec enim est, quod quisquam obijciat, me vel in odium Musculi, vel in gratiam Christophorsoni sic iudicasse, cùm vterque vita defunctus sit, vterque, dum vixit, ignotus mihi fuerit: debemus autem omnes, ni fallor, qui Christo nomen dedimus, Ecclesiæ, quæ communis omnium mater est, nullo personarum habito respectu, syncerè & ex animo consulere, id, quod optimum factu iudicamus. Quocirca nec Musculi quidem manes equidem minus propitios mihi futuros esse confido, quòd Christophorsonum præponam ipsi, qui postpono Ruffinum & Epiphanium. Musculus enim, vt in Ecclesia eos promouere voluit opera sua, qui à comedendis herbarum radicibus proficere volebant ad glandes, ita nequaquam illos voluit impedire, qui à glandibus iam porrò transcendere cupiunt ad fruges. Quorum sanè cùm vbique terrarum frequentissimus iam numerus sit, nemo suspicetur, nos, vel sine authoritate, vel sine exemplo in hanc harenam descendisse. Hæc enim causa viros grauissimos non modò Louanij, sed & Coloniæ & alijs locis complures impulit, vt nos alioqui non nimium propensos huc inducerent. Hæc etiam causa viros istos doctissimos, Ioannem Iacobum Grynæum dico, & Ioannem Curterium mouit, vt relicto Musculo Christophorsonum sequerentur interpretem, cùm suis editionibus Ecclesiasticam Historiam studiosis post primam Birckmannorum editionem de integro commendandam suscepissent. Grynæum enim, cur in decem libris Eusebij Musculum, in quinque libris Theodoriti Camerarium retinuerit, arbitror equidem priuata aliqua causa fuisse motum, quam non discutio. Alioqui enim se Christophorsono deferre primas in scholijs suis passim satis dilucidè profitetur. Nam quòd Curterius in Christophorsono nonnulla desiderat, non eò pertinet, vt eum præstantiorem interpretem non iudicet Musculo, quem totum ipse reliquit, sed eò, vt doceret, ad absolutam Christophorsonianæ translationis perfectionem in genere suo etiamnũ aliquid requiri amplius. Quod quidem sicuti verum esse negari non potest, ita communi operum humanorum conditione facilè excusatur: in quibus nihil vnquam ab omni parte sic perfectum prodijt, vt ei nihil prorsus adstrui posset vlterius. Vt autem immatura mors eius impediuit, quò minus ipse opus suũ ad Vmbilicũ perducere potuerit, ita post mortem eius quoq; huic operi quædã acciderunt, quæ illi imputanda non sunt.

Omnia tamen hæc, cuiuscunq; generis existant, quæ superiori editione præstari nõ potuerunt, hac præsenti nunc præstãtur. Tres vltimos libros Sozomeni in Latinum conuertere, & toto opere, quod cõstituerat, versionis suę rationes reddere, morte interceptus non potuit. Sed hoc nos partim superiori, partim hac præsenti editione pro virili nostra sarcire conati sumus. Quartus liber de vita Cõstantini, vt à Christophorsono translatus fuit, post obitũ eius intercidit, quẽ mox interpretatione sua restituit vir doctissimus Nicolaus Carrus. Multi loci editione prima per typographũ, qui historiã hãc in folio excudit, toto opere passim adhibito studio deprauati sunt, quod eiusdẽ editionis forma octaua, Louanij prius excusa, & isti ad exprimendum fideliter proposita declarat. Sed his nos iã restituendis operam nauauimus. Iam igitur cùm ex his, quæ dicta sunt hactenus, satis liquidò appareat, nullã translationẽ historiæ Ecclesiasticæ, quæ quidem hactenus in lucem edita sit, comparandã esse cum Christophorsoniana, restat porrò, vt dicamus, quantum præsens hęc editio nostra superiori præstet.

Primùm enim iam conferimus, quæ ad totius operis integritatem præcipuè pertinent, diu & à multis eruditis desideratas Græci codicis emendationes, de quib. infra cõmodius dicturi sumus. Deinde & contextum quoque Latinum diuersis ornamentis illustrauimus. Nam cũ præcipuam lucem historijs infundat assignatio temporum, nos hoc operã cum primis dedimus, vt & generalẽ toto opere, & specialem singulis libris chronologiam adnotaremus, ita vt nõ modò vniuersalium, sed etiã singulariũ rerum descriptiones suis temporibus vbiq; discretæ habeantur. Cũ enim totum opus historię, quod exhibemus, res eas contineat, quæ proximis à Christo nato sexcentis annis in Ecclesia gestæ sunt, tum quantum temporis quinq; libri singulatim cõplectantur, diligenter in frontispicio cuiusque declarauimus. Nec seorsim quidem tempus interim suis locis determinare grauati sumus, si qua in his acta præ cæteris memorabilia referantur. Quæ quidem res, quò plus & certitudinis & gratię habeat, exemplo Ioãnis Curterij Imperatorum Romanorum nomina ordine suo, sub quibus quæque acta sunt, in superiori foliorum margine vbique adscripsimus. Imperatoribus porrò Romanis suos Pontifices adiunximus, vt ex horũ collatione tum sacræ tum profanæ historiæ plenior cognitio parari queat. Et quò ad eam studiosis facilior accessus pateat, scriptores tam Ciuilium, quàm Ecclesiasticarum rerum, quæ huc pertinẽt, non modò in singulos libros, verùm etiam in singula capita adnotauimus, propterea quòd horum collatio sæpenumerò permultum adferat momenti, vel ad confirmationem, vel ad explicationem materiæ præsentis, cùm prophani Scriptores non rarò sacris oportunum testimonium subijciãt. Quoniam verò Nicephorus ea, quæ post inchoatam Ecclesiam sexcentis proximis annis gesta scribit, partim ex his nostris, partim ex alijs ecclesiasticis scriptoribus mutuatus est, omnibus omnium librorum capitibus historiæ nostræ capita historiæ Nicephorianæ, quæ respondẽt, adscripsimus, eo cõsilio, vt studiosus lector, quid aliunde, quid hinc ille deprompserit, liquidè perspiciat, & si qua in his authoribus nostris vel temporum iniuria, vel iniuria librariorum deprauata sunt, quo modo ex illo emendari queant, atque restitui, ex collatione deprehendat. Adhæc quoniam ab authoribus historiæ nostræ, quamuis diuersis, Socrate præcipuè, Theodorito, & Sozomeno res eædem sæpenumerò traduntur, quarum collatio maximè necessaria est, concordantias, quas vocant, in omnia capita, vbi res postulauit, toto opere congessimus, vt earum subsidio studiosus non modò eiusdem argumenti materias latissimè alioqui dispersas, veluti sub vnum obtutum positas, ad quoduis institutum suum in promptu habeat, sed etiam vt in earũdem rerum tractatione

ctatione diuersorum authorum diuersam solertiã consideret. Consiliũ deniq; scribentis, & dispositionem capitis, vbi argumenti præsens conditio postulabat, in gratiã studiosorũ adnotare nõ grauati sumus, neq; detrectauimus complures etiam locos obscuros diligentius illustrare, si quorũ explicatio alioqui non ita passim obuia futura videbatur. Quinetiã ad marginem, si quid rarum, aut egregium incidisset, non oscitanter adnotauimus. Postremò cũ in Eusebio Ruffini interpretatio multis vsitata sit, in horũ gratiã etiam translationis Ruffinianæ capita ad margines contextus Christophorsoniani diligenter adnotauimus, ita vt in Christophorsono & Ruffinum habeant, & ex præsenti interim collatione percipiant, qua fide vterq; Interpres in Eusebio trãsferendo versatus sit. Hæc igitur sunt, quæ ad hanc editionem opera nostra cõtulit, & quorũ accessione eam superiori editione præstantiorem esse iudicamus. Nec enim planè videmus, quid hic requiri possit amplius, nisi quis ita se comparet, vt in tam vastũ opus plena cõmentaria scribenda putet. In castigationibus itaq; nostris, quæ cõmentariorum instar sunt, quo modo versati simus, iam porrò dicendum est. In quibus colligendis ne quã diligentiæ partẽ prætermitteremus, primùm illis Christophorsoni nostri collectaneis vsi sumus, quæ illum singulari industria, & incõparabili labore vndecunq; conquisita ad marginẽ Græci codicis à Roberto Stephano excusi adnotasse supra diximus. His addidimus diuersas lectiones illas, quas ipse Robertus Stephanus ad finẽ Græci codicis adiecit: ex Nicephoro præterea & alijs diuersis scriptoribus Græcis quicquid corradere potuimus, in penu nostrum comportauimus. Si quid etiã Curterius, si quid Grynæus, si quid Camerarius, aut quiuis alius suppeditauit, quod instituto nostro conduxit, id quoq; grata manu accepimus, nusquã non candidè professi, per quem profecerimus. Deniq; præter Græcos istos codices, de quibus diximus, etiam diuersorum interpretum Latinas translationes excutere non grauati sumus, planeq; nihil scientes quidem aut volentes prætermisimus eorum, quæ vel ad ornamentum huius operis, vel ad profectum studiosorum aliquid momenti allatura videbantur. Has porrò ipsas annotationes, siue castigationes nostras, quò minus caducas, magisque perpetuas, ac demum huic historiæ magis proprias redderemus, peculiari volumine comprehendimus, & huic operi seorsim ad calcem adiunximus. Nam cùm hic finis castigationum sit, vt integritatem codici Græco restitutam probent, qua cognita de interpretis diligentia ac fide lectori constet ratio, nos ad vtriusq; textus commoditatem eas direximus. ita vt non minus ad Græci, quàm ad Latini codicis finem seorsim excudi possint. Primùm itaque discretis per singulos authores libris, suas paginas, & paginarum latera, & in singulis lateribus lineas appositis numeris diligenter indicauimus, quibus loci emendati cõtinentur, ita vt nullæ sint quãtumuis exiles annotationes, quæ non his numeris indicibus ad sedem suam quò debent, iudicij ergo, sine errore, mox, & sine magno negocio reduci queant. Deinde quò & ad Latinum textum conferẽdi gratia eædem commodè applicentur, capita in Græco textu, ita vt per interpretem in Latino discreta sunt, in singulis libris diligenter adnotauimus. Quare si ubi capita Græci codicis excusi non respondebunt capitibus codicis Latini, quod pluribus in locis fit, ibi non solùm annotationes nostræ, sed etiam paginarum linearumque numeri capita demonstrabunt: vt habito saltem capite vltro citroq; vel linearũ ductu, vel interstitij cõparatione porrò ad locum requisitum peruenire facillimum sit. Quamquam & nos interim paginam atque lineam Græci codicis etiam in Latino adnotauerimus, vbi singularis aliquis nodus præsentem solutionem flagitabat. Erunt fortasse, qui me consultius

sultius facturum fuisse arbitrentur, si castigationum mearum rationes in codice Latino suis locis conspiciendas proposuissem, ita vt lector inuestigandi onere liberatus in promptu haberet, quo niti posset. Quibus proinde respondendum est: Primùm ea ratione Græci codicis neglectum induci, cuius emendandi gratia illæ maximè comparantur. Deinde & ijs, qui Græcè nesciunt, eas vbiuis frustra proponi, ijs autem, qui Græcè sciunt, iucundius esse, eas in fonte ipso cognoscere, vt cum antecedentibus & sequentibus præsentia ipsi conferant. Huc adde, quòd non omnia codicis Græci menda eius generis sint, vt ratio, cur sublata sint, in codice Latino intelligi possit. Errata enim typographica, quæ literis aut syllabis accidunt, itēq; si qua temerè vel omissa, vel inculcata, vel ordine debito exturbata sunt, si qua denique vel homonyma, vel synonyma, vel polysema, vel ampliibola sunt, quoniam plerumq; intelligi potius, quàm explicari Latinè possunt, aut certè citra Græci textus præsentem collationem intelligi non possunt, absurdè nimirum & ridiculè in codice Latino eorum emendationes inculcaueris. Postremò autem nec loci quidem ratio satis commoda suppetit in Latino codice, vt ibi proponātur. Nam quo minus eas in margine proponerem, sicuti fecit Curterius, spacio prohibebar, quòd maior sit angustia marginum, quā quæ recipiendis emendationum rationibus vbique sufficiat. Toto enim fermè opere nullus liber, nullum libri caput est, in quo nō multæ separatim lineæ mendis interdum pluribus scateant, sicuti ex eorum inspectione intuenti patet. Vtpote quæ in vnum collecta iustum volumen efficiunt, quod vniuersum si quis marginibus illinendum fuisse putet, is meo quidem arbitrio non rectè iudicat. Curterius enim, si plura non habuit, quàm ea, quæ marginibus adscripsit, ne ipse quidem se iudice nobiscum hac in parte conferri sustineat. Sin autem præter hæc & alia quædam habuit, quæ in medium non contulit, nobiscum sentit, qui & non omnia marginibus conuenire, & margines non omnibus sufficere deprehendimus. Quo minus autem singulis capitibus castigationes suas subiecerimus, sicuti Grynæus facere occeperat, deterruit nos, primùm, quòd capita Latini codicis, & Græci non vbiq; inter se vltro citroq; conueniant, sed frequenter longissimè discrepent, vt suprà diximus, idque tum numero tum spacio. Deinde, quòd plerisque ineptum videatur, cōtinuum historiæ decursum interrumpi, eiusmodi præsertim annotationibus interiectis, quæ, vt ad orationis integritatem duntaxat pertinent, ita lectoribus Græcæ linguæ imperitis, quorum numerus est lōgè maximus, nullā vtilitatem, nullā voluptatē adferre queant. Grynæus enim in suis scholijs non hoc tantum agit, & quod cœperat, mox intermisit. Constitueram autem toto opere declarare, vbi Musculum Christophorsonus versione sua superasset, sed ab hoc proposito mox destiti, eadem de causa, qua se ab eodem proposito destitisse Ioachimus Camerarius testatur, cùm post Epiphanium Theodoriti interpretatione absoluta, facti sui rationem in præfatione reddit. Cœperā, inquit, initiò annotare, si cubi illum aliter quā Græca sonant, reddidisse animaduerteram, sed citò hoc facere destiti, ne singulis penè versibus necesse haberem adscribere annotatiunculas. Hæc ille: Cui si id in vno Theodorito nimis operosum fore visum est, nobis ergo, quibus in omnibus his authoribus idem agendum foret, quidnam euenturum esset? nasceretur scilicet annotationum opus, ipsa historia Ecclesiastica longè vastius, ex quo tamen alius nullus ad lectorem fructus redundaret, quàm is, qui ex simplici interpretum collatione multò commodius percipiatur. Breuitatis igitur gratia ab his prorsus destitimus, quemadmodum & in Græcis annotationibus prolixitatis euitandę studio multa in arctum contraximus. In diuersis

sis enim lectionibus adnotandis nihil quidē prætermisimus, sed in ijs duntaxat iudicium nostrum interposuimus, in quib. id præsens necessitas videbatur postulare: in reliquis lectori nihil præiudicare voluimus, cùm quæ alijs placent, alijs interdum displiceant, & proinde nulli præripienda sit iudicij sui libera facultas. Quanto igitur interuallo Christophorsonus reliquos interpretes in historia Ecclesiastica superauerit, quantumq; nos illi hac editione nostra adstruxerimus, pro nostro quidem instituto viri amplissimi, satis succinctè, pro vestris verò occupationibus nimium prolixè iam diximus. Tempus igitur postulabat, vt de præstantia huius historiæ, cui ista destinantur, deinceps aliquid diceremus. Sed id quo minus facere necesse sit, præoccupauit interpres ipse Christophorsonus, qui in præfatione sua, quæ in huius operis frontispicio extat, hunc locum satis accuratè tractauit. Ideoq; nos illud saltem dicimus, incomparabilem illum & multiplicem fructum, quem ex hoc scripto tum priuatim ad quemlibet, tum publicè ad communem omnium vtilitatem redundare perspeximus, ita nos confirmasse, vt nullos labores quātumuis graues, quantumuis diuturnos, nobis molestos sentiremus, quos in huic opus excolendum conferremus. Itaq; nec tempori pepercimus, qui pluribus annis huic incubuimus, nec vigilijs supersedimus, qui quod diurnis horis defuit, nocturnis compensauimus, nec periculis deterriti sumus, qui Louanij propositum nostrum penè totum expleuimus. Vbi tametsi nobis quidem præsentibus periculum nunquam fuerit, ob communes tamē Belgij tumultus periculi metus semper fuit. Laborum etiam defatigatione nos ab eo abstractos non esse, profiteri salua veritate possumus. Ex quo enim vestra amplitudo me in numerum Professorum Iuris cooptauit, & huic Bursæ Coronarum prefecit, satis mihi quidem negotij fuit, quo non modò publicis ac priuatis legum explicationibus ex officio satisfacerem, sed etiam domesticis curis, & familiaribus occupationibus locum darem. Interim tamen, quia & horæ incidūt subcesiuæ, & dies interdum suppetunt feriati, quicquid horum fuit, quod istis superesset, id totum impendimus huic, & quidem eò diligentius, quòd suspecta valetudine festinandum nobis putaremus, ne, si quid humanitùs nobis accidisset, labores nostros relinqueremus inchoatos. Iam igitur, cùm aspirāte clemētia diuina tandem absoluerim, quod hactenus conatus fui, & de eligendo Mæcenate proinde cogitarem, cuius auspicio hanc operam nostram potissimum in lucem ederem, vestra amplitudo iustis de causis dignissima visa est, cui eam nuncupandam tutandāq; commendarem. Primùm enim cùm alioqui improbum videatur, foris patronum quærere, si domi habere possis, tum eò magis hoc opus nomini vestro inscribendum videbatur, quòd nostrarum lucubrationum, quas hic absoluimus, hæ sunt primitiæ. Etsi enim antea cōplura alibi publicauerimus, hactenus tamen, ex quo Coloniam aduenimus, nihil omnino typis commisimus. Deinde, cū vestra amplitudo me non modò vtriusq; Iuris professione publica, & huius Collegij Iuridici præfectura honorare dignata sit, sed & assiduis etiam beneficijs indies cumulare pergat, quis me ingratitudinis non optimo iure damnet, si pro tantis, ac tam splendidis beneficijs acceptis grati animi significationem non darem quàm possem maximam? Nihil autem esse, non dico in tenui supellectili mea, sed in vniuersa re literaria, vel præsenti rerum statui, vel amplitudini vestræ, vel professioni meæ conuenientius huius operis dedicatione, facilè concedet quisquis rem iusta bilance pōderauerit. Etsi enim nos quidem hanc historiam post Christophorsonum laudaturi non simus, tamen illud interim tacere non possumus, continere eam rerum toto orbe gestarum seriem à Christo nato totis sexcentis annis continuatam. Itaq; hic initia, incrementa, firmamenta Ecclesiæ, hiç religionis Christianæ successus

prosperi & aduersi, hic sectarum diuersarum ortus & interitus, hic orthodoxorum, hæreticorũ, impiorum consilia, acta, monumenta proponuntur, hic etiã Regnorũ & imperiorum trãslationes, magnarum Rerump. oppressiones, gentium integrarũ, & familiarum potentũ extirpationes. Hic belli pacisq; vicissitudines, bonorũ protectiones, impiorum iustæ pœnæ, hic virtutum vitiorumq; exempla viuis coloribus exhibentur, ita, vt non modò hominib. priuatis, sed & personis publicis hoc opus maximum adiumentum adferre possit, ad consilium de rebus dubijs belli domiq; capiendũ. Nostra autem hæc ætas hæreticos & schismaticos, eosq; inter se variæ miserecq; dissidentes vbiq; iam turmatim funditat, à quibus quid expectandum & quo modo vicissim his occurrendum sit, hic perspicuè dicetur. Hic enim perniciosissimum eorũ propositum in opprimenda religione catholica, in euertẽda politia ciuili, hic etiam fraudulenta & perfida eorum consilia in hoc ipso proposito suo perficiendo veris narrationibus ita graphicè depinguntur, vt neminem latere possint, nisi qui nihil sentit. Nam cùm Ecclesia Catholica inter circumfrementes hæreses ac sectas, quæ diuersis temporibus exortæ sunt, veluti rosa inter spinas creuerit, varia exempla hic proponuntur, ex quib. contendentium hæreticorum & orthodoxorũ vicissitudines velut in terssissimo quodã speculo conspiciantur. Quæ quidem omnia, quoniam ita passim hic obuia sunt, vt cumulatim ac plena manu sumi possint, digito singula indicare nihil est necesse. Sic enim ad amussim hic describuntur hostes Ecclesiæ, quòd simulata pietate se paulatim insinuent incautis, & sensim per fraudem ac dolum malum penitus irrepant, donec penetralibus occupatis hospites suos tandem extrudant ac profligent. Cùm igitur, vt ijsdem morbis eadem remedia, sic etiam ijsdem periculis eadem consilia sint adhibenda, præsens rerum status deliberationem nostram ad superiorum temporũ conditionem reuocare debet, vt maiorũ nostrorum vestigijs insistentes consimilib. telis repellendis consimilia arma cõparemus. Atqui maiores vestri ex quo Christũ semel professi sunt, siue illi diuinitùs illustrati, siue huius operis lectione eruditi sint, in amplificanda cõseruandaq; hac Repub. nihil magis habuerunt cordi, quã vt Catholicæ Religionis vnionẽ conseruarent, hæresib. ac sectis obsisterent. Quod verũ esse facilè cõperit, quisquis præsentẽ huiusce vrbis statũ considerat. Quid enim Diuorũ templa tam multa, quid reliquiæ Martyrũ tam frequentes, quid ciuium vestrorum studia in his ipsis conquirendis, exornandis, & tam diligenter cõseruandis declarant aliud, quã omnes vnanimiter huc incubuisse, vt publicis monumentis eorum memoriam colerent, quorum recordatione ad cultũ pietatis exuscitari, precibus Deo cõmendari vellent? Collegia verò tam multa Canonicorũ, conuentus monachorum tam multi, ciuium vestrorum in his ipsis tam magnificè dotandis studia quid significãt, nisi vt in his Religionis Catholicæ vindices essent, qui tum vitæ sanctimonia, tum doctrinæ puritate populum erudirent, & pro tranquillitate paceq; publica Deum nocturnis diurnisq; precibus orarent. Vniuersitatem verò cur tot professoribus ornauerunt, professores ipsos in omni facultate cur stipendijs tantis dotauerunt, nisi vt in omni artium genere publica receptæ doctrinæ censura constare posset? Cur autem tot Bursæ fundatæ, cur Bursis ipsis ædificia assignata, reditus decreti sunt, nisi vt seminaria pietatis & virtutis essent, in quibus iuuentus ad subsidium Reipub. cõcorditer institueretur? Horũ singulorum originem, progressum, & successum ex annalib. vestris repetite, & videbitis, nõ heri aut nudiustertius, vt dici solet, inchoata, sed multis sæculis continuata, à maioribus vestris per manus vobis tradita. Videbitis tot episcopos sanctissimos, tot consules prudẽtissimos, tot ciues integerrimos vrbis vestræ omni conatu, omni studio huc incubuisse, vt ad concor-

concordẽ ecclesiæ catholicæ & ciuilis politiæ conseruationem ita piè constituerẽtur, religiosè augerentur, sanctè conseruarentur. Huc vestræ ciuitatis ordines, huc Tribus, huc Sodalitia prudentissimè accõmodata sunt. Hinc igitur tanta inter Clerum & populum concordia, hinc tum Ecclesiasticis, tum laicis tam splendidi, tam prosperi successus, hinc tam diuturna pax, huic tam florens Reipub. status, hinc ciuiũ vestrorum fortunæ tam solidæ, hinc liberi vestri profunda securitate in oculis vestris educantur. Nolite igitur vnquã inuadẽtib. septa capris vineã vestram dedere, sed vt hactenus cõstantissimè fecistis, ita etiã porrò maiorũ vestrorũ vestigijs insisti te, vt Reip. tranquillitatem ab illis acceptã ad posteros transmittatis. Quod non alia ratione cõmodius futurum est, quã si istis rerum nouatoribus maturis cõsilijs occurratis, quorũ vberem copiam hæc historia in omnẽ euentum largissimè suppeditat. Quã quidem nos proinde vt amplitudini vestræ conuenientissimã, ita & nostræ quoq; professioni maximè congruam esse iudicauimus, non modò quòd omni disciplinarum generi cõmunis sit historia, cui nos ab ineunte ætate plurimũ operæ semper impendimus, sed etiam q̃ sine huius scripti cognitione publicæ doctrinæ censura peragi non possit, cuius executionem Iurecõsultus propriam voluit esse Iustinianus. Nam sanè cùm de fide Catholica, de sancta Trinitate, de sacrosanctis Ecclesijs, de Episcopis & Clericis, de Hæreticis & Manichæis, de Apostatis, de Iudæis, & Cœlicolis, de consimilibus Iureconsultũ iudicare Imperator voluit, hanc Historiam nimirum illi diligenter euoluendam proposuit, ex qua istorum omniũ causæ, proprietates & effectus, velut ex fonte genuino solidè cognosci possent. Quæ causa etiam non paucos mouit, vt operam nostrã in hac historia ornanda, & vestro patrocinio cõmendanda non modò consilijs, sed etiã libris suppeditatis adiuuarẽt. Quorũ vt nemo est non singulari eruditione, pietate, prudentia, authoritate maximè cõspicuus, ita singuli nõ meis duntaxat studijs quã optimè cõsultum volunt, sed & vestræ quoque amplitudinis ac prudentiæ cultores obseruantissimi sunt. In horum albo primum locum merito suo sibi vendicat reuerendus ac venerabilis in Christo pater ac Dominus D. Godfridus Vverdenensis ad S. Pantaleonem in hac alma vrbe Abbas dignissimus, qui ex Bibliotheca sua nobis quod opus fuit, benignissimè concessit. Quod idem fecit & venerabilis ac nobilis vir ac Dominus Godefridus ab Eyll Abbas Sigebergensis, D. in Sigebergen & Strael. Hunc non magno interuallo subsequitur, qui & diutina beneuolentia, & summis beneficijs hactenus me prosecutus est, S. Theologiæ Doctor eximius D. Hermannus Phleius Suertensis, ad S. Georgium Canonicus & Regens Bursæ Montanæ. Quos pari gradu comitatus est præstantissimus vir ac Dominus Paulus Kuechouius, S. Theologiæ Licentiatus, Ecclesiæ Metropolitanæ presbyter Canonicus, & Regens Bursæ Laurentianæ, qui vt vicinitate mihi proximus, ita & singulari quodam fauore deditus semper fuit. Nec suo quidem subsidio mihi defuit, itidem vt proximè vicinus, ita etiam summis beneficijs me semper prosecutus excellentissimus vtriusque Iuris Doctor Petrus Steenvvechius, Reipublicæ vestræ Syndicus consultissimus, & in hac alma vniuersitate sacrorum Canonum Professor primarius ac celeberrimus. Nec defuit huius etiam germanus frater, in Bursa Laurentiana Philosophiæ professor celeberrimus, Sacræ Theologiæ Licentiatus, Canonicus ad Apostolos, Dominus Cornelius Steenvvechius. Et vt in alijs permultis, ita etiam in hoc de me optimè meritus est Sacræ Theologiæ Licentiatus & verbi diuini insignis præco Dominus Stephanus Isaac Leuita, Pastor ad S. Mariam indulgentiarum & ad S. Vrsulam Canonicus dignissimus.

Vt nec ille quidem defuit mei amantissimus, doctissimus, charissimusq; vir ac Dominus Melchior Hittorpius, S. Theologiæ itidem Licentiatus, & Aedis Marianæ ad Gradus Canonicus dignissimus. Nec verò ille conatibus meis auxilium suum denegauit, quem vel primo loco proinde recensere debueram, clarissimus, & vtriusque Iuris consultissimus Ioannes Matalius Metellus Sequanus, cuius ope & cõsilio etiam in alijs magnopere adiutus fui. Collegiorum quoq;, Monasteriorum & Bursarum antistites libenter impartiuerunt ex Bibliothecis, si quid vsibus nostris commodare potuit. Et ne singulis recensendis prolixus sim, nemo repertus est hactenus, qui vel hortatu, vel auxilio suo propositum hoc nostrum non enixè promoueret. Accipite igitur prudentissimi amplissimiq; viri benigno animo huius historiæ Ecclesiasticæ dedicationem, quam vestræ prudentiæ vtilem, Amplitudini honorificam futuram, nemo, vt arbitror, negare potest. In qua & operam à nobis præstitam boni consulite, & aduersus liuidos Zoilorum dentes auspicato Vestræ amplitudinis patrocinio protegite ac defendite. Quod quidẽ si feceritis, ad consimiles alios, & his potiores labores Reipub. suscipiendos me deinceps alacriorem efficietis. Deus Opt. Max. amplitudinem vestram semper in maius ac melius augere, & Reipub. Colonienſi diu incolumem conseruare dignetur. Coloniæ ex Bursa Coronarum, postridie Calendas Ianuarij, anno Christi 1580.

Vestræ Amplitud.

Famulus deditissimus.

Suffridus Petrus
Leouardiensis Frisius:
V. I. C.

CELEBERRIMO ERVDITORVM HOMINVM APVD CANTABRIGIENSES COLLEGIO SANCTISSIMAE TRINItati dedicato, Edouardus Godsalfus Anglus eiusdem Collegij Socius S. D. P.

Est humanæ improbitatis, peruersitatisq; ratio, vt nihil sit siue recens inuentum, siue ex aliorum scriptis decerptum (licet ad diuinam gloriam Reipublicæq; vtilitatem valeat plurimum) quin idem in maleuolorum hominum reprehensionem incurrat. Hinc factum est, vt optimus & prudentissimus quisque Christianæ Reipublicæ studiosus patronum sibi deligat, cuius vel ingenio, vel potentia, vel vtroque munitus, calumniatorum iniurijs obsistere queat. Mihi verò (viri ornatissimi) non aliud faciendum videtur in dedicatione historiæ Ecclesiasticæ quæ ab Eusebio, reliquisque Græco sermone contexta, à doctissimo, disertissimoq; viro Ioanne Christophorsono Anglo Cicestrensi episcopo complurium manu descriptorum, nec non vndiq; conquisitorum exemplarium collatione emendata maximè, nec minùs fideliter in Latinum conuersa tandem aliquando in publicum prodit, & patre mortuo patronorum indiget. Quapropter vestram propugnationem ac defensionem sui deposcit: neutiquam diffidens, tantam, tamq; præclaram literatorum hominum societatem, instar magni & quolibet armorum genere instructi munitiq; exercitus omnium omninò aduersariorum vim facillimè posse repellere. Theophrastus moriens accusasse naturam dicitur, quòd ceruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil interesset: hominibus, quorum maximè interfuisset, tam exiguam vitam dedisset. Atqui certè Reuerendissimi eloquentissimiq; antistitis nostri præmaturam mortem dolentius deplorare liberet, si id omninò liceret. Cuius si ætas fuisset longinquior, & abundasset otio, nõ modò hæc accuratius exquisitiusq; limata, sed & alia antiquissima Græcorum monumenta de testabili hæreticorum perfidia corrupta, ab eodem correcta, emendata, & perpolita prodijssent. Sed æquo animo ferendum est, quicquid diuina voluntate accidit. Atque est nobis gaudendum, hunc Reipublicæ Christianæ fuisse datum diuinitus: illi gratulandum, vita breui traducta, cursum gloriæ superesse sempiternum. Vos autem, qui viuum propter summam & scientiæ & virtutis opinionem adamastis, mortui charissima pignora libenter complectimini. Hæc vobis donantur munera, non plebeij alicuius philosophi, aut obscuri hominis, sed illius quidem, cuius lumen ingenij, animiq; ornamenta non modò familiaritatem cum doctissimis Christiani orbis hominibus attulerunt, sed eosdem etiam in magnam sui admirationem traduxerunt. Ne multis: hoc nomine in gratia fuit apud serenissimam Reginam (fœlicis recordationis) Mariam. Cuius beneficio primùm amplissimo collegio nostro præfectus, deinde cathedrali Christi apud Nordouicenses ecclesiæ Decanus designatus: tum demiq; Cicestrensis diœceseos episcopus creatus est. Quàm velim hoc loco vitam illius totam pro dignitate explicare! Sed omnino explicatione supersedẽdum, partim quòd in re vobis notissima & minimè necessaria, multam operam frustra consumerem, partim quòd non ita diu à præclara illa quidem Interpretis præfatione legenda vos detinerem. Vt alia omittam, hoc vnum declarat, quàm magno ingenio fuerit. Etenim simul vt musicis floruisset adolescens, Academiæ Cantabrigiensis alumnus, Ioannis Redmani doctoris Theologiæ, viri & doctrina & pietate præcellentis discipulus, Latini pariter & Græci sermonis sexennio literatè peritus euasit. Aliquot post annos ocium ac tranquillitatem vitæ Religionis ergò secutus, exteras regiones peragrauit. Vbi quinque annorum curriculo collegij benignitate sustentatus, quatuor Philonis libellos eidem consecrauit, totidem verò nondum in lucem editos conuertit: hanc itidem nostram Eusebij ac cæterorum deinceps historiam Latinè loquentem fecit, atq; maiorem vigiliarum munus in vestro nomine apparere voluit. Ne sit igitur vobis molestum, munus vltrò oblatum beneuolis animis accipere: munus, inquam, quod & vobis singulis vtilitati, & cuncto collegio honori, & summo etiam vniuersæ Reipublicæ Christianæ emolumento esse posit. Vos autem (mihi credite) vestri patrocinij non pœnitebit, Habetis (viri ornatissimi) opus coagmentatũ, quod rerum quingentos amplius annos in ecclesia gestarum (videlicet iam inde à nato Seruatore ad Mauritium vsq; Tiberium Imperatorem Romanum) narrationem mira varietate exornatam continet. In qua tanquam in speculo primæuæ & Apostolicæ Ecclesiæ expressam & politam effigiem aspicere, Sanctos illos & augustos maiorum nostrorum ritus liceat agnoscere. Id quod exemplorum appositione fiet illustrius. Tremendum & incruentum Missæ sacrificium à sanctissimis patribus tunc temporis factitatum est. Quod passim ab innouatoribus (proh dolor) sublatum est, quid dico sublatum? imò (quod nephas habeo nominare) obtrusa est abominatio desolationis: quam fore vaticinatus est Daniel. Illa ætate patres in ecclesia pro defunctorum salute orabant, & deprecabantur: has preces & orationes ludibrio & despectui habet ista progenies viperarum. Sacramentum pœnitentiæ (quod nos secretam, siue auricularem confessionem appellamus) vnicum illud quidem, quod relapsis adhibeatur à Spiritu sancto institutum

Cic. Tusc. q. lib. 3.

De vita Cõstant. lib. 4. cap. 45.

Dan. cap. 9. De vita Cõstant. lib. 4. cap. 71. Soc. l. 5. c. 19. Zozom. lib. 7. cap. 16.

Psal.144.

tutum remedium, quo Deus totius consolationis alleuat (vt propheta canit) omnes qui corruunt, & erigit omnes elisos: istorum hæreticorum generatio adultera & peruersa tollit funditùs. Quorsum tandem hoc salutare solatium tollit? quorsum? vt peccatorum conscientia haudquaquam stimulante, pro sua quisque libidine viuat. viuat autem? imò prudens, sciens moriatur: nec tantũ moriatur, sed etiam viuus, videnś (quod horreo dicere) æternùm pereat. Quid multa? reliquas sacrosanctas atque solennes Christianæ religionis cæremonias, plus mille ab hinc annis in ecclesia catholica frequentatas, nobis & ad intuendum & ad imitandum proponit historia. Quas quidem cæremonias iam vsq; à primis illis atq; optimis ductas temporibus, religiosissimeq; obseruatas, quasi recentissimè inuenta, atq; adeò ex nostro sensu deprompta, coniurata hæreticorum turba scurrili, & plusquam Scenica insectans petulantia delere conatur. O nefarium conatum: adeò imperitam & credulam multitudinem vanis inanibusq; assertionibus decipit, fallit, capit. Quod testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, memoria vitæ, nuncia vetustatis patefacit historia nostra. Cuius è Græco in Latinum vertendæ prouinciam nemo hactenus suscepit præter Vuolfgangum Musculum. Hic autem satis correctis (vt credibile est) exemplaribus destitutus, innumeris locis turpissimè labitur. Est porrò adeò obscurus, vt interpres egeat interprete: adeò salebrosus, vt lector identidem inhæreat: adeò lacunosus, vt authores ipsi Græci, historiæ suæ sententias non fuisse expletas, grauiter conquerantur. Et, quod caput est, studio partium ductus, alienum sensum longeq; è Græca veritate abhorrentem, & consultò & sæpenumerò affingit, vt corrupisse potius, quàm conuertisse, meritò existimari debeat. At verò hic noster, quod est interpretis proprium, fideliter, Latinè, dilucidè, numerose exprimere, id omninò præstat: nec planè sciri potest, dissertior ne, an fidelior fuerit. Ecce vobis oblatum est eximium opus ad Dei gloriam & vtilitatem Reipublicæ ab omni laude cumulato interprete elucubratum: quod Reuerendissimus paulo antè quàm è vita migrauit, meæ commisit fidei. Quamobrem celeberrimo collegio nostro (cui meum in literis progressum, qualis ille cunq; & quantuluscunq; sit, proximè, & secundum Deum acceptum refero) concreditum mihi hunc magnificentissimum ecclesiasticæ historiæ thesaurum, nomine interpretis elargior. Quem quidem offerentis non dubiæ erga vos beneuolentiæ testem in optimam partem accipere: donantis verò amplissimum monumentum permagno æstimare: memoriam autem demortui vos vicissim piè, inuiolateq; seruare velle confido. Faxit Deus Opt. Max. vt diutissimè incolumes, necnon omni genere pietatis & doctrinæ florentes, de Republica Christiana benè mereri possitis.

Cicestriæ, 10. Calendas Iulij. Anno 1559.

PRO-

PROOEMIVM INTERPRETIS IN EVSEBIVM.

EVit hoc præclarè semper in more positum (humanissime Lector) his qui de legibus, deq; recta Reip. administratione aliquid literarũ monumentis ad posteritatis memoriã commendare instituebant, vt fontes, vnde illa non sine maximo fructu ad hominum notitiam profluxerunt, toto animo peruestigare conniterentur. Nam quo propius quidq; aberat ab ortu, eo verius integriusq; sanciri putabatur. Priscorum enim hominum mentibus non expressæ solùm & illustres pietatis notiones, quibus ad virtutem incitate ferri viderentur, diuinitùs insidebant, sed etiam incredibilis veritatis eliciendæ amor, quò omnia, quæ simulationum inuolucris regebantur, in clarissima luce atq; in omnium oculis collocare possent. In quibus vt singularis vitæ morumque probitas orationem plurimùm commendauit, sic ardens veri inquirendi studium, cæcas errorum tenebras, quibus nonnullorum animus quasi velis quibusdam obtendebatur, sedulò dispellere molitum est. Quorum instituta tam de sacrata legum promulgandarum ratione, quàm de fundamentis Rerumpubl. prudenter iaciendis edita, tantum omni seculorum memoria retinuerint & authoritatis ad faciendã fidem, & ad prauitatem coarguendam firmitatis, vt nec temporis diuturnitate omninò obsolescere, nec aduersarum tempestatum fluctibus obrui hactenus vllo modo potuerint: sed quo longius durauerint, eo plus sint roboris consequuta, & quò à pluribus oppugnata fuerint, eo plus habuerint virium ad resistendum. Quod planè non modò in gentium legibus, & Rerumpubl. formis, quæ tam multorum, tamque illustrium scriptorum libris diserte & grauiter explicatæ sunt, verùm etiam in sanctissima Christianorum religione, quæ est à Seruatoris nostri ducta temporibus, accuratè obseruatum animaduertimus. Quotus enim quisque est apud nos, qui vetustatis monumenta, siue illa ab Apostolis, qui ipsum Dominum oculis aspexerint, siue ab alijs, qui proximè eorum succreuerint ætati, literis cõsignata sunt, non in primis tum propter veritatẽ, quæ petra Christo firmè nixa est, illis fidẽ adiungat, tum propter antiqua pietatis vestigia, quæ in eisdem non sine summo splendore apparent, vehementer suspiciat atque admiretur? Quòd si quicquam in illis sit, quod vel à recta veræ religionis norma deflectere, vel ab augusta sanctaque vitæ degendæ institutione, aliqua ex parte discrepare videretur, id sanè partim temporis longinquitate, quæ omnium excutit errorem, partim accurata animaduersione hominum posteriorũ, qui veteres scriptores tam diligenter euoluerunt, manifestò deprehensum est. Atque ad prolixum temporis spacium, & multorum annorum curricula (sic enim est apud Aristotelem) acies animorum est acriter intendenda, ex quorum obseruatione, istáne præclarè se habuerint, an secus, satis constare poterit, propter eorum diuturnitatem. Quod quidem si eos, quorũ mentes saluraris Christi cognitio minimè imbuerit, in rebus ad corporis & fortunæ commoda solùm pertinentibus, assiduè tenuisse, exploratè perspectum sit, Christianos sanè dispudeat, qui & nomen Christi præ se ferunt, & eius fidem ingenuè profitentur, si relictis antiquorum fontibus, è quibus tam syncera doctrina manauit, riuulos quosdam plenos inanitatis & insciticæ, qui vnde deducti fuerint, nemo pro certo norit, deinceps consectari conentur. Vinum vetus, inquit Pindarus, laudato, in quo & salubritatis plus, & minus vaporis, qui caput pertentare solet, inesse iudicatur: nos verò veterum scripta præconijs celebremus, in quibus vt solidæ vtilitatis non parũ, sic impiæ & peruersæ doctrinæ propè nihil (de optimis autem loquor) quod mentem, quæ in homine principem locum tenet, inficere & deprauare possit. In illis enim nullum partium studium, sed exquisita veritatis indagatio: non obtrectationum aculei, sed pacis & concordiæ mira cupiditas: non blanda & inanis ad hominum voluntatem loquentia, sed acris & acerba vitiorum cuiusque generis reprehensio: non flagrans ambitionis æstus, sed singularis rerum caducarum & popularis gloriæ contemptio: non ab illis ötio inseruitum fuit, sed in doctrinæ & pietatis commentatione enixè laboratum: non deliciarum & opipari victus ratio habita, sed cura corporis in seruitutem redigendi suscepta: non ingens turba famulorum, qui illorum nutum obseruarent, intra ipsorum ædes otiosè vixit, sed pauperum vndiq; confluentium multitudo, quos benignè subleuarent, pro foribus quotidie adfuit: non ludorum, aut inanium illecebrarum consectatio, ad animos relaxandos, sed incredibilis vigiliarum & laborum perpessio, quò Ecclesiæ ministerijs attentè perfungerentur. Quorum vita exempla insignia, quorum libri optimas præceptiones continent: quorum disciplina constans & sibi consentanea: quorum authoritas denique nulla temporum iniquitate abrogata. In quorum

monamentis

monumentis & magna cura sedulitateq; conseruandis, & integrè ac syncerè ad vetusta exemplaria corrigendis, multũ sanè à multis ingeniosis & exquisita doctrina viris operæ & laboris, singulis propè hominum ætatibus, positum minimè ignoramus. Nec immeritò quidẽ. Nam absq; illis fuisset, vt in maxima antiquitatis ignoratione fuissemus versati. Neque enim quid veteres patres de religionis nostræ fundamentis senserint, neq; quo modo arcana scripturarũ mysteria explanarint, neque quam viuendi viam & rationẽ excoluerint, omnino cognouissemus. Quibus profectò hominibus, qui sic in priscorum scriptis ad posteritatem prodendis elaborarint, qui antiqui seculi quasi vestigia ad maximum Christianarũ Rerumpub. cõmodum tam sedulò indagarint, maxima laus meritò ab omnib. impartiri debet. Nam si qui Poëtarum fabulas vel dispersas in vnum redegerint, vt Pisistratus Homeri: vel easdem in integrũ restitutas ediderint (quæ, vt Ciceroni visum est, molliunt animos, & neruos omnes virtutis elidunt) nonnihil suum nomen illustrarunt: quantum illis est & gloriæ & splendoris tribuendum, qui non commentitias fabulas, quæ, vt Pindaro placet, varijs mendaciorum lenocinijs plus hominum mentes capiunt, quàm vera oratio, sed rectas probatasque historias, quibus animus ad eximium virtutis decus rapiatur, è tenebris eruunt, & in oculis omnium statuunt, quique non philosophorum delirantium somnia proferunt, quæ nonnullos inducunt in errorẽ, sed fidelium Christi discipulorum monita, quæ & vitiorũ maculas, si quæ interiori cogitationi asperse sint, eluere, & rectum virtutis iter, quo per fidẽ ad beatam vitam rectà incedamus, ostendere possint. In his quidẽ vel accuratè perpurgandis vel pulcherrimis characteribus excudendis (seu Græcis literis, seu Latinis ea olim ab authoribus prodita fuerunt) qui & vigiliarum & temporis plurimum posuerunt, nõ modò inde sibijpsis laudem collegêre maximam, sed in vniuersam Christi Ecclesiam immortale propè beneficiũ contulerũt. In quorum numerũ typographus Regis Gallorum apud Parisios, qui Eusebij opera, quæ extant omnia, vnà cum alijs ecclesiasticæ historiæ scriptoribus, elegantissimis Græcorum characterum formis in lucem edidit, meritissimò asscribi debet. Qui, vt de Latino sermone optimè, sic de Græco iam benè sanè meritus est: atq; illustrem spem ostentauit, multò melius de eodem in posterum promerendi. Cuius opera & impensis, cùm Eusebius, vt dixi, expolito artificio impressus in manus hominum veniret: & characteris elegãtia nonnihil, & historiæ amplitudine plurimum prolectatus, cœpi eum primò celerius peruolitare: pòst mira rerum à sanctissimis viris gestarum varietate oblectatus, attentius in singulis cogitationem defigebam: Ruffini conuersionem, quam tum diu hominum manus tenuissent, cum Græcis conferebam, sententias inter se expendebam sedulò: vnde certè maxima me capiebat adiratio, (præsertim cùm Latina à Græcis tantoperè dissentire animaduerterem) quid tam docto viro venerit in mentem, vt authorem tam insignem, tam indiligenter verteret. Factum illius probare haud poteram, coarguere autem vix audebam. Aliquandiu igitur animus ita suspensus hærebat. Verùm cùm fortè D. Hieronymi cõtra Ruffinum Apologiam perlegebam, ancipiti illa cogitatione, qua sic variè distrahebar, eram propemodum liberatus. Nam ex verbis illius sanctissimi viri facilè constat, Ruffinum à vetere suo more, quo anteà in conuertendis Græcis vsus fuisset, in hoc opere minimè decessisse. Sic enim apud D. Hieronymum: Rogatus, inquit, es, vt, quomodo habebatur in Græco (loquitur de Origenis libro περὶ ἀρχῶν, quem Ruffinus de Græco expresserat) in Latinum verteres: vtinam fecisses quod rogatum te esse simulas, nulli nunc inuidiæ subiaceres. Si tu translatoris seruasses fidem, mihi necessitas non fuisset, interpretationem falsam vera interpretatione subuertere. Nouit conscientia tua, quæ addideris, quæ subtraxeris, quæ in vtramque partem, vt tibi visum fuerit, immutaris. Et plura quæ sequuntur in eandem sententiam. At Ruffino fortasse in illo Origenis opere, in quo nonnihil inesse videbatur erroris, honestius & melius, licet non omnia verè explicasset, ignosci & concedi potuisset: sed in hac Historia, quam in eadem Apologia laudat D. Hieronymus, cùm nihil ab orthodoxa Catholicæ Ecclesiæ sententia alienum reperiatur, vix Ruffino venia dari potest, quòd tot prætermiserit valde vtilia, tot de suo adiecerit propè aliena, tot, quasi non rectè collocata, immutarit. Historiæ verò, quæ est (vt scitè refert Cicero) lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis, prima lex est, ne quid falsi dicere audeat: deinde, ne quid veri non audeat. Quæ quidem, vt in scribendo maximè, sic in conuertẽdo non minùs semper obseruari debent. Nam quæ lux veritatis apparere potest, cùm interpres suis commentis ei tanquam noctem quandam offuderit? Quæ vita memoriæ, cùm scriptoris sententiam vel interpretis negligentia missam fecerit, vel inuerterit audacia? Quæ magistra vitæ, cùm exempla illustrium non verè expressa, sed vel commutata vertendo, vel penitus omissa videantur? Quæ nuntia vetustatis, cùm nouitas interpretationis, scriptionis vetustatem magna ex parte deleuerit? Quomodo lex historiæ seruatur, ne quid falsi dicere audeat, cùm sit alius sensus Historici, qui scripserit, alius interpretis, qui conuerterit. Da, Historicum vera conquisiuisse, conquisita literis mandasse. Hoc vel D. Hieronym

ronymi testimonio adductus quisque facilè dederit. Ecclesiasticam, inquit, pulchrè Eusebius Historiam texuit: quid ergo de interprete sentiendum sit, liberũ sit iam cuiq; iudicium. Huc accedit eruditissimi viri Beati Rhenani de eo quasi pronunciata sententia quam ex præfatione in hanc Historiam ab illo scripta deprompsimus. De interpretis, inquit, diligentia (Ruffinum intelligit) iudicare citra Græcum codicem impudens sit: tametsi in alijs libris à se versis parum laudis meruit, quòd ex professo non verba vel sensum autoris, quem vertendum susceperit, appendat, sed vel minus, vel plusculum, tanquam Paraphrastes, non velut interpres, pro sua libidine plerunque referat. Id quod Nazianzeni orationes ab illo versæ docent, & Iosephi volumina. Optandum itaque fuerat, Græcum adesse exemplar. Hactenus Rhenanus. Quod illi erat in optatis, nobis vltrò contigit: quod ille suspicabatur, nos verissimum esse cõperimus: quod illi difficile erat sine exemplari ad iudicandum, nobis eodem suppeditato, est perfacile. At dixerit quispiã, me iam dudũ antiquitati plurimũ tribuisse, iam verò quasi mei oblitum, Ruffino, qui Hieronymi temporibus vixit, autoritatẽ detraxisse & fidem, Non hoc loco, q d suo marte scripserit, quidve dixerit, est mihi instituta oratio, sed quo pacto Eusebiũ aliosque scriptores explicarit, neque quid ipse senserim de illo, sed quid D. Hieronymus iudicarit, quem omnis ætas admiratur, quem totius Ecclesiæ consensus approbat: quid etiam alij de eodem existimarint. Atque illos veteres equidem laudo, quos longinquitas temporis expenderit, quos omnium iudicium vno ore confirmarit, quos deniq; nulla errorum procella hactenus obruerit. At Ruffinus in hoc longo æui curriculo lectus à multis, à plerisque probatus, laudatus etiam fortasse à quibusdam. Sit ita sanè. In eodem fortasse erroris nihil, quod ad doctrinam attinet. Nos quidem non de eius fide in religione (quãquam ea etiam à D. Hieronymo reprehenditur) sed de fidelitate in huius historiæ cõuersione loquimur. Sit rectum, quòd rectè crediderit, atque optarem quidem: sed quòd autores summos interpretãdo nonnihil deprauauerit, non ita rectum. Si qui sunt, qui illum probarint, qui pauci sunt, aut Græcum exemplar illis non suppetebat, aut, si suppetebat, vel non legerunt, vel saltem non intellexerunt, vel tantum fidei tribuêre Ruffino, vt Græca perueștigare minimè opus esse arbitrarentur. At Ecclesia interea temporis ex hac eius explicatione fructus & vtilitatis percepit plurimum. Non inficior equidem. Et si ex ea, vt est, non parum tulit emolumenti, multo plus, spero, capiet, cùm iam tandem verè expressa sit. Vt enim cùm quis alicuius illustris viri effigiem colorum varietate non satis eleganter & artificiosè depictam intueatur, in eius memoriam ita reuocatus aliqua iucunditate perfunditur, non tamẽ ea, quam ex imagine ad viuum expressa hauriret: sic cum Lector Eusebij in scribendo formam & tanquam characterem per Ruffini conuersionem quasi per transennam aspiciat, fructum capit ille quidem & oblectationem; non tamen eam, quam ex autoris sententia & fideliter & Latinè satis explanata posset reuera colligere. Quòd si D. Hieronymi labores, quos in hac ipsa historia vertenda collocauerit (eam enim suæ linguæ hominibus, hoc est, Latinis, expressam, & Græcis dedisse affirmat) ad nos deuenissent, & profectò Ruffini cõuersio in tenebris neglecta iacuisset: & ego istã meam qualemcumq; operam nõ aliquando suscepissem. Verum cùm illud neutiquã nobis cõtigerit, vt cuius scripta admiramur, eiusdem præclaræ istius historiæ interpretationem asequeremur, opus hoc & mihi ad explicãdum non incommodum, & alijs ad legendum non iniucundum existimaui, modò ita Latinum facerem, vt tum authoris sensum & sententiam verè exprimerem, tum dicendi formam & numeros ita imitatione adumbrarem, quò vel ijsdem, vel non valdè disparibus tota astringeretur oratio. Dolebam certè & vehementer angebar, cùm viderem tam illustrem historiam (de qua paulò pòst dicam equidem vberius) ita cõuersam, vt vix satis Latinè, ita propè immutatam, vt non Eusebium, sed Ruffinum eius autorem meritissimò diceres. Sicut enim Themistij paraphrasim, quam in libros aliquot Aristotelis, quos de Natura & opertarũ rerum patefactione pertexuit, literis præclarè mandauit, nõ Aristotelis opus, sed Themistij appellamus: sic Ruffini siue conuersionẽ siue paraphrasim dicere placet, quam in Eusebium edidit, non Eusebij nomine, sed Ruffini iure inscribi deberet. Sed quid paraphrasim dixi, cùm sit eius proprium, vt quod breuiter dictum sit, pluribus aperiatur, & quod obscurè, paulò explanatius. Sed ab eo quem dico, nõ breuitas vbertate dicendi & copia, nõ obscuritas orationis lumine patefit, sed quæ pluribus ab Eusebio exposita, ab isto in pauca conferuntur, quæ scripta ab illo aliquanto obscurius, ab hoc prorsus omittũtur. Dictu est propè incredibile, quot ne dicã verba (de quibus non ita laborandum) sed integræ sententiæ, integræ paginæ, integræ orationes, integrę epistolæ, integri prope libri prætermissi sint. Dimidiatum octauum, & Decimũ penè integrum non omninò attigit. Duos tamen libros adiecit de suo, quibus, si Socrati credamus, non tantum fidei adiungendum est. Sit tamen illa commẽdatio tributa Ruffino, quam aliquis æquus rerum æstimator ei tribuendam putarit. Quod rectè egerit, ei laudi detur: quod secus, nec à me quidem vertatur vitio. Sicut alios laudare (modò illud commeruerint) per mihi gratũ semper videri solet, sic quenquam aliquando in

do i. reprehensionem vocare multum planè attulit molestiæ. Odi Archilochum, quem Pindarus ait se vidisse propter effusam linguæ intemperantiã, & odium petulans, quo intumuit, in graui egestate versari. Iuuat & laudatos laudare plurimũ, & vitiosos redarguere sine acerbitate. Illud etiam à Platone didici, Deum indignè & grauiter ferre, cùm quis ei similem, hoc est, virtute & pietate præstãtem vituperet, aut laudet contrariũ. Sit igitur ita à me de Ruffino dictum, vt neque vera laus, si quid ille dignum egerit, ei detracta, neque falsa reprehensio, si nullam commeruerit, afficta omninò esse videatur. Autores verò, Socratem, Theodoritum, & Sozomenum, simul cum Euagrio, Latinos etiã dedimus. Nam quid est, in quo maiore cum fructu quisquam tempus suum, studium & diligentiam ponere possit, his præsertim temporibus, cùm tot sectæ, tot schismata in varijs locis oberrantia, veram Euangelij lucem obscurare, veros Dei cultus adulterare, tranquillam Ecclesiæ concordiam disturbare, superstitionis cæcitatem defendere, errorum peruersitatem propugnare assiduè pro viribus moliantur? Quæ cùm ita sint, nihil est extra ipsam sacrosanctam scripturam, quod aut Ecclesiæ plus afferat adiumenti, aut magis ad pacẽ conciliãdam faciat, quàm eius generis monumenta, quæ veterem ecclesiæ formã, veteres ritus & consuetudines, veterũ patrum res gestas perspicuè ante oculos cuiusque proponant. Quid præclarius quàm ipsa Christianę Ecclesiæ quasi incunabula peruidere, in quibus producta à Christo, eius verbo ab Apostolis nutrita, suisque progressionibus vsa, pedetentim creuit, venitq; ad summum? Quid ad veram pietatem aptius, quàm illa tempora exquisitè intueri, in quibus Hegesippus Ecclesiam castam & incorruptã virginem fuisse memorat, quando nec anilis superstitionis inuolucris obtecta, nec peruersæ doctrinæ labe contaminata fuit? In quibus explicandis cum Eusebius tam integrè versatus sit, vt rerum veritatem accuratissimè indaget, tam studiosè laboret, vt nulla veterum testimonia prætereat, quæ ad fidem faciendam aliquid possint apportare subsidij, nemo est, mea quidem sententia, qui non & eius authoritatem in vero disquirendo libenter audire, & quo rectius conuersus sit, eo lubentiore animo amplexari voluerit. In quo de Græcis exprimendo & sententiæ veritatem assequi, & orationis elegantiam sequi sedulò enitebar. Illud me præstitisse propè audeo dicere, hoc saltem adumbrasse. In vtrisque equidem elaboraui plurimũ: sed quid effecerim, aliorum sit iudicium. Oratio, vti spero, Latina est, & satis perspicua. Et cùm in alio genere dictionis perspicuitas magnam laudem mereatur, in historia & rerum gestarũ narratione planè maximam. Mihi in conuertendis Græcis aciem mentis acrius defigenti, quatuor potissimũ videntur requiri, vera sensus sententiæque explicatio, latinitas, numerus, & ea, quam dixi, sermonis perspicuitas. Primum ad fidem, secundum ad delectationem, tertium ad aurium iudicium, quartum ad intelligentiam solet accommodari. Quis enim credet, si suspecta sit sententia? quis voluptatem in legendo capiet, si sermo rudis & impolitus videatur? cuius aures non fastidient, si hians & incondita sit oratio? quem nõ deterrebit, si obscura & tanquam circumfusa tenebris appareat? Ac tametsi ista in philosophorum, oratorum & poetarũ libris vertendis, qui de studijs humanitatis & politiore literatura scripserũt, sint summè & vtilia & necessaria, tamen in sanctorum & apostolicorum virorum monumentis exprimẽdis, quæ sunt ab illis de religione nostra tradita, & necessitatis non minus, & multo plus vtilitatis habere meritò existimari debent. Quamuis enim in sacris literis interpretandis ordo verborum retinendus sit, vt ait D. Hieronymus, quia mysterium est: tamen in aliorum Græcorũ interpretatione, eodem authore Cicerone & citante, & imitante, non verbum è verbo, sed sensus de sensu exprimendus. Collocatio enim & constructio verborum, vel quæ apud Græcos est, si eodem ordine Latinè reddatur, Latinorum aures maximè offendit, vel quæ apud Latinos est, si eadem serie Græcè vertatur, Græcos magna afficiet molestia. Demus hoc in loco eũdem testem. D. Hieronymus, Homerum, inquit, ad verbum aliquis exprimat: plus aliquid dicam: eundem sua in lingua prosæ verbis interpretetur: videbis ordinẽ ridiculum, & poerã eloquentissimum vix loquentem. Hæc author ille ad Pammachiũ. Quem constat Ciceronem in hac re diligenter imitatum. Nos ergò vtrunque liberè audeamus imitari: nõ est enim quòd maiores requiramus authores. In quibus tum verborum elegantia, sententiarum grauitatem magnoperè commendat, tum perspicua in dicendo facilitas, sub cuiusque intelligentiam suauiter & cum sensu quodam iucunditatis cadit: numeri denique & circunscriptus orationis ambitus, permiram auribus adfert oblectationem. At illud multis frequens in ore & sermone est, & à quibusdam etiam scriptis proditum, eos, qui vel in sacris literis, vel in sanctorum scriptis explicãdis piè versari velint, de diserto sermone non multum laborare debere, ne ostentata potius eloquentia, quàm veritas quæsita videatur. Eloquentiam enim non adeò consentaneam Dei eloquijs esse arbitrantur. His hoc in loco, licet fortasse ab eo, quod instituimus, paululũ digredi iudicemur, paucis respondere consilium est. Rectè sanè quòd in tali causa ostentationem tollunt; quòd eloquentiam, minùs consideratè. Eloquentia enim non est illa inanis & prope puerilis verborum volubilitas, quæ sæpè in populo insolenter se venditat, sed disertè & copiosè

pioſe loquens ſapientia, quæ in prudentũ animos cum ſuauitate illabitur. Tolle enim ſapientiam, eloquentiæ ſequetur interitus. Quò enim quis prudẽtius, & grauius locutus fuerit, eò preclarius eloquentiæ ſpecimen, modò ſermo purus vnà acceſſerit, cuiq; dare videbitur. Atq; ſi verum fateri volumus, ſapientia illa, quã tractet, & in qua politè explicanda verſetur eloquentia, nõ eſt alia, quàm quæ à Salomone pulchrè deſcripta ſit: quæ non in iuſtitia, ſed in conſilio habitet, quæ non ignaris, ſed eruditis interſit cogitationibus. Et ſicut hæc ſapientia Deum verè colentium propria eſt: ſic eloquentiã illam, de qua nos loquimur, ad eoſdem pertinere exiſtimamus. Ac quemadmodum olim Cicero in oratore perfecto informando, perfectæ eloquentiæ ſpeciem animo effingere conabatur: ita nos & ſapientiam, quæ ſumma eſt, iſto loco intelligimus, & eloquentiam, quæ eam ampliſſima laude exornet, liberè prædicamus. Illa eſt, quæ mentes hominũ vera ſcientia, & ſalubribus præceptis præclarè imbuat, hæc quæ os ad prudenter & appoſitè loquendum diſertè inſtruat. Et quanquam ſermonis ſublimitas à Paulo reprehenditur, non tamen eo animo, vt eloquentiam, cuius ipſe teſte Hieronymo neutiquã expers fuit, è medio tolleret, ſed quò fiduciam eam, quam in ea ſapientes Græci oratores, cùm aliquid populo perſuadere vellent, locare conſueuerunt, penitus reprimeret, vt non homines deinceps ſui diſerti ſermonis elegantia freti, ſed Dei virtute infideles ad Chriſtũ attrahere laborarent. Quòd ſi eloquentiæ victoria tribueretur, crucis Chriſti ita deleretur triumphus. Summittat ſe ergò eloquentia, quò crucis illuſtretur gloria. Eſt planè ancilla, quæ virtutis Chriſti veluti magiſtræ ſuæ, nutum debet obſeruare. non vendicet ſibi quod poſſet, ſed impertiat ei, vnde accepe rit. Inſeruiat magiſtræ ſuæ honori, vnde omnis honos effloreſcit. Det operam aliorum cõmodis, ne, ſi ſua quærat, videatur incommoda. Crucis Chriſti gloriã ſemper amplificet, contemnat ſuam. Virtutem Chriſti dicendo adaugeat, quò ipſa cũ dicat, non careat viribus. Sit Chriſti vis, quæ vincat, ſit eloquentia, quæ eandem explicet. Illa præſit & imperet, hæc ſit ſemper parata ad obſequendum. Hoc pacto neq; crux Chriſti ſua vacabit gloria, neq; eloquentia in vllam incutret reprehenſionem. Hanc rem pulchrè Moyſes & Aaron videntur repræſentare. In altero Dei vis, in altero eloquentia elucebat. Cũ enim Moyſes Dei legationem ad populum Iſraeliticum obiturus eſſet, dixit, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius. At paulò pòſt reſpondit Dominus: Aaron frater tuus Leuites, ſcio quòd eloquens ſit: ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum. In quo Auguſtinus principatum in Moyſe, in Aarone miniſterium notat. In Moyſe Dei virtutem, in Aarone ſermonem diſertum facilè licet animaduertere. Deus ergò voluit vtrumq; ſimul populum adire, vt alter ad præſcribendum quid ageretur, alter ad idem docendum commouendumq; ſe accommodaret. Nos ergo Moyſi Aaronem adiungamus, eloquentiam cũ Dei potentia ſociemus, & neque hæc ſuo quaſi ore priuetur ad loquendum, neque illa ſuis ſolum nitatur viribus ad perſuadendum. Quis Dauide ornatior, quis in dicendi varietate vberior, cuius rei teſtis Pſalmorum liber, qui vt numeris eſt aptè modificatus, ſic & verbis ſententijsque in Hebræo cumulatè diſertus. Eſaiam propterea eloquentia plurimũ valuiſſe vel vno Hieronymi teſtimonio cognoſcimus. Sic enim de illo memorat. Sciendum de Eſaia, quòd in ſermone ſuo diſertus ſit, quippe vir nobilis & vrbanæ eloquentiæ: nec habens quicquã in eloquio ruſticitatis admixtũ. Quantus porrò Auguſtinus ſit eloquentiæ patronus, ex libro ad Creſconium ſcripto ſatis conſtat: quanta illius flagrarit cupiditate, audi illum ipſum in eodem libro ſic loquentem. Vtinam eloquentia mihi ad explicanda ea, quæ ſentio, pro deſiderio proueniſſet. Quantã verò habuerit, eius ſcripta paſſim declarant: quantã optarit, hæc breuis oſtendit ſententia. Quib. quæſo illecebris idem author ad fidẽ alliciebatur? nónne eloquẽtia Ambroſij & ſingulari ſermonis ſuauitate? certè vel maximè. Quis huius rei teſtis eſt? idem ipſe qui ad fidẽ adductus eſt. Sed Hieronymũ iterũ de Græcis transferendis ad Theophilũ ſic ſcribentẽ audiamus. Iudico, inquit, tuę benignitati magnũ me laborẽ ſuſtinuiſſe in trãſlatione eius (librũ intelligit Theophili Græcè ab eo ſcriptũ) vt oẽs ſententias pari venuſtate transferrẽ, & Græcæ eloquentiæ Latinũ aliqua ex parte reſponderet eloquiũ. Quare vt Hieroymus in ſcribẽdo plurimum ſemper eloquentiæ adhibuit, ſic in Græcis vertendis vt idem efficeret, maximè eſt ab eo laboratũ. At in alijs Græcis ſcriptorib. limatè & cõcinnè interpretãdis, qui vel de moribus & vita, vel de occulta & abdita naturę ſciẽtia, vel de dicẽdi facultate, vel de alio quouis doctrinæ genere præcepta tradiderunt, ſi quis operã nauet, iſti eloquentiæ vituperatores non videntur ægrè & grauiter ferre: ſed ſi literas ſacras eloquẽtia exornare, vel authores in eaſdẽ commentantes ſcito ſermone & nitido vertere contendat, vehementer conqueri & vociferari non deſinunt. Quid quæſo? an nõ ſacris primæ deferendæ? an non eloquẽtia donum Dei? quorſum ergò referenda? ad hominis gloriã, quæ ficta eſt, & citò decidit, an ad Dei laudẽ, quæ vera eſt, & altas radices agit? Dei ne munera abutenda ad noſtrã inanitatem, an ad eius decus, qui gratuitò ea largitus ſit, accõmodanda? Quis os fabricatus eſt ad loquendũ, quis ſolertem indolẽ animis inſeuit ad prudenter loquendũ? nónne Dominus? Os ergo Dominũ voce collaudet: eloquentia eius gloriam verè adaugere ſtudeat. Neq; ſibi vendicet quod ſuũ non ſit: ſed Dei virtuti tribuat, à quo non ſit alienum. Verùm illis, qui eloquẽtia Chriſtia næ fidei volumina priuate nituntur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

idem planè vſuuenit, quod his, ſi qui ſunt, qui optimè promerẽtes, peſſimo apparatu veſtiri, vel qui veſtium largitorem ſordido pallio indui volunt. Quòd ſi alijs, qui Deũ ignorant, decorum ſit perpolitè loqui, ne putetur illis parum conſentaneũ, qui eum profitentur, & diſertè dicere, & illi eiuſdem authori gratias ſedulò agere. Quid de veterum Græcorum ſcriptis ſtatuemus, qui & acutè ad veritatis diſquiſitionem, & copioſè ad mentes hominũ flectendas ſacra Dei eloquia explicauerint? nemo enim opinor eſt adeò à ratione auerſus, qui non illis ſummam eloquentiam tribuat. Quis enim Chryſoſtomo vel verbis diſertior, vel crebrior ſententijs, vel numeris & tota orationis circũſcriptione iunctior? Aureum flumen Ariſt. olim fudiſſe dixit Tullius: nos verò Chryſ. ex aureo ore aureum & diuinum orationis flumen fundere meritò dicamus. Cuius verba adeò ꝓpria, leniterq; fluentia, vt nihil nitidius dulciuſve: cuius ſententię adeò ſapientes, vt diuinitus ad eum delatæ, non humana indole inuentæ videantur: cuius ſtructura verborum ſic concluſa, vt non longo anfractu, qui parit obſcuritatem, ſed ambitu circũſcriptè terminato incedat. Nihil in eo quod non præſtantis eloquentiæ tanquam effigiem repræſentet. Quod ſi ita aliena lingua loqueretur, vt loquitur ſua, (quod vel vix, imo ne vix quidẽ fieri poteſt) tum vt iam paucis, ita tum pleriſq; omnibus eius diſerta oratio excitaret admirationẽ. Quis Baſilio Magno in polienda oratione exquiſitior, in amplificanda vberior, in toto dicendi artificio limatior? Cùm deterret à vitijs, nemo commotior, cùm ad virtutem incitet, nemo ardentior, cùm res ob oculos ponat, nemo, vt dicam, pictior. In eo & nerui ſunt ad conuincendum, & mira ad deliniendum ſuauitas. In quamque partem orationem ita facilè torquet, vt in rebus grauioribus altiùs in dicendo ſe tollat & incitatiùs feratur, in tenuioribus leniter & placidè fluat, & nonnihil de contentione remittat. Quem ſanè Eraſmus non veritus eſt Chriſtianum Demoſthenem appellare. Quid Gregorium Nazianzenum hoc loco commemorem? qui aliquando pungit acutiùs, qui orationem arctiùs colligat. Quem in oratione ſoluta Thucydidis imitatorem, in carmine Homeri æmulum rectiſſimè dixeris. Nam in oratione breuis eſt, cõpreſſus eſt, & peracutus eſt. Verborum numerũ (ſic Tullius de Thucydide) ſententiarũ numero conſequitur. Nõ vagum in eo orationis genus, ſed conſtrictum numeris, nõ longiùs excurrẽs, ſed breui circuitu definitum apparet. Carmen plenum, & grande fundit, ſententijs Chriſti locuples, verbis Homeri diſertum. Quare, ſiue ſolutum oratiõis genus & liberũ, ſiue (vt poetarum mos eſt) numeris paulò aſtrictius ſequitur, ſemper magnus, ſemper in dicendo excellẽs videtur. Nec hic noſter Euſebius in poſtremis eſt, qui res narrat ornatè, grauiter, & verbis ad id ꝙ agitur accõmodatis. Sed de eo ꝓprius eſt mihi diſſerendi relictus locus. Et licèt nõ pauci alij inter Græcos ſint, quorum exempla huic cauſæ nõnihil & luminis & firmitatis adferre poſſint, ſit tamẽ oratiõi terminatus modus. Vnũ & alterum iam ex Latinis adiungamus. Primum Hierony. ponamus in medio: cuius tanta fuit in ſcribendo facultas, vt omnes prope eloquentię numeros expleuerit. Quando in aciẽ cum hæreticis prodit, nemo pugnatior, aut qui plus habet lacertorũ: quando reſpõdet obtrectatoribus, nemo feruidior, nemo acrior: quando res geſtas narrat, nemo elegãtior: quãdo funebrem orationẽ inſtituit, nemo ad conſolãdum aptior, ad laudandum copioſior: quãdo familiariter cũ amicis & neceſſarijs per literas colloquitur, nemo ſuauior, nemo cõprior. Mirum eſt videre, quo pacto in tota oratione paria paribus, contraria relata contrarijs, iam verba duplicata, iã iterata, iam breuiter cõmutata, ſententias pulchrè illuminent. Aut igitur pellatur Hieronymus, aut laudetur à Chriſtianis eloquẽtia: ita tamen, vt inde nos nõ nobiſipſis falſas gloriæ vmbras, quæ de repentè euaneſcunt, aucupati, ſed ad eccleſię exædificationẽ, & ad verã Dei gloriã, cui omnis honos decuſq; impertiendum eſt, eã perpetuò rétuliſſe videamur. Huc accedat magnũ illud & illuſtre eccleſię columẽ Auguſtinus: quo certè nemo vnq; vel in dimicatione ſuſcepta cum hæreticis neruoſior, vel ad eorum argutias eliciẽdas, quibus oculos ſimpliciũ perſtringunt, perſpicatior. Cùm eos feriat, ictus nõ reſilit irritus: cùm telũ in illum ſit cõiectum, facilè repellit, & nõ rarò in aduerſariorum caput retorquet. Nonnunq; ita fulminat, vt eos inſtar tonantis Iouis perterrefaciat: aliquando eminus tanquã haſtis prolixioris & longiùs perpetuatæ orationis, ſæpè cominus quaſi gladijs ſpinoſæ & acutæ in diſceptando ſubtilitatis dimicat. Quis quæſo videtur, cùm in myſteriorum adytis aperiendis verſatur? quàm admirabilis, cùm allegorias ſcriptis perſequitur? quàm argutus in ſubtilium queſtionũ ſolutionibus? q̃ in ſcripturis explicandis diuinus? quã diſertus in omnibus? quã in nulla re incõcinnus? Loquitur vt vult, exprimit q̃ vult. Sententijs refertus maximè, quas breuibus numeris ſub aurium menſurã aptè cadentibus artificioſè deuincit. De cuius eloquentia ſatis ornatè dicere, eloquentia opus eſt vel maxima. Sit igitur tandem iſtud cuiq; perſuaſum, & veteres in ſcripturarum fontibus patefaciendis eloquentia vſos, & nos poſſe eadem vti, modò ad eum finem ſemper referatur. Hoc porrò cogitemus, ſi Græci ſcriptores in ſcribẽdo eloquentiæ plurimum (vt ſuprà docuimus) oſtenderint, nos in ijſdem vertendis pro viribus contendere debere, vt lumẽ orationis, quod in illis eſt, quã minimè obſeruetur. Si illi ſua lingua diſerti, noſtri ſermonis imperitia nõ ſcitè loqui, imò vix loqui omninò videantur, quis eſt qui nõ noſtrã inſcitiã vel maximè improbarit, & impolito ſermone deterritus, ſe ab illis legendis penitus cõ-

tinuerit?

tinuerit? ac neminem fugit planè illud Ciceronis, lectionem ſine delectatione negligendã eſſe. & cùm quid vel literis impolitè prodatur, vel vertatur impolitius, quis eſt, quem non à legendo abſterreat? in ſententijs, fateor plurimũ, in verbis etiam aliquid percipitur oblectationis. Et cùm in his libris aut ad rectã vitæ rationem incitemur, aut à vitioſa & corrupta deterreamur, toto pectore & omnibus vngulis, vt dicitur, laborandum eſt, vt ad eos accuratè perlegendos tanquam lenocinijs quibuſdã orationis vel maximè attrahamur: cumq; natura noſtra procliuius labatur ad vitia, ad virtutem autem inuitius rapiatur, non ipſo fructu ſolum ex crebra optimorum lectione percepto, ſed etiam quibuſdam quaſi eloquentiæ inuitamentis neceſſariò allici debet, vt tum lubentius eiuſmodi ſcripta euoluat, tum aſſidua commentatione memoriæ mandet attentius. Vtinam nonnullis, qui ſcriptores eccleſiaſticos de Græcis conuerterunt, iſtud aut in mentem veniſſet ad diligenter cogitandum, aut ſtudio, labore, & vigilijs ab ijſdem opera data fuiſſet ad accuratè perficiendum: tum profectò nec eloquentiſſimi authores adeò loquerentur inconcinnè & inconditè, nec lectores, vel quorum ſtomachus eſt aliquanto faſtidioſior, impolitiore ſermone, vel quorum mens eſt paulò imperitior, obſcuriore interpretatione penitus abalienarentur. Si res, quæ antea à me poſitę ſunt, in explicando ſeruarentur, nec faſtidioſum indiſerta oratio, nec obſcuritas animum paulò rudiorem à legendo repelleret. Sed ſpes eſt in hac quaſi feraci ætate, quæ tot viros literatiſſimos extulit, ſi quæ authorum eccleſiaſticorum monumenta aut indiligentius præ inertia, aut inelegantius expreſſa ſunt, fore, vt vel induſtria accuratius corrigantur, vel noua interpretatione deinceps latinius & purius explanentur. Redeat in memoriam illud Iſocratis. Videmus, inquit, tum artium, tum aliarum rerum omnium incrementa non per eos facta eſſe, qui illis, quæ de ijſdem inuenta iam & conſtituta ſunt, acquieſcant, ſed per illos potius, qui, ſi quid in eis parum rectè ſe haber, aut corrigendo in integrum reſtituere, aut commutando politius & perfectius efficere aggrediantur. Quocirca quiſque ſtudiorum ſuorum labores huc conferat, vt, ſi quid in alijs ſiue præceptiones tradendo, ſiue optimos authores vertendo peccatum ſit, illud, quoad eius fieri poteſt, & maxima diligentia emendet, & minima cum reprehenſione ſuperiorum præſtare nitatur. Sit leuis animi in alios moderatio, ſit nulla omninò oſtentatio ſui. Et quod ad eloquentiam attinet, hoc cuiuſque animo firmè ſemper inſideat ad obſeruandum, vt, ſiue eam in ſcriptorum Eccleſiaſticorum monumetis affatim reperiat, ſiue ipſe aliqua ex parte aut in eiſdem interpretandis, aut in commentarijs in eoſdem texendis, aut denique in alio quouis ſcribendi genere orationis florem conſectari moliatur, ne ſe ea re omninò efferat, ne quicquam ſibi arroget, ſed det gloriam Deo: & ſi fortè inanis & popularis rumoris ſtimulo aliquando pungatur, ne tali leuitati ſuccumbat, ſed tum eius breuitatem ponat ante oculos, tum eandem quaſi vmbram citò in nihilum interituram exiſtimet. In Domino perpetuò glorietur, hancque materiam & tanquam ſegetem veræ gloriæ putet, vt caput noſtrum pręclaris ſemper decoretur præconijs, & ſi quid in membris vera laude & prædicatione dignum ſit, illud vniuerſum inde deriuatum ingenuè confiteatur. Sit igitur iſto modo illis breuiter reſponſum, qui eloquentiam ſtudent eis adimere, qui vel ſacroſanctas ſcripturas non inſcitè explanando aperire, vel Græcos authores de religione Chriſtiana editos, politè & eleganter Latino ſermone exprimere conantur. Neque iſte ea mente à me data ſunt, quòd mihi magnum aliquod in hoc genere arrogem (imò ne minimum quidem aſſumo) neque quid ipſe poſſim hic diſcepto, ſed quid in alijs optarem, perſpicuè oſtendere laboro. In omni negotij tractatione optimum quidem conandum, præſtandum verò quod vires ferant. Atq; in Euſebio vertendo illud mihi propoſui ad imitandum, quod in tali opera optimum videatur: ad perficiendum autem, quod tenuis ingenij & doctrinæ meæ vis pateretur. Vtinam facultas in agendo, voluntati in cupiendo reſpõdiſſet: tum profectò nec Euſebio interpres ſatis diſertus, nec hanc hiſtoriam legentibus delectatio vlla ex parte defuiſſet. Sed fortaſſe (vt Cleon loquitur apud Thucydidem) maiora ſperabam, quàm vires facilè tulerint, ſed minora certè quàm volũtas. Sed vt res ſit, primũ quiſque hiſtoriam perlegat, deinde de opera mea ſic ferat ſententiam, vt non calumnia ſine æquitate, quæ à bonis viris alieniſſima eſt, ſed æquitas potius cum beneuolentia in iudicando apparuiſſe videatur. Hiſtoria talis eſt, vt quemque Chriſtianum maxima in legendo voluptate capiat: quam quo ſępius euoluas, hoc fructum inde feres vberiorem. Et cùm in alijs hiſtorijs legendis, quæ facta illuſtrium virorum à fide noſtra abhorrentium continent, non parum vtilitatis capi ſolet: in hac planè, quę & plus veritatis ad fidem, & clariora exempla ad virtutẽ complectitur, ſine dubio multo plus emolumenti colligetur. In illis enim ſi quod facinus narretur memorabile, illud aut gloriæ cauſa, quę vmbratilis eſt, ſuſceptum, aut vlciſcendæ iniuriæ, quæ condonari debuiſſet, aut patriæ, quæ aliquãto plus habet momenti: in hac non res geſtæ dicuntur popularis famæ venandæ gratia, ſed veræ gloriæ conciliandæ; nõ vindictæ ſtudio, ſed Chriſti amore; non patriæ huius caducæ defenſione, ſed cæleſtis Hieruſalẽ adeptione. In illis ſi quid rectè ſuccedat, fortunæ multum, militum viribus & armis nõnihil tribui ſolet: in hac fortunæ nihil, militum turbæ tantùm aſſignatur. Hic arma Dei valent, vt lorica fidei & charitatis, qua

rum altera Christi miles nititur, altera incenditur ad pugnã: spes etiam quæ est galea salutis, hic plurimũ potest: qua quidem indutus summa cũ alacritate quisq; in aciem prodit, certus de præmio si vincat, certus se victurũ, si in fide perseueret. Accedit gladius spiritus, ꝙ est verbum Dei: isto se firmè muniat licet, isto aduersariũ feriat. Quibus armis septus, nemo est quẽ formidet, nullũ periculum, quod extimescat, Duce Christo, sub cuius vexillo militat. His olim sancti Dei martyres confisi, pro ecclesia matre fortiter dimicarunt, pro veritatis propugnatione vitã lubenter profuderunt. Horũ prælia, horum tropæa in hoc libro contuere. Si cupias verè rem militarem discere, ista obseruentur animo, hinc discas licet. Siue acies cõtra mundum, carnem & diabolũ instruenda est, siue talium hostium insidiæ præuertendæ, siue armorũ ratio cognoscenda, siue ducis prouidentia, siue militũ animi spectandi, hinc exempla præstantissima capi possunt. Fac te iam ab hostibus obsessum: fortitudine & potentia Dei ad exemplum Athletæ Christi obtectus, audacter egredere, aciem instrue non hominũ viribus, sed patientia fretus. Si modum prelij ignores, ponito ante oculos Polycarpũ aut Ignatium: quorum alteri cũ ignis incendio, alteri cũ bestijs acerrima dimicatio fuit: de Duce non est dubitandũ: præstò est in discrimine, vires & animum excitat, hortatur ad tolerantiã, in afflictatione solatiũ dat. Si hostium insidiæ terrorẽ inijciant, sit in promptu oratio: sic istos olim factitasse hinc facilè intelliges: hac & auxiliũ à duce impetrabis, & hostium repentinos impetus facilè præcauebis. Sis hilaris in prælio, tanquã qui auidè coronam appetat. Sis constans in fide, quæ triũphum gloriosum tibi suppeditabit. Et licet præceptiones in hoc dimicandi genere nonnihil animum erudiant, exempla tamen Christi militũ, qui antè tam viriliter hostes prostrarunt, multò magis mentis robur cõfirmare videntur. Cũ persecutionis tempestas ingruat, quid vtilius, quã eorum res gestas memoria tenere, qui nobilitatis splendorẽ, qui diuitiarum affluentiã, qui multitudinem amicorũ, qui vires, qui pulchritudinem, qui vitam deniq; ipsam magno & excelso animo contempserunt, quò Christo obsequium præstarent, quò eius gloriam verè adaugerent. Nemo libentius ad cõuiuium, quã illi ad mortem properabant: nemo incitatius ad iucundissimas voluptates ferebatur, quã illi ad asperrimos tormentorũ cruciatus: nemo cupidius ad grata spectacula vnquam se conferebat, quàm illi ad acerba martyria. Et meritò quidem. Nam non tropæa caduca, sed perpetuò duratura sperarunt: non præmia, quæ tempus absumit, sed quæ in omne æuum incorrupta manent. Si etiã veritas Christi ab hostibus grauiter oppugnata sit, quid cõmodius, quã eorum exempla intueri, qui nec precib. nec minis, nec supplicio ab eius patrocinio abduci potuerunt? Cũ hæretici falsorum errorum tela in ecclesiã conijciebant, se interposuerunt: si qui percussi, vulnera obligarunt: si qui perterrefacti, Christi verbo cõfirmarunt. Nihil erroris alicubi serpebat, ꝙ nõ aut disceptando corã, aut scriptorũ monumentis penitùs cõpresserint. Lubet sollicitã de ecclesia susceptam curã animaduertere. huc specta, huc oculos cõuerte. Non luporum tanta fuit vnquã auiditas ad gregẽ Christi dilaniandũ, quanta pastorũ prouidorum attẽtio ad firmè protegendum. Hinc discę pręterea veterum sanctorum in populo docendo sedulitatẽ, audens in sacris literis studium collocatum, in corporis castigatione laborẽ, in animo virtute & pietate informãdo diligentiã. Si placet virtutis cuiusq; generis quasi mercaturã adire, huc te recipe, vbi nõ præcepta solùm, quæ te doceant, sed egrigia exẽpla, quæ ipse imiteris, perspicuè ꝓponuntur. Si ecclesiæ veteris ritus & ceremoniæ alicui obscurę sunt, si veterum episcoporũ authoritas, si sacerdotij vniuersi dignitas incognita, huc suã cogitationem referat, hîc verè peruideat. Hîc, vt suprà docui, ecclesiæ fundamẽta à Christo iacta, instituta ab Apostolis tradita, à successorib. illorum obseruata ad trecentos annos, & amplius perdiscat. Verùm huius operis cõmoda quisq; multò melius perlegendo, quã ego summatim recensendo potest intelligere. Quare sint ista in præsentia satis. Authoris laudẽ in hoc libro texendo ex D. Hieronymi testimonio breuiter antea intelleximus. Est sanè verbis paulò quidem grandior: rerum verò explicator prudẽs & grauis: fidelis inuestigator antiquitatis. Vir in omni doctrinæ genere perquã eruditus. Quod quidẽ vel vnus liber de pręparatione euãgelica ab eo scriptus satis declarat. Siue res narret, eximius est, siue peroret, disertus, siue describat, argutus, siue laudet, multiplex & varius, in ordine tẽporum obseruãdo exquisitus, in successione notanda diligens. Cùm in martyrijs sanctorum oratione persequendis se ponat, idẽ planè de eo nõ inscitè dici potest, ꝙ olim Tullius de Thucydide. In illis incitatior fertur, & de bellicis reb. sanctorum martyrum canit quodãmodo bellicum. res ita ab eo verbis exprimuntur, vt non demonstrari, sed geri, & ante oculos statui videãtur. Cùm tyrãnorum Christi athletas persequentium crudelitatem explicet, sic oratione omnia depingit, vt maleficorum exitus pulchrè eluceat, quò cæteri ad talẽ immanitatẽ postea fiant tardiores. Quòd si quę in hac historia occurrãt, quæ cuiquã vel leuia & exigui momẽti, vel minus verisimilia appareãt, in illis facilè ipse se expedit, dum authores citat, vnde eadem deprompserit. Sed ei qui quæq; velit considerate expendere, non sine graui aliqua causa ab eo in historiã illigata videbuntur. Si illi rursus obijciatur, quòd in Arrianam sectam paulò magis propenderet, nostra haud sanè interest: sed dolemus maximè, quòd vlla ex parte ab Ecclesiæ norma desciuerit, & neutiquam in ea re illum defendimus.

Verùm

Verùm quod ad historiam attinet, sic eam texuit, vt D. Hieronymus cum primis approbet, sic veritati adhæsit, vt nihil in illa erroris omninò reperiatur. Quocirca cum tot vtilitates complectatur, quisque se in eius quasi familiaritatem crebra lectione insinuet, vt eo pacto studiosè discat, tum quid in Christiana vita cauendum, tum quid summo studio ac diligentia semper sequendum. Nihil opportunius in omni vitæ institutione, quàm & talibus præceptis imbui, quæ mentem ritè ad virtutem erudiant, & illorum exempla deligere ad imitandum, qui vniuersum hocæui spacium piè confecerunt, & supremum vitæ diem tam augustè & sanctè obierunt. Quibus non prolixa ætatis propagatio, quæ grauibus vexabatur molestijs, sed animæ à corporis compagibus matura dissolutio perpetuò in optatis erat.

Author negotiorum magnitudine impeditus, nec institutam peroration attexuit: nec in reliquos Authores præfatus est.

EDOVARDVS GODSALVS ANGLVS LECTORI.

EVsebij de vita Constantini liber quartus, à Reuerendißimo domino Ioanne Christophorsono Ciceſtrenſi Epiſcopo è Græco in Latinum conuersus, famulorum negligentia intercidit. Qui amicorum rogatu Latinitati donatus est à Nicolao Carro Nouacastrensi Anglo, Collegij (cui supra scriptus Episcopus præerat) Sodali, experientißimo artis medendi doctore, Cantabrigiensis Academiæ gemma. In quo quidem vertendo tantum præstitit, quantum præstare & potest & solet is, qui non ita paucos annos Græcæ linguæ professor fuit celeberrimus, & Ciceronianorum facilè princeps. Tres etiam Sozomeni libros, scilicet septimum, octauum, & nonum (quibus eiusdem historia concluditur) Reuerendißimus varijs, multiplicibusq; negotijs obrutus, nequaquam attigit. Hos autem Suffridus Petrus Leouardiensis Frisius in Latinum transtulit: cuius industriam interpreti laudem, authori gloriam non exiguam conciliaturam esse spero. Sicubi autem oratio interpretis dicendi genus minimè redolere videatur (quod fit sæpißimè) ea certè est quorundam eruditißimorum virorum: quorum mihi ab illo assignatorum opera ac diligentia vsus sum, ad corrigenda absoluendaq; ea, quæ maximis occupationibus præpeditus inchoata reliquerat.

Vale.

Antuerpiæ ex Cœnobio B. Michaëli dedicato, 15. Calend. Martij, Anno Domini 1568.

VITA

Universidad de Deusto
Biblioteca

VITA EVSEBII PAMPHILI CAESAREAE PALAESTINAE EPISCOPI.

EVsebius hic Pamphili, Constantini Magni temporibus floruit, & vsque ad filium ipsius Constantium Cæsareæ Palæstinæ episcopatum gessit. Fuit autem in diuinis scripturis plurimum versatus, & pariter cum Pamphilo martyre Diuinæ bibliothecæ inuestigator diligentissimus. Complures libros edidit, in quibus sunt isti:

Demonstrationis Euangelicæ	Lib. XX.
De præparatione Euangelica	Lib. XV.
Theophaniæ	Lib. V.
Historiæ Ecclesiasticæ	Lib. X.
De vita Constantini Magni	Lib. IIII.
Chronicorum canonum omnis generis historiæ, & horum epitome, & de Euangeliorum discrepantia.	Lib. X.
In Esaiam prophetam	Lib. X.
Aduersus Porphyrium, qui iam tum in Sicilia scribebat,	Lib. XXX.
Vt vero alij existimant	Lib. I.
Topicorum	Lib. VI.
In defensionem Origenis	Lib. III.
De vita Pamphili.	
De Martyribus alij commentarij.	
Et ad Marinum.	
Et in 150. Psalmos illustres commentarij.	
Itemque alia multa monimenta.	

Sub Constantino & Constantio Regibus præcipuè floruit: & propter amicitiam, qua cum Pamphilo illo martyre coniunctissimus erat, eiusdem cognomine dignus existimatus est.

IOANNES MARIVS BAGNAIA DE SANCTO SEPVLCHRO, ITALVS, IN laudem interpretis.

NVnc tandem Eusebium non duces Roma pudori,
Ciuibus ascriptum connumerare tuis.
Qualis adhuc fuerit, nosti: perstringere quenquam
Religio nobis tempus in omne fuit.
Hoc tamen inuidia mihi concedente tenebo,
Corruptum & mutilum mille fuisse locis.
Christophorsonus vetera exemplaria iungens,
Innumeras fermè sustulit inde notas.
Quid memorē impresso quæ Græco in codice deerant,
Omnia quæ mira reddidit ille fide?
Si quid apud manes mortali corpore nudos
Viuentum pietas officiumq; valet:
Credibile est, ipsum sua iam reparata videntem
Syderea lætum ducere in æde choros.
Cœlestumq; gregi testantem gaudia tanti
Muneris, hæc lepido dicere verba sono:
Fœlicis patriæ ciues, iam Græcia vestra,
Iam Latium tuto splendida facta leget.
Virgineoq; vtero Iesum diuinitus ortum,
Vt nos seruaret, non dubitasse mor:
Et vos authoris non ægrè exempla secutos,
Vestra illum intrepidè cæde probasse Deum.
Traductamq; patrum dubio discrimine vitam,
Et varium in nostra relligione malum.
Cætera quæ nuper squalore obducta iacebant,
Siue hominum culpa prodita, siue die.
At te ne pigeat lector cognoscere, quàm sit
Præclaro alterius dulce labore frui.

HISTO-

HISTORIAE ECCLESIASTICAE AB EVSEBIO COGNOMENTO PAMPHILI CAESAREAE EPISCOPO CONscriptae Liber Primus.

Quodnam sit Promissionis Argumentum.

CAP. I.

ANSTITVENTI mihi sanctorum Apostolorum successiones, ordinemque temporum à Seruatore nostro ad hanc ætatem vsque decursorum, literarum monumentis mandare: quot etiam ac quæ res in Ecclesia gestæ à veteribus commemorentur: qui homines in illustrissimis prouincijs huic decorè & cum laude præfuerint, principemq; locum obtinuerint: qui in cuiusq; ætatis curriculo vel scriptis, vel secus, sacrosanctum Dei verbum constanter tueri ac defendere laborârint: qui præterea, quotue numero, & quo tempore fuerint hi, qui propter nouarum rerum cupiditatem sint in summum errorem delapsi, seque ipsi falsæ deprauataq; doctrinæ auctores palàm prædicarint, & non aliter ac lupi rapaces Christi gregem quasi incursione facta obtriuerint: quæ item & quã graues calamitates vniuersam Iudæorum gentem propter insidias, quas Seruatori nostro struxerat, idque non ita multò post, oppresserint: quoties porrò, qua ratione, quibus temporibus diuinus sermo effrenato Gentilium impetu oppugnatus fuerit: qui etiam pro eius defensione ardua certamina cum effusione sanguinis, atque acerborum tormentorum perpessione varijs temporibus confecerint: quæ deinceps nostra iam ipsorum memoria, Sanctorum cædes & martyria factitata sint: ad extremum, quàm benignum ac clemẽs Seruator nosster Ecclesiæ tulerit auxilium: non aliũde, quàm à prima illa Seruatoris & Domini nostri Iesu, qui est Christus Dei,[a] œconomia, exordium sumendum videtur.[b] Atq; hoc B loco iam ipsa ratio,† quæ rẽ quamq; ex æquitate põderare solet, mihi vt ignoscatur, postulat:* quippe quæ facilè fatetur, istud Opus, quod instituimus, quodque nos plenè cumulateq; perfecturos sumus polliciti, plus habere difficultatis, quàm quod viribus nostris sustinere possimus. Et quoniam hoc argumentum nos iam primi aggredientes, quasi desertam & inusitatam viam inire molimur: idcirco precibus magnoperè petimus, tum à Deo patre, vt itineris ducem se præbeat: tum à Domino nostro Iesu Christo, vt virtute sua ac potentia nobis adiumento sit:[c] quandoquidem hominum ne nuda quidem vestigia reperire possumus, qui antè nos eandem viam triuerint: præterquam quòd quidam exigua solùm ingenij sui monimenta (in quibus rerum suis ipsorum temporibus gestarum cõmentarios membratim, alius aliter, scriptos post se relinquebant) procul tanquam faces accensas nobis ad intuendum proposuerunt: voceque emissa cõtentiùs, de sublimi loco, quasi de accliuis montis despectu & alta specula clamârunt, præceperuntque qua via incedere, & qua ratione iter sermonis nostri absque errore & periculo dirigere oporteat.[d] Quæcunque igitur ad argumentum à nobis in præsentia propositum aliquid adiumẽti allatura putemus, ea quoniam dispersè ab illis ipsis memoriæ prodita sunt, sedulò colligere, & tanquam ex pratis rationis & prudentiæ floscullis pulchrè vestitis, quæ illorum veterum scriptorum apta videantur testimonia, decerpere, & historico quodã narrationis genere in vnum corpus redigere pro viribus enitemur: hoc ipso planè contenti, si minus omnium Apostolorum Seruatoris nostri, at facilè præstantissimorum successores, qui Ecclesias & dignitate præstantes, & hominum memoria celebratas, ad hoc vsque tempus gubernârunt, literis prodendo ab obliuione perpetua vindicemus.[e] Atque in hoc instituto laborem ponere mihi propterea cum primis necessarium existimo, quòd neminem scriptorum Ecclesiasticorum in istud scribendi munus operam suam & diligentiam hactenus contulisse cognoui.[f] Ea porrò spes animo iniecta est, hoc ipsum, quod instituo, his qui eximiæ & præclaræ rerum gestarum cognitionis cupiditate ducuntur, summo emolumento futurum.[g] Iam verò in illis libris, quos de Temporum ordine conficiebamus, quanquam istas res breuiter strictimque percensuimus: in hoc tamen Opere quod iam est in manibus, multò

A plenius

Ruffino capit. 1. *Propositio futuri operis. cum qua confer caput 15. lib. 3 & cap. vlt. lib. 7. Consule etiam ecclesiast. histo. Niceph. lib. 1. cap 1. vbi suũ iudicium fert de Eusebio & cõmunctis authoribus.*

† vide castigationes siue annotationes nostras græcas, pag. 1. lat. 1. lin. 1.

a Oeconomiã Christi Euseb. duplicẽ constituit, alteram quam ante incarnationẽ diuersis mediis Christus obijt in præparanda sibi ecclesia sua, alteram, quã incarnatus inter homines obijt in eadem cõformanda. A priori ita gitur illa sibi exordiendum hic dicit.

b Vemã precatur à difficultate operis instituti.

c. Quanta scriptorũ ecclesiasticorũ penuria ante Euseb fuerit.

d. Quid Euseb. ab aliis acceperit & quo modo: Vide Niceph. loco supra dicto.

e. Operis instituti necessitas

f. Operis vtilitas.

g. Eusebij de temporum libri.

† Videnostras græcas Annot. pag. 1. lat. 1. lin. 18

* vide annot. pag. 1. lat. 1. li. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

plenius eadem vberiusq; explicare animus est. Atque ex Christi Seruatoris, vt dixi, œ- A
conomiæ & diuinitatis explicatione, quæ propter suum splendorem & excellentiam
longè * humanam eius naturam superat, orationis nostræ nascetur exordium. Etenim
rerum in Ecclesia gestarum historiam literis mandare ingressuro, altius aliquanto ex
prima Christi ipsius œconomia initium necessariò repetendum est: propterea quòd di-
uiniore quadam appellatione, quàm plerisque videatur, ab illo dignati sumus. [a]

*Al. vel, hominum capium superat.

[a] qua de re vide Act. ca. 11.

Epitome breuis de Seruatoris Domini nostri Iesu Christi præexistentia & diuinitate.

CAPVT II.

Christi duplex est natura. Vtpote qui Deus & homo sit: vide autem quomodo Euseb. hic referat Nicephor. cap. 2. lib. 1. eccles. hist.

VM duplex sit in Christo natura, altera capiti humani corporis simi-
lis, qua Deus esse intelligitur: altera pedibus comparata, qua carnem
paribus cum nostra carne affectionibus obnoxiam, nostræ ipsorum sa-
lutis gratia induisse creditur: commoda certè eorum quæ sequuntur,
explanatio sumi potest, si modò ex eo, quod in hoc sermone caput est,
& quasi principatū obtinet, cursum totius historiæ de illo institutæ de-
ducamus. Eo pacto etiam vetustas & amplitudo Christianę religionis,
ab antiquis ductæ temporibus, his, qui illam nouam atque peregrinam, nec prius, quàm
heri aut nudiustertius in lucem emersisse existimant, manifestò ostendetur.

Assertio naturæ diuinæ: Christi genus, dignitas, substantia & natura inexplicabiles. Esa. 53.

Genus quidem, dignitas, ipsaque Christi substantia & natura, nulla oratione poterūt
penè explicari: quemadmodum sacer Dei spiritus in prophetarum prædictionibus in-
quit: Generationem illius quis enarrabit? Nam neque patrem quisquam nouit, nisi fi-
lius: neque ipsum filium, prout amplitudo eius & dignitas postulat, quisquam aliquan
do nouit, nisi solus pater, qui genuit illum. Lumen verò, quod ante mundi primordia
eluxit, sapientiam sola mente comprehensam, & ex patris substantia ante secula editā,
viuum Dei * sermonē, qui in initio erat cum patre, primum & vnicum Dei germen an-
te omnem creaturam & opificium, siue subiectum oculis, siue eorum obtutum effugiēs,
productū, summum immortalis & rationis participis militiæ, quæ in cælo est, impera-
torem, magni consilij angelum, arcanæ voluntatis administratorem, † omnium rerum
vnà cum patre opificem, totius vniuersitatis, quæ omnia complexu suo coercet, proxi-
mè & secundum patrem actorem causamque, germanum Dei filium & vnigenitum,
rei cuiusque ortum habentis Dominum, Deum & Regem, qui dominationem pariter
& principatum vnà cum diuinitate, potētia & honore à patre accepit, quis extra patrem
ipsum verè animo & cogitatione complecti poterit? Siquidem in arcanis sacrarum li-

B

* λόγον hoc loco certiùs verbū veteris: Sed Christophorsonus vbique fere constanter Sermone vertit.

† Vide annot. pag. 1. lat. 2. lin. 22.

Ioan. 1. b Verbum cū patre mundi opifex. c Gen. 1. d Psal. 148. e Zonaras in Constantino, vt & Curterius adnotauit, ex hac histor. quatuor locos producit, ex quibus Arianistini insimulatur Euseb. quorum primus hic est secundus ac tertius hoc eodem capite infra adnotabitur, quartus in sequēti capite indicabitur: sub eodē hoc signo. a vide auē Nicephor. capite 1. lib. 1. histor. eccle. christus sub humana specie Patrib. visus & cultus.

terarum, quæ de illo traduntur, eloquijs, sic scriptum accepimus: In principio erat ver-
bum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud
Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quin etiam magnus il-
le Moyses, vtpotè prophetarum omnium antiquissimus, dum diuini spiritus instinctu
vniuersitatis coagmentationem & admirabilem fabricam describit, istud prætereà do-
cet: [b] mundi effectorem & architectum omnium rerum Deum patrem, nulli alij quàm
ipsi Christo, diuino scilicet & primogenito suo ipsius verbo, inferiorum naturarū mo-
litionem constructionemque cōmisisse: illumque cum eo quasi communiter de homi-
nis procreatione sic loquentem facit: Dixit enim Deus: [c] Faciamus hominem ad imagi-
nem & similitudinem nostram. Huic quoque sententiæ alius propheta locuples testis
accedit, in hymnis sic diuinitùs memorās: [d] Ipse dixit, & facta sunt: ipse mādauit, & crea-
ta sunt. Patrem & fabricatorem, vt summum moderatorem, nuto suo regio de rerum
creatione præcepta tradentē: verbum autem Dei ab ipso [e] secundum (idem dico, quod
est à nobis manifestò prædicatum) paternis præceptis obtemperans inducit. Quod qui-
dem omnes à primo satu humani generis, quicunque singulari iustitiæ & pietatis am-
plitudine præstitisse dicuntur: vt magnus ille & insignis Dei famulus Moyses: vt Abra-
ham, qui illum ætate anteibat, eiusque filij: vt prophetę etiam, puro sinceroq; mentis &
intelligentiæ lumine illustrati, & quicunque denique postea probitate excellere vide-
bantur, tum ingenuè agnouerunt, tum illi, vt Dei filio, debitum decus & venerationem
impertierunt. Is verò, quò pium & sanctum illum cultum, qui patri debetur, abiecta in-
ertia studiosè propagaret, omnes homines ad patrem verè cognoscendum sedulò eru-
diuit. Fertur namque, Dominum Deum in hominis naturalis specie apparuisse Abra-
hamo, propter quercum Mambre cōsidenti: qui extemplo humi prostratus, licet homi-
nem solum oculis cerneret, adorabat tamen vt Deum, & supplex illum precabatur vt
Dominum: Fatebaturque se minimè ignorasse, quisnám esset, dum istis verbis illum af-
fatus est, ad hunc modum: Domine, qui iudicas omnē terram, nunquid facies iudiciū?

Quod

A Quod si rationi minimè videtur consentaneum, vel vt ingenita & immutabilis Dei pa- *Gen. 18.*
tris omnipotentis substantia in hominis speciem conuertatur, vel vt mortalis alicuius
viso atque effigie oculos intuentium fallaciter præstringat: quinetiam si fueri nequit, vt
sacræ literæ ciusmodi visiones falso comminiscantur: quisnám, quæso, verè appellari
Deus ille & Dominus, qui iudicat omnem terram, & facit iudicium, in humana forma
ac specie apparens (cùm nullo modo liceat eum Deum patrem, primum totius mundi
compagis auctorem & causam nuncupare) quisnám inquam verè appellari poterit, præ-
ter solum illius Verbum, quod omnes æternitate sua anteceſſerit? Cuius etiam in Psal-
" mis mentio facta est: Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus *Psal. 106. Christus, Do-*
† Vide an- not. pag. 1. lat. 2. lin. 29. corum. Hunc porrò † proximè & secundū patrem Moyses Dominum apertissimè vo- *minus.*
cat, his verbis: Pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Do- *Gen. 29.*
mino. Eundem quoque in hominis figura rursus Iacob comparentem, eumque sic com- *Gen. 23. Christus.*
pellantem, (Non amplius vocabitur nomen tuum Iacob, sed Israel erit nomen tuum, *Deus.*
quia inualuisti cum Deo) diuina Scriptura Deum nominat. Quo quidē tempore Iacob
" etiam vocauit nomē loci illius, visionem Dei. Sic enim locutus est: Vidi Deum facie ad *Visiones Dei à visionib. angelorū differant.*
" faciem, & salua facta est anima mea. Quinetiam ne suspicari quidem fas est, visiones il-
" las Deum repræsentantes, quæ sunt sacris literis proditæ, angelis voluntati Dei inseruiē-
" tibus, eiusque sedulò obeūtibus ministeria, attribuendas esse: quandoquidem, cùm quis-
" quam ex istorum numero hominibus visus sit, non occultat sanè Scriptura, sed nomina-
" tim angelum, nō Deum, neque Dominum hominibus locutum esse asseuerat: sicut in-
" finitis Scripturarum testimomijs est comprobatu perfacile. Iesus præterea Moysis suc- *Iosue.*
" cessor, eum cùm non alia quàm humana forma ac specie sibi apparentem conspica-
" retur, vtpote cælestium angelorum, archangelorum, sublimiumque potestatum du-
" cem, & cum patre virtute & sapientia ex æquo insignem, & in vniuersarum rerum re-
" gno ac principatu [a] secundas [b] à patre obtinētem, summum exercitus Domini impera- *a Secundas, nō dignitate, sed persona atque ordine.*
" torem nuncupat. Itaque sic scriptum legimus: Factum est autem, cùm Iesus esset in Hie- *Iosue 5.*
" richo, vt sublatis oculis videret hominem stantem contra se, in cuius manu gladius an- *b Secundus, locus Ariminsmi Eusebiani.*
" ceps districtus erat. Et accedens Iesus, dixit: Noster es, an aduersariorum? Et respondit
" illi: Ego summus dux exercitus Domini iam veni. Iesus verò humi se in faciem prostra-
" uit, & dixit ei: Domine, quid mandas seruo tuo? Et respondit summus Domini impera-
B tor ad Iesum: Solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo tu stas, locus san-
" ctus est, & terra sancta est. Ex quibus verbis facilè poteris intelligere, istum nō diuersum
" fuisse ab illo qui Moysi responsa dedisset. Nam eisdem verbis de eo vtitur Scriptura: Vbi *Exod. 3.*
" vidit Dominus, quòd accedebat ad videndum, vocauit illum Dominus è rubo, dicens:
" Moyses Moyses. Qui respondit: Quid est? Et ait: Ne appropinques huc. Solue calceamen-
" tum de pedib. tuis. Locus enim in quo tu stas, in ipso terra sancta est. Et dixit ei: Ego sum
" Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Porrò autem, quòd substan- *Verbum & Sapientia Dei.*
" tia quædam fuerit ante mundi iacta fundamenta, Verbum Dei & Sapientia appellata,
" quæ quidem & vixerit, & extiterit, & Deo patri, architecto vniuersitatis, ad rerum om-
" nium fragilium & caducarum confectionem inseruierit: [c] præter eas rationes quas su- *c Tertius locus Arianismi. Euseb. d Prou. 8.*
" prà posuimus, ipsam præterea Sapientiā audire licet, propria persona per os [d] Salomo-
" nis planissimè sic de se mysterio quodam memorantem: Ego Sapientia, consilium ta-
" bernaculum meum constitui, scientiam & intelligentiam ego aduocaui. Per me reges
" regnant, & potestates describunt iustitiam. Per me magnates summo honore decoran-
" tur, & per me tyranni terræ potiuntur imperio. Quibus etiam paulò pòst adiungit ista:
" Dominus condidit me in initio viarum suarum, ad opera sua antè secula. Fundauit me *Ista Lactantius sic vertit cuius verbis hoc loco vtor lib. 4. cap. 6.*
" in principio, antequam terrā crearet, prius quàm prorumperent fontes aquarum, pri-
" usquam montes stabilirentur, ante omnes colles genuit me. Cùm pararet cælos, ade-
" ram illi. Et cùm confirmatos poneret fontes sub cælo, erat penes illum disponens. E-
" go eram, cui adgaudebat. Quotidie autem iucūdabar ante faciem eius in omni tempo-
" re, cùm lætaretur orbe perfecto. Quocirca, quòd Dei verbum ante omnia fuerit, quod
que hominibus, si nō omnibus, at nonnullis tamen olim visum sit, ista à nobis hoc tem-
pore breuiter dicta sint.

Iam verò, quid causæ sit, cur non, sicut hac hominum ætate, sic etiam olim apud om- *Christus cur non prisci temporis eam, sic, vt iā nobis, celebratus.*
nes homines, & apud omnes gentes sermone & prædicatione celebratus fuerit, hoc mo-
do facilè planū fiet. Prisca & antiqua hominū ætas, Christi doctrinā sapiētia sanè & vir-
† vide annot. pag. 2. lat. 2. li. 22. tute præstantissimam, nondum animo capere poterat. † Primus nāq; homo in initio sta-
tim vitam eam, quā primo degebat in loco pleno voluptatis ac beatitudinis, neglecto
diuino mandato, in hanc mortalē & caducam vitæ cōditionem præceps decidit: atq; a-
deò diuinas illas, quibus quondā fruebatur, delicias, cū ista execrabili terra cōmutauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adami post ri prauitatem eius referūt, paucis exceptis: hæc Niceph cap. 2. lib. 1. retulit.

Qui verò erant eius ſatu editi, cùm vniuerſum orbem terrarum ſua multitudine com- A pleſſent, indies multò euadentes deteriores, beluinum quendam viuendi modum, & vitam haud vitalem omnes, vno & altero excepto, ſibi aſciuerunt. Quinetiam neque ciuitatem frequentare, neque Reip. formam inſtituere, neque artes aut ſcientias colere in animum induxerunt. Legem autem iudiciorum, virtutis præterea & philoſophiæ ne nomen quidem tenuerunt: vagis item & incertis ſedibus inter belluas diſperſi in ſolitudine & locis deſertis, tanquam agreſtes & immanes homines vitam traduxerunt. Ratiocinandi & ſermonis inter ſe conferendi facultatem è naturæ fontibus hauſtam, man ſuetudinis etiam ſemina hominum animis mandata, prauitatis ſua ſponte ſuſceptæ exuberantia labefactantes, nequitiæ & maleficio cuiuſque generis ſeipſos totos tradiderunt: adeò, vt nonnunquam ipſi inter ſe ſua corpora deteſtabili ſcelere polluerent, interdum cæde mutua ſe è medio tollerent, aliquando homines crudeliter vorarent: nō raro cùm Deo bellum gerere & γιγαντομαχίας, id eſt, Gigantum prelia (quæ omnibus in ore ſunt) tentare: terram, interpoſito muro, cælo adiungere in animo haberent: denique furore quodam immoderatæ importunæque arrogantiæ impulſi, ipſum Deum omniū rerum rectorem de cælo deturbare molirentur. Quos quidem iſtum inter ipſos vitę modum & rationem ſequentes, rerum omnium contemplator Deus, tanquam ſyluam agreſtem per vniuerſam terram diffuſam, diluuijs & incendijs adortus eſt. Fame continua, peſte, bello, & fulminum iactu eos cælitùs ſuccidit: atq; acrioribus ſupplicij generibus, non aliter ac grauem quendam & maximè difficilem animorum morbum, penitus reprimere laborauit. Tandem verò cùm parum abeſſet, quin vitioſitatis & peccandi libido in omnes graſſata, ſe exaturaſſet, cumque tanquam grauis quædam & intoleranda ebrietas quandam quaſi cæcitatis noctem & tenebras cuiuſque ferè mētis aciei of-

Gigantomachia.

Verbi Dei apparitio.

fudiſſet, primogenita & vnica Dei ſapientia, ipſum videlicet Dei verbum, quod ante omnium rerum erat originem, incredibili quodam amoris ardore erga humanum genus incenſum, interdum per angelos hominibus in terra vitam degentibus apparuit, interdum per ſe (quippe ſalutaris Dei potentia eſt) vni & alteri ex priſcæ ætatis viris, qui ipſum ſummo pietatis ſtudio complectebantur, non aliter quàm humana forma (aliter enim haud fieri poterat) perſpicuè viſus eſt. Et vbi iam ab iſtis viris ſemina pietatis per hominum multitudinem ſparſa eſſent, & gens integra ſtudio pietatis dedita, ex illis vetuſtiſſimis Hebræis orta fuiſſet, Deus hiſce in ingentem multitudinem con- B creſcentibus, cùm adhuc in priſtinis vitæ inſtitutis ætatem degerent, per Prophetam Moyſen ſacrorum initiationes, non illas quidem euidentes & eximias, ſed imagines, & ſymbola ſabbati cuiuſdam myſtici ac circunciſionis, aliarumque arcanarum & opertarum præceptionum formulas tradebat. Cùm autem lex data Hebræis inter illos quaſi clara voce diuulgata eſſet, & ab eiſdem iam tum deducta, per omnium hominum cogitationes inſtar flatus odoriferi permeaſſet: cumque propter manſuetiſſimas legumlatorum & philoſophorum vbique commentationes ac præcepta, agreſtis illa & immanis feritas in plerisque gentibus inſita, in ſuauem morum facilitatem conuerſa fuiſſet: cum denique pace tranquilla, & arcta amicitiæ conſociationisque colligatione vltrò citroque homines inter ipſos deuincti eſſent: tum omnibus mortalibus vniuerſisque gentibus per totum orbem terrarum diffuſis, quaſi iam præparatis, & ad DEI patris cognitionem percipiendam idoneis, ille ipſe virtutum magiſter, primis ſui in omnibus bonis exequendis miniſter obſequens, diuinum & cæleſte Dei verbum, & propter humani corporis, quam induebat, ſubſtantiam, nihil à noſtra natura diſcrepans, cum Romana Reſpublica primùm ab Imperatoribus regi cœpta eſt, mundo oſtendit ſeſe: Italiaque tum edidit, tum perpeſſus eſt, qualia prophetarum oraculis verè & appoſitè reſponderunt: quæ quidem non ſolùm hominem pariter ac Deum, admirabilium operum artificem, in hunc mundum immigraturum, omnibusque gentibus Patris auguſtè ſancteque colendi præceptorem & magiſtrum futurum: verùm etiam mirificam eius ortus rationem, & nouam doctrinam, res geſtas ſumma admiratione dignas, mortis præterea modum & formam, ex mortuis reſurrectionem, & ad extremùm glorioſum & diuinum in cælos reditum manifeſtè prædixerunt. Illius porrò regnum in extremo ſeculi æuo futurum, Daniel Propheta diuini ſpiritus inſtinctu præuidens, ſic tandem cæleſti numine afflatus, DEI viſionem planius quidem certè, & propius ad captum humanum deſcribit: Aſpiciebam, inquit, donec throni poſiti erant, & antiquus dierum ſedebat. Veſtimenta eius candida ſicut nix, " & capilli capitis eius vt lana munda. Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accen- " ſus, fluuius igneus præceps labitur coram illo. Millia millium miniſtrant ei † Tri- † Vide annot. pag. 3. lat. 1. lin. bunal loco collocauit, & millia millium aſſedebāt ei, & libri aperti ſunt. Et paulò poſt: Aſpicie- 32.

Hebraicæ gētis electio.

Quando & quo modo Chriſtus iuxta Prophetarum oracula in terram venerit.

Chriſti regnū de quo Matt. 25. 1. Cor. 15. Dan. 7.

A Aſpiciebam, inquit, & eccè cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniens vſque ad an- " tiquum dierum perrexit, & in conſpectu eius oblatus eſt, & illi datum eſt imperium, ho " nos & regnum: & omnes populi, tribus, linguæ, illi inſeruient: poteſtas eius, poteſtas æ- " terna, quæ non tranſibit: & regnum illius non corrumpetur. Iſta planè non in alium, quàm in noſtrum ſeruatorem † & Deum, verbum quod fuit in principio apud Deum, quodq; propter humanam carnem, quam extrema mundi ætate aſſumpſit, filius hominis dicebatur, euidenter referri poſſunt. Verùm cū in proprijs Commentarijs, qui à nobis de Domino noſtro Ieſu Chriſto editi ſunt, prophetica oracula, exquiſitè collegerimus: & ea quæ ſunt de eo tradita, certioribus argumētis confirmauerimus: his quæ ſunt à nobis explicata, erimus in præſentia contenti.

† Vide annot. pag. 3. la. 1. lin. 38.

Extant Euſebij libri 10. de Demonſtratione Euāgelica ſcripti, ad quos lectorem hic remittimus.

Quod Ieſu, & ipſum Chriſti nomen ab initio & notum fuit, et in honore habitum apud diuinos prophetas.

CAPVT III.

Cum hoc cap. confer cap. 4. Niceph. hiſt. eccle. li. 1.

IPſum nomen Ieſu, atque adeò Chriſti, etiam apud illos veteres Prophetas, quos Deus charos habebat, magno in honore & reuerētia fuiſſe, iam explanandi ſe offert occaſio. Primus ille Moyſes cū hoc Chriſti nomen, vel maximè venerandum & admirabile perſpiceret, cumq; figuras rerum cæleſtiū & ſymbola, arcanaque ac plenas myſterij imagines aptè & conuenienter oraculo præcipienti (videlicet, Facies omnia iuxta figuram, quæ in monte tibi monſtrata eſt) edidiſſet, hominem (quantum in humana ſitum erat poteſtate) in ſummum Dei ſacerdotem conſecrans, Chriſtum, id eſt, vnctum appellat: & quoniam Chriſtum, vim ſanè rei cuiuſdam admirabilis in ſe cōplecti animaduertebat, huic ſummi ſacerdotij dignitati apud Deū omnem prærogatiuam quæ inter homines eſt, facilè ſuperanti, propter maiorem honoris & gloriæ acceſſionem ſacroſanctum eius nomen impoſuit. Idem Moyſes præterea nomen Ieſu diuino ſpiritus afflatu pro certo præuidens, priuilegio quodam & ſingulari planè præ cæteris præſtantia dignum exiſtimauit. Ac cum hæc ſacroſancta Ieſu appellatio nunquam inter homines ante tempora Moyſis † diuulgata fuiſſet, Moyſes eam de dit illi ſoli ac primo, quem ſpecie & ſymbolo Chriſtum Ieſum præfiguraturum, & poſt ſuum è vita diſceſſum in omnium Iſraelitarum regnum ſucceſſurum præſciuerat. Nam cùm ſucceſſor eius hoc nomine Ieſu eſſet antea minimè appellatus, ſed alio quod parentes ei impoſuerant, [a] Auſe videlicet, vocaretur: Moyſes illum Ieſum nuncupauit: atq; iſto adeò nomine, tanquam eximio & præclaro honore (qui omni regio facilè antecellit diademati) propterea donauit, quod idē Ieſus filius [b] Naue, effigiē ſeruatoris noſtri, qui ſolus poſt Moyſen, poſtque figurati adumbratique cultus ab eo traditi expletionem, in veræ & ſinceræ religionis ac pietatis imperium ſuccederet, ritè expreſſit. Atque Moyſes hoc modo his duobus hominibus, † alteri ſummi ſacerdotis officio iam perfungēti, alteri poſt ipſum gentis Iſraeliticæ gubernacula ſuſcepturo (qui præ reliqua vniuerſa hominum illius ætatis multitudine, virtutis & gloriæ claritate nituerunt) hāc ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti appellationem, quò ſummus illis honos haberetur, impoſuit. [c] Prophetæ item, qui deinceps extiterunt, manifeſtè atque adeò nominatim Chriſtum prænunciauēre: & non modò doloſas Iudaici populi contra eum paratas inſidias, verumetiam gentium per illum vocationē apertis perhibuēre teſtimonijs, ac primùm [d] Hieremias, vbi ſic loquitur: Spiritus ante vultum noſtrum. Chriſtus Dominus in noſtris corruptionibus † comprehenſus eſt. De quo dicimus: In vmbra illius viuemus in gentibus. Deinde [e] Dauid propter eius admirabilitatē obſtupeſcens, ait: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius. Quibus paulò pòſt ſubiungit ex ipſius Chriſti perſona: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Neque ſoli ij qui honore donabantur ſummi ſacerdotij, quique oleo ad eā rem præparato arcani cuiuſdam myſterij gratia vngebantur, Chriſti nomine inſigniter apud Hebræos decorati fuerunt: ſed reges etiam, quos quidem prophetæ diuini numinis inſtinctu, oleo perfundētes, Chriſtos quoſdam, hoc eſt vnctos, qui Chriſtū ſpecie adumbrarēt, effecerūt: propterea quòd illi effigiē & figurā regię ac primarię poteſtatis, quę in ſolo & vero Chriſto, verbo Dei omnia moderante cernitur, per ſe ipſi exprimebant. Iam verò nonnullos è prophetis vnctione quadam Chriſtos, id eſt vnctos factos, imagine & figura Chriſtum futurum præſignificantes accepimus: vſque adeo, vti omnes hi ad verum Chriſtum, diuinum & cæleſte verbum, qui ſolus ſummus totius orbis ſacerdos eſt, ſolus cuiuſq; creaturæ rex eſt, ſolus inter prophetas ſummus patris propheta eſt,

† Vide annot. pag. 3. lat. 2. lin. 18.

[a] Interpres vocem adnotauit, quo tamē hic non eſt vſus Curterius.

Nominis Ieſu honor & reuerētia apud veteres Patres.

Exod. 23. Act. 7. Hebr. 3.

Chriſti ſacerdotiū.

Ieſu appellatio.

Hieronymus cōtra Iouinianum, Oſee, id eſt Saluatorē rectius dici putat.

[b] Ieſus Naue Chriſti typus.

De hoc vide num. 11. & 14. Deut. 1. Ioſ. 24. vide annot. pag. 3. lat. 2. lin. 16.

[c] Prophetarū de Chriſto teſtimonia.

[d] Thren 4.

[e] Pſal. 2.

Chriſti nomen etiam ſacerdotib. regibus & prophetis datum.

Chriſtus ſummus Sacerdos Propheta & Rex.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Solus seruator noster verè Christus dictus.

aptè & congruenter referantur. Huius rei illud potest esse argumento, quòd nemo hactenus veterum siue sacerdotum, siue regum, siue prophetarum, qui per symbola vngebantur, tantam diuinæ virtutis vim & facultatem sit consecutus, quantam seruator & Dominus noster Iesus, qui solus & verus Christus, id est, vnctus declaratus est. Nullus enim ex illis erat, quantumuis amplitudine & honore tot seculorum ætates apud suos nobilitatus, qui aliquando ex ea figurata Christi appellatione, subiectos suos Christianorum nomine decorauerit. Imò verò, ne honos quidem venerandus Christoque dignus cuiquam eorum ab illis, qui ipsorum paruere imperio, tributus est: quinetiam neque post mortem tanta & tam vehemẽs animorũ affectio ardorq; extitit, vt quisquam eius gratia, qui tanto in honore apud ipsos fuisset, mortem aliquando vellet oppetere: neque inter omnes gentes, quæ vniuersum orbem terrarũ incolunt, pro vllo eorũ qui id temporis fuerunt, tantus persecutionis tumultus cõcitatus est. Siquidem symboli & figuræ vis non tantum efficacitatis in illis poterat inferere, quantum veritatis declaratio, quæ per Seruatorem nostrum facta est: qui quanquam ne symbola, aut figuras summi sacerdotij à quoquam accepit: neq; genus, quod ad corpus attinet, traxit ex sacerdotibus: neq; in regnum suum satellitum turba deductus est, neq; propheta veterum prophetarum similis factus, neq; dignitatum omnino aut prærogatiuam aliquam apud Iudæos adeptus: tamen si minus symbolorum aut figurarum, at ipsius veritatis insignibus est per Spiritum sanctum egregiè exornatus est. Ac quamuis similes cũ his, quos dixi, dignitatũ gradus minimè esset consecutus: verius tamẽ, & magis quàm illi omnes, Christus nominatus fuit: & vt solus & verus Christus, id est, vnctus Dei, per augustam reuera & sacrosanctam ipsius appellationem mundum Christianis compleuit vniuersum. Neque amplius figuras, aut imagines quidem rerum, sed veras virtutes, & vitam cælestem cum ipsa veritatis doctrina coniunctam, ipsius religioni initiatis impertijt. Vnguentũ porrò nõ ex aromatibus cõfectum, sed diuinum, ex ipso Spiritus sancti numine libatũ, haustumque, immortalis & paternæ diuinitatis participatione assumpsit. Quod quidẽ Esaias etiam docet, sic tanquã ex ore ipsius Christi locutus: Spiritus Domini super me, » eò quòd vnxit me: euangelium annunciare pauperibus misit me, sanare contritos cor- » de, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum. Neque solum Esaias, sed Dauid et » iam quasi ad personam illius verba dirigens, sic loquitur: Sedes tua Deus in seculum se- » culi, virga directionis virga regni tui. Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem: propter- B ea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ, præ particibus tuis. Quibus verbis diuinus ser- » mo in primo versu, eum liquidò monstrat Deum esse: in secundo, regalis sceptri honore decorat: deinde sensim descendens, vbi & diuinam & regiam potestatem illi tribuerit: tertio loco Christum ipsum, id est vnctum, non oleo ex corporea concretaque materia composito, sed diuino & pleno exultationis perfusum, manifestò declarat. Qua quidem re etiam ostendit, illius amplitudinem dignitati eorum qui olim corpore tenus figurate † vngebantur, longè antecellere. Quinetiam alibi idem de illo his verbis »
mentionem facit: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et, Ex vtero ante luciferũ genui te. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. Hic Melchisedech in sacris literis inducitur sacerdos Dei altissimi, non oleo humana comparato industria declaratus, imò verò neque generis successione summi sacerdotij functionem (sicut Hebræorum consuetudo postulabat) assecutus. Quamobrem secundum illius ordinem, non autem secundùm horum ritum qui signis & figuris consecrati fuerunt, seruator noster tum Christus, tum sacerdos, est cum iureiurando adiecto appellatus. Vnde neque corpore tenus apud Iudæos illum perunctum esse, neque editum ex tribu sacerdotum: sed ex ipso Deo ante luciferum, hoc est, ante mundi cõstructionem subsantia præditum tradit Scriptura: quippe qui immortale & perpetuum sacerdotium ad omnẽ æternitatem obtineret. Incorporeæ autẽ & diuinæ potentiæ, quæ ei tribuitur, magnum & cuidens est indicium, illum solum ex omnibus qui vnquã antehac ad nostram vsque ætatem vixerunt, apud omnes homines per vniuersum orbem terrarum, non modò Christum appellari: verùm etiam vno omnium ore ita prædicari, testimonijs illustrari, & præ cæteris omnibus propter nominis sui celebritatem, tum apud Græcos, tum apud Barbaros honorificè memoria celebrari, atque ad hoc vsq; tempus inter omnes qui in omni mundo sunt illius religioni initiati, honore efferri vt regem, admiratione affici supra prophetam, gloria decorari vt verum solum ac summum Dei sacerdotem: [a] postremò, vtpote Dei verbum, quod ab initio extiterit, quodque ante omnia æui spacia subsantia præditum fuerit, quod denique decus honorificum à patre acceperit, summa veneratione dignatum, vt Deum. Illud porrò ex omnibus

Christi vnguentum. Esa. 61.

Psal. 44.

Dauidici loci explicatio.

Psal. 109.

Gen. 14. Heb. 4. 7. Melchisedech sacerdos Christi typus.

† Videan not. pag. 4. lat. 1. li. 34

Consensus hominũ arguit Christi diuinitatem.

a Quartus locus Arianismi Eusebiani: Socrates aũt qui Eusebio mox subiungitur Eusebium ab hac nota vindicat quẽ vide sui operis lib. 2. cap. 17.

A bus summè mirandum videtur, quòd nos qui sumus illi consecrati, non vocibus solùm, & verborum sonitu, sed omni animi inductione & amore eum vsque adeò veneramur, vt veram illius testificationẽ nostrę ipsorum vitæ nõ grauatè anteponamus.

Quod modus pietatis, ab ipso cunctis gentibus denunciatæ, nec recentior, nec peregrinus erat.

CAPVT IIII.

Cum hoc cap. confer cap. 5. Nicephor. lib. 1.

IStA igitur, antequam in historiam ingrediar, hic sint necessariò à me posita, ne quisquam Seruatorem & Dominum nostrum Iesum Christum, propter rationem temporum, quibus nuper vesabatur in carne, nouum & recentem fuisse arbitretur. Iam verò ne sit, qui eius doctrinam nuper ortam, peregrinam, & tanquam ex nouo aliquo homine, nihilq; à reliquis discrepante confictã & compositã existimet, de ista re paucis differamus. Cũ iamdudũ (vt neminiobscurũ est) aduẽ tus & præsentia Seruatoris nostri Christi omnibus hominib. eluceſceret, noua gens (vt liquidè constat) non numero quidem exigua, neque imbecilla viribus, neque in † angustũ terræ angulũ concluſa, sed ex omnibus gentib. cũ hominũ multitudine copioſiſſima, tũ pietatis cultu diuiniſſima, & eatenus nec delata pernicie, nec clade ſuperata, quatenus est perpetuò à Deo præsidium assecuta, & apud omnes Christi appellationis & nominis ſplendore nobilitata, præfinitis & arcanis iam temporum conuerſionibus repentè in lucem prodijt. Quam quidem vnus è prophetarum numero ſacrati ſpiritus oculo futurã prẽuidens, adeò quaſi abalienata mente ſtetit attonitus, vt iſta verba cum admiratione proferret: Quis audiuit talia? & quis ſic locutus eſt? Nunquid terra vno die » parturijt? & nunquid gens ſimul vniuerſa edita eſt? Declarat porrò idem propheta, hãc appellationem futuram quodam modo dicens: His qui mihi inſeruiunt nouum nomen imponetur, quod in terra erit benedictum. Cæterùm quamuis nos planè recentes ſimus, & hoc nouum Chriſtianorũ nomen modò apud omnes gentes increbuerit: vitã tamen & inſtitutionis genus, vnà cum pietatis præceptis, non nuper à nobis confictum, ſed à primo (propè dixerim) humani generis ortu, naturalibus quibuſdam notionibus in veterum hominum mentibus, qui Deo chari erant, inſitis, exercitatum excultumque fuiſſe, hoc pacto explicare aggrediamur. Gens Hebræorum non recens aut noua eſt illa quidem, ſed propter antiquitatem apud omnes homines honore prę cæteris floruit. Sunt porrò apud iſtam gentem librorum monumenta, & ſcripta volumina, quæ vitas priſcorum hominum, qui rari quidem & numero perpauci fuerunt, ſed pietate, iuſticia, & reliquis virtutibus vniuerſis prẽſtantes, in ſe complectuntur. quorum nonnulli ante diluuium vixerunt, alij poſt: qui quidem ex filijs Noe, & nepotibus ſuis prognati ſunt. Quinetiam † Abraham, quem Hebræi principem ſuum & primum parentem eſſe iactitant, in eo numero eſt. Si quis item omnes illos qui ſunt iuſticiæ teſtimonio compro- bati (ab ipſo autem Abrahamo, ad primum vſque hominem gradatim aſcendendo repeti ſolet) Chriſtianos non nomine, ſed re affirmet, non multum profectò à veritate aberrauerit. Nam illa omnia quæ Chriſtiani nomen in ſe continet (nimirũ vt ſit Chriſtianus, qui per Chriſti cognitionem & doctrinam, modeſtia, iuſticia, arduarum rerum in vita perpeſſione & tolerantia, virtutis conſtantia, pietatis etiam veri que cultus confeſſione, vni & ſoli Deo ſuper omnia attribuendi, præſtet, excellatque) illa inquam omnia ab illis antiquis patribus non minùs ſtudioſè, quàm à nobis exercitata excultaque fuerunt. Neque certè vlla corporis circunciſio illis fuit, quia neque nobis eſt: neque ſabbatorum obſeruatio, quia neq; nobis eſt: neq; à quibuſdam alimenti generibus abſtinentia, neque rerum diſtinctio aliarum (quas primus omnium Moyſes exorſus, illorum poſteris in figuris explendas obſeruandaſque tradidit) quia neque apud Chriſtianos eiuſmodi res iam extant. Quinetiam ipſum Chriſtum, id eſt, vnctum Dei, perſpicuè agnouerunt. Quippe liquidò conſtat illum Abrahamo viſum eſſe, reſponſum dediſſe Iſaac, locutum cum Iacob, cum Moyſe denique & alijs deinceps Prophetis familiariter ſermonem contuliſſe. Inde plenè comperies, illos veteres, quos Deus tanto amore complexus ſit, eoſdem eſſe cum his, qui ſint eximia Chriſti appellatione donati: idque ex iſta Prophetæ voce, ſic de illis referente: Nolite tangere Chriſtos meos, & in Propheris meis nolite malignari. Quare perſpicuum eſt, eam re- » ligionem quæ eſt ab illis pijs viris, qui circa Abrahami tempora vixerunt, inuenta & excogitata, atque iam nuper per Chriſti doctrinam & prædicationem omnibus patefacta, debere primam, vetuſtiſſimam, omniumque planè antiquiſſimam exiſtimari.

Christi doctrina non noua, aut peregrina.

† vide cauſtigationes noſtras græcas: pa. 4. lat. 1. lin. 23.

Esa. 66.

Esa. 62.

Christianorũ nomen nouũ, vita & inſtitutum nõ itẽ.

† Muſculus hic habet Atarã & Abrahamum: Grynæus pro Atera legẽdum putat Tharã de quo Gen. 11. in textu Græco ἀπὸ τοῦ Χριστοφορσονus ſubiecta virgula ad notauit quidẽ, ſed interpretatus nõ eſt. vide annot. noſtras pag. 4. lat. 1. lin. 4c.

Hebræa Gens antiqua et celebris.

Veteres Patres quãuis nõ nomine, re tamen fuerũt Christiani.

Christianus vere quis.

Christus quomodo etiam patriarchis cognitus.

Psal. 104.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Abraham iustificatus ante circuncisionẽ. Gen. 15. Rom. 4. Iacob. 2.

Et quanquam Abrahamũ longo tempore pòst ferunt circũcisionis mãdatum accepisse: tamen ante illud quidem præceptum cum fide iustificatum traditur, sic de eo sacro affirmante eloquio: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iusticiam. Ac cùm ante circuncisionem talis factus esset, diuinum oraculum à Deo, qui se in eius conspectũ obtulisset, (idem iste erat Christus, Dei verbum) de illis qui posterioribus seculis simili ratione cum Abrahamo iustificarentur, hoc modo antea promissum fecit, inquiens: Benedicentur, inquit, in te omnes tribus terræ: &, Quod erit in gentem magnam & copiosam: &, Benedicentur in illo omnes gentes terræ: istud sanè in nobis expletum facilè licet animaduertere. Ille enim cum paterna superstitione, & priore vitæ errore reiecto repudiatoque, vnum Deum omnium moderatorem confessus esset: huncque non obseruatione legis postea per Moysem tradita, sed virtutis & probitatis officijs sincerè coluisset: fide in Christum Dei verbum, quod illi apparuerat, iustificatus est. Cui, cùm ita institutus esset, dictum est, quòd omnes tribus terræ & omnes gentes in illo benedicerentur. Atque eundem illum pietatis & religionis modum, quem Abraham excoluit, apud solos Christianos per vniuersum orbem rectè factis (quæ multò plus ponderis habent, quàm verba, ad id quod agitur confirmandum) sedulò exercitatum constat. Quid igitur de cæterò impediet, quò minùs vnam eandemque viuendi rationem, & religionis modum, tum nobis qui à Christo nomen traximus, tum veteribus illis qui Deo admodùm chari habiti sunt, verè fuisse fateamur, adeò vt illam perfectam religionis normam per Christi doctrinam nobis traditam, non nouam quidem & peregrinam, sed (si verum dicendum sit) primam solam & veram asseueremus? Atque hæc quidem hoc modo.

Abraham superstitione relicta Deum verè coluit.

Abraham fide iustificatus Rom. 4. Gen. 12. vide Iren. li. 4. cap. 42. Patrũ religio eadem quæ Christianorũ.

Nicephorus lib. 1. cap. vide complexu huius historiæ: Eusebius inquit trecentos & aliquot præterea annos est complexus: Sozomenus centum ferè & quadraginta, à primo scilicet Constantini magni anno, quum is Cæsar est renunciatus, vsque ad decimum septimum Theodosij iunioris annum. Deinceps verò & ipse Euagrius tempus prosequitur, annorum circiter centum & quadraginta: Vt historia à Christo nato omnis, quã ij, quos nominauimus, Historici, conscripserunt, simul & seorsim non minus temporis, quã sexingentorum annorũ complectatur: Hæc ille cuius calculum exactum esse cemperies, si quinque annos solos detrahas, quos ille rotundo numero includere voluisse videtur: duodecimus enim annus Mauritij imp. in quo Euagrius desinit, in annum 595. Christi incidit. Primus igitur hic liber vsque ad cap. 4. lib. 2. continet ea quæ gesta sunt sub Augusto Cæsare & Tiberio, annis triginta octo: Generaliter autem ad explicationem huius historiæ confer ex secularibus Ioh. Cuspinianum, qui omnes Imperatores, confer ex ecclesiasticis Bapt. Platinam, qui omnes Pontifices compendiò suppeditat: his commune virisque adde Chronicon Eusebij cum suis appendicibus, Chronicon D. Antonini, Chronicon Ioh. Naucleri: Separatim verò ad huius primi libri intellectum confer C. Suetonium in Augusto & Tiberio, Eutropium lib. 7. Orosium lib. 6. cap. 20. 21. 22. lib. 7. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Adde his 4. Euangeliorum historias & Acta Apostolorum vsq; ad cap. 9. inclusiue. item vitam Apost. Petri & Pauli apud Marianum Schotum, Martinum Polonum & alios cum reliquis adiunctis. B

De temporibus Apparitionis eius inter homines.

CAPVT V.

Deum innouat Eusebius in opere instituendo.

IAm verò cũ aditus ad Ecclesiasticam historiam quæ nobis proposita est, cõmodè patefactus sit: sequitur, vt deinceps à Seruatoris nostri in carnem aduentu, tanquam iter quoddã orationis capessamus, simulatque Deum patrem, ipsumque Iesum Christum, cælestem Dei sermonem, qui seruator & Dominus noster declaratus est, precibus inuocauerimus, vt in veritate explananda adiumento nobis ac subsidio esse velit. * Secundus igitur & quadragesimus regni Augusti agebatur annus, octauus autem & vigesimus ab Aegypto subiugata, & Antonij Cleopatręq; morte (in quam Ptolemæorum in Aegypto dominatus ac regnum postremò desijt) cũ seruator & Dominus noster Iesus Christus sub primo censu Cyrenij, [A] id temporis præfecti Syriæ, congruenter secundum Prophetarum vaticinationes de illo editas, in Bethleem Iudææ natus est. Hunc quidem censum Cyrenij temporibus factum, Flauius Iosephus, historicorum qui sunt apud Hebræos facilè princeps, memoriæ prodidit. Aliam etiam historiam de Galilæorum secta, quæ ijsdem temporibus exorta est, adnectit, de qua item Lucas apud nos in Actis ita ferè verba facit: * Post hunc surrexit Iudas Galilæus in diebus census, & auertit multum populum post se: & ille perijt, omnesque quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Iosephus porrò, quem suprà citauimus, istis admodum consentiens in decimo octauo libro Antiquitatis hæc ad verbum tradit: Cyrenius, vnus ex Senatorum Roman. numero, cum esset reliquis magistratibus perfunctus, omnesque propè honorum gradus percurrisset, Consul tandem factus, alijsque dignitatis insignibus eximiè ornatus, exiguis cum copijs in Syriam aduentauit: quippè eò à Cæsare missus erat, vti non modò genti illi ius diceret, vt prætor, sed opum cuiusque & facultatum vt Censor, æstimationem faceret. Ac non multò pòst subiungit: Iudas Gaulanites, vir ex ciuitate cuius nomen erat Gamala prognatus, vnà cum Saddocho Pharisæo, sibi in societatem ascito, populum ad defectionem sollicitare maturabat. Hi duo censum illum, nihil aliud quàm apertum seruitutis iugum, eorum ceruicibus impositurum asserebant. Proinde gentem eam ad libertatis suæ propugnationem adhortabantur. In secundo libro Historiarum de bello Iudaico conscriptarum, de eodem viro hæc præterea scribit: interea tẽporis vir quidam nomine Iudas Galilæus, regionis illius indigenas & habitatores ad defectionem impulit: illisque admodùm turpe esse dixit, si Romanis tributum persoluere sustinerent: & post obsequium, quod Deo præstare deberent, mortalium etiam dominationi se subijcerent. Hæc Iosephus.

Cõfer hoc cap. cum cap. 6. li. 1. Nicephor. in quo ille Iudaicæ historiæ integram synopsin texit.

De censu sub hoc Cyrenio acto vide Nicephorum cap. 10. li. 1.

Iudas Gaulanites idẽ qui mox Iudas Galilæus de quo Lucas Act. 5. 37.

Cap. 12.

[A] *Nos in eo opere quod de temporum emendatione cudimus pluribus ostendimus natum esse Christum nocte dominica præcedente diem 25. Decembris, anno imperij Augusti Cæs. à Triumuiratu 42. ab Actiaca victoria 29. eodem Augusto XIII. & M. Plautio Syluano consulibus, Regni Herodis 36. anno Mundi 3979. anno vrbis 752. anno Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ tertio. Danielis hebdomadæ sexagesimæ sextæ anno secundo. Sublato terræ 210 Indictione quarta. Illud autem admonendum hic est, quod D. Lucas cap. 2. euang. & ex eius authoritate Euseb. aut certè interpres asserat natum esse Christum sub primo censu Cyrenij. Quanquam enim ex Eusebio neque hic, neque in Chronicis haberi distinctio vlla queat, tamen primum censum hic dictum esse ad distinctionem secundi census, qui sub eodem actus est vndecimo anno post priorem, dubitari non oportet. Primum enim istum censum de quo Lucas loquitur, Cyrenius Syriæ præfectus constituus egit superstite adhuc Herode, idque edicente Cæs. ex Sc. vti testatur in Chronicis Euseb. cuius quidem descriptionis mentionem Iosephus nusquã facit: Secundum censum egit idem Cyrenius anno post superiorem vndecimo, Archelao Herodis filio in exilium iam misso, & Iudæa in prouinciæ formam redacta, & rectore eius constituto C. Coponio. Atque huius quidem census secundi mentionem facit Iosephus cap. 1. lib. 18. Antiquit. Iudaicarum: Quæ res non considerata decepit eos toto decennio, qui caput hoc Iosephi ad caput illud Lucæ pertinere arbitrantur. Fortassis autem nec illud quidem absre fuerit adnotare, Eundem hunc, qui Iosepho, & Lucæ, & Eusebio hic, & interpreti nostro Κυρήνιος est, ab Hieronymo in Chronicis Eusebij, à Mariano Schoto in Methodio Quirinum esse translatum & Quirinum ab omnibus Chronologis Latinis appellari: Fuisseque anno vrbis 742. hunc ipsum (qui pleno nomine P. Sulpitius Quirinus dicebatur, vna cum M. Valerio Messala consulem decem, scilicet annis ante primum, viginti verò annis ante secundum census actum, quod cũ Iosephi elogio pulchre conuenit: qui eum gessisse consulatum inter cætera commemorat. Mutatio aũt nominis ex Quirino in Κυρήνιον procliuis fuit Græcis, qui pro qu K vsurpant.*

Quòd temporibus eius, iuxta Prophetarum oracula, defecerunt principes, qui antea ex progenitorum successione Iudæorum genti imperitabant: & quòd Herodes ex peregrinis primus eorum rex fuerit.

CAPVT VI.

Huc refert partem posteriorem cap. 6. apud Nicephor. lib. 1.

EOdẽ tẽpore, cùm [a] Herodes primus, extero quodam & peregrino genere ortus, Iudaicæ gentis regnum obtinuisset, prædictio prophetica per Moysen antiquitus prolata, videbatur finem cõsecuta, quæ ait: Non deficiet princeps de Iuda, neque dux de fœmoribus eius, donec veniat cui regnum reseruatum sit: quem etiam expectationem gentium fore commonstrat. Tantisper enim prædictionis Mosaicæ euenta minimè absoluta & perfecta sunt, dum sub principibus ex ea gente prognatis vitæ degendæ potestas esset: qui quidem initium imperij altius ab ipso Moyse dictum capientes, vsque ad Augusti regnum durauerunt: sub cuius imperio Herodes primus externæ gentis stirpe procreatus, Iudæorum principatum à Romanis adeptus est. qui, [b] vt tradit Iosephus, paternum genus ex Idumæis, maternum autẽ ex Arabum familia ducebat. Verùm (vt Aphricanus, scriptor haudquaquam vulgaris, memorat) eius genus qui accuratè perueștigãt, Antipatro satum ferunt. Hunc autẽ Herodis cuiusdam Ascalonitæ filium fuisse, qui ex [c] Aedituis (sic enim appellati sunt hi, qui tẽplo Apollinis inseruiêrunt) originem traxit. Qui quidẽ [d] Antipater, cùm adhuc puer esset, captus ab Idumæis latronibus, cum illis, quod reliquũ erat vitæ, propterea traduxit, quòd patri eius qui in magna egestate versabatur, ad eum redimendum non satis suppetebat pecuniæ. Ei verò moribus illorum & vitæ institutis educato, postea cũ [e] Hircano, summo Iudæorum sacerdote, magna intercessit familiaritas. Huius filius erat Herodes ille, qui Seruatoris nostri tempore vixit. * Cùm igitur Iudæorum regnum ad Herodem, hominem peregrinum, tandem peruenisset, pro foribus iam aderat, secundùm Prophetæ oraculum, gentium expectatio. Quippe ex illo tẽpore [f] principes ac duces, qui successione ab ipso Moyse deriuata, Iudæorũ potirentur imperio, deficere & prorsus euanescere videbantur. Nam ante illorum captiuitatem & demigrationẽ in Babylonem, à Saule & Dauide exorsi, regum ditioni subijciebãtur. Ante reges autem, magistratus qui [g] Iudices nominati sunt, illorum Rempub. procurabant: qui quidem proximè post Moysen, & eius successorem Iesum, regnum illorum capessere cœperunt. At postquam Babylone denuò in patriam reuertebantur, eam Reip. formam perpetuò tenuerunt, quæ erat partim optimatum, partim paucorum prudentia & consilio gubernata. Summi enim [h] sacerdotes summam rerum vsque eò administrabãt: quoad Pompeius Romanorum dux eò aduentans, [i] Hierusalẽ acri & violenta obsidione expugnasset: atq; ad templi adita progressus, res sacras nefario scelere polluisset. Eum verò qui auita successione rex simul & summus sacerdos ad id temporis perseuerasset (cui nomen erat [k] Aristobulus) vinculis constrictum, vnà cum liberis Romam misit, atque Hircano eius fratri summi sacerdotij munus tradidit. Post illud tempus vniuersa Iudæorum gens facta est

Aphricanus.

* *Ruffinus cap. 4.*

a Herodes alienigena, Iudæorum rex.

Gen. 49. extat hoc vaticinium Patriarchæ Iacob aduentu Christi.

b Herodis genus.

Antipas Herodem Ascalonita templi Apollinei ædituus Antipatrum Idumæum, Antipater Herodem filium habuit, primũ ex alienigenis Iudæorũ regem. Vide Epiphanium contra Herodianos Hæres. 20.

c Aedituus.

d Antipater.

e Hircanus.

Ruffi. c. 5.

f Iudæorum reges ex Moysis successione.

g Iudices.

h Sacerdotes.

i Iosephus lib. 14. cap. 2. de Antiq.

k Aristobulus Romã cũ liberis in triumphum missus, cuius Plin. li. 7. cap. 20. mẽsionẽ facit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Herodes regnum obtinet.

est Romanis vectigalis. At non longo interuallo interiecto, cùm Hircanus (in quem vltimum summorum sacerdotum erat deuoluta successio) à Parthis captiuus ducebatur, primus (vt suprà dixi) Herodes externa stirpe editus, Iudaicæ gentis imperium Senatus Romani & Augusti imperatoris auctoritate obtinuit. Cuius temporib. cũ Christi aduẽtus euidenter & pro certo instaret, salus etiam gentium, quæ tam diu expectabatur, expleta est: earundemque vocatio, iuxta prophetarum oracula, maturè insecuta. Ex quo quidem tempore, simulac principes & duces ex Iuda, hoc est, ex Iudæorũ familia ac genere prognati, Remp. illam regere desistebant: series etiam summi sacerdotij, quod secundum generis propinquitatem, & auitam successionem rato ac certo ordine solebat cuiq; deferri, extemplò confusione quadam (neque id sine causa) labefactata est. Quarum rerum testem locupletem habes Iosephum, qui narrat, Herodem, cùm à Romanis esset regno donatus, non amplius pontifices & summos sacerdotes ex antiquo creauisse genere, sed abiectis quibusdam & ignobilibus illum honoris gradum detulisse. Eandem itẽ rationem in designandis summis sacerdotibus [a] Archelaũ, filium eius, & Romanos etiam, qui post illum Iudæorum regnum adepti sunt, cũ Herode obseruasse. [b] Idem scriptor porrò declarat, Herodem primum sacrã summi sacerdotis stolam priuatim apud se tenuisse, proprio sigillo occlusam: & summis sacerdotibus deinceps illius apud se retinendæ potestatem non omninò permisisse. Idemque eo mortuo feciisse Archelaum, reliquosque Romanos. Atque ista sint à nobis explicata, ad declarationem alterius prophetiæ, quæ in Seruatoris nostri Iesu Christi aduentu plenè completa fuit. Numerum verò septimanarum, quę vsque ad Christi imperium conficerentur (de quibus alio loco vberius disseruimus) prophetica Danielis oratio apertè est & nominatim cõplexa. Quibus tandem ad exitum perductis, Iudæorum chrisma abolendum fore prædixit prophe-

Herodes homines viles & obscuros ad summum sacerdotium promouet.

a Archelaus in impietate patri fuit

b Ioseph li. 15. cap. 14. Antiquitatum.

Septimanarũ Danielis numerus.

ta. Atque istud planè tempore illo, quo Seruator noster Christus in hanc lucem editus est, perfectum & absolutum esse constat. Hæc igitur, ad temporum veritatem comprobandam sint à nobis necessariò obseruata.

De ea quæ in Euangelijs de Christi genealogia putatur discrepantia.

CAPVT VII.

Ruffi. ca. 6. Matthei & Lucæ de Christi genealogia discrepantia.

QVoniam autẽ Matthæus & Lucas, in suis Euangelijs Christi genealogiam varia ratione & modo nobis tradiderunt, & ob eam causam à plerisque plurimùm inter se dissidere putantur (in quorum locorum explanationem, fidelium quisque veritatis ignoratione adductus, suo marte aliquid commentari magnoperè elaborauit) de his historiam ad nostram vsque ætatem ductam in medio ponamus. Quam quidem Aphricanus (cuius paulò antè mentio facta est) in epistola ad Aristidem, de Euangeliorum consensu scripta, dilucidè commemorat: reliquorum opiniones non modò tanquam vim veritati inferentes, verùm etiam falsò confictas esse comB

Confer cũ hoc capite cap. 7. 8. 9. 10. 11. lib. 1 hist. Eccle. Hist. Nicephor.

Aphricanus.

Genealogiarũ apud Iudæos vsus.

Suscitatio fratrum seminis quæ præfigurauerit.

monstrat: historiam autem, quam ipse acceperat, his ipsis verbis refert. Quoniam generum & familiarum nomina inter Israelitas, aut natura, aut lege enumerari solent: natura, cùm proles ex germano parentum semine orta succedit: lege autem, cùm alter filiũ procreat in nomen fratris sui, qui absque liberis excesserit è vita (nam quia nondum certa & indubitata resurrectionis spes eorum animis penitùs insidebat, idcirco futuram resurrectionis promissionem in hac mortali & caduca resurrectionis specie, imitatione quadam adumbrârunt, quo nomen eius qui vitam cum morte commutauerat, nõ prorsus ex omni memoria deleretur) & quoniam etiam illorũ qui in ista genealogia introducuntur, alij verè & ingenuè successerunt, vt filius patri: alij ab alijs procreati, aliorum nomen adepti sunt: idcirco vtrorumque fit mentio, & illorum qui verè genuerunt, & horum, qui quodammodo eos genuisse dicuntur: & ob eam causam neutrum ex Euangelijs est ementitum, cùm alterum naturam, alterum legem percenseat. Genera enim, tum quæ à Salomone, tum quæ à Nathã ducta sunt, in sobole suscitanda pro his qui liberis caruerunt (quod quidem secundis nuptijs & renouatione seminis fit) ita confunduntur, vt non sine causa ijdem liberi interdum diuersorum patrum putentur: tum horum qui opinione, tum illorum qui verè patres extiterũt. Ita efficitur, vt vtraque genealogiæ declaratio, re ipsa & propriè verà cũ sit, licet varia quidem & diuersa, accurata tamen & exquisita ratione gradatim descendat. Verùm vt, quod oratione proposueram, planius fiat & apertius, ipsam generum & familiarum seriem persequar. A` Dauide per Salomonem dum Matthæus generationes numerat, tertius à fine reperitur Matthan, qui genuit Iacob, patrẽ Ioseph. A` Nathan autem per Dauid, vt Lucas numerat, similiter tertius à fine inuenitur Melchi: cuius filius erat Heli, pater Ioseph. Ioseph enim filius

Generum & familiarum series.

Alius fuit Heli, qui ex Melchi prognatus fuerat. Cũ igitur Ioseph nobis sit propositus, quẽ „ inuestigemus: explicandum videtur, quo pacto & Iacob & Heli suum genus, alter ex Sa„ lomone, alter ex Nathan deducens, vterque illius pater esse dicatur. Ac primùm, qua ra„ tione isti duo Iacob & Heli probentur fratres fuisse: deinde, quomodo istorum patres „ Matthan & Melchi (qui diuerso orti sunt genere) aui Ioseph ostendantur. Sic igitur res „ se habet. Matthan & Melchi vicissim eandem duxerunt vxorem, & fratres ex eodem v- *Matthan. Melchi.* „ tero progenuerunt: cùm lex minimè obstaret, quo minus vidua, vel libello repudij di„ missa, vel viri morte vinculis matrimonij soluta, alteri nuberet. Ab Estha quidem (hoc *Estha.* „ enim nomine fuisse mulier illa traditur) primus Matthan, qui à Salomone duce- *Iacob. Heli.* „ bat genus, suscepit Iacob. Ac simulatque Matthan è vita migrauit, Melchi, originem ge„ neris sui ad Nathan vsque referens (cùm ex eadem quidem tribu, sed ex diuerso genere „ ortus esset) istam, vt suprà diximus, viduam duxit vxorem: ex qua filium Heli procrea„ uit. Ita factum est, vt Iacob & Heli ex diuersis generibus satos, vterinos quidem fratres „ reperiamus. Quorum alter, nempe Iacob, vbi frater ipsius Heli absq; prole occubuerat, „ vxorem eius in matrimonium assumens, ex illa Ioseph, & natura & ratione sibi filium, „ tertium produxit. Quapropter scriptum est: Iacob genuit Ioseph, qui secundum legem „ filius erat Heli. Nam cùm Iacob frater esset illius, ei semen suscitauit. Quocirca neq; hęc „ quæ de eo apud Matthæum euangelista citatur genealogia, Iacob genuit Ioseph: neq; „ rursus illa, quę apud Lucam est, Iesus qui, vt putabatur, (nam hoc etiam addit) filius fuit „ Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi, inanis irritáue existimari debet. Atque ista generã„ di ratio quæ ex lege ducta est, non poterat significantius, aut magis propriè exprimi. Id„ circo istud vocabulum, Genuit, in tali liberorum procreandorum ratione, dum fami„ lias ad Adam vsque, qui à Deo creatus est, gradatim ascendendo repetit, ad finem vsque „ silentio omnino præterijt. Neque certè hoc à nobis sine causa & ratione probabili, neq; „ nostro ingenio subitò iam & ex tempore excogitatum est. Nam qui Seruatori nostro se „ cundum carnem cognati sunt, vel stirpis suæ insigniter illustrandæ, vel historiæ simpli„ citer docendæ studio inducti, etiam ista nobis verè tradũt: Latrones Idumæos, irruptio„ ne facta in ciuitatem quandam Palæstinæ, nomine Ascalonem, & Apollinis delubro, B quod erat in vrbis mœnibus collocatum) Antipatrum Herodis cuiusdam Aeditui † fi- *Antipater quomodo Palæstinæ curator designatus*

† Vide annot. græcas pag. 5. lat. 2. li. 34.

lium, cum alijs spolijs captiuum abduxisse. Ac cùm pro filio redimendo sacerdos precium persoluere non posset, Antipatrum Idumæorum moribus & institutis educatũ, paulò pòst cum Hircano Iudææ summo sacerdote familiaritatem conflasse: eumque cùm pro Hircano legationem ad Pompeium obiret, & illi regnum ab Aristobulo fratre ereptum, liberum & integrum restituisset, Palæstinæ curatorem designatum, in magna prosperitate vitam degisse. Antipatro autem, qui propter inuidiam, prosperum & fortunatum suarum rerum cursum comitãtem, ex insidijs è medio tollebatur, Herodẽ eius filium successisse: & postea ab Antonio & Augusto, ex Senatus decreto ad regnum Iudæorum capessendum delectum esse. Eiusque filios fuisse, Herodem, & alios principes, qui Tetrarchæ appellabantur. Hæc quidem communia videntur cum illis, quæ sunt in Gentilium historijs memoriæ prodita. Porrò autem, cum familiæ non Hebræorum solùm, verumetiam eorum, qui vsque ad Proselytos genus suum referebant (vt ad Achior Amanitem, & Ruth Moabitidem, qui ex Aegypto elapsi, commiscebantur cum Israelitis) ad illud tempus scriptis proditæ, in tabularijs reseruarentur: Herodes, quoniã illorum stirpem nihil ad se pertinere, nihilque ad suam dignitatem illustrandam afferre adiumenti animaduertebat, suæ ignobilitatis & obscuri generis conscientia exagitatus, Annales illos de generum & familiarum antiquitate incendit: arbitratus se nobilẽ visum iri, cùm nemo suum genus ex publicis illis monumentis depromptũ, ad Patriarchas, vel ad proselytos, vel ad eos qui [a] ῥεῶραι (id est, terræ incolæ, qui cum Israelitis permiscebantur) vocati sunt, omninò posset reducere. Erant tamen nonnulli antiquitatis replicandæ studiosi, qui nomina auitæ stirpis vel tenentes memoria, vel ex scriptis Antenalibus promentes, priuatim sibi indices eorum conficiebant: magnopereque propter ea gloriabantur, quòd ipsorum nobilitas ita foret ad posteritatem reseruata. Inter quos erãt hi, tum qui propter generis cognationem, qua Christo Seruatori coniungebantur, δεσπόσυνοι, hoc est, ex Domini tribu & familia orti, nuncupati sunt: tum qui ex Nazaris & Cochaba Iudæorum pagis prognati, in reliquas Iudęæ partes commearunt: istamque genealogiam à nobis suprà commemoratam partim ex libro Annalium siue Dierum sumentes, partim complectentes memoria, apertè quoad poterant explanarunt. Siue igitur ita se res habet, siue secus, nemo (cùm vt ipse iudico, tum vt quisque æquus rerum æstimator censuerit) planiorem reuerà inuenire poterit explicationẽ. Atq; hæc ipsa licet nullo comprobetur testimonio, à nobis tamen minimè reijciatur, cùm meliorem aut veriorem

Annales familiarum ab Herode cremati: & quomodo eorum defectui consultum sit.

a ῥεῶραι.

Hæc ex Aphricano, vt testatur Nicephor. cap. 11. lib. 1. apud quẽ ipsa verba Aphricani vide.

δεσπόσυνοι. vide annot. nostras græcas ad calcem huius operis pag. 7. lat. 1. lin. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

veriorem neutiquam proferre queamus. At dubium non est, quin Euangelium omnino uerè loquatur. In extrema etiam illa epistola, ista annectit: Matthã à Salomone prognatus genuit Iacob. Quo mortuo, Melchi à stirpe Nathan profectus, ab ea quæ vxor erat Mathan, procreauit Heli. Vterini ergo fratres erant Heli & Iacob. Heli absq; prole occumbente, Iacob illi semen suscitauit, & genuit Ioseph: qui natura filius eius erat, lege verò, Heli. Ita vtriusq; filius erat Ioseph. Hæc Aphricanus. Porrò autem, cum genealogia Ioseph hoc modo deducatur, constat Mariam verè ex eadem tribu ortam. Siquidem à Moyse lege sancitum erat, non licere diuersas tribus inter se matrimonium iungere. Præcipitur enim, vt vni eorum qui sunt ex eadem tribu & familia, mulier quæque nubat, ne hæreditas generis à tribu in tribum transferatur. Verùm de his ista quidem hoc modo.

Ioseph, et Iacob, et Heli F.

Num. 36.

Tribuum confusio vetita.

De Herodis in filios insidijs, & quem vitæ exitum habuerit.

CAPVT VIII.



Imulatq; verò Christus temporibus suprà demonstratis, conuenienter Prophetarum prædictionibus in Bethleem Iudææ natus erat, Herodes ob interrogationem Magorum ex Oriente eò aduentantium, qui sciscitabantur vbi nasceretur rex Iudæorum (stellam enim illius se vidisse dixerunt, hancq; causam fuisse tanti & tam prolixi itineris, tantaque cum celeritate confecti, quod vti Deum in lucem iam editum sanctè & reuerentur adorarent, suscepissent) Herodes inquam, non parum ob eam rem animo perturbatus A (quippè illius regnum, sicut ipse putabat, iam in magnum veniebat periculum) quærebat ab illis qui in ea gente legis doctores nominati sunt, vbinam Christum natum fore expectarent? Vt autem Micheæ Prophetiam, quæ illum in Bethleem natum fore prædixerat, agnouit, vno edicto omnes pueros adhuc vberum lac sugentes, non in Bethleem solùm, sed in vniuersis eius finibus, à bimatu & infrà, secundũ tempus quo accuratè fuisset à Magis scisciatus, neci dari mandat: omninò enim Iesum eiusdem cum æqualibus calamitatis (vt erat verisimile) participem fore arbitrabatur. Cæterùm puer à parẽtibus, per angeli visionem, quid esset futurum præscientibus, in Aegyptũ deportatus, insidias illius præuertit. † Ista B etiam sacra Euangelij doctrina perspicuè commonstrat. Verùm deincèps, quæ merces crudele Herodis facinus contra Christum, & pueros eius æquales admissum subsecuta sit: & quo pacto statim pòst, nulla vel minima quidem dilatione interposita, diuina vltio illum, dum adhuc in vita manebat, exagitauerit, & quasi procœmia rerum ei post discessum è vita obuenturarum euidenter ostenderit, operæ precium est intelligere. Qua autem ratione prosperum & florentẽ regni sui statum, quo se tum frui putabat, domesticis calamitatibus, quarum aliæ ex alijs ortæ sunt, ipse obscurauerit, dum vxorem & liberos, dumq; reliquos quibus cum propter propinquitatem generis & amoris coniunctionem maxima ei intercessit necessitudo, nefaria cæde afficeret, in præsentia commodè oratione explicare non possumus: præsertim cum istarum rerum argumentum omnem illam crudelitatem, quæ à Poëtis in Tragœdijs describi solet, longè superet. Quod quidem si quis scire desiderat, legat Iosephi historiam, qui idem vberrimè plenissimeq; persequitur. Cæterùm quo modo statim post insidias Seruatori nostro & alijs infantibus factas, cœlitùs inuecta plaga illum ad extremum vsque spiritum afflictârit, non erit alienum vocibus auctorijs ad verbum citatis attentè auscultare: qui quidem in decimo-septimo Iudaicæ antiquitatis libro, vitæ illius exitum accuratè scribit ad hunc modum. Herodem acerbior indies excruciabat morbus, dum Deus „ p nefarijs sceleribus, quibus „ se contaminauerat in vita, graue de eo supplicium sumeret. Ardor erat aliquãto lentior „ ac remissior, qui non tantum feruores illos, qui eum manibus contrectabant, exeruit ex- „ trinsecus, quantum cruciatus intestinis eius & visceribus inussit. Nihil planè erat, quod „

Ruffi ca. 7. Magi ex Oriẽte Christum recens natum quærunt. De Magorum aduentu, vide Epiphanium tõm. 1 aduers. hæres.

Conferẽs hoc capite cap. 12. 13. 14. 15. lib. 1. Niceph. & Epiphan. cap. pen. lib. 1. tõ. 1.

Egesippũ lib. 1. c. 44.

Matth. 2.

Pueros necari iubet Herodes.

Christus Herodis manibus elapsus in Aegyptum se confert.

† Ruff. ca. 8.

Herodis pœna. Ioseph. lib. 17. cap. 7 & 10. de antiquitat.

A *Sameas & Pollio Pharisæi, & Manaëmus Essenus, vt Ioseph. antiq. lib. 14. cap. 17. & lib. 15. cap. 1. & 13. commemorat, Herodi, etiamnum puero & priuato regnum Iudæorum portendi prophetarunt. Quorum vaticinium cum euentu ipso verificatum esset, illi apud Herodem ingentem gratiam, Herodes apud multos diuinitatis opinionem non mediocrem consecutus est. Mox enim sunt exorti, qui Herodem Christum esse contenderent, eum, qui Iudæis promissus erat. Malè intellecto vaticinio patriarchæ Iacob. Genes. 49. qui proinde Herodiani sunt vocati. vti testatur Epiphanius hæresi 20. contra Herodianos, quorum etiam apud Euangelistã mentio fit. Herodes igitur ob aduentum Magorum meritò sollicitus, duplici nomine puerum Iesum de medio tollendum iudicabat. Primum vt sibi posterisque suis apud Iudæos vtcumque iam animo conceptam de Regno diuinitus accepto opinionem vendicaret. Deinde vt Augusto Cæsari diligentiam suã probaret in præcidendis seditionum ac defectionum occasionibus. Hanc igitur quo magis notabilem redderet, etiam proprium filium infantem, (quem teste Philone sustulerat ex vxore tribus Dauidicæ) cum cæteris interemit. Quare audita Augustus, delectatus, melius est, inquit, Herodis porcum esse, quàm filium. Quia scilicet Iudæi porcos non mactent. Vide Macrob. libro Satur. 2. cap. 4.*

inexple-

A inexplebilem eius alimenti capessendi auiditatem omnino posset saturare. Aspera vi„ scerum vlcera, acutissima laxioris intestini tormina, humor purulentus, ac prætumore „ pellucens, qui per pedes serpebat, grauissimè illum diuexauit. Afflictatio item sumen „ occupauit non dissimilis. Quinetiam tabida membri genitalis putredo vermes proge„ nuit. Accedebat his ardua spiritus & animæ intentio, eaq; tum propter difficultatem expirandi, tum propter anhelitus crebritatem peracerba. Neruorum præterea contractio per omnia membra peruasit: quæ quidem vim & acrimoniam inflixit ei planè intolerabilem. Dicebatur igitur ab his qui diuinandi arte multum pollebant, quiq; in sapientia ac scientia rerum eiusmodi interpretandarum omne suum studium collocabant, Deũ has pœnas à rege, ob variam suam & multiplicem impietatem, expetiuisse. Ista ergo Iosephus, quem suprà dixi, in libro citato commemorat. In primo† quoq; Historiarum, siue de Iudæorum expugnatione seu captiuitate, non diuersam ab his tradit de illo sententiam. sic enim scribit: Hinc corpus eius vniuersum morbo correptum, varijs pertur„ bationum & molestiarum tormentis distrahebatur. Febris quædam tepidior, pruritus „ non ferendus, per totius cuticulæ extremitatem pererrans, laxioris intestini continua „ cruciamenta, inflatus pedum tumor instar hydropici, ardens suminis æstus illum exa„ gitauit. Putrida membri virilis sanies vermiculos ex se edidit. Adde his crebritatẽ hali„ tus, & spirandi difficultatem, neruorum contractiones per omnia membra peruadẽtes: „ ita vt vates & arioli istos morborum stimulos, quibus sic perfodiebatur, pœnã pro ma„ leficijs suis cœlitùs irrogatam assererent. At ille, licet cùm eiusmodi cruciatibus luctaretur, adhuc tamen vitæ teneri cupiditate, spem salutis animo capere, de curatione deniq; cogitare cœpit. Itaq; traiecto Iordane balneis, q̃ prope Callirrhoẽ sita sunt (ista quã„ quam in lacum Asphaltitim delabuntur, sunt tamen præ dulcedine ad bibendum valdè „ accommodata) vti cœpit. Ibi medicis visum est, vt tepido oleo totum corpus foueret: quo quidem in solium plenum olei sensim demisso, oculi præ imbecillitate ei deficere, & more hominis iamiam morituri reuolui videbantur. * Tandem seruorum† strepitu, quos circa se tumultuantes habebat, excitatus, tametsi aliquantum respirauit, de cætero tamen in vitæ & salutis suæ desperationem venit: ac propterea singulis militibus quinquaginta drachmas distribui, ducibus etiam & amicis grandem pecuniæ summam „ dispertiri mandauit. Ad extremum inde reuersus, Hiericho se contulit: ac iam insana B quadam bile & furore incensus, etiam morti ipsi penè interminatus est, inq; cogitatio„ nem nefandi cuiusdam sceleris edendi impetu præceps ruit. Nam ex singulis vicis, viros „ insignes & totius Iudææ facilè principes simul coactos, in locum quendam qui Hippo„ dromus appellabatur, concludi iussit. Accersitis tandem ad se Salome sorore, & viro „ illius † Alexandro: Noui, inquit, Iudæos de mea morte præ nimia quadam lætitia tri„ umphos & festos dies celebraturos: verùm per alios quosdam perfacilè possum efficere „ (modò vos iussa mea exequi volueritis) vt non solũ lachrymis & mœrore deflear mag„ nopere, verumetiam funus splendidum & insigne assequar: viros illos, quos in custodia „ seruandos imperaui, simul ac ego animam efflaro, absq; mora militibus vndiq; circum„ iectis interficite: vt cùm vniuersa Iudæa, tum singulæ ædes, etiam inuitæ meam mortẽ „ acerbè lugeant. Atq; idem author paulò pòst subiungit: Rursus partim inedia & cibi a„ uiditate, partim ardua & anhela tussi ita distinebatur, vt dolorum magnitudine supe„ ratus, fati tempus anteuertere in animum induceret. Pomo igitur primùm in manum „ arrepto (consueuit enim id generis fructum, extremo putamine amputato, libenter cõ„ edere) poscebat & cultrum: deinde oculis vndiq; circumspiciens, ne quis sibi in eo faci„ nore esset impedimento, dexteram quasi iam seipsum confossurus leuabat. Idem scriptor præterea narrat, illum ante extremũ vitæ suæ exitum, alterum filium suum ingenuum è medio sustulisse: ac duobus illis, quos antea interemisset, eum iam tertiũ adiecisse. Exiguo autem temporis momento interposito, non absq; maximo dolore & afflictatione stamina vitæ abrupisse. Atq; hoc exitu vita Herodis concluſa est: qui quidem pro pueris, quos in confinijs Bethleem nefariè & crudeliter (vti Seruatori nostro vitam per insidias adimeret) enecauisset, debita persoluit supplicia. * Post cuius interitum, angelus Domini Ioseph adhuc in Aegypto commoranti, secundum quietem astans, mandauit, vt arrepto puero vnà cum matre, in Iudæam rediret. Quippe illos qui animã „ pueri tollere quærebant, è vita cessisse significauit. Istis porrò Euangelista etiam illa ad„ nectit, his ferè verbis: Cum audiret Archelaum pro Herode patre suo, regno Iu„ dææ potitum, illuc proficisci admodum extimuit. Responso igitur in somno accepto, in partes Galilææ recessit.

† Vide annotat. pag. 7. lat. 2. lin. 30.

Ioseph. lib. 1. de Capt. cap. 21.

Callirrhoẽ, fons calidus, de quo vide Plin. lib. 5. ca. 16. Sunt etiã Balnea Asphaltidis lacus.

† Vide castigat. siue annot. nostras pagin. 8. lat. 1. lin. 1.

** Ruff. cap. 9.*

Herodis iam morituri scelus.

† Alexa, legit Iosephus. Vide annot nostras pag. 8. lat. 1. lin. 7.

Libro Antiq. 17. cap. 9. Vide de subrogato eius filio Antipatro.

Herodis mors. Vide Niceph. cap. 15.

** Ruffi. c. 10. Matth. 2. Ex Aegypto puer Iesus cum parentibus reuocatur.*

De Pilati temporibus. CAPVT IX.

Tiberius Imp. anno Christi. 15.

Ioseph. de Capt. lib. 3. cap. 89. Idem lib. 17. cap. 10. 13. & 15. Antiq

ARchelaum ad regnum Iudææ post mortem Herodis delectum fuisse, testatur etiam historicus ille, quem suprà demonstrauimus: modūq; concinnè perscribit, quo tùm ex Herodis patris testamento, tum rata Cæsaris Augusti decisione in illud regnum & præfecturam successerit, atq; adeò qua ratione, cum post decem annorum spacium esset eo munere abdicatus, fratres eius Philippus & Herodes iunior, simul cum Lisania, suas ipsorum tetrarchias, id est quadripartitas Iudææ præfecturas obtinuerint.* † Idemq; scriptor in decimooctauo Antiquitatis libro, anno regni Tiberij duodecimo (hunc enim in totius reip. rectionē, cùm iam Augustus septem & quinquaginta annis imperium administrasset, suffectum esse constat) Pontium Pilatum Iudææ regnum obtinuisse: atque eundem decem annos continuos, ad Tiberij ferè occasum, ibidem commoratum enarrat. Quocirca commentum eorum, qui heri prope & nudius tertius commentarios contra Seruatorem nostrum ediderunt, perspicuè refutatur: in quibus primò omnium temporis ipsius ratio falsò ab illis obseruata, mendacium eorum qui talia commenti sunt, euidenter & apertè coarguit. Nā ad quartum consulatum Tiberij Cæsaris, qui fuit anno eius regni septimo, facinora à Iudæis in salutari Seruatoris passione admissa fuisse, isti Commentarij complectuntur. Quo quidem tempore satis liquet, Pilatum nondum ad Iudææ præfecturam gerendum aduentasse: si Iosephi testimonio fidem adhibere velimus, qui in libro eius suprà posito, sic planè declarat, Pilatum à Tiberio, anno regni eius duodecimo, Iudææ præfectum fuisse designatum.

*Ruff. ca. 11. Cap. 5.

† Vide annot. pag. 8. lat. 1. lin. 30.

Lactan. lib. 4. prope finem. Plin. lib. 5. cap. 18. Famosum aduersus saluatorem commentum ex temporum ratione conuincitur: de hoc vide infra cap. 4. lib. 9.

De principibus sacerdotum apud Iudæos, sub quibus Christus doctrinam suam publicauit. CAPVT X.

Ioseph. de Capt. lib. 2. cap. 4.

IOdem tempore, vt scribit Euangelista, cum iam Tiberius Cæsar decimum quintum imperij sui annum, & Pontius Pilatus quartum suę præfecturæ ageret, reliquaq; Iudæa ab Herode, Lysania & Philippo tetrarchis regeretur, seruator & Dominus noster Iesus Christus, id est vnctus Dei, quando iam trigesimum ætatis suæ annum agere incipiebat, ad Ioannem, vt lauacro baptismatis tingeretur, se contulit: eodemq; tempore prædicandi Euangelij fecit initium.* Iam verò sacra Scriptura asserit, cum omne tempus doctrinæ & prædicationis suæ sub Anna & Caipha, principibus sacerdotum, confecisse. quo argumento ostendere vult, vniuersū tempus, quo salutarem Euangelij cognitionem quibusque clemens enunciarit, eo annorum spatio, quod inter horum ministerium intercedebat, omninò fuisse expletum: quādoquidem hoc ipsum prædicandi munus ordiebatur, Anna summo sacerdotio fungēte: idemq; ad Caiphæ procurationem continuabat. Quod quidem temporis spacium vix integrum quadriennium efficit. Nam cum post illud tempus legis instituta iam quodammodo deleta essent, deleta est vnà summorum sacerdotum successio: quiquidem propter maiorum genus & stirpem, in illud summi sacerdotij munus succedere, & totum vitæ suæ cursum in eo obeundo terere consueuerunt. Cumq; etiam ea quæ ad verum Dei cultum spectabant, nullo ordine administrarentur, sed à præfectis, qui pop. Rom. auctoritate delecti Iudææ præerāt, modò hic, modò ille ad summi sacerdotij functionem designaretur, non amplius vno anno vnus eo deinceps ministerio perfunctus est. Narrat porrò Iosephus, quatuor summos sacerdotes ordine alterum alteri succedentes, inter Annam & Caipham interfuisse: vt est in libro suo qui de Antiquitate inscribitur. sic enim refert: Valerius Gratus, Annæ summi sacerdotij munere adempto, Ismaelem, filium Baphi, summum sacerdotem designat. Ac non longo tempore pòst, illo ipso de hoc dignitatis gradu deiecto, Eleazarum filium Annæ, qui princeps sacerdotum anteà fuerat, summum sacerdotem declarat. Anno item interiecto, cum istum eo abdicasset officio, Simonem filium Camithi, illo summi sacerdotij honore donauit. Atq; non amplius vnius anni spatio huic illud amplitudinis munus exequenti, Iosephº, qui etiam Caiphas nominatus est, successor extitit. Perspicuum est igitur, vniuersum tempus, quo Seruator noster sacrosanctam suam & Euangelicā doctrinam in finibº Iudææ disseminauerit, nō quatuor omnino annos integros complexum esse: qua quidem tēporis intercapedine, quatuor summos sacerdotes ab Anna vsq; ad designatū Caiphā, annuū ministeriū obijsse cōstat. Caipham item anni illius, quo Seruator noster pro salute vniuersi generis humani mortē in cruce perpessus sit, summū reuera sacerdotē fuisse, sacra

Cum hoc cap. conser Niceph. cap. 18. & 29. lib. 1.

Christi baptismus.

Euangelij prædicandi initium.

Successio Pontificum Iudaicorum sub Romanis.

Antiq. lib. 18. cap. 3.

Catalogus pōtificum, sub quibus Christus prædicauit.

Euangelij à Christo ipso prædicati tēpus.

A sacra & diuina Euangelij eloquia docent. Vnde tempus quo Christi doctrina diuulgata est, ab illa obseruatione quam supra adnotauimus, nulla ex parte dissidere, satis liquidò constat. Huc adde, quòd Seruator & Dominus noster Iesus Christus, non longè post exorsum prædicationis suæ, duodecim Apostolos ad se asciuit: quos solos inter reliquos suos discipulos, propter eximiam & singularem quādam honoris amplitudinem, Apostolos nūcupauit. Et iterum alios septuaginta designauit, quos binos & binos ante faciē suam in omnem locum & ciuitatem, quò ille esset venturus, dimisit.

Ioan. 18.

Apostolorum 12. electio

Matth. 10. Luc. 10. Septuaginta discipulorum electio.

Testimonia de Ioanne Baptista, & Christo. CAPVT XI.

Huc refer Niceph. cap. 19. 20. lib. 1.

ITem Ioannis Baptistæ (cuius caput haud diu pòst Herodes Iunior ceruicibus abscidit) sacrosancta Euangeliorū monumenta etiā mentionē faciunt. Accedit etiā Iosephus locuples testis, qui nō modò nominatim Herodiadis meminit: verùm etiā ostendit, quo pacto eam Herodes, cū fratris vxor esset, priore sua & legitima cōiuge repudiata, in matrimoniū duxerit. Illa autē prior filia fuit Aretæ, † regis Arabiæ Petreæ. Hāc, Herodiadē dico, viro suo adhuc superstiti ademit: cuius causa etiā obtruncauit Ioannem. Ac cùm filiā Aretæ dedecore & ignominia affecisset, bellum etiam cōtra eundem suscepit. in quo quidē cum ad manus ventum esset, & graiter confligi cœptum, omnem Herodis exercitum prostratum concidisse: atque Herodem ob insidias, quibus ex occulto Ioannem è medio sustulerat, in istas vniuersas calamitates incurrisse declarat. Quinetiam idem auctor Ioānem Baptistam, inter eos qui iusticiæ & probitatis causa summum fuissent honorem cōsecuti, facilè primas obtinuisse fatetur: atque adeò cum his quæ de illo in sacrosanctis Euangelijs tradita sunt, magnopere consentit. Narrat præterea, Herodem propter ipsam Herodiadem regno excidisse: qua cum etiam eundem in exilium eiectū, hocq; multatum supplicio, Viennam ciuitatem Galliæ deinceps incoluisse.

Ruff. ca. 13.

Ioseph. lib. 18. cap. 7. Antiq.

† Vide annot. pag. 8. lat. 2. lin. 36.

Ioannes Baptista.

Herodis ob Herodiadem exilium.

Ioseph. Antiq. lib. 18. cap. 7.

Atq; ista ab illo, in decimo octauo Antiquitatis libro traduntur: vbi item hæc quæ sequuntur, de Ioanne ad verbum conscribit. Nonnullis ex Iudæis opinio fuit, Herodis
B exercitum tam perditè profligatum peremptumq; esse diuina vltione, propter pœnam
„ Ioanni (qui appellabatur Baptista) inflictam, meritissimò de illo supplicium sumente.
„ Herodes enim hunc neci dabat, qui & vir bonus fuit: & Iudæos hortatus est, vt, tum vir-
„ tutem excolerent, tum ea vitæ officia quæ sunt iusticiæ erga se mutuò, & pietatis erga
„ Deum sedulò obeuntes ad baptismum recipiendum accederent. sic namque lauacrum
„ baptismatis Deo acceptum videri, cum eo non ad vllas peccatorum sordes eluendas
„ (quippè anima iusticiæ adiumento antea penitus erat omni vitiorum labe purgata) sed
„ adcorporis mundiciam vterentur. Atque vbi non pauci ad eum confluerent (permag-
„ nam enim ex eius sermone audiendo cepêre voluptatem) Herodes nonnihil veritus,
„ ne illius persuasio eò procederet, vt homines inde ad defectionem impellerentur (om-
„ nia enim videbantur de consilio Ioannis facturi multo) satius putabat eum antè morte
„ occupare, quàm vel aliquid noui ab illo ederetur: vel facta rerum mutatione, in cala-
„ mitates delapsus, serò sapere perdisceret. Hic igitur propter istam suspicionem Hero-
„ dis animo iniectam vinculis constrictus, & in arcem Macheruntem, quam suprà me-
„ morauimus, deductus, istud præterea supplicij genus perpessus est. Quæ quidem cum de
„ Ioanne exposuerit Iosephus, etiam Seruatoris nostri in eadem historia his verbis men-
„ tionem facit:* Erat eodem tempore Iesus quidam, vir sapiens (si virum illum dicere fas
„ sit) operum planè admirabilium effector, hominumq; qui libentibus animis veritatem
„ amplecti vellent magister ac doctor. Qui vt Iudæos permultos, ita Græcos non paucio-
„ res ad fidei suę professionem traduxit: isteq; erat Christus. At cum Pilatus [a] primorum
„ hominum delatione hunc apud nos crucis supplicio addixisset, hi qui eum primò dile-
„ xerunt, non aliquando amorem erga illum deposuerunt. Idcirco illis tertio die, vita
„ resumpta, denuò apparuit, secundum oracula diuinorum prophetarum: qui non ista
„ solùm, sed alia infinita, quæ sunt valdè admiranda, de eo prædixerant. Quin ad hanc
„ nostram ætatem genus illud hominum (qui ab illo nomen ducentes [b] Christiani appel-
„ lati sunt) continuatum permansit.

Ioan. Baptistæ ab Herode necati causa. Vide Matth. 14. Mar. 6. Luc. 9.

Ruffinus cap. 14. Iosephi. de Christo testimonium. eodem lib. 18. cap. 4. Anti.

a Primores isti, quales fuerint Matth. graphicè describit cap. 23. 26.

b Christiani.

Quare cum Iosephus, scriptor antiqua Hebræorum stirpe prognatus, ista de Ioanne Baptista & Seruatore nostro, historiæ suæ monumentis complexus sit: quod quæso effugium reliquum est illis, qui falsos commentarios contra istos confinxerunt, quò minus tanquam impudentes perspicuè coarguantur? Sed hæc hactenus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Seruatoris nostri discipulis. CAPVT XII.

LXX. discipuli, præter XII. Apostolos, à Christo delecti, de 70. discipulis Vide Prochorū, & Niceph. in Symphonia ad S. Script. a Barnabas. b Sosthenes. c Cephas. Galat. 2. d Matthias. e Thaddæus. Num. 1.

Discipuli Christi plures quàm LXX. 1. Cor. 15. Iacobus.

OMen verò cuiusq; Apostoli Seruatoris, satis ex Euangeliorum testimonijs cuique planum fit: verùm nullus septuaginta discipulorum catalogus vspiam refertur. Dicitur tamē[a] Barnabas vnus ex illis fuisse, cuius tum in libro qui Acta Apostolorum inscribitur, persæpè mentio fit: tum à Paulo præterea, in epistola scripta ad Galatas. Ex quorum numero [b] Sosthenem etiam fuisse ferūt, qui cum Paulo epistolam ad Corinthios scriptā misit, sic namq; scribitur apud Clemētem in quinto libro ὑποτυπώσεων. in quo etiam [c] Cepham nominat, de quo itē Paulus sic loquitur: Quando venit Cephas Antiochiam, illi in faciem restiti, quia reprehensus erat. vnum ait ex septuaginta discipulis Petri apostoli gentilem extitisse.[d] Matthiam porrò, qui erat pro Iuda proditore in numerum Apostolorum ascriptus, & illum qui pari suffragio ad apostolatum petendum dignus putabatur, vnum ex septuaginta discipulis appellatum, constans fama est. Quinetiā [e] Thaddæum, qui ex mandato Iesu seruatoris ad † Abgarum curandum missus est, vnum ex illis fuisse prædicant. de quo quidem historiam, quæ ad nos peruenerit, non multò pòst exponam. Atq; si placet obseruationem notare, plures quàm septuaginta discipulos Seruatoris nostri extitisse facilè reperies, etiam vel Pauli solùm vsus testimonio: qui affirmat, illum, postquam à mortuis resurrexisset, apparuisse primùm Cephæ, deinde duodecim, postea plusquam quingentis fratribus simul. ex quibus nonnullos mortem obijsse: plures adhuc in vita, quo tempore ista contexuit, mansisse asserit. Deinceps visum esse Iacobo. Tunc autem non modò vnum ex his qui in discipulorum numero habebantur, verùm etiam ex illis qui sunt fratres Domini nuncupati, extitisse constat. Pòst verò, quasi complures præter istos fuissent, qui ad duodecim similitudinem & exemplum nominabantur Apostoli (qualem Paulum fuisse accepimus) adiungit: Deinde visus est omnibus Apostolis. Verùm de his satis multa.

A Cum hoc cap. confer Niceph. cap. 21. &c. omnia sequentia ad finem vsq; lib. 1.

† vide an. pag. 9. lat. 2. lin. ..

B

Historia de principe Edessenorum. CAPVT XIII.

Christi diuinitate etiam alienigenæ attracti.

ISToria autem quæ de Thaddæo traditur, ita se habet. Admiranda Domini & seruatoris nostri Iesu Christi diuinitas, propter incredibilem suam vim & potentiam in omnes homines crebris sermonibus peruagata, infinitos propè cùm ex longinquis regionibus, tum ex ipsa Iudæa, ob spem ipsorum animis de curatione morborum & variarum cuiusq; generis perturbationum, quibus vexabantur, iniectam, ad se attraxit. Atq; hac de caussa Abgarus rex, qui gentibus propè Euphratem incolentibus præstantissimè & summa cum laude præfuit, vbi esset graui morbo, & insanabili illo quidem (quantum in hominum facultate & curandi vi situm erat) penè corpore labefactatus, celebreq; nomen Iesu, & diuinas eius virtutes constanter ab omnibus testatas accepisset, epistola ad eum per internūcium missa, supplex orauit, vt morbo, quo cruciabatur, penitus liberaretur. Iesus verò licet illi, ipsius auxilium tum imploranti, minimè obsequeretur, literas tamen separatim ad eum scriptas dare non grauatus est: in quibus se vnum ex suis discipulis, qui morbo mederetur, eò missurum, & salutem non ei solùm, sed etiam suis omnibus præstiturum, benignus promisit. Neq; certè longo temporis spatio interposito, ista promissa erant illi cumulatè perfecta Nam vbi Seruator excitatus à mortuis in cœlum ascenderat, Thomas, vnus ex duodecim Apostolis diuino quodam impulsu commotus, Thaddæum fratrem, qui erat in numerū septuaginta discipulorum Christi ascriptus, prædicatorem & Euangelistam doctrinæ Christi ad Edessam vsq; misit. Ac per ipsum, Seruatoris nostri promissa exitum suum sunt plenè consecuta. Quarum rerum insigne & locuples testimonium ex tabulario Edesse ciuitatis, id temporis à rege gubernatæ, depromptum habes. Nam in tabulis publicis, quę nedum veteres, sed recentes etiam res nuper ab Abgaro gestas cōtinebant, hæc eadem ad hanc nostrā ætatem reseruata reperiuntur. Quare nihil cōmodius esse putaui, quàm ipsas epistolas à veteribus illis annalibus petitas, atq; adeò ad verbum ex lingua Syriaca in Græcam conuersas, hoc loco citare: quæ ita se habent:

Cum hoc cap. confer Niceph. cap. 7. lib. 2. & Euagrij infra lib. 4. cap. 26.

Abgarus Edessenorum princeps.

Thomas apostolus.

† *Abgarus, Princeps Edessæ, Iesu Seruatori propitio qui in confinijs Hierusalem in carne apparuerit, Salutem.*

† Vide an. notat pag. 9. lat. 2. lin. 33.

Abgari ad Christum epistola.

INsignes illas virtutes, & curationes quæ abs te sine medicamentis, & sine herbis factæ sunt, auditione accepi. cæcos enim, vt fama est, videre efficis, claudos ambulare: & leprosos mundas, spiritus immundos & dæmones eijcis: eos etiam qui diuturnis morbis

pressi

A pressi sunt sanas, mortuos denique ad vitam reuocas. Quæ quidem cum de te audiuis-
„ sem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam: te aut Deum esse, & è cœli fastigio
„ delapsum: aut Dei filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula. Quapropter hæc
„ ad te scripsi, magnoperè precatus, vt laborem ad me accedendi suscipere, huncque quo
„ crucior morbū curare non graueris. Etenim Iudæos audio tibi obstrepere maleuolè, &
„ velle libenter te aliquo magno malo afficere: est mihi ciuitas perexigua quidem, sed or-
„ nata sanè & illustris, quæ vtrisque nostrūm rerum necessariarum suppeditabit satis.
Ista, diuino splendore ei tum paululum elucente, ad Iesum hoc modo perscripsit. Operæ precium est porrò epistolam, licet breuem, plenam tamen virtutis & efficacitatis, audire, quæ per eundem tabellarium à Iesu ad illum missa fuit. cuius quidem hæc erat sententia.

† Vide an. not. pag. 10. lat. 1. lin. 5.

† *Rescripta Iesu ad Abgarum principem, per Ananiam cursorem missa.*

Abgare, beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidisti. De me enim scri- *Christi re. sponsum.*
ptis proditum est, Eos qui me viderunt, in me non credere: vt hi qui me non viderunt,
„ credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle vt ad te veniam: eas res,
„ quarum gratia sum missus, debeo hic necessariò obire: quas cū plenè perfecero, ad cum
„ recipi qui me misit. Quò simulac assumptus fuero, aliquem ex discipulis meis mittam
„ ad te, qui morbo quo tantopere torqueris, faciat medicinam, & vitam tibi tuisque im-
„ pertiat. Istis præterea epistolis hæc quæ sequuntur, etiam Syriaca lingua expressa, adnectebantur. Postquam Iesus assumptus fuit, Iudas, qui & Thomas dicebatur, Thad- *Iudas qui & Thomas.*
dæum apostolum, vnū ex septuaginta, ad Abgarum misit. Qui eò profectus, ad Tobiam
Tobiæ filium diuertit. Vbi verò fama de illo passim manasset, & miraculis ab eo editis
esset conspicuus, Abgaro nunciatum est, apostolum illuc à Iesu, sicut per literas antea
scripserat, aduentasse. Cœpit ergo Thaddæus per virtutem & potentiam Dei, cuiq; mor-
bo & languori medicari: sic vt omnes in magnam traduceret admirationem. Simulatq;
Abgarus magnas incredibiles q̃ res gestas, & miracula ab eo edita audiuisset, & quo pacto per nomen & virtutem Iesu Christi morbum quemq; depelleret, confestim secum
„ cogitare cœpit, illum eundem esse, de quo Iesus per epistolam ita significauerat: Post-
„ quam receptus fuero ad eum, qui misit me, quendā ex discipulis meis mittam ad te, qui
B te morbo afflictatum recreet, & ad integram valetudinē restituat. Accersito igitur To-
bia, apud quem diuersabatur, dixit: Accepi, virum quendam præpotentem Hierosolymis huc accessisse, qui domi tuæ iam commoratur, multasque in nomine Iesu facit curationes. Hic respondit: Sanè quidem, Domine. Hospes qui huc aduenit, apud me est, &
multa edit miracula. Tum ille: Adduc, inquit, eum ad me. Tobias autem rectà ad *Thaddeus Abgarum curat.*
Thaddæum se conferens, dixit illi: Abgarus, huius loci princeps, vbi me ad se acciuerat,
iussit, vt te ad ipsum deducerem, quò morbo, qui eum cruciat, curationem adhibeas. Et
Thaddæus: Eamus, inquit, quoniam ad eum reuerà missus sum. Postridiè ergo primo
mane, Tobias, assumpto secum Thaddæo, perrexit ad Abgarum. Vt autem venit, cum
iam proceres Abgari ei præstò assisterent, extēplò in ipso ingressu magnū quoddā & illustre visum in vultu Thaddæi apostoli elucere Abgaro cernebatur. Quod cum Abgarus
cōspicaretur, supplex Thaddæum adorauit. Admiratio omnes qui aderant, cōplexa est.
illi enim visum ꝙ soli Abgaro apparuit, minimè cernebant. Qui etiā à Thaddæo sciscitabatur: Túne verè discipulus es Iesu, filij Dei, qui sic mihi per literas pollicitus est: Mit-
„ tam ad te quēdam è discipulis meis, qui omnem morbi tui ægritudinē leuet, & tibi tuis-
„ que omnibus vitam largiatur? Cui Thaddæus: Quoniam, inquit, magnam fiduciam in
Domino Iesu, qui misit me ad te, collocasti: ob eam caussam ad te iam missus sum. Et
rursus: Si fides, quam in illum contuleris, magis magisque creuerit, mentis tuæ postulata tibi, vt credideris, euenient. Ad quem Abgarus: Sic, inquit, in illum credidi, vt vellem maximè Iudæos, qui eum cruci affixerunt, exercitu ad eam rem collecto, prorsus è
medio tollere, si Romanorum imperium non esset meo instituto impedimento. Et
Thaddæus: Dominus noster, inquit, & Deus Iesus Christus, voluntatem sui patris expleuit. Quod vbi ab illo factum fuit, ad patrem denuò assumptus est. Cui Abgarus: Et ego,
inquit, in illū credidi, & in patrem eius. Tum Thaddæus: Propterea, inquit, in nomine
ipsius Domini Iesu manum super te pono. Quod vbi fecerat, eueſtigiò morbo & calamitate, qua diuexabatur, releuatus est. Abgarus igitur magnopere est propterea miratus, quòd sicut de Iesu auribus acceperat: sic per discipulum eius & apostolum Thaddæum, qui illum absque medicamentis & herbis integræ valetudini restituisset, reipsa
comperiebat. Atque non modò hunc, sed Abdum etiam, filium Abdi, podagræ dolori- *Abdus à podagra liberatus.*
bus oppressum, ad pristinam valetudinem reduxit. Qui cum Thaddæum adiret, abiecit
se ad pedes illius: cuius manum cum corpori suo haberet impositam, quod ei in optatis

Universidad de Deusto
Biblioteca

erat, assecutus, penitùs conualuit. Complures item alios illorum conciues, idem Apostolus ex morborum molestijs eripuit: magnas res gessit, & cum primis admirabiles: verbum Dei passim diuulgauit. Post ista Abgarus: Tu Thaddæe, inquit, virtute Dei hæc facis, nobisq; magnam excitas admirationem. Verùm deinceps de aduentu Iesu, quo pacto contigerit, & de eius potentia, & qua tandem virtute factitauerit ea quæ fama & creber hominum sermo ad nos pertulit, mihi, quæso, oratione explica. Et Thaddæus: In præsentia, inquit, silebo: sed quoniam ad verbum Dei prædicandum missus sum, cras mihi omnes ciues tuos conuoca, & inter illos palàm Dei verbum exponam, ipsumque vitæ sermonem inter eos disseminabo: atq; adeò de aduentu Iesu, qua ratione acciderit, de eius in terras missione, & cur à patre in mundum missus sit, vberius disseram. Quinetiam de virtute rerum ab illo gestarum, de mysterijs quæ in mundo locutus sit, qua vi & potentia ista transegerit, de noua & inaudita eius prædicatione, de abiectione & contemptu suijpsius, de humilitate exterioris hominis qui cuiusq; oculis patebat: quo pacto etiam seipsum deiecerit, mortem obierit, atq; adeò diuinitatem aliqua ex parte imminuere visus sit: quæ à nefarijs Iudæis perpessus, quomodo in crucem actus, qua deniq; ratione ad inferos descenderit, maceriamq;, quæ longo æui spatio integra & immota cnostitisset, diruperit†: vt surrexerit post triduũ, vt mortuos qui multis seculis obdormissent, excitauerit: quatenus etiam solus descenderit ille quidẽ, sed cum ingenti multitudine ad Patrem suum ascenderit: quo pacto ad dexteram Dei patris cum gloria in cœlis assideat, quemadmodum cum splendore & potentia ad sententiam de viuis & mortuis ferendam venturus sit, apertè explanabo. Abgarus ergo præcepit, vt prima luce ciues sui in vnum conuenirent, Thaddæum concionantem attentè audituri. Paulo pòst auro tum celato, tum rudi & informi, illum donari mandauit. At ille respuit, sic fatus: Si nostra prorsus dereliquimus, quomodo accipiemus aliena? Ista quadragesimo tertio anno post Christum natum gesta sunt. Quæ sanè non absq; fructu & vtilitate, ex Syriaca lingua ad verbum conuersa, opportunè sint in hunc locum concluſa.

Euangelica prædicationis summa.

† Vide annot. pag. 10. lat. 2. lin. 22.

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE PALESTINAE, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER SECUNDUS.

B

De Apostolorum post ascensionem Christi ordinatione. CAPVT I.

Sypradictorũ breuis anacephalæosis.

QVONIAM in superiore libro, ea quæ nobis Ecclesiasticã historiam scripturis essent tanquam in proœmio necessariò explicanda, id est, quæ ad salutaris Dei verbi diuinitatem, ad vetustatem institutorum nostram religionem attingentium, ad antiquitatem vitæ, ex Euangelij norma formatæ, quinetiam quæ ad recentem Seruatoris in mundum aduentum, ad acerbam eius afflictationem in cruce toleratam, ad Apostolorum deniq; electionem explanandum spectare videbantur, breuiter disseruimus: sequitur, vt ea quæ post illius ascensum gesta fuerint, partim sacris literis testata, partim alijs historijs (quas ex veterum monumentis, vt se offerebat occasio, adnotauimus) confirmata, in hoc libro, quem iam aggredimur, accuratè & diligenter videamus. * Primùm igitur Matthias, qui (vt suprà monstrauimus) vnus ex Domini discipulorum grege fuit, ad Apostolatum gerendum pro Iuda proditore sorte delectus est. Viri etiam numero septem, quorum vita spectata satis erat, & virtutis testimonio comprobata, precibus & manuum impositione diaconi ab Apostolis designati, vt communitatis ecclesiæ ministerio sedulò inseruirent. Ex quorum numero Stephanus, simul ac diaconus creatus fuit, primus post Christi passionem, tanquã ad hoc ipsum anteà destinatus, ab illis qui Dominum neci dedissent, lapidibus oabrutus, decessit de vita: atq; ea de caussa primus inter generosos Christi martyres στέφανον, id est coronam, nomen suum propriè & significanter exprimentem, obtinuit. Eodem ferè tempore Iacobum (qui frater † Domini propterea appellabatur, quòd erat filius Ioseph, qui pater Christi fuisse putabatur: cui Maria virgo desponsa, prius quàm conuenirent, sicut sacrosancta Euangeliorum eloquia liquidò commonstrant, grauida è Spiritu sancto inuenta est) hunc inquam Iacobum, quem veteres propter singularem virtutem, qua præter cæteros præstabat, Iusti cognomine donauerunt, primum sedem episcopalem ecclesiæ, quæ est Hierosolymis, obtinuisse memoriæ traditur. Clemens porrò in sexto libro ὑποτυπώσεων de eo scribens, sic refert: Petrum, Iacobum & Ioan-

Cum hoc Cap. confer Nicephi cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. lib. 2.

Secundi libri hypothesis.

Rerum post Christi ascensionem in ecclesia gestarũ historia.

Matthiæ electio.

Ruff. ca. 1. Actor. cap. 1.

VII. Diaconi.

Stephanus protomartyr. Actorum 6. 7. 8.

Iacobus Iustus frater Domini, primus Hierosol. episcopus.

† Vide annot. pag. 11. lat. 2. li. 39

Matth. 1.

A & Ioannem, post Seruatoris ad cælos ascensum, cùm essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum episcopum designasse. Idem etiam in septimo libro eiusdem operis, ista præterea de illo memorat: Iacobo Iusto, Ioanni & Petro, Domi nus post ascensionem suam, singularem quandam impertijt cognitionem, quã illi reliquis Apostolis tradiderunt: reliqui autem Apostoli septuaginta discipulis, ex quibus vnus erat Barnabas. Duos item Iacobos fuisse fertur: vnum cognomẽto Iustum, qui de templi fastigio præceps deiectus, fullonisque vecte cæsus occubuit: alterum, qui capite abscisso, migrauit è vita.

Iacobi duo.

Illius autem qui Iusti cognomen inuenit, Paulus etiam in Epistolis suis facit mentionem: Alium Apostolum non vidi, præter Iacobum, fratrem Domini. Sub idem tempus promissa Seruatoris nostri, quæ erant Abgaro Osroenorum regi facta, plenè expleta fuerunt. nam Thomas (quemadmodum testimonio monumenti cuiusdam illic reperti paulò antè ostendimus) diuino impulsu incitatus, Thaddæum, doctrinæ Christi prædicatorem & Euangelistam, Edessam vsque misit. Qui cùm ad illa loca aduentasset, non Abgarum solùm Christi verbo ad pristinam restituit valetudinem, sed omnes qui illam regionem incolebant, miraculorum penè incredibilium admiratione obstupefecit: qui etiam cũ illorum mentes rebus mirè à se gestis quodammodo præparasset, ad fidem & admirabilem CHRISTI potentiam virtutemque colendam traduxisset, facilè salutaris & euangelicæ doctrinæ discipulos reddidit. Ex illo tempore ad hanc vsque ætatem tota Edessenorum ciuitas, Christi nominis professioni firmè & constanter adhæsit: vtpote quæ non vulgare Seruatoris nostri erga ipsam beneficij argumentũ apud se retineat. Atque ista quidem ex veterum historijs petita sunt. Redeamus iam ad ipsas diuinas sacrasque literas. Deinceps cùm euestigio post Stephani martyrium prima, eaq; grauissima ab ipsis Iudæis contra ecclesiam Hierosolomytanam facta esset persecutio: omnesq; discipuli, exceptis solũ duodecim, per Iudæã & Samariã passim dispersi, non nulli (vt diuina memorat Scriptura) Phœniciam vsque, & Cyprum, & Antiochiã profecti, nondum gentibus fidei sermonem impertire ausi sunt, sed solis Iudæis illum annunciarunt. Quo quidem tempore Paulus etiam adhuc miserè diuexauit ecclesiã: qui B in ædes fidelium ingressus, viros & mulieres crudeliter attractos, in carcerem coniecit. Quinetiam Philippus, vnus illorum qui cum Stephano ad diaconatus functionem eligebantur, inter dispersos versatus, descendit in Samariam: atq; diuina repletus virtute, primus illis qui in ea regione habitabant, verbum Dei diuulgauit. Tantopere etiam diuina gratia in illo vim suam exeruit, tantumque opis ei attulit, vt Simonem Magum cum infinita ferè hominum multitudine, doctrina sua & dicendi vi ad se pelliceret. Iste Simon eodem tempore fama & sermone hominum summè celebratus, quanquam apud eos quos in fraudem induxerat, tantum præstigiarum dolo valebat, vti eum instar magnæ & incredibilis Dei virtutis ac potentiæ ducerent: illis tamen miraculis quæ à Philippo diuina vi & facultate edebantur, tum obstupefactus, se callidè in Christi religionem insinuauit, & vsque eò fidem in Christum veteratoriè simulauit, quoad baptismatis lauacro tinctus esset. Quod etiam hac nostra ætate non sine admiratione ab illis fieri licet animaduertere, qui scelestissimam illius sectam adhuc sequuntur. Qui certè aui sui vestigijs insistentes, tanquam pestifer quidam morbus, & plenus contagionis, in ecclesiam irrepentes, eos grauissimè inficiunt, quorum animis venenum illud lethale & acerbum, quod est inter ipsos clanculum occultatum, instillare possint. Iam verò cõplures illorum, quales fuerint, & quàm insignitè improbi, manifestò deprehensi sunt, & ab ecclesia penitus electi: non aliter quàm Simon ipse, qui à Petro pari ratione deprehensus, debitas pœnas persoluerit. Verùm vbi salutaris verbi prædicatio in dies singulos magnoperè creuit, præfectus quidam reginæ quæ Aethiopum potiebatur imperio (adhuc enim, vt patrius mos fert, gens illa à muliere gubernatur) diuina prouidentia ex illa regione † Hierosolymam vsque deductus est, Deum ibi piè sanctèque veneraturus: quem primum ex gentibus à Philippo, per angeli visionem admonito, mysterijs verbi diuini initiatum, & tanquam primitias fidelium per orbem diffusorum factum: constans fama est, post reditum in patriam, primùm cognitionem Dei, rerum vniuersarum parentis, atque adeò viuum & salutarem Seruatoris nostri in humanum genus ingressum palàm prædicasse: per quem prædictio Prophetica, quæ istas voces complecti tur (Aethiopia præueniet manum eius Deo) reipsa expleta est. Dum hæc geruntur, Paulus, vas electionis, non ex hominibus, neque per homines, sed per reuelationem ipsius Iesu Christi, & Dei patris, qui illum excitauit à mortuis, Apostolus declaratus est, perq; visionẽ & vocem cælitùs diuina quadã reuelatione dimissam ea vocatione dignatus.

Prima Ecclesiæ post Stephani martyrium persecutio. Actor. 8.

Paulus.

Philippus.

Actor. 8. Simõ Magus.

† vide annot. pag. 22. lat. 1. linea 38.

Aethiopũ reginæ præfectus.

Actor. 8.

Psal. 67. Paulus declaratus Apostolus. Galat. 1. 1. Timoth 1. Actor. 9.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quo pacto Tiberius, cùm à Pilato quæ à Christo gerebantur didicerat, affectus sit:

CAPVT II.

Ruffi. ca. 2.

VM iam incredibilis & admiranda Seruatoris nostri resurrectio, atq; etiam ascensio in cælos, quãplurimis peruulgata percrebesceret: cumque vetus apud gentium magistratus & præfectos inueterasceret consuetudo, vt si quæ noua & inaudita apud illos fortè obtingeret, ei qui regium in eos imperium obtinebat, significarent (quo nihil eorũ quæ gerebantur, illum subterfugeret) Pilatus de resurrectione Seruatoris nostri Iesu à mortuis, quæ per omnium ora iam in vniuersa passim Palæstina hominum sermone ac fama peruasisset, vtpote qui cùm alia eius miracula audit. Cum hoc cap. confer Niceph. capite 8. li. 2.

Pilatus Christi res Tiberio scribit. anno Christ. 38. Tib. 23.

tione accepisset, tum etiam quo pacto post mortem denuò à mortuis suscitatus, iã Deus à multis pro certo crederetur: Tiberium imperatorem per literas certiorem fecit. Tiberium, simulatque audiuisset, ad Senatum illud ipsum retulisse ferunt. Senatum autem, eam sententiam opinione quidem hominum, quòd non prius sua authoritate comprobauerat (quippe lege antiqua cautum fuit, neminem aliter apud Romanos aliquando, quàm suffragijs & decreto Senatus, haberi pro Deo) prorsus repudiasse: sed reuera, quod humano iudicio & confirmatione, salutaris & diuinæ prædicationis doctrina non egebat. Et quanquam illud Senatus Romani concilium, sententiam de Seruatore nostro ad se relatam omnino reiecit: tamen fertur Tiberium, tum eam quam prius animo combiberat opinionem firmè tenuisse, tum nihil absurdi contra Christi doctrinam ne cogitatione quidem molitum esse. Atque ista Tertullianus, vir non modò Romanorum legibus accuratè eruditus, sed alijs rebus etiam illustris, & inter eos qui Romæ splendoris & gloriæ insignibus maximè præstarẽt, cũ primis eximius, in Apologia ab illo pro Christianorum propugnatione latinis literis conscripta, & iam in Græcum sermonem conuersa, ad verbum isto modo tradit: Vt, inquit, de origine aliquid retractemus eiusmodi legum: vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore cõsecraretur, nisi à Senatu probaretur: vt M. Aemilius de deo suo Alburno. Facit & hoc ad causam nostram, quod apud vos de humano arbitratu diuinitas pẽsitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius esse debebit? Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in seculum introiuit, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum, cũ prærogatiua suffragij sui. Senatus quia non ipse probauerat, respuit: Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Hactenus Tertullianus. * Quod quidem sine dubio cælestis & diuina prouidentia nutu suo commodè eius animo iniecerat, quo sermo Euangelicus, qui iam inchoatus erat, liberè & absque impedimento vbique terrarũ peruaderet.

Tiberij erga Christum beneuolentia. Tertullianus.

Verba Tertulliani propria ac sua hoc loco posuimus, vt in Apologia habentur, cap. 5.

**Ruffi. ca. 3. Tiberius minatur accusatoribus Christianorum extrema.*

Quomodo vniuersum orbem breui spacio Christi fama peruaserit.

CAPVT III.

TAta quidem certè cælesti diuinaque virtute & præsidio repentè, nulla ferè mora interposita, tanquam quoddã solis iubar, salutare Dei verbum vniuersum terrarum orbem suo splendore collustrauit, sacrarũ literarum testimonio appositè respondens: In omnem terram sonus diuinorum Euangelistarum & Apostolorum exiuit, & in fines orbis terræ verba eorum. Atque ecclesia quidem Christi, non aliter quàm area quę tempore messis immenso frumenti numero de repentè compleri solet, infinita propè & innumerabili multitudine hominum in cunctis ciuitatibus & vicis veram religionem ac fidem amplectentium subitò referta est. Et qui non modò ex serie quadam à maioribus deriuata, verumetiam ex errore ab antiquis temporibus ducto, mentes suas vetere superstitionis morbo, quasi vinculo quodam in colendis simulachris illigassent: hi Christi tandem virtute, quæ partim per discipulorum eius doctrinam, partim per miracula ab eisdem edita omnibus perspicuè patefacta fuit, illis malis tanquam grauissimis dominis liberati, & acerbissimis custodiarum catenis absoluti, omnem sceleratam & execrabilem multorum deorum venerationem omninò detestari, atque adeò vnum solum Deum, omnium rerum opificem ingenuè confiteri: istumque ipsum veræ pietatis institutis per diuinam ac plenam modestiæ religionem, quæ à Seruatore nostro in hominum vitam sparsa ac disseminata fuerat, sanctè venerari cœperunt. Cùm igitur diuina iam gratia non inter Iudæos solùm, verum etiam inter gentes diffusa fuisset: & Cornelius, qui Cæsaream Palæstinæ incoluit, cũ vniuersa familia per diuinam quandam visionem, perque Petri ministerium primus esset fidẽ in Christum

Vide Nicephor. li. 2. cap. 3.

Euangelij prædicatio per totum orbem dispersa, Psal. 18.

Cornelius Centurio. Act. 10.

Imperator Anno Christi 83. A

stum amplexatus: & complures alij Græci Antiochiæ, quibus discipuli, dum Stephanum Iudæi persequebantur, varijs locis dispersi prædicassent: & ecclesia Antiochię modò floreret, atq; indies magis magisque cresceret: & permulti prophetæ ab Hierosolymis profecti, illic eodem tempore versarentur: & Barnabas ac Paulus vnà cum illis viuerent, aliaque fratrum turba istis adiungeretur: Christianorum appellatio in ea vrbe tum primùm velut ex florido & fertili solo exorta est. Agabus etiam vnus è prophetis, qui cum illis vixerunt, de fame, quæ erat vniuersum orbem terrarum occupatura, id temporis vaticinatur. Vnde item Paulus & Barnabas Hierosolymam vsque ablegati erant, fratrum ministerio inseruituri.

Christiani primùm Antiochiæ appellati. Actor. 13. Agabi vaticinium. Act. 11.

Secundus liber hinc iam porro vsque ad quintum caput libri tertij continet acta sub Caligula, Claudio, Nerone, Galba, Othone, Vitellio, annis triginta quatuor. Refer autem huc Cornelij Taciti lib. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Suetonium in his Imperatoribus: Eutrop. lib. 7. Orosium lib. 7. cap. 5. 6 7. 8. Acta Apostolorum porro ad finem. Pontificum Rom. Petri & Lini vitam apud Mar. Schotum, Mart. Polon. & alios superiores vnà cum adnexit. Item tomos Conciliorum: Item Irenæum deinceps.

Quod modo post Tiberũ, Caius Herodem perpetuo mulctans exilio, Agrippam Iudæorũ regẽ creauerit.

CAPVT IIII.

Anno Christ. 38. Caij 1.

IBerius, cùm circiter duos & viginti annos imperium Romanum gubernasset, abijt è vita. Huic in imperium succedens Caius, confestim Iudææ præfecturæ honorem Agrippæ detulit: illumque tetrarchijs, quibus Philippus & Lysanias potiti fuerant, præfecit. Ad quas quidem non longo tempore pòst adiecit etiam Herodis tetrarchiam: Herodem verò (eum dico qui Seruatoris passioni vnà cum vxore Herodiade interfuit) ob varia & multiplicia crimina, quæ in vita admisisset, graui mulcta & supplicio afficiens, perpetuo tandem addixit exilio. Atque istarum rerum Iosepho teste vtaris licet.

Ruffi. ca. 4. *Agrippa tetrarchijs præfectus.*

Ad hoc & proximè sequens cap. refer caput Niceph. 9. lib. 2.

Herodes in exilium relegatus. Antiq. lib. 18. cap. 8. 9. & 5. de bell. Iud. lib. 9. cap. 7. & lib. 2. cap. 5.

Quomodo Philo pro Iudæis, ad Caium legationem obierit.

CAPVT V.

Huc refer Niceph. caput 9. li. 2.

IVius porrò imperatoris temporibus, Philo magna famæ celebritate apud plurimos fuit: vir sanè, qui non nostrorum hominum solùm, sed etiã Gentilium, qui humanitatis ac politioris literaturæ elegantia excellebant, facilè principem locum obtinuit. Genus autem antiquitùs ex Hebræorum stirpe duxit: atque illis viris, qui Alexandriæ in summis honorum gradibus locati, magnum splendorem acquisiuissent, nulla ex parte inferior putabatur. In diuinas præterea & patrias disciplinas, quantum & quã magnum laborem contulerit, apud omnes reipsa liquidò constat. Quinetiam in studijs philosophiæ, liberaliumque artium cognitione qualis & quàm excellens fuerit, non necesse habeo dicere: præsertim cum Platonicæ & Pythagoricæ disciplinæ formã ardentiore studio imitatus, omnibus suæ memoriæ & ætatis viris antecelluisse prædicetur. Adde huc, quòd calamitates, quæ Caio regnante erant fortè fortuna inuectæ, iste Philo in quinque libros colligauit: in quibus etiam insanam mentis Caij temeritatem (qui seipsum tanquam Deum prædicauit, quique dum regnabat infinitas iniurias & incommoda suis intulit) miserias porrò Iudæorum quæ sub istius imperio eis obuenissent, exposuit: & quo pacto ille ipse ad vrbem Romam missus, pro gente sua, quæ Alexandriæ habitabat, legationem obierit: & qua ratione cũ coram Caio consisteret, pro patrijs legibus dicturus, nihil aliud præter risum & falsa dicteria reportârit, parumq; abfuerit quin in graue vitæ suæ periculũ & discrimen incurrisset. Harum rerum etiam meminit Iosephus in decimo octauo Antiquitatis libro, atq; ista quæ sequuntur ad verbum perscribit: Cùm seditio Alexandriæ à Iudæis & Græcis, qui illam incolebant, concitata esset, tres ex vtraque factione legati deligebãtur, qui ad Caium proficiscerẽtur: vnus ex legatis Alexandrinis pro Græcis erat [a] Apion, qui multa conuicia in Iudæos intorquebat, cùm alia illis obiectando, tum hoc in primis, quòd Cæsaris honores penitus contẽnerent. nã omnes qui Romanorũ imperio vectigalia pensitãt, altaria Caio, & tẽpla dicare: inq; alijs reb. deniq; illũ, nõ aliter atq; deos suos, cultu & honore excipere: obseruareq;, memorat: illos aũt solum eũ ignobilẽ & indignũ ducere, quẽ vel statuarum decorarẽt insignib. vel nomen illius iurisiurãdi loco vsurparent. Vbi Apiõ multa & grauia dixisset, quibus Caiũ insolenter se efferre & speraret, & esset verisimile: [b] Philo qui Iudæorũ legationi præfuit, frater Alexãdri Alabarchi, vir cũ omnibus in rebus clarus, tum philosophiæ nõ expers, paratus quidem erat ad ea quæ Iudæis fuêre obiecta, diluenda: verùm illũ iam dicturum interpellauit Caius, præcipiens vt ab eius cõspectu procul abscederet. Nam nimio iracundiæ æstu inflãmatus, videbatur planè illos ipsos Iudæos graui aliqua calamitate affecturus. Philo igitur contumelia & conuicijs appetitus, è concilio egreditur, atque Iudæos qui illum comitabantur

Ruffi. ca. 5. *Philonis præfantia. De Philone vide Hieron. de Script. illustr.*

Caij arrogantia.

Philonis legatio ad Caligulã pro Iudæis Alexandrinis. Antiq. li. 18. cap. 10.

a Apiõ aduersus quem Iosephus duos libros scripsit de Antiq. Iud.

b Philonis patrocinium à Caio repudiatã legatione secunda, quã suscepit i. anno Caij Cali. vt ipse Philo scribit in eo lib. qui Flac. cus inscribitur & attestatur Iosep. Antiq. li. 18. cap. 10. & Eutrop. lib. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tur iubet bono animo esse: Caium, * tametsi verbo quidem illis succensebat, re tamen ipsa perfeciſſe, vt DEVS ipsis contra eius conatus præstò esset ad opitulandum. Hæc Iosephus. Idem porrò Philo, in eo libello quem de Virtutibus & legatione ad Caiũ conscripsit, ea quæ per idem tempus à Caio gerebãtur, singula accuratè exponit. Ex quibus plurima silentio præteriens, ea sola in medium proferam, quæ nostra scripta legentibus perspicuè declarent eas res, quæ Iudæis, neque id adeò longo tempore pòst, propter nefanda facinora in Christum admissa, obuenerunt. * Primùm igitur dum Tiberius fasces imperij tenebat, in vrbe Roma Seianum quendam (qui & authoritate & gratia multum apud Imperatorem valebat) toto pectore, vt dicitur, incubuisse narrat, quo vniuersam gentem Iudaicam prorsus è medio tolleret. Pilatum etiam (cuius temporibus Iudæi tantam audaciam & crudelitatem in necẽ Seruatoris exercuissent) in Iudæa templum, quod tum stabat Hierosolymis integrum & inuiolatum, nouo scelere quodam, quod nefas apud Iudæos erat, polluere aggredientem, illos maximè grauissimeq; conturbasse.

* vide annot. pag 13. lat. 2. lin. 5.

* Ruffi ca. 6 Philonis primalegatio 1. anno Tiberij suscepta pro Iudæis, præsidente Iudeæ Põtio Pilato in efficax fuit, propter Aeliũ Seianum Iudæis infestum quem sibi ille collegam assciuerat Philo lib 2. legat. et Euseb. in Chronic.

Templum à Pilato prophanatum.

Quot mala Iudæis post impium in Christum facinus obuenerint.

CAPVT VI.

Huc refer Nicep. cap. 10. lib. 2.

VBi Tiberius è vita migrauit, Caius capescit imperium. qui cùm multos alios multis & infinitis iniurijs læsit, tum maximè omnium vniuersam Iudæorum gentem non exiguis affecit incõmodis. Quæ quidem ex vocibus ipsius Philonis strictim & breuiter, vbi ista ad verbũ scribit, licet cognoscere. Caius quidem moribus fuit peracerbis & crudelibus, cùm erga omnes, tum præcipuè erga Iudæos: quibus quidem « « «

Universidad de Deusto
Biblioteca

Stratonis turris, Cæsarea.

annus illi regnum totius Iudææ occupanti esset completus, in vrbem Cæsaream, quæ antea fuit Stratonis turris appellata, rectà se contulit. Ibi quodam die festo, quem pro salute & incolumitate Cæsaris celebrari cognouerat, spectacula ad Cæsaris honorem populo palàm exhibuit. Ad quod quidem festum, frequens hominum multitudo, qui magistratus gerebant in prouincia, quique honoris amplitudine præ cæteris præstare videbantur, confluxit. Secundo verò spectaculorum die, ille vestitu argenteo indutus (cuius vniuersa textura insignis erat, & planè admirabilis) primo mane ad theatrum perrexit. Ibi eius vestis argento obrigens, micantibus solis orientis radijs collustrata, adeò mirandum in modum resplenduit, eiusque fulgore tantum his qui in illum acriter oculos intendebant, incussit terroris, vt propè attoniti exhorrescerent. Extemplò verò assentatores, voces quasdam, alius aliunde, non ad illius commodum, sed ad perniciem potius blandè fundere, Deum nuncupare, quin etiam vt illis esset propitius, acclamare cœperunt, quamuis, inquiunt, hactenus te simus vt hominem reueriti, tamen deinceps præstantiorem quendam, quàm cui mortalis & caduca natura cõueniat, ex animo confitemur. Rex autem istos neutiquam coarguit, neque impias & nefarias adulatorum repressit blanditias. Itaque paulò pòst oculis in sublime sublatis, angelum capiti insidentem animaduertit: & quem antea bonorum, eundem mox malorum sensit authorem. Inde acerbus dolor eius cordi inuritur, crebraque ventris tormina iam ab initio asperè hominem pungentia exedunt. Qui tandem oculos in amicos conijciens: Ecce me, inquit, qui Deus vobis videor: nunc finem viuendi facere cogor necessariò. Iamiam enim fatalis & diuina vis, voces ementitas, & falsò de me dudum prædicatas, non immeritò coarguit. Qui dudum immortalis eram à vobis appellatus, iam quasi ad mortem trusus, animo inuito gradior. Verùm fati tela ferenda sunt, quatenus diuino numini visum sit. Et enim non sordidè aut abiectè, sed amplo illo honorum & dignitatis gradu, quem homines beatum putant, decorati, totum vitæ nostræ cursum confecimus. Hæc fatus, graui doloris quasi cumulo pressus elanguit. Igitur in regiam cum summa celeritate deportatur. Ac iam rumur per omnium ora peruolitabat, mortem paulò pòst illum occupaturam: virorum igitur multitudo confestim cum vxoribus & liberis sacco & cilicio de more patrio operta, supplex cum lachrymis Deum pro rege obsecrauit: omnia mœrore & [a] lugubri fletu redundârũt. Rex verò in solario quodam edito decumbens, cùm illos suis luminibus demissis pronos humi se abiecisse cerneret, ipse lachrymas nullo modo tenere potuit. Et vbi iam quinque dies continuos ventris dolore & cruciatu afflictatus, & ferè confectus fuerat, vitam tandem, quartum & quinquagesimum annum ætatis suæ agens, regni autem septimum, miserè reliquit. [b] Quatuor quidem annos sub Caij imperio regnauit: quorum tres in Philippi tetrarchia gerenda contriuit: quarto autem anno locum etiam Herodis Iunioris assecutus est: postea verò triennij spacium Claudio imperium gubernante, ad regnum adiecit. Ista Iosephum cum alijs ab eo explicatis adeò appositè ad sacrarum literarum veritatem enarrantem cum primis admiror. Et quanquam de regis nomine quibusdam videtur à Scriptura sacra dissidere, tamẽ tempus & res gesta eundem fuisse declarant: & vel scribarum errore nomen esse immutatum, vel geminam eidem, vt multis alijs, impositam appellationem.

Bubonẽ auẽ, dirũ mortalibus omẽ, imminere capiti suo Agrippa vidit, qui illi nuncius exitij fuit, sicut olim Romæ vincto nuncius salutis fuit. Secundũ Vaticiniũ Germani, quod Iosephus refert lib. 18. cap. 8. cuius verba plenius vtroq; loco lector videat: hoc inquã supradicto iam cap. & cap. 7. lib. 9.

a populus Herodem lugit.

b Chronologiarum ab Herode Agrippa gestarum.

De Theuda Præstigiatore, & suis complicibus.

CAPVT X.

Act. 5.

QVoniam Lucas etiam in Actis, cùm de Apostolorum rebus gestis differit, Gamalielem inducit memorantem, Theudam tempore Claudij, quem suprà demonstrauimus, surrexisse, dicentem se esse aliquẽ: qui occisus est, & omnes qui credebant ei, dissipati sunt: de isto etiam Iosephi testimonium in medio ponamus, qui in † vigesimo libro Operis sui quod paulò antè citauimus, hæc quæ sequuntur narrat. * Cũ Fadus Iudææ præfecturam gereret, præstigiator quidam vafer, Theudas nomine, ingenti hominum multitudini persuasit, vt suis secum comportatis facultatibus, ipsum ad Iordanem fluuium sequerentur. Prophetam enim se dixit esse, & fluuium mandato suo posse dispertire, transitumque illis præstare perfacilem. Hæc elocutus, multos illexit in fraudem. Verùm Fadus eos ex ista amentia & temeritate non multum voluptatis capere passus est, sed multitudinem equitum contra illos misit armis instructam, quæ quidem irruptione facta eos adoritur ex insperato, complures interficit, nonnullos viuos capit: ipsi denique Theudæ, cùm milites eum præhendissent, superstiti caput abscindunt, secumque deferunt Hierosolymam.

Huc refert Nicephori cap. 14. 27. lib. & Euseb. cap. 21. infra li. 4. Videautẽ Epiph. cõtra hæres. tom. 2. lib. 1. hæres. 1. Item D. Augustinum ad Quoduultdeum hæres. 1.

† Vide annot. pag. 25. lat. 1. lin. 25.

Huc refert Niceph. ca. 11. lib. 2.

** Ruf. c. 11.*

† vide annot. pag. 17. lat. 1. li. nea 2.

Ioseph. 20. li. Antiq. ca. 2. acta sunt hæc anno Christi 46. Claudij Cæs. 4.

Theudæ impostoris interitus.

De Helena adiabenorum Regina. *CAPVT XI.*

Vide Niceph. li. 2. cap. 11.

FAmis porrò quæ Claudio dominante passim longè lateq; serpebat, deinceps in scriptis suis mentionem facit, isto modo. Dum hæc geruntur, fortè fortuna ingens fames vniuersam Iudæam peragrauit. Quo quidem tempore, Helena regina frumentum, quod grandi pecunia ex Aegypto coemerat, his qui erant in ægestate benignè distribuit. Atq; ista testimonio illi in [a] Actis Apostolorum perscripto congruẽtia reperies, nimirum quòd discipuli qui commorabantur Antiochiæ, pro ut quisq; habebat, proposuerunt in ministerium habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Pauli. Helenæ verò (cuius apud hunc scriptorem fit mentio) columellæ, illustres illæ quidem & eximiæ, in suburbijs Aeliæ ciuitatis cernuntur. Hanc ferunt gentis Adiabenorum imperium tenuisse.

Ruffi. ca. 12. Lib. 20. Antiquit. cap. 3. quod Euseb adnotauit fa. ctum anno Christi 40. Tib. Claudij Cæs. 4. a Actor. 11. Helenæ sta. tuæ.

De Simone mago, & altera Helena. *CAPVT XII.*

PRorrò autem, cum fides in Seruatorem & Dominum nostrum Iesum Christum vbiq; ad omnes homines iam dimanasset, Satan humanæ salutis hostis capitalis, vrbem, quæ propter imperij decus cæteris omnibus dominata est priusquam fidem Christi reciperet, astutè præcipere præoccupareq;, molitus, eò Simonem, quem antea posuimus, quasi manu deducit: atq; callidis illius viri præstigijs opem ipse ferens, complures qui Romæ domicilia rerum suarum collocassent, in errorem inductos, suo addixit obsequio. Declarat hoc quidem Iustinus, qui non longè post Apostolorum tempora vixit, quiq; multum nostræ religionis excelluit disciplina: de quo dicã vberius, vbi tempus datum fuerit, ea quæ sunt eius virtuti & doctrinę consentanea, exponendi. †Hoc loco autem historiam ab eo in priori sua Apologia, quam ad Antoninum pro religiõe Christiana scripsit, traditã recitabo. Post Domini in cœlum ascensionem, homines quidam dæmonum impulsu incitati, seipsos deos esse dixerunt: quos quidem vos non supplicio coercuistis, sed amplis decoratis honoribus, ex quorum numero fuit Simon quidẽ Samaritanus, ortus è vico qui dicitur Giton: qui Claudij Cæsaris temporibus, per astutiã dęmonum, vim suam in eius animo exercentium, Romę omniũ ciuitatum facilè principis, magicas virtutes & portenta edẽs, pro Deo habitus est: & statua apud vos donatus, † quæ inter duos pontes super fluuium Tiberim extructos erecta est, hancq; inscriptionem latinis literis expressam habet, Simoni Dei Sancto. Quinetiam Samaritani propè omnes, non pauci quoq; ex alijs gentibus, eum tanquam præcipuum Deum confitentes, magna reuerentia obseruant. Itemq; Helenam quandam (quæ antea apud Tyrum Phœniciæ meretricio quæstui seipsam prostituisset) comitem eis per idem tempus assiduam, velut primam mentem ex Simonis sinu elapsam nuncupant. Hæc ille. Cum hoc consentit etiam Irenæus in primo libro contra hæreses: qui & viri impietatem, & sceleratam eius doctrinam pariter describit. Quam hoc loco commemorare esset propè superuacaneum, præsertim cum ijs qui non illius solum, verumetiã aliorum omnium hæreticorum ortus, qui post eius tempora primas erroris partes obtinuerunt, viuendi etiam rationes, falsorum dogmatum causas, depraua & perditos singulorum conatus accuratè cognoscere desiderant, ea sanè in libro Irenæi suprà citato, ab authore aptè ad institutum suum tradita facilè licet perspicere. Simonem igitur primum cuiusq; erroris authorẽ, & quasi caput extitisse accepimus: ex cuius temporibus hactenus, qui sectam & hæresin ab eo tractam persequuntur, modestã & grauẽ Christianorum religionem ac doctrinã, quæ propter integrã puramq; viuendi rationem ex ea formatã ab omnib⁹ pleno ore celebratur, amplecti callidè & astutè prætexunt: & dũ vana superstitione, quæ in simulachris colendis sita est, immunes & liberi videri volunt, eiusdẽ laqueis nihilominus seipsos irretiunt. Nam corã pictura & imaginibus, tum ipsius Simonis, tum Helenæ (de qua antè à nobis, cùm de illo loquebamur, mentio facta est) prostrati, odoribus incensis, victimis & libamentis eos venerari sedulò pergunt. Quæ autem apud huius sectæ ęmulos, hisce secretiora magisq; arcana putãtur, & quibus quemq; primùm, vt auribus acceperit, penitus attonitum reddi, vel potius (vt verbo quodam vtar, quod est apud illos scriptis proditum, oraculiq; loco vsurpatum) θαμβωθήσεσθαι, id est, admiratione quadã obstupescere aiunt, ea eiusmodi planè sunt, & tã plena reuerã stuporis, amentię & insaniæ, vt videantur nõ modò non honestè posse scriptis tradi, sed ne ore quidem propter insignem turpitudinem & obscœnitatem, à viris modestis aliquando sine scelere efferri. Nam quodcunq; aliquando omni flagitio sceleratius & improbius in cuiusque cogitationem cadere possit: hæc detestabilis, & maximè pe-

Ruff. ca. 13.

Iustinus Philosophus & martyr de Simone Mago.

Simõ Samaritanus, magus.

† Vide annot. pag. 25. lat. 1. lin. 32.

Eiusdẽ statua

Helena eius comes, quæ & Selene. Irenæus lib. 1. cap. 20.

Simon Hæresiarcha.

Simoniaci.

Simoniacorũ acta ac decreta.

C

Universidad de Deusto
Biblioteca

mè pestifera hæresis illorum qui mulierculas miseras omni vitiorum genere cumulatas, turpiter & flagitiosè ludificantur, longissimè superat.

Qanquã verò talium & tam nefandorũ scelerum procreatorẽ & architectum Simonem, eo tẽpore tanquam acrẽ præclarorum & diuinorũ Seruatoris nostri Apostolorũ aduersarium, nequã & improba diaboli potẽtia (quę omni honestati infesta est, quæque humanæ saluti euertẽdę occultas semper parat insidias) de industria excitauit: tamẽ diuina Dei & cælestis gratia quæ ministris suis perpetuo opitulatur, per illorũ piorum hominũ aduentum & præsentiã, Satanæ faces in humanũ genus accensas intẽtatasq;, summa cum celeritate restinxit: atq; omnẽ arrogantiam altosq; spiritus, qui se cõtra Dei cognitionem insolenter extulissent, per illos repressit, atq; adeò è medio sustulit. Quapropter neq; impia Simonis contra Christũ coniuratio, neq; alterius cuiusquã eorum qui tũm in lucẽ prodierunt, Apostolorũ temporib. se sustentare poterat. Nã illustre veritatis lumen, & diuinus ille sermo, qui modò (Dei aspirãte numine) in humanũ genus splẽdorem suũ effuderat, inq; terris quasi pubescens viguerat, & cũ proprijs ac suis Apostolis versatus erat, oẽs id genus conatus strenuè euicit, profligauitq;. Etenim vt exemplo rem illustremus, præstigiator ille, quẽ antea posuimus, velut à diuino & admirabili fulgore oculis mentis penitus perstrictus, extẽplò (cùm iam antea in illis sceleribus quæ nefariè & perditè consciuerat, à Petro Apostolo, in Iudæa manifestò deprehensus fuisset) longissimum iter terra mariq; instituens, ab Oriente ad Occidentem vsq; quasi profugus vagatus est: istumque viuendi modum solùm sibi ex sententia fore arbitratus, sic tandem ad vrbẽ Romã profectus (cùm iam ibi diabolica vis & potentia, ad hominũ perniciem assiduè excubans, magno subsidio illi veniret) breui suum institutum eo vsque perduxit, vt ab illis, statua in eius venerationem erecta, honoraretur vt Deus.

De Petri Apostoli in vrbe Roma prædicatione.

CAPVT XIII.

Ruff. ca. 14.

Huc refert Nicephor. ca. 14. lib. 2.

CEterùm ista non ad longinquũ temporis spacium ex sentẽtia illi processerunt. Nã euestigiò, sub ipso Claudij imperio, benigna & propitia Dei, totius huius vniuersitatis rectoris, erga humanũ genus prouidentia, fortẽ ac prępotentẽ, & reliquorũ omnium Apostolorũ propter virtutis amplitudinẽ facilè principẽ Petrum, Romã versus, ad eiusmodi pestiferã vitę humanæ corruptelam delendã quasi manu deduxit. Qui quidẽ, vtpotè generosus & strenuus Dei dux, diuinis armis obtectus, munitusq;, eximiã & precioſam tanquã mercaturã veri luminis, mẽte sola cõprehẽsi, ab Oriẽte ad Occasum vsq; deportauit: ipsamq; regni cęlorũ prędicationẽ, cęlestem scilicet lucẽ, & salutarem animorũ doctrinam, palã diuulgauit.

Petri Romam profectio, quã Eusebius fatetur asserit anno Christi 44. Tib. Claudij 2.

De Marci Euangelio. CAPVT XIIII.

Ruff. ca. 15.

Huc refert Nicephor. cap. 15. li. 2.

SIc ergo cũ diuinus sermo iam ad Romanos peruasisset, vesana Simonis potentia extincta est, & homo ipse actutùm vnà penitus profligatus. Ac tanta pietatis lux eorum mentib. qui Petrũ audiebant, affulsit, vt non eius sermoni omninò auscultando, nõ doctrinę diuinę prædicationis, minimè scriptis proditæ attendẽdo cõtenti acquiescerent: sed à Marco, Petri comite (cuius Euangeliũ esse fertur) multis varijsq; precib. contenderẽt, vt monumentũ illius doctrinæ, quã sermone & verbo illis tradidisset, etiã scriptis mandatum apud eos relinqueret. Nec prius hominẽ ab se dimittunt, quã ipsorum postulatis obsecutus, opus absoluisset. Hanc igitur Euãgelij scribendi, secundũ Marcum causam fuisse memorant. Cũ ergo Petrus Apostolus, diuina spiritus sancti reuelatione suggerente intelligeret, illud opus editum esse: ferunt eũ propenso & acri illorũ hominum studio magnopere fuisse delectatum, hancq; scripturã authoritate sua ratam feciſſe, quò in ecclesijs passim perlegeretur. Clemens in sexto itẽ libro ὑποτυπώσεων, (cui etiã testis accedit Papias Hierapolitanus episcopus) eandem tradit historiam. Constat porrò, Petrum huius Marci mentionem facere in priore epistola, quam Romæ texuisse dicitur: quã quidem epistolã ibi perscriptam ostendit, dum ciuitatem illam verbi translatione Babylonem appellat, hoc modo: Salutat vos ecclesia nostrę electionis consors, quę est Babylone, & Marcus filius meus. "

Marci Euangelium ex Petri traditiõe.

5. cap.

Roma Babylon vocata Petro.

Quod Marcus cognitionem Christi Aegyptijs primus prædicauerit.

CAPVT XV.

Ruff. ca. 16. *Marci prædicatio Euangelij, circa annũ Domini 45. Claudij 3.*

Huc refert Nicephor. ca. 15. lib. 2.

AIunt præterea, hunc Marcum primùm in Aegyptum traiecisse, & Euangelium quod ipse conscripserat, illic prædicasse, primumque Ecclesiarum Alexandriæ institutarum authorem extitisse. Atque tanta hominum & mulierum fidem Christi amplexantium ex prima aggressione & conatu, per graue in primis sanctum & seuerum eius viuendi exemplum ibi cogebatur multitudo, vt Philo ipse eorum studia

A studia, exercitationes, mores, frequentes congressus, communem inter ipsos victus rationem, omnem denique viuendi institutionem, suis scriptis persequi operæ precium existimaret. Quẽ Romæ sub Claudij dominatu, fama est in colloquium Petri, qui Romanis eodem tempore verbum Dei prædicabat, venisse. Atque illud quidem est planè verisimile: quippe opus, quod deinceps post aliquod tẽporis spacium ab eo dicitur elaboratũ, ecclesiæ reuera canones ad nostram vsq; memoriam obseruatos complectitur.

Philonis cùm Petro colloquium.

Quæ philo de religiosis in Aegypto commemorat.

CAPVT XVI.

Huc refert Nicephor. ca. 16. 17 lib. 2. Epiphan. 9. de Nozoræis.

IAm verò, cum eorum viuendi rationem qui apud nos ἀσκηταὶ, id est monachi religiosiq;, virtutis studio & exercitationi maximè dediti, appellati sunt, quam accurratissimè percenseat: cumq; eos viros, qui eius ætate tam piam, tamq; apostolicam vitam agerent, quiq; ab Hebræis, vt videtur, ducerent originem, & propterea permulta vetera instituta propius ad Iudæorum consuetudinem accedentia obseruarent, diuina laude & prædicatione efferat: satis constare poterit, illum eandem non oculis vidisse solum, sed sententia & opinione vehementer approbasse. Primùm ergo in eo libro quem de Vita in contemplatione posita, siue de Supplicibus inscripsit, simulatq; se nihil à veritate alienum, nihil suo marte & suopte ingenio cõfictum his rebus quas esset narraturus, adiecturũ asseuerauit, eos curatores vel cultores nuncupatos, atq; mulieres eandem cum illis vitæ consuetudinem secutas, curatrices vel cultrices vocatas tradit: talesq; eius appellationis causas refert, vel quòd tanquam medici, curatione adhibita eorum mentes qui ipsos adirent, à vitij & turpitudinis morbo ereptas, ad integram valetudinem restituerent: vel quòd syncero ac puro cultu, religioneq; erga sacrum Dei numen ipsi imbuerentur. Siue igitur Philo ipse, dũ propriam & appositam hominum moribus appellationem attribuere volebat, suo ipsius arbitratu & iudicio illis istud nomen imposuerit: siue reuera ab initio authores eius religionis, cum adhuc Christianorum appellatio nusquam penè locorũ diuulgata esset, eos ita nominarit, longa oratione disquirere non est opus. Verùm vt ad rem redeamus, principiò illos facultates suas opesq; abijcere, & simul ac in hanc diuinam viuendi rationem se abdere incipiunt, suis se bonis & fortunis omnibus prorsus exuere testatur, deinde quibusq; vitæ curis depositis, depulsisq;, extra vrbium inania progressos, in locis solitarijs, & hortis à populi conspectu remotis, domicilia rerum suarum collocare. Nã societates hominũ, moribus ac vita lõgè dissimilium ab eorum instituto, qui per illud tempus acri & ardenti fide, istud religionis genus diligenter, vt par erat, excolere studebant, & prophetarum more sanctum & seuerum viuendi modum sedulò imitari nitebantur, valde inutiles & nociuas fore, pro certo cognouerunt. In Actis verò Apostolorum (qui est liber omnium consensu approbatus) dicitur, omnes qui Apostolorũ doctrina instituti imbutiq; erant, possessiones suas & facultates diuenditas, omnibus fratribus, prout cuiusque necessitas postulabat, distribuisse: sic vt nemo existeret apud il- *Act. 4.*
» los, qui opis cuiusquam omnino indigeret. Quicunque enim agrorum & domicilio-
» rum possessores erant (sicut sermo ibidem perscriptus indicat) illis venditis, precia co-
» rum offerebant, & ponebant ante pedes Apostolorum, vt cuique pro ea quam quisque
» habebat necessitate, dispertirentur. Philo autẽ istis à nobis citatis valde similia perhi-
†. Vide annotat. pag. 19. lat. 2. lin. 9. bet, & his ferè verbis hæc quæ sequuntur † de illis hominibus memorat: Quãquam hoc hominum genus passim in vniuersum orbem terrarum diffusum est (nam non Græciã solùm, sed etiam Barbariam, tam præstantis & perfecti boni participem esse oportuerat)
» in singulis tamen Aegypti agris (qui νόμοι apud illos vocantur) & maximè quidem circi- *νόμοι.*
» ter Alexandriam, multò maxima hominum multitudo cernitur. Nam optimus quisq;
» ex omnibus regionibus ad locũ quendam amœnissimum commodissimũq; (qui est ibi
» ad lacũ Mariæ, in colle ex planicie paululum edito, valde commodè & opportunè tũ ad
» tutam corporis custodiã, tum ad æquabilem aeris temperationem situs) tanquam ad pa-
» triã cultorum commigrat, & quasi coloniã deducit. Deinceps vbi eorũ domicilia quæ-
» nam sint descripsit, de ecclesijs in varijs locis extructis sic loquitur: Est in quoq; agro ferè
» ædes sacra, quæ appellatur σεμνεῖον, id est augustũ templũ, vel μοναστήριον, quod latinè locus *σεμνεῖον. μοναστήριον.*
» solitarius separatusq; dici potest: in quo illi ab alijs separati seiunctiq;, vitæ piæ, & pro-
» pter virtutem augustæ mysteria obeunt: nihilq; eò vel cibi vel potionis, vel aliarum re-
» rum q̃ ad corporis vsus necessariæ sunt, omnino secum apportant: sed leges & oracula à
» prophetis diuinitùs edita, hymnosq; ibi recolunt, & alias deniq; res, quibus diuina sci-
» entia, & vera erga Deum pietas crescat & perficiatur. Post ista, alia etiam subiungit:

Solitudinis commoditas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Totum temporis ſpacium quod inter auroram & veſperã intercedit, in pia quadã exercitatione collocant. Nã ſacras litteras inter ſe perlegere, auitumq; ſapientiæ ſtudium cõmentari aggrediuntur: & quoniã vulgarem & communẽ literæ interpretationem arbitrãtur occultæ & inuolutæ cuiuſdã naturæ myſteria (quę per allegorias explicari ſolẽt) repreſentare, idcirco eam ad altiorẽ quandam & diuiniorẽ ſenſum tranferunt. Extant etiã apud illos cõmentarij veterum quorundã hominum, qui illorum ſectę & religionis authores ac duces fuerunt: quiq; cõplura monumenta de ea ſpecie & ratione doctrinæ, quę in allegorijs cernitur, poſt ſe reliquerũt. Quibus quidẽ tanquam exemplaribꝰ vtentes, & profeſſionis illiꝰ, & inſtituti modum ſedulò imitantur. Atq; iſta traduntur à Philone, tanquã ab homine qui (vt veriſimile eſt) illos coràm ſacras literas interpretãtes audiuerit: p illos autẽ veterũ cõmẽtarios, quos ait apud eos reſeruatos eſſe, probabile eſt eũ Euangelia Apoſtolorũ ſcripta, & expoſitiones quaſdã veterum, vt videtur, prophetarũ myſteria aperientes intellexiſſe: quales quidẽ tum epiſtola Pauli ad Hebræos, tum aliæ complures eiuſdẽ complectuntur. Deinceps verò de nouis pſalmis, qui ab illis contexuntur, ſic iterum ſcribit: Ita planè nõ contẽplationi ſolum ſe dedunt, ſed etiã cantiones & hymnos varijs metri & carminum cuiuſq; modi & numeris grauiter fuſis (aptè & conueniẽter) ad Dei honorẽ ac laudem conficiũt. Multa etiam alia de ijs, quos iam oratione proſequimur, in eodẽ libro percenſet: Cæterùm ea ſolum in præſentia nobis ad cõmemorandum videntur neceſſaria, quib. expreſſæ & illuſtres eccleſiaſticæ inſtitutionis formulę perſpicuè ante oculos ponantur. Quod ſi ea q̃ dicta ſunt, cuiquã videantur illius viuendi rationis, quæ ex Euãgelio inſtituitur, nõ eſſe propria, ſed poſſe alijs præter eos quos cõmemorauimus conuenire: illis ſaltem vocibꝰ, quas idẽ author poſtea recenſet, ſit tandẽ perſuaſus, ex quib. (modo ęquus rerum æſtimator ſit) teſtimonium de iſta re certum & indubitatum accipiet. Sic enim ſcribit: Cum temperantiã quaſi quoddã fundamentum in animis ſuis iecerint, alia virtutum genera ſupra ædificãt. Cibum aut potionẽ antè ſolis occaſum nemo illorum capit. Quippe diuinæ ſapientiæ ſtudium, quo ſe inuoluunt, lucẽ promereri iudicãt: corporis autẽ neceſſitates, tenebras ſolùm meritò ſibi vendicare. Vnde illis quidẽ totum diẽ, his autem exiguam quandã noctis particulã largiuntur. Quidã porrò, quorum animis ardentiꝰ ſcientię deſiderium inſidet, vix ſemel toto triduo cibi recordantur. Nonnulli illecebris ſapientiæ (quæ ſalubria virtutis & doctrinæ præcepta tã affatim & copioſe ſuppeditat) quodammodo inuitati, ſic oblectãtur, indeq; tales capiunt delicias, vt duplo plus tẽporis inediam facilè ſuſtineant, & vix tantum ſex diebus expletis alimentum neceſſarium deguſtent. Iſta Philonis tã perſpicua tamq; rata teſtimonia, de noſtræ religionis viris ſolùm tradita eſſe pro certo arbitramur. Quod ſi quiſquam adeò obſtinato animo ſit vt hiſce etiam voluerit refragari, ſic tamen euidẽtioribus argumentis (quæ apud nullos alios præterquam ſolos Chriſtianos, religionis Euangelicę profeſſores, reperiuntur) obſecutus, de contumacia & incredula mentis ſententia tandem deſiſtat. Nam Philo cum illis viris, de quib. habetur oratio, mulieres etiã vnà viuere ait: quarum cõplures ad extremã ſenectutem virgines permanent. Quæ quidẽ non neceſſitate (ſicut non paucæ Greçarum ac gẽtilium ſacerdotum faciunt) ſed ſua voluntate adductæ, caſtitatẽ propter incredibilẽ ſapiẽtiæ cupiditatẽ & deſiderium, quo incenduntur, ſumma cura & cogitatione amplexãtur, obſeruantq;. In cuius perueſtigatione dũ ętatẽ terere ſtudẽt, voluptates, quib. corpus titillari ſolet, penitus reſpuunt: neq; mortales fœtus & caducos, ſed immortales & perpetuò duraturos edere cupiũt: quos quidẽ certè ſola anima Dei amore inflãmata ex ſe poteſt procreare. Deinde paululum progreſſus, hæc eadẽ multo planius & apertius edocet: Apud illos quidẽ ſacrarum literarum interpretationes ſublimi quodam & allegorico ſenſu fiunt. Nam vniuerſam legis Moſaicę deſcriptionem viri illi ſimilem arbitrantur animali, cuius corpus verba nuda & elata extrinſecus continere, animam verò diuinum quendam ſenſum ipſis verbis incluſum (qui ſub oculorum aſpectum minimè cadat) in ſe complecti dicunt. † in quo anima rationis particeps, quæ ſunt ſuæ ipſius naturæ propria in primis indagare aggreditur; & eximiam interiorum notionum pulchritudinem in verbis tanquam in ſpeculo apparentem peruidet. Verùm quid præterea attinet commemorare frequentes in vnum congreſſus, & virorum in vno, mulierum autem in altero loco ſeparatim congregatarum exercitationes, & ſeueram diſciplinæ rationem, quæ de more adhuc à nobis obſeruata eſt, quamq́ue potiſſimum in feſto ſalutaris Domini paſſionis non ieiunijs ſolùm & vigilijs, ſed attenta ſacrarum Scripturam auditione, excolere ac celebrare conſueuimus? Quæ planè idem author eodem modo quo adhuc à nobis ſolis obſeruantur, accurata oratione exponit: inque libro ſeparatim de ea re ſcripto tradit, ac cumprimis nocturnas magni feſti vigilias, piasq; in eiſdem exercitationes

Christianorũ ἀσκητῶν vitæ variæ aeſtimatio.

Philonem illa de Chriſtianis dicere contẽdit.

Curatrices, ſiue Cultrices mulieres. Virgines moniales.

† vide pag. 17. lat. 1. lin. 18.

Conuentus Monaſtici.

Vigiliæ Sacræ.

Hymnos

A Hymnos etiam qui à nobis recitari ſolebant, cõmemorat: & quo pacto, cum vnus ſuaui quodam concentu pſallere decenter & modeſtè occœperit, reliqui placidè & quietè auſcultantes, poſteriores hymnorum partes adextremum vnà decantent: & qua ratione etiam diebus illis ſupra demonſtratis, toros ſtramineos humi poſitos, vſurpent, vinumq; (his ferè verbis rem deſcribit) non omnino guſtent: imò nec carnibus, nec aliquo genere cibariorum, quod ſit ſanguinis particeps, veſcantur: & quod aqua ſola illis potio ſit: ſale & hyſſopo pro obſonio & pane vtantur. Virorum porrò eccleſiaſtica munera obeuntium gradus, quibus alter alteri præſtat, diaconorum item miniſteria, ſummum deniq; & primarium epiſcopatus honorem diligenter perſcribit. Quarum rerum exquiſitè cognoſcendarum ſi cuiuſquam menti deſiderium inſitum ſit, ab huius viri hiſtoria, quæ à nobis declarata eſt, depromat licet. Quod verò non ſolum primos Euãgelicæ doctrinæ prædicatores, verùm etiam inſtituta principio ab Apoſtolis tradita certò cognoſcens Philo, iſta ſcripſerit, nemini omninò obſcurum eſſe poterit.

Cantus ſolẽnis & pſallendi modus.

Carnium ac Vini abſtinentia.

Aquæ potus.

Gradus inter Eccleſiæ miniſtros.

Quæ Philonis opera ad nos peruenerunt. CAPVT XVII.

Hucrefer Nicephori cap. 7. 18. lib. 2. Vide Suidã in philone. Vide Hieron. in Catalogo Scriptorũ illuſtriũ.

ITe Philo verbis copioſus, ſentẽtijs locuples, & in diuinis Scripturis explicandis altus, inq; ſublime ſe tollens, variã & multiplicem ſacri eloquij interpretationem pertexuit. * Primum opus cõpoſuit in Geneſin, quod res in ea contentas ſerie quadam & ordine complectitur: quod quidem inſcripſit, Sanctarum legum allegoria. Deinde diſtinctiones ſigillatim, eorum potiſſimum, quę in Scripturis aliquid videtur habere controuerſiæ, contexuit: in quibus tum obijcit, tum obiecta diſſoluit. quos libros, Quæſtiones & ſolutiones eorum, quæ tum in Geneſi, tum in Exodo quæri ſolent, aptè ſibi ipſis mutuò reſpondentes, inſcripſit. Sunt etiam præteriſtos libros, aliarum quarundam materiarum lucubrationes ab eo ſeparatim confectæ: vtpote de Agricultura libri duo: de Ebrietate totidem. alij etiam ſeparato quodam & proprio titulo inſigniti: vt ille, Quas res mens ſobria & modeſta optat, quasq; execratur. Alter de linguarum confuſione. Eſt & alius, de Natura & inuentione. Item alius, De earum rerum cognitione, quę antequam ad Sacras literas veniamus, diſcendę ſunt. Alius, de eo argumento perſcriptus, Quis nã ſit qui rerum diuinarum hæreditatẽ ſit conB ſecuturus. Alius, de Partitione æqualium & inæqualium. Quinetiam alius, De tribus virtutibus, quas vnà cum alijs deſcripſit Moyſes. Præterea eſt liber, De his quorum nomina commutata ſunt, & qua gratia etiam ſint commutata: in quo ait, ſe duos libros de Pactis contexuiſſe. Eſt etiam liber illius, De demigratione Abrahami, ſiue de colonia. Adde his libros de Sapientis vita ex iuſticiæ regula perfecta & abſoluta, ſiue de Legibus non ſcriptis: de Gigantibus: de Numine diuino, quòd mutari nequeat. Accedunt his quinque libri, De eo quòd (vt eſt apud Moyſen) ſomnia diuinitùs cuiq; immiſſa ſunt. Atq; iſti ſunt libri ab eo in Geneſin editi, qui ad nos peruenerunt. In Exodum quinque libros illius, De quæſtionibus & ſolutionibus, cognouimus. Alterum item, De tabernaculo: alterum, De decem præceptis. Sunt & quatuor eius libri de Legibus ſeparatim ſcriptis, quæ ſummatim ad capita decem præceptorum referuntur. Alius præterea, De animalium ſacrificijs & victimis. Alius, Quenam & quot ſint ſacrificiorum genera. Alius, De præmijs quæ bonis viris in lege propoſita ſunt, deq; ſupplicio & execratione improbis infligenda. Præter hos vniuerſos, ſinguli illius libri feruntur: ſicut de prouidentia, De homine ciuilem vitã degente, ſiue de Ioſeph. De Iudæis: porrò Alexander, ſiue De eo, quòd bruta ratione prædita ſint. Adiunge his eum libellum, qui De eo quòd improbus quiſq; ſit ſeruus, inſcribitur. Ad quem ſequitur alius, De eo quòd quiſq; ſtudioſus ſit liber. Quibꝰ adiunctus eſt liber De vita in cõtemplatione poſita, ſiue De ſupplicibus. Ex quo ſunt ea quæ de virorũ Apoſtolicorum vita perſecuti ſumus, deprompta. Nominũ etiam Hebręorum in lege & prophetis interpretationes ab illo lucubratæ dicuntur. Iſtũ autem Caio regnante Romam profectũ eſſe, & librum quem de Caij impietate & ſcelere compoſuerat, quemq; facetè & diſſimulanter de virtutibus inſcripſerat, poſtea Claudio imperium gerente coram vniuerſo Senatu Rom. recitaſſe memoriæ proditũ eſt: vnde non illud opus ſolum, verùm etiam alia ab eo edita, tantoperè admirabantur Romani, vt digna exiſtimarent quæ in Bibliotheca, tanquam monumenta quædam, reponerentur. Per idem tempus, dum Paulus vſq; ad Hieruſalem, & loca vndiq; ad Illyricum itinere peragrabat, Claudius Iudæos Roma prorſus eiecit. Quo quidem tempore Aquila & Priſcilla cum alijs Iudæis Roma decedentes, in Aſiam nauigarunt: illic cum Apoſtolo, fundamenta eccleſiarum paulo antè ibidem iacta conſtabiliente, commorati ſunt: quæ etiam ſacra Scriptura in actis Apoſtolorum ſatis euidenter edocet.

Philonis opera Romæ in pub. Bibl. repoſita.

Iudæi eiecti. Act. 18.

Philonis liber ironice inſcriptus de Virtutibus.

Ad hanc Pauli peregrinationem refer Niceph. cap. 19. 20. 24. 25. lib. 2.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qualis calamitas Iudæos qui Hierusalem incolunt, ipso die Paschæ oppresserit. A

CAPVT XVIII.

Ruff. ca. 19. *Sub Claudio seditio. anno eius 7. Christi. 49.*

PRorrò cũ Claudius imperiũ administraret, talis Hierosolymis seditio & turba fortè fortuna in die festo Paschatis cõflata est: vt illorũ duntaxat Iudæorum, qui dum per tẽpli ianuas aceruatim egrediebantur, vi erant inter se cõtrusi, mutuoq; pedibus cõculcati † triginta milia interirent. Atque ita festi celebritas non genti solum vniuersæ grauem luctum, verumetiam singulis priuatim familijs lugubrem fletum attulit. Atq; nõ hæc solum ad verbum propemodũ narrat Iosephus, verùm etiã alio in loco scribit *, quo pacto Claudius Agrippã, filiũ Agrippæ, Iudæorũ regno pfecerit: Feliciq; regionis totius Iudææ, Samariæ, Galileæ, & illius etiã quæ trans Iordanẽ appellatur, procurationẽ dederit, q cum imperiũ ad annos tredecim & menses octo gubernasset, Neronẽ imperij successorẽ post se relinquẽs, abijt è vita.

Huc refert Niceph. c. 26. lib. 2.

† Vide annot. pa. 17. lat. 2. li. 35.

Ioseph lib. Antiq. 20. cap. 4. idẽ de Capt. lib. 20. c. 20. Vide Oros. lib. 7. cap. 6.

Ruf. ca. 20.

Anno Christi 58. Claudij 11.

Quænam regnante Nerone Hierosolymis gesta sunt.

CAPVT XIX.

Nero anno Chr. 56.

Seditio sub Nerone. Cap. 6. in fine. Eusebius in Chron. hanc seditionẽ accidisse ait decedente iam Felice, anno Christi 57. Neronis 1.

DE seditione quæ temporibus Neronis, Felice Iudæorum præfecturam gerente, inter sacerdotes concitabatur, Iosephus in vigesimo Antiquitatis libro scribit, his ferè verbis: Erat seditio Pontificibus contra sacerdotes & optimates plebis Hierosolymitanæ miserè incensa. nã quisq; illorum, manu audacissimorum hominum, & nouis rebus maximè studentium ad se ascita, se ducem eiusdem præbuit. Atq; tumultu suborto, conuicijs ipsi se mutuò lacerant, lapidibusq; obruũt. Ac nemo erat qui turbam comprimeret, sedaretúe: sed tanquam in ciuitate rege & gubernatore destituta, ista cum licentia quadam effrenata admissa fuerunt. Pontifices eò impudentiæ & audaciæ proruperunt, vt seruos in areas sacerdotum, decumas illis debitas vi abrepturos, mittere non dubitarent. Vnde accidit, vt sacerdotes inopia pressi, fameque & inedia enecti, miserabiliter perirent. Sic crudelis seditiosorum violentia, ius fasq; omne peruertit. Idem porrò author, iterum eisdẽ temporibus Hierosolymis quandam latronum factionem succreuisse narrat, quos ait interdiu, etiam in media ciuitate, eos qui illis fortè obuiam fiebant, neci crudeliter tradidisse: & maximè quidem, cum diebus festis essent multitudini permisti, paruis quibusdam sicis sub vestibus occultatis, viros dignitate præstantes confodisse. Quibus vulnere concidentibus, ipsos homicidas opinionem hominibus attulisse, se ex eorum numero esse, qui talium virorum mortem iniquo animo ferre videbãtur, cœpisseq; vnà cũ illis de rei indignitate conqueri: ac propterea omninò præ verisimili & credibili rei specie, incognitos & minimè deprehensos latitasse. Primùm autem ab illis Ionathan principem sacerdotum interemptũ esse: post eius interitũ, in dies singulos alios nõnullos trucidatos: vnde calamitatis timor cuiusq; animo incussus (singulis enim temporum articulis quisq; mortem, perinde ac si in procinctu fuisset, sibi imminere expectabat) ipsa calamitate multo plus habuit acerbitatis.

Ioseph Antiq. libr & cap. eodem.

De Ægyptio, cuius in actis Apostolorum mentio facta est.

CAPVT XX.

Huc refert Nicephori c. 26. lib. 2. Tacit. li. 12. Antiq. lib. 20. cap. 6.

Ruff. c. 21. Ægyptius pseudoprophe. ta, cuius historiam Euseb in Chron. ad annũ Christi 55. Claudij Cæs. 13. refert sub Felice procuratore Iudææ vt consonet cum act. c. 12. Felix Iudææ præfectus Ægyptium oppri mit, anno Christi 55. Claudij 13.

DEinceps, vbi alia cõmemorauerit, hæc præterea adiungit. * Falsus quidam & adumbratus propheta Aegyptius, Iudæos plaga, illis q̃ suprà citatę sunt, gratiore acerbioreq; afflictauit. Nã in regionẽ illorũ homo ille præstigiator ingressus, nomen prophetæ sibi ipse falsò imposuit: atque adeò circiter triginta millia hominũ, quos suis præstigijs in fraudem pellexisset, in vnum coegit. Quibus ex loco deserto in montẽ Oliuarum subductis, inde constituit Hierosolymã vi & armis adoriri: atq; si fortè Romanorum præsidia & populum Iudaicũ euinceret, tyrãnidẽ exercere, illisq; pro stipatoribus vti, qui vnà cum ipso in vrbẽ irruptionẽ fecissent. Verùm perditum eius conatum prœuertens Felix, cum armata manu Romanorum illi obuiã audacter procedere, & vniuersa populi multitudo ad vrbis propugnationẽ pariter subsidio venire cœpit: adeò vt simulatq; cœptum erat manu cõfligere, Aegyptius cum paucis fugam capesseret: maxima autẽ pars eorum qui cum illo societatem coiuissent, aut prælio interijt, aut captiua abducta fuit. Hæc Iosephꝰ, in secundo historiarum libro, de Iudęorum captiuitate. Cæterum operæ precium est, his quæ de hoc Aegyptio isto loco explicata sunt, illa etiam quæ de eodẽ in Actis Apostolorum scribuntur, adiungere. In quo libro fit mentio, quomodo Felice Iudææ gubernante, apostolo Paulo (cum Iudæorum multitudo coniurationẽ contra eum fecisset) à tribuno plebis Hierosolymis dictum sit: Nonne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? Sed de Felice hactenus.

Act. cap. 12.

QVOD

A *Quod Paulus, cùm ex Iudæa Romã vinctus ad purgandũ se missus erat, omni accusatione liberatus est.* Ruffi. ca. 22. *Festus Iudææ præfectus. Anno Chr. 58. Neronis 2. Paulus cum Aristarcho captiuus. Colos. 4.*

CAPVT XXI.

Huc refer Nicephor. cap. 28. 29. 30. 31. 32. 33. lib. 2.

HIc verò, Neronis mandato, successit Festus, sub cuius præfectura, cũ Paulus ibi causam pro se egisset, vinctus Romã deducitur. Aristarchus comes illi aderat, quẽ in quodam loco Epistolarũ, concaptiuũ non immeritò appellat. Quinetiam Lucas, qui Acta Apostolorũ literis prodidit, historiæ finem fecit his ferè verbis: Paulus bi ennio integro Romæ quietus ac liber
" commoratus est, & Dei verbum absque impedimento prædicauit. Tandẽ verò, cũ pro
" se in iudicio respondisset, traditũ est, eum ad Euangeliũ passim prædicandũ se denuò recepisse: ac postquã ciuitatem secũdò aduentauerat, beato martyrio extremũ vitæ diem obijsse. Quo quidẽ tempore vinculis cõstrictus, secundã contexuit ad Timotheum epistolã: in qua tum prioris causæ suæ defensionis, tum migrationis ex hac vita, quæ euestigiò insecuta est, mentionẽ facit. Verùm istarum rerũ illius ipsius accipite testimonia, di
" centis: In prima mea defensione, nemo mihi adfuit, sed oẽs me dereliquerunt. Ne illis
" imputetur. Dominus autem mihi astitit, & cõfortauit me, vt per me prædicatio adim-
" pleretur: & audirent omnes gentes, quia liberatus sum ex ore Leonis. Quibus planè satis dilucidè ostendit, quòd antea (vt prædicatio per illũ perfectè expleretur) ereptus erat ex ore Leonis. Atque isto nomine, vt probabile est, Neronẽ propter animi crudelitatẽ nuncupauit. Ob eamq; ipsam causam nõ dissimile quiddã deinceps adijcit: Liberabit, inquit, me ex ore Leonis: nã sacrosancti Spiritus instinctu, exitum eius iã breui futurum præui-
" dit. Ac propterea adiungit: Liberatus sum ex ore Leonis, & illud: Liberabit me Domi-
" nus ab omni opere malo, seruabitq; in regnũ suum cæleste. In quo quidẽ suum mox futurum declarauit martyriũ. Quod etiã planius in eadẽ Epistola paulò antè prædixerat:
" Ego enim iã delibor, & tẽpus dissolutionis meæ instat. Iã verò in Epistola ad Timotheũ
" secunda, Lucã solũ illi, dum scribebat, adfuisse declarat: atq; in priore defensione, ne istũ quidẽ. Vnde reuera cõstat, Lucã de actis Apostolorũ scribentẽ eo tempore finẽ fecisse: neq; vltra tempora, quib. cũ Paulo versabatur, historiã deduxisse. Ista sunt eo animo à nobis cõmemorata, vt ostendamus, Paulum nõ primo eius ad vrbẽ Romã aduentu, quẽ Lucas recensет, certamen cõfecisse martyrij. verisimile enim est, Neronem in principio imperij sui mitius mãsuetiusq; affectũ, Pauli defensionẽ pro religione Christiana allatã, benignius faciliusq; admisisse: verùm cũ ad nefandã & intollerabilẽ audaciam processisset, inter alia crudelia eius facinora, ea etiã quę contra Apostolos edebat, aggressum esse.

Ne illis 2. Tim. 4.

Nero, Leo.

2. Tim. 4.

Pauli martyrium.

B

Quo pacto Iacobus, qui frater Domini appellabatur, martyrium passus sit.

CAPVT XXII.

Ruffi. ca. 23. *Anno Chr. 63. Neronis 7. Iacobi fratris Domini martyrium.*

Huc refer Niceph capit. 38. li. 2.

IVdæi ergo, cùm Paulus prouocasset ad Cæsarem, & ad vrbem Romã à Festo missus esset, spe penitùs, qua consilium in eius necem compararent, excidentes, in Iacobum fratrem Domini (cui ab Apostolis sedes episcopalis Hierosolymitana delata fuit) omnem suam maleuolentiam conuertunt: contra quem ea scelera quæ sequuntur, comparata fuêre. Primùm illum in medium adducunt, & vt fidem Christi coram omni populo deneget, vehementer sollicitant. Verùm cũ prẽter omniũ opinionẽ, liberiore ore voceq;, quã expectarẽt, prẽsente vniuersa multitudine, filiũ Dei, seruatorẽ & Dominũ nostrũ Iesum ingenuè & fidẽter cõfessus fuisset: hominis testimoniũ (nam propter summũ sapientiæ & pietatis studiũ quod in vita assiduè excoluerat, ab omnib. iustissimus putabatur) amplius tolerare nõ pꝓterant. Eũ igitur tũ neci dãt, cũ ad illud facinus impunè obeundũ, interregni opportunitatẽ arripuissent. Quippe Festo per id tẽporis mortuo, summa rerũ in Iudæa administratio principe & gubernatore penitus erat destituta. Cæterũ quanquã Iacobi necis ratio & modus ex verbis Clemẽtis, suprà citatis, satis cõstare poterit, (qui quidẽ eum à templi pinna præcipitatũ, fullonisq; vecte percussum, mortẽ oppetiuisse narrat) † Egesippus tamẽ, Apostolorũ ætati proximè succedẽs, in quinto, ea quæ ad illũ spectãt, historię suæ libro, accuratissimè tradit ad hũc modũ: Iacobus frater Domini, qui à Seruatoris tẽporibus ad nostrã vsq; ætatẽ Iustus (Iacobi enim nomine multi donati erãt) ab omnib. appellatus fuerat,
„ Ecclesiæ administrationẽ vnà cũ cæteris Apostolis suscepit. Hic ab vtero matris suę san-
„ ctus fuit: vinũ & sicerã non bibit: animaliũ carnib. se abstinuit, nouacula caput eius nun-
„ quã rasum fuit, neq; corpus oleo perunctũ, aut balneis lotum. Huic vni licebat in Sancta
„ sanctorũ ingredi: vestibus enim vtebatur nõ laneis, sed lineis duntaxat. In templũ solus
„ intrare solitus est: atq; ibi genibus humi positis, pro populi peccatis veniam postulare:
„ cuius genua, quòd tã assiduè tum ad Deũ augustè sanctèq; adorandũ, tum ad veniã pre-
„ cibus populo exposcendã, procumbebat, cameli instar, tuberculis cõtractis obduruerũt.

Festi mort.

Egesippi de Iacobi martyrio locus.

† vide annot. pag. 18. lat. 2. lin. 27.

Iacobus iustus cognominatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Item Oblias.

Qui propter singularem iusticiæ præstantiam, Iusti & Obliæ (quod Latinè populi præsidium dici potest, & iusticia) nomen, sicuti prophetæ de eo memorant, inuenit. Quibus- A
dam igitur ex septem [a] sectarum fautoribus in populo sparsarum, & à me in historia an- Prophetæ de Iacobo Iusto.
tè declaratarum, ab eo scisciantibus quod nam esset [b] ostium Iesu? respondit, Iesum «
esse Seruatorem. Ex quorum numero nonnulli crediderunt, quod Iesus esset Christus. «
Sectæ autem supra scriptæ, neque carnis resurrectionem fore, neque illum venturum «
qui cuique sit pro his quæ rectè aut secus gesserit in vita, mercedem redditurus, omni- «
no crediderunt, verùm quotquot crediderunt, Iacobi prædicatione & hortatu credide- «
runt. Ergo cũ plerique etiam ex principibus viris fidẽ essent amplexati, nõnulli ex scri- «
bis, Pharisæis, & reliquis Iudæis tumultuari, atque adeò vociferari cœperunt, quòd v- «
niuersus ferè populus Iesum existimabat verum esse Christum. Qui etiam ad Iacobum «
profecti, sic compellare: Te obnoxiè oramus, vt quoniam populus fide in Iesum, perin- «
de ac si verè esset Christus, collata, in grauem errorem delapsus est, eum ab hac opinio- «
ne auoces: atque vt omnes etiam, qui hodie ad festum diem Paschatis celebrandũ con- «
uenerunt, de Iesu rectè vereq́ue erudias, te etiam atque etiam obtestamur. Tibi enim o- «
mnes fidem adhibemus: nec nos solùm, sed tota etiam multitudo perhibet testimo- «
nium, quòd iustus sis, quodq́ue personam non respicias. Persuadeas igitur populo de «
Iesu, nè erret. Etenim & vniuersus populus, & nos omnes tibi credimus. Idcircò statue «
teipsum super pinnam templi, vt de superiore loco cunctis conspicuus sis, atque adeò «
tua verba à tota multitudine facilè & sine impedimento audiantur. Propter festũ nam- «
que Paschatis non solũ omnes Iudæorum tribus, sed multi etiam ex gentibus conuene- «
rant. Proinde scribæ & Pharisæi, quos suprà posuimus, Iacobo supra pinnam templi col- «
locato, cœperunt exclamare ac dicere: O Iuste, cui omnes meritò debemus fidem adiun «
gere: quoniam populus Iesum crucifixum imitando aberrauit, tu idcircò nobis com- «
monstra, quod sit ostium Iesu crucifixi. Qui clara voce sic respõdit: Quid me interroga- «
tis de Iesu filio hominis? Ipse sedet in cælo à dextris magnæ virtutis & potentiæ Dei, & «
in nubibus cæli venturus est. Atque cũ multi plenè essent persuasi, & ob Iacobi testimo- «
nium Deum laudibus in cælum ferrent, dicerentq́;, Osanna filio Dauid: scribæ & Pha- «
risæi de integro cœperũt primùm inter se ita colloqui: Malè certè & infeliciter cecidit, «
vt istud testimonium nostra opera Iesu tribueretur. At conscensis gradibus, illum deij- B
ciamus præcipitem: vt homines inde perterrefacti, nullam fidem eius doctrinæ adhi- «
beant. Deinde clamare ac dicere: O, O, Iustus etiam errauit. in quo eloquia sacra apud «
Isaiam scripta planè expleta fuêre: Tollamus è medio Iustum, quoniã nobis molestiæ «
est, & incommodo. Quocirca fructus operum suorum comedent. Tandem ergo ascen- «
dentes, Iustum præcipitem dederunt, dixeruntq́ue ipsi inter se: Iacobum Iustum obrue- «
re oportere lapidibus. Et quoniam deiectus in præceps, non statim mortẽ obijt: sed vul- «
tu sursum sublato, genibusq́; flexis dixit: Obsecro Domine Deus pater, da illis veniam: «
nesciunt enim quid faciunt: cœperunt saxa in eum conijcere. Cumq́ue lapidibus illum «
obterere pergerent, vnus de sacerdotibus ex filijs Rechab, filij Rechabim, qui sunt Hie- «
remiæ testimonio commendati, voce emissa contentius, dixit: Quid agitis? Iustus pro «
vobis Deum precatur. Attamen vnus ab illis qui fullo erat, arrepto vecte quo vestes so- «
lebant premere, in caput Iusti impegit: ita vitam, beato & felici martyrij cruciatu affe- «
ctus, afflictusq́ue amisit: inq́ue loco quodam prope templum, vbi columella eius no- «
mine inscripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum est. Iste Iacobus tum Iudæis, «
tum Græcis, verus & incorruptus testis fuit, Iesum verè fuisse Christum. Non multò «
pòst Vespasianus Iudæam obsedit, Iudæosq́ue redegit in seruitutem. Hæc Clementis hi- «
storiæ mirè consentientia, Egesippus vberius pleniusq́ue explicauit. Iacobus igitur vir
in primis admirabilis, & omnium sermonibus propter illustre iustitiæ decus magnope-
rè celebratus fuit: vsque adeò, vt qui inter Iudæos haberentur prudentes, hanc esse cau-
sam putarent, cur tam citò post eius martyrium obsidione Hierusalem vndique cinge-
retur: quã profectò obsidionem nulla alia de re illis obtigisse creditur, quàm quòd tam
audax facinus & scelus inexpiabile contra illum consciuissent. Nam Iosephus etiã non
grauatur, hoc idem suorum scriptorum testimonio euidenter confirmare, ijs ferè ver-
bis: Iudæis quidem ad scelus vindicandum in Iacobum Iustum, fratrem Domini, qui «
dicitur Christus, ab illis admissum (illum namq́ue iusticiæ facilè primas ferentem, im- «
piè neci dederant) istæ obuenêre calamitates. Idem author in vigesimo Antiquitatis li- «
bro, eius quoq; mortem hoc modo narrat: Cæsar cũ de Festi morte esset certior factus, «
Albinum præfectum & procuratorem in Iudæam misit. Ananus Iunior, qui summi sa- Anno
cerdotij dignitatem (vt diximus) obtinuit, quiq́ue moribus præfractus, & supra modũ Christi 62.
audax temerariusq́ue, sectam Sadducæorum, qui in iudicijs ferendis (vt supra positũ est) Neron. 6.

sunt

a De his sectis vide cap. 22. lib. 4. Egesippi, & Epiphan. contra hæres. tom. 1.
b Alludit ad locum Ioan. 10. Ego sum ostium: per me si quis introierit saluabitur.
Iacobi de Iesu testimonio.
Esaiæ.
Hierosolymæ obsidionis causa, Iacobi cædes. Iosephus Antiq. lib. 20. cap. 8.
Albinus præfectus.
Ananus sacerdos.
Sadducæi.

A sunt præ cæteris Iudæis crudeles & acerbi, sedulò secutus est, ratus se opportunum tem-
„ pus nactum, tum propter Festi mortẽ, tum præterea quòd Albinus adhuc inter vias mo
„ ram faceret, cõcilium consessumq́; iudicum coegit: ac cùm fratrẽ Iesu Christi, nomine
„ Iacobum, & alios quosdã cum illo in iudicium adduxisset, crimenq́; in illos, quasi fuis-
„ sent leges perfringere & violare conati, falso cõfinxisset, lapidibus obruendos tradidit.
„ Verùm qui in ciuitate modestissimi esse, quiq́; legum præscripta accuratè exequi vide-
„ bantur, rẽ sanè grauiter & acerbè ferre cœperunt: ad regem Agrippã clàm legatum mit-
„ tere, illum deprecari vt literas ad Ananum daret, quò minus deinceps talia patraret faci
„ nora. Nã hoc primo iam tempore eum parum cõsideratè rem gessisse affirmârunt. Nõ-
„ nulli porrò ex illis Albino Alexandria iter capienti obuiam prodire, docere quo pacto
„ absq; eius sentẽtia Anano non liceret consilium cogere, statueréue. Albinus his verbis
„ persuasus, iracundè ad Ananum scribit: seq́; de eo pœnas sumpturum interminatur.
„ Rex Agrippa ob hãc causam illi, cùm tres iã menses præfuisset, summi sacerdotij adimit
„ officium: & Iesum filium Damnæi ei muneri præfecit. Hæc de Iacobo literis prodita
sunt: à quo prima Epistolarum, quæ Catholicæ nominãtur, dicitur scripta esse. Illud ta-
men nos minimè præterire decet, quod licet à quibusdã tanquã adulterina, & minimè
germana propterea iudicetur, quòd nõ adeò multi ex veteribus illius epistolæ, sicut nec
eius quæ dicitur Iudæ (quæ etiam in septem Catholicarum Epistolarum numero poni-
tur) vllam omnino mentionem faciant: tamen nos istas cum reliquis, in quàm pluri-
mis ecclesijs publicè receptas approbatasq́ue cognouimus.

Primus Alexandrinæ Ecclesiæ episcopus post Marcum, Anianus constituitur &c.

CAPVT XXIII.

Huc refer Nicephor. cap. 15. lib. 2.

CTauo anno imperij Neronis, [a] Anianus, vir tum Deo propter pietatem charus, tum in omnibus rebus admirabilis, primus post Marcum euangelistam in mi-
B nisterium ecclesiæ Alexandrinæ successit.

De persecutione quæ sub Nerõe accidit, in qua Pet. & Paul. Romæ martyrio & pietate cõdecorati sunt.

CAPVT XXIIII.

Huc refer. Nicephor. cap. 34. 35. 36. 37. lib. 2.

IAm verò [b] Nero, simulac imperium suum erat firmè corroboratum, ad im-
pios & nefarios conatus toto pectore incubuit: atque ad ipsum verum cul-
tum & pietatẽ in Deum omnium rerum authorẽ oppugnandam, seipsum
fortiter armauit. Cæterùm qualis hic tandẽ fuerit, quãtaq́; improbitate no-
bilitatus, non est præsentis quidẽ ocij & temporis perscribere: sed qui volue-
rit, poterit ex multis scriptoribus, qui eius res gestas historijs suis accuratissimè tradide-
runt, hominis importunæ insaniæ feritatẽ facilè cognoscere. Qua quidẽ exagitatus, in-
finitorum penè hominum cædes, nulla habita ratione, machinatus, eò crudelitatis pro-
ruit, vt ne ab interitu quidẽ maximè necessariorum, & summa sibi amicitia coniuncto-
rum, cruentas manus abstineret. Nam matrem, fratres & vxorem, cum alijs infinitis sibi
generis vinculo coniugatis, perinde atq; hostes & inimicos, varijs mortium generibus
affecit. [c] Verùm ad omnia eius scelera hoc vnum deesse videbatur, quo tanquã titulo in
signiri debuerat, quòd scilicet primus ex imperatoribus Rom. religiosi cultus, qui sacro
numini tribuitur, [d] hostis infestus declaretur. Cuius [e] Tertullianus, Latinus scriptor, sic
† vidè an- not. pag. 20. lat. 1. lin. 7.
ferè facit mentionẽ: consulite, inquit, vestros cõmentarios, illic reperietis, primũ Nero-
nem in hanc sanctã, † tum maximè Romæ orientẽ, Cæsariano gladio ferociisse. Sed tali
dedicatore dãnationis nostræ gloriemur? Qui enim scit illũ, intelligere potest, nõ nisi a-
liquod bonũ grande à Nerone dãnatum. * Iste igitur qui hoc pacto infestissimus Dei ho
stis primus prædicatus fuit, ad Apostolos etiã trucidandos incitabatur, [f] Paulũ proinde
Romæ eo regnãte securi percussum, & Petrũ etiam suffixũ cruci, historiarũ monimẽtis
proditũ est. Quinetiã insignis ac testata Pet. & Pauli inscriptio, quę in cœmiterijs Romæ
ad hoc vsq; tempus manet, huius rei gestę fidẽ facit. Atq; hæc ita se habere, cõfirmat iti-
dẽ vir ecclesiasticus, [g] Caius nomine (qui Zephyrini põtificis Rom. temporib. vixit) in-
quę disputatiõe scriptis prodita, quã cùm [h] Proclo Cataphrygũ hæresis & opinionis pa-
trono habuit, eadẽ ipsa dẽ locis, vbi sacra Apostolorũ (quos suprà citauimus) [i] taberna-
„ cula locabãtur, asserit. Ego, inquit, Apostolorũ trophęa perspicuè possum ostendere. Nã
„ si lubet in Vaticanũ proficisci, aut in viã quæ Hostiensis dicitur, te cõferre, trophæa eorũ
„ qui istam ecclesiam suo sermone & virtute stabiliuerunt, inuenies. [k] Porrò Dionysius
„ Corinthiorum episcopus, illos ambos martyrium eodem tempore pertulisse, sic ad Ro-
„ manos scribens cõmemorat: Petrũ & Paulũ, qui Romanos & Corinthios primũ in ec-
„ clesiam Christi inseruerunt, prudenti quadam admonitione impulsi, in vnum locum
cõclusistis. Nam ambo cùm & nostram Corinthi & vestrã Romę ecclesiã fundassent, &

ciuf-

Iesus Damnæi F. sacerdos.
Iacobi Apostoli catholica, itẽ Iudæ.
Ruffi. c. 22.
Anno Christi 65. Neron. 9.
a Anianus episcopus. Marcus euangelista.
b Neronis impietas, & crudelitas.
c Prima persecutio in Christianos.
d Nero primus imperatorum persecutionẽ mouet in Christianos anno Imperij sui 4. Christi 70.
e Tertull. in Apol. aduersus Gentes.
* Ruffe. 25.
f Pauli & Petri martyria anno Christi 70. Neronis 14.
g Caius scriptor ecclesiasticus testis martyrij SS. Petri et Pauli.
h Hieron. in Catal. script. eccles. Proculum vocat.
i Tabernacula, id est, corpora sic enim & Petrus, Pet. 1. corpus suũ appellat, gr. εκε σκηνωμα sunt.
k Dionysius Corinthi. epis. pus. testis martyrij SS. Pet. et Pauli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ciusdem doctrinæ præceptis tum nostros animos, tum vestros imbuissent, eodem tempore pariter martyrium subierunt. Atque ista hoc loco intexuimus, quo rei gestæ maior certiorque adiungatur fides. A

Quomodo Iudæi infinitis malis exagitati sint, & quomodo postremum bellum Romanis intulerint.

CAPVT XXV.

Huc refer Nicepb. cap. 3. lib. 3. Ioseph. de bell. Iuda. lib. 4. ca. 9. Egesip. lib. 4. cap. 6. Tac. li. 2.

Ruf. ca. 26. De capt. li. 2. cap. 2.

IOsephus rursus, vbi permulta de clade quæ vniuersam Iudæorũ gentem oppresserat, disseruit, narrat his propemodum verbis, quo pacto, præter alios complures homines plebeios, infiniti ferè ex illis qui erant apud Iudæos, in summo honoris gradu locati, cæsi verberibus à Floro in crucem acti essent. Hic verò Iudęæ præfectus tum fortè fuit, cùm bellum Iudaicum duodecimo anno Neronis imperij erat concitatum. Deinde idem scriptor, propter quãdam [a] Iudæorum seditionem Cæsareæ ortam, ait, adeò grauem & pestiferum tumultum passim per totam Syriam peruasisse (dum Iudæi ex suis hominibus ciuitatem quanque incolentibus, tanquã ex capitalibus inimicis extinguebantur) vti ciuitates corporibus inhumatis refertas, senes mortuos simul cum infantibus miserabiliter proiectos, mulieres omni integumento quod ad pudorem necessariò adhiberi solet, denudatas, totam denique prouinciã ærumnosam & plenam calamitatum quæ dicendo exprimi non poterunt, manifesto cernere potuisses. † Quinetiam metus vastitatis & euersionis futuræ, quã præsens Reipublicæ status minabatur, multò plus habuit molestiarum, quàm facinora illa quæ modò fuissent à singulis temerè & audacter admissa. Hæc totidem ferè verbis Iosephus. Eo tempore Iudæorum res hoc loco fuêre.

Florus præfectus, cuius in Iudæa initiis Euseb. in Chron. ponit anno Christi 66. Neronis. 10.

a Iudæorum seditio Cæsareæ orta

† vide annot. pag. 20. lat. 1. linea 31.

FINIS SECVNDI LIBRI.

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE Palæstinæ, Ecclesiasticæ Historiæ Liber Tertius. B

Apud quas Gentes Christum Apostoli prædicarunt.

CAPVT I.

Huc refer Niceph. cap. 39. 40. 41. 42. 43. 44. lib. 1.

Ruf. cap. 1. *Apostoli apud quas gentes singuli Christũ prædicarint.* * Ruf. ca. 2. *Thomas. Andreas. Ioannes. Petri & Paulus mors.*

ISTO modo cũ Iudæorum rebus actum accepimus. Iam verò vt ad sanctos Seruatoris nostri Apostolos discipulosque, qui erant per vniuersum orbem fusi ac dissipati, redeamus: Thomas (vt memoriæ proditum est) Parthiam obtinuit: Andreas Scythiam: Ioannes Asiam obijt, vbi reliquũ etiam vitæ suæ cursum conficiens, Ephesi morte occubuit. * Petrus autẽ, vt videtur, Iudæis qui in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia & Asia disperśi vixerunt, verbum Dei prædicauit. Qui ad extremum cùm Romæ versaretur, capite deorsum statuto (sic enim perpeti cupiebat) cruci suffixus est. Quid attinet de Paulo dicere, qui simulac ab Hierusalem ad Illyricum vsque fuerat euangelij Christi prędicandi munus plenè executus, pòst Romæ, Nerone suammã rerum administrante, martyrio occubuit. Ista ab Origene ad verbum, tertio tomo Commentariorum quos scripsit in Genesin, reuerà commemorata sunt.

Origen. Comment. in Gen

Quis primus Romanæ Ecclesiæ præfuit.

CAPVT II.

Hoc cap. quæ cõtinentur Ruffinus non habet. Post Petrum Romæ 1. Linus episcopus. 2. Tim. 4.

Vide Nicephor. lib. 3. cap. 2.

POST Pauli & Petri martyrium, primus Romanæ Ecclesiæ episcopatum Linus sortitò capit. Huius meminit Paulus, è Roma ad Timotheum scribens, in ea salutatione quam ad extremam Epistolæ partem adnectit: Salutant te, inquit, Eubulus, Pudens, Linus, & Claudia.

De

A *De Apostolorum epistolis.* CAPVT III.

Huc refer Nicephori cap. 45. 46. lib. 2.

VNa verò Petri epistola, quę prior illius esse dicitur, omnium consensu est approbata. Hanc, quasi extra omnem controuersiam positam, veteres presbyteri in suis ipsorum scriptis citarunt. Eam autem quæ illius secunda fertur esse epistola, non ita auctoritate & testimonio veterum confirmatam accepimus. verùm cum plerisq; perquàm vtilis illa quidem videretur, vnà cum alijs scripturis studiosè perlegi, perdiscíq; solita est. Quæ autem acta illius inscribuntur, atque Euangelium quod secundum Petrum appellatur, libellum præterea de eius prædicatione, opusque illius quod Apocalypsis vocatur, non omnino in Scripturis catholicis numerata approbatáue cognouimus: quandoquidẽ nullus scriptor ecclesiasticus vel ex veteribus, vel ex his qui nostra memoria viguerunt, testimonijs ex illis libris depromptis aliquando vsus est. Cęterùm cum iam ratione & via procedat historia, operæpretiũ me facturum puto, si dum Apostolorum successionẽ persequor, vnà etiam commemorem quæ nam ex scripturis, quibus cõtradicitur, fuerint illæ, quarum testimonia nõnulli scriptores ecclesiastici, varijs temporibus in suos libros illigarunt: eaq; etiã quæ ab eisdẽ scriptoribꝰ tam de illis scripturis quarum authoritas omnium sentẽtijs constabilitur, quàm de ijs quæ non sunt eius generis, referantur. Ac de his quæ dicuntur scripta Petri (ex quibus vnam solam Epistolam germanam noui, eamq; summo antiquorũ presbyterorum consensu approbatam) ista sint isto tempore à nobis exposita. Pauli autẽ quanquam quatuordecim testatę & notæ dicuntur epistolæ, tamen quod quidam illi epistolæ quæ est ab eo ad Hebræos scripta, perinde ac si Pauli nõ sit, fidẽ abrogare studuerint, affirmauerintq; eidem ab ecclesia Romana contradici, in obscuro relinquere neutiquã consentaneũ existimaui. Ea igitur quæ sunt de hac ipsa à maioribus explicata, vbi tempus dabitur opportunũ, in historia ponã. Illa quæ eius acta vocantur, in scripturarũ illarum numero, de quibus nulla est omnino dubitatio, habita esse, nõ equidem accepi. Et quoniã Apostolus ipse in salutationibus quas extremę epistolæ ad Romanos perscriptæ attexit, inter alios etiam Hermæ cuiusdã (cuius opus esse ferunt, qui Pastoris libellꝰ inscribitur) mentionem facit, intelligendum est, istum, tametsi in quæstionẽ à nonnullis vocatur, ac propterea scripturis omnium assensu approbatis, nullo modo annumerãdus ducitur ab alijs tamen pernecessarium, ijs præsertim qui iam primis fidei elementis imbuendi sunt, iudicatũ esse. Vnde hoc quidem tempore eum non modò in ecclesijs palàm peruulgatum, verùm etiam eius testimonia à nonnullis veterum scriptorum in suis libris citata animaduertimus. Itaq; quo constaret, tum quæ in sacris Scripturis in nullam omnino quæstionem adductæ sint, tum quæ contra non satis ab omnibus probatæ, hæc in præsentia à nobis explicata sunt.

Petri epistolæ.

Petri acta, Euangelium, Apocalypsis.

Pauli epistolæ.

Ad Hebræos epistola an Pauli.

Pauli acta.

cap 16. Hermæ pastor extat inter orthodoxagrapha.

B

De prima Apostolorum successione. CAPVT IIII.

Huc refer Nicepho. cap. 1. 2. lib. 3.

QVòd verò Paulus gentibus verbum Dei prædicarit, quodq; ecclesiarum fundamenta ab Hierusalem & eius finibus vndiq; ad Illyricum vsq; iecerit, non solum ex suis ipsius vocibus, sed etiam ex libro Lucę qui Acta Apostolorũ inscribitur, satis perspicuum est. Porrò quibus in prouincijs Petrus Christi Euangelium, his qui erant ex circũcisione, enunciarit, nouumq; testamenti sermonem tradiderit, ex suis ipsius verbis, petitis ex epistola illa, quam illius verè esse omniumq; approbatione confirmatam fuisse diximus, quam denique Hebræorum stirpe oriundis, qui dispersè & vagè Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam & Bithyniam incoluerunt, scripsit, satis euidenter & apertè constat. Quot verò & quinàm veri & ingenui horum Apostolorum imitatores facti, satis habiles & idonei ad ecclesias, quas isti fundauerant, pascendas regendasque æstimati fuerint, dictu certè non est procliue: solis illis exceptis, quos aliquis fortasse ex Pauli scriptis obiter possit colligere. Huius enim adiutores, & vt ipse appellat, commilitones, propè infiniti extiterunt: quorum nonnulli Epistolarum ab eo perscriptarum testimonijs ad perpetuitatem duraturis donati, memoriæ sempiternæ commendantur. Eódem accedit Lucas, qui discipulos Pauli, dum in Actis eos enumerare contendit, nominatim percenset. Ex quorum numero fuit Timotheus, qui ecclesiæ quæ est Ephesi, primus episcopatum obtinuisse traditur. Titus itidem, qui ecclesijs quæ sunt in Creta præfuit: & Lucas etiam, genere Antiochenus, scientia & arte medicus, qui quidem tum plurimum cum Paulo versatus, tum reliquorum Apostolorum familiaritate & consuetudine non rarò aut leuiter vsus, præceptiones medicinæ, quam ex illorum doctrina ad hominum animos sanandos hausisset, duobus voluminibus diuinitùs inspiratis nobis reliquit: quorum alterum Euangelium est, quod se non aliter exarauisse testatur, atque ei tradiderant illi,

Ruff. cap. 4. Pauli prædicatio.

Petri prædicatio. 1. Petri. 1.

Pauli discipuli & collegæ.

Actor. 16.

Timotheus, Titus, Lucas, eiusq; scripta.

qui

qui ab initio suis oculis Christum vidissent, quiq; fuissent verbi ministri, [a] quos quidē à principio in omnib. accuratè se secutum tradit: alterū Apostolorum acta cōplectitur, quæ cùm nō auditione & fama, sed suis oculis ipse accepisset, in vnum libellum contulit. † Fertur etiā Paulum, cùm tanquā proprij cuiusdam & sui Euangelij memoriā in suis scriptis hoc modo vsurpare cōsueuerit (Secundum euāgelium meum) illud planè quod est secundum Lucā, intellexisse. Ex cæteris Pauli comitib. & discipulis vnum fuisse [b] Crescentē, quē in Galatiā profectum Paulus ipse testatur: alterum [c] Linū, quē in secunda ad Timotheum epistola simul cum illo Romæ versatum memorat, quemq́ue primum post Petrum in Romanæ eccleſiæ episcopatum sortè delectum suprà demonstrauimus. Alterum [d] Clemētem, qui Romanæ eccleſiæ tertius constituebatur episcopus, quē Paulus cooperarium suum & concertatorem in Domino fuisse testimonio confirmat. Addeijs [e] Areopagitā illum, Dionysium nomine, quem in Actis Apostolorum post Pauli concionem in Areopago apud Athenienses habitam, ad fidem conuersum fuisse, Lucas in Actis Apostolorum scribit: quēq́; primum eccleſiæ Athenienſis episcopum designatum, alius quidam Dionysius eccleſiæ Corinthiorum pastor, scriptor sanè peranti-quus, narrat. Verùm quo pacto Apostolorum successiones temporum seriegradatim continuatæ fuerint, à nobis, vbi dabitur occasio, in historiæ progressu dicetur. Nunc autem ad reliquam historiæ partem pergamus.

Galba. Otho. Vitellus. Vespasianus. Anno Christ. 71. sit Imperat. Vespas. † vide annot. pag. 21. lat. 2. lin. 30. 2. Cor. 4. 8.

Tertius liber hinc iam porrò ad tertium caput lib. quarti continet Acta sub Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerua, Traiano, annis quadraginta octo. Huc refer vitas Pontifi. Rom. Cleti, Clementis, Anacleti. Euaristi, Alexādri, Sexti, apud authores supradictos, itē Tomos Conciliorū: Epiphan. Irenæū. D. Augustinum de hæres & generaliter tomos hæreseon Suetonium in imperatoribus vsque ad Neruā, & Dionem Cas. Nicæum qui à Nerua incipit. Cornel. Tacit. lib. 17. 18. 19. &c. & c. Eutrop. lib. 7. 8. Orosium lib. 7. cap. 9. 10. 11. 12. Aurel. Victorem.

a Videtur hic Euseb. hūc Scripturæ locum aut non voluisse ad verbum citare, aut aliam habuisse lectionem, cūdicat: ὡς καὶ Παῦλον ἐπιστολὰς ἁπάσας πρώτην. λέγειν.

b Crescens. 2. Tim. 4.

c Linus. d Clemens.

e Dionysius Areopagita. Actor. 17. Dionysius Corinthius.

De vltima post Christum Iudæorum obsidione.

CAPVT V.

Ruffi. ca. 5. Eusebius in Chron. tribuit annos 14. Neroni. Vespasianus Imperat. declaratus.

POstquam Nero decem & tres annos imperij gubernaculis præfuerat, atque post illum Galba & Otho integrum annum & sex menses eundem dignitatis gradum obierant. Vespasianus expeditionum contra Iudæos susceptarum trophæis nobilitatus, rex Romanorum in ipsa Iudæa declaratus est, & ab vniuerso exercitu qui illic erat, imperator palàm prædicatus. Inde extemplò Romam iter suscipiens, administrationem belli contra Iudæos parati filio suo Tito commisit, post Seruatoris nostri ascensionem: cùm Iudæi præter illud facinus quod in ipsum conſciuerant, iam etiam contra eius Apostolos vix dici potest quot & quantas fuissent insidias moliti: primùm in Stephanum, quem lapidibus obrutum è medio sustulerunt: deinde post eius necem in Iacobum filium Zebedæi, Ioannis fratrem, quem insidijs callidè appetentes, securi percusserunt: ad extremum, in Iacobum Iustum, qui primus post Seruatorem nostrum in cælos assumptum, illic Hierosolymitani episcopatus sedem dignitatemq́ue obtinuerat: & ad eum modum, quem supra monstrauimus, ex corporis custodia emigrauerat. Cumq́ue præterea reliquorum Apostolorum infinita penè multitudo in vitæ periculum ex insidijs Iudæorum veniſſet, & ex terra Iudaica in exilium eiecta esset, cumq́ue ijdem Apostoli, vt doctrinam prædicarent Euangelij, ad omnes gentes cum Christi virtute & potentia, (qui illis dixerat: Euntes docete omnes gentes in nomine meo) iter suscepissent: quinetiam cùm populus Eccleſiæ quæ erat Hierosolymis, per oraculum viris illic virtute & pietate spectatis in visione editum, iussus esset, vt antequā bellum exardesceret, è ciuitate egrederetur: atque adeò vrbem quandam trans Iordanem, quæ Pella nominata est, incoleret: inq́ue eam hi qui in Christo fiduciam defixerant, relicto Hierusalem migrassent, sicut sancti viri non modò ciuitatem illam regiā quæ erat totius Iudææ primaria, sed etiam vniuersam Iudæorum terram omnino deseruiſſent: de cæterò iusta Dei vltio eos qui tot nephāda scelera cùm in Christum, tum in eius Apostolos, contra ius fasq́ue omne admisissent, miserè & acerbè exagitauit, illamq́ue ipsam impiorum stirpem funditùs ex hominum societate deleuit. Quænám mala eo tempore ad vniuersam Iudæorum gentem vbique locorum dispersam confluerent, quo pacto Iudææ in primis habitatores in extremas grauissimasq́ue calamitates deuoluerentur, quot & quàm incredibiles cuiusque ætatis turbæ cum mulierib. simul & pueris, gladio, fame & infinitis alijs mortis generibus conciderent, quot etiam & quænā Iudaicarum ciuitatum obsidiones: quot porrò clades omnium opinione maiores hi qui in ipsam Hierusalem, tanquam in primariam vrbem firmissimis septam munitamq́ue præsidijs confugientes oculis aspicerent: quis totius etiam belli modus & ratio, quæ item

Titus Vespasiani F.

Stephanus protomartyr.

Iacobus Zebedæi F.

Iacobus Iustus.

Matth. 28. Marci 16.

Ecclesia Hierosol. oraculo Pellam colere iussa.

B Ad hoc & 3. sequentia cap. refer Nicephor. ca. 3. 4. 5. 6. 7. 8. lib. 3. Lactant. li. 4. cap. 21.

† Hæc verba in vulgato textu græco nō erāt omissa, nimirū negligētia librarij, ideoq; nec Musculus quidem ea reddidit. Christophorsonus igitur ex 4 5. c. lib. 6. de capt. Iudaic. ea hic restituit & interpretatus est ita vt intra hæc duo signa habentur. In græco textu Iosephite stimonij huius est initiū ab his verbis, ἀπὸ γὰρ τῆς χώρας, & pertendunt ad finē vsq; capitis eiusdem.

Ioseph. lib. 6. de capiuit. cap. 45.

Cestius Florus Præfectus. de cuius auaritia & Sæuitia vide Cornel. Tacit. lib. 21. a Iudæorum Hierosolymis ante obsidionem congregatorum multitudo.

Obsidionis vrbis idē. quod Christi passionis, tempus.

B

De fame quæ apud Iudæos inualuerat. CAPVT VI.

† Vide annot. pag. 22. lat. 1. lin. 38. Vide Nicephor. lib. 3. ca. 6. 7. Cornel. Tacitum lib. 21. Iosephus lib. 6. cap. 5. de bello Iud. Sueton. in Vespas. D. Hieron.

OMissis igitur illis malis quæ sigillatim acciderunt, quæq́; vel gladio, vel alia quapiam ratione sunt in illorum exitium edita: eas solùm calamitates necessarias mihi ad explicandum puto, quæ dira fame & inedia eis importatæ sunt: eo consilio, aut qui istam nostram historiā sint fortè perlecturi, si nō omnino, at aliqua ex parte tamen cognoscant, quo pacto eos qui nefariæ crudelitatis in Christum Dei authores extitissent, haud ita diu pòst supplicio cœlitùs irrogato afficerētur.* Itaq; grauem illam & luctuosam rerum id temporis gestarum tanquam tragœdiam, & ex quinto historiæ Iosephi libro petitā, deinceps recitemus. Locupletes, inquit, siue egrederentur ex vrbe, siue in eadē manerent, in pari vitæ discrimine versabantur. Nam eorū quisq; proditionis crimine & fugæ falsò obiecto, propter opes suas ac facultates interfectus fuit. Insolens seditiosorum amentia, vna cum famis diritate, accrescere cœpit. Vtrumq; malum indies magis magisq́; ingraueſcere. In foro enim nullū frumentum venditur: seditiosi præcipites intrò irrumpentes, ędes perscrutantur. Vbi si quid deinde reperirēt, eos qui erant in ædib. tanquā rem inficiatos verberibus cædere: sin minus, cruciamentis, quasi qui studiosius cautiusq́; illud occultauissent, grauiter torquere cœperunt. Corpora autē hominum ærumna ista & calamitate laborantiū satis magno fuēre indicio, vel quòd abundarēt frumento, vel quòd eodē penitùs destituerentur. Nā qui firmo erant & robusto corpore, visi sunt alimenti copia affluere: qui autē macie extabuerant, iā ab illis nefarijs prædonibus fuēre præteriti. Etenim ab omni ratione videbatur prorsus alienū eis iam necē afferre, qui essent paulò pòst præ inediæ asperitate animā effluturi. Complures verò, fortunas quas possidebant, ex occulto cum vna mensura vel frumenti, qui diuites erant, vel hordei, qui premebantur inopia, libenter cōmutare: nonnulli porrò seipsos in intimos ædium recessus concludentes, præ extrema famis acerbitate frumentū minimè molitū, minimeq́; in panē confectum, deuorare: alij tantū coquere, quantum vel vitæ necessitas, vel metus abripiendi iniectus pati videbatur. Mensa nunquā apponebatur: quippe cibaria, quæ cruda adhuc erāt, & incocta, igni properè abstrahentes, auidè ore arripiebāt. Miserabilis sanè & deflēda erat cibi capessendi ratio, spectaculumq́; dignum lacrymis, dignum plāctu & mœrore: præsertim cum valentiores quidem ab alijs vi alimentum eriperent, imbecilliores autem inediæ

Famis calamitas.

* Ruffi. c. 6. Iosephite stimonium Cap. 27.

D grauitate

Universidad de Deusto
Biblioteca

Verecundia fame superata.

grauitate enecti miserè statum suum deplorarent. Et quamuis acris famis impetus om- A
nes animorum affectiones propè diuincat, nullam tamen ita expugnat, labefactatq;, vt "
verecundiam. Nam quod aliàs pudorem & reuerentiam exposcit, in hoc calamitatis "
genere prorsus contemnitur. Non enim pudebat vxores viris cibū adimere, nec liberos "
parentibus, nec (quod multò omnium miserrimum est) matres ex ipso infantium ore "
alimenta extorquere. Quæ, cum charissimi sui liberi in manibus præ hac lue iam peni- "
tùs emarcescerent, guttas illas in ora instillatas, quibus sustentabatur vita, eis violenter "
auferre minimè temperarunt. Et licet tam vili tamq; exigua alimenti copia abundarēt "
ad vescendum, in obscuro tamen minimè latuere: vbique enim nefaria seditiosorum "
turba istius dereptioni & rapinæ instabat. Nam cum ædes occlusas cernerēt, hoc pro ar- "
gumento cæperunt, eos qui essent intus, cibū iam capere. Omni igitur abiecta cunctati- "
one,† effringunt fores, in ædes irruunt: & parum aberat quin alimenti frusta è gulis ex- †Videan. not. pag. 22. lat. 1.
primentes, ex ore denuò retraxissent. Senes propter famis diritatem cibo aliquanto te- lin. 26.
nacius adhærescentes, grauiter & acerbè plectebantur. Mulieres autē, si ea quæ fortè ha- "
berent in manibus, clam apud se occuluissent, sparsis crinibus miserè raptabātur. Nulla "
erat vel canæ senectæ, vel teneræ pueritiæ commiseratio. Sed seditiosi illi prædones, in- "
fantes, qui panis buccellis quasi suspensi hærebant, arreptos in sublime, graui casu pro- "
sternere cœperunt. In eos aūt qui ipsorum incursionem præuerterant, quiq; prædam ab "
illis quæsitam antè deuorarant, perinde ac si ipsi ab illis nō exiguā accepissent iniuriam, "
multò plus crudelitatis exercere. Ad alimenti item inuestigationē, acerbas tormentorū Videibidē lin. 38.
vias excogitare. Nam interdum † pudendorum meatus illis miseris, in hac calamitate "
constitutis, granis erui obturāt, non rarò sudibus præacutis inferiores ventris sedes trās- "
figunt. Ab auribus hominum atq; sermone sunt planè abhorrentia, quę quisq; eorum "
perpessus est, vt vel vnum panē se habere fateretur, vel vnum polentæ pugillum occulta- "
tum indicaret. Tortores autē non fame vexati (minus enim fuisset crudele, si necessitate "
compulsi, ista scelera cōsciuissent) sed partim vt suam insanā proderent amentiam, par- "
tim vt cōmeatum in dies consequentes sibi ipsis compararent, adducti, ista illis cruciа- "
menta tam nefariè impegerunt. Qui verò ad Romani exercitus excubias, olera agrestia "
& herbas colligendi causa nocte perreptassent, cum se putarent iam hostiū manus effu- "
gisse, ab istis prædonibus, qui ipsis forte obuiā fiebant, rebus, quas secū comportarant, vi B
dispoliati fuere: & cū sæpius precibus vehementer efflagitassent, nomenq; Dei cum pri- "
mis tremendum anxiè inuocando obtestati essent, vt aliquam partem saltem earum re- "
rum quas cum periculo retulissent, ipsis tribuerent, ne hilum quidem omninò ab illis "
reportarunt: imò verò quisque præclarè secum agi putabat, quòd cùm rebus ipsum "
spoliarent, vitam etiam non vnà adimerent. Istis paulò pòst adiungit, quæ sequuntur: "
2. Iosephi Te- stimonium. Lib. 5. Ca. 33. Pestis grassata. Iudæis iam non solum ab vrbe egrediendi, verùm etiam vitæ & salutis spes penitùs erat "
præcisa. Pestis enim cum vires suas quotidie magnopere amplificaret, populum per fa- "
milias & stirpes prorsus depascebatur. Tecta mulieribus & infantibus fame peremptis "
referta: angiportus senum cadaueribus exaggerati: pueri & adolescentes passim va- "
gantes, & tanquam simulachra per forum & plateas volutati: & quo quemque loco "
hæc lethalis cōtagio prehenderet, ibi ea debilitatę cōcidit. Quorū vires erant ista clade fra "
ctæ, hi cognatos suos sepulchro condere nequibant: & quibus integræ suppetebant vi- "
res, cadauerū multitudo, & anceps suæ vitę casus exitusque, eos ab humatione deterruit. "
Plerique dum alios humo tegere conabantur, ipsi morte occubuerunt. Nonnulli ad "
sepulchra se prius receperunt, quàm necessitas ipsis incumberet moriendi. In hac mi- "
seriarum turba nullus fletus, nulla querela, nullus ploratus edebatur: propterea quòd "
inediæ vis dolorum & lamentationum quasi fibras radicitùs extirpauerat. Quos enim "
asperioribus doloris stimulis agitatos mors tardabat opprimere, hi certè alios qui antè "
occubuerant, siccis oculis aspexerunt. Ciuitatem verò altum silentium, & crassa cali- "
Prædonū vio- lentia. go mortis & internecionis plena occupauit. Cæterùm prædones multò plus habuerunt "
acerbitatis, quàm reliquus ærumnarum cumulus. Nam familiæ cuiusque sepulchra "
defodientes, cadauera expoliare cœperunt: & non modò in mortuorum cadauera de- "
tractis corporum inuolucris, gladiorum aciem pertentare, verumetiam nonnullos "
proiectos adhuc superstites, quo ferri acumen experirentur, transfigere, sicque cum ri- "
su profuso decedere. Qui autem illorum dexteram & gladium in se conuerti supplices "
obtestabantur, quo citius eriperentur molestijs, eorum postulata præ insolenti quadam "
arrogantia reijcientes, famis cruciatu conficiendos dereliquerunt. Et cum singuli eo- "
rum qui erant animam ocyus edituri, nefarios & seditiosos illos prædones superstites "
relinquerent, oculis templum versus coniectis, acriter eò intuebantur, quasi supplicium "
de illis à Deo efflagitaturi. Principiò autem cum fœtidum odorem ferre non possent, "

publici

A publici ærarij sumptu cadauera sepelire mandarunt: verùm simulac non satis suppete-
„ ret pecuniarum, à mœnibus in fossas vrbem obuallātes, proiecerūt. Quas vbi Titus ca- *Titus vindi- ctam diuinam*
„ daueribus oppletas, & redundantem corporum putrescentium saniem supernatantem *agnoscit.*
„ vidisset, grauiter suspirās ingemuit: manibusq; ad cælum sublatis Deum cōtestatus est, *Lib. 5. cap. 37.*
„ illud non suum facinus fuisse. His idem Iosephus, cum quædam obiter interiecerit, ad- *Tertium Io-*
„ nectit dicens: Non verebor ea quæ mœstus animi mei sensus & cogitatio me iubet pro- *sephi testimo-*
„ loqui, apertè explicare. Arbitror equidem, si Romani in istos omni scelere contamina- *nium.*
„ tos arma ferre tardassent, vel terræ dehiscētis hiatum hanc vrbem absorpturum fuisse:
„ vel diluuium & aquarum inundationem eam obruituram, submersuramq;, vel deniq;
„ flammas & fulminum iactum, sicut Sodomam excisurum vastaturumq;. Nam quoddā
„ hominum genus multo nequius ac sceleſtius illis, qui olim ea perpessi sūt, ista vrbs pla-
„ nè extulit: quorum intoleranda insania, vel ad vniuersum hominum genus iurè è me-
„ dio tollendum, satis videtur cōcepisse nequitiæ. Porrò in sexto libro sic scribit: Infinita *Cap. 20.*
„ quædā multitudo hominum fame extinctorū in ciuitate óccidit: clades verò quę ibi ac *4. Iosephite-*
„ cīdebant, nullo orationis genere possunt exprimi. Nā in singulis familijs, sicubi vel vm- *stimonium.*
„ bra alimēti apparebat, pugnatum est: & qui erant cōiunctissimi, dū misera illa & exigua
„ ad vitā sustentandam parata subsidia alter alteri abripiebant, manu inter se acriter con-
„ flixerunt. Quòd autem cibus penitùs defuerit, nemini ne iamiā præ fame morituro ad-
„ hibebatur fides: sed eos qui extremum spiritum essent modò edituri, prædones perscru-
„ tabantur, ne quis quid cibi in gremio occultans, mortem simulare videretur. Nonnulli
„ præ inediæ grauitate hiantes, tanquā rabidi canes oberrare, vndiq; circumferri, in ipsas
„ fores ædium tanquam ebrij impingere, & præ vesana amentia in vnas easdemq; ædes bis
„ terúe vno fermè temporis momento irruere visi sunt. Omnia præterea dentibus teri cō-
„ ficiq; coegit necessitas: sic, vt ea quæ ne sordissimis quidem animalibus, rationis experti-
„ bus, ad vescendum erant accommodata, illi ipsi colligentes, vorare non recusarent. Nā
„ ad extremum, à cingulis & calceamentis non abstinēt: pelles etiā scutorum auulsas abs-
„ tractasq; dentibus mandunt: quibusdā vetera fœni segmenta erāt alimento. Nonnulli
„ quisquilias colligētes, minimum earum pōdo quatuor drachmis Atticis vendiderunt.
„ Verùm quid impudentē famis impudentiam, qua est in rebus inanimis vsa, attinet cō-
B memorare? Venio enim facinus eius declaraturus, dictu quidē horrendum, auditu au- *Cap. 21.*
„ tem incredibile: quale nec apud Græcos, nec apud Barbaros vnquam gestum fuisse lite-
„ ris proditum est. Atq; ipse equidem, ne posteris hominibus videri possem monstri simi-
„ lia dicere, etiam lubens hunc miserum & acerbum casum, nisi quòd testes propè innu-
„ merabiles huius mei temporis ad eundem confirmandum haberem, silentio planè præ-
„ terijssem. Atque perexiguum sanè beneficium patriæ præstarem, si quæ mala ipsa re
„ pertulerit, ego oratione prætermitterem. Vt igitur ad rem redeam: Mulier quædam
„ ex accolis qui trans Iordanem habitabant, nomine Maria, patre prognata Eleazaro, ex
„ vico Bathezor (cuius verbi vim si lubet interpretari, domum hyssopi significat) gene- *Bathezor vi-*
„ ris & diuitiarum amplitudine illustris, vnà cum reliqua hominum multitudine Hie- *cus.*
„ rosolymam salutis & vitæ tuendæ causa profugiens, eadem cum illis obsidione preme-
„ batur. Et quoniam non solum in cæteras illius opes & fortunas, quas ex vlteriore Iorda-
„ nis continente confectas, secum in vrbem apportauerat, scelerati tyranni inuadebant:
„ verùm etiam thesauri reliquias, & si quid etiam vnde victus suppeteret, condiderat, sa-
„ tellites in dies singulos vi in eius ædes irruentes, prorsus auferebant: ob eam causam
„ tandem acerba & grauis mulierem cœpit indignatio: & persæpe prædones contume-
„ lijs maledictisque figens, eos in suam ipsius perniciem lacessiuit. Sed vbi neque ira in-
„ census quisquam, neque misericordia commotus, eam neci dare vellet, atque frustra
„ cibum quæritare inueniréque niteretur, & nusquam iam quicquam posset reperiri, &
„ intolerabilis famis cruciatus per intima viscera & medullas peruaderet, ardensq; illius
„ æstus eius animum magis magisq; incenderet, illa iram pariter cum necessitate in consi-
„ lium adhibens, contra naturam ipsam audacter grassata est. Atque arrepto in manus fi- *Matris filium*
„ lio (erat enim illi puer paruulus, qui adhuc matris sugebat vbera) Infans, inquit, misel- *esuræ oratio.*
„ le & infelix, cuinam in hoc belli, famis & seditionis tumultu, te commodè reseruem? Si
„ Romanorum subijciamur imperio, illic seruitutis iugo pressi, vitam infeliciter exige-
„ mus. Sed seruitutem, credo fames anteuertet. Accedit factiosorum prædonum turba,
„ his vtrisque miserijs toleratu multo asperior. Age igitur, mi gnate, sis matri cibus, sis
„ prædonibus furia, sis communi hominum vitæ fabula: quæ res vna ad Iudæorum cala- *Maria Eleaza-*
„ mitates deesse videtur. Quæ cum dixisset, gnatum trucidat: quem vbi assauerat, dimidi- *ri F. proprij fi-*
„ atam partem ipsa comedit, reliquam clam occultatam reponit in posterum. Paulò pòst *lij esu famem*
„ aduentant prædones, atq; infandū carnium nidorē naribus attrahentes, minabantur se *pellere ausa.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

cam, si non statim cibum, quem paratũ habebat, ipsis ostenderet, extemplò mactaturos. A Tum illa: Partem, inquit, præstantissimam vobis seruaui. deinde reliquias prolis suæ interemptæ eis ostendit. Eos illico corripuit ingens horror, & stupor animorum: & præ crudeli rei aspectu, pauore penè obriguerunt. Meus est hic inquit, germanus filius: meũ quidem hoc facinus. Comedite modò: ego enim ipsa comedi, ne sitis muliere effœminatiores: néue matre ipsa propensiores ad misericordiam. Quod si qua vos fortè incessat religio, & meæ victimæ cibaria abhorreatis: ego quidem sicut iam partem comedi, sic quod superest, mihi maneat ad comedendum. Postea illi metu contremiscentes, abscedunt. Qui quidem hac vna re perterriti, ægrè illud detestabile & immane alimenti genus matri integrum concesserunt. Confestim verò tota ciuitas huius sceleris fama completa est: & quisq; eam sibi ante oculos proponens, perinde ac si in ipsius conspectu gesta fuisset, totus vehementer cohorruit. De cætero quidẽ, qui fame acrius vrgebantur, omni studio impetuq; animi properabant ad mortem: illos verò, quos internecio antè occupauerat, quàm tãta & tam nefanda scelera vel auribus accipere, vel oculis intueri coacti essent, perbeatos existimauerunt.

De Christi vaticinijs CAPVT VII.

Ruff. cap. 7.

ITAlis igitur merces Iudæorum iniquitatem impietatemq; contra Christũ comparatam, tandem consecuta est. Porrò autem huc addere operæpretium duximus, verax & ratum Seruatoris nostri testimonium, quo easdem ipsas calamitates in Iudæos casuras perspicuè prænunciauit ad hunc modũ: "

Christi de excidio Hierosolymitano vaticinium. Matth. 24. De capt. lib. 6. cap. 44. Fronto Rom.

Væ prægnantibus & lactentibus in illis diebus. Orate, ne fuga vestra fiat hyeme, neq; sabbato. erit enim tum afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi hactenus, neq; fiet. Idem auctor vniuersum numerum eorum qui fame & gladio interierunt in vnum colligens, vndecies centena millia fuisse affirmat: & postquam ciuitas capta & penitùs vastata fuit, reliquos factiosos & latrones qui supererant, alterum alterius indicio proditos à Frontone Romano mortis supplicio affectos fuisse: adolescentulos autem qui proceritate & pulchritudine corporis præter cæteros excelluerunt, in triumphum reseruatos: ex reliqua multitudine qui decimum & septimum ætatis suæ annum essent prætergressi, hos constrictos vinculis ad opera in Aegypto obeunda amandatos: complures verò per prouincias dispersos, quo in celebribus spectaculis ferro & bestijs membratim dilaniarentur: alios, qui adhuc decem & septem annos non complerant, captiuos abductos mercatoribusq; venditos: captiuos omnes, qui vniuerso belli tempore prehendebantur, numero ad nonaginta septem hominum millia fuisse narrat. Ista secundo anno regni Vespasiani ad hunc modum gesta sunt, idque congruenter propheticis Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi prædictionibus: qui quidem ea, perinde ac si iam præstò fuissent, diuina sua virtute præuidit: quique pro huius vrbis euersione vim lachrymarum profudit, & grauiter lamentatus est: sicut testimonia declarant sanctorum Euangelistarum, voces illius primum quasi ad ipsam Hierusalem loquentis citantium: Si cognouisses & tu in die isto, quæ ad pacem tuam spectant: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis: Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo & obsidione cingent te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt. Deinde quasi de ipso populo verba facientis: Erit enim afflictio & necessitas magna super terram & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Hierusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium. Et iterum: Cum autem videritis circundari ab exercitibus Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius. Quòd si quis Seruatoris nostri verba cum reliqua huius auctoris Historia, quam de vniuerso hoc bello perscripserit, comparet, quid est quamobrem non eius præscientiam atque adeò vaticinationem magnopere suspiciat, eamque verè diuinam & supra modum admirabilem planè fateatur?

Captiuorum numerus.

Anno Chr. 72. Vespas. 2. capta Hierosolyma. 8 die Septembris. Ioseph. lib. 7. cap. 26. Belli Iud. Luc. 19.

Lucæ 21.

Vide Nic. lib. 3. cap. 4. Lactã. lib. 4. cap. 20.

B Iosephus lib. 7. cap. 26. belli Iud. habet centũ myriades, hoc est decies centena millia, quẽ sequitur Nic. lib. 3. ca. 7. Vide Sueton. in Vespasiano & Tito. 10. Vide autem & annot. nostras pag. 24. lat. 2. lin. 3.

De signis quæ bellum præcesserunt. CAP. VIII.

DE illis verò rebus quæ post Seruatoris nostri passionem, postq; illas sceleratas voces emissas, quibus Iudæorum multitudo latronem & homicidam neci eripere postulabat, ducem autẽ & autorem vitæ è medio tolli supplex petebat, vniuersæ huic genti acciderint, in hac historia differere non est omnino necesse. Sed videtur consentaneum illa quidem adijcere, quæ perspicuè ante oculos cuiusque proponant singularẽ clementiam benignæ Dei erga illos prouidẽtiæ, quadraginta annos continuos post

Vide Nic. lib. 3. ca. 4. Ioseph. lib. 6. ca. 30. 31.

Dei clemẽtia 40. annis

A post illud facinus contra Christum admissum, perniciem & interitum in illis futurum differentis. Quo quidem temporis spatio cum Iacobus ipse, frater Domini nuncupatus, (qui primus illic fuit creatus episcopus) tum plerique alij Apostoli & discipuli qui adhuc manebant in vita, atque adeò in ipsa Hierosolymorum ciuitate cõmorabantur, loco illi tanquam firmissima quædam propugnacula extiterunt: diuina vltione, quæ eorum imminebat capitibus, nõ solum toleranter expectante, si fortè pro sceleribus quæ cõsciuissent, grauiter condolescentes, veniã & salutem tandem assequerentur: *verùm etiã præter illam tam patientẽ & longinquam expectationẽ, admirabilia præterea portenta & prodigia cœlitùs demissa, quasi prænuncia calamitatum (quæ illis, si non pœnitentiæ lachrymis peccata sua delere conarentur, in posterum accideret) manifestò ostentante. Quæ quidem cum à scriptore suprà demonstrato memoriæ & literis mandata sint, nihil videtur commodius, quàm vti ad vtilitatem illorum qui in posterum sint

Post pass. Chr. euersa Hierosolyma, Iacobus frater Domini primus Hierosolymorum episcopus.

*Ruffi. c. 8.

" hanc historiam perlecturi, hoc loco tradamus. Auctore igitur in manus arrepto, recita
" ea quæ de his rebus ab eo in sexto Historiarum libro conscripta sunt. Veteratores
" quidam qui nefariè etiam contra Deum ipsum ementiebantur, id temporis miseram
" & imperitam hominũ multitudinem in adeò falsam opinionem induxerunt, vt euidẽ-
" tibus prodigijs, quæ ipsorum vastitatem præsignificabant, neque attenderent animum,
Hæc porrò sunt ex cap. 31. lib. 9. Capt. Iud.
" neque fidem omnino adiungerent. Vnde tanquam homines qui fulminum iactu per-
" territi stupescunt, oculisq; & animo præstricti sunt, Dei ostenta ipsis obnunciata pro ni-
" hilo putauerunt primùm, cum supra vrbem sidus ensi oblongo simile consisteret, &
" cometa ad annum integrum suos radios funderet. deinde, cum altare & templum, po-
" pulo ante seditionis initiũ tumultumque belli ad festum Azymorum celebrandum in
" vnum coacto, sexto Idus Aprilis circiter horam nonã noctis tanto lumine & splendore
" circũfunderentur, vt iam dies clarè illucescere videretur. hic fulgor ad dimidiatam ho-
" ram resplenduit: qui certè imperitis aliquid boni videbatur prænunciare. Sed à legisperi-
" tis & sacrorum interpretibus ilicò iudicatum est, eum idem ipsum præsignificare, quod
" rerum euenta posteà cõfirmarunt. Eodem verò festo, vacca à summo sacerdote ad sacri-
" ficium adducta, in medio tẽplo agnum edidit. Porta etiam interioris sanctuarij ad Ori-
B entem spectans, quæ tota & ænea est, & validissima, quæque sub crepusculum vix à vi-
†Vide annot. pag. 24. lat. 2. lin. 7.
" ginti viris occludi, ferreisq; vectibus firmari, & crassis pessulis in †limen ex vno continuo
*Vide ibidem lin. 8.
" lapide factum demissis depressisq; figi solebat, noctu quidem hora sexta, sua sponte pa-
" tefieri visa est. * Templi igitur custodes propere ad ducem accurrere, eum certiorem fa-
" cere. Ille cum eo ascendisset, ægrè poterat illam occludere. Istud imperitis rursus opti-
" mum quiddam portendere videbatur. Deum enim, dixerunt, portam bonorum ipsis
" aperuisse. Verùm docti & prudentes portam illam quę sanctuariũ firmissimè muniebat,
" sua sponte ita dissolutam, hostibus introitum ad prædam patefecisse censuerunt: & sig-
" num esse vastitatis, ipsi inter se asseueranter affirmarunt. Ferè diebus paucis post festum
" peractum, duodecimo Calend. Iunij, Spectrũ quoddam prodigiosum, fide & opinione
" omnium maius cernebatur: & quod de eo hoc loco dicetur à me, fabula, credo, planè pu-
" taretur, nisi etiam & ab his esset qui sunt oculis suis illud idem conspicati, narratum, &
" consequẽtes inde clades eiusmodi ostenta commeruissent. Nam ante solis occasum cur-
" rus passim per vniuersam regionem in sublimi ferri rapiq;, & phalanges armatæ per nu-
" bes discurrere, vrbesq; vndique cingere visæ sunt. Quinetiam in festo Pentecostes, cum
" noctu sacerdotes (vt illis in more positum est) ad templum interius sacrificij obeundi
" causa commearent, primùm tumultum quendam & strepitũ se audiuisse dicebant. De-
" inde vox crebra ita illorum circumsonabat aurib. Migremus hinc, Migremus hinc. Il-
" lud porrò his quæ modo commemoraui, multo plus eorum mentibus incussit terroris.
" Iesus quidam, filius Ananiæ, vir agrestis, plebeioq; ac ignobili genere satus, quadriennio
" ante bellum susceptum, cum iam ciuitas pace frueretur tranquillissima, atq; adeò in ma-
" xima communium rerum affluentia viueret, ad festũ profectus, in quo mos erat vt Dei
" iussu in tabernaculis septem dies continuos habitarent (vnde Festum tabernaculorum
" vocatum est) derepentè in templo clara voce exclamare cœpit: Vox ab oriente, vox ab
" occasu, vox à quatuor ventis, vox super Hierusalem & templum, vox super sponsos &
" sponsas, vox super vniuersum populum. Atque dies noctesque hoc modo vocifc-
" rans, omnes ciuitatis vicos circuiuit. Verùm cum quidam ex præstantioribus viris
" hanc vocem tanquam mali ominis nunciam iniquo animo ferrent, hominem prehen-
" di iubent, multisque pariter ac grauibus plagis cædi. Hic neque palàm pro se viros pri-
" marios, neq; priuatim eos à quibus vapulabat, deprecatus est: sed voces illas quas prius
" profuderat, continenter edere non cessauit. Magistratus verò, cum viri animum (quod
" res erat) diuiniore quadam commotione pulsum arbitrarentur, eum ad prouinciæ præ-

Spectrum prodigiosum armatorum.

Voces infaustæ auditæ.

Iesus Ananiæ F.

Leuit. 23. Tabernaculorum festum.

ἐγγωστοὺς ἀγυιὰς ἐν vicos interpretatur Phauorinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fectum à Romanis designatum deducunt. Illic vbi caro eius ad ossa vsq; esset verberibus dilacerata, ipse neque cuiquam supplicauit, neque profudit lachrymas: sed voce ad cõquerendum quàm maximè variata, inter singulas plagas hoc interposuit: Væ væ Hierosolymis. Aliud præterea, quod isto multo plus habet admirationis, idem author commemorat. Oraculum quoddam in Sacris literis repertum fuisse, quod ista verba complectebatur: Nimirum eo tempore quendam ex illorum regione ortum fore, qui vniuersi orbis obtineret imperium. Quod quidem ille in Vespasiano expletum intellexit: verùm Vespasianus non totius orbis, sed Romani solius imperij gubernacula obtinuit. a Rectius ergo & verius ad Christũ potest accommodari, cui à patre dictum est: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ. Nam eodem ipso tempore sonus & vox suorum sanctorum Apostolorum in omnem terram exiuerat, & in fines orbis terræ verba eorum.

Oraculum, quod Iosephus torquet ad Vespas. Imp.

Suetõ. in Vespasiano per crebuerat (inquit) Oriente toto vetus & constãs opinio, esse in fatis, vt eo tẽpore Iud. profectirerũ potirentur: Id de Imp. Romano, quantum euentu postea patuit, prædictũ, Iudæi ad se trahẽtes rebellarunt. Itẽ Cornel. Tacitus. Pluribus (inquit) persuasio inerat, ãtiquis Sacerdotũ literis cõtineri, eo ipso tẽpore fore vt inualesceret Oriẽs profectiq; Iudææ rerũ potirentur. Quæ ambages Vespasianũ ac Titum prædixerunt.

a Psal. 2.

b Vide Iosephi vitam.

De Iosepho, & commentarijs quos reliquit, & quomodo diuinorum librorum meminerit.

CAPVT IX.

Ruffi. c. 9.

IAm verò post istarum rerum omnium narrationem, ipsum Iosephũ qui tot & tanta huic historiæ, quæ in manibus est, attulit subsidia, vnde, quóue genere ortus sit, non debemus in obscuro relinquere. Qui etiam de se loquitur ad hunc modum: Iosephus Matathiæ filius, sacerdos Hierosolymitanus, non solum ipse Romanos in initio belli Iudaici oppugnaui, sed cæteris prælijs postea commissis necessitate coactus interfui.[b] Hic Iosephus non modò apud gẽtem suam, verùm etiam apud Romanos, Iudæorum illius temporis facilè præstantissimus habitus fuit, ita vt tum statuæ honore in vrbe Roma decoraretur: tum libri ab eo industria elaborati cõfectiq; in bibliothecam, tanquam monumenta, merito reponerentur. Hic verò rerum Iudaicarum antiquitatẽ in viginti integros libros redegit. Historiam item de bello Iudaico sua ipsius ætate administrato, septem libris conscripsit. Quas res non Græco solũ sermone, sed patrio etiam se tradidisse, suo ipsius confirmat testimonio. Cui quidem propter reliquas res verissimè ab eo conscriptas, etiam in hac causa fides iurè debet adhiberi. Dicuntur etiam alij duo libri de Iudæorum vetustate ab eo accuratius elucubrati: in quibus non solũ contra Apionem grammaticũ, qui id temporis in Iudæos vehementius suis scriptis inuehebatur, verùm etiam contra alios qui patria & auita Iudaicæ gentis instituta conuicijs & ignominia afficere conabantur, strenuè disserit. In priore istorũ voluminum, quæ sunt de vetustate Iudæorum contexta, numerum Scripturarum in veteri Testamento contentarum, quæ sunt consensu omnium & testificatione probatæ, percenset: & qui libri ex illis qui eas complectuntur, apud Hebræos in nullam controuersiam vocati sint, quique tanquam à veterum traditione ad illos deuenerint, ijs verbis perspicuè docet: * Non sunt apud nos libri numero infiniti, † qui inter se dissensione discordant, aut qui loquuntur pugnantia: sed duo solum, & viginti, temporis vniuersi seriem complectentes, qui quidem iure optimo diuini esse creduntur. Ex quorum numero quinque sunt Moysis, qui leges & primum humani generis non ortum solum, sed etiam propagationẽ, vsq; ad mortem ipsius Moysis continent: quod quidẽ tempus tria prope milia annorũ comprehendit. A Moysis occasu vsq; ad regnũ Artaxerxis (qui post Xerxem rex Persarum fuit) prophetæ, qui Moysis ætati proximè succreuerunt, res gestas suorum temporum, tribus & decẽ libris conscripserunt. Reliqui quatuor, Hymnos ad Deum laudibus efferendũ compositos, & monita hominũ vitæ rectè instituendæ accõmodata cõplectuntur. A tempore Artaxerxis vsq; ad hanc nostrã ætatem, singula quidẽ sunt scriptis prodita: sed pari fide & authoritate cũ superioribus propterea nõ dignãtur, quòd ab eo tempore ad nostrã memoriam vsq; non continua, explorateq; perspecta & cognita fuit prophetarũ successio. Cæterùm quantũ fidei & auctoritatis nostræ Scripturæ libris tribuamus, reipsa satis perspicuum est. Nã tanto & tam diuturno æui curriculo decurso, nemo illis vel addere, vel adimere, vel quicquã deniq; in eisdẽ commutare ausus est. Imò & rata Dei præcepta decretaq; sint, pro certo existimare, ijsdemq; firmè adhærescere, & pro illis, si opus sit, vitã libenter profundere non dubitare, omniũ Iudæorum animis statim ab ineunte ætate quasi insitũ & innatum est. Atq; hæc ipsius scriptoris testimonia, non sine legentiũ vtilitate hoc loco posuimus. Est præterea aliud opus nõ obscurum sanè, aut contemnendũ, De ratione sola mẽtis rectrice, ab eo elaboratũ, quod quidam Machabæorum propterea inscribunt, quod grauia Hebræorum quorundã certamina, qui virili & magno animo pro vera in Deum religione & pietate mortẽ oppeterierunt (de quibus, in libris qui vocantur Machabaici, sermo instituitur) in se contineant.

Huc refert Nicephor. cap. 18. lib. 2.

Statua Iosephi.

B

Ioseph. cõtra Apionẽ lib. 1. pag. 919. codicis græci ex editione Froben. Basilien. 1544.

† Vide annot. pag. 2. lat. 1a lin. 12.

Machabæorũ libri.

Porrò

Hãc interpretationẽ etiã Nicephorus amplectitur. lib. 3. cap. 4.

De Canonicis veteris Testamenti libris, Iosephi testimonium.

Artaxerxis.

Scripturæ S. autoritas.

A Porrò in extremo vigesimo libro de Antiquitate, ille ipse apertè indicat, quo pacto patrias Iudæorum sententias & opiniones de Deo, de eius essentia & de legib. etiam, quãobrem essent quædam ex earum præscripto libera & soluta ad agendum, alia autem vetita & interdicta, quatuor libris complecti instituisset. Iteméque in suis ipsius scriptis alia opera à se studio & industria elaborata memorat. Illud præterea est rationi consentaneum, vt eas voces percenseamus, quas in libello ab se de sua ipsius vita conscripto inserit (vti testimonium illarum rerum quas nos ab eo deprompsimus, melius confirmetur) quo quidem in loco Iustum Tiberiadem, qui eorum temporum historiam pari cũ eo ratione scriptis tradere nitebatur, quasi minus vera perscripsisset, coarguit: & cùm multa alia crimina homini obiectauerit, hæc præterea adiungit his ferè verbis: Certè de
" meæ historiæ scribendæ ratione nõ mihi eo modo, quo tibi, metus iniectus est: sed meos
" libros ipsis imperatoribus tunc ad perlegendum tradidi, cùm res gestæ propè iam ante
" cuiusque oculos versabantur. Nam mihi conscius eram, me veritatis declarationem
" studiosè obseruasse: per quam quidem cùm certum testimonium me consecuturum
" opinarer, non omninò me mea fefellit opinio. Alijs item non paucis historiam ostendi, quorum nonnulli bello interfuêre: vt rex Agrippa, & complures alij cum eo sangui-
" nis communione coniuncti. Titus etiam imperator tanto studio erga meos libros in-
" cendebatur, vt ex illis solis rerum gestarum noticiam hominibus tradi voluerit, eosq;
" propria manu subscriptos in vulgus exire præceperit. Rex Agrippa porrò sexaginta
" duas epistolas,† quibus nos veritatem in scribendo diligenter secutos confirmat, scripsit: quarum duas hic subieci. At si te cupiditas vlla tenet, ea quæ de hac re ab illo scripta sunt, cognoscendi, ab ipsis epistolis petas licet. Hæc Iosephus ipse de se. Verùm de illo hoc modo expositum sit. Ad ea igitur quæ sequuntur, veniamus.

Antiq. li. 20. cap. vlt.

Iustus Tiberias.

In vita Iosephi fol. 65. lin. 20.

Titi et Agrippæ regis de Iosephi libris existimatio.

† Vide annot. pag. 25. lat. 2. lin. 1.

Quòd post Iacobum, Simeon Hierosolymitanæ ecclesiæ præsidebat.

CAPVT X.

B Huc refer Nicephor. cap. 9. li. 2. Niceph. li. 1. ca. 33. Cleophã vocat Simeonis patrem quẽ dicit Iosephi filiũ, & Iacobi, Iudę, Iosæq; fratrẽ, qui, proinde ab hoc diuersus fuerit. Huc refer Nicephor. ca. 10. lib. 3.

BIacobus martyrio obijsset, & Hierusalem paulò pòst esset capta, atque adeò excisa: fama est, Apostolos & discipulos Domini, qui adhuc ista lucis vsura fruebantur, vnà cum his quibus cum Domino secundum carnem intercedebat cognatio (plerisque enim istorum ad illud vsque tempus vita suppetebat) ex omnibus locis in vnum conuenisse, consiliumque pariter iniuisse, quis in Iacobi locum succedere dignus iudicaretur. Omnes ergo vno consensu Simeonem, filium Cleophæ (cuius etiam sacra Euangelij scriptura mentionẽ facit) idoneum habilemque, qui Ecclesiæ ibidem institutæ sede & præfectura donaretur, existimabant: qui, vt fertur, Seruatoris consobrinus fuit. nam Cleopham, fratrem Iosephi fuisse, narrat Hegesippus.

Ruff. ca. 11. *Simeon Cleophæ F. in Iacobi locum electus, consobrinus Christi.*

Lucæ 2.

Cleophas Iosephi frater.

Quòd Vespasianus, illos qui ex Dauid prognati erant, conquiri iubet.

CAPVT XI.

FErtur præterea, Vespasianum pòst vastationem Hierosolymorum mandasse, vt omnes ex Dauidis genere prognati, diligenter conquirerentur, quò nemo apud Iudæos ex illa regia stirpe omnino in posterum supereesset: indeque in Iudæos maximam denuò cladem & persecutionem fuisse concitatam.

Ruff. ca. 12. *Dauidis progenies, vt deleretur, conquiri iussa.*

Quòd Abilius secundus Alexandrinorum fuerit episcopus, & Romanorum Anacletus: & eiusdem Ecclesiæ Anacleto Clemens successit tertius, & de epistola Clementis.

CAPVT XII.

Titus Imperator. Huc pernect Nicephor. ca. 2. lib. 3. Domitianus Anno Christi 48. Imp. annis 15. mens. 4.

GVm Vespasianus decem annos regno esset perfunctus, [a] Titus filius Imperator ei successit. A' quo biennio imperio iam gubernato, [b] Linus Episcopus, cùm duodecim annis ecclesiæ Romanæ ministerium obijsset, [c] Anacleto eã tradidit. * Postquam autem duos annos & menses totidẽ Titus rexisset imperiũ, in eius locũ [d] Domitianus successit. Quarto anno Domitiani, [e] Arianus, primus ecclesię Alexãdriæ prefuit: qui cũ annos viginti duos in eo munere cõpleuisset, exijt è vita. In cuius locũ secundus suffectus est [f] Abilius. * Duodecimo anno huius imperij, cũ Anacletus Rom. ecclesiã annos duodecim episcopus administrasset, eum secutus est [g] Clemens: * quẽ Apostolus in epistola scripta ad [h] Philip. cooperarium suum fuisse docet. Cum Clemente, inquit, & reliquis meis cooperarijs, quorũ nomina sũt in libro vitę. * Huic verò [i] Clemẽtis vna fertur esse epistola omnium iudicio approbata, illustris illa quidem, & digna planè admiratione: quã tanquã ex Romanę ecclesię persona ad Corinthiorũ ecclesiã tũ quidẽ exarauit

a Titus Imp. anno Christi 82. annis. 2. mẽsib. 8.
b Linus epis.
* Ruff. c. 13.
c Anacletus epis. Rom. 3.
d Domitianus Imperator.
e Arianus episcopus.
f Abilius epis.
* Ruff. c. 14.
g Clemens episcopus.
* Ruff. c. 15.
h Philip. 4
* Ruff. c. 16.
i Clementis epistola.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Corinthiorū seditio.

cùm iam Corinthi grauis esset inflata seditio. Hanc sanè cùm veterum, tum nostra ipsorum memoria, plurimis in ecclesijs publicè lectam vsurpatamque cognouimus. Quod autem (vti docuimus) id temporis Corinthiorum seditio concitata sit, Hegesippus locupletes testis est.

Hegesippus.

De persequutione, quæ sub Domitiano orta est &c.

CAPVT XIII.

Ruff. ca 17. Secunda persecutio in Christianos anno Christi 97. Domitiani 14.

CVm Domitianus multum in multos crudelitatis & nequitiæ declarasset, & non exiguam patriciorum & illustrium virorum multitudinem Romæ temerario & iniquo iudicio interemisset, aliosque infinitos dignitate præstantes non solum patrijs finibus eiectos, exilio mulctasset, sed etiam omnibus facultatibus ac fortunis immeritò & sine causa exuisset: tandem in sceleratam Neroniani in Deū odij & impietatis hæreditatem successit. Secundus namque erat, qui contra nos Christianos (licet pater eius Vespasianus nihil iniuriæ, aut mali in nos animo aliquando excogitasset) persecutionis incendium excitarit.

Huc refer Nicephor. cap. 9. lib. 3. Eutrop. libro 9. Sueton. in Domitiano.

Domitiani in Christianos persequutio.

De Ioanne Apostolo, & eius Apocalypsi, & Flauia Dometilla.

CAPVT XIIII.

Ruff. ca. 18. *Ioannis Euangelistæ in Patmos insulam relegatio. Iren. lib. vlt. cap. 5.*

EOdem tempore fertur Ioannem, Apostolum pariter & Euāgelistam adhuc in vita manentem, propter testimonium quod verbo Dei perhibebat, in insulam quæ Patmos dicitur, relegatum. Irenæus verò, vbi scribit de numeri nominis Antichristi supputatione (quæ in Apocalypsi, quam Ioanni ascribunt, memoratur) in quinto libro contra Hæreses, ista de Ioanne ad verbū loquitur: Vtrum palàm nomen ipsius Antichristi isto tempore prædicari oporteat, ab illo qui eam diuinam Apocalypsin & reuelationem viderit, satis explicatum est. neque enim longo tempore antè, cælestis illa visio cernebatur: sed nostra propè ætate, in ipso fine imperij Domitiani. Tantoperè verò temporibus illis, quæ suprà demonstrauimus, nostræ fidei doctrina splendescebat, vt hi etiam scriptores, qui à sermone & disciplina religionis nostræ videntur prorsus alieni, historiarum suarum monumentis cùm persecutionem, tum martyria quæ id temporis gesta erant, tradere minimè grauati fuerint.

Ad hoc & sequēs cap. pur refer Nicephor. cap. 9. lib. 3. Lactant. lib. 5 cap. 5 cc

Apoc. 13.

Apocalypsis quando visa. vide Prochorum.

Fl. Clemens. Flauiæ Dometillæ exilium.

Qui etiam temporum ordinem accuratè, & tanquam ad amussim obseruabant, narrabantque Flauiam Dometillam, ex sorore Flauij Clementis (qui vnus ex consulibus tum Romæ fuit) prognatam, cum alijs plerisq;, ob Christi testimonium anno decimo quinto Domitiani in insulam Pontiam, supplicij & mulctæ causa extrusam.

B Flauij Clementis, qui patrius Domitiani fuit Suetonius in Domitiano mētionem facit. Sicut & persecutionis Christianorū sub Iudaici nominis præter cæteros, inquit, Iudaicus Fiscus acerbissimè actus est, ad quē deferebantur, qui vel profelsi Iudaicā intra vitā viuerent, vitam. Vel dissimulata origine impositā genti non persoluisent.

Quod Domitianus eos qui à Dauid descenderant, occidi iubet: & de propinquis Seruatoris nostri.

CAPVT XV.

Ruff. ca. 19. *Huc refer Niceph. lib. 3. cap. 10. 11. Iudas Christi frater.*

VM Domitianus ipse omnes Dauidis stirpe & familia proseminatos è medio penitus tolli iussisset, vetus fama est, Iudæ posteros (hunc fratrem Seruatoris secundum carnem fuisse liquet) vtpotè qui non à Dauide solùm suum genus, sed etiam ab ipso Christo sanguinis coniunctionem ducerent, à quibusdam sectarum Iudaicarum fautoribus in iudicium esse vocatos.

Vide Hegesip. & Ruff. c. 20.

Quæ quidem Hegesippus quoque ad verbum explicat, hoc modo: * Alij ex genere Domini Seruatoris orti, nepotes Iudæ (qui frater illius secundum carnem dicebatur) adhuc erant superstites: quorum nomina maleuoli detulerunt, tanquam ex stirpe Dauidica genus suum deriuantium. Istos verò quidam nomine Iocatus ad Cæsarem Dominum deduxit. hic enim de aduentu Christi, vt Herodes iam olim, metu erat non exiguo perculsus. Qui cùm ab illis rogasset, Vtrum essent ex genere Dauidis procreati: ita rem se habere, planè confessi sunt. Tandem ei ab ipsis sciscitanti, quot & quantas haberent possessiones, & quantā pecuniarum summā: vterq; responsum dedit, solū nouem millia denariorum sibi suppetere, & dimidiatam tantummodo partē ad singulos ipsorum spectare, istasq; facultates non in argento se possidere dicebant: sed in censu agrorum, qui solum continebant iugera triginta nouem, ex quorum fructibus se non modò vectigalia pensitare, sed etiam suam ipsorum vitam in eisdem labore & industria colendis sustentare asseruerunt. Suas deinde manus, quæ pro ipsis laborum suorum testimonium dicerent, ostendere cœperunt: corporis item duritiam & callum ab opera assidua & diligentia contractum, qui in eorum manibus tanquam vestigia laborum suscepto-
rum impresserat, demonstrare. Rogati etiam, vt de Christo & regno eius, quódnam esset, & quando quoúe loco existeret, rationem redderēt: illud non mundanū & terrestre esse, sed cæleste & angelicū: quod in ipsa seculi cōsummatione declarandū foret, quādo

Iocatus delator.

Christi cognatorum paupertes.

Christi regnū quale.

Dominus

A Dominus cum gloria & maiestate è cælo descendēs, de viuis & mortuis esset sententiam dicturus, & cuique mercedem secundum opera & vitæ officia redditurus. Vnde Domitianum nihil mali contra eos decreuisse: sed tanquam abiectos & simplices aspernatū, liberos illos quidem dimisisse, atq; adeò destitisse à persecutione, quam ex decreto contra Ecclesiam instituerat. Istos ita periculo & crimine solutos, deinceps tùm quòd testes Domini erant, tum quòd eius stirpe generari putabantur, Ecclesijs præfuisse: & pace iam in Ecclesia constituta, ad Traiani vsq; tempora vitā propagasse. Hactenus Hegesippus. Eòdē accedit Tertullianus, qui talē Domitiani facit mētionem: Tentauerat & Domitianus, portio Neronis, de crudelitate: sed, quia & homo, facilè cœptū repressit: restitutis etiā, quos relegauerat. Scriptores porrò, qui res gestas cuiusq; tēporis literis prodiderunt, narrāt, Senatum Rom. cū Domitianus iā quindecim annorū spacio functus esset imperio, & † Nerua regni gubernacula obtinuisset, suffragijs decreuisse, vt non modò honoris insignia [a] Domitiano dicata, penitùs tollerentur: verumetiā * vt omnes qui è patriæ fuissent finibus immeritò expulsi, nō modò domum ad suos redirent, sed etiam opes & fortunas suas denuò reciperent. Tradunt etiam veteres nostri scriptores, [b] Ioannem eo tempore ab exilio, quod fuerat in insula perpessus, redijsse, & Ephesi denuò sedem ac domicilium rerum suarum collocasse.

† Nerua anno Christi 100.

Dion. Nerua (inquit) omnes qui impietatis, in Deos rei fuerāt (Christianos scilicet) absolui voluit, et edicto venit, ne serui deinde dominos criminarētur, neue licere et aut impietatis (Christianismi) aut Iudaicæ sectæ quēpiā dehinc insimulari.

Tertull. in Apol. aduersus gentes, cap. 5 sunt verba ipsius Tertulliani, quæ potius citare vt erant operepretium putaui, quàm græca vertere.

a Domitiani acta rescissa.

b Ioannis ab exilio reditus. Vide Prochorum.

Quod Cerdo Alexandrinorū ecclesiam tertius gubernabat, & secūdus Antiochenorū ecclesiā Ignatius.

CAPVT XVI.

Ruff. c. 21. *Traianus Imperator.*

NEruæ verò, qui paulò amplius anno regnauerat, successit Traianus. Primo anno illius imperij, cùm Abilius decem & tres annos ecclesiæ Alexandrinę præfuisset, Cerdo eo dignitatis gradu potitus est. Hic tertius post Anianum, primum episcopum, eam rexit ecclesiam. Per idem tempus [c] Clemens Romanam adhuc gubernabat ecclesiam, qui post Paulum & Petrum tertius episcopalis illius dignitatis gradum obtinuit. Linus primus erat, secundus Anacletus. * Porrò Euodius primus Antiochiæ fuit episcopus: secundus Ignatius, qui illis temporibus multum hominum sermone celebratus fuit. Tūc [d] Simeon secundus similiter post Seruatoris nostri fratrem Iacobum, ecclesiæ Hierosolymitanæ ministerio præficitur. † Eodem tempore ille ipse Apostolus pariter & Euāgelista [e] Ioannes, quē Dominus Iesus summo erat amore complexus, adhuc in Asia vitam traducens, simulac ab exilio, quod in insula pertulerat, post Domitiani mortem reuertebatur, ecclesias ibi administrauit.

Cerdo episcopus Alexandriæ.

c Clemens Rom. epist. 3.

**Ruff. c. 22. Euodius 1. episcopus Antiochiæ. Ignatius 2. episcopus Antiochiæ.*

d Simeon episc. 2. Hieros.

† Ruff. c. 23.

e Ioannes Asiæ episcopus.

Historia de Ioanne Apostolo. CAPVT XVII.

Vidē Nicephor. lib. 3. cap. 11. lib. 2. cap. 42.

VOd verò in hæc vsque tempora māserit in vita, duorum certorum & fidelium testium (Irenæum dico, & Clementem Alexandrinum) sententia licet confirmare, quibus quidem propter veræ rectæque opinionis ecclesiasticæ patrocinium, meritò fides adiungenda est. Quorum prior, in secundo libro contra hæreses, sic ferè scribit: Omnes presbyteri qui sunt in Asia cum Ioanne collocuti, idem ipsum illum tradidisse testantur, est namque apud illos ad Traiani vsque tempora in vita commoratus. In tertio item libro, de eodem argumēto conscripto, hoc ipsum his verbis manifestum facit: Ephesiana ecclesia quæ est à Paulo fundata, & in qua Ioannes ad Traiani tempora vitam produxit, vera testis est traditionis Apostolicæ. Posterior autem testis, Clemens scilicet, in eo opere quod inscripsit, Quis sit ille diues qui saluetur, vt primū ipsum tempus commonstrauit, historiā pariter cū primis necessariā, ijs præsertim qui ex honestis vtilibusq; rebus audiēdis aliquid capiunt oblectationis, adiūgit. Sumamus igitur in manus historiā, & legamus, quę ita se habet: Audito fabulā: quid dixi fabulā? imò veram & certam historiā, de Ioanne Apostolo memoratā, quæ & nobis constanter tradita est, & memoria firmè custodita. Vbi verò, tyranno mortuo, ex insula Patmo erat Ephesum reuersus, quorundā rogatu ad finitimas gentes proficiscitur, hic episcopos cōstituturus, illic integras ecclesias ritè dispensaturus, alibi certos homines sibi Spiritus sancti instinctu demōstratos in clerū delecturus. Ac cùm ad vrbē quandam non lōgè inde distantem (cuius etiā nomen nonnulli memorant) se cōtulisset, & alia quæque officia quæ ad animos fratrum inter se dissidentium concilian-
dos pertinebāt, obijsset, ad extremū adolescentulū corporis viribus valentem, vultu & oris conformatione venustum, animi impetu flagrantē, fortè conspicatus, statim in eū qui ibi episcopus erat cōstitutus, oculos cōuertit, eūq; sic affatus est: Hunc adolescentulum omni studio, cura & cogitatione, corā Ecclesia & Christo teste, tibi tuęq; fidei commēdo. Quē cùm episcopus in suā tutelā accepisset, & omnia se facturū fuisset pollicitus:

Irenæus li. 2. cap. 39. Intelligit ætatem Christi à Ioanne traditam cap. 3.

Adolescens quidam à Ioanne commēdatus episcopo.

Ioannes

Universidad de Deusto
Biblioteca

Adolescens disciplinæ remissione & societate mala corruptus.

Ioannes eadem iterũ atq; iterum illi edisserit, eiusq; fidẽ contestatur. Ephesum deinde A
redit. Episcopus ille adolescentulũ sibi concreditum in domum suam recipiens, educa- "
uit pro suo, in officio cõtinuit, fouit humaniter: ad extremũ, baptismi sacramento illu- "
minauit. Postea verò vbi sigillo Domini, id est, sacramẽto confirmationis, tanquã perfe- "
cta rutaq; eius animi custodia obsignasset, nonnihil de cura & obseruatione in eo insti- "
tuendo suscepta remisit. Quẽ quidem non solũ liberior viuendi potestas, quam fuerat "
paulò antè tempus adeptus: verumetiã quidam adolescentes, eius æquales, ocio langui- "
di, inertia dissoluti, & omni malorũ genere assuefacti corruperunt: ac primũ exquisitis "
cõuiuiorum opiparorũ delicijs illum alliciunt, inuitãtq;: noctu deinde educẽtes, ad fur- "
ti societatẽ coeundam attrahunt: tum maiora moliri flagitia hortãtur. Iste pedetentim "
assuescit: & propter generosam animi magnitudinem, tanquam equus effrenatus, & ni- "
mium sibi suisq; virib. præfidens, extra rectã viam impetu fertur, frenaq; acriter præmor "
dens, procliuius in profundũ vitiorum gurgitẽ se præcipitat. Atq; cùm ominò iã in de- "
sperationẽ salutis in Deo sitæ veniret, deinceps non de exiguis noxis cogitauit: sed ma- "
gnis quibusdã ac nefarijs facinoribus admissis, vbi semel omni improbitate & nequitia "
perditus euaserat, nullã non sceleris labẽ ex æquo cũ alijs contrahere secum statuit. Istis "
igitur in familiaritatẽ ascitis, & magna latronum turba collecta, animo prõpto parato- "
que se ducẽ manu violentissimum, sanguinis effusione crudelissimum, seueritate deni- "
que acerbissimum præbuit. Interea temporis, vbi necessaria ad eã rem incidebat occa- "
sio, Ioannes accersitur. Ille vbi alias res, quarum gratia venerat, recta ratione dispositis- "
set, Age (inquit) episcope, depositum nobis redde, quod ego & Christus, ecclesia teste, "
quam gubernas, tibi cõmisimus. Hic verò primò attonitus obstupuit, arbitratus pecu- "
niam, quam nunquã acceperat, à se per fraudem & dolum malum repeti: & tamen neq; "
facilè credere poterat, ea ab se reposci per calumniã, quæ neutiquam habuisset: neq; Io- "
anni, depositum repetenti, omnino diffidere. Verùm simulatq; Ioannes dixerat, Ado- "
lescentulum repeto, & animã fratris: senex demisso vultu ingemiscens, & item lachry- "
mans, ille (inquit) mortuus est. Quo modo, & quo genere mortis? Deo, inquit, mortuus "
est. Nam nequã & perditus, &, vno verbo, latro euasit. Et iam pro ecclesia, in qua versa- "
batur, montem cũ nefaria hominum sui similium turba occupat. Apostolus ergo veste "
dilacerata, ingenti cum gemitu caput feriens: Bonum, inquit, custodẽ animæ fratris tui "
te reliqui. Equus iam iã mihi adsit, & dux aliquis itineris. Inde ab ecclesia, ita vt erat, cũ B "
festinatione se proripuit. Profectus autem ad locum, à primis latronum excubitoribus "
prehenditur. Qui neq; fugam parans, neque euitare studens, sed vociferans admodum, "
dixit: Huc huius rei causa accessi, me ad principem vestrum deducite. Qui quidem ad "
tempus, vt erat armatus, expectat. Verũ vt Ioannem aduentãtem agnouerat, præ pudo- "
re capessit fugã. Hic verò ætatis suæ oblitus, illum pro virib. properè insequitur: atq; cla- "
mans, Quid (inquit) fili, me tuum ipsius patrem, inermem, & ætate confectum, fugis? Mi- "
serere laboris mei, fili: ne formides: adhuc tibi salutis spes reliqua est: ego Christo pro te "
reddam rationem: & si sit opus, pro te lubens mortem oppetam, sicut Dominus pro o- "
mnibus nobis: pro tua anima, meam dabo: consiste, crede: Christus me misit ad te. Ille "
vbi hæc audiuerat, primùm oculis humi defixis constitit, deinde arma abiecit: tum hor- "
rore perfusus, grauiter & acerbè lamentatus est: Senem ad se aduentantem complecti- "
tur: fletu & mœrore, quoad poterat, pro culpa satisfecit: & dextra sola occultata, lachry- "
marum vnda secundò baptizatur. Apostolus rata & constanti asseueratione, ei se à Ser- "
uatore veniam & remissionem peccatorum precibus suis impetraturum pollicetur: at- "
que ad genua accidens, ipsam manum dexteram, tanquam aqua pœnitentiæ ablutam "
purgatamque osculatus, illum ad ecclesiam reducit. Crebris item precibus Deum pro "
illo inuocat, continuis ieiunijs vnà cum eo se macerat, varijs diuinæ sapientiæ sententijs "
eius animum quasi quibusdam lenocinijs mitigat, tranquillatque: neque prius, vt fer- "
tur, inde decessit, quàm illum ecclesiæ ministerio præfecisset. Cuius conuersione ma- "
gnum veræ pœnitentiæ exemplum, præclarum secundæ regenerationis specimen, illu- "
stre denique trophæum à peccatis resurrectionis, per exteriora pœnitentiæ signa homi- "
nibus proposuit ad imitandum. Ista à Clemente hoc modo præscripta, tum ad rei gestæ
cognitionem, tum ad vtilitatem legentium accommodata, istum locum obtineant.

Adolescens latro Ecclesiæ restitutus à Ioanne.

De ordine Euangeliorum. CAPVT XVIII.

Ruff. ca. 24. Ioannis scripta.

PErgamus iã, & certa Apostoli scripta, quæ in nullam hactenus controuersiã vocata fuerint, ostendamus. Ac primùm de Euangelio illius, quod in vniuersis ecclesijs sub cæli complexu collocatis peruulgatum est, pro explorato constet. Quòd

Huc refert Nicephor. cap. 45. lib. 2.

A Quòd verò inter reliqua tria Euangelia à veteribus rectè & appositè quarto numeretur
loco, hoc pacto planum fiet. Admirabiles planè viri & reipsa diuini (Christi Apostolos
intelligo) ipsa pura ac syncera vitæ ratione cũ primis eximij, & vniuerso virtutis gene-
re animis exornati, quanquam linguæ elegantis & diserti sermonis rudes & ignari, di-
uina tamen & miranda potentia ipsis à Seruatore donata fidentes, exquisita verborum
fabricandorum solertia, & arte elaborata, doctrinam magistri sui, ac præcepta expone-
re neque norunt, neque conati sunt: sed aperta & manifesta docendi ratione per sacro-
sanctum Spiritum ipsis opem ferentem infusa, & sola Christi virtute, tot miraculorum
effectrice, per ipsorum doctrinam & res gestas plenius peruulgata, vtentes, regni cælo-
rum notitiam toti orbi terrarum patefecerunt: quinetiam studium & operam, quæ in
libris conscribendis poni solet, haud magno sanè æstimârunt, & istud planè præsti-
terunt: vtpotè excellentiori ministerio, ac longè hominum captum superanti inser-
uientes. Paulus enim, qui inter omnes illos verborum apparatu maximè, & sen-
tentiarum grauitate non minus pollebat, quamuis infinita ferè arcana mysteria, quæ
loqui fas non erat, animo teneret, (quippe qui ad tertium cælum vsque sublatus, diui-
narum rerum contemplationem gustasset, ad ipsumque paradisum diuinæ maiestatis
claritate eximium raptus esset, & illic ad verba secreta & plena mysterij audienda ad-
missus) præter paucissimas epistolas, præterea nihil scriptis omninò mandauit. Et quan-
quam reliqui omnes qui erant ab ipso Seruatore nostro doctrina & præceptis sapien-
tiæ instituti, vt duodecim Apostoli, Septuaginta discipuli, alijque præter istos, penè in-
numerabiles, eiusmodi reuelationum non penitùs expertes & ignari erant: tamen ex
omnibus qui in eius disciplinam se tradiderant, solus Matthæus & Ioannes nobis quæ-
dam monumenta literis prodita post se reliquerunt: quos etiam fama est, necessitate
quadam adductos, se ad scribendum contulisse. Matthæus, cùm iam antea Hebræis
verbum Dei prædicasset, simulac in animo habuit ad alias gentes proficisci, Euange-
lium suum patrio sermone conscripsit: & quod illis à quibus decessit, deesse, dum præ-
sens apud eos erat, videbatur, illud sedulitate & labore scribendi omnibus suis quasi
numeris expleuit. Iam verò vbi Marcus & Lucas sua Euangelia in publicum protulis-
sent, Ioannem (cui semper in more positum erat, prædicatione verbi absque scriptis v-
ti) tandem eiusmodi causa adductum, sea d scribendum applicuisse ferunt. Cùm tria
B euangelia iã dudum perscripta, cùm in aliorum iam omnium, tum in ipsius etiã manus
peruenissent, fama est eum ea magnopere approbauisse: & constanti ratoq; testimonio,
omnia in illis verè fuisse scripta cõfirmasse: & solã illam explicationẽ nunc literis man-
dandam restare censuisse, quæ res primo tempore à Christo in ipso suæ prædicationis
principio gestas cõplecteretur. Quæ quidẽ hominum fama est planè verissima. Tres nãq;
alios euãgelistas ea sola scriptis prosecutos, quæ à Seruatore post Ioannẽ Baptistam in
carcerem coniectũ, ad vnum annum continuũ gerebãtur, satis perspicuè licet animad-
uertere: illudq; ipsum illos in ipso suæ historiæ exorsu planè significasse. Nã post ieiuniũ
quadraginta diebus continuatum, & tentationem interea loci interuenientem, Mat-
thæus ipsum tempus, à quo suæ historiæ scribendæ sumpsit initium, perspicuè ostendit:
Audiens, inquit, quòd Ioannes tradebatur, secessit à Iudæa in Galileam. Similiter etiam
„ Marcus: Vbi, inquit, Ioannes tradebatur, venit Iesus in Galileam. Lucas itidem, ante-
„ quam facta Iesu Seruatoris explicare ordiatur, pari ratione temporis seriem obseruat,
„ dicens: Quòd Herodes ad alia mala quæ cõmiserat, hoc etiã adiecit, Ioannem nempe in
„ carcerem inclusit. His igitur de causis Ioannem tradunt, quorundã amicorum rogatu,
„ tum ipsum tempus à superioribus Euangelistis silentio præteritum, tum res in eodem à
Seruatore gestas (illæ quidẽ erant, quæ fuissent ante Ioannẽ Baptistam in vincula conie-
ctum factitatæ) in Euangelio suo posteritati prodidisse. istudq; idem satis euidenter illũ
ipsum cõmonstrare, primùm cũ dicat, Hoc initium miraculorũ & signorũ fecit Iesus:
deinde, vbi inter acta Iesu mentionẽ fecit Ioannis Baptistæ, adhuc eo tẽpore in Aenon
iuxta Salẽ baptizantis. Idẽ ipsum porrò apertè declarat, vbi sic loquitur: Nondum enim
Ioannes cõiectus erat in carcerẽ. Quocirca Ioannes ea in Euãgelio suo scriptis mãdauit,
quæ, Ioanne Baptista nondũ in custodiã misso, à Christo gesta fuêre. Reliqui autẽ tres
Euangelistæ ea commemorant, quæ post Ioannẽ Baptistam in ergastulum cõtrusum, à
Seruatore edita dicuntur. In quibus si quis attẽta cura & cogitatione animum defigat,
non poterit amplius existimare, Euangelia vlla ex parte inter se ipsa dissidere: quando-
quidem Ioannis euangelium res primò à Christo gestas continet: reliqua autem, poste-
rioris temporis & factorũ in eo editorum narrationẽ complectuntur. Ac non immeri
tò quidẽ Seruatoris nostri stirpis secundũ carnem genealogiã, vtpotè à Matthæo & Lu-
ca accuratè conscriptã, Ioannes silentio prętermisit, & ab eius diuinitate cœpit exordiũ:
perinde

Apostolorũ Christi simplicitas in seruione.

Cur ab Apostolis cultus sermonis non sit affectatus.

Paulus cæteris Apostolis eloquentior & grauior.

Pauli epistolæ.

Matthæi Euangeliũ Hebraicè ab eo scriptum & quare.

Marci & Lucæ Euãgeliũ.

Ioannis euangeliũ cur inter reliqua tria quarto loco.

Matth. 4.

Marc. 1.

Luc. 3.

Ioannis Euãgelium quid ab alijs differat.

Vide lib. 6. cap. 14.

Euangelia inter se non dissidere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

perinde ac si illa fuisset sibi, tanquam multò acutius eandem intuēti, à Spiritu sancto ad A
scribendum reseruata. Ista igitur à nobis de causa, cur Ioannes Euangelium suum scripserit, dicta sint. Quid verò causæ Marcum ad scribendum impulerit, suprà docuimus.
Lucæ Euangelium. Lucas quoque in ipso sui Euangelij principio causam, cur illud contexere aggressus sit, proponit: nimirum quòd plerique alij eorum sermonum declarationem imprudentius & minus considerate instituissent, quorum veritatem ipse satis explorate cognitā habebat. Atque cùm nos ab opinione quæ inter alios anceps & controuersa putaretur, quasi necessitate ad eam rem compulsus, abduxerit: tandem certam ratamque earum rerum explanationem, quarum ipse veritatem partim ex familiaritate & consuetudine, quæ illi cum Paulo intercessisset, partim ex crebro reliquorum Apostolorum sermone & colloquio quod cū illis haberet, plenè & cumulatè intellexisset, in suo Euangelio manifestò tradit. Verùm de his hactenus. Cætera autem quę sunt ab alijs de eisdem commemorata, ex veterum scriptorum inter se cōparatione, commodiore tempore docere pro virili contendemus.* Inter Ioannis monumenta, quæ præter Euangelium scripsit, prior eius Epistola tum recentium, tum antiquorum auctoritate sine controuersia comprobatur: reliquis autem duabus contradicitur. Atque opinio illa quæ est de Apocalypsi, quanquam à nonnullis etiam adhuc variè in vtranq; partem disceptatur: tamē vbi tempus nobis dabitur opportunum, eā veterum testimonijs exquisitè discutiemus.

* Ruff. c. 25. *Ioannis epistola.*

Apocalypsis.

De confessis & manifestis Sacræ scripturæ libris.

CAPVT XIX.

Scripturæ S. noui Testamenti libri qui.

CAeterùm quoniam sumus in hunc sermonem delapsi, videtur rationi consentaneum, Scripturarum seriem quæ noui testamenti esse dicuntur, summatim comprehendere. Primùm ergo sacer Euāngeliorū quaternio ratus esto: quē quidem liber de actis Apostolorum sequitur. Huic annumerentur Pauli Epistolę, quibus deinceps prior Epistola quæ fertur esse Ioannis, & Petri similiter prior, tanquam omnium consensu constabilitæ, adiungantur. Inter ista, si placet, Ioannis Apocalypsin conijciamus, de qua quid veteres statuerint, aliud erit tempus exponendi. Atq; hæc sunt, quæ omnium asseueratione constanter approbantur. Ex illis quæ in dubitationem quidem vocantur, sunt tamen à plerisque recepta, est epistola quæ Iacobi dicitur, & Iudæ: & secunda Petri: & secunda & tertia quæ Ioannis nomine inscribuntur, siue illæ ab Euangelista, siue ab quopiam eodem nomine appellato perscriptæ sunt. Inter scripturas autem quæ falso inscriptæ, minimeq; germanæ dicuntur, [a] Pauli acta numerantur, & liber qui vocatur Pastor, & Apocalypsis Petri. Porrò epistola nomine Barnabæ edita, & quæ dicitur doctrina Apostolorum: adde his, si videtur, [b] Ioannis (vt dixi) Apocalypsin: quam nonnulli, vt docui, penitùs antiquare contenderunt, alij tamen eam in Scripturis maximè approbatis collocandam iudicant. In quibus etiā non pauci hoc tempore, [c] Euāgelium secundum Hebræos ponunt, quo Hebræi illi qui sunt Christi doctrinam amplexati, maximè gaudent. Cæterùm hæc omnia referantur in earum Scripturarum numerum, quibus à plerisque contradicitur. Atque certè istorum librorum enumerationem necessariò fecimus, vti, cū Scripturas quæ secundum Ecclesiæ traditionē veræ, germanæ, & omnium sententijs manifestò confirmatæ sunt, perspicua quadā nota ab alijs quæ non sunt eiusdem auctoritatis, sed sunt positæ quidem in controuersia, à plerisque tamen ecclesiasticis viris euolutæ & pertractatæ, distinxerimus: facilè quidem non istas ipsas modò, sed eas etiam quę Apostolorum nomine ab hæreticis circunferuntur, possimus discernere: siue euangelia Petri, Thomæ, Matthiæ, aliorumúe nomine falso inscripta: siue acta, quæ Andreæ, Ioannis & aliorum Apostolorum nomine veteratoriè donata sunt: quas quidem Scripturas nemo ex scriptoribus Ecclesiasticis, qui continuata temporum successione ab Apostolis hucusque vixerunt, vsquā in suis scriptis in memoriam redigere dignatus est. Quinetiam dictionis & loquendi forma, longe à stylo & dicendi consuetudine Apostolorum discrepat. Sententia porrò & institutum eorum quæ in illis libris traduntur (quòd toto propè cælo, vt dicitur, à vero orthodoxoq́ue Scripturæ sensu & opinione aberrat) planè perspicueq́ue ostendit, ea callida solum hæreticorum esse commenta. Vnde ne in eo quidem Scripturarum genere, quæ falsò inscriptæ, minimeq́ue germanæ dicuntur, habenda sunt: sed tanquam absurda omnino, & impia, penitùs explodenda. Verùm ad reliquam historiam pergamus.

Huc refer Nicephor. li. 3. ca. 46.

B

Iacobi & Iudæ, itē secūda Petri. secunda & tertia Ioannis epistolæ.

a Pauli acta, Pastor, Petri Apocalypsis, Barnabæ epistola.

b Apocalypsis Ioannis.

c Euangeliū secundum Hebræos.

Euangelia et acta apocrypha hæreticorum cōmenta. 4. notæ quibus genuina ecclesiæ scripta à suppositijs discernuntur: 1. iudicium ecclesiæ, 2. stylus, 3. sententia, 4. institutum.

De

A

Huc refer Niceph. cap. 12. lib. 3. Vide et iā Euseb. lib 4. infra cap. 7 Augustin. hæresi 2. Epiphan. hæresi 2. lib. 1. tom. 2.

De Menandro præstigiatore. CAP. XX.

Ruffi. c. 26. *Menāder hæreticus.*

MEnander, qui Simoni mago successit, seipsum propter sceleratam morum suorum improbitatem, secundum diabolicæ molitionis propugnaculum, illo priore nihilo planè imbecilliorem præstitit. Erat iste etiam Samaritanus: qui vbi ad summum prę̄stigiarum fastigium, vt facilè cū magistro contenderet, peruenerat, maioribus portentis se nobilitauit: & Seruatorem ad hominum conseruationem ac salutem cœlitùs è seculis inuisibilibus demissum, se prædicauit: docuitque, neminem aliter ex angelorum dominatu, qui mundum fabricassent, se posse eripere, quàm vt prius experientia magica ab ipso tradita instructus esset, & baptismate, quod ille impertire solebat, ablutus. Quo quidem qui essent dignati, eos perpetuam in hac vita immortalitatem adepturos: & non amplius subituros mortem, sed eodem in loco in æternum commorantes, nulli senio, nulliúe internecione aliquando obnoxios fore. Ista certè ex Irenæi scriptis facilè licet perspicere. [a] Iustinus item, vbi perditum Simonis conatum memorauit, huius etiam fraudem narrare pergit, his verbis: Menandrum quendam Samaritanum, ex vico Caparattæa ortum, Simonis discipulum, furore quodam dæmoniaco agitatum, Antiochiam aduentasse, & multos magicæ artis præstigijs in fraudem induxisse cognouimus: qui quidem illis quos ad se sequendum pellexisset, persuasit, quòd nunquam omnino morte essent interituri. Quidam etiam adhuc ei⁹ præceptis instituti, idem profitentur. [b] Erat igitur diabolici planè conatus commentum, qui quidem per magicam astutiam eiusmodi præstigiatorum, adeò callidè Christianorum nomen vsurpantium, magnum pietatis & religionis nostræ mysterium infamia notare, atq; ecclesiasticis dogmatis de animæ immortalitate & resurrectione mortuorū traditis, maleuola obtrectatione omnem auctoritatem abrogare obnixè laborauit. Verùm isti qui hos Seruatores sibi ascripserunt, de vera salutis spe penitùs deciderunt.

Menandriani asserunt, mundum ab angelis conditum: Saturniani, à septem solum angelis eū esse fabricatū. Augustin. in lib. de hæret tomo 6. Epiphanius idem affirmat de Menandro & Saturnil. tom. 2. cap. 2. & 3.

a Iust. ad Anton. fol. 144.

b Satanæ consilium.

B

Huc refer Niceph. c. 13. lib. 3. & Eusebij c. 7. li. 4. infra item vide Epiph. hæresi 10. tom. 2. lib. 1. Augustinum hæresi 10.

De Ebionæorum Hæresi. CAP. XXI.

Ruffi. ca 27

† *Vide anno. pag. 28. lat. 2. lin. 36.*

ALios porrò nequā & improbus dæmon, cum ab amore quem erga Christum Dei habebant, nullo modo per† artis magicæ præstigias posset dimouere: eosdem tamen, vbi alia quadam astutia irretiri posse comperiret, veteratoriè tandem sibi suoq́; addixit obsequio. Isti ex primo illius sectæ auctore nomen ducentes, Ebionæi proprie appellati sunt: hoc est, mentis & intelligentiæ inopes, quippe qui de Christo & eius doctrina tenuiter & abiectè statuerent, opinarēturq́;. Eum namq; simplicem, vulgarem, & solum hominem censuerunt, & ex concubitu coniunctioneq; Iosephi viri cum Maria vxore sua in hāc lucem editum: verùm propter progressionem quam in virtutè fecisset, hominem iustum censuerunt, at solum hominem tamen. Porrò legis Mosaicæ obseruatione omninò ipsis opus esse: perinde ac si fide sola in Christū, & vitæ ratione quæ cum illa cohæret, neutiquam salui esse possent. Præter istos alij etiam erant eadem appellatione donati, qui quanquam ab inepta & stulta horum quos commemorauimus opinione defiexerunt, atq; adeò ex virgine & spiritu sancto Dominum prognatum non denegarunt: non dissimili tamen ratione dum ipsum Christum nec Deum qui ante secula extitit, nec verbum & sapientiam patris fuisse confiteri volebant, in eandem cum superioribus impietatem prolapsi sunt: idq́ue maximè, cum corporalem veteris legis obseruationem cultumq́ue pari ratione cum illis celebrare omni studio niterentur. Isti porrò epistolas Pauli apostoli penitùs reijciendas ducunt, eumq́ue nominant legis desertorē, proditoremq́; : euangelio solo quod secundum Hebræos dicitur, vtentes, cætera Euangelia non magno æstimant. Et non solū subbatum, & reliquā Iudaicam institutionē similiter cum illis superioribus obseruant: verùm etiam dies Dominicos pari ratione nobiscum, in resurrectiōis Seruatoris nostri memoriam accuratè recolunt. Vnde ob talem conatum, tale etiā nomen, nimirum vt Ebionæi vocarentur, obtinuerunt: quod quidem ipsorum mentis & intelligentiæ tenuitatem propriè declarat. Nam hæc vox Ebion, lingua Hebraica pauperem & egentem significat.

Ebionæi. Eorū hæresis.

Vide Irenæū lib. 1. cap. 25. itē lib. 3. cap. 3.

Euangelium secūdum Hebræos.

Ebionæorum nomen.

De Cerintho Hæresiarcha. CAPVT XXII.

Huc refer Nicephor. cap. 14. lib. 3. & Euseb. cap. 13. lib. 2. & cap. 22. lib. 7. vide Augustin. hæresi 8. Epiph. hæresi 8. tom 2. libri. 1.

Ruffi. c. 28.

Cerinthus hæresiarcha.

IIsdem * temporibus Cerinthum quendam, alterius hæresis ducem & auctorem extitisse accepimus. Gaius (cuius voces iam suprà posuimus) in libro qui Disputatio Gaij inscribitur, hæc de illo scribit: Cerinthus, qui per admirabratas reuelationum, tanquam à magno quodam apostolo conscriptarum species, absurda portenta præstigiasq́ue quasi per angelos ipsi ostentatas, nobis falsò comminiscebatur, hæc asseueranter introducit: Post resurrectionem carnis humanæ regnū Christi terrestre futurum, &

E

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum,&apud Hierusalem homines in carne cupiditatum &voluptatum blanditijs inser- A
uituros. Qui cum sacrosanctis Dei eloquijs hostis esset infensus, numerum mille anno- "
rum (habuit enim in animo, homines in fraudem illicere) in nuptiarum festis & cele- "
britate dicebat consumptum iri. Adde huc Dionysium, nostra ætate ecclesiæ Alexandri- "
næ episcopum, qui in secundo libro de Promissionibus, vt primùm nonnulla tanquã ex
vetere traditione sumpta de Ioannis Apocalypsi exposuit, huius etiã viri his verbis facit
mentionẽ:† Cerinthum quidem, qui Cerinthianã hæresin, ab ipsius nomine sic dictam
proseminauit, hoc disciplinæ decretum tenuisse constat: Regnum Christi terrestre de- "
inceps futurum. Et quarum rerum cupiditate ipse ducebatur (quippe qui inuitamentis
corporis, & carnis cum primis obsequeretur illecebris) in eisdẽ beatam vitam fore som- "
niauit: vt in ventris, & earum partium quæ ad venerem spectant, expletione: hoc est, nõ "
in esculentis solum, poculentis & nuptijs, verumetiam in festis, sacrificijs, hostiarũ cæ- "
de, & alijs deniq; rebus, quibus ista putaret affluentius posse suppeditari. Hæc Dionysius.
Irenæus item in primo libro contra Hæreses, sceleratiora & magis nefanda eius dogma-
ta, eaq; plena erroris & commenticiarum opinionum explicat. In tertia autem eiusdem
operis, historiam planè memorabilem de illo literis mandat: Olim inquit, Ioannes apo- "
stolus (sic ex Polycarpo traditum acceperat) in balneum lauandi sui causa ingrediens, "
cum certior factus esset Cerinthum intus esse, actutùm ex eo loco resilijt, & se proripuit "
foràs, illudq; tectum subire non omninò sustinuit. Atq; ad hunc modum comites suos "
hortatum ferũt: Fugiamus extemplò, ne balneum in quo Cerinthus veritatis hostis mo- "
ratur, subitò concidens, nos opprimat.

Dionysius Alexãdriæ episcopus.

† Vide annot. pag. 29. lat. 1. lin. 24.

Iren. lib. 3. c. 3.

S. Iohannes hæretiũ Cerinthum deuitat.

De Nicolao, & de ijs qui ab eo nominantur. C A P. XXIII.

Ruff. ca. 29.

Nicolaitarum hæresis.

Apoc. 2.

Act. 6.

Clem. fol. 173. lin. penult.

PAulo pòst hæresis, Nicolaitarum nomine nũcupata, exoritur: quæ ad val- Huc refert Nicephor. cap. 13. lib. 3. Videq; Epiphan. hær. 25. con. 2. lib. 1. Augustin. hær. 5.
de exiguum tempus durauit. cuius quidem habetur mentio apud Ioannem
in sua Apocalypsi. Isti hæretici Nicolaum, vnum ex diaconis qui ab Apo-
stolis ad curam egentium suscipiendam, vnà cum Stephano deligebantur,
uæ secte auctorem fuisse iactitabant. Clemens porrò Alexandrinus in ter-
tio libro στρωματέων, ista de eo ad verbum narrat: Hic, cum vxorem haberet facie honesta
& liberali, post Seruatoris ascensum ab Apostolis zelotypiæ insimulatus, eam in mediũ

Irenæus lib. 1. cap. 27.

productã, cuiq; cupienti ducendam permisit. Atq; illi dicto, Carne nempe abuti opor- B
tere, hæretici hoc ipsorum factum congruere asseuerant. Qui igitur hanc sectam sequun- "
tur, illud tum factum Nicolai, tum dictũ quod temerè & inconsideratè exciderat, imi- "
tantes, impudenter nefario stupro se polluunt. De Nicolao autem sic ipse equidem ac- "
cepi, eum nulla alia muliere omnino vsum, præter illam quam habuit in matrimonio.
Ex cuius liberis, filias quidem ad extremam senectutem virgines permansisse, filium au-
tem vitam puram & nulla labis contagione aspersam traduxisse audiui. Quæ cum ita se
habeant, vxoris suæ publicatio, quę propter zelotypiæ crimen illi obiectum in media
Apostolorum frequentia facta sit, magnam libidinis aspernationẽ & cõtemptum decla-
rat. Quin etiam eius continentia in voluptatum depulsione (ad quas conquirendas ple- "
riq; nimio studio incitabantur) perspicuè docebat, carne abuti oportere, quò eius refre- "
netur libido. Non enim (credo) secundum Domini mandatum, duobus dominis inser- "
uire voluit, Voluptati, & Domino seruatori. Fertur etiam, Matthiam sic docuisse, cum "
carne confligendum, eaq; ad cohibendam libidinem abutendum, neq; quicquam con- "
cedendum ad illius voluptatem: animã autem, fidei & cognitionis tanquam nutrimen- "
tis augendam. Verùm de illis, qui temporibus hisce à nobis oratione percursis, veritatẽ
supplantare, eamq; suo debito fraudare præmio aggressi sunt, (qui planè dicto citius om-
nino extincti euanuerunt) satis multa diximus.

Nicolai comitantes

Carne abutẽdum.

De Apostolis, qui matrimonium contraxisse probantur.
C A P V T XXIIII.

Ruffi. ca. 30.

CLemens (cuius verba modò citauimus) deinceps post illa quæ suprà posuerat, Vide Nicephor. lib. 3. cap. 14.
Apostolos, qui matrimoniũ contraxisse reperiuntur, enumerat: idq; contra eo-
rum sententiã, qui nuptias tollere abrogareq; instituerẽt: Num, inquit, sunt A- "
postolos improbaturi? Petrus enim, & Philippus, liberos procrearunt. Philippus filias "
viris collocauit in matrimonium. Paulus etiã non veretur in quadam epistola, coniugis "
suæ mentionẽ facere: quam eò minimè secum circunduxit, quò facilius liberiusq; suo "
fungeretur ministerio. Ac quoniam in istarũ rerum mentionem incidimus, aliã quoq; "
ciusdem historiam, dignã explicatione, dignamq; memoria, proferre non grauabimur:
quam quidem in septimo libro στρωματέων, isto modo literis prosequitur: Aiunt, beatum
Petrum

Clem. fo. 370. lib. 3. Petrus Philippus Paulus.

Fol. 314. lin. 12.

A Petrum, cum vxorem suam ad necem abductam conspicaretur, magna gestijsse lætitia, *Diui Petri ad vxorem martyriũ subitura exhortatio.*
„ tum quod vocaretur à Deo, tum quòd in propriũ domicilium reuerteretur. Eam verò
„ admodum & hortatus & consolatus, sic nomine compellauit: Heus tu, memor esto Do-
„ mini. Tales sunt beatorum nuptiæ, & tam perfectus amor inter amicissimos interce dit.
„ Ista ergo cum propria sint & accommodata ei quod in manibus est, argumento, hoc lo-
„ co sint à me opportune citata.

De Iohannis & Philippi morte. C A P. XXV.

Vide Nicc. lib. 1. ca. 35. lib. 2. c. 39.

Ruffi. c. 31.

EMpus autem & modus, quo Petrus & Paulus exierunt è vita, quinetiam *Ioannis mors.*
locus quo post mortem sepulchra ipsorum sita fuerint, iampridem sunt à
nobis exposita. Ioannis etiam tempora nunc ferè explanata. Locus illius ta-
bernaculi qui sit, ex epistola Polycratis, qui fuit ecclesiæ Ephesianæ episco-
pus, satis constat. Quam quidem epistolam ad Victorem episcopum Ro-
manum perscripsit, inq; ea non modò Ioannis, sed Philippi simul & filia- *Philippi & filiarum eius mors.*
„ rum eius mentionem facit ad hunc modum: In Asia enim, præclara nostræ religionis
„ tanquam seminaria, morte consopita sunt: quæ quidem resuscitabuntur in extremo die *Ioannis mors.*
„ aduentus Domini, in quo est venturus cum gloria de cœlo, & omnes sanctos conquisi- *a Hier. in Catal. script. eccles. sic de Ioanne: Ioãnes, inquit, qui supra pectus Domini recubuit, pontifex Ephesi, aureã laminã in frõte portãs, martyr & doctor in Epheso dormiuit. Ita constat Hieronimum πέταλον laminã appellasse, alij mitram vocant.*
† Vide annot. pag. 29. lat. 2. lin. 38.
„ turus: Philippum dico, † vnum ex septem diaconis, qui Hierapoli extremum vitæ diem
obijt: & duas illius filias, quæ virgines in extrema senectute occubuerunt: quarum alte-
ra vitam Spiritus sancti afflatu piè sanctèq; institutam degens, Ephesi mortem obijt. His
Secundum Heron. obijt D. Iohannes anno Domini, 102.
accedit Ioannes, qui supra pect⁹ Domini recubuit: quiq; cum esset sacerdos, a πέταλον ge-
stauit: qui denique martyr & doctor fuit, & Ephesi etiam obdormiuit. Hæc de illorum
morte. Porrò in Gai disputatione, quam paulò antè citaui, Proclus, contra quem disce-
ptationem instituit de morte Philippi & filiarum eius, his à nobis expositis admodum
cõsentiẽs, sic loquitur: Pòst Hierapoli in Asia quatuor filiæ Philippi prophetissæ fuerũt:
„ ibidemq; tum illarum tum patris sepulchrum locatum est. Hæc ille. Lucas præterea in
„ b Actis Apostolorum, de filiabus Philippi, quæ tum Cæsareæ in ludæa simul cum patre *b Act. 21.*
„ versabantur, quęq; dono prophetiæ erant imbutæ, ita verba facit: Venimus Cæsaream, &
„ ingressi in domum Philippi euangelistæ, qui erat vnus è septem, mãsimus apud illũ: huic
„ quatuor erant filiæ virgines, quæ prophetabant. Iam verò ea quæ ad nostram cognitio-
B nem peruenerunt, de temporibus Apostolorum, de Scripturis sacris, tum quas ipsi reue
ra post se reliquerint, tum quibus contradictum sit, (quæ tamen à nonnullis ecclesijs
multorũ approbatione publicè receptæ & peruulgatæ sunt) tũ deniq; quæ sint omninò
adulterinæ, atq; adeò ab orthodoxa Apostolorum opinione & sententia penitùs alienæ,
hactenus nostro sermone persecuti, deinceps ad reliquam historiam transeamus.

Quomodo Simeon Hierosolymorum episcopus martyrium subiret.
C A P V T XXVI.

Huc refer Nicephor. ca. 16. lib. 3.

Ruffi. c. 32. Persecutio tertia Anno Christi. 110. Traiani. 10. in Christianos mota.

POst Neronem & Domitianum, sigillatim in quaq; ciuitate sub Traia- *c Simeonis Cleophæ F. C & XX annos nati martyrium.*
ni mperio (cuius iam tempora perquirimus) ex seditione populi exci-
tata, grauem contra nos Christianos persecutionis tempestatẽ cõmo-
tam, fama & sermone percrebescit. In qua c Simeonẽ, filiũ Cleophæ,
quẽ secundum ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopum creatũ declara-
uimus, martyrio extremũ vitæ suę diẽ confecisse accepimus. atq; hui⁹
quidem rei idẽ ille Hegesippus testis est: cuius testimonijs, varijs in lo-
cis antea vsi sumus. Qui cum de quibusdam qui erant ex septem Iudæorũ sectis, verba fa-
cit, perspicuè adiungit: Simeonem, quem diximus, propterea quòd Christianus erat, ab
illis eodẽ tempore callidè & malitiosè in crimẽ vocatum. Qui cum dies complures gra-
uiter esset verberibus cęsus, iudicemq; ipsum, & eos qui in consilio aderant, sua tolerãtia
„ in primis obstupefecisset, tandẽ non dissimilem vitæ exitũ à Domini passione subijt. Ve-
„ rùm multò commodius est, mea quidẽ sententia, ipsum scriptorem hæc eadẽ isto modo
„ ad verbum explanãtem audire: Ab eodẽ, scilicet Sectarum, numero quidẽ Simeonem,
„ Cleophæ filium, non modò vt ex Dauidis stirpe editum, verùm etiã vt Christianum, in
„ iudicium adduxerunt: atq; ita, cum annos centum & viginti compleuisset, corã Traia-
„ no Cæsare, & Attico viro consulari, fidẽ Christi cõstanter professus est. Est porrò apud
eundem authorem: accusatores Simeonis, cum Iudæi ex regia tribu Dauidis prognati
diligenter conquirerentur, fortè fortuna ex eadem stirpe manifestò deprehensos fuisse.
Quòd si quis Simeonem tum oculis Dominum conspexisse, tum auribus eius sermo-
nem accepisse dixerit, ratione certè id quidẽ potest, non solum longinquitate temporis,
quo vixerit: sed Euangeliorũ testimonio, quòd Marię Cleophæ meminerit, vbi citatur

Bibliotheca Facultatis Philosophiae Provinciae Cast. Orientalis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maria Cleophæ.

Maria Cleophæ, pro argumento vtens, cuius filius, vt suprà posuimus, fuit Simeon. Idē A scriptor, alios etiam ex genere Iudæ ortos (Iudas autem, fuit vnus ex illis qui Seruatoris fratres dicebantur) post testimonium illud iam antea demonstratum, quod coram Domitiano pro fide Christi dixissent, ad huius Traiani imperium vitam protraxisse narrat. scribit enim ad hunc modum: Veniunt & præsunt vniuersæ Ecclesiæ, vt martyres: & vt " genere Seruatoris & Domini nostri sati: & pace tranquilla in tota Ecclesia vigente, ad " Traiani Cæsaris vsque tempora permanent: ad quæ quidem Simeon filius Cleophæ " quem supra monstrauimus, vitam producens, à sectis Iudæorum, quòd ex diuina Do- " mini progenie genus ducebat, per calumniam similiter vocatur in iudicium, & eius no- " Atticum V.C. men ea de re ita ad Atticum virum consularem defertur. Qui cum multis diebus acer- " bas plagas pateretur, testimonium fidei Christi fortiter perhibuit: adeò vt cum omnes, " tum ipse consularis, supra modum miraretur, quo pacto cum esset centum & viginti " annos natus, talem & tam acerbum plagarum cruciatum sustinuerit. Quibus rebus con- " fectis, ad extremùm mandatum erat, vt in crucem ageretur. Deinceps idem auctor à no- " bis citatus, ea quæ temporibus nostro sermone modò percursis gesta sunt, addit: Nem- " pe quòd ad illa vsque tempora (quandoquidem, si qui erant qui salubrem & synceram " salutaris prædicationis regulam deprauare & corrumpere studebant, in obscuris tene- " brarū latebris delituerunt) Ecclesia integra & incorrupta permanserat. Cæterum post- " quam sacer Apostolorum chorus varium vitæ exitum, & diuersa mortis genera pertu- " lerat, præterieratque illorum ætas, quibus à Christo donatum erat vt auribus diuinam " ipsius sapientiam coràm acciperent: tunc certè falsa & veteratoria impij erroris consp- " ratio exordium cæpit, idque illorum fraude & astutia qui doctrinam à veritate penitus " alienam disseminare laborarent: quiq; cum nemini Apostolorum amplius vita suppe- " teret, decæterò iam nudo capite (vt aiunt) syncero veritatis sermoni falsam & commen- " ticiam doctrinam ex aduerso opponere pro viribus niterentur. Hegesippus quidem de " his rebus hæc oratione complexus, sic ferè memorat. Nos iam via & ratione proceden- " tes, ad reliquam historiam redeamus.

Quomodo Traianus Christianos conquiri vetuerit. CAP. XXVII. B

Plinij Secūd. de christian. ad Traianum relatio.

IN nonnullis locis id temporis tanta quidem & tam acris contra nos Huc refert Nicephor. cap. 17. lib. 3. intendebatur persecutio, vt Plinius Secundus, qui inter prouinciarū præfectos facilè primas tulit, ingenti martyrum numero magnopere commotus, de multitudine eorum qui erant quotidie pro fide trucidati, Traianum imperatorem certiorem faceret. In quo referendo illud pariter adiecit, se non aliquando in illis comperisse, quòd vel quicquam impietatis, vel quicquam contra leges omnino molirentur: præterquam quòd primo diluculo è somno excitati, Christum vt Deum hymnis celebrarent. Quinetiam adulterium, homicidium, & alia nefanda peccata, quæ sunt cū his aliqua quasi cognatione coniuncta, vetant, & omnia quæ sunt legibus congruentia, sedulò exequuntur. Quibus quidem adductus Traianus, tale promulgauit edictū: Chri-

Traiani de Christianis edictum.

stianos à nemine quidem inquirendos esse, oblatos autem puniri oportere. Quod vbi e- rat factitatum, tametsi ardor persecutionis acerrimæ in nos intentatæ quodammodo extinctus fuit: tamen his qui nobis aliquid mali ingerere cupiebant, non minor relicta videbatur occasio, dum hic quidem populus, illic autem cuiusque regionis magistra- tus contra nos parabat insidias: sic, vt quamuis non palàm & apertè nos persequeren- tur, sigillatim tamen in quaque prouincia suam in nos redintegrarent crudelitatem: &

Verba ipsius Tertul. in Apologet. contra gentes, cap. 2.

complures fideles pro Christo decertantes, varijs martyrij generibus occumberent. Istā autem historiam ex Tertulliani Apologia latinis literis perscripta (quam in superiore nostro posùimus sermone) deprompsimus: Atqui inuenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus cum prouinciam regeret, quibusdam Christi- anis damnatis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cæterò ageret, consuluit tunc Traianum Imperatorem: allegans, præter obstinationem non sacrificandi, nihil aliud se de sacris eorum comperisse, quàm cœtus antelucanos ad canendum Christo, vt Deo, & ad confœderandam disciplinam: homicidium, ad- ulterium, fraudem, perfidiam, & cætera scelera prohibentes. * Tunc Traianus rescripsit: Hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos verò puniri oportere. Verùm hæc isto modo.

Vide Plinij epist. lib. 10.

*Ruffi. c. 38.

Quòd

A

Quòd Romanorum Ecclesiam quartus post Clementem Euarestus gubernauit. CAPVT. XXVIII.

Huc refert Nicephor. cap. 2. lib. 3.

CLemens, vnus ex episcoporū Romanorum numero, cum nouem annis docen- do verbo Dei diligentem curam adhibuisset: ministerio suo & officio Euaresto concredito, tertio anno huius, quem dixi, Imperatoris diem suum obijt.

Ruffi. c. 34. Euarestus Romanus episc. anno Chr. 103.

Quòd Hierosolymorum Ecclesiam tertius post Simeonem Iustus rexerit. CAPVT XXIX.

Vide Nicephor. lib. 3. cap. 2.

POrrò autem, cum Simeon ad eum modum, quem monstrauimus, extremum spiritum martyrio effudisset. Hierosolymis sedem episcopalem Iudæus quidā, nomine Iustus, vnus ex infinitis illis qui erant ex circumcisione, quiq; ad fidem Christi id temporis se transtulerant, proximè occupauit.

Ruffi. ca. 35. Iustus Hierosolymit. episc.

De Ignatij Martyrio, & eius Epistolis. CAP. XXX.

Huc refert Nicephor. cap. 29. lib. 3.

ISdem temporibus Polycarpus, qui magna fuit cū apostolis familia- ritate & notitia cōiunctꝰ, in Asia floruit: & Smyrnēsis ecclesię episco- patum, corum suffragijs qui Dominum vidissent, quiq; eius fuissent mini- stri, obtinuit. Cuius ætate Papias, ecclesiæ q̄ est Hierapoli episco- pus, magna fama & celebritate fuit: vir planè cùm omniū aliarum ar- tium scientia disertissimus, tum cognitionis Sacrarum literarum nō ignarus. *Ignatius item, qui est ad nostrā vsq; memoriam multorum ore & sermone prædicatus, post Petrum successione secundus episcopatum Antiochiæ sortitò capit. Fertur porrò, hunc ex Syria ad vrbem Romam amandatum, bestijs prędā & laniatum, ob testimonium quod Christo perhibuisset, esse proiectum. Quinetiam cum iter per Asiā faceret, licet attētissima cura à satellitibus qui illum ductabant, obser- uaretur: ecclesias tamē cuiusque ciuitatis, ad quā fortè proficisceretur, familiaribus col- loquijs, pijsque hortatibus confirmauit: ac primùm vt hæreses, quæ iam tum primò nasci & emergere cœperunt, maximè præcauerent, sedulò admonuit: deinde hortatus est, vt Apostolorum traditioni mordicùs adhæresceret. Quam quidem asseuerāter te- stificatus, quò tutius posteritati reseruaretur, necessariò scriptis mandandam existima- uit. Qui vt Smyrnam venit, vbi erat Polycarpus, vnam epistolam ad ecclesiam Ephesia-

Polycarpus Smyrnæ ep.

Papias Hierapolis.

*Ruffi. c. 36.

Ignatius Antiochiæ. Eius martyrium.

Ignatij Epistolæ extant inter orthodoxographa.

B nam scribit: in qua Onesimi, qui ibidem pastor fuit, mentionem facit. Aliam autem ec- clesiæ quæ erat Magnesiæ (quæ ad fluuium Meandrum sita est) misit: in qua rursus Damā episcopum in memoriam redigit. Ecclesiæ item Trallianæ aliam, in qua Polybium, qui tum ibi præfuit, inserit. Ecclesiæ porrò Romanæ dedit literas, in quibus illos impensè hortatus est, ne martyrium illius deprecando, ipsum spe optata, quam animo habebat, vllo modo priuarent. Ex cuius literis, ea quæ ad istarum rerum explicationem nonnihil videantur adferre adiumenti, in medium proferre nō alienum arbitror. Ista igitur scri-

Onesimus episcopus. Damas episcopus. Polybius episcopus.

" bit hoc pacto: Ex Syria Romā versus iter instituens, terra mariq;, noctu interdiu cū be- " stijs confligo, decē leopardis arctè colligatꝰ: hoc est satellitibus, qui ad me asseruandū op- " ponuntur. Qui sanè multis à me beneficijs affecti, multo fiūt deteriores, sæuioresq;. Eo- " rum iniurijs, quibꝰ me afflictant, indies magis magisq; erudior. Verùm ne ob id quidem " iustificatus sum. Optarem iā bestijs illis frui quæ ad me dilaniandū paratæ sunt. Mihi est " in votis, eas breui reperire: quas planè blandè cōpellabo, vt me carptim & absq; mora de- " uorent: neq; à me dentes abstineant, vt à quibusdā, quos metu perculsæ, non auderēt at- " tingere. Quod si illæ recusent me adoriri, ego ipse eas instigabo. Date vos mihi veniam. " Quid mihi sit profuturū, equidem nō ignoro. Iam incipio Christi discipulus esse: facef- " sat à me rerū omnium siue oculis subiectarum, siue eorū aciem fugientium admiratio, " vt Iesum Christum assequar. Ignis, crux, bestiarum cōflictationes, ossium distractiones, " concisiones membrorum, totius corporis tanquam molitæ farinæ attritiones, omnia " deniq; suppliciorum genera à diabolo excogitata, in me coaceruentur, vt Iesum Chri- " stum duntaxat adipiscar. Ista, ex ciuitate quæ Smyrna dicitur (quam monstrauimus) ad ecclesias à nobis enumeratas perscripsit. Iam verò Smyrna longius aliquanto profectus, ex Troade scribens, non solum cum his qui erant Philadelphiæ, sed etiam cum ecclesia Smyrnensi, & seperatim cum Polycarpo, qui illi ecclesiæ præfuit, familiariter per literas collocutus est. Cui, cum virum spectatum & Apostolica virtute præditum eum esse pro certo cognosceret, ecclesiæ Antiochenæ gregem, sicut pastorem ingenuum & fidelem decebat, commendauit: arbitratus sanè, illum omni studio & diligētia curam illius ha- biturum. Idem dum ad Smyrnenses scribit, quibusdā de Christo testimonijs (quę vnde

Ignatij verba ex eius epistola ad Rom.

Christus Ignatio post resurrectionē conspectus.

„ sumpserit, planè nescio) vtitur. Ego, inquit, ipsum Dominū post resurrectionē in carne

Universidad de Deusto
Biblioteca

apparuisse noui, & credo vere eum fuisse. Qui cum ad discipulos qui erant cum Petro, A
accessit, sic illos alloquitur: Accipite, tractate, & videte, quòd spiritus corporis expers "
non sum. Et statim illum manibus contrectabant, & credebant. Huius porrò martyrij nō "
Iræn. 5. lib. fol. 335. ignarus erat Irenæus, qui Epistolarum illius ita meminerit: Quidam è nostris cum pro- "
pter testimonium quod Deo perhibuerat, esset ad bestias condemnatus, sic locutus est: "
Polycarpus de Ignatio. Dei frumentum sum, & bestiarum dentibus molor, vt purus & syncerus panis reperiar. "
Adde huc Polycarpum, qui de illis ipsis Ignatij rebus, in ea epistola quæ fertur ab eo ad "
Philippenses scripta, sic verba facit: Obsecro vos omnes, vt obsequium, quibus debetur, "
præstetis, vt omnem patientiam exerceatis: cuius exemplum oculis aspexeritis non in "
beatis solum Ignatio, Rufo & Zosimo, verum etiam cùm in alijs è vobis, tū in ipso Pau- "
lo & reliquis Apostolis: pro certo persuasi, quòd omnes hi non in vanum cucurrerunt, "
sed in fide & iusticia, & quòd in locū illis debitum profecti sunt, iamq; versantur cū Do- "
mino, cuius afflictionum facti erant participes. Neq; enim huius seculi amore flagrabāt, "
sed Domini: qui & pro nobis mortem oppetijt, & propter nos à Deo resuscitatus est. Et "
paulo pòst: Scripsistis, inquit, ad me tum vos, tum Ignatius, vt si quis fortè in Syriam iter "
caperet, vestras eò perferret literas. Quod quidem vel ipse faciam, vbi tempus idoneum "
nactus fuero: vel ille, qui sit pro vobis nuncium illò perlaturus. Ignatij epistolas ad nos "
ab eo missas, & alias quas apud nos habebamus, ad vos, sicuti præcepistis, misimus. Quæ "
quidem sunt huic nostræ epistolæ subiunctæ, è quibus multum percipere poteritis vtili- "
a Ruffi. c. 38. Heros episc. Ignatij succes- sor. tatis. Nam fidem, patientiam, & alia quæq; ad ædificationem fidei, quæ est in Dominum "
nostrum, pertinentia complectuntur.* Sed de Ignatio hactenus: cui in ecclesiæ Antio-
chenæ episcopatum successit Heros.

De Euangelistis, qui eò vsq; claruerunt. CAP. XXXI.

Quadratus episcopus. QVadratus item, inter eos qui gloriæ & virtutis splēdore ijsdē temporib. præ-
stabant, numeratur: quem ferunt, simul cum Philippi filiabus, dono pro- Huc refert Nicephor. ca. 21. lib. 3.
phetiæ illustratum. Et præter istos alij complures erāt, eadem ætate percele-
bres, qui quidem & Apostolis proximè successerunt: & tanquā discipuli tan-
torum & tam insignium virorum eximia & diuina virtute decorati, eccles-
arum fundamentis ab Apostolis vbiq; locorum præclarè iactis, structuram cōcinnam B
illam quidem adiunxerunt: qui & plenius cumulatiusq; amplificarunt prædicationem
verbi diuini, & salutaria regni cœlorum semina fusè lateq; per vniuersum orbem disse-
Euangelij præcones complures. minarunt. Etenim pleriq; omnes discipuli qui eo tempore vixerunt, ardentiore cœle-
stis sapientiæ studio amoreq; incensi, & præ quodam diuini verbi desiderio animis per-
culsi, præceptum Seruatoris antea traditum, exquisitè executi sunt: & his qui opis indige-
bant, facultates suas libenter impertierunt. Deinde à domicilijs suis peregrè profecti, mu-
nus obierunt euangelistarum, atq; ijs qui ne adhuc quidem omninò verbum fidei audi-
uissent, Christū prædicare, & scripturas sanctorum Euangeliorū tradere omni cura & co-
gitatione studuerunt. Qui cum in locis quibusdā peregrinis fidei duntaxat iecissent fun-
damenta, pastoresq; alios cōstituissent, illisq; curā eorum qui ad fidē nuper erāt adducti,
doctrina Christi sedulò excolendorum cōmisissent: ipsi ad alias regiones, gentesq; cum
gratia & virtute diuina se contulerūt. Quippe virtutes permultæ admirabiles, & miracu-
la sacro sancti Spiritus ope per eos ad id vsq; tēporis gerebantur: ita vt frequens hominū
multitudo, ipsa prima prædicationis auditione persuasa, propenso studio pietatē & cul-
tum, qui Deo omnium rerum opifici soli debetur, animis exciperet, amplecteretur q; ue.

De Clementis epistola, & alijs quæ falso titulo illi tribuuntur. CAP. XXXII.

Huc refert Nicephor. ca. 18. lib. 3. VErùm cum fieri nequeat, vt omnes quotquot tandem in ecclesijs per orbem
dispersis proximè, & secundum Apostolos, pastores aut euangelistæ succes-
serunt, nominatim recensеamus: eorū solum nomina scriptis & memoriæ
non sine causa prodidimus, quorum doctrina Apostolica ad hoc vsq; tem-
a Ruffi. c. 39. Clemētis epistola ad Corinthios a Epistola ad Hebræos scripta. Clemens S. Pauli interpres. pus per cōmentarios & monumenta ab ipsis edita reseruata est: vt Ignatij sci-
licet, in epistolis quas recensuimus: * & Clementis, in ea epistola quæ est omniū consen-
su approbata, quā sub Romanæ ecclesiæ persona ad Corinthiorū ecclesiam exarauit. In
qua quoniā multa nonnunquā eodem sensu ex epistola ad Hebræos sumpta inserit, &
interdum ijsdem iam verbis ex eadem petitis vtitur, apertissimè quidem declarat, illud
opus non recenti hominum memoria editum. Vnde meritò quidem reliquis Apostoli
scriptis videtur annumerata. Nam cum Paulus epistolā ad a Hebræos eruditēdos patrio
sermone literis mandauisset, eā alij quidē Lucā euangelistam, alij istum ipsū Clementē
Græcis

A Græcis literis interpretatū esse affirmant. Quod planè est verisimilius: præsertim cùm
& Clementis epistola, & ea quæ est ad Hebræos à Paulo missa, eandem dictionis & lo-
quendi formam accuratè integreq; seruet: atque adeò sensus in vtroque scripto ex-
pressi, non longè inter se discrepent. Porrò intelligendum est, posteriorem quandam
esse epistolam quæ Clementis dicitur: verùm eam non perinde vt priorem, approbatā Quæ Clemen ti falsò attri- buantur.
cognoscimus, propterea quòd animaduertimus, veteres illius testimonia nō aliquan-
do suis scriptis intexuisse. Iam verò quidā alia item opera, verbosa illa quidē & prolixa,
heri propè & nudiustertius, perinde quasi illius essent, introduxerunt, quæ quidē disp-
utationes Petri & Appionis continent: quorum apud veteres nulla omninò fit mentio.
nam purā illam & synceram Apostolicę orthodoxæq; doctrinę notā minimè retinent.

De Papiæ commentarijs. CAPVT XXXIII.

Hue refer Nicephor. cap. 20. lib. 3. DE Clementis epistola ad Corinthios, quam omnes sine controuersia illi at-
tribuunt, suprà perspicuè disseruimus: dix nus etiam de epistolis Ignatij, & Papiæ scri- pta.
Polycarpi. Papiæ item libros numero qui- que esse aiunt, qui Expositio ser-
monum Domini inscribuntur. Quorum, tanquam ab eo solum scripto-
" rum, Irenæus sic mentionem facit: Ista Papias, Ioannis auditor, Polycarpi
" familiaris, vir antiquus, in quarto libro Operis sui testata reliquit. Sunt enim quinque
" ab eo libri confecti: hæc Irenæus. Idem ipse Papias in exordio sui operis declarat, se mi-
" nimè quidem sanctorum Apostolorum vel auditorem fuisse, vel eosdem suis oculis
aspexisse: sed ea quæ ad fidem pertinent, ab illis qui ijsdem noti & familiares erant, se
" accepisse docet his verbis: Non grauabor tua causa, illa quæ olim à presbyteris commo-
" dè perdiscebam, & accuratè mandabam memoriæ, cum explicationibus eorundē con-
" texere, quò veritatem ab illis traditam pro viribus corroborare queam. Non enim (vt
vulgus hominum solet) ijs qui multa dicunt, sed qui vera docent, oblector: neque ex il-
lis qui aliena & noua mandata commemorant, sed ex his qui recordatione renouant
ea quæ sunt à Domino per fidem tradita, & ab ipsa veritate profecta, voluptatem capio.
† Videan- not. pag. 31. lat. 1. lin. 27. †Si quis presbyter mihi fortè occurrebat, qui cum Apostolis versatus fuisset, dicta Apo-
stolorum ab eo diligenter sciscitabar: nempe quid Andreas dixisset, quidue Petrus, quid
Philippus, quid Thomas, quid Iacobus, quid Ioannes aut Matthæus, aut quis alius Do-
mini discipulus: quæ denique Aristion & Ioannes presbyter, qui in numero discipulo- Aristion & Ioannes presbyter.
B rum Domini habebantur, locuti fuissent. Neq; enim ea quæ ex libris petebātur, tantum
mihi subsidij allaturum existimaui, quantum ea quæ acceperam ex hominum voce &
sermone, qui adhuc in vita manebant. Quo in loco est operæpreciū animaduertere, no-
men Ioannis ab eo bis enumeratum. Priorē, quem cum Petro, Iacobo, Matthæo, & reli-
quis Apostolis perçenset, declarat manifestò Ioannem euangelistā fuisse. Alterum, ora-
tione variata, alijs extra numerum Apostolorum associat. Quē, cùm Aristionē illi or-
dine pręposuerit, ipsum presbyterum vocat: sic vt hisce narratio eorum vera esse osten-
Vide Nice phor. lib. 2. cap. 46. datur, qui dixerunt duos eodē nomine nuncupatos in Asia fuisse, duoq; illorum Ephe- Ioannes duo Ephesi episc. quod est in primis notan- dum.
si esse sepulchra, & vtrumq; ad hanc vsq; ætatem Ioannis nomine appellari. Quibus ani-
mum aduertere, est in primis necessarium. Nam videtur valdè probabile, posteriorem
Ioannem Apocalypsin, quæ eius titulo inscribitur (si quis priori non censeat tribuen-
dum) oculis peruidisse. Quinetiam Papias (quem modò posuimus) Apostolorum dicta
ab his qui cum illis versati fuissent, fatetur se excepisse: Aristionis item & Ioannis pres-
byteri se fuisse auditorem. nam sæpenumero illorum memoriam vsurpat nominatim,
& traditiones eorum in sua scripta illigat. Atque ista à nobis non incōmodè ad legen-
tium vtilitatē explanata sint. Neq; sanè erit ab instituto alienum, si Papiæ testimonijs,
quæ suprà inculcauimus, alia quoque eius verba, quibus mirabilia quædam, tanquam
ex traditione ad ipsum delata commemorat, adiungamus. Philippum Apostolum cū
filiabus Hierapoli commoratum, superiore nostro sermone demonstrauimus. Ve-
rùm quemadmodum Papias, qui temporibus ijsdem vixit, historiam permiram à Phi-
lippi filiabus se excepisse asserat, in præsentia exponendum videtur. Mortuum enim suo Iustus Barsa- bas, Ioseph.
tempore narrat excitatum. Aliud etiam quod non minus habet admirationis, Iusto co-
gnomento Barsabæ contigisse: nimirum vbi venenum mortiferum ebiberat, eum pro-
pter gratiam ipsi à Domino tributam molestiæ nihil aut incommodi pertulisse. Hunc Iustus & Matthias ab Apostolis in Iudæ proditoris locū desti- nati, sed sors super Mat- thiā cecidit.
autem Iustum, post Seruatoris ascensionem sanctos Apostolos cū Matthia statuisse, &
precatos, vt alter ex illis duobus in Iudæ proditoris locum sortitò delectus, numerum
" ipsorū suppleret, Acta Apostolorum declarāt his ferè verbis: Duos statuerunt, Ioseph,
" qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiā. Et orantes dixerunt.
Alia præterea idem author quasi traditione non scripta ad se peruenisse commonstrat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ peregrinas quasdam Seruatoris parabolas,& nouas eius doctrinas,aliaq; nonnulla A commenticijs fabulis referta cõtinent. In quibus asserit, regnum Christi post vniuersæ carnis à mortuis resurrectionẽ,mille annos humano & corporeo more in terra hac cõtinuatum & stabilitum fore. Quæ quidem dogmata, credo eum propterea excepisse, quòd Apostolicas interpretationes,quæ ab illis essent arcanis figuris & parabolis subobscuris expositæ,malè intellexisset.Nã homo erat(sicut ex eius scriptis facilè licet coniecturam capere)ingenij pertenuis.Cæterùm plerisq; ecclesiasticis viris,qui hominis antiquitatẽ pro suarum partium defensione citabant, persimilis erroris auctor extitit: vt Irenæo,& si quisquã alius eadem cum illo sentire videbatur. Suis præterea libris non solùm Aristionis,quẽ suprà ostẽdi, in sermones Domini explanationes, verùm etiam traditiones Ioannis presbyteri cõplexus est. Quarum cognoscendarum, si qui paulò auidiores sint, eò transmitto:nos iam cõmodè historiam, quam de Marco euãgelij scriptore narrat,his eius testimonijs antea positis adnectemus:Istud, inquit,presbyter mihi dicebat.Marcus, qui fuit interpres Petri,quæcunq; tenebat memoria, scripsit quidẽ accuratè:sed tamen non eo ordine,quo erant à Domino dicta, factáue.Neque enim Dominum audierat ille quidem,neque erat eum comitatus:sed postea, vt dixi, comes Petri fuit,qui quidem non Domini sermones & præcepta ea narrandi serie,quam Dominus in illis tradendis tenuisset,docebat:sed eã in prædicando rationem sequebatur,quã ad auditorum animos instituendos opportunã, accommodatamq; censuit. Quare in eo neutiquã errauit Marcus, quòd quædã(sicut memoriæ ea antè mandauerat)literis prodidit:quandoquidem hoc vnũ mente & cogitatione sedulò prospexit,vt nec quicquam eorum quæ audiuisset,prætermitteret,nec falsi aliquid ijsdẽ omninò interponeret.Ista quidẽ à Papia narrantur de Marco.De Matthæo aũt hæc ab illo referuntur.Matthæus sermone Hebraico euangeliũ de Christi oraculis & reb. gestis conscripsit: quod planè quisq;, vt poterat, interpretatus est.Idẽ scriptor prioris epistolæ Ioannis,& Petri similiter prioris, vsus est testimonijs.Aliã porrò narrat historiã de muliere, quæ multorum criminum apud Dominum esset insimulata : quam quidem Euangelium secundum Hebræos complectitur. Atque hæc inter alia quæ recensuimus,commodè & opportunè obseruata sint, & notata.

Secundum Ioannẽ presbyt. Marci euangelium qualiter scriptum.

Matthæi euãgeliũ Hebraicè scriptum.

B

FINIS TERTII LIBRI.

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE

Palæstinæ, Ecclesiasticæ Historiæ Liber Quartus.

Quinam Traiano imperante Romanorum & Alexandrinorum fuerint episcopi.

CAPVT I.

Ruff. cap. 1. *Traiani annus 12.Christi 112.*

ANnũ † circiter duodecimum imperij Traiani, episcopus ecclesiæ Alexandrinæ,cuius paulò antè feci mentionem, vitam cum morte commutat:ac quidam nomine Primus, ab Apostolis successione quartus, ministerium Ecclesiæ illius sortitò capit. Eodem tempore, vbi octo annos Euarestus in Romanæ ecclesiæ procuratione obeunda compleuisset,[a] Alexander quintus, successione à Petro & Paulo ducta,Pontificatum obtinet.

Primus episc. Alexandriæ. Euarestus Romanæ ecclesiæ præfectus.

a Alexander V. Rom episc.

Christianorũ res prosperæ, Iudæorum aduersæ.

Iudæorũ seditio, & interitus.

Qualia Iudæi sub ipso perpessi sint. CAPVT II.

QVemadmodum * Seruatoris nostri doctrina,& Ecclesiæ status,magnoperè iam tum florebat,& indies maiores amplioresq; faciebat progressiones: sic Iudæorum calamitates,malis alio post aliud importatis,magis magisq; accrescebant.Nam cùm iam imperator ad annum decimumoctauum regni sui peruenisset,ingens Iudæorum multitudo, nouo tumultu de integro concitato,è medio sublata est.† Siquidem nõ Alexandriæ solùm,& in reliquis AEgyti partibus,verùm apud Cyrenem etiam complures veluti crudeli aliquo & seditioso spiritu exagitati, cõtra gentes,quæ vnà cum illis habitabãt,seditionẽ conflare cœperunt. Atq; seditione mirum in modum exardescente, sequẽte anno, (Lupo id temporis vniuersę AEgypti præfecturã gerente)bellum nõ exiguum illud quidẽ & leue moue runt. Ac in prima dimicatione illi à gentib. victoriam fortè consecuti sunt: ac propterea Gentes Alexandriã properè confugientes, Iudæos, qui in ea ciuitate cõmorabantur, subitò

Lupus præfectus Aegypti.

† Primus succedit mortuo Cerdoni de quo c. 15. lib. 3. Nicephor. + Hucrefer Nicephor. cap. 2. lib. 3. item cap. 23. lib. eius. † Iudæi isto motu cædib. non rẽti nõ fuerunt, sed humanis carnib. vsq; ci cœperũt. Cypri etiã ab eis ingenti clade affecti Iudæi. Artemione sunt affecti. Idẽ cõspirationẽ facta passim de centena & quadraginta millia hominum cõtruciderunt. Dion. Oros.

A subitò captos oppressosq; interfecerunt. Iudæi ergo,qui tum incolebant Cyrenẽ, socio rum auxilio,qui Alexandriæ habitabant,penitùs iã destituti,duce Lucua AEgyptũ depopulari,prędas agere,agros illius vastare aggressi sunt. Aduersus quos imperator Marcium Turbonẽ cu m pedestribus, equestribus & naualibus copijs misit. Hic multis prę- lijs commissis,belloq; contra eos non exiguo tempore continuato, infinitas copias Iudæorum,non solùm qui à Cyrene,sed etiam qui ab Aegypto ad auxilium ipsorum duci Lucuæ ferenda se contulerant,trucidauit.* Imperator igitur admodum veritus, ne Iudæi,qui erant in Mesopotamia,in Gentes eam regionem incolentes, per insidias impetum facerent, Q. Lucio in mandatis dedit, vt illos è prouincia funditùs tolleret,deleretq;.Qui quidem facta illuc expeditione, immensam Iudæorum multitudinẽ,qui ibi domicilia rerum suarum collocauerant,occidit. Cuius rei causa tam prosperè gestæ, præfectus Iudęæ ab imperatore declaratus est. Ista etiam gentiles scriptores,qui illorum temporum res gestas literis mandârunt, eisdẽ ferè verbis posteris prodiderunt.

Lucua ducẽ Iudæi tumultuantur.

Marcius Turbo dux Rom.

*Ruff. ca. 2.

Q. Lucius Iudææ præfectus Iudæos Mesopotamia extũbat. hũc Eusebius in Chronicis Lysiam quietũ vocat. & factũ eius refert in annũ Traiani 18. Christi 118. vide Stiphilinũ Ruff. ca. 3.

AElius Adrianus: Anno Christi 120. Imp. annis 21.

Quartus liber hinc iam porrò vsque ad caput 9. lib. 5. continet acta sub Adriano, Antonino pio, M. Aurelio, & L. Vero, annis sexaginta duobus. Huc refer porrò Dionem Cassium. Item AElium Spartianum, Iulium Capitolinum, Vulcatium Gallicanum, AElium Lampridium. Oros. lib. 7. cap. 13. 14. 15. Eutrop. lib. 8. huc adde ex supradictis authoribus vitam Pontific. Rom. Telesphori, Hygini, Pij primi, Aniceti, Sotheris, Eleutherij.

Qui regnante Adriano fidem propugnabant CAPVT III.

Huc refer ca. 21. lib. 3. Nicephor.

POstquam viginti annos integros, sex mensibus minus,Traianus imperio perfunctus fuisset, Aelius Adrianus in eum dignitatis gradum succedit. Hunc Quadratus, oratione coràm habita, compellat: & Apologiam,quã pro nostræ religionis defensione propterea contexuerat, quòd nonnulli nequam & perditi homines nostris molestiam facessere conarentur,ei offert:quod quidem opus,cùm apud multos fratres ad hoc vsque tempus, tum apud nos habetur in manibus: ex quo præclara mentis intelligentiæ & Apostolicæ veritatis excutiendæ regulæ indicia,quæ in illo viro elucebant, facilè licet peruidere.Idem porrò author suam ipsius ostendit antiquitatem,scribens ad hunc modum: Seruatoris nostri res gestæ semper hucusq; ante hominum oculos versatæ sunt,& veræ etiam sunt.Nam nonnulli ab eo ad sanitatem restituti,alij à mortuis excitati , tum id quidem temporis cùm essent morbis liberati,visi sunt,postea etiam semper hactenus vnà nobiscum cõmorati:propterea quòd non solùm cùm Seruator apud nos versabatur, sed etiam post B eius decessionem , ad longinquum tempus fuêre superstites, adeò vt ad nostra vsque tempora non pauci eorum vitam producerent. Verùm de Quadrato ista accepimus. Aristides etiam,scriptor fidelis,& institutis nostræ religionis imbutus, Apologiam pro fide nostra scriptis post se reliquit:quam quidem Adriano dedicauit, vt Quadratus antea suam.Qui eius liber adhuc à plerisque custoditur.

Quadrati cetera de actis Christi.

Aristidis Apologia.

Euseb. in Chron. has apologias refert in annũ Adriani 9. Christi 128.

Qui sub eodem, Romanorum & Alexandrinorum episcopi fuerint.

CAPVT IIII.

Ad hoc & seq. caput refer Nicephor. c. 25. lib. 3.

IErtio anno Adriani imperij, Alexander Pontifex Romanus,cùm decem annos in eo munere fungẽdo cõpleuisset, decedit è vita. Cuius[a] Xystus successor fuit. Eodem ferè tempore,[b] Primus Alexãdriæ episcopus cùm duodecim annos illi Ecclesiæ præfuisset, morte occumbit,quem secutus est[c] Iustus.

Ruff. cap. 4. *Anno Adriani 2. Christi 123.*

a Xystus Rom. episcopus.

b Primus episc.

c Iustus episc.

Qui inde à Seruatore, vsque ad eos qui nunc cõmemorantur, Hierosolymorum fuerint episcopi.

CAPVT V.

EPiscoporum aũt tempora, qui ecclesiã Hierosolymitanam rexerunt,quoniam,vt fertur,vitã ad breue admodum tẽporis spacium propagabant,nusquam scriptorũ monumentis seruata reperio. Tantum tamẽ ex quorundã scriptis animaduerto,episcopos numero quindecim, ad obsidionem Adriano regnante contra Iudæos factitatã,gradatim succedendo,illic fuisse: quos vniuersos antiqua Hebræorum stirpe, (totam namque eorum ecclesiã ex Hebræis fidelibus coaluisse cõstat)natos memorant,atque adeò Christi cognitionẽ ingenuè vereq; amplexatos:ita vt ab illis qui iam tum de rebus eiusmodi rectè iudicium ferre poterãt, reuera officio & ministerio episcopali dignũ iudicarentur: qui quidẽ ab Apostolorum tempore ad eam tum obsidionem,in qua Iudęi iterum à Romanorũ imperio desciscẽtes fuêre,non exiguis prælijs afflictati,serie successionis continuata eam ecclesiam rexerunt.Quapropter licet episcopi qui ex circũcisione erant,eo tẽpore prorsus defecissent, sumpto ab illo qui primus ordine fuit,exordio, illos in præsentia enumerare necessariũ arbitror.[d] Primus ergo erat[e] Iacobus,frater Domini appellatus,secũdus[f] Simeõ,tertius[g] Iustus,[h] Zacheus quart[o],quintus[i] Tobias,sextus[k] Beniamin,[l] Ioãnes septimus, octau[o] Matthias,

Ruff. cap. 5.

Hierosol. episcopi ad obsidionem vsque numero XV. genere Iudæi.

d Episcoporũ Hierosol. successio.

e Iacobus 1.

f Simeon. 2.

g Iustus. 3.

h Zachæus. 4.

i Tobias. 5.

k Bẽiamin. 6.

l Iohannis. 7.

Matthias 8. Philippus 9. Seneca 10. Iustus 11. Leui 12. Ephres 13. Ioseph 14. Iudas 15. Telesphorus episcopus. Eumenes epi. scopus. Iustus episc.

Matthias, nonus Philippus, decimus Seneca, vndecimus Iustus, Leui duodecimus, Ephres decimustertius, decimusquartus Ioseph, quibus omnibus decimusquintus accessit Iudas. Totidem ciuitatis Hierosolymorum episcopi fuerunt, qui ab Apostolis tum ad hunc, quem dixi, Iudam, tum ad tempus vsque Adriani, ordine successionis continuarunt, ijque omnes ex circumcisione. Iam verò, duodecimo anno imperij Adriani, vbi Xystus decem annorum spacium in Romani pontificatus administratione confecerat, septimus ab Apostolis successit Telesphorus: anno autem & mensibus aliquot præterlapsis, Eumenes simul, atque Iustus, qui ante illum id muneris fuisset executus, vndecim annos in episcopatu transegerat, ad ecclesiam Alexandriæ moderandam sextus ordine designatus est.

Postrema Iudæorum sub Adriano obsidio. CAPVT VI.

Ruff. cap. 6. Rufus Iudææ præfectus.

Huc refert Nicephorus ca. 24. lib. Oros. lib. 7. cap. 13. Dionem.

PRorrò cùm Iudæorum defectio longius indies serperet, Rufus præfectus Iudeæ, auxiliaribus copijs ab imperatore sibi ad eam rem missis, illorum amentiam, tanquā ansam oblatam ad exitium arripiens, acerbè & crudeliter eos exagitat: virorum ac mulierum vnà cum liberis infinita propè millia confertim concidit: belli iure agros illorū populo Rom. adiudicat. Quo

Barchochebas Iudæor. dux. Quid nomen hoc sonet.

quidē tempore Iudæorū dux erat Barchochebas (quod quidē nomen, si lubet interpretari, astrum significat) vir quanquam reliqua vitæ ratione cruentus, ac prædo nefarius, ipsa tamen appellatione, tanquam sidus aliquod è cælo delapsum, se illis qui velut homines ex mancipiorum numero, graui seruitutis iugo oppressi, atque miserijs ærumnosis afflicti, affectiq; erant, lucem ac spem salutis allaturum falsò cōmentus est. Iam verò cū decimo octauo anno imperij Adriani, bellum iuxta vrbē Bethithera nuncupatam (quę erat omnium rerum præsidijs munitissima, neq; is adeò lōgè à ciuitate Hierosolymorū sita) vehementius accenderetur, cumq; extra vrbis mœnia longinquiore tēporis spacio continuaretur obsidio, & rerum nouandarum authores fame ac siti essent ad extremam propè perniciem detrusi, & caput illius temeritatis debitas pœnas persoluisset, Aristo Pellæus narrat, vniuersæ genti ex illo tempore prorsus interdictum, ne pedē in agrum Hierosolymitanum aliquando inferrent: & legis decreto, institutisq; Adriani vetitum (ille planè sic in mandatis dederat) ne vel ex edito loco paternum solum oculis aliquando aspicerent. Hierusalem ergo cùm ita esset Iudæorum gente orbata, & veteribus incolis prorsus destituta, genereque frequentata exterorū hominum, deinceps cùm esset à Romanis occupata, nomē commutauit: & ad honorem AElij Adriani imperatoris, qui eam deuicisset, illustrandum, Aelia appellata est. * Porrò autem simulac ecclesia quæ ibidem fuit, ex gentibus coalesceret, primus post episcopos qui erāt ex circumcisione, Marcus administrationem gregis Hierosolymitani capessit.

Bethera vrbs

Iudæi edicto Adriani patria extermi. nati.

Hierusalem Aelia dicta.

*Ruff. ca 7. Marcus episc. primus ex gē tilib Hieros. anno Christi 132.

Quinam eodem tempore fuerint falsæ scientiæ duces. CAPVT VII.

Huc refert Nicephor. cap. 2. 3. & lib. 4. item Eusebij ca. 21. hoc libro. item Epiphan. hæres. 3. to. 2. lib. 1. August. hæres. 3.

IAm verò cū ecclesiæ, tanquam clarissimā quædā lumina suum splendorē per totū orbem terrarum diffudissent, & fides in Seruatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum in vniuerso hominū genere magnoperè vigeret, diabolus osor probitatis, veritatis inimicus, & humanæ saluti semper hostis infestissimus, omnes suas machinas & fallacias contra totā ecclesiā versans, sicut iampridē externis persequutionū procellis, & impetu aduersus eā dimicauerat: sic tum quidē ab illis vijs intercluſus, viris perditis & plenis prestigia rū, tanquā quibusdā instrumentis ad perniciē animorum, atq; adeò ministris ad interitum cōparatis vsus, alio insidiarū genere oppugnare, omnesq; vias excogitare studuit, quib. hi præstigiatores & homines fraudulēti illam ipsam nostræ religionis appellationē callidè prætexentes, nō modò fideles, quos fortè laqueis suis irretirent, in profundā internecionis voraginē vnà secum præcipitarent, sed etiā fidei ignaros rudesq; perditis suis conatib. pariter ab aditu q ad salutare Dei verbū patebat, penitùs auerterēt. Nam virus quoddā erroris subdolū & biceps, instar serpētis cuiusdā ex Menādro (quem iamdudū Simonis successorē fuisse cōmonstrauimus) quasi ex pestifero fonte erūpens, duos duarum sectarum inter se discrepantiū authores & duces edidit, Saturninū genere Antiochenum, & Basilidē Alexandrinum: quorū ille in Syria, hic verò in AEgypto scholas errorū Deo & pietati repugnātium instituit. Saturninum autē maxima ex parte eadē cum Menandro falsò cōfinxisse declarat Irenæus. Basilidē verò secretiorum quorundā mysteriorū simulatione, dū sibi ipsi portentosas fabulas, easq; plenissimas impij erroris cōminiscebatur, conata sua in immensum intendisse. * Ex plerisq; igitur ecclesiasticis viris, qui id temporis

Menandri hæresis. Saturninus et Basilides hæretici.

Vide Epiphan. hæres. 4. lib. 1. tom. 2. & August. hæres. 4.

Iren. lib. 1. cap. 22. & 23.

Ruff. c. 8.

A tēporis veritatis patrociniū susciebant, & solertiore ratione ac prudentia Apostolicā Ecclesiasticamque fidem & opinionē propugnabant, nonnulli iam etiam libros, quos literis prodiderant, tanquā præsidia ad errorum impetus, quos suprà posuimus, depellendos, posteris reliquerunt. Ex quorum numero, refutatio Castoris Agrippæ, scriptoris eo tempore præstantissimi, valentissima illa quidem, quam contra Basilidem composuit, ad nos peruenit: quæ quidem subtile præstigiarum & captionū illius viri acumen apertissimè detexit, patefecitq;. Ac dum occulta illius & nefanda manifestò prodit mysteria, asserit etiam illum quatuor & viginti libros in Euangelium scripsisse: & non modò nouos prophetas ad errorem suum nobilitandum excogitasse, eosq; Barcabam & Barcoph appellasse nouis nominibus: verùm etiam angelos qui nūquam extitissent, sibijpsi confinxisse, barbaraq; illis imposuisse nomina, quò hi qui huiusmodi res vehementer suspicerent, in multo maiorem traducerentur admirationem: docuisseq; præterea, quòd hostias idolis immolatas comedere, & persequutionum temporibus fidē audacter & liberè ciurare, res essent indifferentes: ac denique Pythagoreorum more institutoque his qui se in ipsius disciplinam tradebant, quinquennij silentium præcepisse. Ista aliaque eius generis, simulatq; Agrippa, quem dixi, de Basilide enumerauit, veteratorias fraudes illius erroris quem commemorauimus, suis quasi integumentis pulchrè euoluens, in oculis atque in conspectu omnium defigit. Scribit etiam Irenæus, Carpocratem, eisdem cum illis vixisse temporibus, alteriusq; hæresis, quā qui Gnostici vocabantur tenuerunt, quasi parentem & procreatorem extitisse. Isti magicas Simonis præstigias non ex occulto quidem, vt ille, sed iam in apertum iurè proferendas censuerunt: & non modò philtris amatorijs curiosè ab illis elaboratis, & quibusdam dæmonibus, qui eorum animis nefaria iniecēre somnia, quique illis assessores extitere, verumetiam alijs non disparibus ineptijs se iam tanquam rebus maximi ferè momenti & ponderis nobilitarunt. Porrò autem eos qui ad perfectionem mysterij, imò verò sceleris quod apud istos est, peruenire vellent, omnia quæ sunt turpissima, eorum tamen inuentis quæ modò docuimus, appositè congruentia, moliri oportere perdocuerunt: quinetiam addiderunt, illos non posse angelos orbis terrarum principes (sic ij quidem eos appellant)

Castoris Agrippæ refutatio.

Barcabas & Barcoph pseudoprophetæ. Vide Iren. & Epiphan.

Pythagoreum quinquennale silentium.

Vide Epiphan. hæres. 7. tom. 2. lib. 1. August. hæres. 7.

Lib. 1. ca. 24. Carpocrates Gnosticorum hæresiarcha.

B euitare, nisi talibus ac tam infandis mysterijs, quod cuique eorū deberetur, sedulò præstarent. His igitur diabolus, qui ex maleficijs capit lætitiam, tanquam suæ nequitiæ ministris fortè vsus est: quò qui fidem receperant, illorum suasu non solùm in fraudem inducti, ad acerbum adeò & miserabilem interitum quasi constricti abriperentur, verumetiam gentibus qui erant à fide alieni, copiam & tanquam ansam præberent, sacrosancto Dei verbo petulanter impieque obtrectandi: eo planè consilio, vt fama de flagitiosa istorum vitæ ratione passim dissipata, turpem ignominiæ notam vniuersæ Christianorum multitudini inureret. Vndè certè accidit, vti nefaria quædam opinio de nobis excitata, eaque ab omni ratione alieniissima, per infidelium animos longè lateq; peruaderet: quòd videlicet tum nefando concubitu matres & sorores violare, tum etiam scelerato quodam alimenti genere vti non vereremur. Verùm ista mala ad prolixum temporis spacium diabolo ex sententia propterea non processerunt, quòd ipsa veritas suum extulit caput, & progrediente tempore claro quasi lumine resplenduit. Etenim fraudulenti aduersariorum conatus, eius vi refutati & oppressi, confestim euanuerunt. Quippe alij ex alijs noui & inauditi errores enascentes, & priores semper pedetentim ad nihilum prolabentes obsoleſcere cœperunt: inque multiplices, ac non vniusmodi sectas & formas dirempti, ad extremum funditùs extincti sunt. Cæterùm insignis veræ & catholicæ Ecclesiæ splendor, perpetuò eodem modo & eisdem virtutis vestigijs incedens, mirandum in modum propterea creuit & dilatatus est, quòd veneranda, syncera, libera, modesta & pura diuinæ viuendi rationis, Christianæque pietatis institutio, per vniuersum tum Græcorū tum Barbarorum genus claritate quadam eximia & decore enituit: atque etiam deformis infamiæ labes, quæ à maleuolis nostræ religioni aspersa fuerat, simul cum tempore deleta, prorsus in nihilum recidit. Nostra igitur sola permansit disciplina, vtpotè quæ tum propter grauitatem & modestiam, tum propter diuina & sapientia præcepta institutaque, sola esset apud omnes & authoritate potita, & summa amplitudine præstare iudicata: sicut nemo ex illo tempore hactenus turpem aliquam dedecoris maculam fidei nostræ auderet inferre, nec vllam talem ignominiam importare, quali illis qui contra nos iampridem nefariè coniurassent, vti volupe fuisset.

Techna Diaboli.

Calumniæ in Christianos excitatæ.

Sectarum subitus ortus & interitus.

Qui

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qui fuerunt Ecclesiastici scriptores. CAPVT VIII.

IIsdem temporibus,ipsa Veritas complures eius defensores & patronos in lucem protulit: qui quidem non ratione solùm & refutatione scriptis minimè prodita,sed etiam certis demonstrationibus, literarum monumentis mandatis,cõtra impias errorum prauitates strenuè pugnauerunt. Ex quorum numero fuit Hegesippus, vir propter doctrinæ præstantiam in luce atque in hominum noticia versatus: cuius testimonijs iam antea, dum res nonnullas Apostolorum temporibus gestas,ab eoque scriptis traditas commemorabamus, sæpius vsi sumus. Iste enim synceram & minimè fucatam Apostolicæ prædicationis traditionem quinque libris,illo quidem scribendi genere maximè simplici & summisso,literis persequi aggrediens, tempus quo ipse floruit,apertè indicat,idque in ipso operis sui exordio,vbi de his qui in initio idola erigere statuereque cœperant,sic scribit: Quo illis(inquit)plus haberetur honoris,sepulchra monumentaque vacua, atque adeò templa exædificarunt,sicut adhuc faciunt. In quorum numerum refertur Antinous,seruus atriensis Adriani Cæsaris:ad cuius honorem celebrantur certamina,quæ [a] Antinoia dicũtur,quæ etiam hac nostra ætate fiunt. Etenim Adrianus ciuitatem extruxerat eius nomine nuncupatam [b] Antinoum, & vates etiam ac sacerdotes ad eum colendum constituerat. Eodem ferè tempore viguit [c] Iustinus,veræ ac diuinæ philosophiæ fautor maximus,qui quidem adhuc in gentilium scriptis & humaniore literatura sedulò seipsum exercebat. Iste in Apologia pro Christiana religione ad Antoninum,de tempore illo ita scribit: Non alienum à ratione putamus,si in hoc sermone etiam Antinoi, qui modò penè vixerit, mentionem fecerimus:quem omnes vt deum, propter metũ ab Imperatore illis incussum, venerari coacti sunt: idque cùm pro certo cognoscerent quisnam esset, vndè, & quo loco natus. Idem scriptor,de bello id temporis contra Iudæos suscepto mentionem faciens,ista tradit: In hoc Iudaico bello,quod iam geritur, Barchochebas, qui Iudæis author fuit,vt ab imperio Rom.deficerent, Christianos solos, si non Christum denegent, maledictisque figant,iubet ad grauia supplicia abduci. Quo quidem tempore,idem [d] Iustinus narrat,non temerè quidem & inconsultò, sed considerate & iudicio quodam à Græcorum philosophiæ studio ad veram pietatem seipsum transtulisse,sic de ea re scribens: Ipse quidem Platonis præceptis & institutis admodum oblectatus,cùm & audirem B Christianos ignominijs appetitos,& non ad mortem solùm, sed etiam ea quæ putantur itidem permultum terroris hominum mentibus inijcere, quàm viriliter & animo excelso graderentur,oculis cernerem,sic cogitabam : non posse fieri vt tales vel vitiorum maculis se contaminarent,vel voluptatum illecebris vlla ex parte caperẽtur. Nam quis voluptatis blanditijs deditus,quis in omnẽ intemperantiam effusus, quis humanæ carnis comesturam deliciarum loco statuens, poterit mortem amplexari,quò illis,quibus se obstrinxerit,cupiditatibus omninò priuetur? An non potius omni conatu laborauerit,vt vitam qua hic fruitur,perpetuò degat? an non magistratus, si quid fortè admiserit sceleris,celauerit,nedum seipsum tam crudeliter interficiendum prodiderit? Est præterea apud eundem authorem, Adrianum à Serennio Graniano præfecto illustrissimo,literas pro Christianis accepisse, quæ istam complectebantur sententiam : Sibi iniquum videri,Christianos,nullo obiecto crimine, indictaque causa, quò populi acclamationibus satisfiat,neci dare. atque Adrianum deinde Minutio Fundano Asiæ proconsuli rescripsisse: præcepisseq;, vt neminem Christianũ absque iusto crimine intentato, & accusatione rectè vereq; ad ipsum delata, morte mulctaret. Cuius epistolæ exemplar Latino sermone,vt erat, seruatum, Iustinus in Apologia sua ponit. Ante cuius initium ista ad eundem præfatur: Etsi ex epistola patris tui Adriani Cęsaris,maximi & illustrissimi prin cipis,possumus iure repetere, vt iudicia de Christianis(sicut postulauimus)mandes ex æquitate fieri: illud tamen non tam postulauimus, quòd ab Adriano præceptum sit,quàm quòd pro certo intelligimus,illud ipsum quod à nobis postulatum est,iustum æquumque existere. Ac quò certius cognoscas, hoc nos verè commemorare,epistolæ Adriani exemplar subiunximus, quod quidem ita se habet.

Hegesippus, eiusq; scripta.

Antinous Adriani imp. seruus.

a Antinoia certamina.

b Antinoum Vrbs. Cuius incolæ Antinoitæ vocantur, cap. 9. lib. 6. eadem vrbs, etiam Adrianopolis dicta est.

c Iustinus philosophus & martyr. Vide Chron. Eusebij. Iustin. fol. 146. lib. 6.

d Iustin. folio 146.

Serennij Graniani Christianorũ apud Adrianũ patrocinium.

Minutius Fundanus.

Hic prætermisimus verba Eusebij, quibus se hanc epistolam in Græcum sermonem vertisse ostendit, ne inepta videretur rerum & orationis series.

Epistola

Anno Christi.140 Imperat. annis. 23. mens. 3. Huc refer Nicephor. cap. 27. lib. 3.

Epistola Adriani, ne quis Christianorum indicta causa pellatur.

CAPVT IX.

Ruffi. ca. 9. *Adriani epistola pro Christianis.*

MInutio Fundano S. Epistolam à Serennio Graniano, viro præstantissimo, in cuius locum tu ipse surrogatus es, scriptam accepi. Atq; mihi sanè videtur res caussaq; non sine accurata inquisitione prætermittenda, ne tum homines Christiani magnopere conturbentur,tum calumniatoribus sceleris in eos admittendi facultas præbeatur. Quod si homines prouinciales, pro „ sua postulatione,quicquam verè ac manifestò afferre affirmareq; contra Christianos po „ terũt, quò pro tribunali iusto iudicio cõuincantur: eò se solũ cõuertant,eò spectent. Ve „ rùm vt multitudinis solùm petitionibus clamoribusq; morte mulctentur, nullo modo „ permitto. Imò verò multo magis par est,si quis cuiquam crimen velit intendere,vt tu de „ illo diligenter decernas: & si à quoquam Christiani homines in iudicium vocentur, o „ stendaturq; aliquid contra leges designasse, tu ita, prout criminis ratio & modus postulat, decidas,statuasq;. At meherculè,si quispiam quò eos calumnietur, istud tentauerit, „ tu eiusmodi hominem pro nequitia & crudelitate seuerè coarguito: atq; adeò sedulò „ prospicito, vt debitas pœnas luat. Hæc de Adriani epistolæ exemplari.

Quinam sub Antonio Romanorum & Alexandrinorum episcopi fuerint, & de eiusdem temporum hæresiarchis. CAP. X.

Huc refer Nicephor. cap .19. lib. 4. item ca.2. lib. eod. Tertull. Valẽtinus (inquit)vsque ad trigin. æonũ fœtus tenquã Acõiæ scrofæ examen diuinitatis effudit, & Christum in substãtia corporis fuisse negauit.

Ruffi. c.10. *Antoninus Pius imperator.*

POstquam Adrianus vigesimoprimo anno imperij sui, vitam naturæ debitam reddiderat, Antoninus cognomẽto Pius Reip. Romanæ gubernacula susc ipit. Telesphoro verò, primo huius imperij anno, vndecimo autem sui ministerij completo, ex hac luce migrante, Hygino pontificatus ecclesiæ Romanæ sortè obuenit. Verùm Irenæus narrat, Telesphorum martyrio mortem suam illustrem effecisse: ostenditq; eo tempore,quo Hyginus quem dixi,pontificatum ecclesiæ Romanæ gerebat, non modò Valentinum propriæ cuiusdam sectæ errorisq; authorem,verùm etiam Cerdonem,principem peruersæ opinionis quam tuebatur Marcion, cœpisse Romæ cognitum esse. Ita enim scribit: *Valentinus Hygino pontificatum administrante,Romam venit: viguit sub Pio,& ad Anicetum vsq; permansit. Cerdo,qui Marcionem anteibat ætate, itidem sub Hygino(qui nonus erat Pontifex)ad ecclesiam venit, suum errorem apertè confitetur: sicq; vitam instituit. Interdum clã & ex occulto docet, interdum denuò agnoscit errorem: nõnunquam de doctrinæ suæ institutis palàm coarguitur, refutaturq;, atque adeo ex fratrum cœtu frequentiaq; exclu. ditur. Ista in tertio libro contra hæreses commemorat. In primo autem de eodem rursus Cerdone,hæc quæ sequũtur narrat: † Cerdo quidam,ab his qui erant Simonis æmuli imitatores q; occasionem arripiens, Hygino Romanam ecclesiam regente, qui ab Apo- B stolorum tempore nonus erat pontifex, Romam commigrauit: docuitq;, Deum à lege & prophetis prædicatum, non esse patrem Domini nostri Iesu Christi. Illum enim cognitum, hunc autem obscurum & ignotum: illum iustum & seuerum, hunc bonũ & benignum fuisse. Marcion item Ponticus huic succedens, impudenter quidem & perfricta fronte iactans conuicia, eiusdem erroris doctrinam mirè amplificauit. Idem porrò Irenæus, Valentini de Materia profundum & immensum antrum erroris,qui erat in tam multiplices & tortuosas formas diuisus, acutissima mentis acie tanquam effodiens, in lucemq; educẽs,occultã eius perniciem, & instar serpentis se inter latebras occultantis, in intimis recessibus abditam denudauit. Alium quẽdam præterea nomine [a] Marcũ magicæ nequitiæ peritissimum,eisdem temporibus emersisse commemorat. Profanos præterea impiosq; istorum triũ ritus, ceremonias, & scelesta mysteria, quibus homines qui se ad eorũ sectã conferunt,initiantur,apertè docet his verbis: Nonnulli ex illis genialem thalamũ apparant, & inuocationibus quibusdã nefandis abdita mysteria in eos exequũ- tur, quos ad suum errorem admittunt: & illud quod ab illis fit,spirituales esse nuptias,ad similitudinem connubiorum quæ in cœlis contrahuntur,prædicant. Alij autem eos deducunt ad aquas, & inter baptizandũ ita fari solent : In nomine ignoti rerum vniuersarum parentis, & veritatis omniũ procreatricis,& illius qui è cœlo in Iesum delapsus est. Alij verò nomina proferũt Hebraica, quò initiatos maiore admiratiõe afficiant. Quinetiam Hygino post quartum pontificatus sui annum decedente è vita, Pius Romanæ ecclesiæ procurationem obtinet. Apud Alexandriam, vbi Eumenes decem & tres annos integros administrationis suæ compleuerat, Marcus pastor & episcopus declaratur: qui decem annos eo munere perfunctus, mortem obit, & Celadion Alexandrinæ ecclesiæ suscipit gubernationem. In vrbe Roma, Pio ad decimumquintum põtificatus sui annũ

Hygini episc. Rom. 8.

Theleſphori martyrium.

Valentinus, Cerdo, Marcion, hæretici. Iren. lib. 3. cap. 4.

*Ruffi. c.11.

Iren. lib. 1. cap. 28. Cerdonis hæresis. Vide Epiphan hæresi. 8. lib. 1. tomo .2. Augustin. hæresi .1.

Marcion Ponticus. hæreticus, de quo Iren. lib. 1. cap 8.9. Epiphan. hæresi.8. lib. 1. tomo.3. Augustin.hæresi. 21.

a Marcus magus, & hæreticus, de quo Vide Augustin. hæresi .4. Epiphan hæresi.1. tom.3.lib.1.

Pius Rom.episcopus. 9.

Marcus episc. Alexãdriæ .7. Celadion.episc. Alex. 8.

† Idẽ Cerdõ(inquit) duo introduxit initia, id est duos Deos, vnũ bonũ & alterum sæuũ. Christum item verum hominem & vere passũ esse negauit.

Anicetus episcopus Romanus. 10. Eleutherus episcopus. Iustinus philosophus. Iustini opus aduersus Marcionem.

mortem oppetente, Anicetus illius ecclesiæ ministerio præficitur. Cuius temporibus, A Hegesippus se Romam contulisse narrat: ibidemq; vsq; eò mansisse, quoad Eleutherus pontifex crearetur. Quibus quidem temporibus, Iustinus philosophi habitu, tum verbum Dei prædicando, tum scriptis pro fide acriter concertãdo, magna famæ celebritate enituit, Qui in libro quem contra Marcionem scripsit, memorat, eo ipso tempore quo eum librum contexuit, vitam Marcioni suppetisse. ita enim loquitur: Marcion quidam Ponticus, qui adhuc superstes est, illos qui eius obsequuntur sententiæ, alium quendam nominare maiorem Deum, quam mundi opificem, docet: atq; etiam dæmonum ope adiutus, permultos ex vniuerso hominum genere inducit, vt loquantur blasphemias, & Deum vniuersi fabricatorem Christi patrem esse pernegent: aliumq; quendam præter istum, tanquam longè potentiorem, mundum istum condidisse asserant. Atq; omnes certè qui ex istorum schola profecti sunt, Christiani, vt diximus, nuncupãtur, idque eo modo quo philosophorum sectæ & decreta: quæ quidem tametsi minimè sint communia, illis tamen commune philosophiæ nomen semper tributum est. Ijs etiam adiungit: Contra omnes hæreses quæ antehac inter homines vagatæ sunt, est opus à nobis editum: quod quidem, si videtur, vobis perlegendum tradimus.

Aniceto Romæ Pontificatũ tenente Hegesippus Romam venit.

Iustini opus aduersus omnes hæreses.

De Iustini ad Antoninum Apologia. CAP. XI.

Ruffi. ca. 12. Iustini pro Christianis Apologia Antonino exhibita anno Antonini 13. Christi. 142. a Antonino dictus est T. Aelius Adrianus, quod ab Aelio Adriano imperatore adoptatus est. Vide Cuspin.

COnstat item, eundem Iustinum tum contra Gentiles librum acuratissimè lucubrasse: tum alios nonnullos, qui Apologiam pro nostra fide continent, composuisse: quos Imperatori Antonino, cognomento Pio, & Senatui Rom. dedicauit. Etenim Romæ est id temporis commoratus. Atq; in eadem Apologia qui sit, quo genere & quo loco, natus, explicat his verbis: Imperatori [a] Tito Aelio Adriano Antonino Pio, Cæsari Augusto, & verissimo filio adoptiuo, Philosopho: & Lucio, Philosophi Cæsaris naturâ filio, & Pij adoptiuo, humanioris literaturæ fautori: Sacrosancto etiam Senatui, & P. Rom. pro his qui ex vniuerso hominum genere immeritò planè & iniustè rapiuntur in odium, ignominijsque vexantur: Iustinus Prisci Bacchij filius, exigente Flauia Neapolis vrbis Syriæ Palęstinæ, vnus ex illorum numero, supplex obnixis precibus hanc meam petitionem offero. B

Huc refer Nicephor. ca. 26. lib. 3. itemq; ca. 32. li. eod.

Epistola Antonini ad populum Asiæ, de religione nostra.

CAPVT XII.

ABalijs item fratribus in Asia degentibus, qui varijs cuiusq; modi contumelijs, iniurijsq; à populo prouinciali erant magnopere onerati, idem Imperator rogatus, tale edictum in communi concilio Asiæ diuulgari præcepit.

Ad hoc & seq. ca. refer Niceph. ca. 28. lib. 3.

De hac epistola Antonini & superiori illa Adriani, plura diximus in decem nostris Ecclesiæ persecutionibus.

Imperator Cæs. Marcus Aurelius Antoninus Augustus, Armenius, Pont. Max. Trib. Potest. XV. Cos. III. Communi concilio Asiæ S.

**Ruffi. c. 13*

NOui [b] equidem dijs curæ esse, ne tales homines impuniti in obscuro lateãt. " nam illi ipsi, sat scio, de ijs qui cultum ipsis tribuere recusant, sunt multo " acerbius supplicium sumpturi, quàm vos. Ac quibus hominibus iam ipsi " grauem exhibetis molestiam, & tanquam impios, atque à deorum cultu " auersos insimulatis, eorum planè, quam habent, magnopere confirmatis " religionem. Illis enim magis in optatis est, vt in crimen adducti, mortem pro Deo suo " oppetant, quàm vt vita fruantur. Vnde sua ipsorum vita hoc pacto prodita, multo ma- " iorem clarioremque reportant victoriam, quàm si imperata, quæ vos ab ipsis fieri po- " stulatis, obirent. Cæterùm de terræ motibus, qui vel præterierunt, vel iam sunt, non a- " lienum à ratione videtur vos commonefacere, quandoquidem & cum adsint, animos " dimittitis, & infœlices vestri omnium casus in illorum religionem tanquam eorundem " causam transfertis. At illi cum tale quid eueniat, constantius firmiusq; Deo fidunt. Vos " autem toto illo tempore Deum penitùs ignorare, resque sacras prorsus contemnere, " & non solum cultus qui soli Deo debetur, inscij esse & expertes, verumetiam eos qui il- " lum obseruant & venerantur, grauiter exagitare, & ad mortem vsq; insectari videmini. " Pro quib[b] hominibus multi qui nostris præfuere prouincijs, iam antè diuinissimo san- " ctissimoq; nostro patri literas scripserunt. Ad quos quidem ille rescripsit, nihil eiusmodi " viris negotij facessendum, nisi fortè aliquid maleficij contra Rom. imperium designare " moliantur. Ad me etiam eorum causa scripsere multi, quibus per literas patris mei sen- " tentiæ & voluntati assentiens, responsum dedi. Quod si quispiam igitur cuiquam Chri- " stiano, quia Christianus sit, pergat molestiæ quicquã, aut criminis inferre: ille, cui crimẽ " illatum

Terræ motus Asiæ frequentiores Christianis imputati.

Multi apologias pro christianis ad Imp. conscripserũt.

A illatum fuerit, etiam si reipsa Christianus depræhensus sit, absoluatur: qui autem illum accusauerit, iustum debitumq; supplicium subeat. Hoc edictum Ephesi in communi totius Asiæ cõcilio diuulgatum fuit. *Atq; ista ita accidisse, Melito Sardensis ecclesiæ epiVide Nicepho. lib. 4. cap. 10.* scopus (qui eodem tempore hominum fama celebris fuit) testatur perspicuè suis ipsius verbis quæ sunt posita in Apologia, vtilissima illa quidem, quam pro nostræ fidei & religionis defensione contexuit, eamq; Imperatori Vero dedicauit.

**Ruffi. c. 14. & eiusdem Apologia.*

Melito episc.

Quæ de Polycarpo Apostolorum familiari traduntur.

CAPVT XIII.

Hucrefer. Niceph. cap. 30. & 31). lib. 3.

TEmporibus modò demonstratis, dum Anicetus Rom. ecclesiæ præerat, Polycarpum cui adhuc suppeditabat vita, Romam aduentasse: & cum Aniceto in congressum colloquiumq; de controuersia, quæ fuit de die Paschæ celebrando suscepta, venisse, commemorat Irenæus. Aliam item historiam de Polycarpo idem scriptor tradit, quam ex tertio eius libro contra Hæreses petitam, his quæ de eo tradita sunt, necessariò putamus adiungendam: quæ ita se habet.

Polycarpi cũ Aniceto disputatio Romæ. circa annum Domini. 160.

" Polycarpus non solum ab Apostolis institutus, & cum multis qui Christum oculis con- *Iren. lib. 3.*
" spicati sunt, familiariter versatus: sed etiam ab eisdẽ in Asiam delegatus est, quò Smyr- *cap. 3. ait se*
" nensis ecclesiæ episcopatum capesseret: quem quidem nos, ineunte ætate, vidimus. nam *iuuenẽ vidisse*
" diu vitam propagauit, & planè grandis fuit. Qui summa cũ admiratione & celebritate *Polycarpũ se-*
" martyrium perpessus, cessit è vita: eaq; perpetuò docuit quæ ab Apostolis didicerat, quæ *nem.*
" Ecclesia tradit, quę deniq; sola vera sunt. Atq; ista testimonio confirmant cùm omnes
" ecclesiæ Asiaticæ, tum episcopi qui hactenus successerunt Polycarpo: qui profectò testis
" veritatis fuit multo fidelior constantiorq;, quàm Valentinus, Marcion, & totum reli-
" quum genus eorũ, qui tot & tam pestiferas in Ecclesiam errorum sectas inuexerunt. Qui
" tandem, Aniceto Rom. ecclesiæ episcopatum gerente, Romam aduentans, complures
" ab errore hæretico rum (quos diximus) auocauit, & ad ecclesiam Dei veramq; religionẽ
" traduxit: palamq; prædicauit, se ab Apostolis accepisse hanc vnam & solam veritatem,
" quæ est ab ecclesia tradita. Sunt etiam qui ab eo audiuerint, Ioannem Domini discipulũ,
" cum Ephesi ad balnea se conferret, intusq; videret Cerinthum hæreticum, se mox è bal- *Ioannes balneũ propter Cerinthum vitat.*
" neo illotum propripuisse: & eos qui vnà erant, hoc modo esse hortatum: Fugiamus ocy- *Marcion primogenitus Satanæ.*
" us, ne balneum, in quo est Cerinthus, veritatis aduersarius, extemplò corruat. Idem Po-
" lycarpus Marcioni in eius conspectum venienti, dicentiq; ac roganti, Nosce nos amabò:
" respondit, Noui equidem primogenitum Satanæ. Talem enim tum Apostoli, tum illo-
" rum discipuli adhibuerunt cautionem, vt ne sermonem quidem cum aliquo illorum
" qui veritatem fallaciter suis commentis adulterare nitebantur, aliquando conferre vel-
" lent. Sicut Paulus admonet: Hæreticum hominem post vnam & alteram admonitio- *Tit. 3.*
" nem deuita, sciens quòd talis auersus est, & peccat proprio iudicio condemnatus. Est et- *Polycarpi epistola ad Philippenses.*
" iam epistola Polycarpi ad Philippenses scripta accuratissimè: ex qua expressam fidei il-
" lius notam, & veritatis prædicationem, hi quibus libitum sit, quiq; suæ salutis rationem
" ducant, possunt manifestò perspicere. Hactenus Irenæus. Polycarpus quidem in ea epi- *Polycarpus vtitur priori Petri epistola.*
" stola, quam diximus ad Philippenses scriptam, quæq; adhuc extat, quibusdam prioris
epistolæ diui Petri testimonijs vtitur.

Quomodo regnante Vero, Polycarpus, vnà cum alijs, in ciuitate Smyrnæorum martyrium passus sit.

CAPVT XIIII.

Huc refer eadẽ capit. Nicephor. quæ præcedenti capiti adnotata sunt: & insuper vltima ca. duo eiusdẽ lib. 3.

ANtonino cognomento Pio, cum vigesimum secundum annum imperij sui confecisset, M. Aurelius Verus, eius filius, qui & Antoninus dictus est, cum [a] Lucio fratre, successerunt. Eodem tempore Polycarpus, cum Asia maximis persecutionum procellis turbaretur, martyrio supremum vitæ diem egit. Cuius quidem vitæ exitum, literarum monumentis adhuc conseruatum, in hac nostra historia memoriæ prodere, cum primis necessariũ arbitror. Est autem epistola, ex persona ecclesiæ Smyrnensis, cui præfuit Polycarpus, ecclesijs Ponti scripta, quæ ea quæ ad eius martyrium spectant, perspicuè docet, his verbis. Ecclesia Dei
" cis ecclesijs quæ vbique gentium sunt, misericordia, pax, & charitas Dei patris, & Do-
" mini nostri Iesu Christi, affatim impleatur. Scripsimus vobis fratres, quæ videbantur
" pertinere cum ad alios martyres, tum ad beatum Polycarpum: qui quidem persecutio-
nis flammam contra Ecclesiam incensam, sanguine suo copiosè per martyrium effuso, penitùs restinxit. Istis deinceps, antequam in martyrij Polycarpi explicationem ingrediuntur, ea quæ spectant ad cæteros martyres, ordine narrant: & qualem, quamq; celsam ere-

Ruff. cap. 15. M. Aurel. Verus imperator. a Lucius frater appellatur Antonini, quia cum illo adoptatus est Apro: & tamẽ filius erat Veri.

Epistola Smyrnẽsis ecclesiæ, complectens Polycarpi martyrium. Anno Mar. 74. Chr. 170.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſam erectamq; animorum firmitatem ad dolorum morſus tolerandos oſtenderint, ſcitè deſcribũt. Nam, vt epiſtola loquitur, vndiq; qui circumſiſtebant, cũ coràm cernerent illos partim flagris ad intimas vſque venas & arterias dilaceratos, ſic vt iam viſcera, aliaq; occultiora membra intimis corporis receſſibus abdita oculis omnium ſubijcerentur, partim buccinorum teſtis è mari deportatis, & lapillis quibuſdam præacutis ſuſtratis afflictos, & per quodque ſuppliciorum ac tormentorum genus raptatos, & beſtijs denique immanibus ad dilaniandum traditos, cum coram (inquam) cernerent, illos hæc omnia tam toleranter ſuſtinuiſſe, incredibili propè admiratione obſtupuerunt. Inter quos Germanicum quendam, qui diuina gratia roboratus, imbecillitatem animi naturaliter inſitam, quæ efficit vt corporis mortem vehementer extimeſcamus, erexit, recreauitque propter eximiam & ſingularem eius conſtantiam, facilè primas tuliſſe memorant. Nam cum proconſul illi perſuadere conaretur, proponeret ætatem, & magnopere flagitaret, vt cum iam adoleſcens eſſet, & in ipſo ætatis flore conſtitutus, ſui ipſius miſericordiam caperet: eum illa minimè curaſſe, ſed abiecta cunctatione, feram parato animo attraxiſſe ad ſe, & propè vim corporis ſui laniatũ impuliſſe, quò celerius ab hac iniuſta & impia vita liberaretur. Verùm quanquam vniuerſa multitudo, tum diuini & cœleſtis huius martyris fortitudinem & conſtantiam, propter egregiam & generoſam mortem magnoperè admirabatur, tum excelſam vniuerſi generis Chriſtianorum virtutem vehementer ſuſpiciebat, tamen ſubitò vnà omnes hoc pacto cœpiſſe cõclamare: Tolle impios: Quæratur Polycarpus. Quinetiam cùm permagna turba iſtis populi clamoribus de Chriſtianis conquirendis facta eſſet, Phrygem quendam, nomine Quintum, qui nuper è Phrygia aduentauerat, ſimulac immanes feras & terribiles præterea cruciatus perſpexerat, molli & fracto animo attonitum obſtupuiſſe: & tandem, ſalute prodita, manus præ ignauia dediſſe. Declarat quidem eadem quam modò citauimus Epiſtola, illum non prudenti animi prouiſione & conſilio adductum, ſed temerè & quaſi repentino vento incitatum, cum alijs ad tribunal iudicis ruiſſe: qui ſimulatque deprehenſus tenebatur, illuſtre & euidens omnibus exemplum propoſuiſſe, ne inconſideratè & imprudenter huiuſmodi rebus ſe aliquãdo obijcerent. Sed iſto modo de illorum martyrũ exitu à nobis expoſitum ſit. Polycarpum autem, qui maximam omnibus admirationẽ ſui excitabat, primùm vt iſta de martyribus audiuerat, pacato & tranquillo animo perſtitiſſe: & vultum omnemq; mentis ſtatum conſtantem & immobilem cõſeruaſſe. Et quamuis in animo haberet, illic in ciuitate manere: tamẽ familiaribus petentibus obſecrantibusq; vt ſe inde ſubduceret, demum morem geſſiſſe: ad villam non longè ab vrbe diſtantem progreſſum eſſe, ibique cum paucis amicorum conmoratum: & dies noctesque nihil aliud molitum, quàm preces obnixè & inſtanter ad Dominũ fundere: quibus quidẽ ſupplex efflagitabat, (hoc enim erat illi ſemper in more poſitũ) vt pax tranquilla concederetur eccleſijs. Ac triduò antequam prehendebatur, cum in precibus attentè poſitus, ſomno oppreſſus eſſet, noctu in viſione ſecundum quietem vidiſſe dicitur ceruical flamma accenſum de repentè conſumi, conficique. Qua quidem re è ſomno excitatum, ſtatim viſum ſuum ijs qui vnà aderant expoſuiſſe: & quod futurum erat, mẽte ferè præſagientem, apertè ſuis prædixiſſe neceſſarijs, ſe flammarum incendijs corpori circumiectis vitam pro Chriſto profundere oportere. Tandem igitur cum illi qui eum omni cura & diligentia conquirebant, inſtarent, iterum incredibili ſtudio & amore erga fratres compulſum, in aliam villam ſe tranſtuliſſe ferunt. quò quidem non longo tempore pòſt, qui illum inſequebantur, rectà perueniſſe: duosq; illius loci pueros comprehendiſſe, atque alterius illorum indicio, vbi verberibus eum eciderãt, ad Polycarpi diuerſorium acceſſiſſe. Qui ſub crepuſculum aduentantes, certiores fiebant, eum in ſuperiori conclaui aſſidere. Ex quo loco licet perfacilè in aliam domum ſe recipere potuiſſet, noluiſſe tamen: ſed dixiſſe, Fiat voluntas Domini. Quem, vt illos adeſſe intelligebat, refert epiſtola, deſcendiſſe per gradus, & cum illis adeò ſereno ac placido vultu collocutum eſſe, vt qui virum antea ignoraſſent, cum oculos in canam eius & ingraueſcentem ætatem, in venerandam quoque & conſtantem vultus moderationem coniecciſſent, viderentur ſibi rem permiram videre: rogarentque ab ſe ipſi mutuò, Tantáne, quæſo, feſtinatio in tali ſene prehendendo ſuſcipi debuiſſet? Iſtum autem abiecta cunctatione, primùm menſam illis actutùm apponi iuſſiſſe: deinde oraſſe, vt cibum largè & affatim ſumerent: vnamque horam, qua liberè orationi vacaret, poſtulaſſe. Qua ei conceſſa, ſurrexiſſe: & gratia Domini cumulatè repletum adeò ardenter precatum eſſe, vt qui præſtò illum audirent orantem, admiratione propè obſtupeſcerent: complureſq; illorum tam ſpectatum, tamq; eximia & diuina virtute præditũ ſenẽ, morte affici vehementer condoleſcerent. Poſt iſta, reliqua illius hiſtoria eſt ad verbum in eadem

Epiſtola

Germanicus martyr.

Quinti Phrygis à fide defectio.

Polycarpi cõſtantia, preces, ſomnium futuri martyrij præſagiũ.

προσηυξά-μενον, pòſt appellat illud σῶμα ὑπὲρ ψυχῆς.

A Epiſtola hoc modo explicata. Vt primùm finem precandi fecerat, & memoria repetierat omnia quæcunque illi in vita aliquando cõtigiſſent, ſiue magna illa fuiſſent, ſiue exigua, ſiue gloriosa ſiue ingloria, & totam denique Eccleſiam catholicam per vniuerſum orbem diſperſam precibus Deo commendauerat, cum iam hora abeundi inſtaret, ſatellites eum aſino impoſitum, verſus vrbem die feſto magni ſabbati deduxere. Herodes, qui præfectus pacis dicebatur, & pater illius Nicetes, illi obuiam prodire: qui vbi illum ad ſe in rhedam tranſtulerant, propter eum aſſidentes, ei perſuadere conati ſunt ad hũc modum: Quid mali eſt, iſtud dicere (Domine Cæſar) & illic ſacrificare, & ſic tandem ſaluum euadere, & incolumem? Polycarpus primò nullum dedit reſpõſum, ſed illis magis inſtantibus, ſic tandem locutus eſt: Non facturus ſum aliquando, quod mihi conſuluis. Iſti igitur ſpe illius in ſuam ſententiam pertrahendi delecti, contumelioſa verba in eum iaciunt: & tanta cum celeritate de curru præcipitant, vt inde delapſus, tibiam magnoperè laceraret, læderetque. At ille de ea re minimè laborans, quaſi nihil mali fuiſſet perpeſſus, lubenti animo à ſatellitibus ductatus, ſatis incitato gradu ad ſtadium proficiſcitur. Polycarpo igitur in ſtadium ingredienti, vox è cœlo demiſſa dixit: Fortis eſto Polycarpe, & excelſo animo rem gere. Eum à quo eſſet vox profecta, vidit nemo: vocẽ autem multi è noſtris audiuerunt: ſed propter tumultum in ſtadio concitatum, multitudo omnino eam audire non potuit. Illo igitur ad iudicem deducto, ſimulatque intellectum erat, Polycarpum fuiſſe comprehenſum, ingens tumultus ciebatur. Ex quo proconſul, vbi acceſſit, ſciſcitatus eſt: Túne es Polycarpus? Polycarpus, ſe eundem eſſe fatebatur. Tum ſuadere proconſul, vt Chriſtum negaret, ſic locutus: Reuerere ætatem tuam: & alia his ſimilia, quæ ab eiuſmodi viris dici ſolent. Iura per Cæſaris fortunam: Reſipiſce: dic, Tolle impios. Polycarpus graui & conſtanti vultu in vniuerſam multitudinem, quæ erat in ſtadio, intuens, & manum verſus eos intendens, cum gemitu oculis in cœlum ſublatis, dixit: Tolle impios. Præſidi, cũ amplius inſtaret, diceretq; : Iurato, conuicium Chriſtum afficito, & te dimittam. Reſpondit Polycarpus: Octogintaſex annos illi ſum inſeruiui, & nullo me hactenus affecit incommodo: quo modo igitur regẽ meum, qui me ad hoc vſq; tempus ſeruauit incolumem, contumelioſis verbis poſſum afficere? Proconſule denuò vrgente, ac dicente: Iura per Cæſaris fortunam. Polycarpus: Si, inquit, ad inanem oſtẽtationem requiris, vt per Cæſaris fortunam iurem, (ſic enim vocas) & me qui ſim ignorare præ te fers, ſic, vt liberè & ingenuè loquar, accipito: Chriſtianus ſum. Quod ſi placet Chriſtiani profeſſionem cognoſcere, da mihi diem, & audies. Tum proconſul: Iſtud, inquit, perſuade populo. Tibi equidem, inquit Polycarpus, rationem & ſententiam meam, (magiſtratibus enim & poteſtatibus à Deo conſtitutis, cum honorem, qui noſtrorũ animorũ ſaluti noſtræq; religioni nihil afferat detrimenti, pro dignitate tribuere docemur) impertire non grauabor: ſed illos nõ ſatis dignos exiſtimo, quibus de fide noſtra per reſponſum ſatisfaciam. Et proconſul: Beſtias, inquit, habeo in promptu: iſtis te obijciam laniandum, niſi te maturè pœnituerit. Accerſe, inquit: nam nobis rata ac decreta ſtat ſententia: & multum ab eo abſumus, vt aliquando animo mutato, nos meliorum pœniteat, quò deteriora ſequamur. A` ſæuitia & crudelitate ad æquitatem & modeſtiam traduci, eſt pulchra ſane mutatio. Ad quem rurſus proconſul: Te, inquit, ardentibus flammarum incendijs domitum & manſuetum reddam, ſi beſtiarum laniatus contemnas, & non reſipiſcas ocyus. Tum Polycarpus: Ignem, inquit, minaris, qui ad tempus exardeſcit ille quidem, ſed paulò pòſt penitùs extinguitur. Verùm ignem illum futuri iudicij, ad perpetuum impiorum ſupplicium & cruciatum reſeruatum, omnino ignoras. Sed quid cunctaris? Profer beſtias, aut aliud quod lubet. Iſta & alia complura locutus, tanto vultus decore & gratia imbutus eſt, tantaque animi fidentia & alacritate expletus, vti his quæ ei eſſent tam minaciter obiectata, non modò non conturbatus ſuccumberet, ſed contrà certè illum ipſum proconſulem admirabili ſua conſtantia & grauitate prorſus obſtupefaceret. Proconſul præconem mittit, qui in medio ſtadio iſtud ter prædicaret: Polycarpus profeſſus eſt ſe Chriſtianum eſſe. Quæ vox cum eſſet à præcone emiſſa, vniuerſa tum gentium, tum Iudæorum multitudo, qui Smyrnam incolebant, animi impetu & bile effrenata exardeſcens, alta voce clamare: Iſte eſt Aſiæ doctor, iſte Chriſtianorum pater, iſte noſtrorum deorum euerſor: Iſte denique, qui adeò multos perdocuit, † vt neq; dijs ſacrificent, neq; eos adorent. Quæ cum eſſent locuti, vociferari, & rogare Philippum munerarium, vt leonem, qui Polycarpum diſcerperet, emitteret. Hic verò reſpondere, non eſſe ei integrum: quoniam iam ferarum certamina confecta erant. Tunc illis viſum eſt, vno conſenſu clamando inſtare, vt Polycarpus viuus in rogum conijceretur. Ita enim factum oportuerat, vt viſio, quæ de ceruicali illi apparuiſſet, compleretur. Quod quidem cum ardens videret, Deũ precatus

De Polycarpi martyrio narratio.

Herodes pacis præfectus & Nicetes pater eius quo modo Polycarpum tentarint.

Vox cœlitùs ad Polycarpũ demiſſa.

Polycarpi cũ proconſule ante martyrium colloquium.

Polycarpi cõfeſſio.

Populus ad cædẽ depoſcit Polycarpum.

Philippus munerarius.

† Videan. not pag. 38. lat. 2. lin. 10.

paululum,ad fideles tandem,qui cum eo erant, se conuertit:&mente,prophetico more A
futura præsagiens, dixit: Me viuum oportet cremari. Ista igitur erant tanta cum celeri- "
tate susceptа, vt dicto penè citius propterea geri viderētur:quòd cùm frequens hominū "
turba & ex officinis & ex balneis ligna sarmentaq; actutùm coaceruabat: tum maximè "
Iudæi ad hoc facinus(sic enim illorum mos in eiusmodi negotio erat)operā propenso a- "
nimo conferebant. Verùm vbi rogus extructus & paratus erat, Polycarpus soluto cin- "
gulo & omnibus vestibus exutis, calceos etiam sibi extrahere cœpit: quod quidem an- "
tea non aliquando facere consueuerat,propterea quòd singuli fideles magno studioin- "
ter se contendebant, quis primùm ei in eo munere inseruiens, corpus illius posset con- "
trectare. Nam in toto ætatis curriculo, etiam ante caniciem, propter vitam honestè a- "
ctam, probeque moratam, magnopere colebatur. Paulo pòst igitur instrumenta, qui- "
bus in rogo firmè teneretur, apparata, corpori illius circumijciuntur. Et cum illū clauis "
vellent affigere, dixit: Sinite me hoc modo.nam qui mihi patientiam ad ignis flammas "
sustinendas pro sua clementia largitur, largietur etiam,vt sine commissuris clauorum, "
quibus me affigere statuitis, constans absq; vlla corporis commotione rogo adhærescā. "
Idcirco illum non clauis, sed vinculis solum colligarunt. Qui manibus à tergo circum- "
plicatis,constrictisq;, tanquam aries insignis ex immenso grege delectus, vt holocaustū "
gratum & acceptum fieret Deo omnipotenti, sic locutus est: Pater dilecti & benedicti "
filij tui Iesu Christi, per quem tui cognitionem accepimus, Deus angelorum &potesta- "
tum, Deus totius creaturæ, & iustorum cuiusque generis qui viuunt in conspectu tuo, "
tibi gratias ago, quòd me huius diei & horæ celebritate donasti, in qua cùm in marty- "
rum numero, tum in calice passionis Christi tui,tormentorum particeps fiam, in resur- "
rectionem vitæ æternæ,tam animæ quàm corporis, per immortalem Spiritus sancti vir- "
tutem: inter quos, quæso, martyres, hodie in conspectu tuo pro hostia pingui & accep- "
ta, admittar: sicut præparasti, præsignificasti, & iam tandem compleuisti, qui Deus ve- "
rus es, & omnis mendacij expers. Ac propterea præ cæteris omnibus te laudo, te bene- "
dico, te glorifico,per Iesum Christum dilectum tuum filium, pontificem æternum, per "
quem tibi cum eo in Spiritu sancto gloria nunc & in futura secula seculorum, Amen. "
Hanc vocem, Amen, vbi emiserat, & orandi finem fecerat,carnifices, quibus ignis ex- "
truendi cura imponebatur, rogum incenderunt. Qui vbi ardentem flammam effude- "
rat, miraculum ingens illis quibus idem videre à Deo concessum fuit, quique ad ea quæ B
gerebantur, cæteris fidelibus verè in posterum narranda erant reseruati, visum est. Ignis "
enim fornicis speciem gerens, tanquam velum nauigij ventorum flatibus turgescens, "
corpus martyris vndique obuallat.Ille in medio constitit,non tanquam caro exusta,sed "
tanquam aurum & argentum in camino ignis ardore probatum. Quinetiam tantum& "
tam fragrantem odorem inde hauriebamus,vt idem velut ex thure odorifero, aut alio "
quouis precioso aromate efflatus videretur. Ad extremum igitur cum nefarij & impij "
homines eius corpus ab igne minimè posse consumi viderent, carnifici mandata dede- "
runt, vt propiusad rogum progressus, illum ense stricto confoderet.Qua re confecta, "
tanta cruoris copia effluxit,vt ignem prorsus extingueret: & vniuersa multitudo quæ- "
reret secum magna cum admiratione, vtrùm tantum esset discriminis inter infideles & "
electos:ex quorum numero iste Polycarpus vnus erat, vir nostris temporibus omnium "
facilè præstantissimus:catholicæ Smyrnensis ecclesiæ episcopus,doctor Apostolicus, & "
propheta pius.Nam quodcunque verbum ex eius ore exibat, idem vel iam expletum e- "
rat, vel posteà pro certo explendum.Inuidus igitur,odiosus,& iustorum hominum ge- "
neri semper infestus diabolus,cum martyrij eius amplitudinem, cumque incorruptam "
& integram vsque à teneris vnguiculis viuendi rationem, immortalitatis corona re- "
muneratam, eumque ipsum propterea stabili & certo præmio vitæ æternæ donatum "
cerneret:omni cura & cogitatione eò incubuit, ne corpus eius à nobis inde auferretur: "
idque adeò,cum permulti è nostris permagna cupiditate ducerentur,& huius rei effici- "
endæ,& sanctæ illibataque carnis perfruendæ. Nam certi homines Nicetem patrē He- "
rodis, Dalcæ fratrē submonebant, vt præsidē exoraret, ne corpo eius cuiquam daret: ne "
Christiani,inquiunt,crucifixo illo derelicto,hūc venerari incipiāt.Atq; hæc Iudæis sub- "
monentibus, obnixeq; instantibus, aggressi sunt. Iudæi autē nos, quibus in animo erat "
illum ex igne eximere,accuratè obseruabāt. At illud quidem miseri penitùs ignorabāt, "
nimirum nos non aliquando in animum posse inducere,vt vel Christū deseramus, qui "
pro salute omnium qui in toto mūdo salui sint futuri, crucis tormenta perpessus sit:vel "
alium quempiā aliquando colamus,vt Deum.illū enim qui verè Dei filius est, adoramo. "
Martyres autē, vt discipulos & imitatores Domini,propter incredibilem eorum bene- "
uolentiam,quam in propriū regem & magistrum declarauerunt, meritò amplexamur: "

Iudæi suo more gentiles in perniciē Christianorū instigare soliti ligna cōportant vrendo Polycarpo.

Polycarpus regem consecraturus se parat.

Apparatus ad comburendū Polycarpum.

Polycarpi iam iam cōburendi precatio & constantia.

Miraculum in martyrio Polycarpi.

Polycarpus cū vri non posset, gladio confossus est.

Diaboli astus.

Christiani Polycarpi corpus recuperare desiderant.

Iudæorū inuidia aduersus Christianos.

Christi & martyrū cultus discrimen.

quorum

A quorum nos cùm in pietate discipulos, tum consortes in gloria fore optamus. Centu-
„ rio autem, cùm videret Iudæos instare contentius, corpus martyris in medio poni,&, *Ossa Polycarpi studiose colecta.*
„ vt gentium mos fert,igni comburi iubet. Sic nos postea ossa eius,potiora lapillis pre-
„ ciosis, auroque puriora, ex cineribus selecta,eo loco reposuimus, qui illis erat decorus,
„ consentaneusq;. Vbi sanè nobis in vnum aliquando coactis,Dominus præstabit vt cele- *Reliquiæ Martyrum.*
„ brem ei martyrij diē,instar natalis festi,cū exultatione & gaudio,quantum fieri potest,
„ maximo recolamus:idq; cùm ad martyrum memoriam,qui antea tale certamen con-
„ fecerunt:tum ad eorum exercitationem,mentisq; ad talem constantiam præparationē, *Martyrū memoria, curre-*
„ qui postea Christum eo genere mortis ingenuè confessuri sint.Ista de beato Polycarpo, *colatur.*
qui Smyrnæ martyrium obiuit,cū alijs[a] duodecim ex Philadelphia profectis,qui idem *a xiij. Martyres Philadelphiæ.*
genus mortis lubentes pertulerunt,literis mandata sunt. Qui solus præ cæteris, multo
maxima nominis celebritate apud omnes floruit: vsq; adeo,vt ipsis gentibus vbiq; lo-
corum frequens in ore, & sermone versetur. Talem quidem exitum, res ab admirabili
& apostolico Polycarpo gestæ, tandem consecutæ sunt: cuius historiam in eā quam de-
clarauimus epistola,fratres ecclesiæ Smyrnensis accuratè narrārunt. Alia etiam aliorū
martyria,Smyrnæ eodem temporis momento, quo Polycarpus martyrium perpetie- *Metrodori martyrium.*
batur,factitata,in eam de eo conscriptam Epistolam cōgesta sunt.inter quos Metrodo- *Pionius martyr.*
rus presbyter,qui erroris à Marcione inuecti fautor esse putabatur, in ignē iniectus,mi-
grauit è vita. Ex martyribus item qui id temporis obierunt, vnus erat Pionius,fama per-
uagata & multorum præconijs eximius. cuius confessiones sigillatim habitas,cuius in-
genuam sermonis libertatem, cuius apologias pro fide coram populo & magistratibus
recitatas,cuius conciones ad docendum accommodatas,cuius benigna his qui per-
secutionis acerbitate animis omninò cecidissent, humanitatis officia tributa,cuius iucū-
das & gratas consolationes,quas in carcere fratribus, qui ad eum ingrediebantur, adhi-
buit,quæ præterea tormenta sustinuerit, quos in eisdem dolores toleraverit, quàm a-
cerbos clauorum confixus pertulerit, quantam in rogo animi magnitudinem osten-
derit: qualem denique & quā insignem mortem, præter alias omnes res ab eo tanta cū *Eusebij de martyrijs Libellus.*
admiratione gestas, subiuerit,eos quibus lubitum est cognoscere, ad Libellum à nobis
de Veterum sanctorum martyrijs in vnum redactis editum (qui quidem omnia facta
illius plenissimè complectitur)amandamus. Sequuntur deinceps in eadem epistola fa-
B cta memoratu digna aliorum martyrum, qui Pergami(quæ est vrbs Asiæ)mortem op- *Pergamum. Carpus, Papylus, Agathonica, martyres.*
petiuerunt: vt Carpi,Papyli,& mulieris Agathonicæ: qui post multas & eximias fidei ac
religionis nostræ confessiones martyrio glorioſam mortem assecuti sunt.

Quomodo Iustinus Philosophus Christi verbū Romæ professus, martyrium subierit.

CAPVT XV.

Huc refer Nicephor. cap.32.li.3.

IN temporibus ijsdem Iustinus,de quo paulò antè mentio facta est, vbi secun- *Russ.ca.16. Vnde Iustinū oderit Crescēs philosophus Cynicus.*
dum librum,quem pro religionis nostræ defensione edidit, imperatori-
bus suprà citatis dedicauerat,perdito Crescentis philosophi Cynici cona-
tu(qui quidem caninæ & appellationis & professionis cognomen,quod si-
bi ipse imposuerat,vita verè & moribus exprimebat)astutè propterea illi
parantis insidias,quòd sæpenumero in disceptatione multis audientib. cū coarguisset,
tandem pro veritate, quantam strenuè semper propugnasset, per glorioſum marty-
rium eximiam vitę æternæ coronam consecutus est. Quod quidem ille ipse, qui verita-
tis semper studioſissimus fuit,in Apologia sua,quā dudum cōmemorauimus,propè sic-
ut erat de eo futurū, mente & cogitatione præcipiens, his ipsis verbis satis perspicuè de-
„ clarat.Equidem expecto,vt vel ab aliquo istorum qui nomine solū Philosophi sunt, *De sua morte vaticinium Iustin.fol.131.*
„ vitæ meæ parentur insidiæ, & fuste conquassatus obterar: vel à Crescente saltem non *Philosophus. Philocompus*
„ philosopho, id est, sapientiæ studioso, sed philocompo, id est, auido inanis gloriæ.
„ Non enim philosophus dici meretur, qui Christianos velut impios insimulat, cosq;
„ illarum rerum propalàm reos agit, quorum ipse prorsus ignarus sit. Hocque eò mo-
„ liens,quo solum desiderio & voluntari imperitæ multitudinis, quam ipse ac sui simi-
„ les errore cæcauerunt, satisfaciat. Quod si, cùm Christi doctrinam non perlegerit, in
„ nostram nequiter incurset, omninò nequam est, & plebeijs imperitisque hominibus
„ (qui maxima ex parte præcauent, nedè his quæ nō norint,vel temerè disceptent, vel
„ falsa testimonia dicant)multò planè deterior.Sin verò cū perlegerit,magnum in illis &
„ abditum mysterium non intelligat: aut cùm intellexerit (ne veniat in suspicionem,
„ quòd eius religionis sit)hæc agat:est multò planè ignauior & nequior:qui quidē imperi
„ ta ac temeraria vulgi opinione & inani metu victus,tam turpiter succumbit, cedítque.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Me autem multas quæstiones illi proponentem, multaque ab eo sciscitantem, tandem A perspexisse, planeque deprehendisse, eum reuera nihil scire, velim vobis certò esse persuasum. Et quid vera dico, si minus sermonis nostri congressus & colloquia ad vos hactenus relata fuerint? paratus equidem sum, coram vobis denuò cum illo, de his, quæ ab illo rogabam, disputare. Atque istam disputationem audire, non erit à vestra Regia & Angusta Maiestate alienum. Verùm si vobis tum quæstiones à me propositæ, tum illius ad easdem responsa exploratè cognita & perspecta sint, satis perspicuè intelligere poteritis, eum aut nostræ religionis ne verbum quidem scire: aut si sciat ille quidem, non tamen propter auditores audeat dicere, non Philosophum (vt antea dixi) id est, studiosum sapientiæ, sed Philodoxum, hoc est inanis gloriæ appetentem esse, manifestò coargui, quippe qui ne Sacraticam quidem disserendi rationem, quæ sanè non parui faciēda est, vlla ex parte sequi voluerit. Hæc Iustinus. Quòd autē secundum illius ipsius prædicationem, Crescentis insidijs appetitus, mortem obierit, Tatianus, vir planè cùm primo ætatis suæ tempore Græcis disciplinis deditus, tum in ijsdem postea non exiguam gloriæ amplitudinem assecutus (qui quidem plurima monumenta scriptis prodita post se reliquit) in libro quem contra Gentiles componebat, sic ferè commemorat. Iustinus omnium admiratione cū primis eximius, rectè quidē effatus est, eos, quos dixi,[a] philosophos latronibus similes esse. Deinde vbi alia quædam de eodem hominum genere retulerit, ista addit. Crescens quidem, qui in [b] magna illa eximiaque vrbe domicilium suū collocauerat, sicut omnes nefario puerorum concubitu superauit, sic auaritiæ quoque B admodum deditus fuit: qui cùm alios ad mortem cotemnendam esset cohortatus, ipse eandem admodum extimuit: adeò vt Iustinum, propterea quòd dum veritatem prædicare studebat, philosophos, helluones & veteratores esse coarguisset, morte, tanquam aliquo magno malo circumretire laboraret.

Philodoxus.

Tatianus testatur, Iustinum accusatore Crescente sublatū: Quod est factū circa annū Domini 170.

a Philosophi latronibus similes.

b Romam intelligit, vbi Iustinus cum Crescente disseruit. Vide Hier. in Catal. scriptor. ecclesiast.

De martyribus, quos Iustinus separato volumine commemorat.

CAPVT XVI.

Ruff. ca. 17.

VStini verò martyrij (vt docuimus) talis causa perhibetur: qui quidem in priore sua etiam Apologia, antequam martyrij certamen, quod obierat, commemorat, aliorum qui ante illum martyriū pessi fuissent, facit mentionem: atque adeò ista quæ sequuntur, (quæ planè ad nostrum institutum non parum accommodata putamus) narrat hoc modo. Mulier quædam, cuidam viro magna lasciuia diffluenti, in matrimonium data fuit: quæ quanquam iam antea eodē intemperantiæ vitio contaminata erat, tamen simulac Christi doctrina ac præceptis erat erudita, non solùm ipsa cœpit valde moderatè & tēperanter se gerere: sed viro etiā persuadere, vt similiter se tēperantiæ & vitæ modestiæ dederet: doctrinæ præcepta, quæ didicerat, ei referre: cōmonstrareq; supplicium, his qui neq; temperatè, neque recta ratione vitā degunt, perpetuo & æterno igne infligendum. At ille eisdem libidinis vestigijs insistens, suorum improbè factorum turpitudine, vxoris animum abs se penitùs abalienauit. Nam hæc, cùm in eodem lecto cum viro, qui contra naturæ legem, atq; adeò contra ius fasque omne, toto pectore (vt dicitur) omnes omninò voluptatis vias instare pergebat, de reliquo cubare nefas duceret: cupiebat, lege coniugij rupta, ab illo separari. At postquam ab amicis, qui consilium dederunt, vt adhuc cum eo perseueraret, perinde ac vir, iam spem quandam suæ vitæ cōmutandæ ostentaret, dissuasa, deque sententia depulsa est: & inuita seipsam comprimens, ad tempus commorata. Cæterùm vbi eius vir Alexandriam profectus, se maioribus sceleribus obstringere nunciabatur: illa, ne scelerum & flagitiorum ab eo impiè admissorum, si in coniugio perstaret, particeps & socia fieret (præsertim cùm non victus solùm esset, sed tori etiam consors) dato ei libello repudij (sic enim appellamus) penitùs ab illo discessit. Honestus ille scilicet & bonus eius maritus (quem planè magnam lætiam eo capere oportuerat, quòd non modò eius vxor sua prauè facta, quæ olim ebrietate, & quouis vitiorum genere effusè exultans, cum seruis & mercenarijs consueuisset alacri animo & prompto conscisceret, omninò exuisset, sed etiam eum eadem molientem vehementer esset hortata, vt prorsus desisteret) honestus ille, inquam maritus, cùm eius repudiasset consilium, eam discedere cupientem grauiter apud tuam Maiest. accusauit, & Christianā esse asseruit. Vnde illa quidem tibi, qui nostri imperium geris, querelæ libellum obtulit: primū obtestata, vt sibi suæ rei familiaris dispensandæ potestas permitteretur. Qua quidem ordine semel dispositā, pollicita est se deinceps crimini obiecto respōsuram. Quod quidē ei facilè cōcessisti. Ille autem qui eius aliquando maritus fuisset, cū nihil posset amplius in

Iust. fol. 129.

Huc refert Nicephor. cap. 33. li. 3.

Vxor Christiana marito ethnico ob vitæ turpitudinē repudij libellū mittit.

Impurus maritus vxorem Christianismi accusat.

A in præsentia contra eam dicere, in Ptolemæum, quendam eius in sacris literis magistrū (quem Vrbicius præfectus graui afficiebat supplicio) omnem suam maleuolentiā transfudit: idq; hac arte & fallacia Centurioni amico suo persuasit, vt Ptolemæum seorsum prehensum, vel hoc vnum interrogaret, vtrum esset Christianus, nécne. Atque Ptolemæum, vtpotè veritatis fautorem, qui animum neq; fraude neque mendacijs aliquando inquinauisset, cùm se Christianum ingenuè esset confessus, Centurio in carcerem denuò compegit, & longo temporis spacio in ea custodia illum grauiter & acerbè afflictauit. Tandem verò cùm Ptolemæus ad Vrbicium duceretur, & similiter istud solū rogaretur ab eo, essétne Christianus, an non: Ipse rectè factorum conscientia fretus, ob amorem quo Christi doctrinam complectebatur, eximium diuinæ religionis, quam profitebatur, mysterium liberè denuò confessus est. Qui enim negat se esse, quem se profitetur esse: aut certè negat, quia professionem ipsam improbet: aut eam confiteri recusat, quia sibi conscius sit, se vitam indignam illa professione, & ab eius institutis longè alienam traduxisse. Quorū neutrum in verè Christianum aliquando poterit incidere. Vbicius autē, cùm illum ad supplicium duci præcepisset, Lucius quidam (qui etiā Christianus erat) cū iudicium adeò temerè & inconsideratè factum intelligeret, sic compellat: Quid causæ est, cur hominem, qui neque adulterium neq; stuprum cuiquam intulerit, neq[illegible]nicida, neque fur, neque expilator sit, neq; quicquam denique sceleris conscius [illegible]prehensus fuerit, sed solū Christiani nomen apertè confessus, tanta pœna mul[illegible]e statueris? Crede mihi Vrbici, neque Imperatori pio decora & conuenientia, neque Philosopho Cæsaris filio digna, neque sacro Senatui congrua decernis. Tum ille, nullo alio dato responso, sic Lucium alloquitur: Tu etiam, vt mihi videris, ex eo numero es. Quod cū Lucius constanter asseueraret, illum itidem in cruciatum abripi mandauit. Iste permagnam se ei debere gratiam fatebatur: nam ita se non iniquis solū & improbis eiusmodi dominis liberatum fore dixit, sed etiā ad bonum patrem & clementem regem Deū rectà profecturum. Alius præterea tertius his interueniens, ad idē supplicium subeundū adiudicatus est. Quib. sanè Iustinus, aptè & congruenter, eas voces, quas iādudum memorauimus, adiungit: Et ipse equidē expecto, vti ab aliquo isto rum qui nomine dūtaxat Philosophi sunt, vitæ meæ parētur insidiæ: & quę sequuntur.

Quandaṽ crūdelitatē exercuerit Vrbicius præfectus.

Abneganda professionis Christianæ causa.

Lucij Parrhesia in professione fidei.

Ptolemæi & Lucij martyria.

Martyrium cuiusdam non nominati.

B

Quinam ad nos Iustini libri peruenerint. CAPVT XVII.

Huc refert Nicephor. cap. 6. li. 4.

HIc Iustinus multa sanè & præclara sui ingenij Sacrarum literarum cognitione accuratè informati, & in eisdem valdè diligenter exercitati, monumenta nobis reliquit: eaque certè plena vtilitatis & commodi cuiusque generis. Ad quæ quidem studiosos quosque mittemus, simulatque ex illis ea tantummodo quæ ad nostram noticiam peruenerunt, ad legentium vtilitatem percensuerimus. Est vnus quidem illius liber Antonino cognomento Pio, liberis eius, & Senatui Romano dedicatus, qui nostræ religionis & institutorum propugnationem complectitur. Alter autem, qui secundam pro fide nostra continet Apologiam: quem eius imperatoris, quē diximus, successori & gentili Antonino Vero (cuius tempora in præsentia persequimur) obtulit. Alius item libellus est contra Gentiles ab eo editus, in quo vbi de multis rebus quæ tum apud nos, tum apud Gentiles Philosophos quæri soleant, longum sermonem habuit, tandem de dæmonum natura differit: quæ iam oratione explicare non est opus. Aliud præterea eius opus contra Gentiles scriptum in manus nostras peruenit, quod Elenchum inscripsit. Et præter ista, est aliud de Dei monarchia, quam non solùm testimonijs ex Sacris literis quæ apud nos sunt, sed etiā ex Gentilium libris petitis firmè comprobat. Aliud, cuius inscriptionem fecit Psaltem. Alius porrò [a] de anima commentarius, in quo varijs positis quæstionibus de argumento quod instituit, Græcorum philosophorum opiniones citat: quibus tum se responsurum, tum suam ipsius sententiam alio libro seperatim in idem argumentum scripto, explanaturum pollicetur. Disputationem præterea aduersus Iudæos contexuit, quam in vrbe Epheso cum Tryphone Hebræorum id temporis facilè præstantissimo habuerat: in qua non solùm qua ratione diuina gratia ipsum ad veræ fidei doctrinam impulisset, sed etiam quàm ardenti studio antea in Philosophorum disciplinas se penitus insinuasset, & quantum denique studium operamque in veritate accuratissimè perquisitiganda posuisset, perspicuè docet. In eodem etiam libro narrat de Iudæis, quo pacto insidias ad Christi doctrinam oppugnandam comparauissent: atq; in Tryphonem, tanquam earum rerū causam & authorē, grauiter inue» hitur, ad hunc modum. Non solùm vos, vestrorum improbè factorum, quæ patrastis, non

Ruff. ca. 18. Iustini martyris scripta.

Apologia 1.

Apologia 2.

Liber contra Gentes.

Elenchus. De Dei monarchia.

Psaltes.

a Commentarius de anima.

Dialogus cū Tryphone Iudæo habitus.

Iust. fol. 43. lin. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non pœnituit: sed viros tandem ab Hierusalem ad hoc ipsum delectos in omnes terræ A oras emisistis, qui palàm dicerent, sectam quandam impiorum Christianorum nuper " exortam esse: aliaq; recenserent, quæ qui nos, nostramq; vitæ rationem omninò igno- " rent, nobis tanquam probra obijciant. Quare non solùm vobis ipsis, sed omninò etiam " omnibus alijs hominibus damnum attulisse videmini. Scribit præterea, quo modo ad " sua ipsius vsque tempora dona prophetiæ in ecclesia elucerent. Meminit item Ioannis Apocalypsis, eamq; Apostoli esse ferè affirmat. In Tryphone item coarguendo, de quibusdam prophetarum testimonijs mentionem facit, quæ Iudæi è Scriptura penitùs exemissent. Complures aliæ inter nonnullos fratres extant illius lucubrationes. Eius scripta tam magno æstimabantur à veteribus, tamq; videbantur probata, vt Irenæus eius libenter citet testimonia. Ac primùm in quarto libro contra Hæreses, hæc ipsa inculcat. " Præclarè dixit Iustinus in libro quem scripsit cõtra Marcionem, ne ipsi quidem Domi- " no se fidem adhibiturum, si alium Deum præter ipsum mundi fabricatorem ei denun- " ciaret. Deinde in quinto libro eiusdem argumenti, ijs ferè verbis non inscitè loquitur Iustinus, quòd ante Domini aduentum Satanas nunquam probra in Deum & contumelias iacere audebat, quippe nondum suã ipsius condemnationem pro certo nouerat. Atq; ista hoc loco necessariò explicata sint, ad studiosos quosq; diligenter cohortandos, vti huius libros cũ primis amplexentur, recolantq;. Sed de hoc scriptore hactenus.

Ioannis Apocalypsis.

Iudæi falsarij. Irenæi lib. 4. cap. 4.

Testimonium de Iustino.

3 cap. à fine. Vide Erasmũ Rot. hoc loco in Iren.

Qui Vero imperante, Romanæ & Alexandrinæ Ecclesiæ antistites fuerint.

CAPVT XVIII.

IAm verò imperio Antonini Veri, de quo suprà disseruimus, ad octauum annum deuoluto, cùm Anicetus ecclesiæ Rom. pontificatu vndecim annis contiVide Nicephor. li. 4. ca. 19.
nuis perfunctus fuisset, Soter in eius locum succedit. Quinetiam vbi Celadion quatuordecim annis ecclesiam Alexandrinam procurauerat, [a] Agrippa eam capessit.

Ruff. ca. 19. *Soter Rom. episcop. 11. anno Christi 171. ad. Agrippinus. sic Ruff.*

Qui sub eodem Antiochenæ ecclesiæ episcopi fuerint. CAPVT XIX.

ANtiochenæ ecclesiæ cùm post Heronem Cornelius quartus ab Apostolis præVide Nicephlib. 4. cap. 19.
fuisset (quo mortuo Heros quintus ordine episcopatum obtinuit) Theophilus sextus episcopus designatus fuit.

Ruff. ca. 20. *Heros, Cornelius, Theophilus, episcopi. 3. 4. 5. Antiochen.*

B

De Scriptoribus ecclesiasticis, qui horum tempestate claruerunt.

CAPVT XX.

IIsdem temporibus Hegesippus in Ecclesia magna cum laude floruit, qui ex Vide Nisuperiore nostro sermone potest satis exploratè cognosci. Dionysius etiam ceph. lib. 4. Corinthiorum episcopus, & Pinytus Cretæ episcopus, Philippus præterea, cap. 19. Apollinarius, & [b] Meliton Musanus, & [c] Modestus, [d] Irenæus deniq; etiam eodem tempore viguerunt. Quorum diligentia & labore recta integræ fidei & Apostolicæ traditionis opinio ac sententia scriptis prodita, ad nos peruenit.

Ruff. ca. 21. *Hegesippus. Dionysius. Pinytus. Philippus. Apollinarius. b Meliton. c Modestus. d Irenæus.*

De Hegesippo, & ijs quorum ipse mentionem facit.

CAPVT XXI.

HEgesippus quinque libris, qui ad nos peruenerunt, accuratissimã pleniss- Huc refert Hicephor. ca. 26. li. 3. & 27. lib. 4.
mãq; suæ sententiæ & opinionis de fide declarationem post se reliquit. In quibus ostendit, se in itinere Romam versus suscepto, multis cum episcopis sermonem contulisse: & vnam eandemque accepisse ab omnibus doctrinæ formam & institutionem. Atque illum quidem post alia, quæ de Clementis ad Corinthios epistola disseruit, ista quæ sequuntur narrantem audire licet.

Ruff. ca. 22. *Hegesippi scripta, et descriptio veteris ecclesiæ.*

Primus episc. Ecclesia Corinthiorum in vera rectaq; doctrina constanter perstabat vsque ad Primũ, " qui ibidem gessit episcopatum. Qui cum ipse, dum Romam versus nauigabam, de reli- " gione nostra communicaui, & Corinthi non paucis diebus cõmoratus sum: in quibus, " dum inter nos de doctrina Catholica multa conferebamus, non parum vterq; ab alte- " rius consuetudine cœpit oblectationis. Cùm essem Romæ, mansi ibi vsq; ad pontificis " *Aniceti.* Aniceti tempora: cuius tum quidem [e] Eleutherus diaconus erat. Huic successit [f] Soter: " quo morte extincto, Eleutherus munus episcopale capessit. Nulla episcoporum sedes, " successione ab Apostolis deducta, nulla ciuitas, in qua non ita seruata essent omnia, vt " lex præscripserat, docuerant prophetæ, & Dominus ipse prædicauerat. Idem author er- " rorum suæ ætatis origines his vocibus planè demonstrat. Postquam Iacobus cogno- "

Aniceti. e Eleutherus. f Soter.

mento

A mento Iustus pro veritatis defensione, sicut & Dominus ipse, trucidatus fuit: [a] Symeon " filius Cleophæ, qui auũculus Christi fuit, episcopus creatus est: quem omnes discipuli, " quoniam Domini consobrinus erat, secundo loco suffragijs illi administrationi præ- Vide Epiphan. lib. 1. tom. 1. hæresi 12. 13. fecerunt. Et quoniam ecclesia nondum erat falsa peruersæ Hæreticorum doctrinæ inanitate corrupta, idcircò Virgo appellata fuit. At Thebulis, propterea quòd in petitione episcopatus repulsam tulerat, eam erroris labe ex occulto inficere exorsus est. Qui qui- " dem vnus erat ex eorum numero, qui ex septem sectis in populo Iudaico proseminatis " oriebantur. Ex quibus sectis originem erroris duxit Symon, vnde Symoniani: & Cleo- " bius, vnde Cleobiani: & Dositheus, vnde Dositheani: & " Masbotheus, vnde Masbotheani. Atque ex istorum fontibus profluxerunt Menandria- Vide Epiphan. lib. 1. tom. 2. hæresi 11. nistæ, & Marcionistæ, & Carpocratiani, & Valentiniani, & Basilidiani, & Saturniliani: quorum singuli separatim variam illam quidem, suam tamen & propriam inuexere opinionem. Ab illis item nascebantur Pseudochristi, Pseudoprophetę, & Pseudapostoli, qui adulterina & corrupta peruersæ doctrinæ contagione, contra Deum & contra Augustin. hæres. 3. 11. Christum eius inducta, concordiã & vnitatem Ecclesiæ tanquã membratim discerpse- " runt. Idem scriptor præterea varias sectas, quæ inter Iudæos iam olim viguerant, recen- " set ad hunc modum. Fuerunt variæ & discrepantes sectæ inter eos, qui erant ex circun- " cisione, id est, inter filios Israel: illæque contra tribum Iuda, & Christum ipsum introductæ: nimirum Essæi, Galilæi, Hemerobaptistæ, Masbothei, Samaritæ, Sadducæi, Pha- " risæi. Alia etiam complura literis persequitur, quæ aliqua ex parte iam antea, pro vt " tempus ferebat, commemorauimus. Nonnulla item cùm de Euangelio quod secundũ " Hebræos, quodque Syriacum dicitur, tum separatim de Hebraicæ linguæ proprietate " disputat: seque narrat, tametsi erat Hebræorum stirpe ortus, ab eorum tamen religione " & institutis ad fidem Christi venisse. Alia item, tanquam à Iudaica traditione sine scripto accepta memorat. Porrò autem non hic solus, sed Irenæus, & tota veterum turba, Prouerbia Salomonis librum esse præclara eximiaque sapientia refertum affirmabant. Quinetiam dum de sacræ Scripturæ libris qui inter Apocrypha numerantur, disserit, quosdam ex illis suo ipsius tempore à quibusdam hæreticis falsò confictos esse narrat.

Iacobus Iustus.

a Symeon Cleophæ f.

Ecclesia virgo appellata.

Thebulis repulsæ impatientia factus hæreticus.

Symeon, Cleobius, Dositheus, Gortheus, Masbotheus, hæresiarchæ.

Sectarum origo quæsit.

Iudæorum sectæ.

Euangelium secundum Hebræos, & Syriacum.

Prouerbia Salomonis.

Apocrypha ab Hæreticis confinguntur.

B

De Dionysio Corinthiorum Episcopo, & epistolis quas scripsit.

CAPVT XXII.

Huc refer Nicephor. cap. 8. li. 4.

VErùm iam ad alios pios viros sermonem transferamus. Et primùm dicamus de Dionysio, tum quòd Corinthiorum ecclesiæ episcopalem sedem adeptus sit: tum quòd suas præclaras & diuinas vigilias non solùm ijs quibus præfuit, sed alijs etiam aliarum ecclesiarum incolis affatim impertierit: & sanè catholicis suis Epistolis, quas ad ecclesias exarauit, omnibus permultum vtilitatis attulerit. Quarum vna est ad Lacedęmonios, quæ illos tum in orthodoxa & recta fide erudiat, tum de pace & vnitate commonefaciat. Altera ad Athenienses missa, quæ illos & ad veram fidem, & ad vitam ex Euangelij præscripto piè degendam excitet: qua spreta & contempta, eos vehementer reprehendit, quòd à verbo Dei penitùs ferè ab eo tempore descisc ere cœpissent, quo Publius, qui illis præfuit, martyriũ ob persecutionum tempestates tum quidem ingruentes, fortè perpessus est. De Quadrato etiam, qui illorum ecclesiæ post Publium martyrio defunctum, creabatur episcopus, in eadem epistola mentionem facit, attestatus, quòd eius labore & industria tum ad ecclesiam reducti essent, tum ardorem fidei propè in ipsis restinctum denuò recuperassent. Declarat præterea, Dionysium Areopagitam à Paulo Apostolo ad fidem conuersum (sic enim Acta Apostolorum referunt) primum Athenienses ecclesiæ epiAd Nicomedenses. scopatum administrasse. Alia quædam extat eius epistola ad Nicomedenses: in qua Marcionis hæresim acriter impugnans, veritatis regulæ egregiè patrocinatur. Ad ecAd Gortinenses & cæteros Cretenses. clesiam item quæ est Gortinæ, simul cum reliquis Cretensibus ecclesijs, scripsit epistolas: in quibus Philippum episcopum eò magnoperè collaudat, quòd ecclesia quam regebat, propter multas & generosas virtutes, quibus erat imbuta, testificatione omnium plurimùm esset approbata: eamque sedulò commonefacit, vt nefariam hæreticorum peruersitatem omni cura & cogitatione declinet. Aliam epistolam ecclesiæ quæ Amastrim obtinet, vnà cum alijs Ponti ecclesijs misit, in qua Bacchylidis & Elpisti mentionẽ facit, vtpotè qui illum ad scribendũ fuissent hortati: in qua etiam non- Ad Amastrinam reliquasque Ponti ecclesias. nulla loca Scripturæ sacræ explicat, eorumque Episcopum [b] Palmã nominatim citat. multa de nuptijs & castitate illos hortatur: & eos qui quocunq; casu, siue grauis alicuius peccati noxa, siue hæretico pestiferoq; errore, Ecclesia excidissent, denuò in Ecclesiam, modò

Ruff. ca. 23. *Dionysij Corinth. episcop. epistolæ.*

Ad Lacedæmon. 1. ad Athenienſ. 2.

Publius Athenien. episcop.

Quadratus eius successor.

Dionysius Areopagita. Actor. 17.

Philippus Gortiniæ episcop.

Bacchylides. Elpistus. b Palmas episc. Galmã alias.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pinytus epis. modò se totos conuerterent, clementer recipiendos præcipit. Istis porrò alia ad Gno- A
De castitate iniungenda dissertatio. sios annumeratur epistola: in qua Pinytum ecclesiæ illius episcopum admonet, ne gra- Ad Gnosios.
ue onus castitatis fratribus ex necessitate imponat, sed multitudinis accuratè consideret imbecillitatem. Ad quam Pinytus rescribens, quanquam Dionysium propter epistolam veneratur ac laudat, illum tamen è contrario obsecrat, vt iam aliquando cibum illis impertiat solidiorem, & perfectiore doctrina populum eius procurationi commissum educet: ne vmbratili cuidam institutioni & molli instar lactis perpetuò assuefacti, puerili quadam disciplina nec opinantes consenescant: in qua quidem epistola non modò recta Pinyti de fide opinio, & cura de plebis vtilitate sibi subiectæ suscepta, verum etiam eloquentia, & literarum diuinarum intelligentia, tanquam in viua quadam & expressa effigie liquidò patefit. Extat etiam alia Dionysij ad Romanos epistola, episcopo Ad Romanos.
Soter episcop. Soteri, qui tum illam ecclesiam gubernauit, dicata: cuius quidē verba in medium pro-
Romanæ ecclesiæ laudatus eōsuetudo. ferre, non erit ab instituto alienum. nam Romanorum consuetudinem, quæ assiduè ad hanc persecutionem nostra ætate grassantem seruata est, magnoperè approbans, ista scribit: Apud vos is mos iam inueterauit, vt omnes fratres varijs afficeretis beneficijs, & “
ecclesijs permultis quæ in quaque ciuitate sunt, vitæ mitteretis subsidia. Sic planè non “
solùm egentium subleuatis inopiam, verùm etiam fratribus qui sunt ad metalla damnati, opem fertis: sicque per ea beneficentiæ subsidia, quæ iam à primis ecclesiæ vestræ ia- “
ctis fundamentis passim mittere consueuistis, cùm sitis Romani, Romanorum consuetudinem à patribus traditam sedulò obseruatis: quam quidem certè beatus Soter ve- “
ster episcopus, & hactenus custodiuit diligenter, & mirum in modum suo propenso stu- “
dio adauxit: idque non modò opes in sanctos reficiendos delegatas benignè submini- “
strando, verumetiam fratres ad ipsum aduentantes, tanquam pater indulgens & clemēs “
in liberos, beato ac pio sermone ad virtutem cohortando. In hac eadem epistola, etiam
Clementis ad Corinth. epistola in veteri ecclesia legi solita. Clementis ad Corinthios epistolæ mentionem facit, declaratq; ex pristino more ab an- “
tiquis temporibus repetito eam in ecclesia legi solere. Sic enim loquitur. Hodie sacrum “
diem Dominicum celebrauimus, in quo vestram epistolam, quò vos ad studium pieta- “
tis cohortaremur, legimus: quam semper, sicut etiam priorē nobis à Clemente missam, “
ad nostram institutionem legere solemus. Præterea idem author ista de suis ipsius Epi- B
stolis, tanquam à quibusdam deprauatis & de industria corruptis, loquitur. Epistolas ro “
gatu quorundam fratrum, qui me ad scribendum impellebant, conscripsi. Atque eas “
ministri diaboli zizanijs referserunt. nam quædā pro suo arbitratu exemerunt, alia adie- “
cerunt: quibus planè væ in extremum iudicium repositum est. Nec mirum certè si qui-
Dionysio etiam superstitem hæretici epistolas eius deprauabant. dam Dominicas scripturas dedita opera deprauare aggressi sint: cùm has meas, quæ nō “
sunt certè eius generis, adulterare studuerint. Est enim præter istas, alia quædam Dio- “
nysij epistola ad Chrysophoram, sororem fidelissimam, missa: cui dum ea quæ sunt eius Ad Chrysophoram sororem.
institutioni valdè cōsentanea perscribit, alia etiam tanquā alimenta rationi & menti
instituendæ accommodata impertit. Hæc à Dionysio scripta accepimus.

De Theophilo Antiochenorum episcopo. CAP. XXIII.

Ruff. ca. 24. *Theophili Antioch. episcopi scripta.* THeophili verò (quem Antiochenæ ecclesiæ episcopum fuisse suprà mon- Huc refert Nicephor. cap. 9. li. 4. Vide Augustin. hæresi 41.
Ad Autolicū contra Hermogenis Hæresin, catechismi. strauimus) tres libri extant, quos religionis elementa & quasi seminaria complectentes, Autolico dedicauit. Aliud item opusculum edidit, cuius inscriptio est, Contra Hermogenis hæresim: in quo testimonijs sumptis ex Apocalypsi Ioannis vtitur. Alij sunt eius libri, qui ad primam Christiani in fide institutionem spectant. Cùm verò hæretici tanquam zizania, etiam id temporis non minus quàm antea, syncera Apostolicæ doctrinæ semina hominum mentibus mā-
Duobus modis patres cōtra Hæreses pugnarūt: scripti scilicet ac viua voce. Contra Marcionem. data labefactare niterentur, ecclesiarum vbique pastores illos tanquam immanes quasdam & agrestes belluas à Christi ouibus arcere, & à præda depellere laborant, interdum fratres admonendo, cohortandoque non rarò, ipsos hæreticos aperto marte adorien-
do, & coràm absque scripto tum differendo cum illis, tum eorum errores refutando: nonnunquam quibusdam commentarijs quos diligenter scripserant, opiniones ab il-
lis inuectas accuratissimè coarguendo. Theophilum autem cum alijs nonnullis contra eos viriliter dimicasse, ex libello quodam summa industria ab eo contra Marcionem elaborato, (qui quidem cum alijs eius libris, quos diximus, est ad hoc vsq; tempus reseruatus) satis perspicuum est. Huic Theophilo Maximinus, qui episcopus eccle-
Maximinus Antioch. episcop. 7. siæ Antiochenæ septimus ab Apostolis erat, successit.

De

A *De Philippo Gortinensis paræciæ episcopo, & de Modesto & Irenæo historiographis.*

CAPVT XXIIII.

Vide Niceph. lib. 4. cap. 9. PHilippus porrò, quem Dionysij testimonijs ecclesiæ Gortynensis episcopum fuisse cognouimus, longè accuratissimum opus cōtra Marcionem contexuit. Idē ab Irenæo factitatum est. *Modestus quoq; egregiè, præter cæteros, viri illius errorem expiscatus, omnium oculis subiecit ad contemplandum. Alij item complures scriptores extiterunt, quorum lucubrationes adhuc in permultorum fratrum manibus integrè cōstodiuntur. *Ruffi. c. 25. *Marcionis hæresis impugnata à Philippo Irenæo Modesto.*

De Melitone Sardeorum episcopo, & de ijs quos hic commemorat.

CAPVT XXV.

Huc refert Nicephor. ca. 10. lib. 4. IN eorum numero, quos suprà citauimus, fuerunt Meliton Sardensis Ruffi. ca. 26.
ecclesiæ episcopus, & Apolinarius episcopus Hierapolitanæ ecclesiæ, qui permagna famæ celebritate floruerunt: quorum vterq; separatim librum pro fidei nostræ defensione Romanorum [a] imperatori (quem antea suo tempore memorauimus) dicauit. Ex operibus quæ isti duo conscripserunt, hæc quæ sequuntur ad nostram peruenere noticiam. Primùm Melitonis duo de Paschate libri. Alius de recta vitæ Christi- anæ institutione: de Prophetis alius. Liber item de Ecclesia. Alter de die Dominico. Est præterea eiusdem liber de Natura hominis, de eius Creatione, de Obedientia fidei, de Sensuū sedibus. Istis accedit liber de Anima & corpore. Inter quos est etiā liber de Lauacro regenerationis, de Veritate, de Fide, de Generatione Christi. Liber etiam eiusdē de Prophetia, de Hospitalitate: vnus item qui Clauis inscribitur: alius etiam de Diabolo: alius de Apocalypsi Ioannis, de Deo incarnato. Postremò liber ad Antoninum scriptus. In libris quos de Paschate confecit, tempus quo illos scripserit, in ipso illorum exordio his verbis refert: Cum Seruilius Paulus esset Asiæ proconsul (quo quidem tempo-
„ re Sagaris martyrij corona donatus fuit) magna apud Laodiciam orta est controuersia
„ de paschate: quod quidem festum fortè eodem temporis articulo, quo oriebatur con-
„ trouersia, incidit. Atque illis ipsis diebus etiam ista à me de festo illo fuere perscripta.
B Huius operis meminit Clemens Alexandrinus, in libro suo de Paschate conscripto:
quem se contexuisse memorat, ansa scribendi ex Melitonis opere arrepta. Idem Melito in eo libro quem Imperatori dedicauit, eiusdem quædam mala contra nos eo reg-
„ nante patrata narrat: Iam quod nunquam antea accidit, totum genus piorum homi-
„ num, qui se diuino cultui penitus addixerunt, persecutione affligitur, & nouis edictis
„ per vniuersam Asiam promulgatis exagitatur. Nam impudentes & proterui calumni-
„ atores, atque adeò alienarum rerum appetentes, ex his edictis occasionem nacti, palàm
„ noctu atque interdiu furantur, eosque expilant qui nihil cuiquam omnino intulerunt
„ iniuriæ. Et paulo pòst ait: Quòd si te præcipiente hoc fit (iustus enim Imperator &
„ rex, non iniusti quicquam aliquando consilio statuit) sit sanè rectè factum, atque eius-
„ modi mortis præmium lubenti animo perpetimur. istam tamen vnam tibi supplices pe-
„ titionem offerimus, vt tu ipse primùm authores talis contentionis & dissidij dispicien-
„ dos cures: deinde recto iudicio dicīdas, mortémne ac supplicium, an salutem & securi-
„ tatem sint promeriti. Sin verò istud consilium, hocq; nouum decretum tua authoritate
„ minimè sancitum est (quod planè ne contra crudeles quidem & barbaros hostes sta-
„ tuere æquum est) multo magis te obsecramus, ne tam aperto latrocinio nos spoliari
„ permittas. Quibus item subiungit: Diuina, quam nos excolimus, religio antea inter
„ barbaros insigniter viguit: quæ cum apud gentes tuas, præclaro & eximio Augusti
„ regno, à quo paternum duxisti genus, floreret, ipsi imperio quo tu potiris, cum primis
„ fausto ac felici præsidio fuit. Nam ex eo tempore Romani Imperij fines magna cū am-
„ plitudine & splendore dilatati sunt: cui tu non modò iā successor fortunatus es, sed etiā
„ cum filio futurus es, modò diuinam illam religionem tueare, quæ simul cum Augusti
„ regno apud vos cùm incepta, tum vnà cum imperio enutrita accreuit: quam planè ma-
„ iores tui præter aliarum religionum ritus, quos obseruabāt, magnopere coluerunt. Atq;
„ quod nostra religio imperio tam præclarè cœpto maximo planè adiumento & commo-
„ do fuerit, illud certissimo argumento esse poterit: nempe quòd ab Augusti regno hacte-
„ nus nihil rerum aduersarum inuectum est, sed contrà omnia cum summo splendore &
„ amplitudine prosperè & ex animi cuiusq; sententia processerunt. Et quanquam Nero &
„ Domitianus, soli inter omnes imperatores, inuidorum quorundam & maleuolorum
„ hominum suasu adducti, nostram religionem ignominiæ & obtrectationi exponere stu-

[a] *Antoninum Verum intelligit.* *Melitonis episcopi scripta.* *Quæstio de paschate.* *Sagaris martyr.* *Persecutiones in Asia & quærelæ bonorum.* *Verba Militonus ex Apologia eius ad Imp. pro Christianis data.*

G debant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

debant (quorum perdito conatu falsa ista & malitiosa criminatio contra Christianos A
& ad aures hominum allapsa est, & temeraria ac vesana consuetudine continuata) illo-
rum tamen insciti am & amentiam pij & religiosi tui patres maioresq; coarguentes, sæpe
eos qui contra istos piæ religionis & doctrinæ professores aliquid noui moliri audebant,
modestè & prudenter per edicta correxerunt. In quorũ numero est Adrianus auus tuus,
quem cùm alijs multis, tum Fundano proconsuli, Asiæque præfecto, literas in gratiam
Christianorum scripsisse constat. Tuus item pater (qui cum vnà tu summam rerum eo
tempore administrabas) tum ad alias ciuitates generatim, tum ad Larissæos & ad Thes-
salonicenses, ad Athenienses, & ad omnes deniq; Græcos, nominatim mandata per lite-
ras delegauit, ne quid nouarũ rerum contra nos Christianos aliquando edere moliren-
tur. Te igitur multo potius omnia facturum, quæ à tua benignitate postulamus, pro cer-
to sumus persuasi: quippe cum de his hominibus non eandem solum cum maioribus
sententiam & mentem, sed etiam multo humaniorẽ, & diuinæ sapientiæ studio magis
deditam teneas. Ista posita sunt in eo opere, de quo suprà docuimus. Idem author præ-
terea in procemio operis sui, quod breues & selectas sententias ex Scripturis deprom-
tas continet, librorum veteris Testamenti, qui sunt omnium consentiente authoritate
comprobati, catalogum citat: quem quidem isto loco ad verbum percensere necessari-
um duximus.

Melitonis eclogæ ad Onesimum fratrẽ.

Melito Onesimo fratri S.

Quoniam sæpenumero incredibili studio erga verbum Dei incensus, à me vehemen- "
ter flagitasti, vt quasdam breues & selectas sententias ex Lege & Prophetis, de Seruatore "
& vniuersa fide nostra excerptas, tibi contexerem: & item librorum veteris Testamenti "
accuratè cognoscendorum cupiditate incitatus, quot numero sint, & quo ordine col- "
locati, magnopere scire expetiuisti: cũ & studium tuũ erga fidẽ, & cognoscendi auidita "
tem erga verbum Dei, pro certo intelligerem: & quòd pro æternæ salutis corona strenuè "
instar athletæ decertans, istas res ob desiderium illud quo erga Deũ exardescis, maximè "
omnium præferre videare: illud planè cum tale & tam fructuosum cernerẽ, cumulatè "
quoad poteram perficere elaboraui. Proinde in Orientem iter suscipiens, & eo vsq; loci "
proficiscens, vbi hæc & prædicata & gesta fuerunt, cum accuratè à quibusdam de veteris B
Testamenti libris didicissem, illorum nomina hic subscripta ad te misi, quæ sunt hæc, "
Moysis quinq;, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium. Iesus Naue, Iudi- "
ces, Ruth, Regum seu Regnorum libri quatuor, Paralipomenon duo, Psalmi Dauidis, "
Salomonis prouerbia, Sapientia, Ecclesiastes, Canticum canticorum. Iob: Prophetarum "
libri, Esaiæ, Hieremiæ, & duodecim Prophetarum scripta in vno libro seperatim con- "
tenta, Daniel, Ezechiel, Esdras. Ex quibus breues & selectas quasdam sententias excerpsi- "
mus, easque in sex libros dispertiuimus. Tot libri dicuntur esse Melitonis.

Melitonis laborem & industriam in cognoscenda orthodoxa religione.

Catalogus librorũ Canonicorum Veteris Testamenti.

De Apolinario Hierapolitarum ecclesiæ episcopo.

CAP. XXVI.

Ruff. ca. 27. *Apolinarij scripta, liber ad Imp. contra gentes libri 5. De veritate lib. 2. contra Iud. 2. contra cataphrygas. contra Montanum.*

EX multis Apolinarij scriptis, quæ apud multos integra seruantur, ista sunt, quæ ad nos peruenerunt. Liber ad imperatorem, de quo antè diximus, scriptus. Quinq; libri contra gentiles. De veritate duo: Contra Iudæos duo: Et alij, quos deinceps scripsit contra Cataphrygum hæresim, quæ id quidem temporis (quandoquidem iam tum Montanus cum suis pseudoprophetissis peruersæ suæ opinionis fundamenta iaciebat) tanquam nasci cœpit: atq; etiam non longo tempore post, de integro renouata, multo serpsit longius. Verùm de Apolinario hactenus.

Huc refert Nicephor. cap. 11. li. 4. Vide August. hæresi 55. Epiph. hæresi 20. libri 1. tomo. 2.

De Musano, & eius scriptis: & Tatiano & eius hæresi.

CAPVT XXVII.

Ruffi. ca. 28. *Musani scripta contra Encratitas. Encratitæ.*

MVsani autem (quem inter eos qui suprà demonstrati sunt, numerabamus) extat quidam liber elegantissimus, ab eo scriptus aduersus quosdam fratresi qui videbantur inclinare ad hæresim eorum qui Encratitæ dicuntur: quorum error iam tum oriri incipiens, peregrinam, pestiferam, & plenam mendacij opinionem in vitam hominum introduxit: eiusque erroris Tatianum (cuius verba de admirabili & singulari viro Iustino martyre paulò antè posuimus) fama est autorem extitisse: eumque illius martyris discipulum fuisse ferunt. Declarat hoc Irenæus in primo libro contra hæreses: istaque simul de eo & errore suo ita scribit. Hæretici quidam (qui ἐγκρατεῖς, id est continentes nuncupati sunt) tanquam à Saturnini & Marcionis schola profecti, non contrahendum "
matrimoni-

Huc etiam refert ex Nicephor. ca. prædictum 11. lib. 4.

Tatianus Encratitarũ parens. Lib. 1, cap. 29. 30. 31. ἐγκράτ ῦς.

A matrimonium prædicant, inque eo veterem Dei improbant fabricationem: & Deum *Encratitarum hæresis capita.*
" qui masculum & fœminam ad humani generis propagationem creauerat, tacitè re-
" prehendunt: docentque ab animantibus, quæ apud eos ἔμψυχα appellantur, abstinen-
" dum: seque propterea ingratos Deo, qui omnia condiderat, ostendunt. *Quinetiam sa- *Ruff. c. 29.
" luti Adami, hominis primò omnium fabricati, contradicunt. Atque iste error modò
" apud illos inuentus est, idque Tatiano quodam authore, qui primùm istam contra
" Deum inuexit blasphemiam. Qui quidem cum esset Iustini auditor, quamdiu cum eo
" versabatur, nihil eiusmodi in apertum protulit: verùm post illius martyrium, à fide Ec-
" clesiæ descisc ens, nomen & opinionem doctoris insolenter sibi vendicare, eaque arro-
" ganter intumescere, & perinde quasi cæteris multum præstitisset, propriam doctrinæ
" formulam constituere, & pari ratione cum his qui Valentiniani vocantur, secula quæ-
" dam sub aspectum minimè cadentia falso comminisci cœpit. Atque similiter cum Mar-
" cione & Saturnino, matrimonium corruptelam esse & stuprum asserere, saluti Adam
" contradicere, & suopte marte & ingenio rationes ad illud confirmandum excogitare.
Vide Augustin. hæresi 24. Epiphan. hæresi 12. tomo. 3. lib. 1. Hæc de Tatiano Irenæus. Non longo tempore pòst Seuerus quidam nomine, hæresim modò à nobis commemoratam mordicùs tuebatur: atque illis qui ex eo tanquam ex erroris fonte dimanarunt, author extitit vt Seueriani, appellatione ab eo deriuata, nominarentur. Hi autem lege, prophetis & euangelijs vtuntur, Sacrarum scripturarum sensus ac sententias pro suo arbitratu interpretantur. De Paulo autem apostolo malè loquuntur, eius Epistolis fidem abrogant: Acta quoque Apostolorum minimè recipiunt. Tatianus ille, qui erat primus eorum author & princeps, coniunctionem quandam & collectionem Euangeliorũ, nescio quomodo, composuit, illudque opus διὰ τεσσάρων id est vnum euangelium ex quatuor collectum nuncupauit: quod etiam adhuc quorundam habetur in manibus. Huncaiunt nonnullas Pauli apostoli voces, vtpote qui dictionis ac loquendi compositionem in illis corrigere moliretur, audacter & temerè commutasse. Magnum quidem librorum numerum post se reliquit. Inter quos ille apud multos quasi pleno ore celebratur, quem contra Gentiles edidit: in quo certè, tem- *Seuerus, Seueriani hæretici.* *Tatiani liber Diatessaron.*
B poribus ab ipsa mundi origine repetitis, Moysen & Hebræorum prophetas omnibus viris illustribus qui apud Gentiles extiterint, antiquiores declarat: qui planè liber ex om- *Item, Contra gentiles.*
nibus suis scriptis cùm pulcherrimus propter elegantiam, tum propter vsum fructuosissimus esse videtur. Atque de rebus gestis, deq; libris illorum omnium quos antea posuimus, ista isto modo atque ratione sint à nobis commemorata,

De Bardesane Syro, & quæ habentur eius scriptis.

CAP. XXVIII.

Huc item refert Nicc. ca. 2. lib. 4. Vide Augustin. hæresi 35. Epiphan. hæresi 10. lib. 2. tomo. 1.

REgnante isto imperatore, cum hæreses indies multitudine crescerent, in Mesopotamia Bardesanes, vir quidem cum in omni doctrinæ genere exquisitissimus, tum in lingua Syriaca disertissimus, non modò contra eos qui erant Marcionis æmuli ac imitatores, verùm etiam contra alios quosdam qui varias errorum sectas defensitabant, Dialogos composuit: quos, cum plerisque alijs eius scriptis, lingua sua & patrio sermone diuulgauit. Quos etiam discipuli eius (complures enim, quia tantum dicendo valeret, eius scholam frequentabant) ex Syriaco sermone in Græcum conuerterunt: In quorum numero est Dialogus de fato, ad Antoninum scriptus accuratissimè. Et alia item sunt, quæ occasionem ex persecutionis calamitate id temporis longè lateque manante arrepta, cum conscripsisse ferunt. Hic primùm in Valentini schola educatus est. Cuius cum coarguisset errorem, multasque & commenticias Valentini fabulas reprehendisset, videbatur sibijpsi quodammodo se ad meliorem rectioremque sententiam transtulisse. Cæterùm veteres erroris sordes non penitùs profectò eluerat. Eodem tempore Soter ecclesiæ Rom. pontifex, extremam vitæ suæ diem obijt.

Ruffi. ca. 30. *Bardesanis eruditio.* *Acta & scripta.* *Secta Valentini infectus, vix eã eluit.* *Soter episcop. Rom. 11. moritur anno Chr. 179.*

FINIS LIBRI QVARTI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE

Palæstinæ, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Liber Quintus.

Quot & quomodo, regnante Vero, pro pietate in Gallia decertarint.

CAPVT. I.

Ruff. proœ.

SOter, Romanæ eccleſiæ Pontifex, cum octo annos illi muneri præfuiſſet, deceſſit è vita. In cuius locum Eleutherus, duodecimus ab Apoſtolis ſucceſſit. Ad decimum ſeptimũ annum imperij Antonini Veri, grauis & acerba in nonnullis terræ partibus perſecutionis procella, ex temerario populi impetu per ſingulas vrbes excitata, contra nos ingraueſcere cœpit: in qua (ſicut ex illis martyrijs quæ in vna natione fortè confecta erãt, coniectura planè licet augurari) infiniti propè martyres, in reliquis etiam orbis terrarum regionibus, generoſa cæde pro Chriſto tolerata nobilitati ſunt. Quæ cum memoria ſempiterna digna reuera viderẽtur, literarum monimentis ad poſteritatem tradita ſunt. Ac quanquam tota illa epiſtola, quæ accuratiſſimam iſtarum rerum explicationem cõplectitur, in libro de Martyribus à nobis compoſita (qui non ſolum veram rerum geſtarum narrationem, ſed etiã illuſtria virtutis exempla ad vitã piè degendam accõmodata continet) poſita eſt, tamen quæcunq; ad hoc inſtitutũ ſpectare videantur, ea in præſentia ex eodem repetens, in hũc hiſtoriæ noſtræ locum colligabo. Ac quemadmodum alij etiam qui ſe ad hiſtoriã ſcribendam conferunt, partas in bello victorias, trophæa contra hoſtes ſtatuta, præclaras ducum res geſtas, magnos & viriles militum animos (quorum manus propter liberorũ, patriæ, & fortunarum ſuarum propugnationem, erant ſanguine & infinitis cædibus reſperſæ & cruentatæ) omnino ſcriptis mandare aggrediũtur: ita hic noſter ſermo, qui ad diuinam viuendi rationem refertur, non ſolum bella mitiſſima quæ pro animi conſcientiæq; pace adminiſtrata fuerunt, & eos qui in ijſdẽ pro veritate potius quàm patria, pro pietate quàm pro amiciſſimis fortiter dimicarunt, perpetuis literarũ monumentis tanquam tabulis conſignabit, verùm etiam egregiam athletarum pro pietate decertantium conſtantiam, inuicta animorum robora, trophæa contra dæmones erecta, victorias ex aduerſarijs qui oculis conſpici nequeunt reportatas, coronas deniq; illis propoſitas immortali memoriæ commendabit.* In Gallia ſtadium ad hæc obeunda certamina, quæ ſuprà explanauimus, conſtituturum fuit. Cuius vrbes ſunt facilè principes, & quæ præter cæteras omnium ſermone præſtare dicuntur, Lugdunum, & Vienna: per quas vtraſq; Rhodanum flumen pertranſire, ac præcipiti curſu per vniuerſam Galliam præterlabi conſtat. Epiſtolam de martyribus illis ſcriptam, eccleſiæ quæ ibidem ſunt illuſtriſſimæ, eccleſijs Aſiæ & Phrygiæ miſerunt, reſq; apud ſe geſtas (earum enim verba citabo) iſto modo illis ſignificarunt. Serui Ieſu Chriſti, qui Viennam, & Lugdunum Galliæ incolunt, fratribus in Aſia & Phrygia, qui eandem nobiſcum redemptionis fidem & ſpem habent, Pax, gratia, & gloria, à Deo patre, & Chriſto Ieſu Domino noſtro ſit vobis. Deinde cum in Epiſtolæ exordio alia iſtis deinceps adiecerint, his verbis initium narrandi faciunt. Magnitudinẽ afflictationis, quæ hoc loco ingraueſcit, ingens gentilium odium contra ſanctos incitatum, ſupplicia, quæ beati martyres placidè ſuſtinuerunt, neq; nos dicendo accuratè exprimere, neq; ſcribendo facilè à quoquam comprehendi poſſunt. Nam aduerſarius noſter, aduentum ſuum (in quo audacter ac liberè Eccleſiam Chriſti oppugnaturus ſit) iam quaſi proluſione quadam & prooemio breui futurum prænuncians, omnibus viribus (vt dicitur) Chriſtianos adortus eſt: atq; adeò vbiq; graſſatur, ſuos conſuefecit, & ad bellum contra ſeruos Dei gerendum vſu & exercitatione mirè inſtruxit. Quapropter non ſolum ædificijs publicis, balneis, & foro nobis interdictum eſt: ſed etiam, ne quiſquam noſtrũm vſquam locorum in conſpectum prodeat, ab illis vetitũ. At gratia DEI pro nobis cum diabolo decertauit, & hos qui ſunt paulò remiſſiore animo, eripuit è periculo: illos autem, qui patientia armati, tanquam firmæ fidei columnæ, non modò impetum hoſtis noſtri diaboli facilè laturi videbantur, verùm etiam in ſua ipſorum capita eundem quodammodo prouocaturi, ex aduerſo oppoſuit: qui

Eleutherus Rom. pont. 12. anno Chr. 179 Perſecutio Quarta in Chriſtianos mota, anno 170. Veri. 7.

Hucreſert Niceph. ex. 16. 17. libr. 4. & cap. 2. lib. 5.

Euſebius in Chron. adnotat. hanc perſecutionẽ fuiſſe anno ſept. Veri, & huic ſupputationi cõſonat geſtarum rerũ hiſtoria, ex quo deprehenditur in textu inſigne mẽdum eſſe, vbi legitur perſecutionis attributus annus 17. Sed interpres Græco textu deceptus eſt, qui recte didit quæ cepit.

Euſebij de Martyribus liber.

*Ruff. c. 1. Martyria Gallorum.

Præcipuæ Gallorum Vrbes. Lugdunum. Vienna.

Epiſtola fratrũ Galliæ ad fratres in Aſia & Phrygia.

Edicta aduerſus Chriſtianos publicata.

A qui tum in acie fortiter cum aduerſario conſiixerunt, omne opprobrij & ſupplicij genus „ toleranter ſuſtinendo: tum celeri gradu maturarunt ad Chriſtum, ea mala quæ erant „ ingentia & grauia, exigua & penè nulla exiſtimando: perſpicueq; reuera oſtenderunt, „ quòd non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabi- Rom. 8. „ tur in nobis. Ac primùm cruciamenta quæ confertim erant, & tanquã cumulo à multitudine in illos coaceruata, viriliter & magno animo ſubierunt: vociferationes, plagas, „ violentos tractus, dilacerationes, lapidũ proiectiones, carceres, & quicq; d deniq; ab agreſti & furioſa multitudine cõtra nos velut cõtra hoſtes & inimicos, fieri ſolet. Quotquot „ igitur erãt à Tribuno plebis, alijſq; magiſtratib. qui ciuitati præerãt, in forũ deducti, cũ coram vniuerſa multitudine eſſet ab illis de fide quæſitum, & eam liberè ipſi confeſſi fuiſſent, vſq; ad præſidis aduentum in carcerem coniecti concluſiq; erant. Deinde cum ducerentur ad præſidẽ, & ille in iudicando omni crudelitatis genere contra nos noſtrosq; „ vteretur, Vetius Epagathus, vnus ex fratribus, immenſo charitatis erga Deum & proximum ardore inflammatus, (qui quidem cum non modò ad omne officium erga proximum ſedulò exequendum impiger & propenſus eſſet, verùm etiam flagranti Dei amore & ſacroſancto Spiritus inſtinctu exardeſcens, in omnibus Domini præceptis & iuſticiæ æquitatisq; inſtitutis integrè incederet, adeò ſanè accuratè vitam inſtituiſſet, vt „ quamuis eſſet adoleſcens, eodem tamẽ teſtimonio, quod Scriptura ſeni Zachariæ ſacerdoti tribuit, dignus videretur) hic Vetius inquam, iudicium tam temerè & iniurioſè contra nos pronunciatum, non poterat omninò æquo animo ferre: ſed ſupra modum ſuccenſebat, poſtulabatq; vt poteſtas ei daretur liberè in illo confeſſu pro fratribus reſpondendi: ſeque perſpicuè probaturum dicebat, nihil ſceleris, nihilue impietatis in nobis omninò poſſe reperiri. Contra quem cum multitudinis frequentia, quæ tribunal circumſiſtebat, admodum vociferata fuiſſet (erat enim inter illos illuſtris atque eximius) cumque præſes etiam iuſtam ab eo propoſitam poſtulationem minimè poſſet tolerare, ſed ſolum iſtud ab eo quæreret, vtrum eſſet Chriſtianus: ille tum, ſimulatque erat clariſſima voce hoc ipſum confeſſus, in ſortem & numerum martyrum relatus eſt: „ ac deinceps aduocatus Chriſtianorum appellatus, nec planè immeritò. Habuit enim „ aduocatum Ieſum in animo commorantem, & Spiritum ſanctum multò quàm Zacharias feruentiorem: quem per ingentem charitatis quaſi cumulum, quo adductus adeò alacri & ardenti ſtudio pro fratrum propugnatione ſuam ipſius vitam profudit, ſatis „ perſpicuè oſtendebat. Chriſti igitur & eſt, & fuit verus & germanus diſcipulus: qui agnum, quocunque eat, ſequitur. Inde igitur inter reliquos Chriſtianos facilè internoſcebatur. nam martyres, qui videbantur cæteris facilè præſtare, in publicum prodibant, ſeparatos ad omnia tormenta oſtendebant: omni denique animi alacritate confeſſionem illam, quæ eſt martyrij propria, cumulatè, pleneq; explebant. Sed extabant alij „ imparati, inexercitati, & animo fracto, qui acrem certaminis impetum ferre non poterant: ex quibus circiter decem numero, animis ignauè & muliebriter conciderunt. Qui „ profecto non modò magnum dolorem mentibus noſtris, & immenſam acerbitatem „ inurebant: verum etiam aliorum, qui hactenus non comprehendebantur, quiq; martyribus etiam in acerbiſſimo cuiuſque generis cruciatu iacentibus præſtò ſemper aderant, & eos non aliquando deſertos eſſe paſſi fuerant, alacritatem penitus retuderunt. „ Omnes igitur id temporis propter incertum confeſſionis euentum, eramus graui metu „ perculſi: non plagas quidem, & ſupplicia quæ illis pòſt infligerentur, veriti: ſed ancipiti „ confeſſionis exitu mente prouiſo, magnopere extimeſcentes, ne quis præ languida animi infractione prorſus ſuccumberet. Quotidie tamen, qui digni corona martyrij habebantur, ad illorum numerum ſupplendum præhenſi erant: vſque adeò, vt ex duabus hiſce eccleſijs omnes pij & ſtudioſi viri (quorum virtute & doctrina in primis ſtatus illarum ritè adminiſtrari ſolet) eximerentur. Quidam etiam ethnici, noſtrorum „ ſerui, vnà capiebantur (ſiquidem Præſes omnes non paſſim perquiri præceperat) qui „ tormenta, quæ ſanctos tolerare cernebant, reformidantes, contra nos, militibus Satanæ „ impulſu illos ad hoc idem incitantibus, Thyeſtæas cœnas, & inceſtus Oedipodis, falſò „ commenti ſunt, & alia quæ nobis nec eloqui nec cogitare quidem fas eſſe iudicatur: „ quin tale facinus aliquando inter homines admiſſum fuiſſe, ne credi quidem propemodum debet. Quæ ſanè cum eſſent fama & ſermone hominum paſſim diſſipata, omnes „ velut immanes belluæ contra nos furere cœperunt: ita vt ſi qui antea propter neceſſitudinem moderatè ſe erga nos geſſiſſent, tunc veluti rabie quadam incitati, dentibus frendere inſaniréq; propè viderentur. atq; id adeò quod à Domino noſtro prædicebatur, in „ eo eſſet impletum: Tempus venturum, in quo omnis qui vos occiderit, videbitur obſequium præſtare Deo. Vnde decęterò ſancti martyres maiora quędã cruciamẽta, quàm quę

Vetius Epagathus Chriſtianorum aduocatus.

Alludit ad encomiũ Zachariæ Luc. 1.

Alacritas Gallorum ad Martyriũ ſubeundum.

Imbecillitas aliquot defectio.

Ioan. 16.

possint oratione explicari(idque Sathana in illud pro viribus incumbente, vt aliquid A
blasphemię contra Christum, ex eorum ore educeret)sufferre cogebantur. Supra modũ "
igitur lethale multitudinis vniuersæ, præsidis & satellitum odium, in diaconum nomi- "
Sanctus diaconus. ne Sanctum, Viennæ prognatum, & in Maturum etiam, recens quidem baptizatum, sed "
Maturus. generosum tamen Christi athletam, efferbuit: in Attalum porrò genere Pergamenum, "
Attalus. columnam & stabilimentum continuum ecclesiarum, quæ hic sunt: in Blandinam "
Blandina. denique, per quam Christus euidenter ostendebat, eos, qui apud homines viles, despecti "
1. Cor. 1. & contempti videantur, apud Deum, propter charitatem erga illum, non specie iacta- "
tam & simulatione, sed vi & virtute declaratam, magno splendore & gloria donari. "
Nam cum non nos solum pertimescremus, sed etiam hera illius secundũ carnem (quæ "
etiam ipsa vnà in martyrum pugna dimicauerat)ne cum in certamen descenderet, præ "
corporis imbecillitate, non liberè & ingenuè fidei suæ confessionem proloqui perge- "
Blandinæ mirabilis constantia. ret: Blandina tanto animi robore & virtute imbuebatur, vt tortores, qui illam vicissim "
omni suppliciorum genere à primo mane ad vesperam vsq; afflixissent, propè labore de- "
fessi languescerent, seque tum ab illa victos, tum nihil amplius habere cruciamenti re- "
liquum, quod ei irrogarent, faterentur: atque adeò magnopere mirarentur, quo pacto "
(cum totum eius corpus ita dilaceratum esset) perseuerans spiritum duceret: palamque "
testarentur, vnum tormenti genus satis habuisse virium aduersus eam eripiendam, nedum "
tam multis & varijs opus fuisse. Verùm beata martyr (sicut generosum athletam decet) "
in ipsa fidei confessione vires colligebat: atque prolatio istorum verborum, Christiana "
sum, & nihil apud nos admittitur sceleris, erat dolorum qui eam vrgebant, summa le- "
Item Sancti. uatio, fomentum cruciatus, & cuiusq; molestiæ depulsio. Diaconus ille Sanctus nomi- "
ne, suprà quàm credibile est, & supra omnem humanum captum, verbera à carnificibus "
impacta toleranter sustinens, cum scelerati illi carnifices propter assiduitatẽ & magni- "
tudinem tormentorum, quæ ei infligebãt, sperarent se aliquid, quod indecorum & eius "
professioni parum consentaneũ videretur, ab eo audituros: ipse tanta animi celsitate & "
constantia illis ex aduerso restitit, vt ne nomen quidẽ, vel suum, vel gentis, vel ciuitatis "
vnde fuit, neq; vtrum seruus an liber, illis vellet dicere: sed ad omnia rogata ita Latino "
sermone responderet, Christianus sum: istudq; pro nomine, pro ciuitate, pro genere, & "
deniq; pro re quaq;, iterum ac sæpius eloqueretur: aliam autem vocem gentiles ab eo e- "
licere audireq; non poterant. Vnde tam graui & acerba bile animus cùm præfecti, tum B
tortorum contra illum inflammabatur, vt cum nihil haberent supplicij, quod ei dein- "
ceps imponerent, ad extremùm laminas æneas feruentes & ignitas tenerrimis corporis "
membris affigerent. At ille, quanquam corporis membra exurebantur, firmus tamen, "
constans & immutabilis in fidei confessione perstitit: quippe, qui diuino & cęlesti fonte "
aquæ vitalis, quæ ex Christi ventre profluit, tanquam rore cùm aspersus, tum roboratus "
erat. Corpus autem testimonio fuit eorũ, quæ ipsi acciderant, vtpotè vulneribus & vibi- "
cibus totum cruentatum: quod quidem sic in rugas erat contractum, vt exteriorem ho- "
1. Ioan. 4. minis formam prorsus abiecisse: in quo Christus afflictationis particeps, res præclaras "
ad suam ipsius gloriam gessit, cùm aduersarium profligando, tum cæteris præclarum "
exemplum ostendendo, nullum esse metum, vbi Dei patris charitas: nec vllam mole- "
stiam, vbi fides Christi viget. Nam quanquam impij carnifices paucis diebus post, cum "
martyrem denuò torquerent, putabant, si corporis membris superiore iam cruciatu tu- "
midis, & inflammatione quadam efferuescentibus, eadem supplicia accumularent, vel "
Miraculum in tormentis Sancto adhibitis. se illum facilè euicturos (præsertim cum ne manuum propè tractationem perferre iam "
posset) vel illum tormentis tandem extinctum, grauem reliquis horrorem incussurũ: "
tamen tantum abfuit, vt in illo aliquid eiusmodi contingeret, vt etiam præter omniũ "
hominum opinionem, corpus in illis posterioribus tormentis recreatum, & in integrũ "
restitutum, formam priorem atque vsum membrorum recuperaret: adeò vt secunda "
illa carnificina, non inflicta pœna, sed medicina per Christi gratiã adhibita videretur. "
Biblidis martyrium. Porrò Biblidem, vnam ex eorum numero, qui fidei confessionem pernegassent, "
cum iam diabolus à se prorsus absorptam putaret, cupiens etiam per blasphemiam in "
Deum condemnationem eius augere, ad supplicium deducendam curauit, eamq; velut "
fractam & ignauam impia in nos & flagitiosa probra loqui impulit. Illa tamẽ in tormẽ "
to redijt ad se, atq; (vt ita dicã) ex profundo somno excitata est: præsenti supplicio quo- "
dammodo submonita, vt de æterna gehennæ pœna seriò cogitaret. At contrà quàm "
diabolus exspectabat, maleuolis Christianorum obtrectatoribus ex aduerso sic respon- "
det. Quomodo eiusmodi viri liberos suos deuorare in animum poterũt inducere, qui- "
Act. 15. bus ne licitum quidem sit sanguinem animalium ratione carentium comedere? Et ab "
eo tempore se Christianã ingenuè confessa est, & sorti numeroq; martyrum adiuncta. "

At

A *At cùm tyrannica crudelia q́ue illa suppliciorum genera per beatorum patientiã, Chri * Ruff. ca. 2.
" sti virtute firmatam, frustra imposita irrogata q́ue viderentur, diabolus alias quasdam
" machinas de integro contra illos excogitauit: nempe vt in carcerem coniecti, interdũ
" in locis horrida caligine obsitis, & plenis molestiarum miserè iacerent: nonnunquam
" illorum pedes in crassas compedes impositi, distinerentur, & ad quintum vsq; foramẽ,
" longa intercapedine interposita, distenderentur: aliquando vexarentur alijs plagarum
" modis, quos rabidi diaboli ministri, illiusq́ue maleuolentia suffusi, hominibus in car-
" cerem conclusis incutere solent: vsque adeò, vt complures, quos Dominus eo pacto è
" vita exire volebat, ibi ob fœtidum odorem & loci angustiam penitus suffocarentur.
" Quinetiam non pauci, (in quibus illic † Dei gloria perspicuè ostẽtata erat) quamuis ita
Vide annot. pag. 46. lat. 2. lin. 10. acerbè excruciati fuissent, vt nulla curatione adhibita viderentur amplius posse vitam
protrahere, in carcere tamen superstites manebant, omni humana quidem cura & sub-
sidio orbati ac destituti: à Domino tamen tum corporis tum animæ viribus ita robora-
" ti confirmati q́ue erant, vt cæteros & ad fidem constanter tenendam tuendam q́ue inci-
" tarent, & grato admodum subleuarent solatio. Alij autem modò capti, & recentes
" in carcerem contrusi (quorum corpora antehac tormentis subeundis callum haud cõ-
" traxerant) pondus carceris & grauitatem minime poterant ferre, sed intus breui mor-
" tem oppetebant. Beatus item Pothenus, cui Lugdunensis episcopatus ministerium e-
" rat concreditum, cùm nonagesimum suæ ætatis annum præterijsset, & corporis imbe-
" cillitate ita langueſceret, vt vix posset propter virium infirmitatem, qua distinebatur, *Epist. Lugdunens. Pothenũ martyrium.*
" liberè spirare: spiritus tamen alacritate, propter ardentem qua flagrabat martyrij cu-
" piditatem, plurimùm recreatus, ad tribunal gestabatur: & tametsi corpus eius iam præ
" decrepita ætate & cruciatu morbi penè exhaustum esset, anima tamen in ipso seruaba-
" tur integra, vt per eam Christus gloriosè triumpharet. Qui quidem ad tribunal, magi-
" stratibus ciuitatis cum comitantibus, & vniuersa multitudine varias cuiusque modi
" vociferationes contra illum vtpotè Christianum, edente, à militibus deductus, præcla-
" rum fidei testimonium perhibuit. Cùm enim à præside rogaretur, quis esset Christiano-
" rum Deus? respondit: Si tu ea re dignus sis, cognosces. Inde igitur asperè & immisericor-
" diter raptatus, varias plagas excepit, cùm ab his qui stabant in proximo, qui nihil eius
" ætatem reuerentes, manibus pedibusq́ue in illum contumeliosè insultabant: tum ab il-
B lis qui longius erant remoti, qui, quod singuli habebant in manibus, illud in illum con
" iecerunt: id q́ue propterea, quòd omnes permagnæ culpæ & impietatis loco ducebant,
" si quisquam petulanter illum insectari vlla ex parte omitteret. nam deorum suorũ cau-
" sam ita se vindicaturos arbitrabantur. Ille vix iam spiritum ducẽs, in carcerẽ coniectus
" fuit: ac biduo pòst efflauit animam. Ibi verò singularis Dei prouidẽtia apparuit, & insi-
" nita Iesu seruatoris misericordia patefacta est: quę sanè talis fuit, qualis quidem rarò in-
" ter fratres Christianos contigisset, à diuina tamen Christi virtute ac potentia non om- *Confessionẽ renunciantiũ deterior, quã in eadem cõstanter perdurãtiũ cõditio.*
" ninò aliena. Nam qui, vt primùm erant cõprehensi, fidem inficiati fuissent, nõ modò in
" carcerem cum cęteris condebantur (nihil enim illis, vt tempus ferebat, negatio attulit
" adiumenti) verùm etiam suppliciorũ eorundem erant facti participes. atq; sicut illi qui
" ingenuè fatebantur se esse quod erant, nullo alio crimine obiecto nisi quòd Christiani
" essent, tradebantur in custodiam: sic isti qui fidẽ pernegarant, de reliquo in carcere tan-
" quam homicidę & scelerati detinebantur, duplo grauiore cruciatu & angore quàm cę-
" teri, afflictati. illos enim subleuabat lætitia ex martyrio percepta, spes promissorum,
" charitas in Christum, sacer Patris spiritus: hos magnum & graue conscientię pondus
" admodum vexabat, vsq; adeo vt dum per hominum frequentiam palàm gradiebantur, ipso vultu ab omnib. alijs facilè internoscerentur. Illi enim hilares in publicum pro-
" gressi sunt, in quorum vultu decor quidam gratia & venustate multa aspersus enituit,
" sic vt vincula etiam, quibus velut sponsa aurearũ fimbriarum varietate decorata, mi-
" rè erant illustrati, egregium quẽdam ornatum illis adiecisse viderentur: tam suauem
" item & fragrantem ex ipso Christo egredientem efflarunt odorem, vt nonnullis artifi-
" cioso quodã vnguento & manu composito delibuti putarentur. Hi autẽ demissi, abie-
" cti, aspectu horridi, turpi ignominiæ labe deformati, à gentilib. porrò velut ignaui affœ-
" minatique, probris contumeliosè affecti: ac denique cũ honoratum, gloriosum & salu-
" tare nomen Christi amisissent, perinde ac si homicidij rei fuissent, homicidæ iam appel-
" lati. Ista vbi cæteri coràm aspexissent, magnoperè roborati erãt, & animo constabiliti.
" Qui enim prehẽdebantur, omni memoria diabolicæ cogitationis ex animo depositа,
" absque hæsitatione fidem suã profitentur. Istis porrò, paucis verbis obiter interiectis,
" rursus quæ sequuntur adiungunt. His igitur rebus confectis, de reliquo martyria, quæ
" in ipsorum vitæ exitu sufferebant, in quæq́ue suppliciorum genera dispertiebantur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Siquidem vnam coronam beati martyres, ex vniuersis & varijs cuiusque generis floscu-
lis contextam complicatamque, Deo patri obtulerunt. Quocirca par erat, generosos &
insignes Dei athletas, vbi multiplex & varium martyrij certamen subierant, illustrem-
que ab hostibus reportarânt victoriam, præclara immortalitatis corona decorari. Ma-
turus ergo, Sanctus, Blandina, & Attalus, die cum bestijs dimicandi in nostrorum ho-
minum cruciatum de industria præstituta, ad bestias ducebantur, quò publicum & cõ-
mune gentilibus spectaculum, plenum inhumanitatis & sæuitiæ, exhiberent. Atque
Maturus & Sanctus in amphitheatro omne genus tormentorum denuò subeunt, per-
inde ac si nihil cruciatus antea fuissent omninò perpessi: imò verò vt athletę, qui modò
aduersarium per varias certaminum vices strenuè profligassent, & pro corona vitę ipsis
proposita, postremũ iam certamen haberent in manib. ad conficiendum, de integro tũ
verberum traiectiones, quib. homines illic plecti solent, sustinent: tum crudeles ferarũ
tractus, tum alia omnia cruciamentorum genera, quæ insana & furiosa plebs alij aliun-
de cũ vociferatione illis infligi postulabãt, tum ferreas deniq; cathedras & ignitas illo-
rum mẽbris suppositas, quibus corpora miserè frixa & exusta erant. & quanquã gentiles
pestifero illorum nidore non absq; molestia saturabantur: tamen ne ea quidẽ re deter-
riti, ab insania sua desistunt, sed pergunt adhuc magis magisq; furere: quandoquidem
illis in optatis erat, eorum patientiã prorsus euincere. Cæterùm ab ipso Sancto nihil a-
liud elicere poterant, præter illam vocem, quam ab initio de fidei suæ confessione pro-
1. Cor. 4. ferre consueuissent. Isti aũt martyres, quoniam in hoc ingenti certamine vita adhuc in i-
psis residebat, singularium certaminum loco, quæ magna cum varietate ibi fieri sole-
bant, illo die spectaculum vniuerso populo præbentes, ad extremum securi percutiun-
Bladina bestijs frustra obiecta. tur. At Blandina trabi lignææ sublimis affixa, præda bestijs incursantibus obijcitur: quæ
quoniã & in crucis specie suspensa cernebatur, & ardenter preces fundebat, magnã con-
certantium mentibus alacritatẽ iniecit: quippe in ipso certamine, ex sorore cruci suffi-
xa, ipsum Christum, qui pro nobis crucifixus est, oculis corporeis quodammodo vide-
bant: vti credentibus in illum pro certo persuaderetur, quòd qui pro eius gloria quic-
quam perpetiatur, hæreditatis sit cum Deo viuente consors & particeps futurus. Ac cũ
nulla bestia eius carnem tangere vellet, à trabe mox abrepta, in carcerem iterum trudi-
tur, & ad aliud reseruatur certamen: vt per varia concertationum genera victrix facta, B
tum tortuosum serpentem condemnationi, quam ab se auertere non posset, iurè addi-
ceret, tum fratres pariter ad constantiam incitaret: quæ licet humilis, imbecillis, & pro-
pè abiecta virgo esset, armatura tamen Christi fortis athletæ indutâ, non solùm per
multas cruciamentorum vices aduersarium superauit, verùm etiam per illustre illud
* Ruff. ca. 3. Attalus ad martyrium producitur. certamen coronam immortalitatis tandem assecuta est. * Attalus item, clarus & ma-
gni nominis vir, importuno multitudinis rogatu ad supplicium euocatus, ob rectè fa-
ctorum conscientiam (siquidem ingenuè in Christiana institutione & disciplina exer-
citatus, fidelis semper apud nos & constans veritatis testis extitisset) alacri animo certa-
men ingreditur. Ac cùm vndique per amphitheatrum circumduceretur, tabula, in qua
Attalus ob ius ciuitatis Roman. in carcerem retrusus vacillantes in fide confirmat. Latinis literis hæc inerat inscriptio (Hic est Attalus Christianus) illum præcedente, cum
que in eum admodum petulanter populus insultaret, præses, vbi Romanum esse didi-
cisset, mandauit vt in carcerem denuò cum reliquis qui in eodem erant, concluderetur:
de quibus literas ad Cæsarem scripsit, eiusque expectauit de illis sententiam. Tempus
verò quod interea intercedebat, illis quidem neque ociosum, neque infrugiferum fuit:
sed per mortem eorum dilatam, immensa Christi clementia, quasi lumen suum propa-
Ezech. 18. làm profudit. Nam inter mortua ecclesiæ membra, viuorum subsidijs fuerunt ad vitam
reuocata: & qui fidem confessi fuissent, ijs qui eandem pernegassent, magna beneficia
detulerunt. atque adeò permagna lætitia matri & virgini Ecclesiæ exorta est, cùm eos
quos ab ortu tanquam mortuos eiecisset, viuos & incolumes recuperasset. Illorum e-
nim hortatu & exemplo complures qui fidem negassent, erant tanquã in vtero matris
Ecclesiæ iterum concepti, iterũ in membra formati, iterum ad vitam reducti, iterum de
niq; ad fidem suam confitendam perdocti. Atq; cùm ad vitam essent restituti, & virib.
confirmati, suauitatem Dei (qui non vult mortem peccatoris, sed pro sua benignitate
eum ad pœnitentiam inuitat) animis haurientes, ad tribunal sponte accedunt, vt iterũ
Cæsaris rescriptum de supplicio Christianorum. à præside de fide denuò rogarentur. Nam cũ Cæsar responsum per literas misisset, illos
qui fidem Christi confiterentur, tympanis esse torquendos: hos autem qui eandem in-
ficiarentur, in principio mercatus (qui hic celebrari solet, quique est propter frequẽ-
tiam hominum ex omnib. eò gentibus commeantium, multorum sermone nobilita-
tus) liberos dimittendos: præses beatos martyres, tanquã spectaculũ & gloriosam pom
pam de illis multitudini prestaturus, ad tribunal deduci iubet: iterũ in quæstionem vo-
cat:

A cat: datque sententiam, vt qui municipes Romani essent, securi percuterentur: reliqui
„ autem amandarentur ad bestias. Christi verò gloria in his qui antea fidem abnuerant,
„ tunc tamen præter gentilium opinionem eandem ingenuè confitebantur, magnoperè
„ illustrata fuit. Etenim illi cũ priuatim in quæstionem dati essent, quasi pro certo absol-
„ uendi: tamen se Christianos verè confitentes, martyrum choro adijciebantur. Alij au- *Pseudochri-*
„ tem falsi Christiani à fide penitùs lapsi, qui neque vestigium aliquando fidei, neque sen- *stianorum de-*
„ sum & significationem vestis sponsalis, neque cogitationem timoris Dei in animis insi- *fectio.*
„ dentem habebant: sed per nequam eorum conuersationem, viam veritatis contume- *Matth. 22.*
„ lijs affecerant: hoc est, filij perditionis, foris extra Ecclesiam permanserunt: cæteri vni-
„ uersi fuêre in Ecclesiam denuò ascripti. De quibus cùm haberetur quæstio, Alexander *2. Pet. 2.*
„ quidam genere Phryx, arte & scientia medicus, multis annis in Gallia commoratus, o- *Alexander*
„ mnibus ferè propter charitatem erga Deum & liberam in verbo prædicando alacrita- *Phryx medi-*
„ tem cognitus (non enim doni & muneris Apostolici expers erat) cùm astaret tribuna- *cus. eiusdem-*
„ li, & illos fratres nutu ad fidei confessionem hortaretur (ijs qui vndique tribunal cir- *que martyrio.*
„ cumsistebant, videbatur tanquam parturiens) populi multitudo confessionem eorum
„ qui antea inficias iuissent, ægrè ferens, contra Alexandrum, tanquam eius rei caput &
„ authorem, vociferari cœpit. Vbi verò præses instabat, sciscitaturque quis nam esset:
„ respondet, se Christianum esse. Vnde præses ad iracundiam prouocatus, illum condem
„ nat ad bestias. Postero autem die eandem cum Attalo dimicationem (præses enim, quò
„ populo gratificaretur, Attalum denuò bestijs obiecit) Alexander ingreditur. Hi duo in *Attalus & Alexander bestijs obiecti.*
„ amphitheatro omnes machinas ad eorum cruciatum excogitatas, tanquam præterue-
„ cti, maximumque certamen perpessi, ad extremum gladio feriuntur. Alexander autem
„ neque ingemuit, imò verò ne gry ore extulit: sed interiore mente & cogitatione, quasi
„ cum Deo sermones contulit. Attalus, vbi in ferrea cathedra iam candenti esset imposi- *Attali mar-*
„ tus, & eius incẽdio ambustus, quãdo nidor & fumus è corpore in sublimi ferebatur. La- *tyrium & Alexandri.*
„ tino sermone multitudinem sic affatus est: Ecce ecce, hoc quod vos præstatis, est homi-
„ nes vorare. Nos quidem neque voramus homines, neque aliud quicquam sceleris pa-
„ tramus. Rogatus tandem, quod nomen Deus haberet? respondet: Deum nomen non
„ habere, more hominum. Quibus omnibus confectis, postremo die singularium certa- *Blandinæ & Pontici martyrium.*
B minum aduentante, Blandina, & adolescens Ponticus, circiter quindecim annos natus
(hi autẽ quotidie introducebantur ad reliquorum supplicia contemplanda) in amphi-
„ theatrum inferebantur, vrgebanturque per gentilium idola iurare. Ac quoniam illi
„ perstabant constantes, & ea despicatui ducebant, væsana multitudo contra illos asperè
„ & ferociter sæuiebat, adeò vt neque adolescentuli commiserarentur ætatem, neque mu
„ lierem omninò reuererentur. Omnibus igitur tormentis eos obiectare, & per quoduis
„ supplicij genus vndique agitare cœperunt: & sine intermissione nunc hanc, nunc illũ,
„ per ipsorum deos iurare impellebãt. Cæterùm hoc nullo modo poterant efficere. nam
„ Ponticus, qui ita à sorore erat exũscitatus, vt gẽtes eam esse animaduerterent quæ illum
„ cohortata fuisset, confirmassetq;, post omnia cruciamentorum genera viriliter & ma-
„ gno animo tolerata, extremum spiritum edidit. Beata Blandina omnium postrema, *Blandinæ cõ-*
„ tanquam nobilis & generosa mater, vbi liberos animauerat ad pœnam, & victo- *stantia.*
„ res ad Christum regem præmiserat, ipsa eosdem cum liberis certaminum cursus re-
„ mensa, ad eosdem lætitia gestiens, ac de ipso vitæ suæ exitu permagno gaudio exul-
„ tans, properabat: non quasi ad bestias crudeliter proiecta, sed ad cœnam sponsi amicè
„ inuitata. Atque post verbera, post bestiarũ laniatus, post sartaginis exustionem, ad ex-
„ tremum in rete inuoluta, tauri ictibus obiectatur. Quæ cũ ab animali illo diu multum-
„ que icta exagitataque fuisset, ac nullum sensum cruciamentorum, quæ hactenus ei ob-
„ tigissent, partim propter spem qua Dei promissis firmè adhæresebat, partim propter
„ colloquia quæ intra se cũ Christo cõferebat, omninò haberet, tandẽ ense iugulata fuit.
„ Vnde gentes ipsæ palã testabantur, mulierẽ apud se nunquã tot tamq; acerba tormenta, *Sæuitur in*
„ tam cõstanter pertulisse. Verùm eorum rabies & crudelitas in sanctos nõ ita exaturata *corpora mar-*
„ fuit. Nam ab immani & furiosa bellua, diabolo, immanes illæ & barbaræ gentes exagi- *tyrum.*
„ tatæ, vix, aut ne vix quidem à furore suo aliquando acquieuerunt: imò verò in corpo-
„ ribus martyrum suam de integro contumeliam cœperunt & maleuolentiam exercere.
„ Nam quamuis martyrum constantia penitùs essent superatæ, tamen quia omnem hu-
„ manam rationem omnino exuissent, illorũ amentia minimè fuit retardata, repressaq;:
„ sed acerba bilis cùm præsidis, tum populi, (qui quidem in nos lethale odij sui virus euo- *Apocal. 22.*
„ mebant) tanquã immanis belluæ magis magisq; incensa, sic vt Scriptura verè implere-
„ tur: Impius adhuc impiè agat, & iustus iustificetur adhuc. Etenim corpora eorũ quos
„ carceris pestifer odor & cruciatus suffocauerat, canibus laceranda obijciunt: studioseq;

nocte

Universidad de Deusto
Biblioteca

nocte dieq; obseruant, ne quisquam è nostris illa tumulis mandet. Tandem verò mar- A
tyrum in amphitheatro interfectorum membra, quæ nec bestiæ adhuc vorarant, nec "
ignis absumpserat, partim minutatim dilaniata, partim instar carbonũ ambusta, quin- "
etiam securi percussorũ capita vnà cũ corporum truncis collecta, dies complures simi- "
liter militum excubijs insepulta custodiunt. Porrò alij fremere, & dentibus contra eos "
frendere cœperunt, toto animo connitẽtes aliquã grauiorem in ea exercere contume- "
liam. Nonnulli irrisione ludere, & falsos cachinnos tollere, summaq; commendatio- "
ne & præconio idola sua efferre: quibus quidem tanquam authoribus, pœnam & vltio- "
nem Christianorum acceptam retulerunt. Non pauci, quanquam factis aliquanto mo "
destiores erant, & de illorum afflictatione aliquantum condolescere videbantur, ver- "
bis tamen eos acerbè vexare, ad hunc modum: Vbi iam illorum Deus? Quid illis hæc "
profuit religio, quam suæ ipsorum vitæ præposuerunt? Quæ ad gentilium crudelitatem "
pertinebant, talem habebant varietatem. Quæ autem ad nos, videbantur sanè magnum "
mœrorem propterea in se complecti, quòd martyrum corpora humo tegendi nulla "
dabatur facultas. Neque enim nox ad hanc rem aliquid afferre præsidij, neq; magna pe- "
cuniæ vis eorũ animos flectere, neque preces vlla ex parte placare poterãt: sed nulla nõ "
ratione & via corpora illa erant assiduè ab illis obseruata: & id quasi in magno lucro "
deputatum, si penitùs inhumata iacerent. Paulò pòst etiam ista addunt: Martyrũ cor- "
pora sex dies continuos sub dio iacentia, & maxima ignominia affecta, pòst autem ab "
impijs illis & facinorosis carnificibus exusta, inque cineres redacta, in Rhodanum flu- "
uium, qui illic in proximo defluit, spargebantur, quò nullæ quidem illorum reliquiæ "
amplius super terram restarent. Ista eo consilio patrabant, quòd Deum se posse vin- "
cere, & illis regenerationem corporum prorsus eripere arbitrati sunt, quò ne vlla qui- "
dem (sic enim dicebant) spes resurrectionis illis reliqua fieret: qua freti, inquiunt, non "
solùm peregrinam quandam & nouam nobis induxerunt religionem, verùm etiam "
neglexerunt penitùs tormenta, & prompto atque alacri animo ad mortem properâ- "
runt. Iam videamus, vtrum sint resurrecturi, & vtrum illorum Deus ipsos iuuare, & è "
manibus nostris eripere possit. Eiusmodi persecutionis tempestas, regnante Imperato- "
re (de quo docuimus) istis Christi ecclesijs obtigit. Vnde certè, quænam fuerint in reli- B
quis prouincijs eodem tempore factitata, coniectura assequi poterimus.

Probra gentilium in Christianos.

Martyrum corpora in cineres redacta, cineres ipsi in Rhodanũ abiecti.

Quomodo Sancti Martyres, lapsos in persecutione humaniter excipiendo medebantur.

CAPVT II.

ILlas item voces ex eadem Epistola depromptas, in hunc sermonem includere operępræcium arbitramur, quibus modestia & singularis martyrum (quos di- "
ximus) benignitas hoc ferè modo descripta sit. Isti verò ipsius Christi (qui cùm † in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo: † sed sei- "
psum exinaniuit, formam serui accipiens) tam verè æmuli & imitatores erãt, vt quãuis "
in tali gloria & splendore locarẽtur, & nõ semel & iterum, sed sæpius, vt martyres de- "
cet, pro fidei cõfessione acerba tormenta perpessi, bestijs obiecti, ab eisdẽ denuò ablati, i- "
gnito ferro exusti, vibicib. liuidi, vulneribus vndiq; inflictis excruciati: nõ tamen se ipsi "
martyres esse prędicarẽt, neq; cuiquã nostrũm copiã facerent illos eo nomine appellan- "
di: sed si quisquã nostrũm eos vel per literas, vel per sermonẽ, vt martyres, fortè saluta- "
uisset, grauiter eũ reprehenderẽt. Libẽter enim martyris appellationẽ Christo, fideli & "
vero martyri, primogenito mortuorũ, duci & authori vitę quę est ex Deo, cõcesserant: "
martyrũ etiam qui iã ad Christum ex hac corporis custodia migrauissent, nos nõ grauա- "
tè in memoriã redegerunt, dixeruntq;: Illi iam verè sunt martyres, quos Christus pro- "
pter fidei confessionem ad se recipere dignatus est, & quorũ martyrium ipso præclaro "
vitæ exitu tanquã sigillo certissimo obsignauit. Nos aũt tenues solũ & abiecti Christi no "
minis confessores atque fratres obsecrabant cum lachrymis, vt preces pro illis arden- "
ter & obnixè Deo funderent, quò ipso discessu è vita opus, quod Deus tam benignè in "
illis incœpisset, cumulatè expleretur. Et quamuis non modo libera responsa gentilib. "
dando, sed etiam patientia, magnanimitate, fidenti animi robore, cõtra omnes crucia- "
tus, se generosos ac strenuos palã ostendendo, vim & virtutem martyrij perspicuè decla- "
rassent: tamen timore Dei referti, martyrum appellationem, qua fratres illos donare "
voluissent, ab se repellere studebãt. Et iterũ paucis verbis interiectis, sequuntur ista. Hu- "
miliauerunt se sub manu potenti, qua iam satis exaltati sunt. Dum in vita manebant, "
defendere omnes, neminem accusare: omnes è vinculis eripere, colligare neminem "
conaban-

Modestia martyrum laudẽ martyrij auersantium.

† *Vide hic annot. pagin. 48. lat. 1. lin. 10.*

Martyrum erga suos persecutores beneuolentia.

A conabantur. Pro illis qui supplicia eorum corporibus inflixerant, exemplum Stephani *Actor. 7.*
" perfecti martyris imitati, benignè orare, dicentes: Domine ne statuas illis hoc peccatũ:
" Quod si pro eis qui ipsos tam contumeliosè torsissent, precabantur, quanto magis pro
" fratribus idem ipsum præstiterunt? Hæc item paulò longius sermonem producentes,
" adnectunt. Grauissimum autem bellum ab illis, propter ingenuam erga fratres charita- *Martyrũ erga fratres charitas.*
" tem, cum ipso diabolo ideo susceptum erat: quòd tantoperè nitebantur, vt voracem
" illius tanquam malæ bestiæ gulam stringendò, eos viuos denuò euomere cogerent,
" quos prius tanquam mortuos se penitùs deuorasse putauerat. Non enim illi fratrum
" imbecillorum lapsũ gloriabantur: sed quæ dona ipsis per Dei gratiam affatim suppete-
" bant, alijs qui maioris opis indigerent, benignè largiebantur: atque adeò velut matris
" indulgentis misericordia commoti, multas lachrymas pro eorum salute in conspectu
" Dei patris profundebant, vitam illis flagitabant: vitam concessit Deus: vitã etiam cum
" proximis communicârunt: victores in omnibus ad Deum profecti sunt: pacem am-
" plexati, pacem nobis commendârunt: cum pace denique ad Deum decesserunt: non
" matri Ecclesiæ molestiam & angorem, non fratribus bellum & seditionem, sed gau-
" dium, pacem, concordiam & charitatem reliquerunt. Ista igitur de beatorum illorum
martyrum amore, quem erga fratres qui fide excidissent, declarabant, ad legentium v-
tilitatem hoc loco posuimus, quò inhumanus & crudelis animus eorum qui deinceps
erga debilia Christi membra in aliquod peccatum delapsa, tam inclementes & ferreos
seipsos ostendebant, perspicuè coarguatur.

Qualis à Deo viso Attalo martyri per quietem apparuerit.

CAPVT III.

Huc refer Nicephor. cap. 18. li. 4.

EAdem porrò epistola de Martyribus suprà memoratis perscripta, aliam et- *Ciborum defectus Alcibiadi neglectus.*
" iam historiam dignam planè memoria continet: quam isto loco, quò à le-
" ctoribus cognoscatur, citare nõ grauabimur. Ea huiusmodi est. Alcibiades,
" vnus ex illorum martyrum numero, vitam admodum duriter & austerè
" instituens, nullum omninò ante illud tempus cibum capessere, sed pane so-
" lo & aqua vti solet. Qui cùm in carcere eodem modo vitam degere in animo haberet,
" Attalo post primum certamen quod in amphitheatro confecerat, indicatum est, Alci-
" biadem parum considerate fecisse, cùm & Dei creaturis ipse vti nollet, & alijs etiam in-
" de quoddam offensionis exemplar relinqueret. Alcibiades igitur à fratribus tandem
" persuasus, omnia cibaria deinceps absque delectu capessebat, & gratias agebat Deo. Nõ
" enim diuina gratia istos suo benigno obtutu destitutos reliquerat: sed Spiritus sanctus
" illis semper præsto dabat consilium. Ista isto modo sint exposita. Cùm Montanus, & *Montanus, Alcibiades, Theodotus prophetæ.*
Alcibiades, & Theodotus in Phrygia iam tum prophetandi opinionem apud complu-
res adepti fuissent (permulta enim diuina gratia largiente miracula operaque stupenda
ad illud vsque tempus per varias ecclesias edita, fidem multis faciebant, illos etiam do-
num prophetiæ fuisse consecutos) cũq; de istis hominibus cõtrouersia orta esset: fratres
rursus, qui in Gallia habitabant, priuatum iudicium, idque prudens & rectum cumpri-
mis, de eisdem, epistolæ, quam diximus, subiunxerunt: nonnullasque ac varias marty-
rum literas, qui apud ipsos mortem oppetebant, quas cùm adhuc tenerentur in vincu-
lis, non modò fratribus in Asia & Phrygia, verùm etiam Eleuthero episcopo Roma-
no (quem vehementer rogabant, vt pax & concordia in ecclesijs constitueretur) exara-
bant, eidem epistolæ adiecerunt.

Quomodo Martyres Irenæum per epistolam commendauerint.

CAPVT IIII.

Huc refer Nicephor. ca. 13. 14. 15. lib. 4.

IDem porrò martyres Irenæum, ecclesiæ Lugdunensis id temporis presbyterum, per literas eidem episcopo Romano scriptas, plurimùm commẽdabant: permul- ** Ruff. ca. 4. Irenæus presbyter Lugdunensis à martyrib. Galliæ cõmendatus Eleuthero Pontif. Rom.*
taque viro illi virtutis dabant testimonia, sicut ipsa literarum verba declarant
ad hunc modum. * Te in Deo omnib. in rebus perpetuò, pater Eleuthere, valere opta-
" mus. Has literas ad te perferre fratrem nostrum Irenæũ, & ministerij consortem, roga-
" uimus: teq; obsecramus, vt illum, vtpotè studio incredibili erga testamentum Christi
" flagrantem, gratia & beneuolentia præ cæteris complectaris. Quod si locum & gradum
" ecclesiastici ministerij vim & facultatem habere, iusticiæ cuiquam impertiendæ
" animaduerteremus, hunc vt presbyterum Ecclesiæ (hoc nanq; munus obtinet) in pri-
mis tibi commendassemus. Verùm quid attinet martyrum catalogum in eadem, quã
citauimus, epistola comprehensum recensere? qui partim capite obtruncato occubue-
runt, partim bestijs dilacerandi, proiecti fuerunt, partim in ergastulum concluſi vitam
amise-

Universidad de Deusto
Biblioteca

amiserunt? Quid item numerum confessorum commemorem, qui ad id temporis fuêre superstites? Perfacilè enim (si cui visum fuerit) licet ista plenissimè cognoscere, modò illam epistolam, quam in libro nostro de martyribus, vt dictum est, posuimus, accuratè voluerit euoluere. Sed de rebus Antonino regnante gestis, ita à nobis explanatum sit.

Eusebij liber de martyrib.

Quomodo Deus auditis nostrorum precibus, M. Aurelio Cæsari pluuiam de cælo miserit. CAPVT. V.

Ruff. cap. 5. M. Aurelius Cæsar, Antonini frater.

ANtonini fratrem M. Aurelium Cæsarem, fama est, contra Germanos & Sarmatas aciem instruentem, cùm exercitus illius ingenti siti opprimeretur, omninò nō habuisse quid ageret. Vnde milites in ea legione quæ Melitina appellabatur (quæ sanè ab illo tempore ad hanc nostram ætatē magnopere propter fidem commendata est) in ipsa acie contra hostes instructa, genibus humi positis (vt nobis, cùm oramus, in more est) se ad preces Deo adhibēdas totos conuertisse dicuntur. Ac dum hostes eiusmodi spectaculum magnoperè mirabantur, aliud quoddam multò admirabilius, statim insecutum fertur. Fulmen enim hostes in fugam vertisse, cosque interemisse: & imbrem in exercitum eorum qui diuini numinis opem implorauerunt, de cælo affatim ruentem, eum vniuersum (qui parum aberat quin præsiti intolerabili iam extingueretur) refecisse, recreasseque. Eadem historia apud gentiles scriptores, qui longè à nostra religione dissentiunt, quique laborem cœperunt ea quæ illis temporibus gerebantur literis persequendi, commemoratur. Cōmemoratur etiam à nostris: sed à gentilibus scriptoribus, vtpotè à fide alienis, quanquā miraculum illud ponitur, tamen quòd nostrorum hominum precibus euenerit, ex eorum scriptis minimè certè constat: at à nostris, vtpotè veritatis fautoribus, simplici quadam oratione, & minimè fucata, res verè, vt edita fuit, explicatur. Ex quorum numero est & Apolinarius: qui affirmat, legionem, cuius precibus miraculum edebatur, latino sermone Fulmineam vsque ab illo tempore appellatam: illudque nomen rei euentum scitè exprimens, ab Aurelio Cæsare ei tributum: & Tertullianus quoque in Apologia, quam suprà citauimus, Latinis literis pro fidei nostræ propugnatione conscripta, Senatui que Romano dedicata, istarum rerum testis fidelis & locuples est, hancque historiā certiore argumento & longè euidentiore cōfirmat. sic enim scribit. De tot exinde principibus ad hodiernum, diuinum humanumque sapientibus, edite aliquem debellatorē Christianorum. At nos contrariò edimus protectorem. Si literæ M. Aurelij grauissimi imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim, Christianorum fortè militum precationibus impetrato imbre discussam contestatur, sicut omnino palàm ab eiusmodi hominibus pœnam dimouit: ita alio modo palàm dispersit, adiecta etiam accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. † Quibus idem author ista adiungit: Quales ergo truces leges istæ, quas aduersus nos soli exercent impij, iniusti, turpes, dementes, vani? Quas Traianus ex parte frustratus est, vetando inquiri Christianos. Quas nullus Adrianus, quanquam curiositatum omnium explorator: nullus Vespasianus, quanquam Iudæorum debellator: nullus Pius, nullus Verus impressit. Sed ista, vt lubet. Nos ad historiam deinceps veniamus.

Melitina legio.

Pluuia Christianorū militum precib. impetrata. Vide Suidam, Dionem, & Claudianum.

Fulminea legio. Tertul. in Apologetico ca. 5. etiā in li. ad Scapulā, de fuga in persecutiōe. Hic verba ipsius Tertull. citaui, nō græca conuertii.

Huc refer Nicephor. cap. 12. li. 4. Orosium lib. 7 ca. 15. Iulium Capitol. in Marcophilos. Eutropiū lib. 8. † Diui fratres huius beneficij memores non modo persecutionem Christianis remiserūt, sed etiam religionē confirmārunt, & res pub. ad itū patefecerūt promulgata cōstitutio. B ne, cuius mentionē facit Vlp. l. generaliter. §. fin. ff. De decuri. Eis inquiēs, qui Iudaicā superstitionē (Christianā professionē intelligē) sequūtur. Diui Verus & Antoninus honores adipisci permiserūt. Sed & necessitatē eis imposuerūt, qui superstitionē eorum non læderent. * Huc refer Nicephor. ca. 14. 19. lib. 4. Irenæus lib. contra hæres.

Enumeratio Romanorum Episcoporum. CAPVT VI.

Ruff. cap. 6. Potinus mors. Irenæus Lugdunens. episc. eius successor Polycarpi auditor

VIm* Potinus vitæ suæ cursum ad nonaginta annos produxisset, & vnà cū alijs in Gallia martyribus è vita migrasset: Irenæus ecclesiæ Lugdunensis episcopatum, quem Potinus gesserat, capessit. Hunc ineunte ætate, Palycarpi auditorem fuisse cognouimus. Qui in tertio libro operis sui contra Hæreses editi, dum Rom. Pontificum successionem tradit, eorum etiam catalogum ad Eleutherum vsque (vnde licet conijcere, illud ipsum opus ipsius Eleutheri memoria, cuius tempora iam percurrimus, ab eo compositum esse) recenset ad hunc modum. Beati Apostoli, vbi fundamenta Ecclesiæ præclarè posuerant, & eam prouidè sapienterque exædificauerant, Lino Pontificatus ministerium concrediderunt. Huius Lini meminit Paulus in epistolis ad Timotheū. Cui successit Anacletus. Post cuius mortem tertio loco ab Apostolis Clemens Pontificatum sortitò capit: qui & beatos Apostolos oculis viderat, & cum illis de fide communicauerat, & Apostolorum adhuc prædicationem recenti tenebat memoria, eorumque traditiones propè in conspectu & ante oculos positas habebat. Neque ille solus. nam id temporis multi ab Apostolis eruditi, etiam superstites erant. Clemente Pontificatum gerente, seditio non exigua illa quidem, inter fratres Corinthi excitata fuit: vnde ecclesia Romana epistolam scriptam accura-

Rom. episcopōrū catalogus, ex Irenæo.

A curatissimè eò misit, qua illos cùm ad pacem cohortata est, tum pristinæ eorū fidei memoriam renouauit, tum denique traditionem nuper ab Apostolis acceptam ante oculos proposuit. Paulo post idem sic loquitur' Clementi huic successit Euarestus, Euaresto Alexander: deinde Xystus pontifex ab Apostolorum temporibus sextus constituitur. Quo mortuo, Telesphorus delectus est, qui præclarè & generosè martyrium subijt. Tum Hyginus: deinde Pius: post Anicetus illo munere potiebatur: Soter Aniceto proximè succedit. Iam duodecimo loco ab Apostolis Eleutherus pontificatus ministerium obtinet. Vnde traditio in Ecclesia ab Apostolis gradatim deriuata, & syncera veritatis prædicatio eodem ordine, eadem episcoporum successione in Ecclesia ad nostram vsq; ætatem continuata est. Hæc Irenæus, admodum congruentia cum serie historiarum, quæ superiore nostro sermone percursæ sunt, conscripsit, in libris illis (sunt autem quinque numero) quos de Falsæ doctrinæ refutatione inscripsit.

Irenæi contra Hæreses libri quinque.

Quomodo ad ea vsque tempora, per fideles admirandæ virtutes edebantur. CAPVT VII.

Huc refer Niceph. c. 23. lib. 4.

IDem porrò Irenæus in Secundo Libro eiusdem operis, clara diuinæ & admirabilis virtutis indicia in ecclesijs quibusdā ad suam ætatem residua fuisse, his ferè verbis perspicuè commonstrat' Plurimum abest, vt heretici possint mortuū suscitare: sicut Dominus ipse, sicut eius Apostoli, prædicationis subsidio adiuti, sicut alij è fratribus complures suscitârunt. Sæpenumero autem aliqua de caussa necessaria illud ipsum postulante, spiritus mortui (propterea, quòd tota Ecclesia illius loci, vbi eiusmodi res gerebatur, cum ieiunio, & multa intercessione Deum orabat) in corpus redijt, & hominis vita sanctorū precibus donata est. Rursus paululum in oratione progressus, sic ait: Quòd si Dominum non reuera quidem, sed oculos hominū, quasi visis perstringēdo, ista edidisse dixerint: illos ad Prophetarum libros deducemus, ex illisq; ostendemus perspicuè, omnia de illo ad eum modum & prædicta esse, & verè post euenisse, & eum solum Dei filium esse. Quapropter, qui verè sunt eius discipuli, in nomine illius per gratiam ab illo acceptam eiusmodi præstant, quo reliquis hominibus B gratificentur, sicut quisque eorum ab eo donum acceperit. Quidam enim dæmones sic pro certò & verè ejciunt, vt non rarò hi, qui malis & nequam spiritibus purgati fuerint, tum fidem recipiant, tum in Ecclesia & fidelium hominum societate constanter perseuerent. Nonnulli rerum futurarum præscientia, diuina visione & prædictione prophetica imbuuntur. Alij eos, qui grauibus morbis afflictantur, per manuum impositionem curant, & ad pristinam valetudinem restituunt. Iam verò, vt diximus, mortui suscitati sunt, & multos annos post apud nos commorati. Quid plura? Dona sanè ne dicēdo quidem numerari poterunt, quæ Deus Ecclesiæ per vniuersum mundum diffusæ donauerit, quibusq; illa in nomine Iesu Christi sub Pontio Pilato crucifixi, in dies singulos multa miracula ad gentium vtilitatem efficit, & neque quenquam dolo & fallacijs deludit, neq; hæc agit pecuniæ cupiditate, aut quæstu ducta. Nam sicut à Deo accepit gratuitò, sic cuiq; gratis subministrat. Alio loco idem author scribit' Multos fratres in Ecclesia ipsi audiuimus, qui & dona prophetiæ habent, & varijs linguis per Spiritus sancti gratiam loquuntur, & occulta hominum in apertum proferunt ad aliorum commoditatem, & mysteria Dei perspicuè & euidenter aperiunt. Ista de varietate donorum, in eorum animis, qui eisdem digni habebantur, ad tempora modò commonstrata residentium, hactenus differuimus.

Ruff. cap. 7. Irenæus c. 57. & 58. lib. 2.

Dona Ecclesiæ à Deo donata innumera.

Quomodo Irenæus diuinarum Scripturarum meminerit. CAP. VIII.

Huc refer Niceph. c. 14 lib. 4.

QVoniam autem in ipso nostri Operis exordio polliciti sumus, nos, prout se offerret occasio, voces veterum ecclesiasticorum presbyterorum & scriptorum proposituros, quibus traditiones de Scripturarum omnium testata consignataq; authoritate approbatarum ad illos delatas declarauerunt (ex quorum numero erat Irenæus) deinceps huius authoris verba ea de re perscripta proferamus: & primùm ea, quæ de sanctorum Euangeliorum libris ab eo posita sunt, quæ ita se habent' Matthæus, dum Petrus & Paulus Romæ Dei verbum prædicabant, & Ecclesiæ iaciebant fundamenta, Euangelium inter Hebræos, proprio illorū sermone edidit. Quo quidem edito, Marcus discipulus & interpres Petri, ea quæ ab eo prædicata acceperat, scriptis mandauit. Lucas Pauli comes, euangeliū ab eo prædicatum, in

Ruff. cap. 8.

Irenæi de Euangelistarum scriptis testimonium. lib. 3. cap. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

librum cõgessit. Deinde Ioannes discipulus Domini, qui supra pectus eius recubuerat, A
dum Ephesi in Asia versabatur, euangelium in lucem extulit. Ista in tertio (quem suprà "
posuimus) libro eiusdem operis explanantur. In quinto autem, de Apocalypsi Ioannis, "
& supputatione numeri nominis Antichristi differit. Cum hæc ita se habeant, & in om "
nibus emendatis atque antiquis exemplaribus Apocalypseos numerus ita positus sit: & "
hi qui Ioannem coràm viderunt, testimonio suo comprobent: & ratio nos idē doceat: "
numerus certè nominis bestiæ secundum Græcorum supputationem per literas quæ in "
eo sunt, continebit sexcenta sexaginta sex. Atque paulò longius sermone prouectus, de "
eodem nomine iterum verba facit. Nos de nomine Antichristi quicquam constanter "
ac pro certo affirmandi periculum subire nolumus. Nam si isto temporis momẽto no- "
men illius palàm esset diuulgandum, non dubium est quin ab eo qui illam vidisset re- "
uelationem, fuisset euidenter explicatum. Non enim longinquo abhinc temporis spa- "
cio, sed nostra propè memoria, sub finem imperij Domitiani visa est. Hæc ab eo quem "
diximus, de Ioannis Apocalypsi traduntur. Prioris etiã epistolæ Ioannis meminit, mul- "
taque ex illa citat testimonia. Pari ratione & prioris Petri. Librum item Pastoris non "
modò legendo cognouit, sed etiam approbatione confirmauit. Præclarè (inquit) loqui- "
tur liber (cum librum Pastoris intelligit) qui sic loquitur: Primùm omnium vnum De- "
um esse credito, qui omnia condidit, omnia coagmentauit: & quę sequuntur. Et quibus- "
dam etiam vocibus ex Salomonis libro de Sapientia petitis ferè ad verbum, hoc modo "
vtitur. Visio Dei est immortalitatis effectrix. Immortalitas autem facit Deo ap- "
propinquare. Libros quoque presbyteri cuiusdam Apostolici, cuius nomen præterit
silentio, memorat: interpretationes etiam eiusdem in literas sacras proponit. Iustini
porrò martyris & Ignatij mentionem facit, atque testimonia ab eorum scriptis deprom
ta citat. Idemq; pollicetur, se libro quodam separatim edito è Marcionis scriptis Marci-
onem ipsum refutaturum. Quinetiam de diuinarum Scripturarũ interpretatione à Se "
ptuaginta edita, audi quæ scribat, his ferè verbis: Deus homo factus est, & ipse Dominus "
nos saluos fecit, signo Virginis rei Achaz dato: at non, vt quidam aiunt, qui Scripturas "
audent interpretatione deprauare, hoc pacto: Ecce adolescentula concipiet, & pariet "
filium: sicut interpretatus est Theodotion Ephesius, & Aquila Ponticus, vterque "
Iudæus proselytus. Quos Ebionæi secuti, ex Ioseph Christum prognatum ferunt. Qui- "
bus non multò pòst ista subnectit. Antequam Romani summum totius orbis obtine- "
rẽt imperium, Asia adhuc Macedonum ditioni subiecta, Ptolemæus Lagi filius magno B
studio incensus bibliothecæ, quam Alexandriæ extruxerat, omnium scriptorum libris "
qui erant accuratè elaborati, exornandæ, postulauit à Hierosolymitanis, vt ipsorũ scri- "
pturas ab Hebraico sermone in Græcum conuersas habere posset. Illi verò (adhuc enim "
Macedonum paruerũt imperio) septuaginta seniores, cùm sacarũ literarũ, tum vtriusq; "
que linguæ inter ipsos facilè peritissimos, ad Ptolemæum, quò illud quod ab eo erat po- "
stulatum, plenè exequerentur, miserunt. Ille autem separatim de illis periculum facere "
cupiens, cautiõne quidem adhibita, ne fortè in vno loco constituti, communi consensu "
veritatem Scripturarum sua interpretatione occultarent, eos ab ipsis mutuò semouit, "
mandauitque vt singuli eundem Scripturæ librum interpretarentur. Atque idem ip- "
sum in omnibus libris præstitit. Tandem verò cum coram Ptolemæo in vnum conue- "
nissent, & suam quisque cum alijs conferret interpretationem, ibi & Dei gloria magno- "
pere erat illustrata, & illæ Scripturæ verè diuinæ propterea cognitæ, quòd singuli inter- "
pretes eas non solum eisdem sententijs, sed eisdem omnino verbis à principio ad finem "
vsque expressissent: adeò vt gentes quæ præstò aderant, illas scripturas instinctu diuino "
explicatas faterentur. Nec mirum sanè est, Deum istud effecisse: qui etiam, cum Scriptu- "
ræ, dum populi Israelitici captiui sub Nabuchodonosor tenebãtur, penitùs interijssent, "
& Iudæi post annos septuaginta in patriam redijssent, deinceps temporibus Artaxerxis, "
Esdram sacerdotem ex tribu Leui diuino spiritus sui afflatu incitauit, vt cùm libros om "
nium Prophetarum qui antegressi fuissent, de integro conscriberet, tum legem à Moy- "
se promulgatam populo de integro restitueret. hæc Irenæus.

Bohemnis Apocalypsi.

Numerus bestiæ in Apocalypsi. Antichristi nomen.

Epistolæ priores Petri & Pauli. Pastoris lib.

Lib. 3. cap. 23. 24. 25.

Esa. 7.

Septuaginta interpretum historia, de qua etiã Iustinus Mart. in παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας, fol. 17. sub fi. uem. Vide autem & Aristæũ.

Scripturæ S. inspiritus per Esdram restitutus.

Quintus liber hinc iam porro vsque ad cap. 8. lib. 6 continet acta sub Commodo, Pertinace, Iuliano, Seuero, annis triginta & vno: Huc refer Iulium Capitolinum, Aelium Spartianum, Aelium Lampridium. Herodianum lib. 1. 2. 3. Eutrop. lib. 8. Oros. lib. 7. cap. 16. 17. Hue adde Vitas Rom. Pontif. Victoris & Zepherini.

Ruff. cap. 9.

Qui episcopi, Commodo regnante, Alexandriæ fuerint.
CAPVT IX.

Cõmodus Imp. Anno Chr. 184. Vide Nicepho. lib. 4. cap. 18.

Iulianus episc. Alexandriæ.

SVm Antoninus decẽ & nouem annos continuos regnasset, Cõmodus imperij gubernacula susçipit. Primo anno eius regni, vbi duodecim annis Agrippinus fuisset Alexandrię episcopatu perfunctus, Iulianus in eius locũ surrogatus est.

DE

De Pantæno Philosopho. CAPVT X.

Huc refer Nicepho. ca. 32. lib. 4.

Ruff. ca. 10.

IAm tempore Pantænus, vir omni humaniore literatura præstantissimus, institutioni Christianorum illic præficitur: quo quidem in loco consuetudine ab antiquis temporibus ducta, sacrarum literarũ schola habebatur, quæ est ad nostram vsque ætatem continuata: quam sanè ab hominibus cum politiore doctrina & eloquentia mirè instructis, tum sacrarum literarum studio probè exercitatis frequentatam accepimus. Pantænus (de quo paulò antè dixi) disciplina philosophorũ qui Stoici appellati sunt, institutus, eodẽ temporis momento cum primis excelluisse traditur. Quem amore ardentissimo erga sacram Scripturã flagrantem, tantum studij in illa propaganda posuisse ferunt, vt præco Euangelij gentibus, quæ Orientẽ incolebant ordinatus, ad Indorum vsque regiones sese cõferret. Erant autem, erant inquam ad id temporis complures verbi prædicatores, & fideles nuncij, qui diuino Apostolorum imitandorum studio inflammati, magna adiumenta cùm ad verbum Dei in animis hominum exædificandum, tum ad idem augendum afferebant. Quorum è numero vnus erat Pantænus ille, quem ad Iudæos perrexisse diximus: vbi (vt fertur) Euangelium Matthæi (quod ante eius aduentum ibi fuerat receptum) in manibus quorundã, qui in illis locis Christũ profitebãtur, reperit: quibus Bartholomæum, vnũ ex Apostolis, prædicasse, illisq; Matthæi Euangelium literis Hebraicis scriptum reliquisse, & illud ipsum ad monstratum tempus reseruatum constat. Iste Pantænus propter multa rectè facta, & virtutes eximias, tandem scholæ illi Alexandrinæ præficitur: qui tum sermone coràm, tum scriptis, diuinorum institutorum & religionis tanquam thesauros hominibus proposuit.

Pantænus, Indis prædicauit Euangelũ

Vide Hieron. in Catalog.

Bartholomæus Apostolus Indis prædicauit Euang.

Matthæi euangelium Hebraicè scriptum, Indi vsurpant.

De Clemente Alexandrino. CAPVT XI.

Huc refer Nicephor. ca. 33. lib. 4.

Ruff. ca. 11.

CLemens gentilis illius Clementis, qui Apostolorum discipulus erat, ac Romanam olim rexerat ecclesiam, temporibus Pantæni, cuius opera in Sacris literis educatus, multumq; exercitatus erat, Alexandriæ hominum fama & commemoratione multum nobilitatus est: qui quidem in libris ὑποτυπώσεων ab ipso compositis, nominatim præceptoris sui Pantæni mentionem facit. Quem etiam in primo libro περὶ προμάτων videtur innuisse, vbi certos quosdam viros Apostolica doctrina (quam ipse ab illis acceperat) cum primis eximios recenset, his verbis: Istud à me iam institutum opus, non est certè opus artificiosè ad inanem ostentationem elaboratum, sed tanquam Commentarius ad obliuionis morbum curandum in summam senectutem repositus, simulachrum planè & adumbratio non modò efficacis illius & plenæ spiritu ac vita doctrinæ, quam mihi concessum est audire: verum etiam beatorum hominum, qui sunt omnium reuera præconijs meritò celebrandi. Quorum vnus Ionicus genere, in Græcia vixit: alter magnam Græciam incoluit: alter in Cœlesyria natus, ibidem commoratus est: alter ex Aegypto oriundus fuit. alij Orientem doctrina euangelica imbuerunt: quorum vnus ex Assyrijs prognatus est, alius in Palæstina antiqua Hebræorum stirpe editus. Et cum demum ipse hominem in Aegypto delitescentem vestigassem, inq; eum postremùm incidissem, qui virtute & doctrina erat re ipsa omnium primus, tandem cum illo conquieui. † Atque isti veram sacrosanctæ doctrinæ traditionem, quam successionis serie ab ipsis vsque sanctis Apostolis, Petro, Iacobo, Ioanne & Paulo deducta, velut filius à patre acceperant, licet pauci numero (pauci enim sunt paribus similes) assiduè conseruantes, ad nostram ætatem vsq; diuina fauente clementia vitam propagarunt, quò antiqua illa & Apostolica doctrinæ prædictæ semina in animis nostris insererent.

Clemẽs fol. 95. lib. 23.

† Curterius addit ex cod. Clemẽtis, quæ desunt hic

Ruff. cap. 12.

De Hierosolymorum episcopis. CAP. XII.

SVb idem tẽpus ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopus Narcissus floruit, multorum ore & sermone ad hanc vsq; ætatem celebratus: qui successionis serie ducta à Iudæorum obsidione, quæ Adriano regnante obtigit, decimus quintus numeratur. Ex quo tempore non modò ecclesiam illam, post episcopos qui erant ex circumcisione, iam primùm è gentium multitudine coaluisse: verumetiam illis primùm Marcum episcopum, gentium stirpe satum præfuisse, suprà demonstrauimus. Post quem Cassianum episcopatu potitum, successionum tabulæ, quæ illic seruantur, ostendunt. tum Publius, deinde Maximus: hos sequutus est Iulianus.

Vide Nicepho. lib. 4. ca. 19.

lib. 4. ca. 7.

Marcus. Cassianus. Publius. Maximus. Iulianus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Caius, Symmachus, Caius, Iulianus, Capito, Valens. Dolichianus, Marcissus, Ruff. ca 13.

Caius huic successit: pòst Symmachus, & Caius alter: item alius Iulianus: tũ Capito, Valens, Dolichianus, ordine in episcopatum delecti fuerunt. Ad extremum Narcissus, trigesimus ab Apostolis, successionis serie continuata designatus est.

De Rhodone: & repugnantia quam commemorat hæresis Marcionis.

CAP. XIII.

Rhodon Tatiani discipulus Marcionis hæresim impugnauit.

Huc refert Niceph. ca. 29. lib. 4.

EOdem tempore Rhodon Asiatico genere procreatus, & Romæ (vt narrat ipse de se) literis & doctrina à Tatiano (qui ex superiore nostro sermone satis cognosci potest) institutus, variis libris exquisitè compositis, strenuè cum reliquis fidei nostræ patronis impugnauit Marcionis hęresim: eamq; etiam sua ætate in varias & discrepantes distractã sententias explanat: ac non modò dissidij & dissensionis describit auctores, sed etiam falsa cuiusque illorum commenta, quæ callidè excogitauerant, accuratè coarguit. Verùm illum ipsum hæc perscribentẽ audiamus. Ob hanc caussam inter se opinione & sententia dissentiunt, quòd vagam & parum sibi cõstantem doctrinam stabilire nituntur. Nam Apelles, vnus ex eorum grege, vitæ instituto & prouectæ ætatis ratione valde seuerus & grauis, vnum principium fatetur ille quidem: sed prophetias nostras ex spiritu contrario & sibi repugnante editas, constanter asseuerat: argutæ & subtili sententiæ virginis, nomine Philumenæ, dæmonio quodam agitatæ obsecutus. Verùm alij (sicut Marcion ipse) duo inducunt principia: inter quos Potinus & Basiliscus numerantur. Isti Ponticum Lycum imitati, cum nullã rerum distinctionem (sicut nec ille) reperire possent, ad vulgarem quandam & perfacilẽ viam se conuerterunt: duoque principia exiliter & ieiunè quidem, nulla demonstratione adhibita, esse affirmarũt. Alij rursus ab illis ad deteriores erroris scopulos tanquã procella delati, non duas solum, sed tres naturas constituerunt. Quorum quidem (sicut eius disciplinæ propugnatores memorant) dux & princeps fuit Syneros. Est item apud eundem scriptorem, quo pacto ipse cum Apelle in sermonem venerit, vbi sic loquitur: Senex Apelles, quoniam nobiscum congressus, multa nequiter & improbè dixisse conuincebatur, coactus est fateri, non rationem fidei omnino quærere oportere: sed quemque in ea fide perstare debere, quam professus fuisset. Eos enim qui in Christum crucifixum spem coniecissent, saluos fore, dummodò in bonis operibus sedulò versari reperirentur. Verùm opinio de Deo, quæ est omniũ certissima, apertissimaque, ab illo ad eum modum quem antè diximus, statuitur. ait enim vnũ esse principium, sicut & nostra tuetur doctrina. Deinde Rhodon, vbi totam illius opinionem in medium protulerit, ista subnectit præterea: Cum ego dicebam ad illum, Dic nobis quæso Apelles, vnde ista tibi suppetat demonstratio, aut quí possis vnũ affirmare principiũ? Respondit ille, Prophetias se inter ipsas refellere, & propterea nihil omnino verè prædixisse. Nã discrepant (inquit) inter se, commenticię sunt, & sibi ipsis repugnant. Verùm quo pacto vnum sit principium, se ignorare fatebatur: & ita dicere, solum sua ipsius animi inductione cõmotum. Deinde cum ego iureiurando ab eo extorquerem, vt verum diceret: sanctè dejerauit, se verum dicere: nempe se omnino nescire, qua ratione vnus esset Deus ingenitus, illud tamen ita esse se credere. Ego subridens, illum leuitatis ideo arguebam, quòd cum se doctorem fateretur, nesciret tamẽ doctrinam à se propositam ratione defendere. Idem Rhodon in eodem libro (illum autem Callistioni dedicabat) se Romæ à Tatiano & doctrina & literis institutum asserit. Ait porrò, à Tatiano elaboratum librum quẽdam Quæstionum, quibus cùm Tatianus polliceretur se sacras literas inuolutas & obscuras esse demonstraturum: idem Rhodon contrà, se easdem Quæstiones in libro sepa rato perspicuè soluturum promittit. Extant præterea eiusdem Rhodonis commentarij in sex dies perscripti. Iste, quem dixi, Apelles, infinita probra contra libros legis Mosaicę impiè effutiuit, & multis libris diuinas & sacras illas leges maledicè infectatus est: atque adeò ad eas non solum coarguendas (vt apparet) sed penitùs euertendas multum operæ & laboris contulit. Sed de his satis.

Rhodonis de hæresi Marcionis sententia.

Apelles.

Philumena.

Syneros.

Apellis hæresis.

Vide Hieron. in Catal. Script. eccles.

Rhodonis Hexaemerõ.

De Pseudoprophetis qui in Phrygia orti sunt: & de schismate absurdissimo Florini & Blasti, quod Romæ exortum est &c. CAP. XIIII.

Huc refert Nicephor. ca 20. li. 4.

Ruff. ca. 14.

HOstis ille Ecclesiæ Dei, probitatis osor maximus, & totus ad nequitiam & fraudem factus, diabolus, nullas insidiarum vias prætermittens, quibus humano generi pararet exitium, effecit, vt sectæ erroresque peregrini inaudi- Vide Epiphan. hæresi 2. tomo 1. lib. 2 Augustin. hæresi 36, 70, 69.
tique iterum contra Ecclesiam in lucem educerentur. Quarum propugnatores, alij instar venenatorum serpentum in Asiam & Phrygiam obrepserunt: qui profectò non dubitabant Montanum paracletum vocare: & duas mulieres,

Montanus paracletus dictus.

Priscilla & Maximilla prophetissæ. | *Ruff. ca. 15. Florinus. Blastus.

APriscillam & Maximillam, ex eius quasi ludo egressas, prophetissas Montani, arrogan- ter appellare.* Nonnulli Romæ vigebãt: quorum Florinus presbyterij ecclesiastici gradu abdicatus, & Blastus persimili implicatus errore, pariter cum illo principatum obtinuit. Isti certè complures alios, quasi ab Ecclesiæ complexu abstrahentes, in suam pertraxere sententiam: quorum vterque separatim nouam sectam ad veritatem euertendam excogitare laborauit.

Quæ de Montano & illius Pseudoprophetis commemorantur.

CAPVT XV.

Huc refert Nicephor. c. 22. l'ib. 4.

Cataphrygum hæresis, & Apolinarij eam impugnantis studium.

COntra errorem qui Cataphrygum dicitur, tum Apolinarium Hierapolis episcopum (cuius mentio in superiore nostro sermone facta est) tãquam firmum & inexpugnabile præsidium, tum alios complures vnà cum illo viros, id temporis perquàm disertos, diuina vis ac potentia, veritatis propugnatrix, excitauit. Ex quorum libris permulta testimonia ad hanc nostram historiam accommodata, à nobis collecta sunt. Nam quidam ex his quos modò diximus, in principio Operis quod contra Cataphryges scripsit, primùm ostendit, quo pacto disceptatione coràm habita, cum illis fuerit absque scripto congressus, eorumque errores refutarit. Isto enim „ modo scribendi facit initium· Quanquam longo iam & valde prolixo temporis spa- „ cio, Auirci Marcelle charissime, à te, vt aliquid contra Cataphrygum hæresim scribe- „ rem, incitatus sum: tamen hactenus me ab illo instituto continui, non tam quòd dubi- „ tarem falsa errorum commenta me posse conuincere, & firmis testimonijs veritatem „ corroborare: quàm quòd tum metuerem, tum sedulò præcauerem, ne Euangelico no- „ ui Testamenti verbo (cui neque apponere neque detrahere quicquam licet, ei præser- „ tim qui secundum euangelium vitam degere instituerit) quibusdam viderer meo qua- „ si marte aliquid vel addere vel statuere quod non in eo omnino comprehensum sit. Ve- „ rum cum nuper essem Ancyræ, Galatiæ vrbe, & ecclesiam quæ est in Ponto, contentio- „ num procellis ab ista noua & inusitata non (vt illi dicunt) prophetia, sed potius (vt pòst „ demonstrabitur) pseudoprophetia concitatis iactatam offenderem, quantum poteram „ (iuuante Deo) de his ipsis eorum erroribus qui iam passim vagantur, & de ijs quæ ab il- B lis proponebantur, multis diebus assiduè in ecclesia disceptabam, adeò vt ea non solum „ permagna efferretur lætitia, sed ad veritatem vehementer roboraretur: & qui cõtrarias „ partes tuebantur eodem temporis momento à me refutati, animos deijcerent, & om- „ nes veritatis aduersarij summo dolore angerentur. At cũ presbyteri qui in eo loco erãt, „ præsente Zotico Otreno postularent, vt de his quæ fuissent contra veritatis aduersarios „ eo sermone disputata, Commentarium aliquem relinqueremus: istud ibi minimè qui- „ dem præstitimus, sed constãter illis sumus polliciti (Domino nobis gratiam largiente) „ nos illum scriptis hoc loco mandaturos, & absq; cũctatione ad eos missuros. Ista aliaq; deinceps verba in exordio libri præfatus, & in sermone progressus paululum, auctorem „ erroris de quo locuti sumus, hoc modo cõmemorat. * Illorum hæreticorum originis, „ temeritatis, & nouæ ac recẽtis sectæ, quæ tantum dissidij & contentionis in Ecclesia con- „ citauit, talis causa extitit. Pagus quidam esse dicitur in Mysia Phrygiæ, quæ nuncupatur „ Ardabam. ibi ferunt quendam nomine Montanum, qui nuper ad fidem venerat, Grato „ tum proconsule Asiæ, primùm insatiabili quadam animi cupiditate in primatu ambi- „ endo incensum, simulatq; aditum diabolo aduersario ad se patefecerat, spiritu quodam „ maligno abripi, & derepẽtè furore & mentis insania exagitatum bacchari: atq; mox nõ „ temerè solum garrire, sed peregrinas quasdam voces fundere, & contrà quàm Ecclesiæ „ consuetudo cum traditione, tum successione antiquitùs ab Apostolorum temporibus „ couscq; deriuata postulabat, prophetare scilicet occœpisse. Ex illis qui eo temporis arti- „ culo adumbratas eas & adulterinas voces auditione acceperant, nonnulli contrà illum „ tanquam insano spiritu præditum, dæmonio agitatũ, falsi erroris quasi vento pulsum, „ & hominum deniq; multitudinẽ magnopere conturbantem, acriter increpabãt: & Do- „ minium distinctionis, qua spiritum erroris internoscerent: tum minarum, quib. perter- „ refacti, vigilanter pseudoprophetarum aduentũ præcauerent, recordati, ne ita deinceps „ garriret prohibuerũt. Alij autẽ Dominicæ distinctionis penitùs obliti, velut Spiritu san- „ cto & dono prophetiæ imbuto, sese gloriose extulerũt, atq; insolenter intumuerunt: à „ quo decepti, inq; fraudem inducti, spiritũ illum vesanũ, fallaciter blandientẽ, & populũ „ in errorem astutè inducentem, vehementer sollicitarunt, vt se à loquendo nõ amplius „ prohiberi permitteret. Diabolus igitur cũ arte quadam, imò ciusmodi falsæ & fraudu- „ lentæ astutiæ præstigijs, perniciem contra istos qui ita se Deo oppositissent, machinatus

Occasio qua Apolinarius Cataphrygũ hæresin impugnauerit.

Ardabam pagus.

Montanus hæreticus qualis, & secta eius origo.

Diuersa hominũ De Montano iudicia.

Distinguendi sunt spiritus prophetantiũ.

Impostura diaboli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

esset: & ab eijsdem contrà atque meruerat, magno honore affectus, illorum mentem à A
fide quæ est secundum veritatem, lapsam, errorisq; somno consopitam excitauit, incẽ-
ditque, vt duas meretrices ad illud idem scelus impellerent, spirituque complerent
adulterino, quò non aliter quàm Montanus (quem diximus) furiosè, ineptè, & nouo ac
peregrino modo garrirent: vsque adeò, vti spiritus ille veteratorius eos qui tum in eo se
oblectarent, tum effuse gloriarẽtur, interdum beare, & promissorum magnitudine ad-
modum inflatos reddere videretur: interdum cõiecturis & rationibus probabilibus ni-
xus, apertè eorum peccata coràm redargueret, vt putaretur etiam corrector vitiorum.
Quanquam pauci ex Phrygibus erant, qui eius erroris tenebris inuoluebantur: præfra-
ctus tamen ille & arrogans spiritus ad catholicam & vniuersam sub cœlo Ecclesiam con
tumelijs onerandam eos propterea perdocuit, quòd idem ille pseudopropheticus eius
spiritus neq; aditum ad illam sibi patentem habere, neq; honorem in illa acquirere po-
tuerat. Nam vbi fideles qui Asiam incolebant, sæpenumero, & multis in locis eiusdem
in vnum conuenerant, & doctrinam recens inductam explorarant, & eam prophanam
ac detestabilem ostenderant: & errorem ipsum improbarant: sic tandem isti tum ab Ec
clesia extrusi, tum à communione penitùs depulsi fuerunt. Quæ cum scriptor ille in pri-
mo libro operis sui (in quo passim illorum errorem coarguit) accuratè explicauerit, in
secundo libro ista de morte illorum quos suprà persecuti sumus, commemorat. Quin
nos ideo prophetarum interfectores appellarunt, quòd gurrulos in primis & loquaces
illorum prophetas minimè admiserimus (hos enim prædicant esse quos Dominus pol-
licebatur se populo missurum) nobis iam quæso respondeant: Ecquis, amabo, (ô opti-
mi) illorum qui Montani & mulierum illarum disciplina eruditi, garrire cœperunt, re-
peritur, qui vel à Iudæis sit persecutionem perpessus, vel à nefarijs & facinorosis gen-
tibus neci traditus? Nemo certè. Neque quisquam illorum prehensus, aliquando pro
Christi nomine cruci affixus est: neq; in Iudæorum synagogis mulier vlla inter eos ali-
quando flagris cæsa, aut lapidibus vsque obruta. Et quod ad Montanum ipsum, & Ma-
ximillam attinet, illi alio quodam & longè diuerso mortis genere occubuisse dicuntur.
Nam istos ferunt spiritus vesani & perditi impulsu commotos, sibi laqueo mortem cõ-
sciuisse. Non tamen simul, credo, & eodem momento (ipso temporis puncto, quo al-
teruter obierit, multus sermo de illis inter homines versabatur) sed ita occubuisse, vt
diximus, & eundem cum Iuda proditore vitę exitum adeptos, constans fama est. Est et- B
iam pari ratione de admirabili illo Theodoto, qui primus illius commenticiæ prophe-
tiæ quasi procurationem susceperat, valde creber sermo, quomodò è mentis potestate
deturbatus, fraudulento spiritui seipsum concrediderit: à quo sublimem aliquando in
aerem sublatum, & derepentè præcipitem deiectum, miserè ac perditè interijsse ferunt.
At illi: Rumor est, inquiunt, istud ita gestum esse. Nosne igitur (ô beate) nosne ciusmo-
di quicquam pro certo nos scire censebimus, cũ oculis ipsi minimè conspeximus? Mon-
tanus namq;, Theodotus, & mulier illa quæ suprà commemorata est, fortasse sic, for-
tasse secus mortem oppetiuerũt. Rursus eodem in libro dicit, sanctos & pios episcopos
id temporis conatos esse Maximillæ spiritum redarguere, reprimireq;: sed ab alijs, qui
videlicet spiritui illi patrocinio esse studebant, impeditos esse. Sic enim scribit: Ne am-
plius loquatur Maximillæ spiritus, sicut Asterius Vrbanus in libro suo illam loquẽtem
inducit, Omnium insectatione vrgeor, & tanquam lupus ab ouibus repellor: non sum
lupus: verbum equidem sum, spiritus & virtus. Sed virtutem quæso in spiritu euiden-
ter declaret, ostendatq;, atque adeò Zoticum ex vico quæ dicitur Comana, & Iulianum
ex Apamea, cùm viros probatos, tum episcopos, qui id temporis ad eam explorandam,
& cum ipso garriente spiritu disserendum aduẽtauerant (quorum ora Themison cum
suis obturabant, neque vllo modo patiebantur mendacem illum & subdolum spiri-
tum ab illis redargui, refellique) cogat fateri, si poterit, illum ipsius spiritum, verum &
ingenuum esse. In eodem libro iterum, paucis verbis interpositis, quę ad commenticias
illas Maximillæ prophetias conuincendas accõmodantur, tũ tempus quo ipse ista scri-
pserit, ostendit: tum vaticinationũ illius meminit, quibus anteaugurabatur bella & se-
ditiones futuras: quarum commenta isto modo coarguit. Quî fieri potest, vt istud illius
mendacium iam non satis omnibus perspicuè exploratũ sit? Nam ex tempore quò illa
mulier abijt è vita, ad hũc vsque diem plures quàm tredecim anni interceserunt: & ne-
que bellum in aliqua regione separatim, neque passim in toto orbe terrarum gestum
hactenus accepimus: quin Christianis etiam Dei misericordia largiente, pax secu-
ra & stabilis permansit. Hæc ex secundo libro hactenus. Ex tertio item pauca verba pro-
feram, quibus Montani æmulos, qui inani ostentatione complures ex suis martyres
fuisse iactitauit, impugnat ad hunc modum. Cum iam omnia illorum argumenta

Duæ meretrices Montano coniunctæ.

Asianarum Ecclesiarum Synodi ob hæresin Montani.

Montani & Maximillæ interitus.

Theodoti mors.

Rumor.

Patres spiritũ Maximillæ frustra conantur retundere.

Asterius Vrbanus.

quæ

A quæ suprà posuimus, sint penitùs confutata, & nihil habeant quod dicant amplius, ad
„ martyres confugiunt, seque affirmant complures habere martyres: atque hoc certum
„ argumentũ esse virtutis & potentiæ, quæ est in prophetico illorum spiritu abdita. Cæte-
„ rùm istud, vt videtur, omninò à veritate alienissimum est. Etenim non pauci aliarum
„ hæresium propugnatores, permultos venditant se habere martyres: non tamen pro-
„ pterea cum illis consentiemus, neque illos veritatem penes se tenere fatebimur. Qui
„ primi ex Marcionis hæresi Marcionistæ vocati sunt, permultis se Christi martyribus
„ abundare prædicant: sed tamen Christum ipsum (vti veritas postulat) minimè confiten-
„ tur. Non multò pòst ista addit. Simulatq; viri verè ecclesiastici & catholici persecutio-
„ nis temporibus, ad testimonium fidei, quę est ex veritate, vnà cũ quibusdam Cataphry-
„ gum hæresi cæcatis, (quos illi hæretici pro martyribus habebant) essent fortè vocati, ab
„ illis planè dissenserunt plurimùm: & ne cum væsano ac dementi Montani & mulierũ
„ sibi in societatem ascitarum spiritu, vlla ex parte consentire viderentur, cum illis com-
„ municare ad extremum vsque spiritum prorsus recusarunt. Atque hoc verum esse, &
„ nostris temporibus Apameæ, quæ iuxta Męandrum sita est, gestum, Gaius & Alexander
„ Eumeniæ prognati, qui tunc martyrium subibant, satis perspicuè declarârunt.

Hæretici etiã suos martyres iactitant.

Martyrum multitudo quatenus doctrinam commendet, non contrà.

De Miltiade, & eius lucubrationibus. CAPVT XVI.

Huc refer Nicephor. ca. 24. li. 4.

†Vide annot. pag. 52. lat. 2. lin. 37.

IN eodem libro idem auctor Miltiadis scriptoris (vtpotè qui contra hæreti-
corum errorem, quos antè demonstrauimus, librum exarauisset) mentionẽ
facit: vbi etiam quibusdam eorum ipsorũ hæreticorum vocibus citatis ad-
nectit, quæ sequuntur: Ista cùm in quodam opere† Miltiadis (in quo osten-
dit, minimè credere oportere, quenquam prophetam furore percitum pro-
phetare solere) fortè reperirem, breuiter velut in compendium contuli. Longius item
„ aliquanto progressus, in eo dem prophetas noui Testamenti recitat, quibus Ammiam
„ quendam, & Quadratum annumerat, vbi sic loquitur: Hic pseudopropheta Monta-
„ nus (quem impudentia & audacia sequuntur, vt comites) cùm esset furore correptus,
„ ex inscitia quadam voluntaria ordiens, in insaniam animi non voluntariam, sicuti an-
„ tè diximus, præceps tandem delabebatur. At verò neque quenquem veteris Testamen-
„ ti prophetam, neque quenquam noui ostendere poterunt, qui insano spiritu ad hunc
B modum fuerint aliquando exagitati. Neque de Agabo, neque de Iuda, neque de Sila,
„ neque de Philippi filiabus, neque de Ammia ex Philadelphia, neque de Quadrato, ne-
„ que de alijs quibusuis præterea, quod væsano ipsorum more vlla ex parte aliquando
„ prophetauerint, omninò gloriari poterunt. Rursus ista memorat paulò pòst: Quod si
„ pòst Quadratum, & Ammiam ex Philadelphia, mulieres illæ Montani (sicut prædicãt)
„ in prophetiæ munus proximè succedebant: proferant etiam eos qui pòst Montani &
„ mulierum illarum mortem (nam donum prophetiæ in Catholica ecclesia ad postremũ
„ Christi aduentum debere versari, affirmat Apostolus) in idem munus successerint. Ve-
„ rùm decem & quatuor annis, qui iam à morte Maximillæ hactenus interceserunt, ne
vnum quidem prophetam inter ipsos commonstrare poterunt. Hæc ille. Miltiades ve-
rò, qui ab eodem auctore quem modò citaui commemoratus est, etiam alia præclara
suæ diligentiæ ac studij in Sacris literis collocati indicia, cùm in opere illo quod contra
Gentiles, tum in eo quod contra Iudæos scripsit, nobis pòst se reliquit: quibus vtrisque
separatim in duos libros partitis, vtrumque hominum genus, & eorum instituta coar-
guit. Apologiam præterea pro Christiana, quam ipse profitebatur, religione, ad mundi
principes illius temporis conscripsit.

Ruff. ca. 17. *Verba Miltiadis de Montano.*

Prophetæ in nouo Testamento. Montani hæresis.

Prophetæ Christiani.

Miltiadis scripta Contra gentes Contra Iud.

Apologia pro Christianis.

In quibus Apollonius Cataphrygas confutauerit, & quorum mentionem facit. CAPVT XVII.

†Hæc refer Nicephor. ca. 24. li. 4.

*Vide Epiphan. hæres. 1. lib. 2. Tom. 2. August. hæres. 44.

Vide Epiphan. hæres. 3. lib. 2. Tom. 1. August. hæres. 27.

PTorrò Apollonius scriptor ecclesiasticus, cũ ea quæ Cataphrygum hæresis
nominata est, adhuc in Phrygia vigere videretur, librum separatim ad au-
ctores & patronos ciusdem confutandos composuit. Atque non modò
confictas prophetias, qúæ illorum esse feruntur, ad verbum ferè, vt scri-
ptæ erant, coarguit: sed vitam etiam eorum qui illius erroris auctores ac du-
ces extiterunt, qualis nam fuerit sub omnium aspectu ponit. Sed enim ipsum his verbis
de Montano loquentẽ audiamus. * Atqui quis sit hic recẽs & nouitius doctor, facta illius
& doctrina satis declarãt. Iste est, qui nuptiarũ diuortia perdocet, qui nouas ieiunij leges
sancit: qui Pepuzam & Tymiũ (istæ enim sunt paruæ ciuitates Phrygiæ) cupiens omnes

Ruff. ca. 18. *Apollonij Cataphrygum hæreseos confutatio.*

Montani hæresicus.

Pepuza. Tymium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vndique eò conuocare, Hierusalem nuncupat: qui pecuniarum exactores constituit, A qui oblationum nomine munera accipienda prætexit: qui denique sui verbi prædica- " toribus, vt eiusdem verbi doctrina sordido ventris abdomine & ingluuie roboretur, " salaria suppeditat. Ista de Montano. De eius prophetiis, sermone aliquanto longius " producto, scribit. Intelligendum est, istas primas Montani prophetissas, vt primùm spi- " ritu illo repletæ erant, maritos deseruisse. Quàm falso igitur emẽtiti sunt hi, qui Prisci- " lam virginem appellabant? Deinde subiungit. An non vniuersa Scriptura videtur pro- " phetam vetare, ne munera & pecuniam accipiat? Quando ego igitur fortè video pro- " phetissam aurum, argentum & vestes precioſas cupidè accipientem, quid est cur illam " non prophetissarum numero excludam? Iterum sermone longius prouecto, de quodã " illorum quos Confessores nominabãt, hæc disserit. a Themison etiam totus reuera aua " ritiæ sordibus inuolutus, qui non toleranter crucem afflictionis (quæ est propria veri " confessoris nota) gestabat, sed pecuniarum multitudine se è vinculis eripiebat: cùm o- " portuisset illum ob istud peccatum humili submisso{que} animo se gessisse. Martyrem " & testem Christi se esse gloriatus, audebat Apostolum imitando, catholicam ad om- " nes ecclesias epistolam contexere: ac tum illos qui planè multò melius credebant quã " ille, fide & religione instruere: tum suæ doctrinæ confirmare ineptias: tum denique in " Dominum, in Apostolos, in sanctam ecclesiam conuicia petulanter iacere. De alio itẽ " eorum quos tanquam martyres apud se, honore & obseruantia decorabant, sic tradit. Vt non de pluribus verba faciamus, dicat nobis ipsa prophetissa de Alexandri facinori- " bus, qui se martyrem prædicat, & quem ipsa conuiuio excipit familiariter, quem etiam " alij complures adorant: cuius latrocinia & alia flagitiorum genera, pro quibus debi- " tas pœnas persoluerit, nihil nostra interest commemorare, præsertim cum in ipsas ta- " bulas publicas satis accuratè relata sint. Igitur quisnam istorum alterius condonabit " peccata? Prophetissáne martyri latrocinia, an martyr prophetissæ auariciam? Cùm e- " nim Dominus dixerit, Nolite possidere aurum, neque argentum, neque duas tunicas: " isti omnia contrà, in rerum vetitarum possessione magnoperè deliquerunt. Nam illos " qui ab isto prophetæ & martyres dicuntur, non à diuitibus solũ, sed à pauperibus etiã, ab " orphanis & viduis pecunias exegisse perspicuè ostendemus. Quòd si in hac sibi confidãt, " prodeant in medium, & de his nobiscum vnà disceptent, vt si fortè conuincantur, desi- B " nant de cætero peccare. Oportet enim fructus prophetæ exquisitè explorari. nam arbor Matth. 7. " à fructu ritè internoscitur. Vt verò Alexandri flagitia, cuique ea cognoscere cupienti " dilucidè aperiantur, hoc pacto ostendemus. Ephesi ab Aemilio Frontino proconsule, " non propter nomen Christi, sed propter latrocinia (erat enim maleficus) quæ turpiter " admiserat, in iudicio condemnatus est. Verùm postea cùm se ob nomen Christi per- " secutionẽ passum fuisse apud fideles (quos callide hac astutia deludebat) falsò prætexuis- " set, illis proconsulẽ rogantibus pro eo, dimissus est. Attamẽ propria ac sua, vnde erat, ec- " clesia, eũ, quia latro erat, recipere nolebat. Cæterũ qui plura de reb. gestis illius (cuius vi- " tæ rationẽ hæc prophetissa, licet cũ illa multis iam annis cõmoratus sit, ignorare præ se " fert) penitùs cognoscere cupiãt, Asiæ tabulas publicas habent, vnde discãt. Istius igitur " mores depingendo, in ijsdem tanquam in tabula, propriã etiam & veram prophetissæ " effigiem scitè depinximus. Similẽ etiam inscitiam in multis eorum possumus declara- " re. Quòd si sibi, suisq; ingenijs præfidant, veniant quæso in quæstionem, iudiciumq{ue} " subeant. Alio item loco eiusdem libri de prophetis, de quibus se ita iactitant, ista adne- " ctit. Si inficias eant, ipsorum prophetas munera accepisse, hoc pro confesso statuant: se, " si munera accepisse manifestò cõuincantur, non omninò esse prophetas. De quib. rebus " infinita penè, eaq; certissima argumenta proferemus. Quin omnes prophetæ fructus ac- " curatè examinare necessum est. Dic mihi: Prophetáne comã coloribus tingit? Prophe- " táne stibio oculos oblinit? Prophetáne sumptuosè & vestitu splẽdido ornatus incedit? " Prophetáne tabulis & tesseris ludit? Prophetáne fœnº exercet? Ista verè mihi fateãtur, & " dicant vtrũ liceat vsurpare, an contrà. Ego certè hæc apud illos factitata, perfacilè ostẽ- " dam. Idem iste Apollonius in eodem libro commemorat, quòd quadragesimus iam " annus, in quo quidem ad hoc opus scribendum se contulit, agebatur, ex quo Montanus " illam confictam & commenticiam prophetiam incœperit. Atque iterum dicit, b Zoti- " cum (cuius superior scriptor fecit mentionem (cùm Pepuzam aduẽtasset, ibi iam c Ma- " ximilla prophetare se simulante, insanum in illa spiritum coarguere conatum fuisse: " verùm ab illis qui Maximillæ partibus fauebãt, ab instituto prohibitum. Porrò d Thra- " seæ cuiusdam ex numero martyrum, qui tum erant, meminit. Præterea ait se tradi- " tione accepisse, e Seruatorẽ mandatum suis dedisse Apostolis, ne ad duodecim annos " Hierosolymis decederent. Vtitur etiam testimonijs ex Apocalypsi Ioannis desumptis.

Montani prophetissæ.

Montani confessor. a Themison Confessoris propria nota.

Alexander pseudomartyr, eiusque flagitia.

Lucæ 9. Matth. 10.

Prophetæ fructus explorãdi.

Alexandri Montanistæ supplicium.

Prophetæ à quibus abstinendum.

b Zoticus. c Maximilla prophetissa. d Thraseas martyr. e Mãdatũ Seruatoris de non relinquenda Hierosol. datũ Apostolis. Apocalypsis Ioannis.

Homi.

A Hominem itẽ mortuum, diuina vir tute & potentia Ephesi à Ioanne excitatum narrat. Alia nonnulla persequitur, quibus pestiferum in primis, & maximè detestabilem hæ- resis prædictæ errorem pleniſſimè cumulatiſſimeq{ue} labefactat. Hæc Apollonius.

De Serapione, & Cataphrygum hæresi. CAP. XVIII.

Huc refer Nicephot. ca. 27. li. 4.

LIbrorum Apollinarij contra hæresim, quam modò posuimus, edito- rum meminit Serapion: quem ijsdem temporibus post Maximinum ecclesiæ Antiochenæ episcopum fuisse fama est. Istius etiam Apolli- narij memoriam vsurpat in epistola scripta separatim ad Coricum & Ponticum: in qua ipse eandem perstringens hæresim, hæc loquitur. Vt verò istud intelligatis, omnem in Christo fraternitatem, quæ per vniuersum orbem terrarum diffusa est, ab hac noua & peregrina pro phetia tam falsis præstigijs instituta, reapse abhorrere, literas Claudij Apollinarij bea- tissimi, qui Hierapoli, ciuitati Asiæ episcopus præfuit, ad vos misi. In hac Serapionis e- pistola extant diuersorum episcoporum subscriptiones, quorum vnus sic ferè subscri- bit. Aurelius Cyrenius, testis Christi, vobis salutem & prosperam valetudinem opto. Alter isto modo. Aelius Publius Iulius ex Debelto, colonia Thraciæ episcopus: Viuit Deus in cælis, quòd beatus Sotas in Anchialo voluit Prisillæ dæmonem eijcere, sed ve- teratorij illi hypocritæ neutiquam permiserunt. Sunt etiam in ijsdem literis permul- torum aliorum episcoporum subscriptiones, sua ipsorum manu exaratæ, qui eidem sententiæ suffragati sunt. Atque de his satis.

Euseb. hos infra Carianũ & Pontiũ vocat, cap. 10. lib. 6. Nicephor. illum Cariconem vocat cap. 27. lib. 4.

Ruff. ca. 19. *Serapion.*

Apollinarius episcopus.

Aurelius Cyrenius. Aelius Publius Iulius. a Sotas b Prisillæ dæmon.

Quæ Romæ contra schismaticos Irenæus disseruerit. CAPVT XIX.

Huc refer Nicephor. ca. 30. li. 4.

VM quidam rursus sanam & synceram ecclesiæ consuetudinem Romæ de- prauare studerent, Irenæus varias contra eos composuit epistolas: vnam ad Blastum, quam inscripsit de Schismate: alteram ad Florinũ, de Monarchia, siue quòd Deus non sit auctor & fabricator mali. Nam iste Florinus contra- riam illi sententiam videbatur acriter propugnasse. cuius causa etiam, quan- doquidem in errorem Valentinianum lapsus erat, Irenæus librum de Ogdoade con- scripsit: in quo satis apertè declarat, se Apostolorũ temporibus proximè succesisse. At- que in extrema parte illius operis elegantissimam eius subscriptionem reperiebamus, quam in hunc sermonem includere necessarium planè ducimus: quæ est scripta ad hũc
» modum. Te qui hunc librum transcripseris, per Dominum nostrum Iesum Christũ,
» & per gloriosum aduentum illius, cùm sit ad viuos & mortuos iudicandos venturus,
» adiuro, vt studiosè conferas quod transcripseris, & accuratè ad exemplar vnde trans-
» scripseris emẽdes: & sacramentũ istud, quo te obligauerim, similiter descriptum in ex-
» emplar inscribas. Atq; ista sanè commodè & vtiliter cùm ab illo dicta sunt, tum à nobis narrata, vt veteres illos, & verè pios viros, tanquam exemplum accuratissimæ in descri- bendis libris diligentiæ, nobis ad imitandum proponamus. In ea porrò epistola ad Flo- rinum, quã suprà citauimus, Irenæus rursus familiaritatis quæ illi cũ Polycarpo inter-
» cesserat, mentionem facit. Ista dogmata, Florine, vt tecum agam humaniùs, sanæ do-
» ctrinæ & sententiæ non sunt. Ista dogmata sunt Ecclesiæ repugnantia, vtpotè quæ eos
» qui illis obsequuntur, in maximã impietatem deijciant. Ista dogmata ne hæretici quidẽ,
» qui erant ab Ecclesia exturbati, vnquam affirmare audebãt. Ista dogmata presbyteri,
» qui ante nos fuerunt, quiq; erant ipsorum Apostolorum discipuli, minimè tibi tradide-
» runt. Vidi enim te cùm adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, cũ & in
» aula Imperatoris splendidè lauteq{ue} vitam degebas, & sedulò te Polycarpo probare ni-
» nitebaris. Nam ea quæ tum gerebantur (cognitio enim quã à pueris combibimus, vnà
» cũ ætate accrescit simul, & quasi vinculo cum ipso animo penitus copulatur) multo fir-
» mius in memoria insident, quã quæ nuper præterierunt: adeò vt & locum in quo assi-
» bat beatus Polycarpus, cùm dissereret, illius eò aduentum, & introitum, formam & mo-
» dum vitæ, corporis effigiẽ, disceptationes ac sermones quos apud multitudinem habe-
» bat, & vt necessitudinem ac vitæ vsum cũ Ioanne & reliquis qui ipsum Dominũ vidis-
» sent, se habuisse narraret, & quo pacto memoraret eorum sermones, quinetiã quæ nam
» ab illis de Domino audiuisset: quo modo de miraculis eius, ac virtutib. & de doctrina
» deniq;, sicut ab illis qui fuissent suis oculis verbũ vitæ conspicati, scriptutis verè cõsen-
» tientia narraret, videar mihi posse ritè percẽsere. Hæc eo tempore per Dei misericordiã,
» quam erga me ostendebat, studiosè & attentè audiebam: atque non chartæ & literis,

Ruff. ca. 20. *Irenæi epistolæ.*

Florinus hæreticus.

Veterum in describendis libris diligentia ac fides.

Irenæus auditor Polycarpi.

sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed interiori mentis cogitationi mandabam. Et perpetuò, Dei iuuante gratia, ingenuè A
Hæretici non audiendi. & exquisitè recordatione renouo, atque coràm certè iam Deum conteſtari poſſum, illũ “
beatum & Apoſtolicum presbyterum Polycarpum, ſi eiuſmodi dogmata fortè audiuiſ- “
ſet, continuò exclamaturum, & aures obturaturum, ac de more ſuo dicturum fuiſſe: “
O bone Deus, in quæ me tempora reſeruaſti, vt iſta patiar? Atque ex eo loco, quo vel ſe- “
dens vel ſtans ea audiuiſſet, extemplò planè aufugiturum. Itemque ex epiſtolis quas cũ “
ad vicinas eccleſias, quò eas confirmaret: tum ad quoſdam fratres, quò eos tum admo- “
neret, tum cohortaretur, miſit, iſta ita ſe habere, manifeſtò cognoſci poterit. Hæc Ire- “
næus.

Quomodo admirandus Apollonius propter Chriſtum Romæ martyrium ſubierit.

CAPVT XX.

Ruff. ca. 21. Pax eccleſiæ conceſſa.

IOdem tempore, Commodo imperium Rom. gubernante, noſtra religio ad pacatum & tranquillum ſtatum traducta fuit, & pax (diuina gratia largiente) omnes eccleſias in toto terrarum orbe occupauit. Quo quidem tempore ſalutaris Dei ſermo hominum mentes cuiuſque generis adeò attraxit ad piam Dei omnium rerum conditoris religionem cultumque, vt iam Romæ complures, & genere illuſtres, & rerum affluentia admodum locupletati, vnà cum omni familia & cognatione ſua, ſe ad ſuam ipſorum ſalutem amplexandam reciperẽt. Verùm iſtud virtutis hoſti, & inuidia natura ſua exæſtuanti, diabolo minimè ferendũ videbatur: & propterea varias de integro machinas cõtra nos aſtutè fabricare aggreſſus eſt. Nam Apollonium, virum inter fideles politioris literaturæ ſtudijs & philoſophiæ noticia plurimùm celebratum, in iudicium adducit: & vnum ex eiuſdem Apollonij ſeruis ad hanc rem valdè accommodatum, qui hominem accuſet, excitat. Cæterùm huic miſero & perdito intempeſtiuè & incommodè in iudicium ad Chriſtianum accuſandum ingredienti, actutũ (quoniam iudices, qui Chriſtianorum nomina ſolùm quia Chriſtiani eſſent, deſerebãt, Imperatoris edictum, neci dare mandauerat) crura ſuffrin- B
gebantur, Perennio iudice contra eum talem ſententiam pronunciante. Iſte autẽ Deo clariſſimus martyr, cùm iudex obnixè ab illo petiſſet, flagitaſſetque vt fidei ſuæ rationẽ coram Senatu redderet, ſimulatque accuratiſſimam orationem apologeticam pro fidei quam profitebatur defenſione coram omnibus recitaſſet, ſententia Senatus ſecuri percuſſus, deceſſit è vita. quippe vetus lex apud illos extabat, Chriſtianos, qui ſemel in iudicio comparuerant, niſi profeſſionis ſuæ ſententiam mutarent, non omninò liberos dimittendos eſſe. Iſtius verò coram iudice verba, & reſponſa quæ ad Perennij rogata dabat, & orationem apologeticam apud Senatum habitam, ſi cui lubitum ſit accuratè cognoſcere, ex libro noſtro quem de Veteribus martyribus compoſuimus, manifeſtò intelliget.

Delator Apollonij ſupplicio affectꝰ.

Chriſtianorũ accuſatorib. crura frangi iuſſa.

Apollonij martyrium.

Perennius hunc præfectũ vrbis multos nobilium interfeciſſe, Lampridius & Herodianus teſtantur.

Euſebij de Martyribus liber.

Qui ijs temporibus Epiſcopi prouinciarum fuerint. CAPVT XXI.

Ruff. ca. 22. Victor epiſ. Rom.

DEcimo anno Commodi imperij, poſtquàm Eleutherus decem & tribus annis pontificatum adminiſtrauerat, ſucceſſit Victor: quo quidem tempore, vbi Iulianus decimum miniſterij ſui annum compleuerat, eccleſiarum Alexandriæ procurationem capeſſit Demetrius. Quorum temporibus [a] Serapion, quem modò declarauimus, octauus ab Apoſtolis eccleſiæ Antiochenæ epiſcopus, magno apud omnes in honore fuit: Cæſareæ item id temporis Palæſtinarum præfuit Theophilus. [b] Narciſſus ſimiliter, cuius ſuperior noſtra mẽtionem fecit oratio, adhuc eccleſiæ Hieroſolymitanæ miniſterio perfungebatur. Eccleſiæ Corinthiorum, quæ eſt in Græcia, ijſdem temporibus [c] Bacchyllus fuit epiſcopus: eccleſiæ Epheſianæ [d] Polycrates. Et quanquam multi alij præterea, vt veriſimile eſt, & propè infiniti illa hominum ætate floruerunt: illos tamen, quorum recta fidei & catholica ſententia ſcriptis ad noſtram ætatem deriuata ſit, ſolos vt ratio poſtulabat, nominatim citauimus.

Huc refer Nicephor. ca. 19. li. 4.

Hæcacta ſunt circa annũ 190. Chriſti.

Demetrius epiſ. Alexan. a Serapion epiſc. Antioch. Theophilus epiſcop. Cæſareæ b Narciſſus Hieroſ. c Bacchyllus Corinth. epiſc. d Polycrates epiſ. Epheſ.

De quæſtione, quæ tum temporis de Paſchate agebatur.

CAPVT XXII.

Ruff. ca. 23. Contẽtio inter orientis & occidentis eccleſias mota circa annum Chriſti 198.

OVoniam verò illis temporibus de feſto Paſchatis in honorem Seruatoris obſeruando non exigua concitata propterea erat controuerſia, quòd omnes eccleſiæ Aſiæ antiqua quadam traditione adductæ, cenſebant decimoquarto die lunæ (quo Iudæis olim præceptum erat, vt agnum immolarent) feſtum illud celebrandum, & omninò eo die, in quemcunque hebdomadæ diem fortè incideret, iejunijs finem ſtatuendum: & quod non in more poſitum eſſet, cæteris Eccleſijs per vniuerſum orbem terrarum diſperſis, quæ conſuetudinem ex Apoſtolica traditione ad

Huc refer Nicephor. ca. 36. li. 4.

Apoſtolica traditio.

A ad hoc vſque tempus continuatam tenebant, (nimirum vt non alio die, quàm eo quo Seruator à mortuis reſurrexerit, ieiunia diſſoluerentur) iſtum modum obſeruare: idcirco concilia & cõuentus epiſcoporum in vnum cogebantur, & omnes vna ſententia decretum eccleſiaſticum, nempe vt non alio die aliquando quàm Dominico myſterium Domini reſurrectionis à mortuis celebraretur, & vt in hoc ſolo ieiuniorum quæ circiter Paſcha fieri ſolent, finem faceremus, per literas ad omnes eccleſias ſcriptas ratum faciebant. Decretum autem epiſcoporum qui tum erãt in [a] Palæſtina conuocati, ad hanc vſque ætatem ſcriptis cuſtoditum eſt. in quorum Synodo Theophilus Cæſarienſis eccleſiæ epiſcopus, & Narciſſus epiſcopus Hieroſolymorum, præſides fuerunt. Aliud etiam eſt epiſcoporũ, qui Romæ ſimiliter conueniebant, de eadem controuerſia ſtatutũ: quod quidem Victorẽ id temporis epiſcopũ fuiſſe declarat. Aliud item epiſcoporũ Ponti, quibus Palmas, vtpotè antiquiſſimus & maximè venerandus præſidebat. Aliud eccleſiarum Galliæ, quas Irenæus regebat epiſcopus. Aliud porrò eccleſiarum quę [b] Oſrœnã, & reliquas in eo loco ciuitates incolebant. Aliud ſeparatim Bacchylli eccleſiæ Corinthiorum epiſcopi: & alia denique aliorum propè infinitorum, qui vno conſenſu iudicioque vno eandem de illius feſti obſeruatione tulere ſententiam. Atque iſtorum omnium vna hæc, quam docuimus, conſentiens erat deciſio.

De die Paſcha conſentius diuerſarũ Synodorum. a Palæſtina

Romæ. Ponti.

Galliæ. b Oſrœnæ. Corinthi.

cf. c. 25.

De diſſidio Epiſcoporum in Aſia de Paſchate, & quomodo omnes de eodem conſenſerint.

CAPVT XXIII.

Huc refer Nicephor. ca. 37. li. 4.

PIſcopis autem in Aſia coactis, qui morem iam olim ipſis à maiorib. traditum ſedulò obſeruandum conſtanter aſſeuerabant, præfuit Polycrates. Qui in ea epiſtola quã ad Victorem, & eccleſiam Rom. ſcripſit, traditionem ad ipſius vſque tempora deductam, his ferè verbis exponit: Nos diem Paſchatis integrè incorrupteque recolimus, neq; addendo quicquam, neque detrahendo. Etenim hic in Aſia obdormierunt in Domino præclara illa Eccleſiæ ſeminaria (quæ quidẽ in
” die aduentus Domini, quo cum gloria & maieſtate è cælis venturus ſit, & omnes ſanctos excitaturus, denuò reſurgent) Philippum dico, † vnum ex ſeptem diaconis, qui Hierapoli exijt è vita: & duas eius filias, quæ virgines ad ſummam ſenectutem manſerunt: & alteram illius filiam, quæ Spirituſſancti afflatu inſpirata vitam piè traduxit, Epheſiq; obijt in Domino. His accedit Ioannes, qui ſuper pectus Domini recubuit, qui ſacerdos
” fuit, qui laminam auream geſtauit, qui martyr & doctor extitit, qui tandẽ Epheſi mor-
” te conſopitus occubuit. Quid Polycarpum commemorem, qui Smyrnæ epiſcopus &
” martyr fuit? Quid Thraſeam epiſcopum & martyrem, Eumeniæ natum, citem, qui
” Smyrnæ ex hac luce migrauit? Quid attinet dicere de Sagari epiſcopo & martyre, qui
” Laodiceæ mortem oppetijt? Quid porrò beatum Papirium, & [c] Melitonem eunuchum
” recenſeam, qui Spirituſſancti inſtinctu afflatus, totum vitæ ſuæ tempus piè ſanctèq; exegit: qui Sardis tumulo conditus eſt, expectans Chriſti è cælo ad vniuerſam carnem vi-
” ſitandam aduentum, in quo ex mortuis reſurget? Iſti omnes diem Paſchatis decimo-
” quarto die lunæ ex Euangelij præſcripto obſeruârunt, nihil ab eo inſtituto ac more pla-
” nè digreſſi, ſed ſecundum regulam & normam fidei eum aſſiduè tenuerunt. Atque ipſe
” etiam Polycrates, qui inter vos omnes poſtremas ſanè fero, ex maiorum meorum & co-
” gnatorum traditione, quorum libenter inſiſto veſtigijs, illud ipſum perpetuò obſeruo.
” Septem erant epiſcopi cognatione mihi coniuncti: ego autem octauus ſum. Atque hi
” maiores mei & cognati ſtum diem Paſchatis ſemper celebrârunt, cùm ſit populo iu-
” daico in more poſitum panes azimos apparare. Ego igitur, fratres, qui ſexagintaquinq;
” annos in Domino vixerim, qui multis cum fratribus per orbem terrarum diſperſis de
” fide communicarim, qui vniuerſam ſacram Scripturam ſtudiosè euoluerim, his quæ
” nobis ad terrorem obijciuntur, minimè conturbor. Mei enim maiores dixerunt, magis
” Deo quàm hominibus obtemperandum. Deinde iſta ſubnectit de epiſcopis, qui ei has
” literas ſcribenti præſto aderant, eiſdemque vno ore aſſenſerunt: Poſſem, inquit, hoc loco epiſcopos qui mihi in concilio aderant, commemorare: quos vt accerſerem à vobis rogatus, diligenter accerſebam. Quorum nomina ſi ſubſcriberem, nimis multa viderentur. Qui, licet me hominem cùm perſona humilem, tum ingenio pertenui animaduerterent: tamen, cùm intelligerent, me iſtos canos non fruſtra geſſiſſe, nec ætatem hactenus contriuiſſe temerè, ſed ſemper in Chriſto Ieſu vitam traduxiſſe, epiſtolam hanc ſua approbatione confirmârunt.

Polycarpus. Thraſeas. Sagaris. Papirius. c Melito.

Aſiani Patres quo die Paſcha celebrarint.

Aſiani epiſcopi Polycratis literis ſubſcribunt.

Quo-

† Videan not. pag. 55. lat. 1. lin. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo Victor ecclesiæ Romanæ episcopus, omnes Asiæ ecclesias, à communione excluserit: & Irenæi ad eundem epistola.

CAPVT XXIIII.

Asiaticæ ecclesiæ à Victore Rom. episcopo excommunicatæ.

His rebus adductus Victor, qui tum Rom. ecclesiæ præerat, totius Asiæ ecclesias cum alijs finitimis, tanquam alterius fidei & opinionis, simul omnes (vt complectar breui) à communi vnitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per literas grauiter inuehitur: atque adeò omnes fratres eam incolentes regionem, prorsus à communione secludendos edicit. Verùm ista cæteris omnibus parum placebant episcopis. Illum igitur cõtrà magnoperè adhortabantur, vt pacis, concordiæ & charitatis erga proximos diligentem curam haberet. Quorum verba, vtpotè Victorem acrius & acerbius coarguentium, scriptis prodita adhuc extant. Inter quos Irenæus, quanquam per literas scriptas ex persona fratrum in Gallia, quibus præerat, tradit, mysterium resurrectionis Domini solo die Dominico recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc, videlicet ne tam multas ecclesias omninò propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas vsurpatæ obseruationẽ, à corpore vniuersæ Christi Ecclesiæ penitùs amputet, cùm pleraque alia, tum ista quæ sequuntur, appositè & conuenienter admonet, his ferè verbis: «Non enim de die Pascha tis solùm, sed etiam de ieiunij ratione & modo est ista constituta controuersia. Quidã « namque vnum diem se ieiunare oportere existimant: alij duos, non pauci plures, « multi quadraginta: atque diurnis nocturnisque horis omnibus numeratis, diem suum « metiuntur ac statuunt. Atque eiusmodi eorum qui hæc obseruabant ieiunia, varietas « ac discrepantia, non iam nostra ætate cœpta est, verùm etiam longè antè apud maio- « res nostros: qui (vt coniectura assequi licet) non accuratè consuetudinem eorum qui vel « simplicitate quadam, vel priuata authoritate aliquid in posterum tempus statuissent, « obseruârunt. Atq; nihilominus cùm isti inter se pacem tranquillam retinuerunt, tum « nos etiam inter nos retinemus: sicq; varia ac discrepans ieiunij ratio concordiam fidei « plurimum commendat. His verò historiam quandam adiungit, quã hoc loco oppor- « tunè explicabo. sic autem se habet: Presbyteri ante Soterem, qui Ecclesiæ, cui tu iam prę- « es, præficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Sixtum, licet neque B ipsi hoc festum eo die, quo episcopi Asiæ obseruarent, neque alijs post se ita obseruare « permitterent: nihilominus tamen cum episcopis illarum ecclesiarũ, in quibus ita ob- « seruabatur. ad se accedentibus (ac quid quæso magis repugnat, quàm vt hi hoc, illi illo « modo obseruent) pacem inter se & concordiam perpetuò retinuerunt, ac nunquam « propter istum varium illius festi obseruandi modum fuêre vlli aliquando ab Ecclesia « electi: sed presbyteri illi, qui te anteiuerunt ætate, tametsi minimè illud ita obseruabãt: « his tamen episcopis qui in alijs ecclesijs idem sic obseruabant, Eucharistiam miserunt. « Atque cùm beatus Polycarpus, Aniceto episcopatum administrante, Romam aduen- « taret, cumque ille & Anicetus de alijs rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca con- « tulissent, confestim pax fuit inter eos conciliata: quin pro hoc festo obseruando, quod « controuersiæ caput videbatur, charitatis vincula neutiquam ruperunt. Neque tamen « Anicetus Polycarpo poterat persuadere, vt suum obseruandi morem (quippe qui cum « Ioanne discipulo Domini nostri, & cum reliquis Apostolis, quibuscũ multum versa- « tus fuisset, eundem semper ad illum modum obseruasset) deponeret: neque contrà Po- « lycarpus Aniceto persuasit, vt consuetudinem Asiaticam (quippe qui morem presby- « terorum qui illum erant antegressi, debere sedulò retinere assereret) vllo modo obser- « uaret. Quæ cũ ita essent constituta, communicabant inter se mutuò: & in ecclesia Ani- « cetus, ritus qui in Eucharistia peragi solent, Polycarpo, ob reuerentiam videlicet, quam « erga illum habebat, obeundi potestatem concessit. atque tandem cum pace alter decef- « sit ab altero: & omnes ecclesiæ, tum eorũ qui decimoquarto die festum Paschatis obser- « uabant, tum eorum qui secus, placida pace & tranquilla inter ipsas fruebantur. Irenæus « autem, cùm nominis sui appellationi (εἰρηνικὸς enim pacis studiosum significat) pulchrè respondens: tum moribus, quibus se pacis auctorem verè declarabat, eiusmodi pro pace & concordia ecclesiarum & hortatus est, & magnoperè flagitauit. Atque ista aliaque eisdem congruentia, non ad Victorem so- lùm, sed etiam ad alios plerosq; & diuersos ecclesia- rum præsides, de ista quæ tum iactabatur controuersia, conscripsit.

Huc refer Nicephor. cap. 38. lib. 4.

Irenæus ad Victorem.

De Paschatis obseruatione, & ieiunio, cõtrouersia.

Concordiare ligionis inter fratres ob ceremoniarum varietatẽ nõ dissoluenda.

Irenæi etymõ.

Eucharistiæ mittendæ cõsuetudo in ecclesia primitiua.

Quæ

A *Quæ Irenæi opera ad nos peruenerint.* CAPVT XXV. *cfr. supra c. 22. et notas Iacobi*

Ruff. ca. 25.

Cassius & Clarus episcopi.

AElius Pertinax. Didius Iulianus, L. Septimius Seuerus, Anno Christi 195. Huc refer Niceph. c. 14. lib. 4.

Episcopi verò quos modò percensuimus, Narcissus & Theophilus, & vnà cum illis Cassius ecclesiæ Tyri episcopus, & Clarus, qui Ptolemaidis rexit ecclesiam, quique cum istis in Palæstina in vnũ conuenerant, simulatque in decreto suo de Paschatis traditione, ex Apostolorum successiõe gradatim ad eos deducta, permulta disseruerũt, in extrema parte eiusdem hæc præterea his ferè verbis adiungunt: Epistolæ nostræ exemplaria facilè ad quanq; ecclesiam mittantur, ne culpa illorum qui temerè & inconsultò suas ipsorum animas erroris prauitate inficiũt, in nos vllo modo transferatur. Illud vos minimè ignorare volumus, quòd Alexandriæ „ etiam eodem die, quo nos, istud festum agunt. Si quidem tum à nobis ad illos, tum ab il- „ lis ad nos perferuntur literæ, vt cum summo consensu vnà istum diem sacrosanctum „ augustè & religiosè celebremus. † Verum enimuerò præter opera & epistolas Irenæi, „ quę iam demonstratæ sunt, extat liber illius breuissimus ille quidem, summè tamen ne- cessarius, contra Gentiles, qui de Scientia inscribitur. Alius item memoratur, quẽ fratri cuidam nomine Marciano dedicauit: in quo Apostolicæ prędicationis rationem & mo dum exponit. Accedit his liber quidam, de Variarum rerum disquisitione: in quo tum Epistolæ ad Hebræos, tum libri Sapientiæ Salomonis mentionem facit, certaq; testimonia ex eisdem deprompta citat. Tot sunt igitur Irenæi opera, quæ ad nos nostramq; noticiam peruenerunt.

** Ruff. c. 26. Irenæi scripta.*

Vsitur epistola ad Hebr. et Sapientia Salomonis.

Quæ etiam aliorum qui tum temporis floruerunt, commentaria ad nos peruenerint.

CAP. XXVI.

Huc refer Niceph. cap. 33. lib. 4.

Ruff. ca. 27.

Seuerus & Pertinax Impp.

COmmodo autem tredecim annos imperij administratione perfuncto, Seuerus, cum vix sex mensibus continuis Pertinax post mortem Commodi imperij gubernacula occupasset, successit in imperiũ. Etsi cõplura certè apud multos veterum ecclesiasticorum scriptorum qui tum vixerũt, eximiæ virtutis & exquisitæ diligentiæ monimenta hucusq; reseruantur: tamen quæ ipsi vidimus, sunt hæc solùm, quæ sequuntur. † Heracliti commmentarij in Apostolum. Maximi opera, cùm de controuersia illa apud hæreticos multum iactata exagitataq;, nimirum vnde vitium natum sit: tum de materia, quòd ortum habeat. Explicationes itẽ Candidi in sex dies, & Apionis in idem argumentum. Sexti similiter libri, de resurrectione: & aliud etiam opus Arabiani. Aliorũ item penè infinitorum lucubrationes, quorũ vel tempora scriptis mandare, vel memoriam rerum gestarum persequi (præsertim cũ nulla oblata sit occasio) importunum propè videretur. Et quanquam alij libri aliorum multorum ecclesiasticorum scriptorum, verè de religione & fide sentientium (sicut cuiusque expositiones in sacram Scripturam editæ commonstrant) ad nos peruenerũt: tamen quia auctores eorum nobis ideo incogniti sunt, quòd illorum nomina in libris minimè inscripta reperiuntur, istorum nomina recensere non possumus.

** Ruff. c. 28. Heraclii scripta.*

Maximi opera Candidi Hexameron, & Apionis.

Sexti & Arabiani scripta.

De his qui Artemonis hæresim ab initio propugnabant, & quibus erant prædicti moribus, & quomodo sacras Scripturas corrumpere ausi sint.

CAPVT XXVII.

Huc refer Nicephor. ca. 21. li. 4. Vide Epiphan. hæresi 2. tomo 2. lib. 1 Augustin hæresi 44

IN quodã istorum scriptorum libro contra Artemonis hæresim, (quã Paulus Samosatenus nostra iam ætate denuò renouare tentauit) cõ- positio, præclara quædam habetur narratio, quæ huic nostræ historiæ adeò magno cum labore à nobis vndique conquisitæ, aptè & concinnè cõueniat. Scriptor iste in eo libro, dum hæresim de qua loquimur (quæ Seruatorẽ solùm hominẽ esse asseuerauit) non longè antea exortam (quandoquidem eius duces & patroni illam tanquam veterẽ, & vsque ab antiquis temporibus ductam, præconijs nimis insolenter efferre studebant) perspicuè conuincere conatur, sicut alia multa ad illius impij & perditi illorum erroris „ commentum coarguendum: sic ista ad verbum ferè persequitur: Aiunt isti omnes, ma- „ iores nostros, & ipsos Apostolos, cã quæ ipsi iam affirmant, non modò à Domino acce- „ pisse: verùm etiam alios eadem docuisse, & veram prædicationis rationem vsque ad Vi „ ctoris tempora, qui decimustertius à Petro Romæ episcopus fuit, integrè seruatam illã „ quidem, sed à Zephyrino illius successore penitùs corruptã & deprauatam fuisse. Atque „ profectò quod ab illis dicebatur, multum fortasse videri potuisset habere probabilita- „ tis, nisi primùm sacræ Scripturæ testimonia illis cõtradicerent: deinde fratrum quorun- „ dam scripta supereſſent, Victoris temporibus multo antiquiora: quæ illi cum contra

Artemonis hæresis.

Artemon falsò refert dogma suum ad Apostolos & Patres.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gentiles pro veritatis defensione, tum contra hæreses quæ id tẽporis grassabantur, scri- A
pserunt: vt Iustini, Miltiadis, Tatiani, Clementis, & aliorum nonnullorum: in quorum "
omnium libris Christus verè Deus esse confirmatur. Quis Irenæi, quis Melitonis, quis cę "
terorum libros ignorat, qui Christum Deum & hominem constanter asseuerant? Quot "
item Psalmi, quot hymni à fratribus fidelibus antiquitùs perscripti, qui Christum, ver- "
bum Dei, verum Deum esse concentu quodam concelebrant? Cum igitur ex tot anno- "
rum spacio, doctrina Ecclesiastica verè annunciata fuerit, quomodo fieri potest, vt illi "
patres qui ad Victorem vsque vitam produxerunt, sic, vt isti asserunt, prædicarint? aut "
quomodo non illos pudet, hæc Victori tam falso obiectare? præsertim cum exploratè "
cognitum habeant, Victorem, Theodotum illum coriarium, (qui primus Christum so "
Theodoti coriarij hæresis. lum hominem dicebat) ducem & quasi parentem huius impiæ & execrandæ à fide de- *Vide Epiphan. hæresi 8. lib. 2. tomo. 1.*
fectionis, Christum Deum pernegantis, Christiana communione interdixisse? Quod si "
Victor eadem cum illis sentire visus fuisset, (sicuti detestabilis istorum docet calumnia) "
quo pacto aut qua ratione adductus, Theodotum huius erroris inuentorem, ab Eccle- "
sia eijcere in animum induxit? Verùm de Victore hactenus. Qui cũ decem annis eccleśię "
Zephyrinus episcopus. ministerio præfuisset, in eius locũ, circiter nonũ annũ imperij Seueri, Zephyrinus succes- *Anno Christi 202*
sit. Scriptor ille de quo suprà dixi, qui librum prædictum contra erroris suprà demon-
strati auctorẽ cõposuit, aliam etiã rem Zephyrini tempore gestam hoc pacto explicat.
Facinus apud nos admissum, fidelibus in Domino, quo illos erudiam, commemorabo:
quod credo, si Sodomis fortè gestum fuisset, etiam illos ad scelera sua pœnitẽtiæ lachry- "
Natalius confessor ab Asclepiodoto & Theodoto coruptus, Ecclesiæ tandem reconciliatur. mis maturè eluenda admonuisset. Erat quidam Natalius confessor, nõ iampridem, sed "
nostris iam penè temporibus: iste ab Asclepiodoto, & altero Theodoto trapezita, (hi q- "
dem ambo Theodoti coriarij, qui primus propter istam nouam prudentiam, imò verò "
amentiam, ex Christianorum communione à Victore, vt dixi, qui tunc erat Pontifex, "
excludebatur, discipuli erant) fraude ac dolo deceptus fuit: & ab illis duobus, quos suprà "
posui, salario quodã & mercede persuasus, vt illius erroris episcopus crearetur: ea lege "
nimirum, vt centum quinquaginta denarios menstruos isti ei persoluerent. Qui quidẽ "
cum se in illorum societatem dedisset, per visiones quasdam à Domino ad se demissas "
sæpenumero admonitus fuit. Deus enim misericors, & Dominus noster IESVS Chri- "
stus, martyrem & testem suarum afflictionum extra ecclesiam miserè disperire noluit. "
Cæterùm quoniam erat primæ apud illos sedis episcopalis appetitione tanquam ha- "
mo inescatus, & turpi quæstu (qui multis adfert perniciem) irretitus, & propterea len- "
tius tardiusque Dei visionibus animum attendit: tandem per integram noctẽ à sanctis B
angelis flagris & verberibus vsque adeò acerbè & grauiter cæsus fuit, vt cum primo ma- "
ne surgeret, cilicio & sacco indutus, cineribus aspersus, cum magno mœrore & lachry- "
mis ad pedes Zephyrini pontificis se supplicem abijceret: & nõ modò ad cleri, sed ad lai- "
corum etiam genua aduolueretur, ita vti Christi misericordis ecclesia illum magnope- "
re commiserata, lamentis vnà se dederet. Attamen ille, licet multis precibus vsus fuisset, "
& plagarum vibices, quas pertulerat, ostendisset, vix tandem in communionem Eccle- "
siæ receptus fuit. Ad ista, etiam alias eiusdem scriptoris voces de eisdem hæreticis con- "
Hæreticorum studia circa quæ occupari solita. nectamus, quæ sic habent. Sacras audacter deprauarunt scripturas: veteris fidei cano- "
nem abrogarunt: Christum ignorarunt; neque quid sacræ & diuinæ literæ de illo di- "
cant, conquisiuerunt: sed quænam syllogismi figura ad suam impietatem confirman- "
dam reperiretur, studiose indagarunt. Quod si quisquam fortè illis aliquod diuini elo- "
quij testimonium proferat, quærunt vtrum coniunctam an disiunctam syllogismi figu- "
ram possit efficere. Relictis verò & depositis Sacrarum literarum studijs, omni cura & "
cogitatione in Geometriam incumbunt: tanquam ex terra editi, de terra loquuntur: & "
Christum, qui sit de cœlo venturus, penitus ignorant. Euclides enim apud quosdam e- "
orum propter Geometriæ artem enixè recolitur: Aristoteles & Theophrastus in sum- "
ma habentur admiratione: Galenum etiam fortasse nonnulli summè venerantur. Hi "
ergo tum infidelium artibus ad erroris sui sententiam roborandam abutuntur, tum so- "
lerti impiorum astutia ac subtilitate simplicem ac synceram diuinarum scripturarum "
fidem adulterant. Quòd autem à fide lõgissimè absint, quid attinet commemorare? ob "
hanc caussam etiam in sacras literas confidenter & temerè quasi manus violentas inijci- "
unt, easq; se emendare & corrigere prædicant. Quòd verò ipse equidem nihil falsi in eos "
Hæreticorum scriptorum inter se dissonantia. ementitus loquar, nemini verum scire cupienti poterit esse obscurum. Nam si quis cu- "
iusquam illorum exemplaria in manus sumere, accuratè peruestigare, & inter ipsa con- "
ferre voluerit, reperiet profectò, illa quàm maximè inter se dissidere. †Nã Asclepiodoti †Vide ante not. pag. 57. lat. 1. lin. 15.
exemplaria, cum illis quæ sunt Theodoti, admodum discrepant. Ac multa planè suppe-
tunt: propterea quòd illorum discipuli exemplaria ab vtrisq; (vt illi appellant) correcta

(vt nos)

†Vide ibi. de lin. 17. A (vt nos) corrupta, studiosè & sedulò descripserunt.† Rursus quæ sunt Hermophili, cum
istis minimè consentiunt: quæ Apollonij dicuntur, ipsa sibi non constant. Licet enim
quæ prius ab illo exscripta fuerunt, & composita, posterioribus denuò inuersis innoua-
" tisq; comparare: sic inuenire illa inter se valde dissentientia, erit perfacile. Quantum in-
" scitiæ & temeritatis habeat perditus iste conatus, ne illos ipsos quidem ignorare suspi-
" cor. Aut enim sacras & diuinas Scripturas à Spiritu sancto dictatas non credunt, & ita *Dilemma in hæreticos.*
" sunt infideles: aut seipsos Spiritu sancto sapientiores esse dicunt, quod planè quid aliud
" est quàm tanquam dæmone exagitatos insanire? Neque enim hanc inconsultam & im-
" prudentem molitionem, suam esse inficiari poterunt: quandoquidem ista exemplaria
" sua ipsorum manu esse transcripta, perspicuè deprehenduntur. A' quibus autem erant
" ipsi instituti, ab illis sanè eiusmodi scripturas non aliquando exceperunt: & exemplaria
" vnde ista transcripserunt, demonstrare non possunt. Quidam illorum eas quidem de-
" prauare non adeò operæprecium duxerunt: sed tum legem, tum prophetas, lepida si-
" mulatione, perinde ac si nefariam & impiam omnino doctrinam cõplecterentur, pror-
" sus pernegantes, in vastissimum exitij gurgitem præcipites deciderunt. Atque hæc isto
" modo hactenus à nobis sint commemorata.

FINIS QVINTI LIBRI.

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE

Palæstinæ, Ecclesiasticæ Historiæ Liber Sextus.

De Ecclesiarum sub Seuero persequutione. CAP. I.

Huc refer Nicephor. c. 2. lib. 5.

Ruff. cap. 1. *Persecutio quinta in Christianos mota anno Christi 204. Seueri 9.*

POstquam Seuerus acerbam & grauem contra ecclesias per- *Alexandriam præcipuè martyribus abundasse.*
secutiõis tempestatem excitauerat, tametsi à Christi athle-
tis viriliter pro pietate concertantibus, vbique penè genti-
um præclara martyrij & insignia certamina conficiebãtur:
tamen Alexandria multo maxima eorũ frequentia & mul-
titudine (ex Aegypto enim & vniuersa Thebaide egregij)
præ cæteris Christi pugiles delecti, eò tanquam ad maxi-
mum & celeberrimũ stadiũ, in quo pro Dei amore strenuè
decertarẽt, amandabãtur, omnino abũdauit: qui quidẽ ob
patientissimã tolerantiã, quã in varijs tormentorũ ac mor-
tis generibus ostendebant, coronis cœlestibus, ex flosculis
planè eximijs contextis, à Deo benignè redimiti sunt.* In quorum numero fuit Leoni- *Ruff. ca. 2. *Leonidis martyrium.*
des, Origenis pater: qui capite tandem abscisso, filium tum ad modum adolescentem
post se orbum reliquit. Quàm autem incredibili amore erga Sacrarum literarum studi-
um iste ab ineunte ætate flagrarit, paucis persequi non erit alienum: præsertim cum ce-
lebris eius nominis & famæ cõmemoratio adeò multis in ore versetur. Quod si quisquã
omnia quæ ad eius vitã pertinent, copiosè fuseq; explicare, eaq; vacuo animo, cùm ocio
abundet, literis prodere instituerit, tractatio illa certè separatum quoddam opus postu-
laret. Verùm nos in præsentia longo & prolixo sermone amputato, quoad fieri potest: *Quæ fide nitatur historia de Origene insti. tuta.*
breuissimè de Origene disseremus: atque ea solum quæ partim ex quibusdam illius Epi-
stolis, partim ex discipulorum ore ac sermone, quibus ad nostra vsq; tempora vita sup-
peditauit, pro certo cognoscuntur, exponemus.

Huc refer Nicephori cap. 3. lib. 5.

De Origenis ab ineunte ætate institutione. CAPVT II.

Origenis ab ineunte ætate institutio, & martyrij ardor.

IAm quidem certè quæ ab ipsis, vt dicitur, propè incunabulis ab Orige-
ne gesta sunt, videntur digna esse quæ posterorum memoriæ com-
mendentur. Nam cum Seuerus iam decimum imperij sui annum a-
geret, & Lætus Alexandriæ reliquæq; Aegypti præfecturam obtine-
ret, & Demetrius nuper tum post Iulianum ibidem ecclesiarum epi-
scopatum adeptus fuisset, & persecutionis ardor quotidie magis ma-
gisque incenderetur, & ferè infiniti coronis decorarentur martyrij:
tantus amor, tantaque martyrij cupiditas animum Origenis, cum adhuc valde tenera
esset ætate, occupauit, vt propè se vitro offerret periculis, & alacri ac propenso studio

Universidad de Deusto
Biblioteca

Mater Origenē à martyrio arcet.

in certamen insiliret, irrueretque. Ac iam parum aberat, quin per martyrium vitam de- A seruisset: nisi mater, diuina quadam & cælesti prouidentia (quæ illum ad maximam plurimorum vtilitatem seruabat incolumem) impulsa, enixè eius cupiditati ad necem adeò incitatè procurrenti obstitisset. Ipsa enim verbis primùm supplex orabat, vt materni erga se amoris misericordiam caperet. Vbi autem eum, cum iam intelligeret patrem prehensum carcere custodiri, cupidius ad mortem properantem animaduerteret (toto enim impetu, & omni animi conatu tum ad martyrium ferebatur) omni eius vestitu clàm ablato, & in interiores quosdam ædium recessus abdito, domi eum manere necessariò coegit. Iste autem, cum ardens illa præter ætatem ad martyrium propensio magis magisque inflammaretur, adeò vt quiescere non posset: ad patrem, vbi aliud nihil agere liceret, literas, quibus illum ad martyrium impelleret, misit. In quibus

Origenis ad patrem literæ, martyrij alacriter subeūdi exhortatoriæ.

cum his ferè vocibus adhortatus est: Obfirma te pater, martyrium fortiter sustine, nec aliud quicquam nostra causa molire. Istud igitur solertis Origenis à puero indolis, & verissimi erga pietatem amoris specimen, primùm literis à nobis proditum sit. Iam enim subsidia non exigua, ad doctrinam fidei confirmandam in animo inclusa & recondita habebat: quippe qui à primo tempore ætatis pijs sacrarum literarum studijs fuisset sedulò exercitatus. Neq; in illis quidem mediocriter versatus erat, propterea quòd præter humanioris literaturæ studia, à patre præterea attenta cura & cogitatione laboratum erat, vt Sacras literas vnà combiberet. Omninò enim ante liberalium artium & politioris doctrinæ studium, cum Sacris literis instituendum, exercendumque tradidit: ac

Sacrarū literarum à teneris studium.

sententias aliquot, quas ei cùm ad verbum ediscendas, tum memoriter coram ipso recitandas, præscripserat, ab illo in dies singulos exegit. Istud verò munus non animo inuito puer obijt: imò verò attentissimo studio suas in eo defixit cogitationes, adeò vt nō satis ei videretur, simplices, apertos, & tanquam in procliui positos Sacrarum literarum sensus eruere: sed aliquid altius peruestigare, & iam in ea ætate interiores & magis reconditas intelligentias curiosè elicere voluerit: vsque eò, vti patri nonnihil negotij

Leonidis de Origene F. ad huc puero concepta spes.

facesseret, dum accuratè scisciabatur, quid hæc vel illa Scripturæ diuinitùs inspirata sententia vellet indicare. Vnde pater, quanquam specie & vultu illum coràm reprehendere præ se tulit, admonens ne quid supra ætatis suæ captum, néue vlterius quàm apertus Scripturæ sensus ferebat indagaret, tamen animus illius tacitus apud se explebatur B iucundissima voluptate: & maximas Deo omniū bonorum auctori agebat gratias, quòd fuisset pro sua clementia & bonitate dignatus, eum talis filij patrem efficere. Iam verò puero dormienti illum sæpenumero astitisse, eiusque pectus stragulis denudasse ferunt: atque illud, perinde ac si sacer Dei spiritus idem ipsum sibi tanquam templum consecrasset, augustè & cum reuerentia osculatum esse: seque pro tali prole beatum & felicem existimasse. Ista quidem, aliaque his similia de Origene, dum puer erat, memorant.

Quemadmodum iuuenis cum esset, Christi religionem professus est.

CAPVT III.

Origenis adolescentia.

ORigenes cum vix adhuc decimum septimum ætatis suæ annum compleuisset, post patris martyrium, vnà cum matre & alijs sex fratribus minoribus natu, orbus relictus fuit. Ac tametsi facultates opesque patris erant in fis- *Huc refert Nicephorus cap. 4. et 5. lib. 5.*
cum Imperatoris relatæ, adeò vt ipse in magna rerū ad vitam necessariarū egestate vnà cum cognatis suis constitutus esset: diuina tamen prouidentia apud mulierem cùm fortunis locupletissimam, tum alijs rebus facilè præstantissimam (præterquam quòd virum quendam genere Antiochenum, ipsa famæ commendatione inter alios, qui tunc Alexandriæ se eadem deprauata erroris peruersitate obstrinxissent, percelebrem, sic beneuolentia complexa est, vt eum filium adoptaret, domi haberet secum, & præter cæteros benignè foueret) valde humanitùs exceptus fuit, & hospitio ac reliquis vitæ subsidijs donatus. Verùm Origenes, quanquam cum illo viro in eadem familia necessitate compulsus versabatur: tamen per idem tempus euidentia apertaque rectæ & catholicæ suæ de fide opinionis indicia ostendere non dubitauit.

Origenes à locupleti matrona sustētatus.

Nam cum frequens multitudo non hæreticorum tantummodò, sed nostrorum etiam, propter singularem dicendi vim & facultatem, quæ in Paulo inesse videbatur (hoc enim illi viro nomen erat) ad eum confluaret: Origenes tamen nunquam induci poterat, vt precibus vnà cum illo interesset: quippe qui ab incunte ætate & Ecclesiæ canonē obnixè obseruasset, & (vt ipse in libro quodam loquitur) errorum doctrinas fuisset semper detestatus. Ac quoniam antea à patre in Græcorum disciplinis liberaliter erat educatus, & post mortem illius multò studiosius attentiusque se totum in dicendi exercitatione

Origenes à teneris errorum doctrinas auersatus.

A citatione collocauerat, adeò vt iam mediocrem aliquam esset ad docenda † Grammaticæ præcepta facultatem consecutus: nō longo tempore à patris occasu his rebus se tradens, rerum necessariarum copiam affluenter, vt in ea ætate, sibi suppeditauit.* Atque cum ludum aperuisset, seque ad docendum (sicuti in suis scriptis narrat ipse de se) contulisset, & nemo iam Alexandriæ reliquus esset qui ad populum in fidei principijs instituendum operam daret (omnes enim doctos terror & persecutionis minę prorsus inde abegerant, nonnulli ex gentibus Dei verbum audituri, ad eum commeabant. Quorum Plutarchum primum fuisse fertur, qui vita honestè & præclarè transacta, mortem per beatum martyrium insigniter & glorioſe oppetijt. Secundum verò, Heraclam, germanum Plutarchi fratrem: qui cum præclarum vitæ, diuinæ sapientiæ studio addictæ & piæ exercitationis specimen apud illum dedisset, post Demetrium Alexandriæ episcopatu donatus est. Origenes decimumoctauum ætatis suæ annum iam agebat, cum scholæ Christianæ institutioni præficiebatur: in quo munere exequendo, dum persecutionum violentia, Aquila Alexandriæ præfecturam gerente, vehementer ingraueſcebat, permagnas sanè fecit progressiones: quo quidem tempore etiam propter incredibilem humanitatem erga omnes sanctos martyres cùm ignotos, tum notos declaratam, & propensum de illis benè merendi studium, insignem cum primis & celebrem nominis splendorem, apud omnes qui fidem Christianam profitebantur, consecutus est. Nā non solum ijs, cum essent in vinculis, & ad postremam de illis pronunciatam à iudice sententiam responderent, vsque præstò fuit: verùm etiam postea, cum sancti illi ad necem abducerentur, magna libertate loquendi vsus est, & se vnà libenti animo periculis obiecit: vsq; adeò, vt cum iam audacter & fidenti animo aduentaret, & ingenuè ac liberè osculo charitatis sæpe sanctos salutaret martyres, parum abesset quin gentilium multitudo, quæ vndiq; circunsistebat, tanquam ardentibus furiarum tedis exagitata, lapidibus eum concidisset: nisi dexteram diuinæ gratiæ subitò sibi adiutricem adeptus, mirè & præter omnium opinionem aufugisset. Quinetiam propter alacre eius & valde promptum studium, propterque sermonis libertatem in verbo Christi diuulgando declaratam iterum atq; iterum, imò vix, aut ne vix quidem dici poterit, quoties eadem ipsa diuina & cælestis gratia illum multorum insidijs appetitum liberauerit. Atq; ab in- B fidelibus ob multitudinem illorū, qui sacratæ fidei præceptis ab eo essent instituti, tanta tamque crudelis pugna erat contra eum suscepta, vti milites deligerent, qui clandestina coitione facta, ei in domo, in qua commorabatur, insidias collocarent. Sic quotidie persecutionis æstus, propter frequentiam eorum qui eius labore & industria ad diuinam & cælestem doctrinam aditum sibi patefactum habuissent, contra eum efferueſcebat, vt tota ciuitas Alexandriæ non amplius illum tenere tuerique potuerit: sed vbique vexatus, exagitatusque, domicilium subinde commutare cogeretur. Nec mirum sanè, cum tantam hominum frequentiam ad fidem conuertisse, cum vitæ suæ actiones & officia, valde admirabilia syncerissimæ & maximè ingenuæ sapientiæ documenta complecterentur. Nam vt est in prouerbio, qualis eius fuit oratio, tales fuere & mores: & quales mores, talis fuit & oratio. Quapropter diuina virtute & potentia illi cum primis opem ferente, infinitos propè ad se imitandum allexit. Verum vbi iam plures discipulos, cum sibi vni illud docendi munus à Demetrio (qui ecclesiæ illi tum præfuit) habe-

†Grammaticā hoc loco intelligit, vt Cicero in primo de Orat.
**Ruffi. c. 3.*

Plutarchus martyr.
Heraclas episcopus
Origenes XVIII annorū Christianæ scholæ præfectus.
Eiusdē in martyres officia.
Origenes quātum ob religionis professionē periclitatus.
Orationis & morum similitudo.
Demetrius episcopus.

ret concreditum, indies ad se confluentes animaduertit, existimans Grammaticarum præceptionum institutionem parum consentaneam esse studio illi, quod in diuinis literis docendis versari debet: abiecta cunctatione, Grammaticæ instituendæ exercitationem, vtpote Sacris literis tractandis inutilem, & propè aduersariam, deponit. Deinde consilio inito, & necessaria ratione subducta, ne aliorum subsidio ad vitam degendam aliquando egeret, quicunque libri orationes veterum scriptorum complectentes, ijque accuratè & eleganter ab illis compositi, sibi suppetebant, eos vendit: pacta conditione, vt ab emptore in dies singulos quatuor oboli ipsi ad victum suppeditarentur. Complu-

Origenis frugalitas.

ribus quidem annis isto modo philosophatus, vitam traduxit, omnemque iuuenilium cupiditatū quasi materiam circuncidit, amputauitque. Atque vt interdiu ad corporis libidinem refrenandam non exiguos exantlauit labores: sic noctis maiorem partem, in diuinarum literarum studijs collocauit. Vitam autem, vt quàm maximè secundum veræ sapientiæ normam gubernaret, toto pectore (vt dicitur) elaborauit, interdum ieiuniorum laboribus se ipsum exercendo, interdum tempore ad somnum dimenso (quem ad voluptates corporis coercendas, non in lecto aliquo omnino, sed humi capere, operæprecium putabat) se grauiter afflictando: maximè verò omnium illas euangelicas voces Seruatoris (quæ admonent, ne quis duabus tunicis, néue calciamentis vtatur, néue temporis futuri cura & solicitudine se conterat) studioſe obseruandas censuit;

Continentia.
Ieiunia.
Vigiliæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pietatis studium. Tolerantia, Egestas.

suit. Quinetiam maiore quàm ætas ferebat, pietatis studio incensus, tum frigoris & nuditatis molestias toleranter perpessus est, tum ad extremam egestatem sua sponte redactus, vti familiares suos in summam planè traduxerit admirationem, ac plurimos quidem, illorum, (qui eum rogassent, vt aliquid de ipsorum facultatibus propter eos labores, quos in Dei verbo docendo excolendoque ponebat, sibi ad victum sumeret) permagno dolore affecit. Verùm ille nihil omnino de suis laboriosis remisit vigilijs. Nam fertur multis annis nullo aliquando vsum fuisse calciamento, sed nudis pedibus incessisse: & non vini solum, sed aliarum quoq; rerum vsu, quas victus non poscebat, necessario, ad multorum annorum spacium se abstinuit: sic, vti iam in periculum deueniret stomachi sui non modò debilitandi, sed etiam penitùs labefactandi.

Quot ab eo instituti, ad Martyrium euecti sunt.
CAP. IIII.

Huc refer. Nicephori cap. 6. et 7. lib. 5.

ORigenes igitur cùm talia vitæ ex sapientiæ præceptis diuinitùs institutæ exempla, his qui ad ipsum obseruandum oculos adijciebant, proposuisset, meritò quidem complures ex discipulis ad simile vitæ genus libenter amplexandum prouocauit: vt iam etiam ex infidelium numero, viri non plebeij, sed præstantes cùm in omni genere literarum, tum in Philosophia vel maximè, ad eius disciplinam cupidè raperentur. Qui quidem cum eius sedulitate fidem & certam in verbo Dei persuasionem interiore mentis suæ recessu ingenuè syncereq; hausissent, in illo persecutionis tempore præclarè se admodum & constàter gesserunt: vnde nonnulli eorum capti, beato martyrio finem viuendi glorioſe fecerunt. *Ruff. ca. 4. *Origenis discipuli quot ad martyrium euecti.* * Ex quorum numero primus erat Plutarchus, de quo paulo antè mentionem feci: quo ad mortem abducto, parum aberat quin iste, de quo sermo instituitur, Origenes, dum illi in extremo iam vitæ suæ exitu adesset, à Plutarchi ciuibus (quippe causam mortis Plutarchi in eum transferebant) iam denuò interfectus fuisset. Cæterum perspicax Dei prouidentia illum etiam eo tempore è periculo eripuit. Post Plutarchum secundus ex Origenis discipulis, martyr fuit Serenus: cuius in Christum fides, quam animo imbiberat, ignis incendio satis exploratè probata fuit. Heraclides, tertius martyr, & quartus Heronex, eadem schola profecti. quorum vterque, (prior, dum adhuc catechumenus erat: posterior, antè nuper iam baptizatus) securi percussus fuit. Præterea ex eodem ludo alius à primo Serenus, quintus athleta, pro pietatis defensione, quam susceperat, pleno ore laudatur, cui post ingentem tormẽtorum perpessionem fama est caput ceruicibus abscissum esse. Ex mulierũ numero, quæ erant eius disciplina institutæ, Rhais adhuc catechumena, baptismũ (vt ipse Origenes quodam in loco ait) per ignem consecuta, excessit è vita.* Septimus inter istos numeratur Basilides, qui Potamiœnam multorum commendatione insignẽ ad supplicium deduxit, de qua frequens & celebris sermo apud ciues suos iam habetur, vtpote quæ cum infinitas propè pugnas pro corporis pudicitia & virginitate, qua præ cæteris excellebat, contra insanos amatorum suorum impetus (in ea enim præter animi virtutes, eximia præterea & integra corporis pulchritudo, cum mira venustate elucebat) constanter sustinuit: tum multiplices & graues ęrumnas pro fide in Christum exhauriens, ad extremum post tormenta acerba, dictuque horrenda, vnà cum matre Marcella, ignis incendijs absumpta mortem oppetijt. Ferunt quidem Aquilam (hoc enim iudicis nomen fuit) postquam graues vniuerso illius corpori plagas inflixisset, tandem ad corporis ignominiam & contumeliam libidinosissimis gladiatoribus illam se traditurum interminatum. illam autem paulisper intra se meditatam, cum rogaretur, quid sentiret? ciusmodi responsum dedisse, vnde visa est illis aliquid impietatis (sic enim putabatur) manifestò elocuta. Atque eueſtigiò, post definitiuam de ea latam sententiam, Basilides vnus ex satellitibus, eam acceptam, ad locum supplicij deducit. Simulatque autem multitudo ei molestiam facessere, & verborum petulantia insectari conabatur, hic eos qui contumeliam ei faciebant, repulsos coercuit, & maximam clementiam summamq; humanitatem in eam declarauit. Illa verò hominem pro illius erga se commiseratione vehementer amplexata, bono animo esse hortatur. nam ait se, simulac abiret è vita, à Domino suo veniam & gratiam pro eo efflagitaturam, & non diu pòst eius in se merita, iusta remuneratione compensaturam. Hæc cum dixisset, pice feruẽti per varia & diuersa corporis membra ab imis pedibus vsque ad capitis verticem sensim ac pedetentim diffusa, generoso & excelso animo migrauit è vita. Tale certamen ab hac percelebri & glorioſa virgine confectum fuit. Non longo temporis interuallo interpo-

*Serenus alius. Rhais catechumena martyr. *Ruff. ca. 5. Basilides. Potamiœna virgo. Marcella mater Potamiœnæ. Potamiœnæ martyrium.*

Basilidis confessio Christianismi.

A sito, Basilides, cùm satellites socij sui certa de causa iusiurandum ab ipso exigerent, asseueranter affirmat, omninò sibi nõ licere iurare: Christianum enim se esse, & hoc se propalàm fateri. At illi primò eum etiamnum iocari putabant. Verùm vbi illud constanter asserit, abducitur ad iudicem: & coram illo intẽtionem confessus, in vinculis conijcitur. Cùm fratres in Domino ad eum aduentarent, causamque repentinæ & admirabilis huius mutationis sciscitarẽtur, fertur respondisse: Potamiœnam, triduo post martyrium noctu ei assistentem, coronam ipsius capiti imposuisse: dixisseque, se pro eo gratiam à Domino postulasse, postulatam obtinuisse: & Dominum non longo tempore pòst, cum ad suam gloriam recepturum. Post illa, vbi fratres sigillum in Domino ei impertiuerant, postero die securi percussus, præclara martyrij corona donatus est. Alij item complures Alexandrię, eisdem temporibus, vtpotè quibus Potamiœna secundũ quietem apparuisset, eosq; fuisset impensè ad Dei verbum amplexandum cohortata, frequentes ad Christi fidem accessisse commemorant. Sed de his ista quidem hactenus.

Basilidis martyrium.

De Clemente Alexandrino. CAPVT V.

Vide Nicephor. l. 4. ca. 23.

POst Pantænum, Clemens scholæ Alexandriæ, ad fidei principia docenda institutæ, ad illud ipsum tempus quod iam persequimur, præfuit: sic, vt Origenes, dum puer erat, auditor eius, ac discipulus existeret. Clementis Stromata sub Seuero elaborata. Clemens verò in primo libro Operis quod στρωματεῖς inscripsit, annalium serie notata & exposita, tempora ad Commodi vsque mortem describit: adeò vt non obscurum videatur, illud opus, regnante Seuero (cuius tempora liber quem iam habemus in manibus, explanat) ab eo elaboratum fuisse.

Ruff. ca. 6. Origenes Clementis discipulus. fol. 127. l. 23.

De Iuda, scriptore Christiano. CAPVT VI.

Vide Nicephor. l. 4. ca. 33.

EOdẽ tempore Iudas, alius scriptor, in septuaginta septimanas à Daniele descriptas Commentarios edidit, inque illis temporum ordinem ad decimum annũ imperij Seueri tradidit. qui etiam scriptor, propterea quòd persecutionis tumultus contra nos excitatus, multorum mentes tam grauiter perturbaret, Antichristi aduentum, omnium ore atque sermone iactatum, iam tum appropinquare arbitratus est.

Iudas sub Seuero floruit.

Iudæ in Danielis Hebdomadas commentarij. Antichristi aduentus.

De Origenis animi magnitudine, qua se ipsum castrauit.
CAPVT VII.

Huc refer Nicephor. cap. 8. li. 5.

PEr idem tempus Origenes, dum scholæ Alexandrinæ, quam diximus, præerat, facinus quoddam admisit: quod quidem licet ex animo rudi & iuuenili videretur esse profectum, fidei tamen & castimoniæ specimen maximũ dabat. Istam enim Euangelij sententiam (Sunt eunuchi qui seipsos propter regnum cælorũ castrauerunt) aliquanto, vt fert ætas adolescentię, simplicius interpretatus, partim quòd Seruatoris vocem se penitùs implere oportere putauit: partim quòd cùm ætate valdè adolescens esset, & non cum viris modò, sed cum mulieribus etiam sermones de rebus diuinis & cælestibus conferret, omnem turpis calumniæ & obtrectationis ansam infidelibus prorsus adimere voluit, dictam Seruatoris sententiam ex occulto (facinus nanque maximam partem necessariorum suorum celare cogitat) exequi re ipsa aggressus est. Cæterùm tale facinus ab eo, quantumuis cupiente, occultari nõ poterat. Quocirca Demetrius, qui ibidem rexit ecclesiam, de eo pòst certior factus, tametsi hoc audax eius facinus vehementer admiratus est: tamen incredibilem animi propensionem & ingenuitatem fidei amplexatus, eum illicò confidere ac bono animo esse iubet: & maiore cura ac studio in munus, fidei principia instituendi, incumbere hortatur, impellitque. Ac tum quidem Demetrius eo animo fuit, & sententia. Verùm non longo temporis spacio pòst, idem cùm Origenem prosperè & feliciter rem gerentem, & magno splendore, famaque celebritate apud omnes prædicatum animaduerteret, ardore quodam æmulationis (vt est captus hominum) incensus, apud episcopos totius orbis eum, tanquam absurdissimi facinoris reum, per literas notare tentabat. † Et quoniam Theoctistus Cæsareæ episcopus, & Alexander Hierosolymorum, spectati in primis & præstantes præ cæteris Palęstinæ episcopis, amplissima dignitate, & summo honoris gradu, Origenem dignum arbitrati, manus illi vt presbyterio fungeretur imposuerant: idcircò Demetrius, simulatque Origenes ad tam magnam gloriæ claritatem processerat, atque adeò apud omnes homines vbiq; gentium non obscurum virtutis & sapientiæ nomen decusque obtinuerat, cùm nulla alia criminatio contra Origenem ipsi suppeteret, facti illius quod ineũte ætate conscisset,

Matth. 19. Origenes seipsum castrare ausus. Demetrij episcopi in Origenem æmulatio.

†Videantnot. pag. 60. lat. 1. lin. 5.

calumniam, tanquam grauem ignominiæ notam ei obiectauit: eosque simul qui illū A presbyterum creauissent, criminibus inuoluere conatus est. Ista quidē gesta sunt paulò pòst tempora, quæ modò persequimur. Origenes autem iam tum Alexandriæ illud docendi munus in omnes qui aduentabant, nulla habita personarum ratione, nocte dieq; sedulò est executus: & partim diuinis sacri eloquij studijs, partim illis qui ea de re ad ipsum discendi gratia accedebant, attentissimè omne ocium suum impertijt. Antoninus Hasianus Caracalla. Anno xii. Christi.

Sextus liber hinc porrò vsq; ad 1. cap. libri septimi cōtinet acta sub Antonino Caracalla, Macrino, M. Aurel. Antonino, Alexādro, Maximino, Gordiano, Philippo, Decio, annis quadraginta & vno: huc refer Herodianum libro 4. 5. 6. 7. 8. Iulium Capitolinum, Pomponium Lætū, Eutrop. lib. 8. 9. Oros. lib. 7. cap. 18. 19. 20. 21. His adde ex auctoribus supradictis vitas Pontifi. Rom. Calixti, Vrbani, Pontiani, Antheri, Fabiani, Cornelij: & supradictos tomos Conciliorum & Hærod.

De miraculis Narcissi. CAP. VIII.

Antoninus Seueri F. Imp.

VBi Seuerus imperium ad annos decem & octo administrauerat, Antoninus eius filius, ad eum honorem euehitur. Eodem tempore, vnus ex eorū numero qui in ea turbulenta persequutionis tēpestate se fortes & inuictos præstitissent, & post certamina fidei pro cōfessione susceptā essent integri & incolumes diuina prouidentia seruati, nomine * Alexander (quem modò episcopum ecclesiæ Hierosolymitanæ fuisse monstrauimus) propterea quòd confessione fidei Christianæ † temporibus persecutionis nobilitatus erat, episcopatu, quem dixi, cùm ad huc Narcissus, qui eum in eo officio anteibat, superstes esset, dignatus fuit. Præter multas alias admirabiles res gestas, quas, qui ex ea ecclesia sunt, ex sermone & traditione fratrum gradatim & ordine succedentium de Narcisso narrant, hoc præterea miraculum ab eo editum referunt. In magna & solenni Paschatis vigilia, oleum diaconis & ministris ecclesiæ defuisse perhibent. Vnde cū vniuersam multitudinem grauis quædam ægritudo & demissio animi occuparet, Narcissum ferunt, his qui luminaria apparabant, præcepisse, vt aquam ex puteo quodam, qui erat in proximo, haurirent, & ad ipsum adferrent. Quo absque mora peracto, eum super aqua orauisse, mandasseque vt cum vera & constanti in Dominum fide, eam in luminarium vasa infuderent. Quod vbi fecerant, contra omnem rationem, incredibili quadam & diuina virtute, naturam aquæ in olei naturam commutatam: & pro certo illius miraculi indicio, fratres complures qui illic erant, eo quidem tempore permultum ex illo oleo reseruauerunt, ex quo etiam aliquātulum ad nostram vsque ætatem custoditum est. Pleraq; item alia, memoria quidem digna, de vita istius viri commemorant: in quibus eiusmodi quiddam traditum est. Cū quidam nequam perditi homunciones grauem & seueram eam rationem, qua per vniuersam vitam tum in hominibus acriter admonendis, tum in eorum vitijs corrigendis vti consueuit, neutiquam ferre possent, præ metu, ne ipsi propter infinita scelera, quorum sibijpsis consciji erant, iudicati, ab eo pœnas luerent: cœperunt contra illum consutis dolis conspirare, & turpem quandam criminationis calumniam in cū conijcere: deinde quo magis auditoribus criminationis falsò obiectæ fidem facerent, eam iureiurando confirmare. Atque vnus sic deierare: Si non verè dixerim, opto vt ignis incendio miserè dispeream. Alter verò sic: Si non verè dixerim, opto vt fœdo ac fœuo morbo corpus absumatur. Tertius autem hoc modo, Opto si non verè dixerim, vt luminibus penitùs orbatus sim. Verùm quamuis nemo ex fidelibus, propter nobilitatam ac testatam inter omnes omninò Narcissi castimoniam, atque adeò ob vitæ rationem ex virtutis regula traductam, illis vel grauissimo iureiurando se obstringentibus, animum aut fidem adhibuerit: ille ipse tamē partim præ indignitate falso obiectæ criminationis, partim præ cupiditate vitæ in sapientiæ ac virtutis studio degēdæ, quam iam diu optauerat, ab oculis vniuersæ multitudinis se penitùs remouit, & in solitudine locisq; desertis ad multorum annorum spacium vitam transegit. Verū sublimis ille diuinæ iusticiæ vltionisque obtutus, his sceleribus patratis, minimè acquieuit: sed quàm celerrimè impios illos & nequam homines, qui inter iurandum tam diris execrationibus se cōtra seipsos obligassent, grauibus calamitatibus oppressit. Primus igitur illorum, scintilla perexigua noctu in ædes, quibus inhabitabat, ex nulla causa antegressa subitò ruente, miserè cum tota familia & stirpe sua rapido flammarum ardore omninò conflagrauit. Alterius corpus eodem morbo, quem sibi tanquam mulctam fore imprecatus esset, ab extremis pedum digitis ad caput vsque infectum, contabuit. Tertius, ærumnosos priorum euentus aspiciens, & Dei, qui oculis omnia intuetur, ineuitabilē vltionem admodum reformidans, palā inter omnes maleficia communiter à se suisque socijs per fraudē contra Narcissum admissa confessus est. Sed tamen dum pro delicto grauissimè condolescebat, tantis

Huc refer Nicephor. ca. 19. li. 4.

* Ruff. ca. 7. Alexander episcopus.

† Vide annot. pagina 60. lat. 1. lin. 18.

Narcissi miraculum.

Aqua in oleum versa.

B

Falsorum & calumniarum contra Narcissum pœnæ.

Narcissi in eremum secessus.

A tantis & tam acerbis lamentis se afflictauit, & vsque eò lachrymas effundere non destitit, quoad vtrumque oculum sibi penitùs extinxisset. Atque hi pro ea criminatione falso contra Narcissum conficta, tales pœnas persoluerunt.

De Episcopis Hierosolymitanis, & de Alexandro episcopo Hierosolymitano. CAPVT IX.

Huc refer Nicephor. ca. 10. li. 5.

VBi Narcissus se in locum desertum subduxisset, & à nemine esset pro certo cognitum, quò se recepisset: his qui finitimis ecclesijs præerant, visum fuit, vt alterum episcopum suffragijs crearēt. [a] Dius igitur (hoc enim nomine erat) delectus est: cui non longo tempore ecclesiam gubernāti, successit [b] Germanion: quo mortuo, [c] Gordius episcopatum obtinet. Cuius temporibus [d] Narcissus, tāquam ex mortuis ad vitam denuò reuocatus, à fratribus (quippè omnes illos deinceps, tum quòd tam placido ac quieto animo falsò accusatus decesserat: tum quòd singularis diuinæ sapientiæ & virtutis amore flagrabat: tum præterea omnium maximè, quòd Deus de eius accusatoribus debita supplicia sumere dignatus est, in maiorem sui admirationem rapiebat) vt ecclesiæ gubernacula denuò susciperet, vehementer rogatus est. Et cum Narcissus nō amplius propter ingraueſcentē ætatē ministerio præesse posset, Alexander, de quo suprà locuti sumus, alterius ecclesiæ episcopus, diuina prouidentia per reuelationem, quæ noctu ipsi secundum quietem apparuisset, vt cum Narcisso in ministerio ecclesiæ fungendo coniungeretur, accersitus est. Vnde Alexandrum, cùm tanquam diuino quodam oracvlo ex Cappadocum regione, vbi primùm in episcopatus gradu fuisset locatus, Hierosolymam tum voti, tum locorum visendorum causa contenderet, illius ecclesiæ fratres eum excipiunt benignissimè, & non amplius domum reuerti permittunt: idque propter aliam reuelationem, ipsis itidem noctu visam: quæ quidem voce eu identissima profusa, eis qui erant inter illos ob virtutem spectatissimi, perspicuè significauit, vt extra portas ciuitatis egressi, eum episcopum admitterent, qui ipsis à Deo antè designatus erat. Quo ad hunc modum gesto, Hierosolymitani communi episcorum consensu, qui finitimas ecclesias procurabant, necessariò illum apud se manere coegerunt. Idem ipse Alexander in suis epistolis, quas ad * Antinoitas scripsit, quæq; adhuc apud nos extant, Narcissi collegæ sui in præfectura ecclesiæ Hierosolymitanæ gerenda mentionem facit, ista in extrema illa epistola ad verbum scribens: Salutat vos Narcissus, qui hic ante me episcopatus locum occupauit, & centum iam & sedecim annos prætergressus, mecum in eodem ministerio, quorundam precibus coniunctus fuit: qui obsecrat vos, vt idem mecum sentiatis, eademque sitis voluntate. Atque hæc isto modo.

Ruff. ca. 8. *Episcopi absente Narcisso Hierosolymis creati.*

[a] *Dius epis.*
[b] *Germanion.*
[c] *Gordius.*
[d] *Narcissi ab eremo reditus*

Ruff. cap. 9.

* Antinoitæ sunt incolæ Antinoi, quæ ei uitas est Aegypti, dicta et Antinoia, ab Antinoo puero Hadriani Imp. in cuius perpetuā memoriā conditaest. Vocatur eadē quoque Hadrianopolis, vide supra ca. 7. lib. 4.

Alexander episcop. Narcissi collega. Vide Socratē li. 7. fol. 184. b

Alexandri epistolæ.

Huc refer Nicephor. ca. 27. li. 4.

ASclepiades, qui Antiochenæ ecclesiæ, Serapione morte consopito, episcopatum capessit, Asclepiades multum laudis & gloriæ adeptus est. Cuius in episcopatum ordinationis, Alexander ad Antiochenos scribens, ita ferè meminit: Alexander seruus Domini, & vinctus Iesu Christi, beatæ Antiochenorum ecclesiæ in Domino S. Mihi audienti Asclepiadem, virum propter fidei amplitudinem ad ministerium accommodatissimum, sanctæ quæ apud vos est ecclesiæ episcopatum diuina prouidentia obtinuisse: Dominus vincula mea, dū in carcere concluſus tenebar, mitiora leuioraque reddidit. Hanc aūt epistolam per Clementē se misisse significat, in fine illius scribēs ad hunc modū: Istas literas domini mei fratres, per beatū Clementē presbyterum, virū virtute & probitate eximium, ad vos misi: quē & cognoscitis, & melius cognoscetis. Qui singulari Domini prouidentia, & clementiæ obtutu huc aduentans, ecclesiam Christi tum stabiliuit, tum adauxit. Quāquam Serapionis in scribendo industriæ & vigiliarum alia credibile est apud alios conseruata esse monumenta: sola tamen ea ad nos peruenerunt, quæ contra † Domnum quendam, qui persecutionis tempore à fide in Christum excidisset, seque ad Iudaicam superstitionem transtulisset, scripta fuerunt, & ad Pontium & Carinum ecclesiasticos viros missa: atque certæ quædam ad alios epistolæ. Alius est liber ab eo confectus, de Euangelio quod secundum Petrum dicitur: quem quidem elucubrauit, quò ea quæ in eo erant, falsò commemorata, penitùs refelleret: idque propter certos fratres, qui in ecclesia Rossensi illius euangelij simulatione, ad alienas doctrinas, & à fide discrepantes se applicuissent: ex quo quidem libro pauca verba, quibus suam de eo euangelio sententiam exponit, commodè citare, nō fuerit ab instituto alienum. Nos enim, fratres, & Petri & aliorum Apostolorum doctrinam recipi-

Asclepiades epis. Antiochiæ successor Serapionis.

†Videannot. pag. 61. lat. 1. l. 6. ac deinceps. Nicephorus hunc Carionem vocat, Eusebius supra cap 18. li. 5. Coricum hunc, & alterum Ponticum vocatur. Sunt etiā qui illū Carinū vocent.

Ruff. ca. 10. *Serapionis scripta. Domnus prosbytus.*

† *alias Dominum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

recipimus, sicut & Christi: sed libros quosdam eorum nominibus falso inscriptos, vtpo- A
tè eius rei satis experti, omninò repudiamus: idque pro certo cognoscentes, nos eius- "
modi non aliquando ab illis accepisse. Ego enim cùm essem apud vos, putabam certè "
omnes rectæ fidei penitus addictos fuisse. Librum idcirco qui Petri euangelium inscribe- "
batur, mihi ab illis oblatum, cùm minimè perlegissem, equidem dicebam: Quòd si, quia "
hoc euangelium inter vos non legatur, animo & voluntate dissideatis, legatur quidem. "
Verùm cùm iam intelligam, illos occasione ex ijs quæ ipse tum dicebam, arrepta, in er- "
roris cuiusdam latebras irrepsisse, ad vos denuò venire maturabo. Quare, fratres, breui "
me expectatote. Nos autem fratres, minimè nescij cuiúsnam erroris & sectæ auctor fu- "
erit Marcianus, & quo pacto, dum ea quæ loquebatur, non intellexit, sibi ipsi repugna- "
uerit (quæ planè ex his quæ ad vos scripta sunt, facilè discetis) simulac à quibusdam qui "
hoc ipsum euangelium vsurpant, hoc est, ab his qui ex eo primùm suum duxerunt er- "
rorem, quos appellamus δοκητάς, id est, opinatores (complures enim & variæ sunt eorum "
disciplinæ, sensus & sententiæ) sciscitati essemus, poteramus facilè animaduertere non- "
nullas illius Euangelij sententias, cùm vero rectoque Seruatoris verbo consentientes "
esse: aliàs autem ab eo diuersas, discrepantesque. quas hic vestris tanquam oculis ad "
contemplandum subiecimus. Atque de Serapione hactenus.

Petri Euangelium.

Marciani hæresis.

Δοκηταὶ. Opinatores.

De Clementis operibus & scripturis, quas ille commemorat.

CAPVT XI.

Huc refert Nicephor. ca. 33. lib. 4.

Ruff. ca. 11. Clementis Alexandrini scripta. Stromata. Hypotyposes.

LEmentis omnes octo libri στρωματεῖς, id est, variè contexti, apud nos integri seruantur. quos tali inscriptione donauit Titi Flauij Clementis commentaria στρωματεῖς, hoc est, varia ratione contexti, qui multiplicem veræ ac diuinæ Philosophiæ cognitionem complectuntur. Totidem etiam libri sunt ab eo editi, qui ὑποτυπώσεις, id est, informationes inscribuntur: in quibus Pantænum doctorem & magistrum suum nominatim memorat, cùm Commentarios eius in Sacras literas recensendo, tum traditiones etiã explanando. Est eius liber ad Gentiles hortatorius. Tres item, qui inscribũtur Pædagogus. Alius, cuius titulus sic habet Quis nam diues ille sit, qui saluetur. De Paschate liber vnus. Disputationes de ieiunio. Liber B obtrectationis. Est præterea liber eius hortatorius ad patientiam. Alius, ad nuper baptizatos. Alius qui nuncupatur Canon ecclesiasticus, siue contra eos qui Iudæorum sequũtur errorem: quem episcopo Alexandro, de quo suprà verba fecimus, dedicauit. In libris στρωματέων, non modò sententias ex sacra Scriptura collectas dispersè intexit: sed etiã ex gentilium scriptorum libris, si quid ab illis commodè dictum videatur, sumit, cùm Græcorum simul & Barbarorum opiniones, quæ apud multos iactatæ sunt, aperiendo: tum falsos & commẽticios errores eorum qui inter hæreticos principem locum obtinebant, coarguendo: deniq; explanationẽ multiplicis doctrinæ, & literarum cuiusque generis, vnde copiosa materia nobis suppetit prudentiæ, ante oculos lectoris proponit. Atque his vniuersis philosophorum dogmata admiscuit. Vnde non sine causa inscriptionem operis, argumento valdè consentaneam, fecit στρωματεῖς. In eisdem octo libris vtitur testimonijs Scripturarum, quibus à multis solet contradici: nimirum Sapientiæ, quæ Salomonis dicitur: & Ecclesiastici, Iesu Syrach: & epistolæ ad Hebræos, & Barnabæ & Clementis, & Iudæ. Tatiani item librum contra Gentiles citat: & librum Cassiani, quem de temporum ordine conscripsit. Philonis porrò, & Aristobuli, Ioscphi & Demetrij & Eupolemi, Iudæorum scriptorum memoriam non præterit: quippe qui suis scriptis Moysen, & Iudæorum gentem, vetere illa prosapia quæ apud Græcos iactatur, longè antiquiorẽ fuisse perspicuè commonstrant. Atque isti Clementis libri, quos iam persecuti sumus, maxima optimarum disciplinarũ materia referti sunt. In primo libro eiusdem operis de seipso loquitur, quòd propè ad Apostolorũ tempora successerit. In eisdẽ libris Cõmentarios in Genesim se editurũ pollicetur. Item in libro illius quẽ de Paschate cõposuit, fatetur se à familiaribus suis cõpulsum, vt traditiones, quas à veteribus presbyteris accepisset, literis proderet ad posteritatẽ. In eodem libro Melitonẽ, Irenæum, & alios nonnullos cõmemorat, narrationesq; aliquot ex eorum libris petitas recenset. In libris ὑποτυπώσεων, vt summatim comprehendam, sicut in vniuersas Scripturas, quæ omnium consentiente auctoritate confirmantur, breues scripsit explicationes: ita neque eas quidem quæ à multis vocantur in controuersiam, passus est interpretationũ suarum expertes esse: Iudæ epistolam dico, & Catholicas, & epistolam Barnabæ, & reuelationem quæ Petri esse dicitur. Epistolam item ad Hebræos scriptam, Pauli esse affirmat, & Hebraico sermone ad Hebræos ab eo editam. Lucam autem eam accuratè in Græcum, vt Græcis traderet, conuertisse: illudq; planè ex interpretatione ipsa facilè intelligi posse,

Clementis στρωματῶν libri.

Vtitur authoribus Sacris ac prophanis.

Vtitur scripturis in ecclesia controuersis.

Traditiones Patrum à Clemente conscriptæ.

Hypotyposeõ libri Clementis.

Epistla ad Hebræos.

A posse, quòd epistola & acta Apostolorum idem orationis filium habeant. Atque hanc inscriptionem, Paulus Apostolus, non sine causa in epistolæ principio fuisse prætermissam. nam cùm Paulus ad Hebræos epistolam scriberet, quia illi præiudicatam animis sententiam, & suspectam opinionem, contra eum eiusq; doctrinam combiberant, nomen consultò admodũ non inscripsisse: ne in ipso exordio animos illorũ prorsus ab epistolæ lectione auerteret. Deinde longius aliquanto in oratione progressus, addit ista: " Iam verò, sicut beatus quidam presbyter dicebat: quoniam Dominus ipse Apostolus pa- " tris sui omnipotentis ad Hebræos missus fuit, Paulus quia erat ad gentes missus, mode- " stè quidem, cũm ad Hebræos scriberet, se Apostolum Hebræorum non inscripsit, par- " tim propter honorem, quem Domino Hebræorum Apostolo tribuebat: partim, ne cũ " gentium præco & Apostolus esset, præter officium ad Hebræos scribere videretur. Rur- " sus Clemens in ijsdem libris, traditionem de ordine temporum quibus euangelia scri- " pta erant, à veteribus presbyteris acceptam, ad hunc modum exponit: Euangelia, quæ in " se complectuntur genealogias, antè scripta dicuntur. Illud autem quod secundũ Mar- " cum inscribitur, talem causam habuisse fertur: Cùm Petrus Romæ publicè verbũ Dei " prædicaret & Spiritus sancti instinctu Euangelium Christi exponeret, multos qui præ- " sto aderant, Marcum, vtpotè qui eum diutius comitatus fuisset, & eius verba memo- " ria teneret, magnoperè obsecrasse ferũt, vt ea quę fuissent ab illo prędicata, scriptis man- " daret. Quod quidem euangelium simulac ediderat, illis qui illud ab eo rogauissent, im- " pertijt. Petrum autem, vbi de eo certior factus erat, euangelium cùm ratum fecisse, tum " homines ad idem legendum adhortatum. Ioannem verò, vtpotè sacro sancti Spiritus " impulsu commotum, postquam intellexit, ea quæ ad corpus & humanitatem Christi " spectabant, in illis Euangelijs explicata: quorundam familiarium ac necessariorum ro- " gatu, euangelium spirituale post reliquos Euangelistas conscripsisse. Tot extant Cle- mentis opera. Alexander item, de quo suprà mentio facta est, Clementis simul & Pan- tæni, velut quibuscum noticia sibi intercessisset, in epistola quadam ad Origenem me- " minit. sic enim scribit: Hæc, vt scis, voluntas Dei fuit, vt amicitia à maioribus nostris in- " ita, nobis firma & integra permaneret: imò indies feruentior esset, & stabilior. Nam il- " los beatos patres, qui ante nos viam virtutis sedulò institerunt (ad quos non multò " post nos profecturi sumus) cognouimus: Pantænum dico verè beatum, ac dominum " meum: & sanctum Clementem, etiam Dominum meum, qui multum mihi sæpè com " modauit: & si quisquam sit alius eius generis. Per quos quidem in tuam veni familiari- B tatem, qui longè optimus & dominus & frater mihi es. Atque hæc ita se habent.

Dominus ipse patris ad Hebræos Apostolus.

Euangeliã quo ordine scripta. a Marci Euãgelium.

Io annis Euãgelium.

Alexandri elogium de Clemente & Pantæno.

De eximia Heraclæ tum doctrina, tum eloquentia: & de Origenis in Sacris literis studio & Symmacho, diuinarum Scripturarum interprete.

CAPVT XII.

Huc refer Nicephor. ca. 35. li. 4. item. lib. 5. cap. 12.

ADamantius (hoc enim erat etiam Origeni nomen) Zephyrino eisdem temporibus Romanã ecclesiam gubernante, scribit se Romam propterea iter susceptisse, quòd sibi admodũ erat in optatis, ecclesiã Rom. planè antiquissimam visere. vbi non diu cõmoratus, Alexandriã reuertitur, atq; ibi consuetũ docendi munus omni studio & industria exequitur: idq; Demetrio illius ecclesiæ episcopo etiã tum eum admodum adhortante, & precibus propè efflagitante, vt fratribus non grauaretur esse adiumento. * Verùm Origenes, postquã vidit seipsum non satis habere viriũ, cùm ad reconditius rerum diuinarũ studium, & sanctarũ Scripturarum indagationem, explicationemque, tũ ad eos in fidei principijs instituendos, qui ad ipsum accedebant (à quibus dum alij post alios passim à primo vsq; mane ad vesperam, ad eius ludum literarium quotidie commeabant, ei ne respirandi quidem locus concedebatur) multitudinem discipulorum in duas partes distribuit: & Heraclam cæteris suis discipulis præferens, virum cùm sacrarum literarum studiosum, tum reuera in alijs disciplinis disertissimum, tum philosophiæ denique non ignarum, socium in instituendi munere sibi asciuit: & huic eos erudiendos commisit, qui ipsis fidei elementis modò essent imbuendi: eorum autem disciplinã qui in cursu erant positi, & ipso doctrinæ sacræ habitu aliquãto maturiores, sibi ipsi docendos reseruauit. * Tanto porrò studio, tantaq; cupiditate Sacrarum literarum accuratè peruestigandarum ducebatur Origenes, vt linguam etiam Hebraicam studiosè perdisceret: & non modò veteres Scripturarum exemplaria apud Iudæos Hebraico sermone scripta custoditaque sibi acquireret: verùm etiam aliorum interpretationes, qui præter Septuaginta, Sacras literas conuertissent, exquisitè indagaret: adeò vt præter tritas illas & vulgares Aquilæ, & Symmachi, & Theodotionis interpretationes, aliquantum inter se discrepantes; alias

Adamantius Origenes.

Origenis Romã profectio, circa annum Christi 211.

* Ruff. c. 12.

Origenis in Sacris literis studiũ.

Heraclas Origenis in schola socius.

* Ruff. c. 14.

Hebraicæ linguæ studium.

Versiones Aquilæ, Symmachi, Theodotionis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alias quasdam præterea inueniret: quas iam longo tempore abstrusas, ex quibusdam A recessibus (vnde haud equidem scio) diligenter inuestigãdo eruit, tandemque in lucem eduxit. De quibus propter obscuram & obliteratam inscriptionem, cuius demum auctoris essent, penitùs ignorans, istud solum indicat, quo pacto vnam quidem offendisset Nicopoli apud Actium litus, alteram in altero loco nõ dissimili. In Psalmorum libro, qui ἑξαπλᾶ dicitur, id est, qui septuplicem (vt ita dicam) complectitur trãslationem, post quatuor communes & vulgares interpretationes non solùm Quintam, sed etiam Sextam & Septimam adiungens, in vna illarum ostendit, quo pacto ea in vrbe Hiericho, temporibus Antonini Seueri, esset in dolio reperta. Atque ipsas in vnum volumen omnes redigens, columellis inter se distinxit, & alterum alteri ex aduerso vnà cũ exemplari Hebræorum apposuit. Sic exemplaria illa quæ ἑξαπλᾶ dicuntur, nobis reliquit. Aquilæ porrò & Symmachi, & Theodotionis editionem, vnà cum septuaginta interpretum explicatione, in opus quadrupliciter contextum separatim digessit. Intelligendũ est, Symmachum, vnum ex his interpretibus, hæresim Ebionitarũ propugnasse. Ista autem hæresis quæ Ebionæorum nomine appellatur, est eorum (sicuti ex superiore historiæ nostræ sermone discimus) qui affirmant Christum ex Ioseph & Maria prognatum, eumque solum hominem existimant, & legem more Iudæorum obseruandam constãter asseuerant. Commentarij item Symmachi ad hoc vsque tempus custodiuntur: in quibus ex testimonio euangelij secundum Matthæum, errorem, de quo locuti sumus, roborare contendit. Istos commentarios Origenes cum alijs Symmachi in Scripturas explicationibus, ostendit se à Iuliana quadam accepisse, atque illam ab ipso Symmacho eos libros sumpsisse.

Hexapla Psalterij.

Symmachus Ebionitarum hæreseos propugnator.

Ebionitarum hæresis quæ.

Symmachi Cõmentarij.

De reprehenso ab Origene Ambrosio, & doctrina Origenis.

CAPVT XIII.

Huc refer Nicephor. ca. 11. 12. 13. 14. 15. libr. 5.

Ruff. ca. 15. Ambrosij à Valentiniani hæresi per Origenem cõuersus.

PEr idem tempus Ambrosius, qui Valentiniani erroris prauitate erat infectus, ipsa veritate, cuius partes Origenes in disputando susceperat, conuictus, confutatusque, ac veluti lucis splendore interiore mente illustratus, rectæ & ecclesiasticæ fidei se totum addixit. Alij etiam complures exquisita doctrina imbuti, propter celebrem famam quæ de Origene vbiq; emanauerat, ad eum se conferebant, periculum de accurata cumulataque viri in Sacris literis facultate & noticia facturi. Infiniti porrò hæretici, & philosophi non pauci, omni literarum genere cum primis eximij, studiosè & attentè ei animum aduertebant: & præterquã quod Sacris & diuiuis literis, exteris præterea disciplinis quæ ad philosophiam attinebant, aliqua ex parte ab illo eruditi institutique fuerunt, illos item quos ingenij acumine & bonitate valere intelligebat, Philosophiæ cognitione, Geometria, Arithmetica, & alijs id genus artibus quæ ad grauiora studia viam muniunt, informauit, excoluitque. Deinceps ad philosophorum sectas, eorumque opiniones perdiscendas deduxit, & libros ab illis conscriptos eis exposuit, cùm præclarè in eos commentando tum perspicaci mentis solertia in singula intuendo, adeò vt philosophus planè insignis esset omnium Græcorum sermone prædicatus. Cõplures item qui ingenio erant paulò obtusiore, ad humaniores literas, quæ sunt in communi consuetudine positæ, perdiscẽdas impulit: asseuerans, eos non parum fructus & commoditatis ex illis, & ad sacrarum literarum cognitionem, & ad mentis ad easdem ingrediendas præparationem percepturos. Vnde secularis (vt ita dicam) literaturæ ex philosophia petitæ studium & exercitationem sibi in primis necessariam existimauit. Illius verò singularis præstantisque in his rebus progressionis testes sunt Græcorum philosophi, qui eius temporibus vigerunt. In quorum libris crebram huius viri mentionem inuenimus: propterea quòd nõnulli aliquando suos libros illi dedicabant: interdum lucubrationes ad eum, tanquam ad magistrum, quò de illis iudicium faceret, referebant. Verùm quid attinet ista commemorare, cùm Porphyrius, nostra iam memoria in Sicilia degens, (qui quidem libros contra nos, quibus diuinas Scripturas calumnijs insectari conatus est, edidit: quiq;, cùm eorum commentarijs sedulò euoluendis, qui eos interpretati fuissent, nihil reperiret, quod religionis nostræ doctrinæ vitio dare posset, tanquam dicendi facultate destitutus, se ad interpretes ipsos conuicijs lacerandos conuertit: ipsumque Origenem in primis, quem, dum ipse adhuc adolescens erat, se cognouisse dicit) cùm ille, inquam Porphyrius hominem, dum probris & maledictis concidere molitur, imprudens maximis laudibus efferat, partim vera dicendo, cũ aliter nullo modo dicere queat: partim falsa comminiscendo, in quibus se putarit à nemine posse perspici. quanquam aliquoties illum, quia Christianus erat, criminatur: non rarò tamen propter præstantiam, qua in studijs

Origenis celebritas ob multijugam eruditionem.

Porphyrius religionis Christianæ insectator, & Origenis calumniator.

A studijs philosophiæ & liberalium artium disciplina excelluerit, summè admiratur, & „ maxima commendatione extollit. Cæterùm eum hæc de eo cõmemorãtem audiamus. „ Nonnulli dum in animo habebant, non ab impijs & vitiosis Iudæorum scripturis de- „ sciscere, sed earum obscuritatem dissoluere, aperireque, ad interpretationes quasdam „ malè cohærentes, & Scripturis illis parum accommodatas se transtulerunt: quæ non „ tam ad defensionem exteræ & peregrinæ Iudæorum doctrinæ, quàm ad approbationem „ & laudem suæ faciunt. Nam dum ea quæ planè & apertè à Moyse dicta sunt, inani ven- „ ditatione ænigmata esse iactitant, & velut diuina oracula plena arcanorum mysterio- „ rum summa veneratione celebrant, insolenti quadam arrogantia & fastidio elati, ani- „ mi sui iudicium perstringunt, & leues vanasque interpretationes introducunt. Deinde „ paulo pòst subnectit Huius inscitiæ & stultæ opinionis exemplum ab Origene sumatur, „ Viro, qui cum mihi, cùm essem admodum adolescens, aliqua intercedebat familiari- „ tas: qui quidem & illo tempore in maximo honore fuit, & adhuc est, propter libros „ quos post se reliquit, in non minore: cuius gloria apud istius doctrinæ professores ac ma- „ gistros est cum magno splendore peruagata. Iste enim Ammonij factus auditor (qui no- „ stra quidem ætate magnam in philosophia comparasset commendationem) tametsi „ ad literarum cognitionem & peritiam, magnam sanè à magistro percipiebat vtilitatem: „ ad rectam tamen vitæ institutionem & modum, diuersam ab illo & omnino contrari- „ am viuendi viam ingressus est. Nam Ammonius Christianus, à Christianis parentibus „ educatus, quando in prudentia aliquam progressionem fecerat, & philosophiæ studia „ semel degustauerat, statim à Christianismo ad eam vitæ rationem quæ humanis legibus „ gubernatur, se transtulit. Origenes autem Græcus, in Græcorum disciplinis institutus, „ ad rude & barbarum vitæ genus, temeraria quadam audacia inductus, animum appu- „ lit: ad quod se referens, cùm seipso, tum ea perfectione & quasi maturitate, quam in „ politiore doctrina adeptus fuisset, ad turpem quæstum abusus est. atque quod ad vitam „ attinet, eam Christiano more iniustè impieque exegit: quod spectat ad opiniones, quas „ cùm de alijs rebus, tum de diuino numine tenebat, in illis Græcorum consuetudinem „ imitatus, etiam eorum doctrinam ad peregrinas & commenticias fabulas Iudæorum „ confirmandas, tanquam subsidium sibi comparauit. Platonis enim libros semper ha- „ bebat in manibus: in Numenij & Cronij scriptis multum versabatur: Apollophane, „ Longino & Moderato vtebatur familiariter: Nicomachi & aliorum illustrium Pytha- „ goreorum monimenta terebat sedulò: Cheremonis Stoici & Cornuti libros crebrò v- „ surpabat. Ex quibus cùm rationem ac modum mysteriorum per allegorias explicando- „ rum, quo Græci scriptores vti solebant, accuratè didicisset, eum ipsum ad Iudaicas scri- pturas accommodauit. Hæc à Porphyrio in tertio libro operis sui contra Christianos conscripti, commemorata sunt, qui sanè de viri studio & doctrinæ abundantia verè affirmat: sed in reliquo sermone, in quo ait ipsum à Græcorum religione ad fidem Christi se transtulisse: Ammonium autẽ, ex viuendi ratione quæ est secundum verum Dei cultum, ad mores Græcorum delapsum, perspicuè certè (quid namque non falso comminisceretur Christianorum hostis) atque adeò improbè mentitus est. Nam & instituta Christianæ disciplinæ (sicut historia superior declarauit) Origeni à parentibus integra tradebantur: & Ammonio syncera diuinæ philosophiæ religionisque Christianæ præcepta firma vsq; ad extremum vitæ exitum permanserunt: sicut hominis libri tanta elaborati industria, tamq; multorum commendatione approbati (quos posteritati reliquit) adhuc multis in locis testes esse poterunt: vt ille, qui de consensu & conuenientia Moysis cum Iesu inscribitur, & alij qui reperiuntur apud literarum studiosos. Ista igitur hoc loco à nobis posita sint, ad declarationẽ tum calumniæ maleuoli obtrectatoris, tum exquisitæ & copiosæ Origenis in Gẽtilium disciplinis cognitionis: de qua in epistola quadam, missa ad illos qui ei vitio vertebant, quòd tantum studium in illis disciplinis „ collocauisset, hæc scribit. Quoniam ad me, verbo Dei addictum & consecratum, fama „ de illa mea, quam iam in bonis literis adeptus fuissem, maturitate per multorum ora „ volitante permulti cùm hæretici, tum qui artium liberalium ac gentilium disciplina- „ rum eruditione, & eximia philosophiæ noticia maximè præstabant, frequentes accesse- „ runt: placuit & dogmata hæreticorum, & philosophorum instituta, quæ de veritate dis- „ serere profitentur, diligenter peruestigare. Hoc autem fecimus, non solum Pantænum „ imitati, qui multis ante nos multum planè attulit adiumenti, quod illo studiorũ gene- „ re exquisitè instructus esset: verùm etiam Heraclam, iã Alexandrię presbyterij gradum „ adeptũ: quem apud disciplinæ philosophicæ magistrũ & doctorẽ, cum iam quinquen- „ nio antè, quàm ego ad eam studiorum rationem audiendam me conferre cœperam, illi „ viro enixè operam dedisset, reperi. Et propterea non modò vulgari veste, & communi,

Porphyrij de Origene iudicium.

Origenes Ammonij auditor.

Ammonius Christiãus initio. per philosophiã ad gentilismum delapsus.

Origenis studia.

Ammonij scripta, constantiam eius in Christianismo testantia.

Origenis in Gentilium disciplinis studium.

qua antè vsus fuisset, exuta & deposita, philosophi apparatum, quem adhuc retinet, sibi assumpsit: verùm etiam libros gentilium etiamnumeuoluere pro viribus non desistit. Atque hoc modo de Gentilium disciplinis, & earum studio, Origenes dicitur respondisse. Eodem tempore illum scholæ Alexandrinæ operam nauantem miles quidem adijt, & literas à præside Arabiæ tum Demetrio episcopo, qui ibidem rexit ecclesiam: tũ præfecto, qui tum Aegypto præfuit, attulit, vt cum omni festinatione Origenẽ ad ipsum mitterent, qui in Sacris literis ipsum erudiret. Quapropter ab illis ad eum missus Origenes, proficiscitur in Arabiã: ac negotio cur eò se contulisset, breui ad exitum perducto, iterum Alexandriam reuertitur. Non longo temporis interuallo interiecto, vbi intestinum & ciuile bellum non exiguum quidem ibi exardescebat egressus est Alexandria. & cum non satis tutò se in Aegypto commorari posse putaret, iter capit in Palæstinam, & Cæsareæ ludum aperit: vbi, licet nondum Presbyterij gradu potitus, ab episcopis qui ibi erant, non ad disputandum solum, sed ad Scripturas etiam aperiendas, magnoperè in communi ecclesiæ consessu rogatus est. Quod quidem poterit esse perspicuum ex his, quæ Alexander Hierosolymorum episcopus, & Theoctistus episcopus Cæsareæ, ad Demetrium, in Origenis defensione sic ferè respondebant: Quod autem in literis adiunxeris, nunquam antea auditum, neque iam vsurpatum, vt Laici, præsentibus episcopis disputarent, Scripturasq; exponerent: in eo mihi nescio quo modo videris perspicuè falsa dixisse. Nam vbi idonei & habiles reperiuntur, qui fratribus in verbo Dei adiumento sint, à sanctis episcopis rogantur, vt populũ in verbo instituant: sicut Larandis Euelpis à Neone, Iconij Paulinus à Celso, & apud Synados Theodorus ab Attico, qui omnes beati & pij fratres erant. Ac verisimile est, quamuis nobis obscurum & minimè cognitũ sit, illud idem in alijs locis fieri. Hic quem dico, Origenes adhuc adolescens, non modò ab episcopis quibuscum familiaritatem contraxerat, sed à peregrinis, qui illum propè ignorabant, isto modo in magno honore habitus fuit. Quin, vbi Demetrius & per literas eum accersiuerat, & per diaconos ecclesiæ vt maturè rediret Alexandriam hortatus erat, ille eò reuersus, consueta studia & exercitationes denuò obire cœpit.

Origenis Arabiam profectio.

Cæsareæ S. Scripturæ explicandæ præfectus.

Laicis an S. Scripturæ tractare permissum.

Origenes Alexandriam reuertitur.

Quinam extant libri eorum qui tum temporis floruerunt.

CAPVT XIIII.

B

Ruff. ca. 16. PEr idem tempus complures ecclesiastici viri, eloquentiæ laude præstantes, floruerunt: quorum epistolas, quas alter alteri scripserunt, adhuc reseruatas reperire licet. Quæ etiam ad nostram vsq; ætatem, in Aeliæ, id est, Hierosolymorum Bibliotheca, quæ est ab Alexandro, tum illic ecclesiam administrante exædificata, custoditæ fuerunt: ex qua Bibliotheca ipsi ad opus quod habemus in manibus, permulta collegimus. In quorum disertorum virorum numero est Beryllus, episcopus Bostræ in Arabia, qui varios libellos ex optimis scriptoribus, tanquàm flosculos excerptos, vnà cum epistolis & alijs operibus post se reliquit. Hippolytus etiam alterius ecclesiæ episcopus his annumeretur, qui idem præstitit. Disputatio porrò Gaij, viri eloquentissimi, Romæ Zephyrino ecclesiã regente contra Proclum, Phrygum erroris propugnatorem habita, ad nos peruenit: in qua & aduersariorũ temeritatem & audaciam in nouis Scripturis contexendis, reprimit refutatque: & tredecim solum memorat epistolas diui Pauli apostoli, epistolam autem ad Hebræos reliquis non annumerat. nã illa apud quosdam Romanos etiam adhuc, Apostoli epistola esse non existimatur.

Aeliæ Bibliotheca ab Alexandro episc. extructa.

Beryllus episc.

Hippolytus episcopus.

Gaij contra Proclum disputatio.

Epistola ad Hebræos scripta à Paulo, dubiatum.

vide Nicephor. lib. 5. cap. 18.

Qui eo tempore episcopi noti erant.

CAPVT XV.

Macrinus Imp. anno Chr. 219. M. Aurel. Antonin. anno Chr. 220. Huc refer Nicephor. c. 26. lib. 5. Alexander Mamææ filius Imp. anno Chr. 224.

ANtonino, cum septem annos & sex menses regnasset, successit Macrinus: quo quidem ad annum eo munere perfungente, alius iterum Antoninus imperium capessit. Primo anno eius regni, Zephyrinus Põtifex Romæ, vbi decem & octo annos continuos ecclesiæ ministerium procurarat, vitã cum morte cõmutat. Huic in Pontificatũ successit Calixtus: qui vitã ad quinque annos traducens, Vrbano ecclesiam gubernandam reliquit. Eodem tempore, Antonino quadriennio solum reip. gubernacula tenente, Imperator Alexander in regnum Romanorum successit. Per id temporis Asclepiade mortuo, Philetus in Ecclesiæ Antiochenæ rectionem succedit. Imperatoris illius mater, nomine Mamæa, mulier (si quæ alia) virtute & pietate spectatissima, vita & moribus cùm primis religiosa, cum Origenis fama ita celebris passim hominum vagaretur sermonibus, vt ad eius etiam aures peruenire, permaguo videbatur æstimare, si non solum viri dignaretur aspectu: verum etiam eius in Sacris literis intelligentiæ, quam omnes admirabantur, periculum faceret. Illa igitur iã tum Antiochiæ commorãs, per turbam satellitum, illum ad se accersiuit.

Calixtus pũt. Rom. Vrbanus.

Philetus episc.

Mamæa Imperatoris mater ab Origene in religione instituta.

Apud

A Apud quam ille, vbi ad tempus moram fecerat, & multa quæ ad gloriam Domini & diuinæ eius disciplinæ ac potentiæ amplitudinem spectabant, ei exposuerat, ad consueta studia & exercitationes se maturè recepit.

Quæ Hippolyti monumenta ad nos peruenerunt.

CAPVT XVI.

Vide Nicephor. l. 5. cap. 13. ILlo ipso tempore Hippolytus, præter alios plerosq; Commentarios, quos componebat, opus de Paschate conscripsit: in quo & temporum seriem explanat, & canonem quendam sedecim annorum de Paschate ponit, & tempora solum describit ad primum annum imperatoris Alexandri. Cætera eius scripta, quæ ad nos venerunt, sunt hæc: In sex dies Commentarij: In ea quæ sex dies sequũtur: contra Marcionem liber: in Canticum canticorum explanatio: in partes aliquot Ezechielis expositio: de Paschate liber: Contra omnes hæreses liber. Extant præterea nonnulla alia eius monimẽta, quæ apud multos conseruata inuenias.

Ruff. ca. 17. *Hippolyti scripta. Vide Hieron. in cat. al. & Lucidum de temp.*

De Origenis studio, & quòd Ecclesiastica dignitate dignus habitus fuerit.

CAPVT XVII.

Huc refer Nicephori ca. 18. lib. 5. EX eo tempore Origenes commentarios in Sacras literas scribere exorsus est: Ambrosio eum ad eam rem impellente maximè. qui non solum infinitis propè verborum ad persuadendum accommodatorum hortationibus, sed copiosissimis subsidijs, ad eiusmodi operam maximè necessarijs, illum ad hoc studij genus incitauit. Nam celeres scribæ, plures quàm septem, ei dictanti præstò aderant, qui præstitutis temporibus scribendi laborem vicissim susciperent. Librarij non pauciores, vnà cum puellis, quæ ad scitè & concinnè scribendum erant probè exercitatæ: quibus omnibus Ambrosius rerum copiam affatim suppeditabat necessariarũ. Quinetiam in hac diuini & sacri eloquij commendatione ac studio, vix dici potest quàm propensam operam ei contulerit, qua illum vel maximè ad commentariorum confectionem incenderet. * Dum ista hoc modo geruntur, Vrbano, qui Romanæ ecclesiæ poncificatum gesserat, successit Pontianus. Antiochenæ ecclesiæ post Philetum, ministerium capessit Zebinus. Quibus temporibus Origenes, necessitate negotij cuiusdam ecclesiastici obeundi flagitante, in Græciam per Palæstinam iter fecit, & Cæsareæ per manuum impositionem episcoporum, qui in illis partibus rexerunt ecclesiam, munus suscepit presbyterij. Qui verò deinceps fuerint de illo tumultus & discordiæ concitatę: quæ de eisdem ita commotis ab episcopis, qui ecclesijs præferunt decreta: deniq; quæ incommoda, cùm in verbi Dei explicatione summa cum laude floreret, pertulerit, quanquam separatum opus, ad plenam eorum explicationem postulare videntur: tamen in secundo Apologiæ libro, quam pro eius defensione edidimus, aliqua ex parte (quantum tenuitas ingenij nostri patiebatur) de eisdem disseruimus.

Origenis in S. Scripturã commentarij. D. Ambrosij hortatu & ope promoti.

Origenes in Scripturã commentarij.

Ruffi. c. 18. Pontianus Rom. pont. Zebinus episc.

Orig. in presbyterorum ordinẽ adscitus.

Eusebij pro Origene Apologia.

Quænam in Alexandria docuerit.

CAPVT XVIII.

Huc refer Nicephor. ca. 19. li. 5. PRæter ea quæ modò recensuimus, ista quoque ad commemorandum necessaria putamus: quomodo in sexto libro Explanationum quas in Euangelium Ioannis conscripserit, declaret se, cum adhuc Alexandriæ versaretur, quinque priores contexuisse. Operis verò quod in vniuersum Euangelium lucubrauit, viginti duo tomi solum ad nos peruenerunt. In nono libro Commentariorum quos confecit in Genesim (sunt enim omnes duodecim numero (non modò octo priores eiusdem operis Alexandriæ composuisse: sed etiam in viginti quinque Psalmos, qui primi sunt, Commentarios edidisse commonstrat. Quinetiam in Lamentationes Hieremiæ alios, quorum quinque tomi ad nos peruenerunt, elaborauit: in quibus obiter librorũ (duo quidem sunt) quos de Resurrectione exarauit, facit mentionem. Porrò libros de Principijs, prius quàm Alexandriam demigrarat, scripsit. Libros quoque qui inscribuntur στρωματεῖς, qui sunt decem numero, in eadem ciuitate, Alexandro imperium gubernante, literis prodidit: sicut præcipui tituli tomorum initijs integrè præfixi declarant.

Origenis in Euangelium Commentarij.

In Genesim.

In Psalmos.

In Lamẽtationes Hieremiæ.

De resurrectione.

De principijs.

στρωματεῖς libri.

Quomodo scripturarum quæ in Testamentis habentur, mentionem fecerit.

Huc refer Nicephori ca. 16 lib. 5. DVm primum Psalmum explicat Origenes, in eo libro sanctarum Scripturarum veteris Testamenti enumerationẽ facit: his enim verbis sic scribit: Non ignorare debemus, viginti duos libros esse (sicut Hebræi tradunt) summo omnium consensu & testimonijs approbatos, secundum literarũ numerum, quæ apud illos sunt.

S. Scripturæ libri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hic locus in Græco corruptus est, nos ergo ab Hebraico Biblia inscriptiones librorum deprompsimus: & sic hunc locum correximus.

Deinde paucis verbis interpositis, adnectit· Vinginti duo libri secundum Hebræos hi A sunt· Primũ Geneſis, vt nos: vt Hebræi appellant, ab ipso libri exordio, Beresithæ, quod " est principio. deinde Exodus, Velle Semoth Hebraicè: quod est, nomina ista. tum Le- " uiticus, Vaiera: id est, Vocauit. deinceps Numeri, Hammisparim, vel pecudim, vel va- " iedabber. Sequitur Deuteronomium, Ellehaddeberim: hoc est, Hæc sunt verba. Pòst " Iesus filius Naue, Hebraicè Iehosua, ben Nun. tum Iudices, Ruth. apud illos vterque in " vnum librum concluditur: & vocatur Sophetim. iterum Regum, vel Regnorum pri- " mus & secũdus liber: apud eos vnus est, & dicitur Samuel, id est, à Deo vocatus. deinde, " Regum vel Regnorum tertius & quartus, in vno libro vterq; apud Hebræos: & nomi- " natur Vammelech Dauid, vel melachim: id est, Rex Dauid, vel regnum Dauid. Acce- " dit Paralipomenon primus & secundus: vnus tamen apud eos, & nuncupatur Dibre " Haiamim, id est, verba dierum. Post hunc Esdras, primus & secundus, qui vnus est, & " inscribitur Esra: quod est, adiutor. tum liber Psalmorum, Hebraicè Sepher Tehillim. " deinde Salomonis prouerbia, apud Hebræos Mistæ, vel Mistoth. deinceps Ecclesiastes. " Hebraicè Coheleth. tum Canticum canticorum, non (vt quidam arbitrantur) Cantica " canticorum, Hebraicè Sir harisim. Sequitur Esaias, Iesaia Hebraicè: & Hieremias, cum " Lamentationibus & Epistola, vno nomine & vno libro Irmia. tum Daniel, etiam Da- " niel Hebraicè: & Ezechiel, Ieezchel. Iob, Iob: Esther, Esther. Extra numerum istorum, " sunt libri Machabaici, qui inscribuntur, Sarbethe, Sarbane. Ista in libro, quem diximus, " inseruit. In primo libro Commẽtariorum quos scripsit in Euangelium secundum Mat-

Euangelia tãtum IIII.

thæum, Canonem ecclesiasticum obseruans, quatuor solum Euangelia esse testatur: & quòd per traditionem de quatuor Euangelijs, quæ sola sũt in vniuersa ecclesia Dei (quæ sub cœli complexu continetur) rata, stabilia, & quibus à nemine contradicitur, certi- or factus sit, sic scribit· Primum euangelium scriptum esse, quod secundum Matthæum

Matthæi.

dicitur, olim publicanum, postea apostolum IESV Christi: qui illud Iudæis ad fidem Christi conuersis, literis Hebraicis compositum tradidit. Secundum, quod est secundũ

Marci.

Marcum: qui illud, sicut Petrus ei explicauerat, conscripsit: quem quidem Petrus filiũ " suum nuncupat in catholica sua epistola, his verbis: Salutat vos ecclesia quæ est in Baby- " lone, consors nobiscum electionis, & Marcus filius meus. Tertium euangelium à Pau- " lo laudatum, quod est secundum Lucam: qui illud his qui erant ex gentibus edidit. Po-

1 Pet. 5.

Lucæ.

B stremum omnium, quod est secundum Ioannem. Porrò in quinto libro explanationũ in euangelium Ioannis, de Epistolis Apostolorum idem auctor ista loquitur. Paulus " non litera, sed spiritu habilis & idoneus noui Testamenti minister à Deo factus, qui "

Ioannis.

Epistolæ Apostolorum, Pauli. Petri.

munus Euangelij prædicandi ab Hierusalem ad Illyricum vsque vndique cumulatè ex- " pleuit, non omnibus ecclesijs quas docebat, scripsit epistolas. Quin nonnullis, quibus " scripsit, pauca admodum verba misit. Petrus, super quem Christi Ecclesia contra quam " inferorum portæ non prævalebunt, ædificata est, vnam epistolam omnium assẽuerati- " one approbatam reliquit. Sit ita tamen, quòd secundam (de ea enim est controuersia) " etiam scripserit. Quid attinet dicere de Ioanne, qui supra pectus Domini recubuit: qui " licet se tot volumina potuisse conficere, quot vniuersus orbis vix potuisset capere, inge- " nuè fateatur, vnum tamen Euangelium solum posteritati tradidit. Scripsit item Apo- " calypsim, in qua præcipiebatur illi vt conticesceret, & septem tonitruorum voces mi- " nimè omnino scriberet. Epistolam etiam reliquit, eamque perbreuem. Verùm esto, " quòd secundam quoque & tertiam texuerit: quoniam aiunt eas non omnino verè eius " fuisse. Atqui vtræque pariter vix centum versus lineasque cõplectuntur. Præterea de e- " pistola ad Hebræos, in concionibus quibusdam in eandem conscriptis ita disserit: Dicti- " onis formam epistolæ quæ inscribitur Ad Hebræos, non habere simplicem ac humilem " orationis & scribendi rationem, qua Apostolus soleat vti (qui se rudem in dicendo, id " est, in loquendi forma ac modo planè fatetur) sed epistolam ipsam dictionis compo- " sitione & collatione verborum propius ad puri & elegantis Græci sermonis proprieta- " tem accedere. Ac quisque, qui dictionis & loquendi formularum differentias rectè sci- " at internoscere, illud facile fatebitur. Rursus, quòd sensus ac sententiæ Epistolæ admi- " rabiles sunt, & his quæ consentiente omnium testimonio Apostoli scripta dicuntur, " nulla ex parte inferiores, nemo non, qui studiosè & attentè in epistolis illius Apostoli " perlegendis versatus fuerit hoc etiam verum esse concedet. Istis non multo pòst ea at- " texit· Ego constanter affirmabo, sensus esse Apostoli: phrasin autem & constructio- " nem verborum alterius cuiusdam, conciones Apostoli in commentarios redigentis, " & velut dictata ex præceptoris ore scribentis. Proinde si quæ Ecclesia istam habeat epi- " stolam, eam ipsa approbet, vt Pauli, idque hac ratione persuasa. Non enim temerè ve- " teres eam Pauli esse tradiderunt. At quis scripserit epistolam, Deus verè nouit. Nos ta-

Epistolæ ad Hebræos, autor incertus.

men à

Amen à quibusdam accepimus, Clementem Rom. ecclesiæ episcopum eam epistolam perscripsisse: ab alijs, Lucam, qui Euangelium & acta Apostolorum literis mandarit, illam contexuisse. Sed hæc hoc modo hactenus.

Quomodo Heraclas Alexandrinum episcopatum susceperit, & quomodo episcopi Origenem venerati fuerint. CAP. XX.

Vide Nic. lib. 5. ca. 18.

DEcimus iam annus agebatur imperij Alexandrini suprà demonstrati, cum Origenes Alexandria Cæsaream profugiens, scholam institutionis, quæ erat ad illius loci habitatores in fidei principijs informandos ædificata, Heraclæ reliquit. Non longo tempore pòst, Demetrius Alexandrinæ ecclesiæ episco- pus, cũ quadraginta tres annos integros in illo ministerio fungẽdo cõtriuis- set, mortem obijt: huic successit Heraclas. Quo tempore Firmilianus Cæsareæ Cappa- docensis episcopus, magno nomine & celebritate fuit. Iste tantum studium erga Orige- nem declarauit, vt interdum illum in suæ regionis fines ad ecclesiarum vtilitatem acces- si vellet: nonnunquam ipse ad eum in Iudæam proficisci, & aliquãdiu vnà cum eo mo- ram facere, quò in sacris literis melius & perfectius eruditetur. Quinetiam & Alexan- der, qui Hierosolymitanæ ecclesiæ, & Theoctistus, qui Cæsariensi ecclesiæ præfuit, per omne tempus propemodum ætatis suæ, ei tanquam præceptori auscultabant: solique illi sacrarum literarum interpretationes, & reliqua ecclesiasticæ disciplinæ institua ex- equenda concesserunt.

Ruff. ca. 19. *Origenis Cæsaream profectio.*

Heraclæ. Firmilianum.

Alexander. Theoctistus.

De persequutione sub Maximino. CAPVT XXI.

Maximinus Imperator anno Chr. 237. Vide Nicephor. l. 5. cap. 23.

ALexandro Romanorum imperatori, cum tredecim annis Reipublicæ gu- bernaculis præfuisset, Maximinus Cæsar successit. Qui propter grauẽ inuidi- am, qua contra Alexandri familiã, in qua complures fideles & Christiani versabantur, flagrabat, acerbam persecutionis tempestatem concitauit: iussitq; solos ecclesiarum præsides, tanquam auctores doctrinæ Euangelicæ, ne- ci dari. Eo tempore Origenes librum composuit de martyrio: & opus illud Ambrosio episcopo, atq; Protocteto ecclesiæ Cæsariensis presbytero, propterea quòd vtrunq; non B exigua persecutionis procella exagitauerat, dedicauit. In qua quidem traditum est, eos viros ob veram & constantem fidei confessionem, sub finem imperij Maximini (qui nõ amplius triennio regnauit) magnam laudem fuisse consecutos. Tempus huius persecu- tionis, cùm in vegesimo secundo libro Commentariorum in euangelium Ioannis, tum in multis varijsque eius Epistolis apertè demonstrat Origenes.

Ruff. ca. 20. Persecutio Sexta in Christianos mota anno Chr. 239. Maximini 2.

Origenis lib. de Martyrio.

De Fabiano, quomodo Romanorum episcopus diuinitùs præter omnium opiniones designatus sit. CAPVT XXII.

Gordianus Imp anno Chr. 240. Vide Nic. lib. 5 ca. 26.

SImulatque Gordianus pòst Maximinum Romanorum imperium obtinue- rat, & Pontianus ecclesiæ Rom. Pontificatum per sex annos gesserat, in eius locum Anteros surrogatus est: in cuius ministerium, cũad mensem eo per- functus esset, Fabianum delectum ferunt. Pòst Anterotis mortem, aiunt Fa- bianum vnà cum alijs ex agro Romam commigrasse, ibiq; sua collocasse do- micilia: vbi, diuina & cœlesti gratia largiente, ad cleri administrationem mirandum in modum euectus est. Nam cum omnes fratres, causa deligendi eius qui episcopatum ge- reret, in ecclesia conuenissent, & multi de multis illustribus & præclaris viris ad illud munus obeundum idoneis cogitarent, quanquam Fabianus, qui tum fortè præsto erat, nemini in mentem venerat, derepentè tamen columbam è sublimi deuolantem (quæ similitudinem Spiritus sancti super Seruatorem in specie columbæ descendentis repræ- sentare videbatur) eius capiti insedisse memorant: ac propterea populum vniuersum pariter vno sacrati Spiritus instinctu commotum, magna cum alacritate & vno animo- rum consensu cum eo dignitatis gradu dignum clamasse, & absque mora abreptum il- lum in sede Pontificali collocasse.

Ruff. ca. 21. *Gordianus Imp.*

Anteros. Rom. Pont.

Fabianus quomodo ad pontificatũ Rom. euectus mirabiliter.

Qui fuerint Origenis discipuli. CAPVT XXIII.

Hucrefer Nicephori ca. 12. lib. 5.

EOdem tempore, simulac Zebinus Antiochenæ ecclesiæ episcopus è vita decef- serat, † Babylas ecclesiæ rectionem suscipit. Vbi autem pòst Demetrium Hera- clas episcopatus ministerium Alexandriæ obtinuerat, Dionysius, vnus item ex Origenis discipulis, scholam institutionis ibidem capessit. Ad Origenem verò Cæsareæ consueta disciplinæ munera exequentem, non solum multi ab indigenis, sed ab exteris etiam regionibus penè infiniti discipuli, patria sua relicta, aduenerunt: ex quibus max- imè insignes cognouimus, Theodorum alio nomine Gregorium appellatum, episcopũ

Ruff. ca. 22. *Babylas episc.*

† *Vide annot. pag. 66 lat. lin. 7.*

Dionysius Antioch. scholæ præfectus. Origenis discipuli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theodorus Gregorius. Athenodorus.

sanè præter cæteros nostra iam ætate crebro hominum sermone prædicatum, & fratrē A eius Athenodorum: quorum animis liberalium disciplinarum tū Græcorum, tū Latinorum, cupiditate supra modum inflammatis, & quasi obstupefactis, Origenes diuinæ philosophiæ & doctrinæ Christianæ amorem sensim instillauit: eosque à prioribus studijs, facta mutatione, ad Sacrarum literarum commentationem pia sua cohortatione traduxit. Quinquennio integro in eius schola versati, tantam & tam admirabilem in sacrosanctis Dei eloquijs fecêre progressionem, vt dum adhuc ambo admodùm adolescentes erant, ecclesiarum in Ponto crearentur episcopi.

De Aphricano temporum scriptore. CAP. XXIIII.

Huc refert Nicephori ca. 21. libr. 5.

Ruff. ca. 23. περὶ Aphricanus Historicus, & eius scripta. Vide Suidam, & Hieronimum. Heraclæ.

PEr idem tempus Aphricanus, librorum scriptor qui περὶ appellantur, magna commendatione ad hominum famam profluxit. Huius de historia Susannæ à Daniele literis prodita, quasi adulterina esset, & commenticia, magnoperè dubitantis, extat epistola ad Origenem scripta: ad quam Origenes per literas plenissimè respondebat. Eiusdem Africani quinq; alij libri de temporum & annalium serie, accurata quadam industria elaborati ad nos peruenerunt: in quibus ait, se Alexandriam, propter incredibilem Heraclæ famam, quæ vbiq; manauerat, iter fecisse: quem propter philosophiæ & aliarum Græcarum disciplinarum cognitionem, qua egregiè excellebat, ad ecclesiæ illius episcopatum administrandum delectū esse, suprà docuimus. Est etiam alia epistola ab eodem Aphricano ad Aristidem perscripta, de ea quæ putatur esse Genealogiarum Christi apud Matthæum & Lucam discrepantia: in qua Euangelistarum consensum ex historia quadam, quæ ad sua ipsius tempora integra deuenerat, apertissimè tradit: quam equidem opportunè in primo libro huius operis, quod habemus in manibus, ab eo petitam, citaui.

Quot & quæ Origenes in Cæsarea Palæstinæ docuit. CAP. XXV.

Origenis scripta.

Huc refert Nicephori ca. 19. lib. 5.

PEr idem tempus Commētarij in Esaiam & Ezechielem pariter ab Origene conscripti fuêre. Ex quibus triginta tomos in tertiam partem Esaiæ, vsq; ad visionem quadrupedum in deserto, nos vidimus: & viginti quinque in Ezechielem, quos solos in vniuersum prophetam edidit. Id temporis cum Athenis fortè versaretur, commentarios in Ezechielem absoluit. Ibidem in Canticum Canticorum inchoauit B Commentarios, & quinq; libros eorundem ibi adhuc commoratus perfecit: ad Cæsaream reuersus, alios quinque, (vt decem essent numero) perduxit ad exitum. Sed quid attinet hoc loco viri scripta & libros accuratè enumerare, cum aliud separatum & prius ociū postulent? quorū enumerationem, in opus quod à nobis de Pamphilo, sancto nostri temporis martyre conscriptum est, illigauimus: in quod etiam, vt ingentem Pamphili erga sacras literas amorem ac studium quasi ante oculos cuiusq; poneremus, indices Bibliothecæ, Origenis & aliorum ecclesiasticorum scriptorum libros continentis, ab eodem constructæ & coagmentatæ, coniecimus. Ex quibus, si cui visum sit, licet certè elaboratissima illa quidem Origenis opera, quæ ad nostras manus venerunt, exploratè cognoscere. Verùm iam sermonis nostri cursus ad consequentem historiam transferendus est.

Eusebij de Pamphilo martyre liber, in quo catalogus habetur librorum Origenis.

De errore Berylli. CAPVT XXVI.

Huc refert Nicephor. cap. 23. lib. 5.

Ruff. ca. 24. Beryllі hæresis ab Origene impugnata.

BEryllus Bostrorum Arabiæ episcopus, qui paulò antè demonstratus est, quò ecclesiasticæ veritatis regulam peruerteret, peregrinam quandam & alienam à fide doctrinam in Ecclesiam introducere tentauit: ausus quidem temerè asserere, Seruatorem & Dominum nostrum Iesum Christum propria substantiq; circumscriptione non antè fuisse, quàm in humanam carnem immigraret: neq; propriam habuisse ex se diuinitatem, sed solam patris in eo extitisse. Qua de re cum multi episcopi in deceptationem cum eo venissent, deq; eius errore grauiter dissentirent, inter cæteros Origenes à quibusdam rogatus, primùm cum eo in familiarem sermonem & colloquium descendit, quasi periculum facturus quid animi haberet, quidue sententiæ. Vbi verò eum suam peruersam opinionem constanter affirmare intellexit, vtpote haud rectè de Christo sentientem confutauit: atque cùm firmis rationibus persuadendo, tum certa demonstratione conuincendo, eum ad verè de ea controuersia sentiendum reduxit, atque adeò ad pristinam ac sanam de Christo & eius diuinitate opinionem, quam olim tenuisset, denuò restituit. Quædam monumenta à Beryllo scriptis prodita, cum decretis Synodi, eius causa conuocatæ, ad nostram ætatē reseruata sunt: quæ non modò Origenis disquisitiones cum eo habitas, & disputationes coram ecclesia quam regebat celebra-

Synodus conuocata aduersus hæresin Berylli.

A celebratas, verùm etiam quasque res id temporis gestas complectuntur. Sunt etiam alia infinita, quæ de Origene presbyteri nostræ ætatis memoriter tradunt: quæ quoniam cū præsenti instituto minimè cohærere videtur, arbitror à me debere prætermitti. Quæ autem de eius rebus gestis sunt ad cognoscendum necessaria, ea ex Apologia, quæ à nobis, Pamphili, sancti (nostri temporis) martyris opera adiutis, elucubrata est, (illam enim ego & Pamphilus, quò ora malcuolorum obtrectatorū, famę Origenis detrahentium, obturaremus, mutuis vigilijs accuratè elaborauimus) licet facilè colligere.

Eusebi. prò Origene Apologia.

De Cæsare Philippo. CAPVT XXVII.

Philippus Imperator anno Christi 246. Huc refert Nicephor. cap. 23. li. 5.

Ruff. ca. 25. Philippi duo, pater & F. Impp.

VBi Gordianus sex annis continuis Romanorum obierat imperium, Philippus vnà cum filio Philippo succedit. Fama est, istum (Christianus namq; erat) cū precationum in die postremæ vigiliæ Paschatis vnà cū multitudine in ecclesia participem fieri vellet, nō prius ab episcopo, qui tū ecclesiæ præerat, permissum esse intrare, quàm se confessus fuisset, & inter eos qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur astricti, locumque pœnitentiam agentibus præstitutū occupabant, se sua sponte collocauisset: episcopumq; dixisse, eum non alia conditione, nisi istud faceret, propter multa delicta quæ ab illo ferebātur admissa, aliquando ab ipso in Ecclesiam receptum fore. Imperatorem autem alacri animo & lubenti, episcopo morem gessisse, & ingenuam modestiam ac religiosam piamque affectionem, Dei timore incitatam, reipsa declarasse memorant.

Episcopalis libertatis & Imperatoriæ humilitatis exemplum in causa iusta.

Quòd Dionysius in Heraclæ episcopatu successerit. CAP. XXVIII.

Vide Nicephor. li. 5. ca. 20

Ruff. ca. 25. Dionysius Alexandriæ episcop.

IAm tertius annus eo regnante præterierat, cum Heraclas ministerium ecclesiæ Alexandrinæ vndecim annis exercitus, è vita decessit: & eiusdem ecclesiæ episcopatum obtinuit Dionysius.

De reliquo Origenis studio CAPVT XXIX.

Vide cap. 21. 22. 23. 24. lib. 5. Nicephor.

Ruff. c. 26.

CVm fides Christi, Christiano illo imperatore regnante, magnoperè (vt verisimile erat) cresceret, & doctrina Euangelica liberius vbique prædicaretur, Origenes sexagesimum ætatis annum prætergressus, & iam ex longo vsu & commentatione velut habitum & perfectam maturitatem in doctrina assecutus, suas tum disputationes, tum conciones publicè in ecclesia habitas, à scribis, qui manu celeri multum pollebant, cum id nunquam antea fieri concessisset, excipi permisit. Per idem tempus octo libros contra quoddam Celsi Epicurei opus aduersus Christianos editum, quod Vera doctrina inscribitur, composuit: & viginti quinque tomos scripsit in Matthæi euangelium: & alios in duodecim Prophetas contexuit, ex quibus solum viginti quinq; inuenimus. Extat etiam illius epistola ad ipsum imperatorem Philippum scripta, & alia ad eius vxorem Seueram. Sunt & aliæ diuersæ eius epistolæ ad diuersos scriptæ, ex quibus, quotquot apud varios dispersas colligere poteramus, in vnum volumen separatim, varios in libros distributum, ne deinceps rursum dissiparentur, congessimus, quæ sunt circiter centum numero, & amplius. Scribit præterea Fabiano Romano episcopo, alijsque permultis ecclesiarum præsidibus, de sua recta & orthodoxa de fide Christiana sententia. Quorum certa habes argumenta in sexto libro Apologiæ, quæ in Origenis defensionem à nobis scripta est.

Origenis contra Celsum libri, & alia scripta.

De Arabum dissidio. CAPVT XXX.

Vide Nicephor. lib. 5. cap. 23. Vide D. Augustin. hæres. 83.

Ruff. ca. 27. Arabum hæresis.

PEr idem tempus, quidam rursus in Arabia dogmatis cuiusdam à veritate prorsus alieni auctores nascuntur: asserentes, hominum animos vnà cum corporibus, vno eodemque temporis articulo morte occumbere, & peni- tus extingui: at demum tempore resurrectionis vniuersę carnis, cū eisdem vitam denuò recuperaturos. Non exiguo igitur episcoporum conuentu ea de re coacto, Origenes ibi etiam rogatus, vt partes de illa cōtrouersia disputandi susciperet, sic orationis vi & impetu ferebatur, vt eorum mentes, qui se antè eo errore implicassent, ad rectam fidem & sanam doctrinam traduceret.

Origenis vis in disputādo.

Huc refert Nicephor. ca. 24. li. 5. Vide Epiphan. hæres. 7. lib. 2. tom. 1. Augustin. hæres. 32.

De Helcesaitarum Hæresi. CAPVT XXXI.

EAdem tempore alia erroris peruersitas, quæ Helcesaitarum hæresis dicebatur, cœpta est: quæ propè simulac orta erat, extinguebatur. Cuius mentionem facit Origenes in concione in Psalmum octogesimum habita, quam corā ecclesia palàm recitauit. Interuenit, inquit, quidam hoc præsenti tempore insolenter propterea

* Ruff. c. 29. a Helcesaitarum hæresis inter errores mathematicos damnata. Cod. de malefic. & mathemat. ob inhibitas quibus vtebātur.

se efferens, quòd impiam & maximè sceleratam Helcesaitarum opinionem, quæ nuper A
contra Ecclesiam excitata est, se posse defendere existimet. Quæ tandem scelera, & quã "
nefaria, illa opinio profiteatur, vobis exponam, ne eius inanitate, & quasi leni vento à "
veritate abripiamini. Nonnulla vniuersę Scripturę antiquat testimonia: alijs rursum cũ "
ex toto veteri Testamento, tum ex Euangelio depromptis, vtitur. Paulum autem Apo- "
stolum omnino reijcit. Fidem item negare, indifferens quiddam esse asserit. Qui enim "
interiore cogitatione rectè de fide sentiat, tametsi ore, cùm necessitas illum eò detruse- "
rit, fidem perneget, cum tamen animo firmè illi adhæsurum. Librum etiam circumfe- "
runt, quem aiunt è cælo delapsum: & qui illum audiuerit, eiusq; doctrinę crediderit, pec "
catorum remissionem consecuturum: eamque diuersam esse remissionem ab illa, qua "
Christus Iesus remisit peccata. Sed de his satis multa.

De persecutione quæ sub Decio erat, & quanta Origenes pertulerit.

CAPVT XXXII.

Ruffi. c. 29. Persecutio septima in Christianos mota anno Christi 225. Decij. 1.
a Fabiani martyrium.
b Cornelius Rom. Pontif.
c Alexandri martyrium.
Mazabanes episcop.
d Babylæ mors.
e Fabius episc

PHilippo, vbi septẽ annos regnauerat, succedit Decius: qui odio quo- Decius Imperator. Anno Christi 251. Huc refer Nicephor. ca. 27 32. 33. lib. 5.
dam capitali, quo cum Philippo dissidebat, incensus, persecutionem contra Ecclesiam cõcitat. In qua [a] Fabiano Romæ martyrium subeũte, [b] Cornelius pontificatum capessit. [c] Alexander Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopus in Palæstina rursus, vbi Cæsareæ propter Christũ præsidis tribunali stetisset, & magnam fuisset ex secunda fidei suæ cõfessione commendationem adeptus, iam extrema senectute, & veneranda planè canicie eximius, carceris cruciatu denuò afflictatus est. Quo quidem, post præclarum & illustre testimonium fidei Christianæ præsidis tribunali datum, morte in carcere cõsopito, Mazabanes successor eius in episcopatu Hierosolymitano declaratur. [d] Babyla item Antiochiæ ad exemplum Alexandri, post fidei cõfessionem in vinculis vitam deserẽte, [e] Fabius ibi ecclesiæ præficitur. Quot afflictationũ genera, & quàm grauia Origeni in hac turbulẽta persecutionis tempestate contigerint, & quo pacto maleuola diaboli inuidia contra eum incensa (qui omnibus copijs, tanquã hostis infestus, enixè aciem aduersus illum instruebat, omnibus machinis, omni virtute & potentia cõtra eum dimicabat, & præter cæteros omnes illo tẽpore ab eo impugnatos, in hunc potissimùm impetum faciebat) magis magisque augerentur: qualia etiam & quàm acerba B
pro Christi verbo & doctrina perpessus sit vincula, quæ corporis tormenta, quæ suppli-
cia ex catena ferrea in interiori carceris recessu collo impacta: & quomodo permultis
diebus pedes in compedes ligneos intrusi, quatuor foraminum interstitijs interpositis,
distractatione quadã distenti fuerint: quæ ignis & incendij oppositæ minæ, quas præter-
ea ab inimicis inflictas carnificinas toleranter pertulerit: qualem exitum, dum iudex
omnibus viribus & toto corpore (vt dicitur) instaret, vt vita eius ad doloris morsus amplificãdos amplius protraheretur, eius res habuerint: deniq; quas post illa, & quàm pias
voces, easq; plenas solatij, ijs qui opis & auxilij in rebus aduersis indigent, scriptis reliquerit: permultæ sunt illius epistolæ, quæ verè accurateque commemorant.

Origenis sub Decio certamina.

De his quæ Dionysio episcopo accidebant. CAP. XXXIII.

Ruff. ca. 30. *Dionysius episcopus non fugit sed à numine diuino protectus inueniri non potuit.*

Huc refer Nicephor. ca. 28. lib. 5.

QVæ autem, & quàm turbulentæ procellæ Dionysium persecutionis tempore exagitarint, testimonio epistolę ipsius ad Germanũ perscriptę hoc loco ostendam, in qua ipse de se narrat hoc modo: Ego corã Deo loquor, & ipse "
nouit quòd verè loquor. Neq; certè de fuga in præsentia mecum cogitaui: neq;, quasi Deo inuito, vllam feci. Quinetiã alias, regnante Decio, antequã "
persecutio palàm contra Christianos ediceretur, cùm Sabinus id tẽporis frumentarium "
ad me perquirendum misisset, ego quatriduo in ædibus commoratus, eius aduentum "
assiduè expectaui. Illæ autem vndique circumit, vias, fluuios, agros passim, vbi me latitare, aut quo me profectum esse suspicaretur, sedulò peruestigat. Sed cæcitate & quasi "
caligine, neædes quæreret, circumfusus tenebatur. Sibi namque persuaserat me persecu- "
tione appetitum, domi nolle moram facere: vix tandem post dies quatuor, Deo mihi "
vt inde demigrarem præcipiente, & se mirandum in modum quasi ducem itineris "
præbente, ipse, liberi, & alij multi fratres simul domo egressi sumus. Quod planè "
diuinæ prouidentiæ opus fuisse, rerum euenta quæ deinceps sequebantur (vnde non "
parum commodi fortasse quibusdam, & vtilitatis obtigit) satis perspicuè declarã- "
runt. Deinde paucis interpositis, ea quæ in fuga sibi contingebant, euidenter explanat, "
istaq; subnectit: Ego vnà cum his qui mecum erant, fortè sole occidente in satellitum "
manus incidẽs, ab illis ad Tapositirim deducebar. Sed tamẽ (sicut erat Dei prouidẽtia pro "
spectum) Timotheus, quia non vnà aderat, neutiquam prehensus est. Profectus igitur
post,

A pòst, offendit cùm ædes nostras, præterquam quòd ministri eas custodirent, omnino de- "
sertas esse, tum nos instar mancipiorum abductos. Deinde subiungit: Quàm admirabi- "
lis (dicam enim quod verum est) & diuinæ prouisionis ratio fuit ista quidem. Indigena "
quidam, fortefortunà Timotheo properè fugienti & conturbato fit obuiam: rogat se- "
stinationis causam. Iste verum narrat. Ille cùm audiuisset (abierat enim ad nuptias lau- "
tè epulatum: quippe mos est, in huiusmodi hominum conuentibus totam noctem in "
hilaritate & lætitia consumere) ingressus in domum conuiuij, accumbentibus nunciat: "
qui quidem omnes vno impetu, tanquam signo dato, consurrexerunt, & maturo gra- "
du properantes cœperunt quàm celerrimè ad nos contendere: qui cũ in nos inciderent, "
summo gaudio exultare: atque satellitibus qui nos obseruabant, fugam facientibus, "
nos, vt eramus, grabatis valdè malè stratis conquiescentes, de improuiso occupare. Ego "
certè (Deus testis est) eos vt fures primùm reputans, qui ad spolia & rapinam venirent, "
mansi in lecto nudus planè, vt eram, solo indusio coopertus: reliquum autem vestitum "
prope me positum porrexi. At hi, surgere iubent, & quàm mox abire. Tandem animad- "
uertens quamobrem aduentassent, cœpi vociferari, supplex illos precatus vt abirent, "
nosque illic manere paterentur. Quinetiam petebam ab eis, vt si quo me beneficio affi- "
cere cuperent, ipsi caput meum ceruicibus abscindere dignarentur: sicq; satellitibus, qui "
me essent cruciatum abducturi, anteuerterent. Illi, dum hæc clamore efferebam (sicut "
consortes mei, & omnium mearum calamitatum participes, pro certo norunt) me in- "
uitum è lecto excitârunt. Tum ego humi me supinum prosternere. Isti igitur manibus "
pedibusque me abreptum (Gaius quidem, Faustus, Petrus & Paulus, qui me sequeban- "
tur, istarum rerum omnium testes esse poterunt) educere, ac prehensum propè inuito "
animo ab oppidulo exportare, & nudo asino impositum, secum inde auehere. Ista de se narrat Dionysius.

Timothei fuga.

Nuptiarũ per nox lætitia.

Dionysius satellitibus eripitur.

De his qui in Alexandria Martyrium subierint, & de alijs quos Dionysius commemorat.

CAPVT XXXIIII.

Huc refer Nicephor. ca. 29 30 31. lib. 5. item ca. 2. lib. 6.

IDem etiam Dionysius in epistola ad † Fabium episcopũ Antiochiæ, certamina & dimicationes eorum qui sub Decij imperio martyrium pertulerunt, isto modo persequitur: Non ex Imperatoris edicto persecutio apud nos incœpta fuit, sed integro anno præuerterat. Nam vates (quisquis ille fuerit) malorum omnium quæ huic ciuitati acciderunt architectus, infinitam gentilium turbam contra nos inciB
tauerat, impuleratque, atque adeò ad patriam suam & antiquam su- "
perstitionem defendendam magnopere instigârat. Qui ab illo ad maleuolentiam ir- "
ritati, omnemque aucupati licentiam ad scelus patrandum, solam pietatem & verum "
cultum dæmonum suorum, istum censuerunt, vt Christianorum cæde & sanguine suas "
crudeles manus respergerent. Primùm igitur senem quendam, Metram nomine, arre- "
ptum, impia verba contra Deum loqui mandant: cuius corpus, propterea quòd eorum "
voluntati repugnabat, fustibus cædũt, vultum oculosq; præcutis arundinib. pungunt, "
ipsumq; adeò ad suburbia abductũ lapidib. obruũt. Deinde fidelẽ mulierẽ, quæ vocaba "
tur Quinta, ad idolorũ delubrum ducere, & ad falsos deos venerãdos impellere cœpe- "
runt: eamq; cũ se auerteret, & talẽ cultum detestaretur, pedib. constrictis, per vniuersæ "
vrbis plateas asperis saxis cõstratas raptare: & simulac corpus eius ad saxa molaria allisit "
sent, & flagris pariter laceraſſent, ad suburbia trahere, ibiq; crebro saxorũ coniectu ob- "
terere. Tũ verò vno quasi animorũ impetu omnes in piorũ ædes irruere, & singuli quos "
sibi vicinos esse cognouerãt, properè educere, expoliare, diripere: & diuitias ac supelle- "
ctilẽ, si quæ erat precioſior, sibi seponere: si quæ vilior, sordidior, & ex ligno cõfecta, in "
vijs dissipare, deinde exurere: adeò vt ciuitas illa verã speciẽ vrbis ab hostib. captæ, dispo "
liatæq; probè repræsentaret. Fratres ergo deflectere è via, & in loca separata ac solitaria "
se subducere: rapinã bonorum suorũ, similiter cũ illis quib. Paulus illustre perhibebat "
testimonium, cũ gaudio suscipere. Atq; haud scio vtrũ quisquã, præter aliquẽ vnum ali- "
cubi fortasse, hucusq; Dominũ denegauerit. Apolloniã porrò virginem id tẽporis cùm "
primis admirandã, & admodum prouectã ætate, cõprehendunt, maxillisq; eius crudeli- "
ter deuerberatis, omnes dentes illi excutiunt: atq; rogo in suburbijs extructo, minãtur, "
nisi verba blasphemiæ vnà cũ ipsis palàm eloqueretur, se eam viuã crematuros. Illa pau- "
lulum tẽporis ad deliberandũ precata, & dimissa ex eorum manib. sine mora insilit in "
rogum, sicq; flammarũ incendio absumpta est. Serapionẽ item proprio lare abstractũ, "
diris concidunt tormentis: & omnibus membrorum articulis confractis, ex loco edito "
præcipitem deijciunt. Nullus itineris flexus, nulla via publica, nullus angiportus erat,
in

Ruff. ca 31. † *Flauianum vocat Hierõ. Persecutio in Alexandria sub Decio.*

Martyres. Metræ martyrium.

Quintæ mulieris cædes.

Hebr. 10.

Apolloniæ martyrium.

Serapio præcipitatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Seditio coorta persecutionē interrupit.

in quo tutò vel noctu vel interdiu liceret incedere: quippe omnes vbiq; vno ore con- A
clamabant, Si quis è Christianorum numero impia & prophana verba effari recusaue- "
rit, rapiatur extemplò, & in ignem conijciatur. Atque ista mala hoc modo non ad exi- "
guum temporis spacium grassata sunt: verùm tandem seditio & bellum intestinum, "
quod in illos miseros postea inuasit, crudelitatem contrà nos exercitam in ipsorum ca- "
pita conuertit. vnde nos quidem, dum illorum furor in nos incensus, alijs rebus impli- "
catus tenebatur, paulisper respirauimus. Verùm confestim animum Imperatoris, qui "
clementius aliquanto & humanius videbatur erga nos antea affectus, omnino com- "
mutatum esse, nobis nunciatum est. Quapropter minarum formido, in nos iactatarū, "
Decij edictū in Christianos. vehementer accrescebat. Nam Decij edictum erat iam diuulgatum, illudque tale pro- "
fectò videbatur, quale Dominus prædixerat futurum: in quo terribilissima illa eius pro "
pemodum explebatur sentētia, nimirum Electos (si possibile esset) in errorem inductos "
Matth. 24. fore. Quin omnes certè metu perculsi obstupuerunt. Atque ex illis qui cùm dignitate, "
tum diuitiarum affluentia præstare videbantur (qui quidem non pauci erant numero) "
nonnulli timore perterriti, dijs illorum colendis se vltrò offerunt: alij ex priuatis ædi- "
bus in publicum raptati, ad delubra ducuntur à magistratibus: multi vicinorum suasu "
eò pelliciuntur, qui quidem nominatim euocati, ad impura & profana eorum sacrifi- "
Diuitum & honor ativrū in persecutione inconstantia. cia se conferunt. Horum autem non pauci, quasi minimè essent sacrificaturi, sed illi "
ipsi potius victimæ & sacrificia idolis futuri, pallore exalbescunt, & formidine attoniti "
stupent: adeò vt à frequenti populi turba, quæ circumsistebat, dum se omnibus perspi- "
cuè patefaciebant, cùm ad moriendum, tum ad sacrificandum eadem timiditate esse "
affectos, risui & ludibrio haberentur. Alij paratius ad altaria procurrunt, duro ore & "
Matth. 19. impudenti constanter asseuerātes, se nunquā fuisse Christianos: de quibus Domini sen "
tentia verissimè dici potest, Diuitem difficulter posse seruari. Ex reliquis qui tenuiores "
erant, & magis obscuri, plerique vtrumque istud hominum genus quod postremò po- "
suimus, imitantur: alij capessunt fugam, nonnulli præhenduntur. Atque ex præhensis, "
multi ad vincula & carcerem pergunt, & multis diebus ibi tenentur concluſi: postea "
tamen, antequam ad tribunal accedunt, Christum eiurant: quidam tormenta diu for- "
Electorum in martyrio constantia. titer sustinent, sed ad extremum succumbentes, fidem pernegant. Cæterùm qui Domi- "
ni erant, tanquam firmæ & beatæ columnæ eius ope & gratia roboratæ, fidei firmitati, "
quæ in eorum animis penitùs insidebat, vires ac tolerantiam aptè & appositè respondē- B
tem adepti, admirabiles & insignes eius regni martyres ac testes facti sunt. Quorum pri- "
Iuliani & Cronionis martyrium. mus erat Iulianus, homo podagræ doloribus adeò oppressus, vt neque incedere, neque "
pedibus consistere posset. Hic cum alijs duobus, qui eum gestabant, ad iudicem adduci- "
tur: quorum alter extemplò fidem denegat: alter, nomine Cronion, cognomento Eu- "
nus, & senex ipse Iulianus, Dominū ingenuè cōfitentur: qui per totā vrbem, quæ certè "
(vt nostis) amplissima est, camelis insidētes deducti, & ita sublimes verberib. cæsi, tandē "
immenso quodā rogo & supra modū exardescente, hominum multitudine vndiq; cir- "
cumfusa, cōburuntur. Ac dū abducebantur ad locum supplicij, miles quidam nomine "
Besæ militis martyrium. Besas, illis inter eūdum opē ferre, & his qui eos cōtumelia afficiebant, ex aduerso resiste- "
re laborat. Qui cū populus cōtra eum propterea vociferaretur, inde illicò abripitur ad "
Macaris Afri. iudicē, & in præclaro illo prælio pro pietate susceptо, tanquā fortissimus Dei bellator, "
strenuè & viriliter segerēs, securi demū percutitur. Alius quidam genere Afer, qui & ap- "
pellatione Macar (& ob vitā beatam, quā diuinę gratiæ subsidio degisset, verè Macar, id "
Epimachi & Alexandri. est, beatus fuit) cū ad fidei negationē, iudice eum ad eā rem magnopere cohortante, ad- "
duci nō posset, viuus crematus est. Epimachus etiā & Alexander, nō longò pòst tempo- "
re quā vincti tenebātur, pòst horū martyrium multos dolores perpessi, dilaniati noua- "
culis, & flagellis lacerati, ad extremū ardentissimis flammis circūiectis absumpti fuerūt. "
Ammonarij virginis. Quibus quatuor mulieres martyres adiungebantur: quarū prima fuit Ammonarium, "
sancta virgo: quę, cū iudex diu illā admodum torsisset, vtpote cōstanter asserentē se ni- "
hil eorū aliquando dicturā quæ ille iussisset, eaq; in sentētia firmè perstaret, ad suppliciū "
Mercuriæ. Dionysiæ. Ammonariū altera. abducitur. Mercuria, secunda erat. Anus in primis venerāda, tertia Dionysia: quę quan- "
quam erat multorū liberorum parēs, illos tamen Domino in amore minimè prætulit. "
quarta, Ammonarium altera. quæ tres, cū præses vereretur ne incassum tormenta illis "
infligeret, & quodāmodo euinceretur à mulierib. nullū cruciamentorū genus amplius "
subire cogebātur: sed statim capite obtrūcato, mortē oppetunt. Pro omnib. enim prior "
Ammonariū, tanquam in prima dimicationis acie locata, satis tormentorū exceperat. "
Heron. Ater. Isidorus. Dioscorus. Heron præterea, Ater, & Isidorus, Aegyptij, & Dioscorus vnà cū illis, adolescens quin- "
decim annos natus, iudici traduntur. Et primū iudex adolescentem, tanquā facilem ad "
persuadendum, blandis verbis in fraudem inducere, tum velut remissum & flexibilem

ad

A ad fidem negandam tormētis impellere tentat. Sed Dioscorus neque persuasione quic-
„ quam commotus est, neque iudicis omnino cessit sententiæ. Cæteros acerbissimè crude-
„ lissimeque verberibus dilacerat: quos cum tormenta magno & fidenti animo pro fide
„ tolerare cerneret, rogo cremandos tradit. Dioscorum autem, cùm propter singularem
„ animi magnitudinem, quam palàm ostenderat, tum propter prudentissima responsa,
„ quæ ad singula rogata dederat, iudex magnopere admiratus, dimisit: affirmans, se pro-
„ pter ætatem certos dies illi velle concedere, quibus respiscendi haberet facultatē. Iam
„ ergo Dioscorus, summa pietate eximius, nobiscum est, expectās cū certamen prolixius, *Nemesis.*
„ grauiusque, tum amplius præmium, & diuturnius. Porrò Nemesis quidam, & ille etiam
„ Aegyptius, falsò in crimen vocabatur, quòd cum latronibus societatem coiuisset: sed
„ istam calumniæ notam ab eo alienissimam quidem, cùm coram Centurione diluisset:
„ iterum per iudicem fuit delatus, quòd Christianus esset, vinculisque constrictus ad præ
„ sidem venit. Iste iniustissimus præses, beatum martyrem tormentis & verberibus duplo
„ grauioribus, quàm latrones ipsos, afflictans, exemplo Christi inter latrones interiectum
„ (vnde non parum honoris adeptus est) feruido ignis exurit incendio. Quædam porrò
„ militum turma derepentè accedit: nimirum Ammon, Zeno, Ptolemæus, Ingenes, & *Ammon, Zeno, Ptolemæus, Ingenes, Theophilus.*
„ pariter cum illis senex Theophilus: qui pro tribunali se ipsi stiterunt. Cùm igitur quidā,
„ quòd Christianus esset, in quæstione versaretur, & iam ad fidei negationē propenderet:
„ isti assistentes, præ rei in dignitate dentibus frendere, vultu nutare, manus extendere, to-
„ to denique corpore gestus quosdam agere cœperunt. In quos cū omnium ora essent cō-
„ uersa, priusquā vlli alij in eos iniecerunt manus, illi ipsi ad subsellia accurrere, se Chri-
„ stianos profiteri: sic, vt cùm præfectus, & assessores qui aderant ei in concilio, timore ob-
„ stupescerent, tum Christiani, in quos iam inquirebatur, ad ea tormenta quæ pòst essent
„ perpessuri, toleranter sufferenda maximè confirmarentur: tum denique iudices, qui es-
„ sent contra eos sententiam pronunciaturi, maximo metu exhorrescerent: isti verò è
„ foro gloriantes abscedere & præ testimonio quod Christo perhibuerant, summo gau- *Martyres in alijs locis.*
„ dio exultare, Deo per illos glorioſos triumphos agente. Alij præterea complures in vr-
„ bibus & pagis à gentibus distracti erant, & quasi membratim discerpti: ex quibus vnum
B exempli gratia commemorabo. Ischyrion cuiusdam magistratus negocia, mercede cō-
„ ductus, procurat. is qui eum conduxerat, iubet idolis sacrificare: quem, cū mandato mi- *Ischyrion.*
„ nimè obsequeretur, cœpit conuicijs lacerare: ac cùm constanter fidei adhæresceret, gra-
„ uibus affecit contumelijs, atque vbi vidit eum pacatè & tranquillè omnia sufferentem,
„ arrepto fuste præacuto, intestina ac viscera illius trāsfodit, crudeliterq; interemit. Quid
„ attinet percensere multitudinem eorum qui in solitudine & montibus vagi, errantesq;,
„ fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestijs fuerunt extincti? Quorum electionis beatę
„ & eximiæ victoriæ quanquam testes sunt hi quibus adhuc ex illo numero vita suppedi-
„ tat: tamen vnum aliquod facinus proferam, quo res istæ sint exploratius cognitæ, per- *Chæremonis episcopi cum vxore fuga.*
„ spectæq;. Chæremon episcopus ciuitatis quæ [a] Nilus dicitur, cùm iam planè grandis es- [a] *Nilus vrbs.*
„ set, & ætate propè exacta, vnà cum vxore sua ad montem Arabiæ confugiens, neq; pòst
„ reuersus est, neque vsquam eos quispiam videre potuit. Et licet fratres iam aliquoties
„ eum cum vxore quærerent, tamen neque ipsos, neque corpora eorum vspiam reperire
„ potuerunt. permulti certè in eo Arabico monte erant, à Barbaris Sarracenis facti capti-
„ ui: quorum alij ægrè quidem, & vix ingenti pecuniæ summa redimi poterant: alij hacte-
„ nus nullo modo. Atque ista, mi frater, non frustra equidem dicendo persecutus sum:
„ sed vt cognoscas, quantæ & quàm acerbæ calamitates apud nos obtigerint: quas qui fue- [a] *Ruff. c. 32.*
„ rint magis experti, plura de illis & sciunt, & dicere possunt. * His etiam alia paulò pòst
„ attexit: Illi igitur diuini martyres (qui iam Christi tanquam assessores sunt, & regni eius
Vide Nicephor. ca. 4. lib. 5. „ consortes, participes iudicij, & illius in hominibus iudicandis sententiam approbantes
ferunt) dum erant apud nos, nonnullos è fratribus, in quibus crimen sacrificandi idolis
hærebat, quique à fide excidissent, cùm conuersionem ac pœnitentiam eorum perspice- *Lapsorum pœnitentia non auersanda.*
„ rent, eamque posse acceptam fore ei qui omnino non vult mortem peccatoris, satis ex-
„ ploratum haberent, ad se denuò admittunt, recipiunt in Ecclesiam, conuentus cum il-
„ lis celebrant, ineunt societatem, precum & epularum communione vnà vtuntur. Quid
„ igitur consilij nobis, fratres, datis? quid censetis nobis agendum esse? illísne suffragabi-
„ mur? eiusdem cum illis erimus sententiæ? iudicium eorum sequemur? modum tene-
„ bimus benignitatis? his quorum illi miserti sunt, benefici & clementes erimus? An con-
„ trà, eorum iudicium inane & irritum faciemus? eorum sententiæ nos ipsos constitue-
„ mus animaduersores? clementiæ inhumanitùs resistemus? refringemus institutum?
„ Deum denique ad iram prouocabimus?

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Nouato, quonam ingenio fuerit, & de eius hæresi. CAP. XXXV.

Ruff. ca 23. Huc refer Nicephor. ca 3. lib. 4. Vide Epiphan. Augustin. hæres. 38.

Nouati hæresis.

HAEc Dionysius, dum sermonem de his qui tempore persecutionis præanimi imbecillitate infractioneq; lapsi fuissent, instituebat, non sine causa expositum: quandoquidem Nouatus ecclesiæ Rom. presbyter, arrogantia quadam & fastidio contra eos elatus, asseruit, nō amplius illis (quamuis omnia quæ viderentur ad veram pœnitentiam, ad conuersionem animorum, ad puram denique confessionem spectare, omninò peragerent) spem vllam salutis omninò reliquam fieri. Vnde propriæ cuiusdam sectæ & erroris, eorum qui præ inflata quadam mentis insolentia se ipsos καθαροὺς esse, id est, puros & vacuos à labe peccati asseuerant, auctor & dux fuit. Ob quam rem concilium maximum Romæ cogitur: in quo sexaginta episcopi, & presbyteri totidem atque amplius, vnà cum diaconis, in vnum conueniunt. Ac pastoribus etiam separatim per singulas cuiusque regionis prouincias, quid de ea re agendum esset deliberantibus, colloquia fiunt. Ac quibus omnib. tandem decernitur: Nouatum, eiusq; fautores tanta superbia inflatos, & quotquot illius inhumanissimæ, & à fraterna charitate alienissimæ opinioni assentirentur, in eorum numero qui erant ab Ecclesia excluſi, haberi: fratres aūt, qui casu infelici prolapsi fuissent, pœnitētiæ medicamētis curari, & ad sanitatem restitui. Epistolæ quidem Cornelij episcopi Romani, scriptæ ad Fabium episcopum ecclesiæ Antiochenæ ad nos peruenerunt, quæ tum acta concilij Romæ habiti, tū quæ ab omnibus in Italia, in Africa, inq; alijs locis de eo errore decreta erant, euidenter declarant. Aliæ item extant epistolæ à Cypriano & alijs episcopis, qui cum eo in Aphrica in eum errorem inquisiuerunt, Latino sermone compositæ: ex quibus constat, illis etiam visum esse, vt & fratres qui per tentationem ceciderant, consolationis subsidio leuarentur: & auctori illius hæresis, vnà cum illis omnibus qui pari ratione cum eo à veritate essent abducti, catholica Ecclesia, idque meritò, interdiceretur. His alia quædam Cornelij adnectitur epistola, de illis quæ erāt in concilio Romæ sancita. Alia rursus de Nouati rebus gestis, ex qua aliquot loca citare non grauabimur: quò qui sint istam fortè historiam perlecturi, ea quæ ad eum spectant, manifestò cognoscant. De Nouato igitur, quali vitæ instituto & moribus fuerit, Fabium certiorem B faciens Cornelius, hæc ipsa scribit: Vt verò intelligas hunc admirabilem virum, iampridem in episcopatu petendo ambitione incensum esse, & eam temerariam effrenatamq; cupiditatem occultasse intra se, & simulatione ac tanquam inuolucro, quo arrogantiam tegeret, in initio confessores Christi, viros sanè probos secum habuisse, tibi volo apertè ostendere. Presbyter nomine Maximus, & Vrbanus, è nostris, qui bis ex cōstanti fidei confessione summam gloriæ amplitudinem collegerant, Sidonius item & Celerinus (vir, qui Dei clementia adiutus, omnia tormentorum genera, maxima cum tolerantia pertulerat: & corporis imbecillitate, vi ac robore fidei suæ confirmata, strenuè & viriliter ab aduersario victoriam reportauerat) cùm Nouatum attentius considerassent, & callidam eius fraudem, versutiam, periuria, mendacia, agrestem inhumanitatem, ab omni vitæ communione alienam, veteratoriam denique instar lupi amicitiam deprehendissent, eo relicto ad sanctam Ecclesiam reuerterunt: atq; omnes eius fallacias & maleficia, quæ longo tempore intimo pectore obtexisset, multis præsentibus tum episcopis, tum presbyteris, tum laicis quàm plurimis palàm ostendere, & cum lachrymis ac querela, cum dolore & pœnitentia suam vicem deplorare cœperunt: quòd subdolæ illius & efferatæ bestiæ consilio adducti, ab Ecclesia etiam, vel ad exiguum temporis spacium desciuissent. Paulò pòst ait: Vix credibile est, charissime frater, quātam in moribus varietatem, quantam mutationem exiguo momento in illo factam conspexerimus. Nam splendidissimus iste scilicet, qui inusitato ac terribili iureiurando adiecto, fidem suis fecerat, se non aliquando episcopatum appetiuisse: tanquam ex fallaci quadam præstigiarum impostura in medium proiectus, derepentè episcopus apparuit. Etenim iste nouæ sectæ inuentor, & doctrinæ Ecclesiasticæ (si dijs placet) propugnator, quando episcopatum, à Deo certè minimè ei donatum, sibi vi arripere, & ex hominum manibus quodam modo extorquere nitebatur, duos sibi socios, de sua ipsorum salute prope desperatos asciuit, vt eos in exiguam aliquam partem, & minimum quasi Italiæ angulum mitteret: indeque episcopos tres, homines agrestes, rudes ac simplices, simulatione quadam veteratoria in fraudem inductos abduceret, asserens, & constanter affirmans eos quàm celerrimè debere Romam venire, vt videlicet omnis lis & discordia per sententiam illorum, aliorumque episcoporum interpositam, dirimeretur. Episcopi igitur quoniam (vt supra diximus) homines simpliciores erant, & in perditorum fallacijs

Cathari.

Cæcilij Rom. contra Nouatianos sententia.

Nouati institutū & mores

Maximus, Vrbanus, Sidonius, & Celerinus, Nouatiani, per pœnitentiam ad Ecclesiam reuersi.

Nouatus episcopus per fraudē factus

A lacijs doliscq; discernendis minus perspicaces, Romam aduentant. Iste tum per quosdā
„ sui similes ad eā rem comparatos, eos in vnum locum concludendos curauit. Ac cum
„ circiter horam decimam ebrios & crapula oppressos cerneret, vi coegit, imaginaria quā-
„ dam & vana manuum impositione episcopatum ipsi tribuere: quem dignitatis gradū
„ parum sibi accommodatum, ad hunc modum per fraudem & astutiam acquisiuit. Ex
„ quibus episcopis vnus non longe pòst peccatum flebiliter lamentatus, & idē apertè con-
„ fessus, ad Ecclesiam reuenit: quem, populo vniuerso pro eo rogante, tandem vt laicum
„ in communionem recepimus: atq; alios, qui in reliquorum duorum episcoporum lo-
„ ca, qui eum creassent, succederent, misimus. Istum igitur lepidum Euangelij patronū,
„ Nouatum, omnino præterijt, scilicet vnum solum episcopum oportere esse in hac
„ Ecclesia catholica: in qua tamen non ignorabat (quo modo enim poterat) presbyte-
„ ros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acoluthos quadragin-
„ ta duos, exorcistas & lectores vnà cum ostiarijs quinquaginta duos, viduas, & alios mor-
„ bo atq; egestate afflictatos mille & quingentos: quos omnes Domini gratia & benigni-
„ tas abundè sustentat. Sed tamen nemo ex tanta ministrorum multitudine, tamq; in
„ ecclesia necessaria: nemo ex tanto egentium numero, Dei prouidentia lucupletato, &
„ rerum abundantia circumfluente: nemo deniq; ex maxima illa & innumerabili popu-
„ li frequentia, istum quem dico Nouatum, ab ea desperata mentis cæcitate & contuma-
„ cia auertere, & ad Ecclesiam denuò reuocare potuit. Quinetiam paulo pòst adnectit i-
„ sta: Deinceps dicamus, quibus actis, quibusq; vitæ institutis cum tanta confidentia epi-
„ scopatum prensarit. Num, quòd à primo ætatis tempore in Ecclesia versatus fuit? Nū,
„ quòd multa certamina pro eius defensione subijt? Num, quòd multis magnisq; pericu-
„ lis pro pietate se obiecit? Non est certè eius generis ille quidē, cui ex Satana (qui ingres-
„ sus in illum, diu est in intimo pectore commoratus) primùm data fuit credendi occa-
„ sio. Qui quidem, vbi exorcistarum præsidio, spiritu illo malo esset liberatus: & post in
„ tam grauem morbum, vt iam fermè mori putaretur, incidisset, in lecto, in quo decum-
„ bebat, aqua circumfusus, baptismum accepit, si modò talem hominem baptismum ac-
„ cepisse dicendum sit: verùm morbo tandem elapsus, neq; cætera quibus post baptismū
„ secundum Ecclesiæ canonem imbui oportuerat, acquisiuit, neq; Domini sigillo ab epi-
„ scopo obsignatus fuit. Quo quidē neutiquā potitus, quo modo quæso Spiritū sanctum
B adeptus est? Atque paucis interpositis, iterum addit: Iste, persecutionis tempore metu
„ debilitatus, & nimia vitæ cupiditate adductus, se presbyterum esse denegauit. Nam cùm
„ à diaconis rogatus, oratusq; esset, vt domo, qua se conclusum occulerat, egressus, quā-
„ tum presbytero liceret, quantumq; in eius situm esset potestate, fratres in periculo con-
„ stitutos, opisq; & auxilij indigentes iuuaret: tantum abfuit vt diaconis eum obsecrantib.
„ obtemperaret, vt etiam nō sine stomacho & bile ab illis abiret, discederetq;. nam se nol-
„ le amplius esse presbyterum, sed alteri vitæ generi se dicaturum asseruit. Qui paulo lon-
„ gius progressus, rursum adiungit: Iste præclarus scilicet & insignis Nouatus, Dei peni-
„ tùs reliquit ecclesiam, in qua pòst fidem receptam presbyteri munere donatus fuit: idq;
„ propter amorem & beneuolentiam, qua episcopus, qui illi manus imposuerat, eum
„ complexus est. qui quidem episcopus non modò ab vniuerso clero, sed etiam à multis
„ laicis vetitus (quoniam minimè licebat, quenquam in lecto propter morbum baptiza-
„ tum, sicut huic contigerat, in clerum assumi) magnopere postulabat sibi potestatem da-
„ ri, huic soli manus in sortē presbyterij imponendi. Deinde pòst ista, aliud eius facinus,
„ omnium sanè pessimum, hoc ferè pacto tradit: Cùm fecisset oblationes, & singulis par-
„ tem sacramenti distribuisset, porrexissetq;, miseros homines & infelices pro benedicti-
„ one & gratiarum actione iusiurandum dare coegit. Atq; suis vtrisq; manibus manus ac-
„ cipientis prehendens, non prius dimisit, quàm hoc iureiurando eum obstrinxisset (illi
„ enim verbis vtar) Iura mihi per corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, te nū-
„ quam nec me deserturum, nec ad Cornelium reuersurum. Atq; miser homo non an-
„ tè degustauit, quàm ita illi se deuouisset. Et qui illum acceperat, pro Amen, quod dicere
„ debuerat, hoc dixit, Non deinceps ad Cornelium reuertar. Post alia quædam, iterum
„ hæc narrat: Scias velim, propterea quòd in dies singulos iam fratres eum deserunt, & ad
„ Ecclesiam redeunt, iam illum omnium ferè societate denudatū, destitutumq; esse. Cui
„ amentem audaciam & insolentiam etiā Moses, beatus martyr, qui nuper apud nos fuit
„ eximio & admirabili martyrio decoratus, dū adhuc in vita manebat, perspicuè animad-
„ uertens, tum illi tum alijs quinq; presbyteris qui vnà cū illo sese ab Ecclesia segregauis-
sent, fidelium societate & cōmunione interdixit. Porro in extrema epistola, episcopos
qui Romam profecti, Nouati dementiam condemnabant, enumerat: & non solum
nomina cuiusq;, sed ecclesias etiam, quibus singuli præerant, recensет. Quinetiam epi-

Nouati baptismus.

Nouatus Ecclesiæ Dei desertor.

Iusiurandum Nouati.

Moses martyr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

scoporum, qui minimè Romam se contulerant quidem, sed per literas decreto eorum A quos diximus assentiebantur, nomina pariter & ciuitates, vnde quisq; scripsit epistolam, commemorat. Ista Cornelius Fabio Antiochiæ episcopo per literas significauit.

Ruff. ca. 34.

De Serapione Historia Dionysij. CAPVT XXXVI.

Huc refer Nicephor. ca. 6. lib. 6.

EIdem Fabio, aliqua ex parte ad illud schisma Nouati inclinanti, Dionysius episcopus Alexandriæ scribens, vbi cùm alia multa de pœnitentia in literis ad illũ missis persecutus fuisset: tum martyrum certamina, quæ Alexandriæ iam nuper subierant, ostendisset, præter alias res gestas quas narrat, facinus præterea memorabile & plenum admirationis explicat, quod quidem huic nostræ historiæ mandare necesse putaui. Sic enim se habet: Hanc vnam rem gestam ex- " empli gratia, quæ apud nos euenit, tibi exponam. Erat quidam Serapion apud nos fi- " delis senex, qui licet magnam vitæ partẽ integrè & incorruptè transegisset, tempore ta- " men persecutionis præ imbecillitate animi lapsus est. Hic sæpenumero in ecclesia de- " nuò recipi supplex postulabat: sed nemo, quia idolis sacrificasset, eius postulationi ali- " quando auscultauit. Quin in grauem morbum delabens, triduò deinceps mutus & absq; " sensu vixit. Quarto autem die paululum releuatus, nepotem ad se accersit, sicq; allo- " quitur: Quousq;, fili, me detinetis? properate obsecro, & me ocyus dimittite. Aliquẽ ex " presbyteris aduoca ad me. Quæ cum dixisset, iterum fuit mutus. Percurrit ad presbyte- " rum: nox iam erat. Ille fortè morbo vexatus, accedere ad eum non poterat: sed tamen, " quoniam à me quidem mandatum dabatur, vt qui iam essent vita emigraturi, sanctorũ " mysteriorum (dummodò peterent, & vel maximè si antea, dum integra valetudine erãt, " supplices petiissent) participes fierent: sicq; cum pace dimissi, & bona spe confirmati, " ex hac luce decederent: puero exiguam quãdam Eucharistiæ partem dedit, præcipiens " vt eam madefactam in eos senis infunderet. quam puer secum adferens, redijt. Cui iam " appropinquanti, prius quàm cum eo quod gestabat intraret ædes, Serapion denuò vo- " ce recuperata dixit: Venisti fili? Tametsi presbyter nõ potest venire tu tamẽ præsta quod " tibi in mandatis dedit, & dimitte me abire. Particulã igitur puer, quam apportârat, ma- " defactã in os senis infudit. Atq; ille, simulatque eam pedetentim per fauces demiserat, " illicò extremum spiritum edidit. An non igitur satis constat, eum fuisse reseruatum, & " vsq; eò in vita mansisse, quoad esset penitùs culpæ vinculis solutus? & ita labe, qua erat B " idolis immolando aspersus, omnino deleta posset pro multis bonis quæ gessisset in vi- " ta, in numerum confessorum referri? Hæc Dionysius.

Serapionis historia qui ex Christi anoso fatus idololatra in ecclesiã recipi cupiebat.

Quibus argutis eucharistiæ Sacramentũ datum sit.

Eucharistiam Serapioni dat puer.

Epistola Dionysij ad Nouatum CAP. XXXVII.

Huc refer. Nicephori ca. 4. lib. 6.

VIdeamus iam quænam idem ipse Dionysius ad Nouatum, ecclesiam Rom. id temporis perturbantem, perscripserit. Ac quoniam idem Nouatus fratres quosdam, illius defectionis & schismatis quasi ansam præbuisse, ab illisq; se ad illud ipsum fuisse compulsum, simulabat, attende quomodo ad " eum scribat: Dionysius, Nouato fratri. Si inuitus, vt dicis, huc inductus es, " illud planè ostendes, si sponte ab eo recedas. Oportuerat enim omnia incommoda po- " tius subijsse, quàm Ecclesiæ Dei discidisse concordiam. Atque illud martyrium, quod " quis perpetitur, ne dirimatur Ecclesiæ consensio: non minus certè, sed multo plus, meo " quidem iudicio, habet commendationis, quàm illud quod suscipitur, ne idolis omni- " no immoletur. Nam in hoc pro vna quisq; anima suffert martyrium, in illo autem pro " tota Ecclesia. Iam ergo, si vel suadendo, vel quasi vi compellendo, fratres ad Ecclesiæ " concordiam redire efficias, culpæ magnitudinem correctionis modus facilè superabit. " Atque vt illa tibi nullo vitio vertetur, ita hic reuera ponetur in laude. Quòd si illi adeò " contumaces & animo obstinato fuerint, vt nihil omnino te posse apud illos existimes: " tu tamen tuam ipsius animam seruato. Te igitur, si paci adhærescas Ecclesiæ, in Domi- " no exopto valere. Ista ad Nouatum scripsit Dionysius.

Dionysij ad Nouatum epistola vere ecclesiastica.

De reliquis Dionysij epistolis. CAP XXXVIII.

Huc & ad superiora simul refer ca. 5. 8. 9. 10. lib. 6. Nicep.

SCribit præterea idem Dionysius epistolam de pœnitentia, ad eos qui erant in Aegypto: in qua simulac vitiorum gradus descripsit, ea etiam quæ sibi videbantur statuenda de ijs qui ingruente persecutionis tempestate, lapsi fuissent, tradit. Extat item liber illius separatim ad Cononem, Hermopolitanę ecclesiæ episcopum, de pœnitentia scriptus. Alius etiam hortatorius ad gregem ecclesię Alexandrinę, cui ipse præfuit. Præter istos, est alius de martyrio scriptus ad Origenem. Epistolas porrò ad fratres Laodiceæ, quibus Thelymidres præerat episcopus: & ad fratres Armeniæ, quibus Merusanes episcopns præficiebatur, de pœnitentia itidem conscripsit. His omnibus accedit

Dionysij scripta.

Thelymidres episc. Merusanes.

A accedit epistola quam ad Cornelium episcopum Romanum scripsit: eumq; propter illius epistolam contra Nouatum, quæ ad eius manus peruenerat, admodùm commendat. in qua apertè ostendit se tùm ab Heleno Ciciliæ Tarsensis episcopo aduocatum, tũ à reliquis qui cum eo erant, nempe Firmiliano Cappadociæ episcopo, & Theoctisto episcopo Cæsareæ Palæstinæ, vt ad concilium Antiochiæ coactum aduenaret: vbi quidam Nouati schisma omni animi contentione corroborare nitebantur. Scribit itẽ epistolã, se certiorem esse factum, Fabium è vita migrasse, & Demetrianum episcopatus Antiocheni eius successorem designatum. Scribit etiam de episcopo Hierosolymitano, his " verbis: Beatus Alexander in carcerem conclusus, mortem beatam est cõsecutus. Est a- " lia item Dionysij epistola fratribus qui erant Romæ, de ministerijs Ecclesiæ, missa per Hippolytum. Alia eisdem de pace scripta. Etiam alia de pœnitentia. Cofessoribus præterea, qui illic Nouati opinione erant à veritate abducti, alia. Eisdem ad Ecclesiam iam denuò reuersis, reductisq;, alias duas misit. Alias deniq; epistolas ad plerosq; alios perscriptas post se reliquit: ex quibus, qui etiam hoc tempore cupiditate incenduntur eius opera studiosè euoluendi, multiplicem planè ac varium fructum percipient.

Helenus. Firmilianus. Theoctistus.

Demetrianus

Alexander.

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE Palæstinæ, Ecclesiasticæ Historiæ Liber Septimus.

Septimus liber hinc porro ad cap. 1 libri noni continet acta sub Gallo, Valeriano, Galieno, Claudio, Aureliano, Probo, Caro, Carino, Numeriano, Diocletiano, annis quinquaginta Sex. Huc refer Pompon. Lætum, Aurel. Victorem, Trebellium Pollionem, Flauium Vopiscum: Eutrop. lib. 9 Oros lib. 7. ca. 21. 22. 23. 24. 25. Huc refer ex authoribus supra ad lib. 1. & 2. adnotatis Vitas Rom. Pontif. Lucij, Stephani, Xysti, Dionysij, Felicis, Eutychiani, Gaij, adde & Tomos Concil. & Hæres.

De improbitate Decij & Galli. CAPVT I.

Gallus Imperator anno Christi 254.

B Vide Nicephor. lib. 5. ca. 25. 27.

Ruff. cap. 1. *Dionysij epistolæ.*

MAGNI illius & illustris Alexandriæ episcopi Dionysij epistolæ, ad posteritatẽ scriptis mandatæ (in quibus res quasq; suo tempore gestas singulatim commemorat) nobis ad hunc Septimum Ecclesiasticæ historiæ librum conficiendum (eas enim ad verbum citabimus) erunt permagno planè adiumento. Inde igitur exordium nostra capiat oratio. Simulatque Decius, qui nos duos annos integros regnauerat, pariter cum liberis esset interemptus, in imperium succedit Gallus. Origenes eodem tempore, cum ad sexaginta nouem annos vitam propagasset, ex hac luce migrauit. De Gallo autem Dionysius ad Hermammonem scribens, ista " commemorat: Quin Gallus, neq; Decij recogitauit calamitatem: neq; antea secũ, quid " tandem illum de gradu deiecisset, satis diligenter considerauit: sed in eundem lapidem, " licet perspicuè ante illius oculos positum, cum suo magno malo impegit. Qui, cum re- " gnum eius prospero fortunæ flatu ferretur, & res omnes ad voluntatẽ fluerent, sanctos " ac pios viros, qui pro pace eius Imperij, proq; vitæ incolumitate enixè Deum precaban- " tur, crudeliter exegit: & propterea vnà cum illis, preces pro ipso ad Deum fusas penitùs " à se auertit. De Gallo hactenus Dionysius.

Decij cædes.

Origenis mors anno ætatis 69.

Galli Imp. amens crudelitas.

Quinam illorum ætate episcopi Romani fuerint. CAPVT II.

Vide Nicephor. lib. 5. cap. 26.

COrnelio Romanæ ciuitatis episcopatu circiter triennium perfuncto, Lucius succedit. Iste vix octo continuis mensibus illud ministerium obiens, morte extinctus, Stephano cleri tradit rectionem. Ad hunc Stephanum Dionysius primam ex illis Epistolis de baptismate compositis, scripsit: propterea quòd erat id temporis nõ exigua quæstio & controuersia concitata, Vtrùm oporteret eos qui se à quocunq; hæresis genere reuocassent, lauacro baptismatis repurgare: cum ex consuetudine ab antiquis ducta temporibus, in eiusmodi hominibus in Ecclesiam recipiendis, solæ preces cum manuum impositione adhiberi solerent.

Ruff. ca. 2. *Cornelius. Lucius, Stephanus post Ro. Quæstio an hæretici resipiscentes rebaptizandi. Hæreticos conuersos in Ecclesiam recipiendi ritus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quonam pacto Cyprianus, eos qui ab hæretico errore resipuerint, lauacro expurgandos, primus statuerit. CAPVT III.

Ruff. ca. 3. *Cypriani sententia. Stephani sententia.*

Vide Nicephor. lib. 6. cap. 7.

CYprianus Carthaginensis ecclesiæ pastor, primus inter homines eius ætatis, non aliter quàm per lauacrum baptismatis hæreticos, erroris maculis antè ablutos, in Ecclesiam admittendos existimauit: verùm Stephanus nihil noui, aut alieni à traditione ex Apostolorum temporibus deriuata moliendũ arbitratus, hac de re animo vehementer commotus fuit.

Quòd de eodem argumento Dionysius epistolas conscripserit: & de pace, quæ post persequutionem subsecuta est. CAPVT IIII.

Verba Dionysij ad Steph. de concordia ecclesiarum Orientalium.

Huc refert Nicephori cap. 18. 22. 23. 24. 25. lib. 6.

DIonysius igitur, vbi longum sermonem cum Stephano per literas de hac controuersia contulit, tandem declarat, quo pacto persequutionis fluctibus sedatis, omnes vbique Ecclesiæ, noua ac peruersa Nouati hæresis prauitate repudiata, pacem inter se conciliassent. Sic enim scribit: Iam scito frater, omnes Orientales ecclesias, quæ antea fuerũt propter errorum peruersitatem nonnulla dissensione distractæ, ad concordiam denuò esse reductas: omnes etiam ecclesiarum præsides, qui vbique locorum sunt, summo animorum consensu conspirare: & ob pacem hanc præter omnium expectationem constitutam, incredibili lætitia affici: Demetrianum dico Antiochiæ episcopum, Theoctistum Cæsareæ, Mazabanem Aeliæ: Marinum Tyri, mortuo Alexandro, episcopum: Heliodorum Laodiceæ, defuncto Thelymidro, episcopum: Helenum Tarsi, & cunctas Ciliciæ ecclesias: Firmilianum etiam, & totam Cappadociam. Illustriores solum episcopos nominatim perstrinxi, ne vel literæ videantur aliquanto prolixiores, vel nominum enumeratio lectori satietatem & molestiam afferat. Syria porrò vniuersa, & Arabia, quibus vestra doctrina & consilio semper magno adiumento fuistis, & quibus etiam modò scripsistis epistolas: Mesopotamia quoque, Pontus atque Bithynia, & ne longum faciam, omnes vbique gaudio exultant, & vno animorum consensu ac fraterna charitate, Deo gloriam impertiunt. Ista Dionysius scribit ad hunc modum.* Stephani, cum biennij spacio episcopatus ministerium obijsset, Xystus capessit locum. Ad hunc Dionysius secundam de Baptismate conscribens epistolam, tum Stephani, tum reliquorum simul episcoporum sententiam ac iudicium explanat, deque Stephano sic loquitur: Stephanus antea scripserat epistolam de Heleno, de Firmiliano, de omnibus episcopis, qui erant ex Cilicia, & Cappadocia, & Galatia, & ex omnibus gentibus, quæ erant finitimæ, quòd neque cum illis quidem ob eam causam omninò communicare vellet. Nam illi, inquit Hæreticos rebaptizant. Rei igitur magnitudinem attenta cogitatione complectere. Decreta enim in maximis episcoporũ Concilijs, sicuti audio, facta fuerunt, vti qui ab hæresis impietate recedunt, debeant primùm in fide institui, deinde veteris & impuri fermenti eluuie ac sordibus ablui, purgarique. Atque vt pro his omnibus episcopis illum deprecarer, epistolam scripsi. Paulò pòst subnectit: Dilectis nobis & compresbyteris Dionysio & Philemoni, qui antea Stephani suffragabantur sententiæ, quique ad me de eisdem rebus scripserunt, sicut antè per literas breuiter, ita iam pluribus verbis sententiam meam explicaui. Verùm de quæstione suprà demonstrata, de qua in vtranq; partem disceptabatur, hæc hactenus exposuimus.

Ruff. ca. 4. Ad Xystum 21. Rom. Pontificem.

Ecclesiarum quarundã decreta de rebaptizandis hæreticis resipiscentibus.

De hæresi Sabellij. CAP. V.

Ruff. ca. 5.

Huc refert Nicephori ca. 26. lib. 6. Vide Epiphan. hæres. 16. lib. 2. tomo 1.

DEinceps in eadem epistola Dionysius de hæreticis, qui Sabellium ducẽ habuerunt, eiusque temporibus prodierunt in lucem, mentionem facit hoc pacto: Quoniam de erroris dogmate, Ptolemaidi Pentapolis iam suborto, quod plane impium est: quod detestabilem de Deo omnipotente patre Domini nostri Iesu Christi blasphemiam continet: quod multum falsæ doctrinæ de vnigenito filio eius, primogenito omnis creaturæ, verbo incarnato, complectitur: quod cæcam de Spiritu sancto ignorationem comprehendit, ex vtrisq; partibus cùm literæ me certiorem facturæ, tum fratres mecum de ea re communicaturi, ad me veniebant, quasdam epistolas, vt poteram, diuina largiente gratia, quò accuratius obscuras erroris latebras aperirem, conscripsi: quarum exemplaria descripta ad te misi.

De euoluendis Hæreticorum libris: & de visione Dionysij diuina, de eadem re: deq; canone, quem accepit, Ecclesiastico. CAP. VI.

Ruff. cap 6. *Hæreticorũ librorũ lectionis vtilitas.*

Huc refert Nicephori lib. 6. cap. 8.

IDem Dionysius in tertia epistola de Baptismate, quam scribit ad Philemonem presbyterum Romanum, ista tradit: Equidem, tametsi hæreticorum libros & traditiones perle-

A perlegebam, & meum ipsius animum ad tempus scelestissimis eorum opinionibus quodam modo inquinare videbar: hoc tamen ab illis capiebam commodi, vt non modò eos interiore animi mei cogitatione condemnarem ac refellerem, sed multò vehementiùs in posterum detestarer. Ac cum quidam ex numero presbyterorũ me vetaret, deterreretq; à legendo, ne turpi prauitatis & peruersæ eorũ doctrinæ cœno contaminarer (meam enim mentem errorum labe pollui asseruit) cumque vera, meo quidem iudicio, diceret, viso quædam cælitùs ad me demissa, me confirmauit: & vox ad aures allapsa, manifestò præcepit ad hunc modum: Omnes libros, quos sumis in manus, cuolue sedulò. Nam satis habes virium & firmitatis ad quæq; tum conuincenda, tũ exploranda. Atque hæc causa erat, cur in initio ad fidem Christi vocatus fueris. Visionem vtpote ritè consentientem voci Apostolicæ, sic ad potentiores dicenti (Sitis diligentes animaduersores, & veluti trapezitæ, qui argentum probant) lubens equidem approbaui. Deinde paucis quibusdam de omnibus errorum generibus explicatis, adiungit ista: Istum canonem, istudq; exemplum à beato papa nostro Heracla cepi. Ille enim eos, qui ab Ecclesia abscessissent † (imò verò non ita abscessissent, quin ob corporis præsentiam congregationis fidelium viderentur esse participes) eos inquam, cùm essent accusati, quòd consuetudine cuiusdam eorum, qui alienam & diuersam à fide doctrinam tuebantur, multùm vsi fuissent,* Ecclesia eiecit: & quamuis verè & ex animo ab erroribus se auerterent, & in Ecclesiam admitti denuò magnopere flagitarent, non vsq; eo admisit, quoad omnia, quæ à veritatis aduersarijs audiuissent, palàm apud omnes essent elocuti. Aque tum in Ecclesiam & conuentum recepit, non aliud baptisma in illis ominò desiderans: quippe anteà fuerant ab illo Spiritum sanctũ assecuti. Rursus, ista quæstione copiosè admodum exagitata, addit hæc: Hoc tamen didici, quòd non episcopi in Africa solum istam consuetudinem de hæreticis rebaptizandis iam inuexerunt: verùm etiam longo tempore antè, episcoporum memoria, qui antegressi sunt, in ecclesijs maxima hominum frequentia celebratis, & synodis fratrum tum Iconij, tum Synadis, tũ alijs multis in locis conuocatis, istud decretũ fuit: quorũ iudicia & sententias condemnare, irritaq; facere non audeo, sicq; illos in ódiũ & inuidiã conijcere. Terminos, vt est apud Salomonem, ac fines proximi tui non cõmutabis, quos patres tui præstituerũt.

Omnia proba, &c.

Exemplo Heraclæ modestè docet non esse rebaptizãdos hæreticos.

† Vide antenot. pag. 72. lat. 2. lin. 26.

* Vide ibid. lin. 28.

Hæreticos rebaptizandi morem Dionysius in alijs ecclesijs non damnat quibus ipse nõ præest, nec superior est.

Prou. 22.

De Hæresi Nouati. CAPVT VII.

Huc refert Nicephori ca. 4. lib. 6.

QVarta eius epistola de baptismate, ad Dionysium Romæ tum quidem presbyterij munere donatum, non multo post tamen episcopum illius ecclesiæ factum, perscripta est. Ex qua, quàm præclarum testimonium ille ipse Dionysius Romanus, propter incredibilem dicendi vim, & virtutem admirabilem, à Dionysio Alexandrino consecutus fuerit, satis constare poterit. Post alia quædam de Nouato exposita, ad hunc his ferè verbis scribit: Contra Nouatum certè, qui Ecclesiam tam miserè discidit: qui fratres quosdam ad impietatem & blasphemiam attraxit: qui scelestissimam de Deo patre doctrinam inuexit: qui benignissimũ Dominum nostrum Iesum Christum, tanquam inclementem & crudelem, falso calumniatus fuit: qui præter hæc omnia sanctum baptismatis lauacrum abrogauit: qui fidem ac confessionem, quæ baptismum præcedunt, condemnauit: qui deniq; ab illis, qui aliquo vitiorum genere se infecerant, Spiritum sanctum (quamuis spes esset reliqua illius aut in eorum mentibus permanendi, aut ad eos denuò redeundi) omninò depulit, fugauitque, non sine causa graue odium concepimus.

Ruff. ca 7. Dionys. Alexandr. ad Dionys. Rom. epistola.

Nouatianæ hæresis dogmata.

Nouatus S. Baptisma & quæ huic sunt cõnexa, euacuauit.

De impio Hæreticorum Baptismate. CAPVT VIII.

Huc refert Nicephori ca. 9. lib. 6.

QVinta item illius de baptismate epistola ad Xystum episcopum Romanum scripta est: in qua cum multa dixerit contra hæreticos, tale quoddam facinus suo tempore gestum exponit: Reuera frater, quoniam eiusmodi quædam causa ad me delata est, in qua veritus ne per errorem labar, consilium quæro, tuamq; vehementer exposco sententiam.* Frater quidam ex nostro conuentu communioneq; fidelis iudicatus, ætate admodùm prouectus, & priusquã ego eram creatus episcopus, & vt arbitror, antequam beatus Heraclas in episcopatus gradu collocatus fuerat, conuentus communionisq; particeps factus, cum fortè baptismo eorum, qui nuper apud nos baptizarentur adesset, & rogata responsaq; audiret, venit ad me lugens, & grauiter suam vicem deplorans, se ad pedes meos abijcit, ex animo confitetur, & sanctè deierat, baptisma, quo erat apud hæreticos tinctus, non huius generis esse (illud namque plenum esse impietatis, plenumq; blasphemiæ) neq; vllam omninò cum isto nostro habere similitudinem: affirmatque, animum suum propterea acerbis dolorum stimulis compun-

Ad Xystum Pontif. Rom. epistola Dionys. Alexand. consilium petentis, an sint rebaptizandi ab Hæreticis baptizati.

*Ruff. ca. 8.

Baptisma hæreticorum impium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

compunctum. & quoniam nefario ac profano cùm verborum tum factorum scele- A
re pollutus erat, nec liberè suos oculos ad Deum posset eleuare: & propterea obtestatus "
est, vt hac purissima lauacri purgatione, vera susceptione in Ecclesiam, & diuina in eo "
sacramento oblata gratia potiretur, quod planè ego non audebam præstare: sed diutur- "
nam illam communionem, qua fuerat cum fidelibus sociatus, satis habere virium ad "
eius animum purgandum affirmabam. Nam, qui gratiarum actiones audiuisset, qui A- "
men vnà pronunciauisset, qui astitisset mensæ, qui manus ad sanctum illud alimentum "
capessendum porrexisset, qui illud recepisset, qui tam longo tempore fuisset corporis & "
sanguinis Domini nostri Iesu Christi particeps, eius baptisma non audebam de integro "
renouare: sed bono animo esse iubebam, & solida ac constanti fide, conscientiaq; pura "
syncera que ad sanctorum mysteriorum perceptionem accedere. Iste tamen lamentis & "
mœrore se conficere non destitit, ad mensam accedere præ metu exhorruit: & vix ora- "
tus, precibus interesse sustinuit. Extat præterea alia huius de baptismate epistola, ipsius "
Ecclesiæq; persona, cui præfuit, Xysto & Ecclesiæ Romanæ dicata: in qua multis argu- "
mentis, & prolixo sermone de quæstione proposita disputat. Alia porrò eius epistola
est, post hasce conscripta ad Dionysium Romanum, quæ de Luciano inscribitur. Sed
de his satis.

Baptizati ab hæreticis an rebaptizandi.

De Valeriano. CAP. IX.

Valeriani Imperatoris anno Christi 250.

Ruff. cap. 9. *Valerianus Imperator cũ Galieno F.*

POstquam Gallus, qui vix biennio integro imperium rexerat, è medio erat sublatus, Valerianus vnà cum filio Galieno imperij gubernacula suscipit. Quæ verò Dionysius de isto etiam commemoret, ex epistola quam scripsit ad Hermammonem, licet cognoscere, in qua sic narrat: Ioanni simili ratio- ne per reuelationem de Valeriano significatum est. ait enim: Datum est ei os, magna & blasphema loquens, & data est ei potestas faciendi per menses quadraginta duos. Cùm ista vtraque in Valeriano videre completa: tum eius vitæ rationem, ante- quam ita animo affectus erat, vt à Ioannis reuelatione didicimus, considerare, non pa- " rum sanè habet admirationis. Nam quandiu mansueto animo & benigno erga sanctos " Dei homines affectus erat, nemo Imperatorum, qui eum anteiuerant, tantam beneuo- B lentiam & comitatem aduersus illos declarauit. imò vero, ne illi quidem, qui Christia- ni erant, eoque nomine palàm appellati, ita hos sunt amplexati, vt ille: qui quidem in " initio imperij sui, quàm familiarissimè & amicissimè, idq; in oculis omnium, eosdẽ ex- " cepit: & tota domus eius pijs hominibus complebatur, eratq; planè Dei Ecclesia. Verũ " doctor quidam & princeps magorum Aegypti, illum tandem perdito consilio depra- " uauit: & non impulit solùm, vt homines culpa vacuos ac sanctos Dei, vtpotè sceleſtorũ " ac execrabilium incantamentorum aduersarios & oppugnatores (satis nanq; virium ac " potentiæ præsentia, aspectu, spiritu & voce solùm, ad detestabilium dæmonum insidias " dissipandas, & habent, & semper habuerunt) acerbè persequeretur, neciq; traderet: ve- " rùm etiam, vt impuras cæremonias obiret, profanas exerceret præstigias, execrãda my- " steria exequeretur, mactaret pueros misellos, prolem infœlicium parentum exsacrifi- " caret, tenera infantium dissecaret viscera, Dei denique creaturas discinderet discerpe- " retq;, vehementer cohortatus est, perinde ac si eo pacto omnes res prosperè & feliciter " succederẽt. Quibus deinde adnectit ista: Macrinus igitur ipsis imperatoribus Valeriano & Galieno, ob speratum imperium, præclara scilicet munera donauit. Qui cum antè communis & generalis imperatoris Valeriani quæstor dictus esset, neque quid recta ratio, neque quid communis Reipub. vsus postularet, vlla ex parte consideraret: sed propheticæ imprecationi ita loquenti (Væ illis, qui ex corde ipsorum prophetant, cõ- munem tamen omnium non respiciunt vtilitatem) se obnoxium reddidit. Nam neq; communem ac generalem Dei prouidentiam intellexit: neque iudicium illius, qui est ante omnia, per omnia & in omnibus, omninò perspexit. Quapropter se communis & Catholicæ illius Ecclesiæ hostem præbuit: se à Dei abalienauit misericordia, & quasi penitùs relegauit: se à sua ipsius salute quàm longissimè remouit: atque in hoc verè suo respondit nomini. Deinceps adiungit: Valerianus autem Macrini proditione in hanc miseriam delapsus, contumelijs & probris hostium Barbarorum obiectus fuit, se- cundum Esaiæ vocem: Hi vias sibi delegerunt, & abominationes ipsis, quas eorum a- nima volebat: & ego ludibria eorum deligam, & peccata retribuam illis. Iste dum ge- " rebat imperium, præter eius dignitatem furore in Christianos exagitabatur: pòst cum " regium illud decus vieto & debilitato corpore sustinere non posset, duos filios, quos " paterna scelera insignitè infecerant, imperij gubernaculis præfecit. Ac prædictio il- " la, quam Deus olim ediderat ([a] Ego sum, qui vlciscor peccata patrum in liberos, vsq; in " tertiam & quartam generationem, his, qui oderunt me) in istis perspicuè declarata fuit. "

Apoc. 13.

Valeriani in Christianos beneuolentia in exordio Imperij sui, sed mox in summam maleuolentiam conuersa.

Esai. 66.

Deprauator Valeriani magus Aegyptius.

Valerianus homines Dijs immolat.

Macrinus quæstor, & Valeriani proditor.

Curterius Macrinum hunc, Maximum Valeriani patruelem intelligit, qui imperium affectans tandem à filio Duce Aureolo victus est. Zonaras de eodem hoc lib. 7. cap. 18.

a Exod. 20. Vltio diuina in Valerianũ eiusq; filios.

Nam

A Nam nefarias cupiditates, quarum explendarum spe ipse excidisset, in filiorum capita
" coniecit: & cùm improbam eius nequitiam, tum odium erga Deum, in illorum ani-
" mos effudit. De Valeriano quidem totidem à Dionysio accepimus.

De persecutione sub Valeriano, & rebus quæ Dionysio & Aegyptijs acciderunt.

CAPVT X.

Huc refer Nicephor. ca. 10. li. 6.

Ruff. ca. 10. Persecutio octaua in Christianos mota anno Christi 260. Valeriani 4. *Ex epistola Dionysij ad Germanum calumniatorẽ. Tob. 12.*

DE persecutione autem, quæ vehementissimè regnante Valeriano exarde- scebat, quas & afflictationes & incõmoda idem Dionysius cũ alijs propter verum cultum Dei, vniuersarum rerum opificis, subierit, verba eius, qui- " bus in Germanum suæ ætatis episcopum, qui illius famam maledictis læ- " dere tentasset, inuehitur, satis perspicuè declarant, quæ ita se habent: Vide- " bor equidem nonnullis fortasse, dum admirabilem Dei prouidentiam erga nos osten- " tatam cogor necessariò explicare, in magnam amentiam inscitiamque esse prolapsus. " Verùm quoniam secretum regis occultare est (vt inquit Scriptura) præclarum, & Dei " opera prædicare cũ primis eximium: ego cum Germano manus conserere aggrediar. " Veni ad Aemilianum, non quidẽ solus: sed me comitati sunt, cõpresbyter meus Maxi- " mus, & diaconi Faustus, Eusebius & Chæremon. Et quidam è fratribus qui Roma ad " nos venerant, nobiscum vnà profectus est. Aemelianus autem non dixit mihi conce- " ptis verbis: Ne conuentus agito. hoc enim illi fuisset ferè superuacaneum, & in eo quod " ille moliebatur, postremas sanè tulisset: præsertim cùm ad id quod caput est nostræ re- " ligionis, omnem suam curam & cogitationem conuertisset. Nam non de hoc, nimirũ " ne conuentus agerem, ab eo sermo erat institutus: sed de eo, ne me ipsum de inceps Chri- " stianum esse profiterer. atque ab hoc quidem me desistere mandauit: ratus id quidem, " si ego fidem commutarem, alios eandem mecum sententiam secuturos. Non absurdè " equidem, neque circuitione vlla vsus, respondi: Deo optemperandum magis quàm ho- *Actor. 5.* " minibus. quin palàm etiam contestatus sum, me illum qui solus Deus est, & nullum a- " lium, venerari. Neque sententiam vel ie mutare, neque aliquando desistere esse Chri- *Cephro pagus* " stianum. Deinceps iussit, vt in pagum nomine Cephro, prope locum quendam deser- " tum situm, rectà abscederemus. Verùm verba quæ ab vtrisque vtrò citroque habita B sunt, vti fuerunt à quibusdam in Commentarios relata, accipitote. Dionysio, & Fau- " sto, & Maximo, & Marcello, & Chæremoni in concilium introductis, Aemilianus, *Aemiliani cũ Dionysio & socijs colloquium, à Christiano eos adducere conãtis pro quibus respondet Dionysius.* Aemilianus. " qui præfecturam gerebat, sic locutus est: Vobiscum iam coram absq; scripto, lubet dis- " serere, de Imperatorum dominorum nostrorum humanitate, atque clementia, quam " erga vos declarant. Nam salutis vestræ ac vitæ potestatem vobis fecerunt, modo ad id " quod est, secundum naturam, velitis vosipsos conuertere: & deos, qui illorum regnum " seruant incolume, sanctè adorare: eorum autem penitùs obliuisci deorum, qui naturæ " repugnare videantur. Quid igitur ad ista respondetis? neque enim vos ingratos fore ar- Dionysius " bitror, cùm tanta benignitas ab illis sit vobis ostentata: quandoquidem ad res melio- " res vos amicè & benevolè cohortantur. Dionysius respondit: Non omnes colunt om- *Orant Christiani etiam pro incolumitate principũ impiorum.* " nes deos, sed singuli singulos pro arbitratu. Nos proinde vnum Deum omnium rerum " fabricatorem, qui Valeriano & Galieno Cæsaribus Augustis, viris sanctissimis imperiũ " largitus est, & colimus, & veneramur. Huic etiam sine intermissione pro eorum regno, Aemilia- " vt stabile & firmum maneat, preces adhibemus. Tum præfectus Aemilianus: Quis vos, nus. " inquit, prohibet, quo minus hunç, si Deus sit, cum alijs dijs qui sunt secũdum naturam, " cultũ & reuerentia obseruetis? vobis enim præceptum est, vt deos adoretis, quos omnes Dionysius " norunt. Ad quæ Dionysius: Nos, inquit, nullum præter vnum Deum honore & obser- " uantia prosequimur. Aemilianus præfectus iterũ: Video, inquit, vos non modò ingra- " tos esse, sed singularis Augustorum mansuetudinis propè immemores. Quapropter in Aemilia- " hac ciuitate non liberum erit vobis versari: sed eritis in partes Libyæ relegati, in locum nus Di- " videlicet qui Cephro nuncupatur, quẽ ex Augustorum nostrorũ iussu vobis assignaui. onysium " Neq; vsquam omnino vel vobis, vel alijs quibusq; potestas erit aut celebrãdi conuen- cum suis relegat ex " tus, aut in ea quæ Cœmeteria appellantur, ingrediendi. Quod, si quis vestrũ in eum locũ, *Cœmeteria.* edicto im- " ad quẽ vos iré præceperim, minimè proficiscatur, aut in aliquo reperiatur cõuentu, suo peratoris. " ipsius capiti creabit periculũ. Non deerit nanq; accurata ad vos obseruãdos industria. " Abite igitur, quò iussi estis. Sic Aemilianus me etiã morbo laborantẽ abire cõpulit: & " ne ad vnum quidẽ diem, meã profectionem differre voluit. Quodnã ergo mihi superat *Dionysij relegatio, cũ suis.* " ociũ vel ad cõuentus agendos, vel secus? Deinde addit: Attamẽ nos (iuuante Deo) non " à conuentu palã inter nos celebrando abstinuimus: quin ipse equidẽ quotidã in ciuitate " fratres, perinde ac si simul cũ illis versatus fuissem, ad cõuentus perstudiosè agẽdos im- " puli. Et quãuis ab illis corpore abessem, vt inquit Apostolus, spiritu tamẽ semper aderã. *Ad Colos. 2.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ad Cephro autem non exiguus cœtus nobiſcum vnà migrauit, tum fratrum qui ab vr- A
be nos ſequebantur, tum aliorum qui ex reliqua Aegypto conuenerant. Atq; ibi Deus "
quaſi ianuam ad verbum ſuum prædicandum nobis patefecit. Ac primùm, quanquam "
perſecutione eramus diuexati, & lapidibus obruti: poſtea tamen non parua gentiũ mul- "
titudo, idolis relictis, ad Deum colendum ſe conuertebat. nam tunc primum verbum "
Dei, quod nunquã antea accepiſſent, per nos inter eos diſſeminatum fuit. Et Deus, per- "
indeatque huius rei cauſa ſolum illò nos deduxiſſet, eo completo miniſterio, iterum "
indeabduxit. Quippe Aemilianus, vt videbatur, habuit in animo nos in aſperiora inte- "
rioraque Libyæ & magis deſerta loca transferre. Omnino enim in Mariotam commi- "
grare mandauit, & ſingulis noſtrũm per regiones varias pagos præſcripſit ſingulos: me "
autem propius ad regiam viam, vt primus prehenderer, collocauit. Sic enim res ab illo "
diſpẽſata, ſicq; comparata fuit, vt quando viſum foret, nos comprehendere, omnesq; "
facilè occupare poſſet. Ego verò cùm in Cephro abire iuſſus eſſem, tametſi locum, vbi- "
nam eſſet ſitus, ignorabam, & nomen nunquam antea ferè audieram, tamen libenter "
& abſque animi perturbatione eò abſceſſi. At vt primùm nunciatũ erat mihi, vt in Col- A Cephro
luthionis agros demigrarem, qui mihi aderant, norunt quo pacto (hoc enim mihi ipſe in Mareo
vitio vertendum puto) animo affectus eſſem. Primùm rem valdè acerbè tuli, admo- tin reuo
dumq; ſuccenſui. Nam quamuis loca illius regionis magis mihi cognita eſſent, ac ma- cat Dion
gis familiaria quàm Cephro: tamen ipſum Colluthionem deſertum à fratribus, deſer- ſius cum
tum à probis viris eſſe dicebam, & non ſolùm moleſtijs à crebro viatorum tranſitu ex- ſuis.
hibitis, ſed periculoſis etiam latronum incurſionibus obiectum. Cæterùm cũ fratres Dionyſij
mihi ſignificaſſent, Colluthionem non tam longè ab Alexandria diſtare: & licet Ce- recreatio
phro magnam fratrum ſocietatem ex Aegypto profectorum nobis attuliſſet, adeò vt
maiores conuentus celebrare potuiſſemus: ibi tamen, quia propius inde aberat Ale- "
xandria, crebriùs hominum ſummo amore, familiaritate & amicitia nobiſcum con- "
iunctorum aſpectu (ad nos enim velle accedere, noſtrosque animos recreare, & ita tan- "
quàm in ſuburbijs paulo remotioribus nos aliquoties conuentus agere poſſe dixerunt) "
reuera frui licere, permagnam animo cœpi conſolationem. Ac ſic planè contigit. Poſt "
iſta, de alijs rebus aduerſis quæ ſibi acciderant, ita ſcribit: At multis fidei confeſſionib. B
gloriatur Germanus, ac multa mala contra ſe patrata habet dicere ille quidẽ: ſed quot "
quæſo iudicum ſententias contra nos pronunciatas poteſt enumerare? quot publica- "
tiones, proſcriptionesque bonorum, quot fortunarum direptiones, quot abdicationes "
dignitatum, quantas inanis & popularis gloriæ contemptiones, quantas laudum à præ- "
fectis & à ſenatoribus nobis tributarum deſpicationes? quantam minarum nobis obie- "
ctarum, aduerſarum vociferationum, periculorum, perſecutionum, exilij, anguſtiæ, & "
variæ cuiuſque modi afflictationis tolerãtiam? vt illa quæ ſub Decio & Sabino, & quæ "
hactenus ſub Aemiliano mihi obtigerunt. Vbi Germanus comparuit? quis ſermo de eo "
peruagatus? Verùm magnam iſtam inſcitiam, in quam ob Germanum modò prola- "
pſus ſum, miſſam facio. Quocirca rerum ſingularum explicationem fratribus, qui eas Ex epiſto
tenẽt, ſigillatim perſequendam permitto. Idem etiam in epiſtola ad Domitium & Di- la Dion
dymũ conſcripta, eorum qui iſtius perſecutionis procellis agitati fuiſſent, hoc modo mitium
mentionem facit: Chriſtianos autem, qui & permulti ſunt, & vobis minimè cogniti, Didymu
nominatim citare ſuperuacaneum arbitror. Sed hoc ſciatis velim, viros & mulieres, iu- de ijs, q
uenes & ſenes, puellas & vetulas, milites & priuatos, cuiuſq; generis, cuiuſq; ætatis exti- perſecu
tiſſe: quorum alij flagris cæſi, alij ignis incendio cremati, alij ferro percuſſi, parta victo- nem pa
ria, coronas martyrij adepti ſunt. Nonnullis aũt longinquum hoc perſecutionis tem- ſunt.
pus non ſatis fuit, vt Domino viderentur accepti, ipſeq; illos ad ſe reciperet. In quorum "
numero, vt veriſimile eſt, ego ipſe ſum, cui adhuc vita ſuppetit. Ac proterea ipſe qui di- "
cit (Tempore accepto audiui te, & in die ſalutis adiuui te) me in illud tempus diſtulit, "
quod mihi idoneum opportunumq; fore norit. Quoniam autem de me meisque ſocijs "
rogatis, & quo loco ſit vita noſtra conſtituta, certiores fieri cupitis: accepiſtis, credo, qua "
ratione quidam ex Mariotide, me, Gaium, Petrum & Paulum, à centurione, duce, mi- "
litibus & ſeruis captiuos abductos de improuiſo adorti, inuitos, & minimè ſponte ſe- "
quentes vi abſtraxerint, & à militibus auulſos ſecum abripuerint: iam verò ego cũ Gaio "
& Petro, ſoli à cæteris fratribus ſeparati, in deſertum & ſqualentem Libyæ locum con- "
cluſi ſumus, tridui viam à Parætonio diſtantes. Quinetiam paulo longius progreſſus di- "
cit: In vrbem clàm & ex occulto ingreſſi ſunt, alios fratres inuiſuri, preſbyteri quidem, "
Maximus, Dioſcorus, Demetrius, Lucius (Fauſtinus enim, & Aquila, qui hominum ſer- "
mone celebriores ſunt, in Aegypto vagi oberrant) Diaconi autẽ poſt illos, qui peſtis cõ- "
tagione infecti interierunt, relicti, Fauſtus, Euſebius, Chæremon: Euſcbium dico, quem "
ab

Multi Dionyſium ſequũtur in exilium.

Mariotæ deſertum. μαριώτην habet textus, ſed Curterius ex Steph. et alijs manuit μαρεώτην.

Colluthionis agri.

Quæmala Dionyſ paſſus fuerit.

Eſa. 49.

Vbi & quid agat Dionyſius cum ſuis.

Euſebij pietas in viſitandis captiuis.

A ab initio perſecutionis Deus ſua gratia roborauerat, & nõ modò ad miniſteria confeſ-
„ ſorum, qui carcerib. tenebantur, ſummo ſtudio & omni animi contentione explenda,
„ ſed etiã ad lintea quibus corpora beatorum martyrum iam vita defunctorum inuoluc-
„ rentur, neglecto vitæ periculo cõficienda præparauit. Præfectus verò nihil adhuc de ſua *Aemiliani ſæ uitia.*
„ in ſanctos remittit acerbitate: ſed alios qui ad eum adducuntur, è medio, vt dixi, tollit:
„ quoſdã tormẽtis dilaniat: nõnullos arcta cuſtodia & vinculis cõtabefacit. & quanquã
„ præcipit ne quiſquam illos adeat, atq; adeò curioſe inquirit ecquis reperiatur qui eos
„ vẽlit adire: Deus tamen propẽſo fratrum ſtudio, & aſſidua eorũ curatione, illos iſtis re-
„ rum anguſtijs oppreſſos reficit, ſubleuatq;. Hæc Dionyſius in iſtã incluſit epiſtolã. Intel- *Euſebius Laodiceæ epiſc.*
ligendum eſt porrò, Euſebiũ illum, quem paulò antè diaconũ nominauit, non multò
poſt eccleſiæ Laodiceæ, quæ eſt in Syria, epiſcopũ creatum fuiſſe. Maximum aũt, quem *Maximus Alexandriæ.*
tum preſbyterum dixit, mortuo eodẽ Dionyſio, in miniſterium eccleſiæ, & fratrum qui *Fauſti martyrium.*
ſunt Alexandriæ, ſucceſſiſſe: verùm Fauſtum, qui eodẽ tempore cum ipſo Dionyſio ex
fidei cõfeſſione non parum laudis collegerat, ad perſecutionẽ quæ nobis viuentib. cie-
batur, reſeruatum, iam planè grandẽ, & longo multorum dierum decurſu confectum,
ſecuri percuſſum, beato martyrio occubuiſſe. Sed de his quæ illo tempore Dionyſio ac-
ciderunt, hactenus.

De his qui in Cæſarea Palæſtina martyrium ſubierunt. CAPVT XI.

Huc refer Nicephor. ca. 11. li. 6.

IN hac perſecutionis clade, quam regnante Valeriano paſſim manaſſe, Ruff. ca. 11.
ſuprà demonſtratum eſt, tres viri ob veram Chriſti confeſſionem in-
ſigniter prædicati, Cæſareæ Palæſtinæ beſtiarum rictibus velut præda *Cæſareæ martyrij palmã adepti.*
obiectati, diuino & cæleſti martyrio non ſine maxima cõmendatione
decorati fuerunt. Quorum vnus Priſcus vocabatur, alter Malchus, ter *Priſcus, Malchus, Alexãder, martyres*
tio nomen erat Alexander. Fertur verò, iſtos ruri degentes, primùm
ſeipſos tanquam inertes & deſides probris affeciſſe, quòd cũ temporis
opportunitas præmium vitæ æternæ his qui cæleſti eius deſiderio gliſcebant, diſpertire
videretur: ipſi præ negligentia quadã & ſegnitie, martyrij coronam non præripuiſſent.
B Deinde cũ inter ſe ita deliberaſſent, abſq; mora Cæſaream verſus ire pergunt. ibiq; ex-
templò proficiſcuntur ad Iudicẽ: & eum vitæ exitum qui ſuprà demonſtratus eſt, aſſe-
quuntur. Mulierem quandam præterea (quam Marcionis errore antea lapſam fuiſſe, fa-
ma loquitur) eadem perſecutionis tempeſtate, in eadem ciuitate perſimile certaminis
genus ſubijſſe, memorant.

Galienus Imperator Anno Chriſti 262.

De pace quæ ſub Galieno fuit. CAPVT XII.

Huc refer Nicephor. ca. 12. lib. 6. Eutrop. li. 9. Iul. Capi. in Galieno

NAm diu autem pòſt, cùm Valerianus apud Barbaros ſeruitutem ſubiuiſſet: Ruff. ca. 16.
filius eius ſolus imperio potitus, clementius ſe geſſit & moderatius in im- *Hæc ſequentia duo cap. alio ordine apud Ruff. ponuntur: nã hoc ibi eſt 16. & ſequẽs iſtud eſt 17.*
perio gubernando: & edictis diuulgatis perſecutionẽ remiſit, relaxauitque:
atq; adeò illos q verbo Dei præerãt, quod ipſis in more poſitũ fuiſſet, liberè
exequi per literas mandauit, quæ quidẽ ſic ſe habent. [b] Imperator Cæſar Pu-
blius Licinius [c] Galienus, Pius, Fortunatus, Auguſtus, Dionyſio, & Puniæ, & Demetrio,
„ & cæteris epiſcopis Salutem. Meæ munificentiæ beneficium per vniuerſum orbẽ diuul- *a Pax eccleſiæ ſub Galieno.*
„ gari præcepi, vt qui loca illa religioſa quæ ſpectant ad Chriſtianos, poſſideant, ab illis ſta- *b Galieni pro Chriſtianis edictum.*
„ tim diſcedant. Et propterea vos mea rum literarũ exemplari vti poteritis, quo nemo de-
inceps vobis quicquã faceſſat moleſtiæ. Atq; iſtud quod nunc liberè & pro arbitratu à
vobis expleri queat, iam pridẽ à me erat cõceſſum. His de cauſis Aurelius Cyrenius, *qui [c] *Hic quædã verba Euſebij de literarum interpretatione omiſſa, ne ſeries orationis videretur prope ridicula.*
† Videan. not. pag. 75. lat. 1. lin. 37. Cœmeteria Chriſti anis reddita.
ſummam † rerum ſecundum me adminiſtrat, literarum etiam exemplar conſeruabit.
Aliud porrò decretũ illius eſſe dicitur, quod ad alios epiſcopos dedit: per quod quidẽ lo-
ca illa quę Cœmeteria nominabãtur, integram adeundi occupandiq; fecit poteſtatem.

Quinam epiſcopi illo tempore claruerunt. CAP. XIII.

* Præfectũ prætorio ſenrit, ideoque melius legit Nicephor. τὸν μυρίσου τάξ. μετ' ἐκ. quã hic textus græcus, qui habet πρὸς μετ' ἐκ. Huc refer Nicephor. c. 34. lib. 6.

EOdem tempore [d] Xyſtus Romanam adhuc rexit eccleſiam: Antiochenam *Ruff. ca. 17.*
autem poſt Fabium, [e] Demetrianus: Cæſariẽſem Cappadociæ, [f] Firmilianus. *d Xyſtus Romæ pont.*
Eccleſijs porrò in Ponto præfuerunt [g] Gregorius, & eius frater [h] Athenodo- *e Demetrianus.*
rus, Origenis diſcipuli. Cæſareæ Palæſtinæ defuncto Theoctiſto, [i] Domnus *f Firmiliano.*
capit epiſcopatum: exiguo temporis interuallo interpoſito, cùm iſte diſceſ- *g Gregorius.*
ſiſſet e vita, [k] Theotecnus, qui noſtra ætate vixit, ſucceſſor in eius collocatur lo- *h Athenodorus.*
co. Iſte etiam in Origenis ſchola educatus fuit. Quinetiam Mazaba- *i Domnus.*
ne morte conſopito, [l] Hymenæus: qui multis annis, noſtro hoc *k Theotecnus.*
ævi curriculo magna cum laude vixit, Hieroſolymi. *l Hymenæus.*
tani epiſcopatus ſedem obtinuit.

Quomodo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo Marinus apud Cæsaream martyrium passus sit: & de historia Astyrij, & de miraculis magnificentiæ Seruatoris nostri apud Pineadem, & de throno Iacobi fratris Domini.

CAPVT XIIII.

Ruff. ca. 12. Marini martyrium.

ISdem temporibus, cùm pax in ecclesijs vbiq; vigeret, Marinus, vnus ex his qui in exercitu Romano magnum decus & honorem fuissent consecuti, vir & genere illustris, & diuitijs locuples, propter testimonium Christi, Cæsareæ Palæstinæ tali de causa capite damnatus fuit. Est quidam honos apud Romanos, qui ἀξίωμα appellatur: quem qui adipiscuntur, eos Centuriones fieri aiunt. Cùm locus vacaret, ordo postulabat vt Marinus eo dignitatis gradu potiretur. Marinum igitur ad hunc honorem elatum, alius pro tribunali cõparens, in crimen vocat, tum quòd erat Christianus, tum quòd imperatoribus non immolasset: Ac propterea, inquit, ex veterum legum institutis illi non licet, eum dignitatis gradum apud Romanos adipisci: sed illud quicquid est muneris, mihi iurè impertiri debet. Vnde iudex cõmotus (Achiuus hic erat genere) primò sciscitatus est, cuiusnam sententiæ & religionis esset Marinus? Quem vt animaduertit, constanter se Christianum esse confitentem: trium horarum spacium ei ad deliberandum dat. Hunc è iudicio egressum Theotecnus, qui illic erat episcopus, ad se colloquendi causa inuitat: & prehensa manu, rectà deducit in ecclesiam. Quem cùm interius ad ipsum sanctuarium collocauisset, læua paululum in alteram partem dimota, gladium, quo cingebatur, ostendit: simulque diuinorum Euangeliorum librum adferens, ex aduerso proponit: præcipitq́ue, vt ex illis duobus, quod magis esset ex animi sententia, deligeret. vbi verò absq; cũctatione porrecta manu dextra sacrum librum accepit. Theotecnus sic illum affatur: Tene, & adhærescè Deo. sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, pro certo assequêre. Abi in pace. Illum statim inde redeuntem præco pro tribunali aduocat. iam enim tempus illi præstitutum ad deliberandum, erat completum. Sistit se pro tribunali: qui cũ maiorem iam, quàm antea, fidei ardorem ac studium declarasset, actutum inde, vt erat, ad mortem rectà abductus, martyrio excessit è vita.* Astyrius etiam, vir è senatorum Romanorum numero, cùm imperatoribus in primis charus, tum omnibus & nobilitatis & facultatum gratia conspicuus, in eadem ciuitate, propter diuinam animi propensionem, quam tam liberè erga veram pietatem declarasset, omnium sermone celebrabatur: qui cum martyrii ipso mortis articulo præsto adesset, simulatque è vita migrârat, cadauer tollit, splendida & preciosa obtegit veste: atque humeris impositum, inde deportat. quod cùm magnifico & sumptuoso linteo inuoluisset, decenti sepulchro condidit. Huius viri familiares, qui hucusque vitam produxerunt, cum alia infinita præclara eius facta memorant, tum istud in primis quod sequitur, quodq́ue plenum est admirationis. Cæsareæ Philippi, quã Phœnices Paneada vocant, fertur, victimam quandam in fontes, qui illic ex radicibus mõtis Panei prorũpunt (ex quib. Iordanẽ profluere dicitur) in quadã diei festi gentilitij celebritate mactatã, conijci: atq; eã, dæmonis vi ac potestate mirandũ in modum ab eorum aspectu euanescere, miraculũq; videri præsentib. valdè memorabile. Quibus, dum gerebãtur, Astyrium quodã tempore fortè interfuisse. Ac cũ videret tam multos illius rei admiratione obstupefactos, eorũ erroris admodũ misertum esse. Deinde sublatis in cælum oculis, Deum omnium rerum moderatorẽ per Christum supplicẽ precatum, vt dæmoniũ illud, quod populũ tanto errore cęcauisset, cõprimeret: ipsum à fraude ac fallacijs, quas hominib. solet intendere, coerceret.* Hoc modo cũ Deum orauisset, repentinò victimã fontibus supernatasse: atq; ita rem illã, quam tantoperè mirari cõsueuerant, in nihilũ interijsse, vsq; adeò vt nullũ in posterum in eo loco ex ea omninò ederetur miraculũ.* Sed quoniã in huius ciuitatis mentionẽ incidi, operæ preciũ arbitror, historiã hoc loco citare, quæ digna planè videtur quã memoriæ ad posteritatem commendemus. Mulierem illã sanguinis profluuio afflictatã, quã sanctorum Euangeliorum testimonio à Seruatore nostro morbi remediũ inuenisse cognouimus, ex ea ciuitate oriũdam, illiusq; domũ ibi ostẽdi, & admirabilia quædã Seruatoris in eam beneficij monimenta, & quasi trophęa ad hoc tẽpus durare memorãt. Pro foribus enim domus illius, æneam mulieris effigiẽ genibus flexis, & manib. instar supplicantis, in anteriorẽ partem extensis, super editũ lapidem collocatã: huic eregionẽ, viri erectã imaginem ex eadẽ materia conflatã, vestitu ad talos demisso decenter ornatã, & manum mulieri porrigentẽ. ad cuius pedes in ipsa basi peregrinã quandam & inusitatã herbæ speciẽ enasci: quã quidem, vbi ad ęnei vestitus fimbriã excreuerit, morbis cuiusq; generis medicãdi vim & facultatẽ habere. Hanc statuũ, effigiem Iesu exprimere dicunt: quã ad nostrã vsq; ætatem manen-

Huc refer Nicephor. ca. 13. 14. 15. 16. li. 4.

Spartianus in Adriano Vitem ἀξίωμα interpretatur, & Vitem pro centurionatus capit, quod centurionibus eredis Vitis deferri soleat.

Christianis aditus præclusus ad honores publ.

Theotecnus episc. Marinũ confirmat.

* Ruff. c. 13. Astyrij pietas in sepeliendis martyribus.

B

Cæsareæ Philippi, quæ & Paneas.

Paneus mons. Iordanis ortus.

Astyrius fraudes dæmonum abolitas earum gestis detegit.

* Ruff. c. 14. Hæmorrhoussę, mulieris patria, et eiusdem ac Iesu statuæ miraculum.

Matth. 9. Marci. 5. Luc. 8.

A manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Nec planè mirum, eos qui ex gentilibus prognati, à Seruatore, dum inter homines viuebat, beneficijs affecti fuissent, ista effecisse: cùm & nos Petri & Pauli Apostolorum, & Christi etiam ipsius imagines in picturis, colorum varietate expressas, conseruatasq; aspexerimus: idq; propterea, sicut verisimile est, quòd maiores nostri ad gentilis consuetudinis similitudinẽ quàm proximè accedentes, eos qui tanquam seruatores illis fuissent, id est, qui illis aliquid salutis & subsidij attulissent, apud se honore ad hunc modum afficere consueuerant. Iacobi enim Apostoli cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopatum à Seruatore, & cæteris eius Apostolis delectus, quemq́ue fratrem Christi nuncupatum diuina perhibent eloquia) ad istud tempus seruatam, episcopi qui illic ordine successerunt, permagno æstimant: vnde declarant perspicuè, quemadmodum veteres patres ad nostrã vsq; ætatẽ sanctis viris, ob eorum veram erga Deum pietatem, debitam venerationem & tribuerint, & adhuc tribuere non cessent. Ista hactenus.

Sanctorum statuæ & imagines cur proponi solitæ

Ruffi. c. 15. Iacobi fratris Domini cathedra Seruata veneratiõis et pietatis ergo.

De epistolis Dionysij, in quibus de festis & Paschate præscribit.

CAPVT XV.

Huc refer Nicephor. ca. 18. lib. 6.

DIonysius, præter epistolas à nobis antè citatas, alias eodem tempore, quas ἑορταστικὰς, id est, de festorum celebratione, composuit: in quibus orationes, quæ festi Paschatis laudes plenius vberiusq́ue cõtinuerunt, instituit. Ex quibus vnam Flauio, alteram Domitio & Didymo dicauit. In hac canonem octo annorum citat: quòd festum Paschatis non alio anni tempore, quàm verno æquinoctio celebrari debeat. Aliam præterea epistolam ad compresbyteros Alexandriæ exarauit: atque ad alios diuersos, ingruente persecutione, diuersas scripsit epistolas.

Ruff. ca. 18. ἑορταστικοὶ Dionysij epistolæ.

Paschatis celebranditempus.

De his quæ acciderunt in Alexandria. CAPVT XVI.

Huc refer Nicephor. ca. 19. li. 6.

VBi iam pax, sedata propè persecutione, constituta fuit, Dionysius redijt Alexandriam. In qua vrbe tam grauis seditio & bellum intestinum de integro ciebatur, vt fratres in ciuitate, propterea quòd omnes in alterutram seditionis partem diuisi erant, Dionysius nullo modo posset inuisere: vnde in ipso Paschatis festo ab ipsa Alexandria, velut exul ab extera regione, per literas cum illis colloqui coactus fuit. Quinetiam aliã postea epistolam ad Hieracem ecclesiarum Aegypti episcopum de festorum celebratione conscripsit: in qua seditionis, quæ eodem tempore fuit Alexandriæ concitata, his verbis mentionem facit: Quid mirum, si arduũ & difficile mihi sit, apud eos qui longinquiore locorum intercapedine distant, per epistolas tanquam coràm sermones conferre, cùm & mihi ipsi mecum colloqui, & prio animo in varias partes distracto cõsilium dare, anceps & periculosum videatur. Nã ad viscera mea, meos charissimos fratres, contubernales, vno animi consensu mecum concordes, ecclesiæ eiusdem ciues, cogor equidem necessariò literas scriptas dare: eas tamẽ ad illos mittere videor mihi nullo modo posse. Facilius enim, non dicã in exteras regiones, sed ab Oriente ad Occasum vsq; iter facere quisquam poterit, quã ab vna Alexandriæ parte ad alterã pergere. Media namq; ciuitatis platea plus habet periculi, plusq; difficultatis ad transeundum, quàm solitudo illa deserta longa, ac nullis hominum vestigijs trita, quam Israelitæ vix duabus hominum ætatibus peragrârunt: & quam ipsum etiam mare rubrum, quod quidẽ in duas partes disruptũ & instar duplicis muri vtrinque erectum, prætergrediuntibus Israelitis transitum dedit perfacilem. Isti porrò placidi & tranquilli vrbis portus, fluctuum eorum quibus Aegyptij erãt in traiectione submersi, veram effigiem gerunt: qui sæpenumero propter hominum cædes in illis factitatas, & effusum cruorem, similes etiam maris rubri apparent. Fluuius item qui in vrbẽ illabitur, interdum aridior & magis squalidus, exiccatusque videtur, quã solitudo illa aquæ expers, quam Israelitæ peragrantes, tanta siti opprimebantur, vt eò vsque contra Moysen contumeliosè vociferarentur, quoad potentia Dei (qui solus edit miracula) aqua, quam biberent, ex dura & prærupta petra copiosè efflueret: interdum tantopere inundat, vt per omnia loca finitima, vias & agros perlabatur, terroremq́ue incolarum animis injiciat, ne diluuium, quod temporib. Noe totam terram perluebat, rursus irrumpens, omnes penitùs obruat. Et sicut olim à Moyse ob Pharaonis contumaciam erat in cruorem mutatus, & fœtidum pòst odorẽ fundebat: ita iam sanguine, cædes, & hominibus in eum demersis contaminatus semper defluit. Quænã alia aqua, quę so (cum aqua sit, quæ sordes cuiusque rei abluit) vsquam reperiri poterit, quæ aquam huius fluuij penitùs purgare valeat? Aut quomodo immensus, & penè interminatus Oceanus,

Hieracis epiſc. Aegyp. eccl.

Ex epiſtola Dionyſij ad Hieracem.

Cædes in portubus ac plateis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gen 2. Geon. flu.

Occeanus,licet totus in eum esset infusus,sordes huius acerbi & amari pelagi omnino A eluere queat? aut qua ratione ingens fluuius ex Edem egrediens, etiam si quatuor illa capita,in quæ diuiditur, in vnum caput, nempe in alueum Geonis(qui est vnus ex illis quatuor)deriuarentur,istam tabem & colluuiem expurgare possit? aut quãdo aer,adeò corruptorum vbique halituum contagione infectus turbatusque, purus est & salubris futurus? Etenim tam lethales à terra vapores in sublime tolluntur, tam pestiferi è mari cientur venti,tam tabidæ ex fluminibus aspirationes efflantur, tam insalubres ex portubus nebulæ erumpunt, vti ros, qui vndique diffunditur, nihil aliud sit quàm sanies cadauerum sub dio putrescentium: quæ quidem elementa,ex quibus fuerunt generata, tetro odore inficiunt. Et tamen mirantur admodum, secunque quærunt, vnde adeò cõtinuæ pestes, vnde adeò graues morbi, vnde adeò variæ cuiusque modi corruptelæ, vnde adeò multiplex & diuersus hominum interitus oriatur. Quærunt etiam,quamobrẽ ciuitas ista maxima,non amplius tantam habitatorum multitudinem ferat(si à tenerrimis pueris incipias numerare,& ad senes ætate prouectissimos progrediaris)quantam senum,quos vocant ὡμογέροντας (id est, senes quibus iam primùm obrepit senectus)antea nutrire consueuisset. Nam ex illis quorum ætas erat inter quadragesimum & septuagesimum annum inteiecta, id temporis adeò multi fuerunt, vt numerus eorum qui inter decimum quartum & octogesimum iam sunt interpositi(quorum nomina in tabulas publicas pro diuisione frumenti factitatas relata sunt)eorum numerum omnino non possit exæquare. Et qui iam sunt aspectu adolescentes maximè, tanquam æquales fiunt eorum qui olim senes erant maximè. Et quamuis iam animaduertunt hominum genus in terra magis magisque indies ad hũc modum attenuatum, absumptumq;, nullo tamen timore horrescunt: quin neque cùm illorum omnium omnino interitus crescat,& latius quotidie manet ac fundatur, vlla ex parte reformidant.

Alexãdrinæ pestis causa. Christianorũ persecutio.

ὡμογέροντες.

Qua ætate Alexandrini cives in tabulas publicas referantur.

De morbo qui tunc inualescebat. CAPVT XVII.

Ruff. ca. 19.

POrrò autem cùm pestifer ac lethalis morbus bellum continuò insequeretur,cumque festi Paschatis celebratio modò appropinquaret,deinceps rursus fratribus scripsit Dionysius, & graues calamitatis perturbationes illis significauit, his ferè verbis: In hac miseriarum turba, alijs fortasse neque hoc tempus,neque aliud,imò neque illud ipsum tempus quod homines putarent omnium esse lætissimum(nedum alia tempora)ad festum celebrandum satis idoneum videretur. Etenim iam lamentationum plena sunt omnia, iam lugent omnes, iam mœrores,iam querelæ vniuersam vrbem propter multitudinem cùm illorũ qui modò mortui sunt, tum horum qui quotidie moriuntur, occupant. Nam sicut de primogenitis Aegyptiorum scriptum est, sic & nunc ingens clamor editur. non enim est domus,in qua non sit mortuus: idque planè meritò. Multa namque & grauia incommoda,perdito eorum conatu, Christianis etiam ante hoc tempus importata fuissent. Primùm omnium nos ex vrbe expulerunt: quo quidem tempore nos soli,cùm ab omnibus persecutione exagitati essemus,& multati morte, festum lætis animis celebrauimus: & singula loca,ad singula afflictionum genera nobis præstituta, vt ager syluestris, solitudo deserta, nauis fluctibus iactata,diuersorium publicum,& horridus carcer, opportuna videbantur,in quibus celebres cõuentus maximo cum studio ageremus. Quin beati martyres qui è vita cesserant,& à Deo in cælum ad epulas erant inuitati,festum omnium certè splendidissimum peregerunt. * His de rebus deinceps bellũ & fames eos de improuiso oppressere: quæ quanquam nos vnà cum gentilibus perferebamus,soli tamen inter omnes,quæcunque vrgebant,æquo animo sustinuimus. &tametsi illarum rerum, quas illi cùm consciuissent ipsi inter se,tum præterea perpessi essent, eramus ex æquo participes: pace tamen Christi,quam nobis solùm clemens largitus est,rursum mirè nos ipsos ablectauimus. Cæterùm vix tum nos,tum illi, breuissima ad respirandũ sumus intercapedine potiti,cùm pestis ista subitò grassari cœpit: res planè illis ad terrẽdum omni metu formidolosior,ad excruciandũ quauis calamitate miserior, acerbiorque,& vt proprius illorum scriptor memorat, ad cogitandum solùm omnium opinione maior. Verùm nobis non eius generis putabatur: sed à Deo cùm ad fidem nostram exercendam,tum ad tolerantiam animi probandam, nihilo minus quàm alia rerum incommodarum genera quæ aliquando obtigissent, cælitùs inflictam. Et sicut alicubi à nobis minimè abstinuit: sic in gentiles longè lateque oberrauit. Paulò pòst adiungit ista: Quamplurimi è fratribus nostris adeò immenso quodã charitatis & fraternæ benuolentiæ ardore erant inflammati, vt minimè suæ parcentes vitæ,sed ipsi sibi inter se firmè adhærescentes, eos qui morbo opprimebantur,nulla sui cura aut cautione adhibita, sedulò

Huc refert Nicephor. ca. 20. li. 4. Cõsimiliter inuitã mortẽ vide c. 21. lib. 4. Euseb. grij. Exod. 12.

Pestem quali animo pij tolerent, quali etiam impij.

Humanitas Christianorũ in ægrotos.

A dulò inuiserent,illis inseruirent assiduè,pro viribus ob Christi amorem curarent, vnà „ cum illis decederent è vita, lubentissimè contagione aliorum infecti, etiam morbum à „ proximis quodammodo ad se attraherẽt,suaq; sponte aliorum mœrores beneuolè mitigarent. Multi item,dum alijs ægrotantibus curam adhibent,illisq; vires restituunt ipsi „ aliorum mortem in se deriuantes,vitam amittunt. Et verbum illud, quod vulgò sem- „ per dicitur,quodq; veræ beneuolentiæ solùm videtur conuenire, nimirum vt singuli „ pro amicis abeant è vita,seq; eorum causa(vt ita dicam)reiectamentum efficiant, reipsa „ expleuerunt. Ex fratribus igitur, qui virtute facilè erant præstantissimi, ad hunc modũ „ mortem oppetiuerunt. Quorum nonnulli erant presbyteri,alij diaconi,quidam è popu „ lo virtutis ergò multum laudati: adeò vt istud mortis genus, quod propter incredibilẽ „ pietatem & robustam fidem susciebatur,nihil à martyrij splendore abesse videretur. „ Quinetiam Sanctorum corpora manibus erectis supinisq; excipere,gremio suo repone- „ re, occludere oculos, ora obturare: gestare humeris cadauera,decenter ornare, illis ad- „ hæresce re,amicè complecti, lauare accuratè, & linteo funebri inuoluere non grauati „ sunt: ipsiq; qui supererant,paulò pòst similia officia in se collata propterea adepti, quòd „ eandem mortis viam instarent, quam qui prẽiuerãt institissent. Gentiles autem his om- „ nia fecêre contraria. eos enim, qui ægrotare incipiebant,ab ædibus extrudere, deserere „ amicissimos,in plateis semiuiuos proijcere,cadauera insepulta canibus exponere dila- „ nianda,mortis participationem & quasi communionem auertere: quam,planè vel infi- „ nita diuerticula quærentes,nullo modo poterant euitare.

Gentilium pestis grassante inhumanitas.

De Galieni Regnò. CAP. XVIII.

Huc refert Nicephori ca. 22. li. 6.

POst istam epistolam,cum ciuitatis status denuò pacatus esset, & tranquillus,Dionysius fratribus,qui Aegyptum incoluerunt, aliam de festis celebrandis misit: & præter illam,alias etiam varias exarauit. Extat item eius epistola de sabbato,alia item de gymnasio. Hermammoni porrò & alijs in Aegypto fratribus literas conscribens, vbi alia tum de Decij sceleribus & improbè factis,tum de facinorosis moribus illorum, qui Decium subsequebantur,disseruit: pacis & concordiæ,quæ in Ecclesia Galieno regnante vigebat,meminit. Verùm Ipsius verba audire,non alienum ab eo,quod agimus,existimo. sic nanq; scribit: Macri- „ nus ille imperatorum,quibus inseruiebat,alterum prodens,alteri parans insidias, cum „ vniuersa familia breui radicitùs extirpatus fuit. Galienus igitur, & antiquus & nouus „ imperator,denuò summo omnium consensu declaratur: qui cùm ante Macrinum & „ liberos imperator fuit, tum post illorũ mortẽ imperij gubernacula susce pit,iuxta illud, „ quod est ab Esaia propheta prædictũ: Quæ à principio fuerunt, ecce venerunt, & noua „ sunt,quæ iam orientur. Quemadmodum enim nubes subter radios solis percurrẽs, eos- „ demq; ad tempus opacans,ipsum etiã solem vmbra obscurat,& eius locum videtur occupare: deinde ea aut prætergressa,aut liquefacta tepore,sol qui antè etiã oriebatur,iam „ maiori cum splendore rursum quodammodo oriri cernitur: sic Macrinus, qui se alijs „ præposuerat,& imperio Galieni,quod tantopere ambiebat, appropinquare contende- „ rat,non amplius est imperator,quoniam iure non erat: hic,vt antea,sic iam pari digni- „ tate elucet. Atq; imperium, tanquam squalida illius senectute depositum, & antegressa „ vitiorum labe perpurgata,iam florentius viret,longius cùm oculis conspicitur,tum au „ ditione manat,fama deniq;,maiore cum amplitudine vbiq; gentium peruagatur. Dein- „ ceps de tẽpore,quo hæc scripserit,ista memorat: Mihi rursus occurrit annos huius Imperatoris considerare. Illos enim, qui maxima fuerũt impietate nobilitati,& propterea non multo pòst absq; nomine hominum animis omninò exciderunt,non video cur in memoriam reuocem. * Verum de Galieno dicam breuiter. Hic vitam pietate magis eximiam, Deique cultu clariorem traducens,† octauo imperij anno præterlapso,iam nonum annum agit: in quo nos festa lætis animis celebremus.

Ruff. ca. 21. *Aliæ Dionysij epistolæ.*

Macrinus proditor. Galienus Imp. solus, Macrino cum suis extincto.

Galienus pietatem. Galienus cum adoleuerit, factus esset Augustus, imperiũ primũ feliciter, mox cõmodè, ad vltimũ pernicioseq; gessit. Eutrop. lib. 9.

*Nota hũc librũ esse scriptũ anno Galieni nono Christi 266.

† Vide annot. pag. 77. lin. 13

De Nepote, & eius schismate. CAPVT XIX.

Hic refert Nicephori ca. 21. li. 6. Cyprianũ in sermone de immortalitate.

PRæter[a] ista omnia Dionysij opera,alij duo libri De promissis erant ab eo elaborati. Causa cur hos scripserit, erat episcopus Aegypti, nomine[b] Nepos: qui promissa in sacris Scripturis,sanctis viris factitata,in hoc seculo (sicut Iudæi somniant)præstanda fore docuit: hominibusq; persuadere laborauit,eos certo quodam millenario annorum numero in delicijs corporeis & voluptate in terra victuros. Qui cum putaret,se ex Ioannis Apocalypsi suam opinionem posse obtinere, librum quem ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν, id est, reprehensionem eorum, qui allegorias componunt, inscribebat, de hoc argumento edidit. Cui Dionysius in duobus illis libris, quos de promissis

M conte-

a Ruff. c. 22.
b Nepotis hæresis.

Nepotis liber.

Dionysij de promissis libri 2. contra Nepotem.

contexuit, acriter contradicit. In priore, suam ipsius sententiam de eo dogmate expo- A
nit: in posteriore autem, de Ioannis disputat Apocalypsi. In cuius initio de Nepote mē-
tionem faciens, ita scribit: Quoniam librum quendam Nepotis pro se afferūt, quo qui- "
dem perinde ac si in illo certis indubitatisq; argumentis Christi regnum in terra futu- "
rum probatum esset, magnoperè niti & confidere videntur: dicam equidem, quod sen- "
tio. Quanquam non modò pro multis alijs rebus Nepotem amplector & diligo, vt pro "
fide, pro studio in doctrina posito, pro assidua in Scripturis exercitatione, pro nonnul- "
lis quoque ac varijs psalmis, hymnisq; ab eo compositis, quibus hucusque nonnulli fra- "
tres libenter vtuntur: verùm etiam propterea, quòd ex hac vita migrauit, hominē mul- "
tò magis reuereor: veritas tamen multò amicissima est, & omnibus rebus meritò ante- "
poni debet. Ac si quid rectè dicatur, laudandū illud quidem, sine inuidia: sin quicquam "
parum syncerè & integrè sit scriptis mandatum, hoc cum diligentia & disquirendum, "
& coarguendum. Contra aduersarium, qui coràm adest, & verbis solùm ac sermone "
opinionem suam tueri laborat, colloquium absque scripto, quod partim interrogādo, "
partim respondendo ijs, qui nobiscum ex aduerso pugnant, persuadere, eosq; in nostrā "
sententiam pertrahere solet, satis profectò momenti habebit, & ponderis. Verùm cùm "
opus scriptum nobis obiectum sit, illudq; (vt quibusdam placet) ad persuadendum va- "
lentissimum: cumq; doctores eius sectæ, legem & prophetas pro nihilo putent, Euange- "
lia sequi negligant, Apostolorum epistolas deprauent: huius tamen operis, quod di- "
xi, doctrinam tanquam magnum aliquod & abstrusum mysterium complectentem as- "
seuerant: cumq; fratres nostros aliquanto simpliciores, & magis imperitos, de sublimi "
& admirando opere vel glorioſi vereq; diuini Domini nostri aduentus, vel nostræ à "
mortuis resurrectionis, vel cum Domino coniunctionis consociationisq;, & ad eius im "
mortalem naturam assimilationis, non aliquando cogitare sinant, sed illis persuadere "
conentur, in regno Dei abiecta & mortalia præmia (qualia ab hominibus in hac vita ex- "
pectare solemus) tandem futura: nobis certè necessum arbitror, aduersus istum fratrem "
quem dico, Nepotem, perindè ac si præstò adesset, acuta ratione disceptare. Deinde qui- "
busdam adiectis, sic loquitur: Cum essem in loco quodam, qui Arsenoites dicitur, vbi "
vt nosti, iampridem hoc dogma prodijt in lucem, sic vt non modò schismata nascerēn- "
tur, sed integrę ecclesiæ à fide deficerent: presbyteros eius sectæ, qui fratribus in singulis
pagis vndiq; prædicabant verbum Dei, conuocaui: eosq; magnoperè cohortatus sum, vt "
palàm præsentibus fratribus, audireq; cupientibus, illorum doctrina exquisitè discute- "
retur. Atq; cùm librum, qui illis erat tanquam quoddam propugnaculum & murus in- "
expugnabilis, ad me attulissent, cōsidens in vno loco cum illis, toto triduo à primo ma- "
ne vsq; ad vesperam, quæ in eo scripta erant, studiosè refutare conabar. Ibi tum quidem "
certè fratrum constantiam, studium veritatis, facile obsequium, & prudentiam ideò su- "
pra modum admirabar, quòd tam præclaro ordine, & tanta cum modestia rogabant, "
disceptabant, nobisq; assentiebantur: atq; etiam tam diligenter præcauebant, ne illis quę "
fuerant antè ab ipsis decreta, si quicquam in eis veritati repugnare videretur, mordicus "
adhærerent: quinetiam contrarias rationes minimè omittebant nobis opponere, sed "
quoad eorum fieri poterat, ea quæ erant ab ipsis proposita, munire & defendere tenta- "
bant: & contrà, vbi poscebat ratio sententiam mutare, & nostro assentire iudicio, eos "
neutiquam omninò pudebat: deniq; conscientia integra, syncera cogitatione, & puris "
erga Deum ac simplicibus animis, ea quæ erant firmis rationibus & testimonijs à sacris "
literis depromptis confirmata, admodum approbabant. Ad extremum, huius doctrinę "
princeps & dux Coracion, omnibus fratribus, qui aderant audientibus, palàm confessus "
est, nobisq; attestatus, neq; se velle deinceps, quandoquidem aduersarijs rationibus se "
putabat satis abundè conuictum, illi dogmati animum adhibere, neque de eo differere, "
neq; mentionem facere, neq; aliquando illud vsquam docere. vnde alij fratres, qui ade- "
rant, pro ista disceptatione in publico Ecclesiæ conuētu habita, proq; omnium concili-
atione & concordia maximam lætitiam animis perceperunt.

Nepotis encomion.

Amici quantumuis etiam chari, tamen veritati sunt postponendi.

Nepotis doctrina qualis.

Arsenoites locus.

Vbi emersit Nepotis dogma.

Dionysij congressus cum Nepotianis.

Coracion, Nepotianæ hæreseos princeps recantat.

De Apocalypsi, quæ fertur, Ioannis. CAP. XX.

Ruff. ca 23. *Quorundam sinistra opinio de Apocalypsi Iohannis.*

DIonysius paulò pòst in eodē libro, de Apocalypsi Ioannis ista refert: Quidā ante nos, librū Apocalypsis omninò antiquare, irritumq; facere, cū singula eius capita coarguendo, tum ipsum totum nec probabilitate roboratum, nec ratione conclusum ostendendo, magnoperè studuerunt, & falso titulo (nam dixerunt non esse Ioannis librum: imò neq; eam posse esse reuelatio- nem, quæ tam crasso ignorationis inuolucro esset obtecta) inscriptum affirmârunt: & non fieri posse, vt Apostolus aliquis, imòverò neque ex sanctis viris, aut ex alijs, qui sunt

Hucreferūt Nicephorus cap. 22. lib. 6. Refert hæc etiā Hieron. Prochorum de actis Ioannis, qui extat in Bibliotheca facra nuper ex-

Ecclesiæ cusa.

A Ecclesiæ membra, quispiam, sed Cerinthus quidam (vnde hæresis Cerinthiana primū
„ orta inuectaq; est) eius libri author existeret: qui operi suo tam commenticio, tamq; ple
„ no vanitatis, nomen celebre & dignum approbatione voluit imponere. Peruersam au-
„ tem istius Cerinthi doctrinam talem fuisse memorant: Regnum Christi terrestre fore:
„ eumq;, vtpote corporis voluptatibus & carnis illecebris penitùs deditum, in illis rebus
„ quarum cupiditate incendebatur, regnum Christi futurum somniasse: hoc est, non in
„ illis solùm, quæ ventri & partibus, quæ ad Venerem explendam pertinent, inseruiunt,
„ vt in esculentis & poculentis, & nuptijs: verùm etiam in his, quibus illas facilius & pro-
„ cliuius suppeditari putabat, hoc est, in festis, victimis & hostijs mactatis. Verùm ego li-
„ brum ipsum nullo modo audeo abrogare, præsertim cùm adeò multi fratres eum tam
„ magno æstiment: sed hanc mecum de eo opinionem concipio, longè abstrusiorem esse
„ in illo materiam, quàm mens mea facilè consequi queat, & singulis propè sententijs sen-
„ sum quendam mysterijs inuolutum, & valde admirabilem delitescere, planè existimo.
„ Et quanquam eum ipse non intelligo, suspicor tamen intellectum quendam recondi-
„ tiorem verbis ipsis inclusum: atq; istas res non propria ratione metior ac pondero, sed
„ fidei potiùs tribuo, & altiores diuinioresq; profectò arbitror, quàm quas ipse vllo pacto
„ cogitatione comprehendere valeam. Atq; non eas improbo, quas non intelligo: sed id-
„ eò potius admiror, quòd mentis acie lustrare non queo. Deinceps autem simulac totū
„ Apocalypsis librum accuratè disquisiuit, eumque ex eo sensu, qui nobis in promptu po-
„ situs videtur, non posse intelligi demonstrauit, hæc adiungit: Cum ipse Prophera totam
„ illam prophetiam ferè ad exitum perduxerit, non eos solùm, qui eam obseruant, beatos
„ pronunciat, sed se ipsum etiam. Beatus est, inquit, qui costodit verba prophetiæ libri hu-
„ ius: & ego etiam Ioannes, qui vidi & audiui hæc. Proinde ipsum authorem libri Ioannē
„ appellari, & librum à Ioanne quodam scriptum, non equidem inficias eo. nam ab ali-
„ quo viro pio & diuinitùs inspirato editum, facilè assentior. Attamen hunc Apostolum
„ fuisse, filium Zebedæi, fratrem Iacobi, à quo tùm Euangelium, quod secundum Ioannē
„ inscribitur, tum epistola catholica, composita fuit, non tam facilè possum concedere.
„ Nam ex vtriusque cùm stylo, tum verborum genere, tum totius libri Apocalypsis vel-
„ ut discursu, non eundem esse Ioannem, coniectura auguror. Euangelista enim nomen
B suum nusquam inscribit, neq; vel seipsum per Euangelium, vel per epistolā aliquando
„ prædicat. Deinde paucis interpositis, iterum ita differit: Ioannes de libro vel tanquam à
„ seipso, vel tanquam ab alio quopiam scripto, nullo in loco mentionem facit. Iste autē
„ qui scripsit Apocalypsim, statim in initio nomen suum ponit: Apocalypsis Iesu Chri-
„ sti, quam dedit illi Deus, vt palàm faceret seruis suis, quæ oportet fieri citò, & significa-
„ uit mittens per Angelū suum seruo suo Ioanni, qui testimoniū perhibuit verbo Dei,
„ & testimonium Iesu Christi, & quæ vidit. Deinde in eadem Apocalypsi, tanquam epi-
„ stolam quandam scribit Ioannes septem ecclesijs, quę sunt in Asia: Gratia vobis & pax.
„ Verùm Euangelista ne in Epistola quidem catholica nomen præfatur, sed exordio su-
„ peruacaneo omisso, ab ipso mysterio diuinæ reuelationis initiū capit: Quod erat ab ini-
„ tio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris. Ac pro eadem reuelatione Domi-
„ nus Petrum beatum dixit, sic locutus, Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis
„ non reuelauit tibi, sed pater meus cælestis. Quinetiam neque epistolæ secundæ & tertiæ,
„ quæ dicuntur esse Ioannis, licet perbreues sint, Ioannes nominatim præponitur: sed
„ præsbyter inscribitur, vacans nomine. Iste Apocalypseos author non satis esse puta-
„ bat semel se nominare, & ita in reliqua oratione progredi, sed nomen iterum atque i-
„ terum repetit: Ego Ioannes frater vester, & particeps in tribulatione, & regno, & patien-
„ tia in Iesu Christo, fui in Insula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & testi-
„ monium Iesu Christi. Rursus in extremo libro ista memorat: Beatus qui custodit ver-
„ ba prophetiæ libri huius, & ego Ioannes, qui vidi & audiui hæc. Idcirco, quòd Ioannes
„ sit, qui hæc scribat, fides ei ita de se loquenti adhibēda est: sed quisnam Ioannes iste fue-
„ rit, incertum est. Neque enim vocat seipsum, quemadmodum Ioannes Euangelista in
„ Euangelio sæpè, dilectum à Domino discipulum, neque eum, qui supra pectus Domini
„ recubuerit: neque fratrem Iacobi, neque contemplatorem & auditorem Domini. Ali-
„ quid namque istorum, quæ demonstrata sunt, dixisset, eo quidem animo, vt seipsum
„ quis esset perspicuè declarare potuisset. At horum nihil dixit: sed fratrem vestrum, &
„ participem dixit, & testem Iesu, & beatum ob contemplationem & auditionem reuela-
„ tionum. Cæterùm Ioannis Apostoli multos fuisse gentiles arbitror: qui propter singu-
„ larem amorem, quo erga illum affecti erant, propter admirationem quam de eo habe-
„ bant, & propter æmulationem, qua ad illum imitandum flagrabāt, & quòd à Domino
„ pari ratione diligi cupiebant, etiam istam appellationem amplexati sunt: Quemadmo-

Cerinthus. Cerinthiana hæresis quælibet.

Apocalypsis Ioannis qualis liber Dionysio visus.

Apoc. 22.

Apocalypseos Ioannis author quis. Colligit argumentis nō esse Apocalypsin Ioan. Euangelistæ.

Apoc. 1.

Ibidem.

1. Ioan. 1.

Matth. 16.

Ioannis epistolæ secunda et tertia.

Apoc. 1.

Apoc. 22.

Plures Ioannes.

Ioannis apostoli multi gentiles.

Plures Petri & Pauli Act. 15.

dum nomina Pauli & Petri, fidelium liberi crebrò ferunt. Est item alius Ioannes in A- A
ctis Apostolorum, cognomento Marcus: quem Barnabas & Paulus sibi in societatem "
Ioannes Marcus. Act. 13. asciuerant. Vtrùm sit hic, qui Apocalypsim scripserit, non possum pro certo affirma- "
re. nam non est scriptis à Luca proditum, eum in Asiam vnà cum illis aduentasse: sed "
Quatuor argumenti colligit Apocalypsin non esse Ioan. Euangel. soluentes, vt ipse ait, à Papho, Paulus, & qui cum Paulo erant, venerunt in Pergem Pam "
philiæ: Ioannes ab illis decedens, reuertitur Hierosolymam. Alterum ergo puto eorum "
fuisse, qui in Asia versabantur. Siquidem duo ferunt Epheſi esse monumenta, & vtrun- "
que Ioannis nomine inscriptum. Porrò cùm ex sensu, tum ex verbis, eorumq; compositi- "
Euangelij Ioannis, & primæ eius epistolæ consensus. tione, meritò alter ab eo, qui scripsit Euangelium, existimabitur. Nam Euangelium & "
epistola inter se consentiunt, & incipiunt eodem ferè modo. Illud enim sic loquitur: In "
principio erat verbum. hæc ita dicit: Quod erat ab initio. Illud ait, Et verbum caro factũ "
est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. "
1. Sensu. hæc eadem ipsa loquitur, paululum admodum immutata: Quod audiuimus, quod vi- "
dimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de verbo vi- "
tæ, & vita manifestata est. Ista enim tanquam prolusione quadam tam sæpè, & tanta cũ "
animi contentione repetit, contra eos (sicut in sequenti sermone declarauit) qui assere- "
bant Dominum non venisse in carne. & propterea hæc studiosè accuratéque attexuit: "
Quod vidimus testamur, & annunciamus vobis, vitam æternam, quæ erat apud Pa- "
2. Verbis. trem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis. In i- "
sto inhæret, & ab eiusmodi sententijs ferè non digreditur: ijsdem tanquam rerum ca- "
pitibus, ijsdemq; verbis omnia tùm in Euangelio, tùm in epistola prosequitur. Quo- "
rum nonnulla nos breui obseruatione notabimus: Qui verò attenta cogitatione in "
perlegendis & Euangelio & epistola se defixerit, in vtroque reperiet sæpè vitam, sæpè lu- "
cem, dehortationem à tenebris, semper ferè veritatem, gratiam, gaudium, carnem & "
sanguinem Domini, iudicium, remissionem peccatorum, charitatem Dei erga nos, "
charitatis mutuæ inter nos mandatum, quomodo oporteat omnia seruare mandata, "
reprobationem mundi, diaboli, Antichristi, Sancti Spiritus promissionem, adoptio- "
nem filiorum Dei, fidem à nobis omninò requisitam, patrem & filium vbique incul- "
catum. & vt summatim dicam: Si omnes Euangelij & epistolæ, quasi dicendi formas "
notare lubet, vnum & idem vtriusq; tanquam filum orationis animaduertere in pro- B
cliui erit. Apocalypsis autem ab his alienissima est, & maximè præ his peregrina, adeò vt "
neq; sensu cum illis coniuncta sit, neque propè accedat, neq; syllabam (penè dixerim) ha "
3. Silentio quod de Apocalypsi est perpetuũ in genuinis Ioan. Euangl. scriptis. beat cum illis communem. Imò neq; mentionem vllam, neque significationem epistо "
la (missum enim facio Euangelium) habet Apocalypseos, neque Apocalypsis epistolæ: "
cùm tamen Paulus de reuelationibus, licet eas non per se & seperatim conscripserit, a- "
liquam mentionem faciat. Prætereà ipsa dictionis formula differentiam euangelij & e- "
4. dissimilitudine dictionis. pistolæ ab Apocalypsi facilè licet internoscere. Nam illa non modò, vt Græci loquun- "
tur, ἀπλάστως, id est, absque vllo orationis vitio, sed etiam summa cum verborum elegan- "
tia, maximo sententiarum pondere, & concinna elocutionis dispositione perscripta "
sunt: tantum abest vt vox aliqua barbara aut soloecismus, aut imperitus & rudis sermo "
Ioannis Euangelistæ eloquentia. in eis reperiatur. Habebat enim Euangelista, vt videtur, hæc vtraque: & disertum sermo "
nem, & scientiam diuinam: propterea, quòd Dominus ista duo, nimirum donum sapi- "
entiæ, & donum cognitionis, illi largitus fuisset. Et quanquam hunc, qui scripsit Apo- "
calypsim, scientiã & prophetiam animo cœpisse, non equidẽ inficior: eius tamẽ sermo- "
nis proprietatem & linguam non adeò limatè & politè Græcè loquentem animaduer- "
Apocalypsis stylus barbarus. to: sed modis loquendi planè barbaris vtentem, & interdum etiam soloecismo: quæ "
quidẽ in præsentia adnotare non est necesse. Nec quisquã me cauillandi studio adductũ "
hęc dixisse existimet: sed solũ, vt istarũ scripturarũ dissimilitudinẽ accuratè distinguerẽ. "

De epistolis Dionysij Alexandrini episcopi. CAP. XXI.

Dionysij scripta. PRæter epistolas Dionysij suprà commemoratas, aliæ complures eius extant Huc refer Nicephori cap. 24. 26. lib. 6.
Ammon episc. epistolæ: vt illæ, quæ sunt contra Sabellium, ad Ammonem ecclesiæ Berni-
censis episcopum missæ: & ea, quæ ad Telesphorum, & quæ ad Euphranorẽ
data fuit: alia iterum ad Ammonem, & Euporum. Quatuor item libros de
eodem argumento, nempè contrà Sabellij hæresim composuit: quos genti-
Dionysius Ro. episc. li suo Dionysio, qui Romanus erat episcopus, dedicauit. Non paucæ præter has sunt il-
lius apud nos epistolæ. Quinetiam libri illius sunt, epistolæ forma, pluribus verbis com-
positi: vt hi de natura, Timotheo filio dicati: alius de tentationibus, quem Euphranori
Basilides epis. obtulit. Ad Basilidem porrò, ecclesiarum Pentapolis episcopum scribens, ait se commẽ
tarios in principium libri, qui Ecclesiastes dicitur, confeciſſe. Adde huc diuersas & varias

A rias eius epistolas ad eundem Basilidem scriptas, quas nobis reliquit. Verùm de Diony-
sij operibus satis.

De Paulo Samosatensi, & de hæresi ab eo in Antiochia instituta: & de claris episcopis, qui per ea tempora innotuerunt. CAP. XXII.

Huc refer Nicæ. lib. 6. cap. 27. Vide Epiphan hæres. 1. lib. 2. tomo 2. Augustinũ hæresi 44.

AM verò, post istarum rerum explanationem, sequitur vt res nostra ætate
gestas, quales tandem fuerint, posteritati prodamus. Cum Xystus Romanã
ecclesiam vndecim annis rexisset, Dionysius gentilis illius, qui fuit episco-
pus Alexandriæ, episcopatum Romanum obtinuit. Interea Demetriano
Antiochiæ vitam deserente, Paulus ex Samosata episcopatus dignitatem
assequitur. Et quoniam iste abiectam & humilem nimis de Christo contra doctrinam
ecclesiasticam habebat opinionem, nempè quòd solùm communi natura erat cum ho-
mine præditus, * Dionysius Alexandrinus rogatus est, vt veniret ad Synodum: qui quan-
quam senectutem simul & imbecillitatem corporis causando præstò esse renuit, per e-
pistolam tamen illos, quam habebat de controuersia sententiam, fecit certiores. Cæteri
autem ecclesiarum pastores, alius aliunde, contra istum Paulum, tanquam pestẽ & per-
niciem gregis Christi, itinere cum celeritate confecto, omnes Antiochiæ in vnum con-
uenerunt. Inter hos maximè præstare videbãtur Firmilianus Cæsareæ Cappadocum e-
piscopus, Gregorius & Athenodorus fratres, pastores ecclesiarum, quæ sunt in Ponto:
Helenus prætereà, qui Tarsi rexit Ecclesiam: & Nicomas, qui Iconij ecclesiæ ministerio
functus est. Huc accedit Hymenæus, ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopus: & Theotec-
nus, qui Cæsareæ Palestinæ, Hierosolymis finitimæ, administrationem obtinuit. Adde
his Maximum, qui fratribus Bostræ decorè & insigniter præfuit. Ac tametsi alios penè
infinitos episcopos vnà cum presbyteris & diaconis, qui eius rei gratia in vrbe suprà de-
monstrata, id temporis coacti erant, vix, aut ne vix quidem aliquis poterit enumerare:
inter eos tamen hi, quos dixi, facilè primas tenuerũt. † Omnibus igitur varijs temporib.
(vt tulit occasio) & persæpè in vnum conuenientibus, in vnoquoq; congressu orationes
habitæ sunt, & quæstiones positæ, cùm à Paulo Samosateno, qui peregrinam suam & a-
lienam ab ecclesia doctrinam adhuc occultare & obtegere moliebatur: tum ab illis, qui
B eius errorem & in Christum blasphemiam patefacere, & in apertum proferre omni stu-
dio elaborabant. * Interea temporis Dionysius, cum iam decem & septem annis episco-
patum Alexandriæ administrasset, duodecimo anno imperij Galieni moritur. huic suc-
Claudius Imperator anno Domini 271. Aurel. imperat. anno Christi 273. Huc refer. Nicephori ca. 28. li. 6. cessit Maximus.

Eusebius iam venit ad historias ætatis suæ.
Dionysius Ro. episc.
Paulus Samosatenus, eius hæresis.
* Ruff. c. 24.
Synodus contra Paulum.
Firmilianus, Gregorius, Athenodorus, Helenus, Nicomas, Hymenæus, Theotecnus, Maximus, præcipui Patres, qui Synodo interfuerunt.
† Ruff. c. 25.
* Hic Ruff. multa de Gregorio inseruit, q̃ textus Eusebijno habet.
Dionysio succedit Maximus.

Quonam pacto Paulus à quodam Malchione presbytero reprehensus, abdicatus sit. CAPVT XXIII.

ALienus vbi quindecim annos integros gubernasset, Claudius Imperator
designatus est. Iste biennio percurso, Aureliano tradit imperium. Cuius
temporibus, Paulus dux & author erroris, qui Antiochiæ grassabatur, in
postremo concilio episcoporum numero propè infinitorum, contra eum
conuocato, sui erroris & peregrinæ opinionis perspicuè conuictus, & om-
niũ iam consensu palàm condemnatus, ab vniuersa & catholica Ecclesia, quæ sub cælo
est, penitùs exturbatus fuit. Ex quib⁹ Malchion in primis, schola humanioris literaturę
quæ erat Antiochiæ, magister, vir cùm in alijs disciplinis disertus, tũ in sapientiæ studio
eximius, ac propter singularem fidei in Christum ingenuitatem presbyterij munere in
illa ecclesia donatus, eum velut integumentis dissimulationis euoluens, acriter coar-
guit. Iste enim disputationem contra illum instituens (quam id temporis à scribis celeri
manu exceptam, & hucusque reseruatam scimus) hominem animo veteratorio prædi-
tum, & fraude plenum, solus præ cæteris relegendi vim habuit, & tanquam omnium o-
culis subijciendi.

Ruff. ca. 26.
Malchion presbyter Paulum Samosat. disputatione conuincit.

De episcoporum contra Paulum epistola. CAP. XXIIII.

Huc refer Nicephori cap. 27. 28. 30. lib. 6.

OMnes igitur episcopi & pastores, qui in concilio suprà commemorato erant
conuocati, vnam communi consensu epistolam ad Dionysium episcopum
Romanum, & ad Maximum Alexandriæ ecclesiam procurantem, nomina-
tim conscripserunt: cuius exemplaria ad omnes prouincias miserũt. In qua
quidem epistola & suum studium, ac diligentiam in ea re positam omnibus
declarârunt: & peruersam Pauli hæresim, argumenta in ea refutanda, quæstiones quas
ei proponebant, omnem præterea hominis vitam & mores dilucidè exposuerunt. Eo-
rum igitur voces ex ea epistola petitas, in præsentia memoriæ & posteritatis causa per-
sequi, præclarum fortasse & commodum videbitur.

Episcoporũ literæ de Paulo conuicto & eius hæresi dãnata, ad Dionys. Rom. & Maxim. Alexandr. episc.

Dionysio, Maximo, & omnibus vbique in orbe terrarum collegis, episcopis, presbyteris & diaconis, & A vniuersæ ac catholicæ sub cælo Ecclesiæ: Helenus, & Hymenæus, & Theophilus, Theotecnus, & Maximus, Proclus, Nicomas & Aelianus, Paulus, Bolanus & Protogenes, Hierax & Eutychius, Theodorus, Malchion & Lucius, & reliqui omnes episcopi & presbyteri & diaconi, qui ciuitates & regiones finitimas apud nos incolunt, & Ecclesiæ Dei, quæ apud nos sunt, dilectis fratribus in Domino, Salutem.

Dionys. Alexandr. vt egerit cũ Paulo.

Istis paulò post hæc subiungit: Scripsimus epistolas ad episcopos, qui longiore locorũ interuallo à nobis distabant: eosq; obsecrauimus, vt ad hanc lethalem & pernicioſam doctrinam curandam accederent: vtpotè ad Dionysium episcopum Alexandrię, & Firmilianum episcopum Cappadociæ, homines beatos & fœlicis cõmemorationis. quorũ alter, Dionysius scilicet, quanquam neq; ad erroris ducem separatim scribere, neq; omninò eum salutare dignatus est, ad vniuersam tamen ecclesiam Antiochiæ epistolã misit: cuius exemplar huic nostræ epistolæ subiunximus. Alter autem, nempè Firmilianus,

Vt item Firmilianus Cappad. episcop.

bis huc accessit, & ea, quæ à Paulo innouata erant & excogitata peruerse (quemadmodũ cùm nos, qui aderamus, & scimus & testificamur: tum alij complures, qui eiusdem rei nobiscum conscij sunt) coràm eruditè certè refutauit. Vnde cum Paulus sententiam se mutaturum fuisset pollicitus, iste fidem illi adhibens, & spem animo concipiens, causam controuersiam q; sine vlla verborum contumelia commodè fore compositam, eã ad tempus distulit: & ita ab illo, qui & Deum suum negasset, & Dominum, & fidem,

Firmiliani mors.

quam antè habuerat, minimè conseruasset, dolo deceptus fuit. Firmilianus ergo (vtpotè qui iam de impia eius prauitate, qua Christum Deum pernegauerat, satis fecisset periculi) cum esset rursus Antiochiam peruenturus, & ad Tarsos vsque perrexisset, interea loci dum nos conueniremus, dum illum accerseremus, dum eius expectaremus aduentum, extremum vitæ diem obijt. Posteà in eadem epistola Pauli vitam, quomodo instituta fuerit, quo pacto morata, his verbis describunt: Quoniam Paulus, relicto Ecclesiæ canone, ad adulterinam deprauatam q; doctrinam se transtulit, eius res gestas, cũ sit extra Ecclesiæ fines eiectus, nihil attinet disquirere: neq; quòd antea indigentia &

Pauli Samosateni vita et mores.

mendicitate oppressus, neq; quòd à parentibus opum aut facultatis nihil omninò natus, neque quòd arte aut instituto aliquo quicquam adeptus, iam ad maximam diuitiarum affluentiam peruenerit: idq́ue ex nefarijs sceleribus, sacrilegijs, & muneribus, quæ à fratribus iniuria affectis (quos se adiuturum pollicitus, callidè ludificatus est) cũ flagitando, tum eorum animos ad aliquid sibi largiendum impellendo, per fraudem extorserat: & ita, dum quæstum pietatem ducebat, eorum liberalitate, qui litibus implicati tenebantur, quiq́ue quò ab aduersariorum calumnijs liberarentur, ad dandum valde erant propensi, nequiter abusus est. Neque commemorare opus est, quo pacto se insolenter extulerit, & secularium honorum gradus sibi assumpserit, seq́ue arroganter in ijsdem gesserit, & ducenarius potius quàm episcopus nuncupari voluerit, & per forum volutarit, & modò epistolas legendo, modò quid illis responsi daretur præscribendo, magna satellitum turba, partim cum antecedentium, partim subsequentium stipatus, superbo gradu palàm incesserit: adeò vt propter intolerandum eius fastidium, & nimiam animi elationem, fides nostra grauem inuidiæ notam, odium q́ue permagnum subierit. Neque necessum est dicendo persequi, illius præstigias in concilijs ecclesiasticis vsurpatas, quas falsæ gloriæ vmbras consectando, & varias ineptiarum species aucupando, & imperitiorum mentes eo pacto in sui admirationem traducendo, callidè excogitauit: neque qua ratione sedem & thronum sublimen sibi parârit, cum q; non vt Christi discipulum decet, sed vt mundi principes solẽt, † secretum & separatum habuerit, nomine suo appellârit, femur in eo sedens manu percusserit, calcibus aliquando ipsum pulsarit: & qui, cum cum audirent concionantẽ, non laudibus extollerent, non (vt in theatris fieri solet) se agitationibus, quo illi applauderent, in orbem versarent, non more gladiatorum & mulierc ularum, quos apud se habebat, inconcinnè ei acclamarent, & quasi tripudijs gestirent: sed vt in domo Dei par est, modestè moderateq́ue auscultarent, eos grauiter increpârit, & verbis contumelioſis exceperit: neque quomodo in vera Dei interpretes, qui è vita excessissent, dum in hominum frequentia palàm prædicaret, petulanter & importunè debacchatus fuerit: & non tanquam episcopus, sed tanquã sophista & præstigiator de seipso magnifica verba iactitârit. Porrò quid vobis in memoriam reuocemus, quemadmodum psalmos & cantus, qui ad Domini nostri IESV Christi honorem decantari solent, tanquã recentiores, & à viris recẽtioris memoriæ editos, exploserit: & in media ecclesia, solẽni Paschatis die, mulieres, quę inanes cãtilenas (quas

Paulus Ecclesiæ patres contemnit, vt nostri temporis hæretici.

Ducenarij temporibus nostris ridiculi esse videntur.

Cancellarijs, quatũ scotus asserit de insignibus magistratuũ. Fit eorũ mentio in L. Matricula de agent. in rebus cod. lib. 12.

† ἀλαζονεύεται, vnde Secretarij, & ἀσεκρετις dicti.

A (quas si quispiam audiret, planè exhorresceret) in ipsius laudem funderent, parârit? Aut quid vobis exponamus ea blasphemiarum genera, quæ episcopos & presbyteros, qui agros & ciuitates finitimas incolebant, quo illi blandirentur, in concionib. suis ad populum habitis, loqui permiserit? Nam nullo modo confiteri voluit (vt aliquid iam antè obiter inseramus, quod pòst dicetur apertius: neque id nostris verbis solum confirmabitur, sed multis & varijs locis Commentariorum ipsius, quos ad vos misimus, & maximè vbi asserit Christum terrenũ esse, & humi natum, perspicuè ostendetur) filium Dei è cælo descendisse. Sed qui in istum Paulum impium ipsorum magistrum cantus recitabant, & palàm apud populum laudibus efferebant, eum angelum dixerunt, è cælo demissum. Atque ista fieri non prohibuit: sed cùm in ipsum impudenter dicebantur, insolens & fastidio tumidus adfuit. Præterea quid est cur literis prodamus, asciticias illius mulieres (quas † συνεισάκτους Antiocheni appellãt) & mulieres etiam presbyterorũ & diaconorũ suorum, quorum non hoc peccatum solum, sed alia propè insanabilia, cùm eorundem conscius esset, explorateq; cognita haberet, callidè occultauit, quo illi ita ipsi obærati astrictiq́ue, dum sibi ipsis metuebant malè, scelerum quæ ille vel verbo vel factis consciuisset, reum agere non aliquando auderent, quinetiam ipsos magnopere lucupletauit: & propterea apud illos qui talium rerum cupiditate incendebantur, in magna gratia & admiratione fuit. Atque vt hoc pro certo habemus cognitum, fratres in Christo dilecti, non episcopum modò, sed sacerdotium etiam vniuersum, populo omnium bonorum operum & rectè factorum exemplar esse debere: sic illud minimè ignoramus, permultos ab ista mulierum in suam societatem asciscendarum ratione & modo, pietate penitùs excidisse: alios autem venisse in suspicionem flagitij. Quare licet aliquis hoc daret, eum nihil lasciuiæ aut petulantiæ in illas admisisse: suspicio tamen, quæ ex eiusmodi re oriri solet, sedulò cauenda fuisset, ne fortasse alicui esset offensioni, alios autem ad se imitandum impellere potuisset. Quo pacto enim alium aut reprehendere poterat, aut admonere vti deinceps se mulieris consuetudine abstineret, diligenterq́ue caueret ne eius illecebris (sicut scriptum est) laberetur in turpitudinẽ: qui vna repudiata, duas ætate florentes & aspectu perliberales ac venustas secum habuit? quas, si quopiam fortè iret, circumduxit vnà: idq́; delicias consectando, quibus cæcam animi libidinem extra modum explere laborauit. Quibus de causis tametsi omnes intra se grauiter lamẽtati & conquesti sunt, eius tamen potentiam & quasi tyrannidẽ ita extimuerunt, vt eũ accusare omnino non auderent. Sed ista vitia, vt diximus, in homine sensu recto & fide catholica imbuto, & vnà nobiscum in fidelium numero habito, possent corrigi: & ab illo, qui nefario errore Artemonis (quidni enim patrem eius, vnde hæresim suam hausit, vobis significemus?) abductus, mysterium fidei ac religionis nostræ prodiderit, nefarijsq́ue conuicijs affecerit, non necessum arbitramur illarum rerũ rationes reposcere. Tandem in ipso calce epistolæ hæc addunt: Istum igitur tam Deo aduersarium, tamq́; contumacem, eramus coacti Ecclesia & congregatione fideliũ indicere excludereq́;: & alium episcopũ, qui huic ecclesiæ catholicæ præesset, in eius locũ substituere: vnde Dõnum, diuina certè (vt putamus) prouidentia designauimus, Demetriani hominis felicis cõmemorationis (quippe qui hanc ecclesiam ante hunc præclarè rexisset) filium: omni genere virtutum, quæ episcopum decent, exornatum. Ac vos de eius electione per epistolam certiores fecimus, vt illi scribatis, & ab eo literas accipiatis communionis. Paulus autem ad Artemonem literas scribat: & si qui Artemonis partib. faueant, cum eo de inceps communicent. Atq; hæc hoc loco sint à nobis collocata. Vbi Paulus igitur simul cum orthodoxa fide episcopatum amisisset, Domnus (vt dictum est) ministeriũ ecclesiæ apud Antiochiã susc ipit. Verùm cùm Paulus ex episcopi domo, eius ecclesiæ propria, exire nollet: Imperator Aurelianus de ea re rogatus sententiã, sanctissimè quid esset agendũ decreuit. Præcepit enim, vt domus ecclesiæ illis tribueretur, quib. Christiani Italiæ & vrbis Romæ episcopi per literas tribuendã præscriberẽt. Sic demum Paulus, de quo docuimus, cũ summo dedecore secularis imperij ac potestatis authoritate ab Ecclesia penitùs extruditur. Quo quidem tempore talem, & tam benignè erga nos animatum, se Aurelianus declarauit. * Verùm tempore sui imperij progrediente, aliena opinione & propè contraria de nobis concepta, quibusdam iam consilijs impulsus fuit, vt persecutionem contra nos cieret. Creber de hac re apud omnes sermo ferebatur. Sed tamen iam iam propè dixerim, Aurelianum, cùm literas contra nos compositas manu subscriberet, diuina vltio subitò occupauit: quæ cùm brachiorum commissuris enuatis, illũ ab instituto repressit: tum omnium oculis clarè & manifestò spectandũ subiecit, quomodo mundi principib. ne minima quidẽ data sit facultas aliquid cõtra Christi ecclesias moliẽdi, nisi præpotens Dei manus, diuino suo & cælesti iudicio, temporib.

† συνεισάκτους mulieres.

Episcopum et sacerdotẽ populo exẽplar bonorum operum esse debere.

Pauli excõmunicatio Aurelianus Imp. Christianis infensus. Persecutio nona in Christianos mota anno Christi 278. Aureliani 5.

Principib. mũdi quatenus ferre contra ecclesiã liceat.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperatores. Probus Imp. Carus Imp. Carinus & Numerianus Imp.

quibus Eccleſiam probare decreuerit, iſtud diſciplinæ & caſtigationis cauſa perfici & A expleri permiſerit. Cùm Aurelianus ſex annos imperium gubernaſſet, ſuccedit Probus. Qui cùm totidē annos idem munus obijſſet, Carus vnà cum filijs Carino & Numeriano Rempublicā capeſſit. Rurſus, hiſce non triennio integro imperij admiſtratione perfunctis, ſumma rerum & imperij[a] Diocletiano, & illis qui poſt eum in regendi ſocietatē cum illo aſciti erant, delata fuit. Quorum temporibus grauis contra nos incendebatur perſecutio, & eodem momento violenta eccleſiarum euerſio facta eſt.* Quoniam paulò antè, vbi Dionyſius Romæ eccleſiæ miniſterium nouem annis procurauerat, epiſcopatu potitur Fœlix.

a Diocletianus Imp. anno Chriſti 287.

Fœlix epiſ. Rom.

** Ruff. c. 27.*

De Dioclet. ac cæteris Imp. illis, vt & de ſuperioribus omnibus, vide cōpēdio Cuſpinianū.

De Manichæorum hæretica prauitate, quæ tum primùm incœperat CAP. XXV.

Huc refert Nicephor. ca. 31. lib. 6. Vide Epiphan. hæreſ. 2. lib. 2. tom. 2. Vide Socrat. lib. 1. cap. 17.

EOdem tempore[b] Manes quidā mētis inſania exagitatus (cuius nomen errori dæmoniaco, qui ab eo oriebatur, nō inſcitè reſpondit) ipſo ſatana Dei aduerſario hominem ad multorum perniciem ſubornante, ſincerum rationis iudicium euertere, & tanquā armis oppugnare laborauit: & ſicut vita, oratione & moribus barbarus, ſic natura dæmoniacus & furioſus fuit: vnde his rebus mirè conuenientia animo inſtituens, ipſius Chriſti formam ac perſonam induere conatus eſt. Interdum autem Paracletum & Spiritum ſanctum ipſe ſe prædicauit, & iſta rabie fuit ac furore nimium inflatus: interdum ad exemplum Chriſti duodecim diſcipulos, cōſortes ſuæ nouæ & inauditæ prauitatis, delegit. Falſa & impia dogmata ex infinitis errorib. qui iam olim extincti fuiſſent, in vnū conferiens, & de Perſarum regione in iſtas orbis partes transferēs, tanquā venenum quoddā mortiferū apud nos euomuit. Ex quo fonte impium Manichæorum nomē ductum eſt, & apud multos adhuc viget.

Manichæi.

b Manes, eius que hæreſis.

De viris Eccleſiaſticis qui ea tempeſtate celebres erant: & quinam ex ipſis vſque ad Eccleſiæ depopulationem ſuperfuerunt. CAPVT XXVI.

Huc refert Nicephor. ca. 34. 35. 36. 37. lib. 6.

Felix Pont. Rom. Eutychianus. Gaius.

IAlis igitur cauſa extitit commenticiæ illius doctrinæ & erroris, qui temporibus ſuprà demonſtratis in lucē prodijt: quib. quidem temporib. cùm Felix quinquennio Romanā rexiſſet eccleſiā, Eutychianus eius capeſſit locū. Iſte non decē menſibus ad exitum plenè perductis, Gaio, qui noſtra viguit memoria, cleri miniſterium reliquit. Cui, cū quindecim annos illud munus ad miniſtraſſet, à Marcellino ſucceſſum eſt. Cuius temporib. perſecutio ſuprà demōſtrata (in qua ipſe martyrio occubuit) exorta eſt.* Per id tēporis epiſcopatum Antiochię, poſt Domnum mortuū, obtinuit Timæus: cui Cyrillus, qui noſtra vixit ætate, ſucceſſit: cuius temporib. Dorotheum dignitate ſacerdotali tum Antiochiæ donatum, virum ſanè diſertum, cognouimus. Hic in ſacris literis exquiſitè eruditus fuit: linguæ Hebraicæ diligē tem nanauit operā, adeò vt ſcripturas Hebraicas ſciēter poſſet intelligere. Erat honeſtis ac liberalib⁹ parentibus prognatus, humanioris literaturæ neutiquā expers: eunuchus reuerà natus, vti illum Imperator propter incredibilē eius naturā, in ſuā familiā aſciuerit, & præfectura purpuræ tingendæ, quę apud Tyrum eſt, honorificè donarit. Iſtum nos Scripturas in eccleſia non incōmodè explicantē audiuimus. Cyrillo vita defuncto, Tyrannus eccleſiæ Antiochiæ epiſcopatum aſſequitur: quo illo officio fungente, bellum ad eccleſias expugnādas ſuſceptum vehementer exarſit. Laodicenſis eccleſiæ gubernationē, poſt Socratē Euſebius obtinuit, ex vrbe Alexādria oriundus. Cauſa autē eius à patria profectiōis, erat cōtrouerſia illa de Paulo Samoſateno ſuſcepta: cuius gratia in Syriā profectus, ab illis qui ad religionē Chriſti propagandā omne ſuum ſtudium cōferebant, ne domum reuerteretur, prohibitus fuit. qui quidē (ſicuti ex verbis Dionyſij, de eo à nobis ſuprà citatis, facilè licet cognoſcere) præ cæteris præſtantib. noſtri tēporis viris, tanquā precioſus quidā pietatis theſaurus extitit. Anatolius genere etiā Alexandrinus poſt illum creatur epiſcopus, bonus (vt aiunt) boni viri ſucceſſor. Qui cùm ob eloquentiam, tum ob doctrinā humaniorē, & cognitionē philoſophiæ, inter homines noſtri tēporis, qui erāt ſpectatiſſimi, facilè principē locum obtinuit: quippe in Arithmetica, Geometria, Aſtronomia, & diſſerendi facultate, in contēplatione & perſpicientia naturæ, in oratorū quoq; diſciplinis venerat ad ſummū. quarum rerū gratia, fama eſt, ciues Alexādriæ, eū illi ludo, in quo Ariſtotelis doctrina docebatur, magiſtrū præfeciſſe. Ac tametſi in obſidione Alexādriæ, cùm ibi magna eſſet † frumenti inopia, alias præclarè ab eo res geſtas penè infinitas commemorant, vtpote qui ſingularem dignitatis prærogatiuam præ cæteris magiſtratibus ab omnib. ciuibus adeptus fuiſſet: tamen exempli cauſa, hanc vnam ſolùm hoc loco citabo. Fertur cùm frumentum illis diu obſeſſis deeſſet, ita vt fames quæ in vrbe graſſabatur, multò magis intolerabilis, quàm hoſtium impetus, qui

Marcellinus.

** Ruff. c. 28.*

Timæus. & Cyrillus. Dorotheus.

Tyrānus epiſ.

Socrates. Euſebius Alexandrinus.

Anatolius epiſcop.

Bruchium Alexandriæ ob ſeſſum.

Alexandriæ obſidio.

† Vide Caſtigationes noſtras Græcas pag. 81. lat. 2. lin. 26.

A qui iam extrinſecus premebat, exiſteret: hunc quē dico, cùm huic intereſſēt calamitati, tale quoddā remedium illis proinde inueniſſe. Cùm altera pars ciuitatis cum exercitu Romano ſocietatē belli gerendi coiuiſſet, & propterea obſidione nō vexaretur, Euſebium fortè inter eos qui minimè erāt obſeſſi verſantē (adhuc enim ibi habitabat, in qúe Syriā minimè demigrauerat) & magnū decus nomenq; celebre etiā à duce Romani exercitus conſecutū, de his qui fame illius obſidionis tēpore interierunt, per internunciū Anatolius certiorē facit. Euſebium aūt, cùm hoc intelligeret, à duce maximi beneficij loco poſtulaſſe, vti illis qui vellent ſe ab hoſtibus ex vrbe ad eum ſua ſpōte recipere, vitā ac ſalutem daret. Quem quidem, petitione, vt voluit, impetrata, Anatolio ſignificaſſe. Hunc aūt, nuncio ab Euſebio accepto, ſenatum Alexandrinorū coegiſſe: ac primùm poſciſſe ab illis, vt cum Romanis amicitiā iungerent. Quo quidē ſermone vbi illos grauiter cōmotos videbat, dixiſſe: At huic, quod iam dicā, vos neutiquā refragaturos arbitror: illis qui in hac dimicatione vidētur minimè eſſe neceſſarij, minimeq; vobis vtiles (vt anus, infantes, & ſenes) liberā è portis ingrediendi poteſtatē, quò velint, faciatis, conſilium eſt. Quid enim iſtos iamiā propè morituros, apud nos ipſos cōtinemus? Quid modò mancos, & corporib. mutilatos, peneque exhauſtos, fame opprimimus? Viros ſolos, & iuuenes viribus valentes alere oportet: & frumentum, quod neceſſariū eſt, his qui ad ciuitatis propugnationē accōmodati ſunt, congerere. Quib. rationibus cū ſenatum in ſuam ſententiā adduxiſſet, ipſum primum aſſurgentem ſuffragium tuliſſe, vt omnis multitudo, ſiue virorum, ſiue mulierum, quæ ad rē militarem parum eſſet idonea, à ciuitate liberè excederet: quoniā ſi manerent, ibiq; cum magno ciuitatis morarentur incommodo, nullā ſalutis ſpem illis (quippe fame viderentur perituri) eſſe omnino relictam. Cui ſententiæ cùm à cæteris omnib. qui aderant in ſenatu, eſſet aſſenſum, parum aberat quin omnes qui obſidione cingebātur, ſeruaſſet incolumes: atq; in primis, vt qui erant Chriſtiani, deinde vt alij cuiuſq; ætatis, qui ciuitatē incolebant, ſalui aufugerent, diligenter prouidit. vnde nō ſolùm, quib. ſenatus decreto poteſtas facta erat ex vrbe exeundi: verùm etiā ſub eorum nomine, alij ferè infiniti veſtitu muliebri clanculum induti, noctu, illius prouiſione, è portis egreſſi ſunt, & ad Romanorum exercitum confugerunt: vbi illos omnes Euſebius benignè excipiens, more patris, aut medici, longa obB ſidione debilitatos, omni prouidentia & curatione in integrum reſtituit. Duobus eiuſmodi paſtoribus eccleſia Leodicenſis (quorum alter alteri deinceps ordine proximè ſucceſſit) diuina prouidentia potita eſt: qui poſt bellum à nobis iam demonſtratum, ab vrbe Alexandrina eò demigrārunt. Quanquam verò non multi libri ab Anatolio erant elaborati, totidem tamen ad nos peruenerunt, vnde cùm eius eloquentiam, tum multiplicem cognitionem licet animaduertere: idq; in illis potiſſimum, in quibus ea quæ de Paſchate ab alijs ante decreta fuiſſent, explanauit: ex quibus libris neceſſarium putaui iſta verba, è Canonibus de Paſchate ab Anatolio in iſdem libris conſcriptis petita re-
„ cenſere. In primo anno, hoc feſtum nouilunium primi menſis occupat: quod eſt cir-
„ culi decem & nouem annorum principium. quod ſecundum Aegyptios eſt, vigeſimo
„ ſexto die menſis Phamenoth: ſecundum Macedonum menſes, vigeſimo ſecundo Dy-
„ ſtri: ſed vt Romani numerant, ad vndecimum Calendas Aprilis. In vigeſimo ſexto
„ die Phamenoth, qui ſuprà poſitus eſt, ſol reperitur non modò primam ſignorum in-
„ traſſe ſectionem, ſed iam quartum diem in ea peragraſſe. Iſtam ſectionem primam,
„ duodecimam partem, æquinoctium, menſium principium, caput circuli, planetarum
„ curſus reciprocationem appellare ſolent. Ea autem ſectio, quæ iſtam proximè antegre-
„ ditur, menſium extremitas, ſectio duodecima, pars duodecima, vltima, finis ambitus &
„ conuerſionis planetarum dicitur. Quapropter qui principium primi mēſis in illo vige-
„ ſimo ſexto die Phamenoth eſſe putant, ad decimum quartum diem proximè ſecundum
„ illum, feſtum Paſchatis celebrandum ſtatuunt, eos vehementer errare dicimus. Neque
„ eſt hæc noſtra ſententia: ſed ab antiquis Iudæis ante Chriſtum cùm ſic decretum fuit,
„ tum ab illis in primis obſeruatum. quod ex Philonis, Ioſephi, Muſæique verbis licet co-
„ gnoſcere. Neque ex his ſolum, ſed ab alijs qui illis ſunt vetuſtiores: nimirum duobus co-
„ gnomento Agathobulis, præceptorib. illius eximij Ariſtobuli: iſte ex Septuaginta inter-
„ pretum numero, qui ſacras & diuinas ſcripturas Ptolemæi Philadelphi, & eius patris
„ rogatu ex ſermone Hebraico in Græcum conuerterunt, vnus fuit: qui etiam commen-
„ tarios in legem Moyſis conſcriptos iiſdem regibus dedicauit. Iſti ſcriptores, dum
„ quæſtiones Exodi diſſoluunt, aiunt omnes ex æquo, Paſcha, ſiue διαβατήρια, id eſt, feſ-
„ tum tranſitus, vernum æquinoctium, medio primo menſe celebrare oportere: hoc-
„ que tempus eſſe primam ſectionem curſus ſolis, ſiue cùm ſol penitùs obierit ſignife-
„ rum, vt quidam illorum nominant, orbem. Addit eodem Ariſtobulus, quòd in feſto

Anatolij cum filio & ope Alexandrinā Chriſtiani ſeruati.

Obſeſſis fame laborantibus quid agendū.

Anatolij ſcripta.

Paſchatis celebrandi tēpus ex Anatolio.

Agathobulus duo.

Ariſtobulus Lxx. interpretum vnus commentatus eſt in Moyſem διαβατήρια.

Paſcha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aequinoctiales sectiones duæ.

Paschatis non modò sol, sed luna etiam necessariò debet esse in transitu sectionis æqui- A
noctialis. Et cũ duæ sint æquinoctiales sectiones, verna altera, altera autumnalis (quæ ex "
diametro altera alteri opponuntur) cumq; decimusquartus dies mensis ad vesperã fe- "
sto transitus assignatus sit, luna semper soli ex aduerso consistet, sicut etiam in omnib. "
plenilunijs cernere licet. Sectionem igitur æquinoctij verni sol, luna autem sectionem "
æquinoctij autumnalis occupabit necessariò. Alia præterea non pauca ab illis memora- "
ta, partim probabilia, partim ratis & firmis demonstrationibus conclusa noui: quibus, "
Pascha & festum Azymorum omnino post æquinoctium agendum, ostẽdere conãtur. "
Verùm eiusmodi demonstrationum momenta, quæ ab illis peti possunt, missa facio: à "
quibus legis Mosaicæ velamen adeò penitùs ablatum est, vt iam de cætero aperta facie "
(vt ita dicam) Christum, Christique doctrinam & passiones perpetuò contemplentur. "
Sunt etiam quædam velut regulæ ac præceptiones in libro qui inscribitur Enoch, quæ "
declarant, primũ [b] mẽsem apud Hebræos circiter æquinoctium esse. [a] Anatolius porrò "
institutiones in Arithmeticam decem libris explicatas reliquit. Alia item extant eius o-
pera, quę exempla ocij pręclarè in Sacris literis ab eo collocati, & multę in eisdẽ exercita
tionis perspicua argumenta dãt. Hunc [c] Theotecn⁹, Cæsareę Palæstinarũ episcopus, per
manus impositionem primus episcopũ ordinauit: qui eum successorem sibi post mor-
tem, ad ecclesiæ suæ procurationem deligendum prouidit, vnaque cum illo ad aliquod
temporis spacium ecclesiæ Cæsarienſi præfuit. Verùm Anatolius, cùm concilium An-
tiochiæ de Paulo Samasateno conuocatum, eum accerseret, ad Laodicensium vrbem
aduentans, ibi, Eusebio mortuo, cõmorari à fratrib. coactus est. Anatolio exeunte è vi-
ta, postremus ante persecutionem illi ecclesiæ præficitur Stephanus: qui quanquam cũ
propter philosophiæ cognitionem, tum propter reliquam liberalem eruditionem a-
pud multos in magna admiratione fuit: tamen propter animum eius, quo erat erga sa-
cram fidem haud satis syncerè affectus, non tantum laudis meruit: sicut tempore perse-
cutionis progrediente (quod illum simulatorem, timidum & ignauum potiùs quã ve-
rum philosophum declarabat) perspicuè patefactum fuit. Et quamuis eius inconstan-
tia ac leuitate, ecclesiæ illius status videretur ruina collapsurus: fuit tamen Dei omniũ
Seruatoris clementia sustentatus. idq;, quia confestim Theodotus, vir sanè & reipsa, &
proprio nomine (Theodotus, à Deo datus dicitur) illius ecclesiæ episcopus designatus, B
se verè episcopum demonstrauit. Nam vt in medicina quæ ad corporum curationem
pertinet, sic in animorum morbis sanandis primas ferè tulit: humanitatis autem, morũ
probitatis, clemẽtiæ, cõmiserationis & studij causa, quod in eos ostendit qui opem ab eo
poscebant, facilè omnes superauit. In Sacris deniq; disciplinis multus erat ei vsus, & cre-
bra exercitatio. Sed de eo satis. Vbi Theotecnus episcopatum Cæsareæ Palæstinæ dili-
gentissimè fuisset executus, mortemq; oppetijsset, illud ministerium Agapio tributum
fuit. quẽ maximum laborẽ in eo obeundo collocasse, & accuratissimam susceptisse pro-
uisionem in populo gubernando, & maximè omnium quasi plena manu eos qui in e-
gestate versabantur subleuasse, cognouimus. Cuius temporibus Pamphilum, virũ di-
sertissimum, & ipsa vitæ ratione verum philosophum, in ea ecclesia presbyterij dignita-
te donatum accepimus. qui quidem qualisnam fuerit, & vnde ortus, non breui videtur
explicatione posse aperiri. Singula igitur quæ ad eius vitam attinent, qua ratione insti-
tutus, cuius generis certamina pro varijs fidei confessionib. dum sæuiebat persecutio,
pertulerit, & quali tandem corona martyrij redimitus sit, separato quodam libello, de
eo disseruimus. Iste autẽ præ cæteris qui ibi versabantur, maximã omnium de se excita-
uit admirationem. Inter homines etiã nostræ ætatis rarissimos quidẽ, & singularis cuius
dam virtutis ex presbyteris Alexandrinis Pierium, ex præsidibus autẽ ecclesiarum Pon-
ti Meletium episcopum cognouimus. Ac Pierius, cùm ob inopem admodum & egentẽ
vitæ rationem, quã sua sponte susceperat: tum ob philosophorum disciplinas, quibus
erat imbutus, satis spectatus & illustris fuit: in literarum quoq; diuinarũ cùm cognitio-
ne, tũ explicatione, in disceptationib. præterea cõcionibusq; publicè in ecclesia facien-
dis supra modũ exercitatus. Meletius aũt quem homines eruditi μέλι τῆς ἀττικῆς, id est, mel
Atticũ, ex nominis sui notatione nũcupabãt, talis certè fuit, qualẽ propter summã in o-
mnibus reb. notitiã & cognitionem meritò perfectissimum dixeris. Ac propter singu-
larem eius dicendi vim & virtutẽ, nemo illum satis abundè admirari ac suspicere pote-
rit. At hoc fortassè illi natura quodammodo insitum aliquis dixerit: verũ eius in mul-
tiplici aliarum rerum experientia, in varia cuiusq; generis doctrina facultatẽ, quis valet
aliquando superare? Quòd aũt in omnib. sciẽtijs, quæ ad acumen rationis & differendi
subtilitatem spectant, cùm artificiosè expolitus, tum disertè eloquens fuerit, si quis vel
semel de eo fecerit periculũ, facilè credo cõcesserit. Virtutes porrò, quę magno cũ splen-
dore

Enoch liber. Vide Hieron. in cat. Eccl. Scriptorum.
a Anatolij scripta.
b Mensis Hebræorũ primus circa æquinoctium.
c Theotecnus.

Stephanus Laod. episc.

Theodotus episcop.

Agapius epis.

Pamphilus presbyter, & martyr cuius vitã scripsit Eusebius.

Pierius presbyter Alexãdrinus.
Meletius episcop. Ponti, eiusque eruditio ac virtus.

A dore in eius vita elucẽbant, nõ illis rebus erant vlla ex parte inferiores. Iste, persecutio-
nis tẽpore in fines Palæstinæ confugit: vbi eũ ad septem annos integros plenè cognoui-
mus. Hierosolymorum ecclesiæ ministerium post Himenæum episcopum, quẽ paulò
antè demõstrauimus, Zambdas capessit. Paulò pòst, isto mortuo, Hermon, postremus
eorum qui ante persecutionẽ nostra memoria ibi concitatã fuerunt episcopi, in sede il-
la Apostolica ad hoc vsq; tempus reseruata collocatus fuit. Postquam Maximus decem
& octo annos episcopatu Alexandriæ post mortẽ Dionysij fuerat perfunctus, Theonas
eius potitur loco. Quo tempore, Alexandriæ Achillas presbyterio, vnà cũ Pierio, dona-
tus, cœpit hominũ fama celebrari. qui scholę sacratæ Christi fidei instituẽdæ præfectus,
in singulari ac planè rarissimo pietatis munere exequẽdo nemini secundus fuit, & vitæ
institutionisq; cuãgelicæ modũ atq; rationẽ ingenuè excoluit. Post Theonã, cùm decẽ
& nouem annis ecclesiam administrasset, in episcopatum Alexandriæ succedit Petrus.
Hic duodecim annis continuis in eo officio fungendo cum summa dignitate inter pri-
mos floruit. Qui cũ triennium propè ante persecutionis tempus in ecclesia illa guber-
nanda cõtriuissẽt, de reliquo vitam duriore exercitatione & magis seuera traduxit, &
(vti omnibus constabat) ecclesiarũ vtilitati omni cura ac studio prospexit. Ac propter-
ea nono persecutionis anno, capite amputato, erat à Deo insigni martyrij corona dona
tus. Quoniam quidem seriem & rationem successionis Apostolorum & Episcoporum,
ab ortu Seruatoris nostri vsq; ad euersionem & vastitatem ecclesiarum deductam, eã-
que iam ad trecentos & quinq; annos continuatam hactenus explanauimus: sequitur,
Vt deinceps certamina eorum qui viriliter & excelso animo pro pietate hoc nostro tem
pore dimicârunt, quàm multa, quamq; grauia & acerba fuerint, ad posteritatis memo-
riam scriptis prodamus.

Zambdas episc. Hierosol.
Hermon.
Theonas.
Achillas presbyter.
Petrus Alex. episcop.
Petri martyrium.
Epilogus superiorum librorum.

SEPTIMI LIBRI FINIS.

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE

Palæstinæ, Ecclesiasticæ Historiæ Liber Octauus.

B

Qualis fuerit Ecclesiæ status ante præsentem persecutionem.

CAPVT I.

Huc refer Nicephor. ca. 2. li. 7.

QVONIAM Apostolorum successionem in septem libris superioribus exposuimus, deinceps in octauo, quem iam ag-
gredimur, res nostris temporibus gestas, quæ planè explica-
tionem non plebeiam quidem & vulgarem requirunt, lite-
ris ad posterorum memoriam accuratè prodere animus est.
Itaque nostri sermonis inde ducetur exordium. * Quantũ
splendoris doctrina veræ pietatis in Deum omnium rerum
gubernatorem, mundo per Christum patefacta, apud om-
nes homines, Græcos simul ac Barbaros, ante istam persecu-
tionis tempestatem, quæ nostra ingruit memoria, obtinue-
rit, & quàm liberè inter eos prædicata fuerit, maius quiddã
est, quàm quod nos nostra in dicendo tenuitate satis pro dignitate explicare possimus.
Cuius rei argumẽto esse poterit singularis Imperatorũ humanitas, qua nostros tã beni-
gnè exceperunt, quib. quidem tùm prouinciarũ præfecturas gratuitò impertierũt: tum
propter incredibilẽ beneuolentiã, quam erga nostræ religionis professionẽ habebant, o-
mni afflictatione & molestia, quã pro Dei amore homines Christiani solẽt perpeti, eos
penitus liberârunt. Quid de his attinet dicere, qui sunt in Imperatorũ palatio magnã di-
gnitatẽ adepti: deque ipsis Imperatorib. qui domesticis suis pro sermone diuino propa-
gãdo, & pia vitæ ratione degẽda, ipsi velut inspectantes, copiã fecerunt liberè & ingenuè
dicendi: atq; adeò suis ipsorũ vxoribus, liberis & seruis, quasi palã de mira fidei libertate
gloriãdi exultandiq; potestatẽ permiserunt? Quos certè chariores habuerũt, & magis ex-
imiè dilectos, quã reliquam seruorum turbã. Vt Dorotheũ illum, q̃ præter cæteros erga
illos & beneuolentiã summã ostendit, & fidẽ non minorẽ: ac propterea præ alijs qui ma
gistratus & præfecturas in Imperio gerebãt, amplissimum honoris gradũ adeptus est. vt
Gorgoniũ, qui non dissimili fama & celebritate enituit: vt alios nõ paucos, qui propter

Ruff. præf. Argumentum libri præsentis.
Ruff. ca. 1. Ecclesiæ status ante persecutionem.
Imperatorũ erga Christianos humanitas.
Christiani Imperatorib. grati.
Dorotheus.
Gorgonius.

Dei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Templorum amplificatio, conuentus frequentatio.

Dei verbum sunt parem cum illis dignitatem cõsecuti? Aut quid commemorem, qua humanitate, cultu & beneuolentia, non illa quidem vulgari & contemnenda, prouinciarum præfecti & rectores, ecclesiarum præsides & episcopos, vt manifestò cernere licebat, amplexati fuerint? Aut quomodo quisquam conuentus illos infinita hominum turba frequentatos, multitudines in singulis ciuitatibus coactas, illustres hominum in templis concursus, poterit oratione explicare? Vnde cùm in antiquis illis ædificijs non satis loci haberent, ampliores ecclesias in vniuersis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexerunt. Et quamdiu diuina & cælestis Dei manus populum suum, vtpote auxilium eius promerentem obtexit, suoque muniuit præsidio: tamdiu neque vlla hominum inuidia, quo minus istæ res vnà cum tempore indies maiores progressiones facerent, incrementoque & magnitudine augescerent, omnino potuit obsistere: neque vesanus ille & perditus dæmon, vel suo ipsius conatu eas in inuidiam rapere, vel hominum insidijs vlla ex parte impedire. Verùm cùm nos præ nimia quadam licentia in mollitiem delicatam, & dissolutam segnitiem essemus prolapsi, cumque alij alijs inuidere, maledictis insectari, & propè nos ipsi inter nos petulantibus linguis tanquam mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum contumelias velut hastas vnus in alium intorquere, & præsides ecclesiarum alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare occiperent: cumq; ficta & adumbrata sanctitatis species, quæ oratione nequit exprimi, & simulatio fronte occultata ad immensam quandam prauitatem serpsisset, diuina vltio, dum permagna adhuc Christianorũ vbique versabatur frequentia, parcius, aliquando remissius & moderatius, vt solet, primò persecutione ex fratribus, qui militiam exercebant, inchoata, cœpit in nos animaduertere. Sed vbi, veluti sensibus orbati, & præstricti mente, nulla cura aut cogitatione incubuimus, vt diuinum numen in nos incẽsum, beneuolum & placatum efficeremus: sed tanquam impij, nostras res à Deo nec curari, nec animaduerti arbitrati, alia vitia aliis aceruatim adiecimus: & pastores nostri depulsa repudiataque pietatis regula, dissidio & contentione inter se exarserunt: quinetiam nullas alias res præterquam discordias, minas, æmulationem, inimicitias & odium inter ipsos mutuò adaugere studuerunt: & animis ambitionis æstu incensis, tyrannorum more principatum obtinere laborârunt: tunc demum, iuxta illam [a] Hieremiæ sententiam, obscurauit in ira sua Dominus filiam Sion, & deiecit de cælo gloriam Israel: non recordatus est scabelli pedum eius, in die iræ suæ: sed demersit Dominus omnem decorem Israel, & demolitus est omnes sepes eius. & sicut in [b] Psalmis prophetice prædictum erat, auertit testamentum serui eius, prophanauit in terra per ecclesiarum euersionem sanctuarium eius, & destruxit omnes sepes eius, posuit firmamentum eius formidinem: diripuerunt multitudines populi, omnes transeuntes per viam: & propterea factus est opprobrium populus vicinis suis. exaltauit enim dextram inimicorum suorum, & auertit adiutorium gladij sui, & non auxiliatus est ei in bello: destruxit eum ab emundatione sua, & sedem illius in terram collisit: minorauit dies temporis eius, & ad extremum perfudit eum confusione.

Ecclesiam à persecutione liberata quæ mala consequi solita.

Persecutio decima in Christianos mota anno Christi 306. Deocletiani 19.

Anno Christi 30. Veturius magister militum Christianos milites persequi cepit: ante decretum scilicet Deocletiani, idq; authore Maximino, vt infra clarius declarat Eusebius.

a Hierem. Thre. 2.

b Psalm. 73. Psalm. 89.

B

De ecclesiarum demolitione. CAPVT II.

Templa vastata: sacri libri exusti. episcopi inmanniter tractati.

Psal. 101.

Vide Nicephor. li. 7. cap. 31.

TAm omnia mala erant nostris scilicet expleta temporibus, quando sacras ædes precibus dicatas, è sublimi in solum fundamentis ipsis conquassatis deiectas: diuinas & sanctas Scripturas medio foro in rogum impositas: ecclesiarum pastores, hos in latebras hic illic secum ignominia abdentes, illos non sine dedecore prehensos, & ab hostibus ludibrio expositos oculis nostris aspeximus: quando iuxta aliam prophetæ sententiam, effusa est contemptio in principes eorum, & aberrare recit eos in inuio, & non in via. Verùm non est nostrum oratione describere tristes illas calamitates, quæ ad extremum inuectæ fuerunt: quandoquidem neque discordias ante persecutionem inter eos commotas, neque absurdos & importunos conatus nostrarum partium esse putamus memoriæ commendare. Quocirca nihil amplius de illis scriptis prodere decreuimus, quàm vnde iustũ Dei iudiciũ in illos declaratum, perspicuè probare possimus. Neque propterea aut de illis qui persecutionis tempore animis propè ceciderunt, aut de illis qui omnino salutis suæ fecêre naufragium, suaq; sponte tanquam in profundum ingentium fluctuum gurgitem proiecti sunt, mentionem facere instituimus: sed ea sola in hanc historiam, res gestas generatim complectentem, includimus, quæ nobis ipsis primùm, deinde posteritati adiumento esse queant.

Propositio huius libri octaui.

De

A

De modo eorum, qui in persequutione decertârunt. CAP. III.

Vide Nicep. li. 7. c. 4.

Historiam Diocler. vide hoc lib. infra ca. 26. 29. In vita Cõstant. lib. 2. cap. 48.

Ad Sanctorum cœtum c. 25. Socrat. lib. 1. c. 1. apud Theodorit. lib. 5 c. 32.

Ruff. ca. 2. Initiũ persecutionis Diocletianæ anno 306. Dyster mẽsis. Diocletiani cõtra Christianos edictum. Edictum de 1. Templis. 2. Sacris libris 3. Cõfessoribus. 4. Episcopis.

a Ruff. ca. 3. a Edictum aliud. 5. Cogendis Christianis ad sacrificandum idolis.

TAm ergo deinceps sacra Martyrum certamina pro Dei verbo inita, summatim exponere pergamus. Anno Decimo nono imperij Diocletiani, mense Dystro (qui à Romanis Martius nominatur) cùm salutaris passionis Dominicæ festum iam pro foribus esset, omnibus in locis per Imperatoris literas palàm edictum fuit, vt tum deturbarentur ecclesiæ, soloque æquarentur: tum Scripturæ absumerẽtur igni: tum qui honorem fuissent adepti, de gradu turpiter deponerentur: tum priuati, si modo in professione Christiana perstarent, libertate penitus priuarentur. Ac primum edictum contra eos editum tale fuit.* Nõ longo tempore pòst, alijs literis exeuntibus [a] mandatum est, vt omnes ecclesiarum præsides vbique gentium primum conijcerentur in vincula: deinde omnibus machinis adhibitis, idolis victimas immolare cogerẽtur. Tunc igitur inciderat tempus, cũ, sicut plurimi qui ecclesijs præerant, libentibus animis verberibus grauiter cæsi, in Christi stadio luctati sunt: & in grauibus certaminibus præclarè obeundis, præclara sanè spectacula hominum oculis subiecerunt ad contemplandum: sic alij infiniti cõfestim animis præ formidine perculsi & attoniti, facilè eo modo impetu in illos facto, prorsus succubuerunt. [b] Ex cæteris autem quisque varia tormentorum genera alternis subijt: hic plagis toto corpore dilaceratus, ille excruciatus distortione membrorum, alius acutis & intolerabilibus nouaculis dilaniatus. Inter quos nonnulli erant, qui vix satis honestum vitæ exitum cõsecuti sunt: alij itẽ, qui sine fructu certamẽ decurrerunt. Nam vt vnus infidelium violẽtia contrusus, & ad sacrificia illa nefaria impuraq; deductus, quamuis non immolârat, tamen perinde atq; si immolasset, liberè dimissus est: sic alter, quanquam non omninò appropinquauerat, neq; quicquam attigerat impuri, gentilibus tamen eum sacrificasse affirmantibus, tacitus eorum tulit contumeliam, seq; inde proripuit. Alius semiuiuus sublatus, velut iam mortuus proijcitur. Quidam prostratus humi, inq; numerum sacrificantium relatus, longinquo spacio pedibus abstrahitur. Alius vociferatus est, & magna voce contestatus, se hostias penitus repudiare: alius salutaris Christi appellationis confessione gestiẽs, se Christianum esse clamauit. Alter neq; immolasse, neq; se aliquãdo immolaturum asseueranter affirmauit. Attamen isti etiam frequentibus satellitum ad eam rem delectorum manibus in os verberati, & ad silendum compulsi, in vultum quoq; & genas percussi, vi è medio extrusi fuerunt. Ita pietatis hostes omninò vel videri effecisse, quod animo intendebant, permagno æstimarunt.

b Varij Christianorũ cruciatus & contumeliæ.

Calumniæ aduersus miseros

B

De celebribus Dei Martyribus, quomodo omnem locum sui memoria repleuerunt, varijs propietate coronis receptis. CAPVT IIII.

Vide Nicep. lib. 7. ca. 3. Ad interfectũ tractatũ de martyribus, sub Diocles. edictis, confirmãtibus, coronatis, referẽtibus proximã, ca. 20. & li. 9. c. 5. His coniũctus ob temporis continuationem, qui in Persia coronati sũt sub Rege Saporea. apud Sozom. lib. 2. ca. 9. 10. 11. 12.

† Ruff. c. 4.

MErùm cõtra sanctos Martyres, quorum res gestas nullo dicendi genere satis accuratè explicare possumus, isti perditi infidelium conatus neutiquam ex animi sententia processerunt.† Infinitos enim videre licebat, qui admirabile studium & propensionem animi pro vero Dei omnium fabricatoris cultu & religione declarârunt: idq; non ex eo tempore solùm, quo persecutionis ardor erat contra omnes Christianos incensus, sed longè ante etiam, cum adhuc pax tranquilla in Ecclesia vigeret. Nam paulò ante illud tempus, cum qui imperij dominatum & potentiam occupabat, esset tanquam è graui & temulento sopore excitatus, atq; adeò tempore inter Decium & Gallum interiecto, clàm & ex occulto primùm in ecclesias Dei inuaderet, non quasi aceruatim contra nos bellum susciperet: sed eos solos, qui in exercitu Romano militiam exercebant, pedetentim adoriendo (nam si priùs cum illis concertans, superior fortè discederet, reliquos ea ratione facilè posse capi putabat) permultos eorum, qui in militia versabantur, cernere potuisses, qui lubentib. animis vitam tenuem & abiectam amplexari maluerunt, quàm pietatem & cultum erga Deum vniuersarum rerum opificem aliquando denegare. Vbi autem dux, quisquis tandem ille fuerit, iam tum primùm contra eos, qui ex nostris in exercitu Romano militabant, persecutionem excitauerat: & illos ab alijs militibus, in quorum numerum relati erant, segregauerat, seiunxeratq;: & liberam optionem dederat, vel honoris perfruendi, si edicto obsequerentur, vel eiusdem amittendi, si resisterent: multi admodum, c qui veri regni Christi milites erãt, nulla mora interposita, fidei in eum confessionem, falsæ & adumbratæ gloriæ, qua in mundo fruerentur, sine vlla dubitatione prætulerunt. Inter quos iam, licet numerus perexiguus (quandoquidem dux lentius & moderatius

In Christianos militiam exercentes primũ grassari cœpisse ante Diocletiani edictũ: authore potissimũ Maximino. vt infra patet. cap. vlt. hoc lib. & in vita Cõstantini lib. 1. cap. 49. 50.

c Christianorũ militiæ pietas & constantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ratius adhuc in nos tendebat insidias, & paucorum admodum sanguinem fundere aggrediebatur, propterea, quòd multitudo Christianorum illum, vt erat verisimile, deterruit, & animum eius ne bellum contra omnes simul concitaret, retardauit) licet inquã numerus perexiguus, vnus tamen & alter, non modò dignitatem amittere, sed mortem etiam pro veræ pietatis defensione oppetere voluerunt. At postquam apertius rem erat aggressus, nulla oratione aut dicendi vi explicari potest, quot & quàm insignes Christi martyres, his qui ciuitates quasq; & regiones incoluerunt, oculis cernere licuisset.

De his, quæ Nicomediæ acciderunt. CAPVT V.

Ruff. ca. 5.

Huc refer. Nicephor. ca. 5. lib. 7.

Edictũ publicè propositũ, à milite Christiano discerptũ. qui primus proinde martyrium subijt.

SImulatque edictum contra ecclesias Christi editum, in Nicomedia propositum erat, vir quidam nõ obscurus & ignobilis, sed (vt hominũ fert opinio) longè illustrissimus, incredibili amore erga Deum, & ardenti fide incitatus, ocyus prodijt in mediũ: & illud in aperto & publico loco affixum, tanquam profanum & maximè impium, manu auellens dilacerat: idque, cùm duo ex imperatoribus in ciuitate adessent. quorum alter ætate præ cæteris prouecta, primum imperij gradum, alter quartum ab eo obtinuit. Atqui iste primus martyrum, qui tum occubuerunt, ad hunc modum eximiè nobilitatus, taliaq; cruciamenta perpessus, qualia erat verisimile cum, qui fuisset in ciusmodi facinore deprehensus, subiturum, tum constanti & virili animo, tum placato & tranquillo, ad extremum vsque spiritum constitit.

De ijs, quæ in aula Imperatoris acciderunt. CAP. VI.

Ruff. cap. 6.

Mulierũ Dorothei & sociorum constantia, in martyrio Alexandriæ.

Huc refer. Nicephori ca. 5. lib. 8.

EX omnibus, qui vnquam vel apud Græcos, vel apud Barbaros, propter animi magnitudinem illustres & hominum sermone celebrati sunt, nullus cũ diuinis & eximijs nostri tẽporis martyribus Dorotheo & suis sodalibus, imperatorum ministris, comparari potest: qui quidem cùm summum honorẽ apud Dominos adepti fuissent, & amore essent apud illos liberis proprijs & ingenuis non inferiores, probra & afflictationes pro pietate corporibus impositas, noua & multiplicia mortis genera contra ipsos excogitata, splendidiores reuera existimârunt diuitias, quàm gloriam, quàm delicias quibus hominum vita soleat diffluere. Mortem igitur vnius ex illorum numero qualis fuerit, commemorare placet, eamq; lectoribus spectandam relinquere: vt inde, quæ reliquis etiam eius sodalibus contigerint, animaduerti possint. Quidam illorum in ciuitate suprà commemorata, coram Imperatoribus, quos diximus, in medium adducitur: qui cum iussus idolis immolare, omninò recusaret, mandârunt nudum in sublime tolli, ac flagellis eò vsque toto corpore dilaniari, quoad supplicio euictus, etiam animo inuito, quod erat imperatum, præstaret. Sed vbi ista perpessus, constans & immutabilis persisteret, de reliquo ossibus eius iã carne denudatis, acetum sale permistum in corporis membra cruciatu attenuata, & propè contabefacta infuderunt. Atque vt istos dolores protriuerat, & veluti pedibus cõculcârat, inde craticula & ignis vnà in medium trahuntur, & reliquiæ eius corporis tanquam carnes ad comedendum paratæ, ignis incendio, non raptim, vt breui è vita decedens omni dolore liberaretur, sed paulatim absumptæ fuerunt. Neque qui eum imposuerant in rogum, etiam post tot tamque grauia cruciamenta ei vllum respirandi locum dare in animo habebant, nisi prius ipsorum imperata facturum annueret: sed ille

Petri Martyrium.

propositio suo mordicùs adhærescens, victor in tormentis animam efflauit. Tale vnius regiorum famulorum Martyrium extitit, appellatione sua (Petrus enim nominatus fuit) reuera dignum. Cæterorum autem sociorum eius martyria, quæ non inferiora sunt, quò orationis terminemus modum, missa in præsentia faciemus. Tantùm autem exponemus, quo pacto Dorotheus & Gorgonius vnà, alijq; non pauci ex imperatoris familia: post varia certaminum genera, laqueo vita deposita, diuinæ victoriæ præmia reportârint. Per idem tempus Anthimus, qui tum ecclesiæ Nicomedẽsi præfuit, capite propter Christi testimonium ceruicibus absciso, moritur. Huic ingens & frequens martyrum turba adiuncta fuit: idque, quòd ijsdem ferè diebus fortè, nescio quo pacto, regia Nicomedensis incendio conflagraret, & ex suspicione quadam rumor esset dissipatus, illud facinus à nostris admissum: vnde Imperatoris iussu, ex pijs qui ibi versabantur, aceruatim & tanquam cumulo, alij gladio trucidati sunt, alij ardore flammarũ corporibus circumiectarum obierunt: quo tempore fama est, viros & mulieres etiam diuina & inexplicabili alacritate, sua sponte in rogum insiluisse. Reliqua autẽ multitudo vinculis colligata, & à lictoribus in scaphis imposita, in vastum maris gurgitem, fluctusq; præceps

Dorothei Gorgonij & sociorum. Anthimi martyrium. Nicomedensis regiæ conflagratio.

Supplicíorum genera.

Martyres sepulti rursum effossi, & in mare proiecti.

A ceps proiecta fuit. Famulos illos regios post mortem decoro & celebri funere terræ mãdatos, Imperatores, qui eorum Domini putabantur, rursus de integro effodiendos, inq; mare præcipitandos sententijs decreuerunt: ne, vt eorum ferebat opinio, quidam eos in sepulchris & monumentis conditos, deos esse reputantes, diuina veneratione prosequerentur. Quæ in initio persecutionis Nicomediæ fuêre patrata, sic ferè se habent. Nõ longo tempore pòst, cum alij in Melitina (sic regio illa est appellata) alij rursus in Syria, imperio insidias parare molirentur, edictum Imperatorum exijt, vt omnes ecclesiarũ præsides, vtpotè ea de re suspecti, in carceres & vincula conijcerentur: adeò vt spectaculum illarum rerum, quæ deinceps ibi gerebantur, omnem explicandi facultatem longè superet. Nam multitudo infinita vbiq; gentium in custodiam concluſa fuit: & carceres, passim, qui iam olim homicidis & mortuorum sepulchris cõditorũ expilatoribus parati fuerant, tunc episcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus & exorcistis penitùs referti: adeò vt his, qui maleficijs tenebantur obstricti, nihil illic loci esset reliquum.

Persecutio in Syria & Melitina.

De Ægyptijs in Phœnice. CAP. VII.

Huc refer. Nicephori ca. 16. li. 7.

Ruff. cap. 7. *Edictũ aliud.*

Persecutio.

In Africa, Ægypto, Palæstina, Tyro, Phœnice.

VM aliud edictum statim primum illud insequeretur, in quo præcipiebatur de his, qui tenebantur in carcere, vt qui immolare vellent, abire in libertatem permitterentur: qui inficias irent, infinitis tormentis diuexarẽtur: multitudo Martyrum, qui denuò in singulis prouincijs occumbebãt, à nemine dinumerari potest: & eorum maximè, qui in Africa, in gente Maurorũ, in Thebaide, in Ægypto deniq; martyrio defuncti sunt. Ex Ægypto autem in alias vrbes & prouincias etiã progressi, martyrij coronis erant insigniter decorati. Quosdam enim ex illis in Palæstina, propter patientem tormentorum perpessionem claruisse scimus: alios Tyri Phœniciæ magnam laudem collegisse: quos quidẽ quis est, qui non supra modum miratus fuerit, cum oculis cerneret, innumerabiles plagas, & egregiam athletarum reuera admirabilium in his pro pietate & religione congressorum constantiam: & statim post plagas, dimicationem cum bestijs voracibus, inq; certantium constãtiam: & statim post plagas, dimicationem cum bestijs voracibus, inq; ea pardorum, vrsorum immanium, aprorum agrestium, taurorum deniq; igne & ferro

B ad rabiem acriter incitatorum impetus, & eximiam generosorum martyrum contra cuiusq; bestiæ ictum tolerantiam? Quibus quidem rebus, dum gerebantur, ipsi interfuimus: diuinam q; potentiam Seruatoris nostri, ipsiusq; Iesu Christi, cui illi in cruciatu præclarum testimonium perhibebant, id temporis præsto martyribus opem tulisse, & euidenter seipsam eis ostendisse animaduertimus. Nam belluæ illæ rapaces, longo temporis spacio, neque sanctorum corpora attrectare, neque ad ea propè accedere audebãt: sed in infideles, qui extra repagula, alius aliunde, incitatione quadam eas in martyres instigârunt, impetu ferebantur. Et quanquam sancti Dei athletæ nudi cõsistebãt in medio, manibusq; eas prouocabant, & in se pertrahere conabantur (hoc enim vt agerent, illis erat imperatũ) illos tamen solos non omninò attigerunt: verùm interdũ, dum in eos irruebant, tãquam diuiniore quadam vi ac virtute fuerunt repulsæ, & retrò denuò quã mox resiliêrunt. quod cũ diu fieri cernerẽtur, non exiguam infidelib. spectantibus excitauit admirationẽ, vsq; adeò vt prima bestia frustrà incursante, secundã & tertiam in vnum eundemq; martyrẽ dimitterent. Interea nõ modò virilem & intrepidã sanctorum illorum animi tolerantiã, sed firmam etiã atq; inflexibilem in teneris corporib. constãtiam cum stupore quodã mirari licuerat. vidisses enim adolescẽtulũ nõ viginti annos integros natũ, nullis constrictũ vinculis, firmè consistentẽ, manibus in crucis modum è transuerso expansis, robusta & excelsa mente in precibus ad Dei numen fundendis attentissimè defixum: neq; omninò se cõmouentem, neq; in hanc vel illã partem de loco in quo steterat, deflectentẽ: idq; cum vrsi & pardi furorẽ & mortem in eum exhalarent, cumq; iam eius carnem dentibus lacerare aggrederentur: quorũ ora diuina quadam & inexplicabili potentia nescio quo pacto fuêre propè obturata, & iterũ ipsi retrò properè recurrerent. sed de isto hoc modo. Alios rursum cernere potuisses (omnes enim simul quinq; erãt) agresti & immani tauro obiectatos: qui nonnullos ex infidelib. propius adiuentantes, cornibus in aerẽ coniecit, eosq; discerpsit miserè, & semiuiuos hominũ manibus inde auferendos reliquit: verùm ad sanctos martyres solos, dum furore & rabie exardescens in eos irrumpere conabatur, ne appropinquare quidem poterat: & tametsi pedibus atq; cornibus, huc illucq; vibratis insultabat, & cauteriorum incitamentis lacessitus contra illos terrorem spirabat, tamen retrogrado cursu diuina sacri numinis prouidentia repulsus fuit, vsq; eo, vt cum iste illos neutiquam læsisset, alias belluas in eos immitteret. Ad extremùm, post graues & varias illarum etiam incursiones, ense obtruncati fuêre, & marinis fluctibus sepulchrorum loco mandati.

Bestijs obiectorum constantia.

Bestias etiam à martyribus sibi obiectis abstinuisse.

De ijs, quæ in Aegypto acta sunt. CAPVT VIII.

Ruff. ca. 8.

ALis fuit Aegyptiorum pugna, qui Tyri pro vera pietate præclara certamina obierunt. Illos autẽ, qui sunt in ipsa Aegypto patria sua martyrio defuncti, nemo est, qui non magnoperè admiretur: vbi viri cum vxoribus & liberis numero propè infiniti, pro Seruatoris nostri doctrina, vita fragili & breui temporis momento duratura penitùs neglecta, varia mortis genera subierunt: Quorum alij post cuticulam nouaculis laceratam, post membra luxata & distorta, post corpora flagellis acerbissimis laniata, alijsq; infinitis, varijs & dictu horrẽdis tormentis excruciata, in ignem tandem iniecti fuerunt. Alij in altum pelagus præcipitati: alij lictorib. sua capita amputãda fidenti animo obiecerunt: alij occubuerunt, ipsis cruciamentis oppressi: alij fame confecti interierunt, alij rursus patibulis suffixi: quorum nonnulli tanquam malefici suspensi: alij deteriore modo, capite in terram demisso, clauis firmati, & viui vsq; eò seruati, quoad ipsis in patibulis fame contabescerent.

Christianorũ in Aegypto martyria.

Huc refer Nicephor. ca. 7. lib. 7.

De ijs, quæ in Thebaide acta sunt. CAPVT IX.

Ruff. cap 9.

NVllo dicendi genere explicari potest, quẽnam verba, quas ærumnas, martyres in Thebaide exantlârint, testis acutis vndularum loco admotis, per totum corpus ad extremum spiritum dilacerati. Mulieres autem vno pede alligatæ, sublimes in aerem, capite deorsum statuto, quibusdam machinamentis attractæ, nudis omninò, & detectis corporibus, spectaculum fœdissimum, crudelissimum omnium, & ab omni humanitate alienissimum intuentium oculis exhibuerunt. Homines rursus arboribus, & earum ramis astricti perierunt. nam cum duos ramos, robustissimos illos quidem, machinis quibusdam in vnũ attraxissent, ad vtrunque illorum martyrum crura distinentes, affigentesque, eos impetu quodam denuò pro natura sua distendi, diffundique dimiserunt, sicque illorum membra in quos ista excogitabant, repentino impetu distracta fore suspicati sunt. Neque hæc certè fuêre ad paucos dies, aut ad exiguũ tempus: sed diu admodum, ad annorum integrorum spacium continuata, in quo quidem spacio erant interdum plures quàm decem, nonnunquam viginti numero, & amplius eo, sæpè non pauciores, quàm triginta interfecti. Iam propè sexaginta, aliquando rursus centum viri, vno die, simul cum tenellis admodum liberis & mulieribus morti addicti, & varijs suppliciorum generibus, vicissitudine quadam admotis trucidati. Ipsi etiam, cum fortè in eisdem locis versaremur, complures confertim vno die sumus oculis contemplati, alios ignis incendio perimi, alios securi percuti, vsque adeò, vt tum securis ipsa feriendo obtunderetur, & velut crebriore ictu debilitata infringeretur: tum carnifices ipsi trucidando defatigati, mutuis operis traditis, alter ad alterum sublecuandum succederent. Quo quidem tempore mirandam suprà modum alacritatem, vimque reuera diuinam, & singularem animi propensionem eorum, qui in Christum Dei crediderunt, intuebamur. Simulatq; enim sententia contra priores pronunciata fuit, alij aliunde ad tribunal iudicis prosilire cœperunt: seque Christianos confiteri, acerbitates & multiplicium tormentorum modos pro nihilo putare, absque metu & terrore liberè pro religione & cultu Dei omnium rerum moderatoris loqui: cum gaudio denique, risu & lætitia postremam mortis sententiam excipere, sic vt psalmos, hymnos, & gratiarum actiones in Deum totius mundi conditorem, quoad extremum spiritum edidissent, lætis animis decantarent.

Huc refer Nicephor. ca. 8. lib. 7.

Rũff. cap 9. Thebaidis martyrũ horrenda supplicia.

Diuturna persecutio: & crebra supplicia, eademq; crudelia Christianorum.

Martyrũ alacritas admiranda.

Martyrũ gratiarũ actiones in medijs tormentis.

De Philoromo & Philæa Martyribus. CAPVT X.

Ruff. ca. 10.

ATque isti martyres, admiratione digni quidem fuerunt: sed illi præ cæteris videbantur egregiè admirabiles: qui quamuis diuitijs, nobilitate, gloria, eloquentia, & philosophiæ cognitione illustres essent, hæc omnia tamen pro vera pietate & fide in Seruatorem & Dominum nostrum Iesum Christum pro nihilo ducerent. Talis erat Philoromus, vir magistratum non illum quidem vulgarem adeptus, sed ad Imperatoris negocia Alexandriæ procuranda delectus: qui non sine magna gloria & honore (vt Romanorum mos fert) à satellitibus stipatus, in dies singulos de controuersijs ad se relatis iudicium tulit. Talis Philæas etiã Thmuitensis Ecclesiæ episcopus, vir planè cùm in ciuilibus patriæ institutis & ecclesiæ ministerijs valde præstabilis, tum Philosophiæ disciplinis eximius. Isti duo cùm permulti & cognati & alij amici eos obsecrassent, cũ pretereà viri primarij, qui cũ imperio erant,

Huc refer Nicephor. ca. 9. lib. 7.

Philoromus martyr.

Philæas Thmuitensis episcopus.

A erant, orassent, cum ipse iudex denique hortatus esset, vt sui ipsorum caperent misericordiam, liberorumq; & vxorum curam ducerent: nequaquam eiusmodi virorum precibus adduci poterant, vt vitæ cupiditate aliqua ex parte delectarentur, & diuinas leges de confessione & negatione Seruatoris nostri penitùs contemnerent: sed virili animo, & mente digna Philosophis, imò verò pia & digna Deo, contra omnes iudicis minas, contra contumelias fortiter se opponentes, ambo capitibus abscissis abirent è vita.

Suorũ monitis non acquiescunt Martyres.

De ijs, quæ patrata sunt in Alexandria, prodita scriptis testimonia. CAP. XI.

Huc refert Nice. lib. 7 cap. 9.

SEd quoniam Philæam propter humanioris literaturæ notitiam credo hominum sermone prædicatum diximus, ipse suijpsius in ea re locupletes testis accedat, & partim seipsum, qui nam tandem fuerit, antè oculos cuiusq; proponat: partim martyria, quæ eius ætate Alexandriæ cõtigerint, accuratius multò quàm in nostra situ est potestate, narret his verbis, quæ quidem ab ipsius literis ad Thmuitas perscriptis petita sunt. "Beati martyres, qui apud nos occubuerunt, præclara illa exem- "pla, monita salutaria, & insignes præceptiones, in diuinis & sacris literis nobis ad imitã- "dum propositas, nulla ex parte contemnentes, oculos animi in Deum omnium effecto- "rem exquisitè intendebant: & mortem pro pietate oppetere secum statuentes, mordi- "cùs suæ vocationi adhærescebant. Ac quoniam isti sancti martyres Christi insignib. de- "corati, Dominum nostrum Iesum pro nobis hominis naturam induisse pro certo co- "gnouerant, vt omne peccatum radicitùs extirparet, & viatica nostri itineris ad vitam æ- "ternam susceptis nobis suppeditaret (non enim rapinam arbitratus est se esse æqualem "Deo: sed seipsum exinaniuit, formã serui accipiens, & habitu inuentus est vt homo: hu- "miliauit seipsum vsq; ad mortem, mortẽ autem crucis) isti inquã idcirco meliora dona "æmulantes, omnem cruciatum, omnia suppliciorũ genera, quæ poterant excogitari: nõ "semel, sed iterũ atq; iterum sustinuerunt. Atq; præ omnibus satellitũ terrorib. quos la- "borabant non verbis solùm, sed rebus ipsis obnixè eis inijcere, non demiserunt animos, "neq; succubuerunt, propterea, quòd perfecta in illis charitas timorẽ foràs miserat. Quo- "rum eximiã fortitudinem, & excelsam in singulis tormentis animi magnitudinem, quę "tandem oratio poterit explanare? Et cũ libera potestas omnibus permissa esset, cõtume- "lias & pœnas illis pro arbitratu inferendi: hi fustib. illi virgis, alij flagellis, nõnulli loris, "multi funibus eos perculerunt. Atq; spectaculum nouis vicissim plagarum & supplicij "generibus erat variatum, & multum probri habuit, & ignominiæ. Quidã enim primùm "manibus à tergo colligatis ligno appensi, & machinis quibusdam membra eorum vni- "uersa distenta, distractaq; : deinde à tortorib. ex mandato magistratuum per totum cor- "pus grauiter diuexati, & non quemadmodum cũ homicidis agi solet, latera solùm, sed "venter, tibiæ & genæ flagris ferreis cæsæ. Alij pependerunt, ad porticum vna manu affi- "xi, & articulorum membrorumq; distentionem, quæ omnem doloris superabat acerbi "tatem, pertulerunt. Alij vultu alterius in alterum obuerso ligati, & columnis pedibus "non ad terrã demissis appensi, sic vti cum funes acrius retraherentur, & contentius, cor- "poris grauitate ac pondere acerbius premerentur. Neq; tantisper solùm dum præses cũ "illis quæstione disceptabat, illisq; examinandis vacabat, sed per totum ferè diem istud "supplicij genus sustinuerunt. Quando enim ab illis ad alios profectus est, ministros, ipsi- "us authoritati obsequentes reliquit, qui priores accuratè obseruarent, si fortè quisquam "tormentis euictus cedere videretur: mandauitq; vt acerbè, & sine remissione vlla, funib. "distorquerẽtur: & deinceps, cũ iamiam essent animam acturi, rursum in terram demissi "passim miserè raptarentur. Neq; enim de nobis vel minima cura in eorũ animis resedit, "sed omnia in nos perinde tũ excogitare, tum re præstare videbantur, ac si homines non "fuissemus." * Præter alia tormentorum genera istud nouum præterea, quod sequitur, adhibebant, & pedes, alter ab altero, ad quartum foramen distenti, districtiq; , adeò vt necessariò "supini iacerent, nec possent propter plagarum vulnera recens toti corpori inflicta, se vllo modo commouere. Alij in solum proiecti, præ crebris tormentorum ictibus, quos "pertulerant, semineces iacuerunt: & propter varia ac diuersa cruciamentorum stigmata, quæ in corporibus habebant, miserabilius spectaculum, quàm cum torquebantur, oculis contemplãtium subiecerunt. Ex his autem, qui ita se habebant, nonnulli in cruciatu mortui sunt, & singulari animi tolerantia aduersarium prorsus confuderunt. Alij "semineces in carcerem concluſi, non multis diebus pòst, dolorum grauitate oppressi ex- "cedunt è vita. Reliqui valetudine & viribus curatione recuperatis, temporis longinqui-

Philææ de Martyribus Alexandriæ narratio.

Philip. 2.

Ioan 4.

Libera potestas ethnicis concessa sæuiendi in Christianos.

Martyrum noua supplicia et horrenda.

*Videantur pag. 87 lat. 1. lin. 32.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tate, carceris{que} vsu & velut contritu multò cuadunt fidentiores. Sic igitur cum es- A
set singulis illorum præceptum, libera data optione, vel victimas execrabiles contre- "
ctandi, quo liberarentur molestijs, & prophana atque execrabili ab illis libertate poti- "
rentur: vel non sacrificandi, sententiam mortis exciperent: illi absq; mora ad mortem "
libentibus animis gradiuntur. Norunt enim pro certo, ea quæ à sacris literis nobis præ- "
scripta sunt: Qui Dijs alienis (inquit Scriptura) immolat, delebitur. &, Quòd non erunt "
tibi dij alieni præter me. Eiusmodi sunt voces Phileæ martyris cum sapientiæ, tum Dei
ipsius amore inflammati maximè, quas ante extremam de eo in iudicio latam senten-
tiam, cum adhuc esset in carceris custodia, ad fratres ecclesiæ cui ipse præerat, per literas
misit: partim vti, quo loco res illius erant, illis exponeret: partim vti eos hortaretur, vt
pietati in Christo, post mortem suam, quæ breui ipsum esset occupatura, mordicùs ad-
hæresc erent.

Esai. 57. Hic inserta sunt ea, quæ in fragmentis 8. lib. continentur cod. Græc. in folio 92. & sunt capita hic immediatè sequentia, 11.

Deut. 4. Exod. 20.

De ijs, qui in Palæstina martyrium pertulerunt. CAP. XII.*

EX[a] Palæstinæ martyribus primus erat [b] Procopius, qui antè quàm carceris satis magnum fecisset periculum, statim à primo ingressu cum in iudicio coram præsidibus sisteretur, & ei imperatum esset, vt dijs eorum immola-
ret, vnum solum Deum se scire dixit: cui, sicut ab eo ipso præceptum est, soli esset sacrificandum. Postquam verò † quatuor Imperatoribus hostias etiam offerre illi mandatum fuit, sententiam quandam, quæ illis parum arridebat e-
locutus, hoc scilicet Homeri carmen,

Huc refer. Nicephori ca. 16. lib. 7.

†Curtius Diocletianus collegam sibi Maximianum adsciuit vterq; rursus propter diuersarum gentium motus Carnem vastantium. Deinde Diocletianus Maximianum Flauiū Constantium. Postea Galerium Maximianum, vt arbitror, Imperatores quatuor significat.

*Non bona res multi domini, rex vnicus esto: **

extemplò securi percutitur. Post istum, [c] Alphæus & Zachæus, cum post verbera & no-
uaculas, post vincula aspera, grauesq; in eisdem dolores, post alias diuersas in tormen-
tis quæstiones, post pedes dies noctesq{ue} compedibus ligneis quatuor foraminū inter-
uallo interpositio distentos distractosq;, decimoseptimo die mensis, qui vocatur Dius,
hoc est, apud Romanos ad decimum quintum Calend. Decembris, vnum solum Deū,
& solum Iesum Christum regem liberè essent confessi, velut aliquid locuti blasphe-
miæ, pari ratione cum martyre superiore, capitibus abscissis ex hac luce decedunt. Ea
porrò, quæ erant Antiochiæ eodem die de Romano martyre facti tata, memoria planè
digna videntur. Iste enim Palęstinus genere, ecclesiæ Cæsarien sis diaconus & exorcista,
cum pariter Antiochiæ in ecclesiarum vastatione fortè versaretur, complures viros si-
mul cum vxoribus & liberis aceruatim ad idolorum delubra properātes, & ijsdem ho
stias immolantes intuitus, spectaculum neutiquam tolerandum arbitratus est: & pro-
pterea singulari pietatis studio incensus, accedit propius, & magna voce exclamans, eos
grauiter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus prehensus, generosissimus (si
quisquam alius) testis declaratur veritatis. Nam cum iudex mortem illi ignis incendio
infligendam pronunciasset, ille vultu hilari, & animo maximè læto, sententiam lubēs
amplexatus, ad supplicij locum abducitur. Deinde vbi alligatur ad palum, & dum ligna
illi circumcirca coaceruabantur, & hi, qui incenderent rogum, Imperatoris iam præ-
sentis sententiam expectabant, clamauit, Vbi mihi ignis quæso? Hæc locutus, accersitur
ad Imperatorem, quò nouum & inusitatum genus supplicij sustineret, vt lingua nimi-
rum illi amputaretur: quod fortissimè perpessus, rebus omnibus declarauit, diuinam
vim illis, qui aliquid pro pietate subeant acerbitatis, opem semper apportare solere, cū
labores & ærumnas alleuando, tum animi alacritatem firmè corroborando. Iste enim,
simulatq{ue} nouum illum supplicij modum intellexit, præ generosa animi alacritate
neutiquam obstupefactus, lubens extendit linguam, & paratissimo animo eam lictori-
bus, quasi instructam præbet. Post quod supplicium in vincula coniectus, longinquo tē-
poris spacio ibi afflictatus, tandem cum vigesimus annus regni Imperatoris aduentaret
(quo ex decreto concessum erat, vt libertas omnibus, qui vinculis vbique constricti te-
nebantur, palàm prædicaretur) solus iste in compedibus iacens, vtroque pede ad quintū
foramen distracto, laqueo collo circumiecto strangulatus, martyrio demum, sicut ei e-
rat in optatis, decoratur. Et quanquam extra patriam subijt martyrium, tamen
cum Palæstinus genere sit, dignus videtur, qui in Palæstinorum martyrum
numero meritò reponatur. Hæc igitur primo anno, cum persecu-
tio solum contra ecclesiæ præsides grassaretur, hoc modo
in Palęstina gesta fuerunt.

Romani Martyrium.

Lingua exectio.

De

De Timotheo, Agapio, & Thecla, & alijs octo martyribus: & de principum mutatione, & imperij dissidio.

CAPVT XIII.

Huc refer Nicephor. ca. 14. li. 7.

SEcundo anno iam aduentanti, cùm bellum contra nos vehementius exar-
descseret, & literæ Imperatorū (in quib. generali edicto præceptum erat, vt
vniuersa plebs in singulis ciuitatib. idolis immolare, & libamina offerre
cogerētur) iam primùm ad Vrbanū id temporis prouinciæ illius præfectū
perlatæ essent: Timotheus, Gazæ, vrbis Palæstinæ, infinitis propè tormen-
tis exantlatis, ad extremùm in rogū lentius aliquanto & remissius exardescentē impo-
situs, maximè germanā germanæ erga Deum pietatis probationem, per patientiam in o-
mni cruciatus genere ostentatā demonstrauit: & coronam, quæ sanctis Dei athletis pro
pietatis victoria concertantib. tribui solet, ad extremū reportat. Tempore aūt eius mar-
tyrij, Agapius, & Thecla, quæ nostra vixit ætate, constantiā animi maximè generosam
declarantes, bestijs ex sententia iudicis traduntur deuorandi. At quis tandem est, qui il-
la quæ sequebantur, aut oculis conspicatus nō miraretur, aut solū auditione accipiens
non obstupesceret? Nam dum gentiles publica festa inter se celebrabant, & consueta a-
gebant spectacula, inter alia quæ magnoperè ipsis in optatis erant ad contēplandum, cre
bro hominum sermone ferebatur: Christianos qui dudum erāt ad bestias damnati, cer-
tamen cōfecturos. Cū verò huius rei fama latius manaret, & apud omnes passim vaga-
retur: adolescentes numero sex, quorum vnus genere Ponticus, nomine Timolaus: alter
ex Tripoli, vrbe Phœniciæ, qui Dionysius nūcupatus fuit: tertius ecclesię Diospolis sub-
diaconus, qui Romulus dictus est: quartus Pausis, & quintus Alexander, vterq; Aegy-
ptius: sextus huius gentilis Alexander, ex vrbe Gaza: proprias manus, quo ardentē mar-
tyrij cupiditatē significarēt, antè colligātes, ad Vrbanū, qui iā bestias ad Christianos di-
laniandos emissurus esset, curriculò currunt, seq; Christianos liberè confitentur: atque
ipsa sua propensione tanquā ad aciem instructa, & ad quodq; discrimē admodum para-
ta, liquidò declarârunt, eos qui in vero Dei omnium rerū fabricatoris cultu gloriantur,
violentas immanium ferarum incursiones nequaquam formidaturos. Vnde profectò
tùm ipsum præsidem, tum illos qui cum eo erant, in repentinā admirationem tradu-
centes, extemplò in carcerem contruduntur. Non multis dieb. pòst, alij duo fuêre in eo-
rum numerū ascripti: vnus, qui acerba & varia tormenta propter fidei suæ confessionē
varijs temporibus ostētatam, antea exhausisset, Agapius nomine: alter, qui res ad corpo-
ris vsum necessarias illis martyrib. subministrasset, Dionysius appellatus. Omnes isti, o-
cto numero, vno die, nempe vigesimo quarto mensis Dystri, hoc est, ad nonum Calend.
Aprilis, in ipsa Cæsarea securi percussi obeunt. Per idem tempus duo ex Imperatoribus,
quorum alter primū & summum imperij gradum, alter secundum post illum obtine-
bat, ad priuatam quandam vitæ rationem se transtulerunt: atq; Respub. languescere &
ægra esse cœpit. Paulò pòst, Imperio Romano contra se dissentiente, bellum graue &
acerbum inter ipsos Imperatores mutuò excitatur: neque seditio ac tumultus in ea cō-
motus prius sedatus fuit, quàm pax aduersum nos in vniuersis orbis partibus, quæ Ro-
mano paruêre Imperio, firma constitueretur. Nā simulac illa omnib. instar lucis cuius-
dam, ex tenebricosa & obscura nocte exorta fuit, cōmunis Imperij Romani status iterū
ad stabilitatē, amicitiam & pacem restituitur, mutuamq{ue} concordiam, quā à maiorib.
acceperat, recuperauit. Verùm de his rebus copiosius disserendi, est aliud tempus magis
opportunum nobis reseruatum. Iam verò ad ea quæ sequuntur pergamus.

Vrbanus præfectus Palæstinæ. Timotheus martyr.

Agapij & Theclæ martyrium.

Diſsidiū Imperatorū, pacē ecclesiæ præstiit.

De Apphiano Martyre. CAPVT XIIII.

De Maximino vide infra c. 26. 27. & quæ notata sūt ad ca. 4. supra hoc libro.

MAximinus Cæsar, qui suis ipsius viribus ac manu imperium occupauerat,
perspicua odij & impietatis erga Deum, animo suo tanquā naturaliter in-
sitę & innatę indicia omnibus commonstrans, persecutionem magis gene-
ralem quā superiores Imperatores contra nos instituit. Proinde cùm per-
turbatio & cōfusio non exigua illa quidem omnib. impēderet, & alij in a-
lia loca essēt dispersi, seduloq; periculū euitare studerēt, & grauis cōmotio vbiq; passim
peruaderet, quæ orationis & dicēdi facultas, ad diuinū amorem & libertatē in fidei in
Deum cōfessione, beati martyris Apphiani dignè explicandā, satis idonea reperiatur?
Qui quidē in festo, quo gentiles Hecatæ sacrificare solent, omnibus Cæsareæ ciuib. admi
rabile suæ in Deum solū pietatis exemplar proposuit contemplandum: neq; tamen ad-
huc vigesimū ætatis suæ annum egit. Qui primùm Beryti, quo liberalibus humanioris

Maximini Imp. in Christianos tyrannis. Persecutio connexa Decianæ, authore Maximino. Apphiani encomion & martyrium.

Hecatæsium.

Aetas.

Universidad de Deusto Biblioteca

literaturæ disciplinis erudiretur(quippe fuit parentibus, qui mundi diuitijs affatim cir- A cumfluebant, ortus) longo tempore commoratus, incredibile dictu est quo pacto in tali,tamq; vitiosa & corrupta ciuitate,iuuenilium cupiditatum impetus penitùs deuicerit:& neque præ ætatis flore,quo iam corpus viguit : neq; præ familiaritate & necessitudine adolescentulorum,quibus cum vixit,mores deprauatos combiberit: sed temperātiam amplexatus, modestè,sobriè & piè,secundum eam religionem quæ est Christianorum propria,vitam traduxerit,instituerit q;. Quòd si patriæ illius mentionem facere oporteat,& illam ob istum generosum pietatis athletam ex ea editum ornare,hoc planè efficiemus,nec immeritò. Si quis igitur Pagas Lyciæ non obscuram sanè ciuitatem norit,indè hic adolescens ortus erat:qui post reditum à schola & institutione, qua fuisset apud Berytum educatus,patre illius iam principatum totius patriæ occupante,vitæ cōsuetudinem,qua cum patre & alijs cognatis vtebatur , propterea quòd illi neutiquam animū inducerent,vt secundum pietatis instituta vitam degerent,ferre non poterat:sed tanquam diuino spiritu correptus,& naturali quodam, imò cælesti & vero sapientiæ amore inflammatus,altiora animo complexus,quàm quæ falsa & vmbratilis mundi gloria fert,blandis corporis lenocinijs repudiatis,clàm amicis & familiaribus suis aufugit: & nequaquam sumptuum,qui ipsi ad vitam necessariò suppetere deberent, vllam curā habens,propter spem & fidem in Deum,fuit à diuino spiritu ad vrbem Cæsaream tanquam manu deductus : in qua martyrij corona, quæ est merces pietatis, ei præparata fuit.Dum erat nobiscum vnà,ex sacris literis exiguo illo temporis spacio,quo vixit,tantum percepit fructus,quantum à quoquam percipi poterat : & disciplina ad piè viuendum aptissima seipsum exercens,attentissimè viam ad mortem muniuit . Quinetiam qualem vitæ exitum declarârit,quis est qui in eum intuendo non obstupescat? Aut quotusquisq; rursus est,qui eius animi fidentiam , liberam mentis celsitatē, constantiā, & maximè omnium fiduciam & conatum ipsum,in quibus argumenta veræ in Deum pietatis & feruentis spiritus,qui planè supra hominē putandus est, perspicuè apparuerunt,non fama & auditione assecutus;optimo iure admiraretur ? Nam cū tertio anno persecutionis nostræ,regnante Maximino,secundus in nos cieretur tumultus,& tyranni literæ,tum primum ad Vrbanum perlatæ essent, vt omnes cuiusque generis & ætatis B (magistratibus in quaque ciuitate omni cura ac studio in eam rem incumbentibus)diis eorum immolarent,& præcones per totam vrbem Cæsareā viros cum vxoribus & liberis ad idolorum delubra ex edicto præsidis conuocarent, & tribuni item quemq; ex scripto nominatim appellarent(vnde omnia loca inexplicabilibus miseriarum fluctib. redundabant)iste quem dixi Apphianus(nemine,quid esset facturus, ei conscio)clā nobis qui in ædibus cū illo eramus,clā etiam vniuersa præsidis cohorte,fidenti animo ad Vrbanum iam sacrificantē accedit:atq; audacter & absq; formidine eius dextram prehendens,extemplò ab immolando coercuit, prudenterq; admodum & grauiter cum diuina quadam animi cōfessione & alacritate ab errore desistere hortatus est. nā parum rectum esse,vt vno & solo vero Deo relicto,idolis & dæmonib.hostias offerret. Istud planè, vt videtur, adolescentulus aggressus est,diuina vi & potentia ipsum ad hanc rem impellente,& per facinus ab illo admissum penè in aures omnium inclamante: tantum abesse vt Christiani,qui hoc nomen verè vsurpant,à pietate in Deum omnium authorem, qua semel sunt imbuti,abducantur, vt non modò minas,terrores , & omnia supplicium genera,quæ eosdem sequi solent, strenuè superent : sed deinceps etiam magis fidenter loqui,& lingua ingenua ac neutiquam metu hæsitante, fidem liberè confiteri,& si fieri posset,etiam persecutores ipsos & carnifices ab ignorationis cæcitate auocare,& ad vnum solum Deum agnoscendum impellere audeant. Hac igitur de causa, iste de quo instituitur oratio,confestim(quod verisimile erat homini in tali facinore deprehenso euenturum) à præfecti stipatoribus , tanquam agrestibus belluis in eum furentibus,dilaniatus, & infinitis plagis toto corpore quas fortissimè sustinebat, excruciatus, ad tempus in carcerem concluditur.In quo vnum diem noctemque vtroque pede compedibus ad cruciatum paratis,longè à se mutuò distento diuexatus, postridie ad iudicem educitur.Ac simulatq; cōpellebatur ad sacrificandū, restitit,& summā animi tolerantiā ad ærumnas horrendosq; dolores ferendos monstrauit:adeò vt carnifices latera eius non semel atq; iterū,sed sæpius ad ossa vsq; & intima viscera dilacerare, plagas & verbera in os & ceruicē infligere pergerēt, vti vultus eius verberū vibicibus intumescēs, ab ijs qui illum probè & accuratè antè de facie nouissent, ne agnosci quidem amplius posset. Verùm cū ne huic quidē dolorū cumulo vlla ex parte succūberet,tortores ex mādato præsidis,pedes lino tincto oleo,eoq; incenso obuoluentes, afflictārūt, vnde quātos & quàm graues dolores beatus ille exhauserit, mihi videtur nō posse dicendo exprimi.

Genus.

Institutio.

Patria.

Pagæ vrbs.

Fortuna.

Studium.

Martyrij corona, pietatis merces.

Ingenium.

Virtus.

Edictum Maximini aduersus christianos.

Inquisitio mira.

Apphiani fiducia. & ad subeundum martyrium alacritas.

Mira patientia Apphiani in tolerandis cruciatibus.

Vrbanus præfectus ab Apphiano ob idolorum delubra non ingressum, blicè increpitur.

Peruasit

A Peruasit enim p carnes illius, easq; absumpsit,& in ossiū penetrauit medullas, vsq; adeò vt totius corporis humor instar ceræ tabefactus liquesceret, destillaretq;. Cæterū ne in his quidē cruciatib.demisit animum,sic vt iā aduersarij & carnifices incredibili eius tolerantia,quæ cōmunem hominis naturā longè superauit, ferè defessi essent: vnde rursus in vincula cōpingitur.Triduò pòst ad iudicē denuò productus, & eandem pietatis confessionem liberè exprimens,licet iā deinceps propè mortuus esset, maris tamē fluctibus submergēdus traditur. Miraculum aūt quod statim pòst est consecutū,si à nobis cōmoretur,verisimile est nullā fidem habiturum, apud eos præsertim qui eadē oculis minimè ipsi conspexerunt:at licet homines vix fidē illi adhibituros satis intelligamus, ratio tamen nō patitur quin omnino rem vt gesta gesta est,scriptis prodamus:quippe cùm omnes(verè dixerim)qui Cæsaream incolunt,eiusdem testes habere videamur.nulla enim ætas Cæsariensium ab isto admirabili spectaculo abfuit. Simulatq; igitur sanctissimum illum & beatissimū Christi martyrem medio mari, vt illis videbatur, in profundissimos vortices coniecerant,ex improuiso tanta procella, non vsitata illa quidē,tanta etiam turbatio,non per mare solū,sed per vniuersam continentē se diffundebat, vt cùm terra,tū tota ciuitas,eius impetu & violentia cōcuteretur:atq; vnà cum isto mirando & repentino terræmotu,ipsum mare martyris cadauer, vtpote tam sacrum pondus sustinere non valens,ante portas ciuitatis eijceret. Eiusmodi igitur sunt res gestæ sanctæ Apphiani, qui die Parasceues, hoc est secūdo die mensis Xanthici, id est,ad quartum Non. Aprilis,martyrio occubuit.

Apphianus in mare abiēcius.

Terræmotū martyris cadauer mari eiectum, miraculose ad portas vrbis.

De Vlpiano & Aedesio martyribus. CAPVT XV.

EOdem tempore,ijsdemque ferè diebus,in ciuitate Tyriorum adolescens nomine Vlpianus,post acerbissimas plagas,& verbera grauissima,in pellem bubulam iam nuper extractam,cum cane & aspide inuolutus, præceps in mare deijcitur.Quapropter videtur mihi meritò post res Apphiani in martyrio gestas,in sermone nostro recensendus. Non longo tempore pòst Aedesius, non solùm Apphiani secundum Deum, sed etiam secundum sanguinis coniunctionē ex patre germanus frater,germana ferè & similia cum illo tormenta perpessus, post infinitas fidei confessiones,post diuturnas vinculorum afflictationes, post latam à præsi- B de sententiam,qua ad metalla in Palæstina erat damnatus, post vitæ rationem quā pallio vestitus more Philosophi(etenim plus politioris eruditionis, plusque cognitionis in Philosophia fuerat,quàm frater,adeptus)sanctissimè traduxerat: tandem cùm iudicem in vrbe Alexandria sententiam de Christianis pronunciantem videret, & plus æquo in eos furentem(quippe viros interdum graues & modestos varijs ignominiæ notis affecit,interdum & mulieres summæ continentiæ, & virgines quæ sua sponte Dei cultui se consecrauerant,ad turpem ipsarum contumeliam lenonibus tradidit)idem cum fratre aggressus est.& quoniam illa facinora intoleranda ei videbantur, fidenti & & erecta animi magnitudine accedens ad iudicem , turpitudinis & ignominiæ, quam cùm verbis,tum rebus ipsis præstitisset,eum coràm coarguit: vnde varijs tormentorum cruciatibus diuexatus(quæ quidem constanter & sedatè admodum pertulit)ad extremum fuit in mare proiectus,& eundem cum fratre exitum consecutus. Sed de Aedesio hactenus. Atque ista,vt dixi,non longo tempore pòst hoc modo gesta fuerunt.

Vlpiani martyrium.

Aedesius Apphiani frater eodem martyrio coronatus.

Virgines Deo dicatæ Lenonib. addictæ

De Agapio martyre. CAPVT XVI.

SVarto anno persecutionis in nos grassantis, ad duodecimum Calend.Decembris, hoc est vigesimo die mensis qui Dius vocatur, die Veneris,in eadem vrbe Cæsarea,tale facinus, dignum reuera quod literarum monumentis commendetur, ipso tyranno Maximino præsente(qui eodem die qui natalis suus dies erat,spectacula populo, magno cum apparatu ac sumptu edebat) patratum fuit. Et quia consuetudo inueterârat, vt varia spectacula, si etiam vnquam aliàs, præsentibus ipsis Imperatoribus summa cum magnificentia ac splendore, proponerentur spectatoribus, ad eorum animos oblectandos, eaque nouis ac peregrinis formis præter communem & vsitatum morem variarentur, sic vt interdum animalia ex India aut Aethiopia, aut aliūde acta in amphitheatrum introducerentur: interdum viri mimicis corporis gestibus permira animorum oblectamenta spectantibus ostenderent: ob eam causam cùm iam Imperator ipse ludos faceret, eximium quoddā spectaculum,& quod multū haberet admirationis,in magnifico eorū apparatu omnino elucere oportebat. Quodnam igitur erat istud quidem ? Martyr & testis nostræ in

Spectacula Imperatorib; præsentibus edi solita.

Ambitio Theatralis

in memoriā natalis diei.

Christo

Agapij martyrium.

Christo religionis adducitur in medium, strenuè pro sola & vera pietate decertaturus, A Agapius nomine: quem vnà cum Thecla sociatum, bestijsque traditum ad deuorandũ, paulò antè demonstrauimus. Iste aliàs è custodia eductus, simulq; cum maleficis ad spectacula populo edenda coniunctus, cùm palàm egregiè suas partes in stadio egisset, idq; ter ac sæpius, propterea quòd iudex post minas illi varijs temporibus oppositas, siue illũ commiseratus, siue spe propositi & sententiæ eius commutandæ inductus, ad alia semper noua certamina distulerat, tandẽ præsente ipso Imperatore denuò producitur, velut opportunè & commodè in illud tempus reseruatus: vt hoc dictum salutare, quod

Matth. 10. Dominus discipulis suis diuina præscientia prædixisset (nimirum quòd coram regibus adducerentur propter testimonium eius) verè in eo compleretur. Primùm igitur in medium stadium, cum quodam malefico & sceleste homine, quem cædis domini sui reũ

Homicida liber dimittitur, martyre Christi ad supplicium destinato. fuisse ferunt, vnà rapitur. Deinde hic domini sui interfector, qui bestijs obijci debuisset, misericordia & clementia Imperatoris (propè ad similitudinem Barrabæ latronis, quẽ Seruatoris loco Iudæi mortis periculo eripiebant) nece liberatus est: & propterea strepitu & acclamationibus totum adeò personabat theatrum, quòd homicida Imperatoris beneficentia non solùm seruatus esset, verùm etiam honore & libertate donatus. Cæterùm hic veræ & diuinæ pietatis athleta, primùm à tyranno accersitur: deinde inficia-

Agapij constans ad Imp. verba responsio. tionem suæ voluntatis & instituti rogatus est: promittitur ei libertas. at ille magna voce palàm testatur, non turpis & nefarij criminis causa, sed pietatis in Deum, omnium rerum opificem, libenter & cum voluptate omnia supplicia, quæcũque sibi imponerentur, se pacato & tranquillo animo subiturum. Atque hoc elocutus, dicto citius factum

Agapius vrso obiectus. exequitur: & vrso in illum dimisso, ex aduerso veluti curriculo factus obuiã, seipsum libentissimè vorandum dat. Pòst adhuc superstes spiritum ducẽs, in carcerem mittitur vbi vno die in vita commoratus, postridie lapidibus ad pedes eius appensis, in medium

Agapius in mare abiectꝰ. mare demergitur. Tale Agapij martyrium fuisse constat.

De Theodosia virgine, & Domnino & Auxentio martyribus, & Vrbani ducis morte.

CAPVT XVII.

B Vide Nicephor. lib. 4. ca. 14. 16.

Theodosia virgo submersa.

AM verò cùm persecutio esset ad quintum annum cõtinuata, secundo die mensis Zanthici, id est, ad quartum Non. Aprilis, in ipso die Dominico, & ipso festo resurrectionis Seruatoris nostri, Theodosia rursus virgo, Tyri puella fidelis & modesta, non annos decem & octo omnino adhuc nata, vinctis quibusdam Cæsareæ, qui regnum Christi constanter confitebantur, ante tribunal considentibus accedit, cùm benignè salutatura, tum (sicut verisimile est) eos obsecraturа, vt cùm essent apud Dominum, illius recordarẽtur. Quo factitato, eam tanquam nefas quoddam & impium facinus aggressam, satellites abripiunt, deducũtq; ad præsidem. Extemplò verò iste quasi mente captus, & animi furore maximè efferatus, grauib. & horrendis tormentis latera, mammasq; ad interiora vsq; ossa dilaniat: quã adhuc ægrè spirãtem illam quidem, hilari tamen vultu & læto omnia cruciamenta perferentem, in rapidos maris fluctus proijci iubet: deinde ab illa ad reliquos Christi cõfessores digressus,

Siluanus ad metalla damnatus cum alijs. omnes ad æris metalla, quæ erant in Phæno Palæstinæ, condemnat. Post illa, quinto die mensis Dij, hoc est, apud Romanos Non. Nouembris, in eadem ciuitate Siluanum (qui, dum adhuc presbyter erat, Dominũ fuerat ingenuè confessus: quiq; paulò pòst episcopatus dignitatẽ adeptus, martyrio è vita migrauit) & quosdam alios confessores, egregiam in pietatis defensione constantiam declarantes, eorundẽ metallorum laborib. idẽ præses adiudicauit: qui primùm illis pedum flexus & cõmissuras ferreis instrumentis igne

Domini martyrium. candentib. debilitari præceperat, deinde eos ad illud supplicium amandauit. Simulatq; verò istam contra hosce pronunciauerat sentẽtiam, Domninum, virum cũ ob infinitas fidei Christianæ confessiones eximiè nobilitatum, tum ob magnificã & egregiam in liberè de religione loquendo alacritatem apud Palæstinos oẽs cùm primis illustrẽ, incendij supplicio addicit. Post cuius condemnationem, idem iudex, disertus improbitatis excogitator, & callidorum contra Christi doctrinam conatuum inuentor, supplicia

Auxentius bestijs obiectus. quædam nunquam antea audita contra pios reperit. Tres illorum, ad singulare pugillatus certamen sententia designat. Auxentium item, virum grauem & pium, sanctumque senem, bestijs tradit discerpendum. Alios autem, qui iam ad robustam & virilem ætatem peruenerant, exectis testiculis, primùm eunuchos facit: deinde ad eadẽ metalla

aPamphili martyrio, qui Eusebij fuit amicissimus. condemnat. Alios rursum acerbis cruciamentis diuexãs, carcere coercet, & vinculis. Inter quos erat[a] Pamphilus, omnium necessariorũ meorum mihi maximè desideratus:

vir

A vir ex omnibus martyribus nostri temporis, propter cuiusque generis virtutem facilè præstantissimus. Huius, in dicendi facultate & philosophorum disciplinis, Vrbanus primùm periculum fecit: deinde impulit ad sacrificandum. quẽ vt penitùs renuentem, & minas pro nihilo putantem vidit, ad extremum bile & furore commotus, asperioribus tormentis illum cruciari mandat. Quare immanissimus ille, & maximè crudelis præses, continua acutarum nouacularum incisione martyris latera acerbè pungente, iam serè satiatus, & tandẽ pudore suffusus, in carcerem, vbi reliqui confessores erant, cõcludi iussit. Verùm qualẽ mercedem Vrbanus ob tantam sæuitiam & crudelitatẽ, qua tanto-

Vrbani præsidis interitus tali homine dignus. perè in sanctos Dei & Christi martyres insultauit, ex iusta Dei vltione & vindicta post mortem habiturus esset, ex supplicijs illi in hac vita inflictis, quæ erãt tanquam futurorum procœmia, facilè licebat animaduertere. Nam non longo tempore post facinora quæ in Pamphilum nefariè cõsciuerat, diuina vltio, dum adhuc præfecturam gerebat, eum ex inopinato aborta est, ad hunc modum. Qui iamdudum in sublimi & excelso sedens solio, iudicia dabat: qui satellitio militari stipatus, qui vniuersæ Palæstinorũ gentis præfectus, qui conuictor tyranni, tanquam ei intimus, qui eiusdem mensæ cum illo particeps erat: vindicta Dei, vna nocte non solùm fuit tantis dignitatis ornamentis orbatus, ignominiæ & dedecori coram illorum oculis, qui cum vt principẽ admirati fuissent, expositus, timidus & ignauus factus, adeò vt voces muliebres turpiter funderet, & abiecto animo vniuersæ genti cui præfuerat supplicaret: verùm etiam Maximino, de cuius gratia antea insolens & superbus arroganter se extulerat (quippe cum egregiè præter cæteros, ob facinora in nos crudeliter edita, amplexabatur) duro & crudeli iudice vsus est: adeò vt post turpem ignominiam, quam pro sceleribus, quorum erat conuictus, subibat, sententia ab eo pronunciata morti addiceretur. Cæterùm hoc à nobis extra propositum dictum sit. Atque erit tempus magis idoneum, cùm & vitæ exitus aliorum impiorum, qui maximè contra nos dimicârunt, & ipsius Maximini cum suis, nostra ad ocium plenius complectetur oratio.

De confessoribus quibusdam, & duobus mulieribus virginibus, & Paulo, martyribus.

B

CAPVT XVIII.

AD annum sextum persecutionis, cùm tempestas eius contra nos vehementer ingrueret, fortè in loco quodam Thebaidis, Porphyrite appellato (qui iam antea ex vena lapidis porphyrite, quæ ibi nascitur, nomen duxerat) in-

Porphyrites locus & lapis. gens turba veræ in Deum pietatis confessorum versabatur: ex quibus centum viri cum mulieribus & tenellis admodum liberis (tres solũ ab eo numero aberant) ad præsidem Palæstinæ, Firmilianum scilicet, qui iam locum Vrbani in

Firmilianus præses. præfectura obtinuerat, mittebantur. Quibus, cùm Deum omnium rerum procreatorẽ & Christum confessi fuissent, præcepit, idque de sententia Imperatoris, non modò sinistrorum pedum commissuras cum ipsis neruis ignito ferro præcidi: sed etiam oculos

Immania supplicia. dextros primùm sicis, cum ipsis pupillis & membranis, quibus integebantur, effodi: deinde cauterijs candentibus omnino ad ipsas intimas fibras, & quasi radices labefactari:

97. martyres simul vexati. ac postea eos ipsos ad metallorum venas, quæ erant in prouincia, quo grauiærumna & afflictatione torquerentur, ablegat. Neque satis erat, istos solum eiusmodi tormenta perpetiẽtes oculis vidisse: sed etiam è Palæstinis, quos paulò antè diximus, ad singularia

Eorundem patientia in cruciatu. pugillatus certamina ineunda condemnatos, coram conspicari voluit: idq;, cũ fuissent neque cibarijs ex penu regio sustentati, neque essent in vllo exercitationis genere, quod ad pugillatum pertinebat, aliquando versati. Jam verò non procuratoribus Imperatoris solùm istud declarârunt, sed coram ipso etiam Imperatore Maximino ea de re comparentes celsissimam in Christo confitendo constantiam, tum famis tolerantia, tum

Mulieres duæ Gazenses igni traditæ post varia tolerata supplicia. verberum perpessione commonstrârunt: & similia tormenta cum his quos modò posuimus, cũq; alijs confessoribus ex ipsa Cæsarea ad ipsorum numerum adiectis sustinuerunt. Post istos autem alij euestigiò, propterea quòd homines, quo Sacrarum literarum lectioni interessent, in vnũ coegerant, in vrbe Gaza capti fuerunt: quorum alij easdem cum ijs tum oculorum tum pedum vexationes subierunt: alij tormentis in vtrumq; latus inflictis, multo grauiores cruciatus subierunt. Inter quos vna quædam corpore mulier, animi aũt magnitudine planè vir, cùm stupri minas ferre non posset, & tale verbum esset contra tyrannum locuta, nempe rectionem Reip. iudicibus admodum crudelibus ab eo commissam: primũ verberibus cæditur: deinde sublimis in ligno erecto suspensa, acerbos laterum cruciatus perfert. vbi autem, qui ad eam rem erant designati,

ex

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex iudicis mandato acria acerbaque cruciamenta illi incusserant, alia mulier quæ mul. A to maiorem laudem quàm illi quos Græci μαχητὰς vocant, hoc est pugiles (qui ob alacrē & erectum in dimicando animum pleno ore prædicantur) promerita est, quæq; pari ratione cum illa priore virginitatis scopum sibi proposuerat, corporis forma vt videbatur admodum sordida, vultu quidem abiecta, sed animo reuera robusta, & maiorem animi celsitatē quàm corporis speciem præ se ferebat, in pectore complexa, cùm pati non posset vt tam dirè, crudeliter & inhumanè cum illa ageretur, è media turba sic in iudicem vociferatur: Quousque tam acerbè sororem meam torques? Ille iracundia magis exæstuans, statim illam hominem comprehendi iubet: ea deinde rapitur in medium. Quam quidem liberè venerandum Seruatoris nomen profitentem, primùm verbis ad immolandum sollicitauit. Verùm vbi resistebat, vi ad altare trahitur. Illa tum suæ indo doli germana & conuenientia obiens, & nihil de priore animi alacritate remittens, pe- de intrepido & fidenti in aram ruit, in eamque insultat calcibus, & quæ in ea erant, vnà cum lignorum strue penitùs euertit. Vnde iudex tanquam truculenta bellua, bile & rabie excandescens, primū tot tormenta in eius latera impingi præcepit, quot nemini vnquam antea: & præ furore propemodùm crudis eius carnibus se saturare gestijt. Postea autem quàm eius insania satietatem cœperat, ambas simul iunctas, hanc nempe cum ea quam sororem antè appellauerat, flammarum incendio absumendas addixit. Quarum priorem ex regione Gazensium ortam, alteram nomine Valentinam ex Cæsarien sium genere fuisse prognatam, multisque cognitam, intelligēdum est. Martyrium porrò quod statim pòst beatissimus Paulus perpetiebatur, quo pacto pro dignitate explicare queo? Eodem enim temporis articulo cum illis mulieribus vna sententia morti adiudicatus, ad extremum à lictore, cùm eius caput esset iamiam amputaturus, paululum temporis sibi concedi postulauit. Quo impetrato, primùm clara & canora voce à Deo exposcit, vt Christiani tribules sui eius gratia reconciliarentur: & vt quàm citissimè illis daretur libertas, supplex obtestatur. deinde pro Iudæis, vt ad Deum per Christum se totos transferrent, orat: deinceps paululum in oratione progressus, eadem pro Samaritanis efflagitat: tum vt omnes gentiles qui in errore & cæca Dei ignoratione versabantur, ad diuinam cognitionem venirent, & veram pietatem reciperent, deprecatur. Neque vniuersam multitudinem, quæ vndique circumsistebat, omnino tanquam neglectam B & precatione sua destitutam reliquit: post quos vniuersos (ô immensam & ineffabilem animi lenitatem & tolerantiam) etiam pro iudice qui illum morti addixerat, proque imperatoribus, pro carnifice item, qui mox esset caput eius ceruicibus abscissurus, eo ipso (carnificem dico) & omnibus qui aderant audientibus, Dei omnipotentis numen implorauit, ne illis hoc facinus in ipsum admissum peccati loco numeraret. Hæc & eiusmodi alta voce precatus, tanquam qui immeritò planè neci addictus fuisset, omnes propemodum ad misericordiam & lachrymas attraxit: ipse tamen seipsum ad mortem adornans, & ceruicem nudam gladio feriendam libenter submittens, diuino & beato martyrio, vigesimoquinto die mensis Panemi, hoc est, ad octauū Calendas Augusti, eximiè decoratus fuit. Atque istæ istorum martyrum res gestæ talem habuêre exitum.

Valentina mulier.

Paulus martyr, eiusq; preces alta voce fusæ.

De tribus alijs viris, & muliere vna, martyribus, & de re quadam admiranda.

CAPVT XIX.

Aegyptij cxxx. martyres ad metalla Ciliciæ & Palæstinæ dānati.

IEmpore porrò non longo progrediente, rursus ex Aegyptiorum regione centum & triginta insignes fidei & confessionis in Christum athletæ, ex mandato Maximini, in ipsa Aegypto, eosdem oculorum & pedum cruciatus, cum illis quos diximus, sustinuerunt: quorum nonnulli ad metalla in Palæstina damnati erant, alij ad metalla in Cilicia relegati. Simulatque verò tam multis tamque egregijs magnanimorum Christi martyrum facinoribus, ingens persecutionis æstus deferbuerat, & velut sacro illorum cruore flamma eius extincta erat, ac iam remissio & libertas confessoribus ex Thebaide, qui metallorum in eo loco nascentium laboribus oppressi, fuerant concessa, & nos Christiani tanquam pulchra quadam pacis serenitate nos ipsos eramus iam recreaturi: deintegrò certè ipse, penes quem persequendi potestas erat, nescio quo pacto, quáue animi commotione rursus contra Christianos mirè inflammatur. Proinde ex improuiso Maximini literæ contra nos vbique in singulas prouincias missæ fuerunt. Vnde præsides & summus dux totius Imperatoris exercitus, tabulis, epistolis, & publicis edictis, ciuitatis cuiusque curatoribus vnà cum præfectis præsidiorum & tabellarijs præcipiūt, vt edictum Imperatoris ad exitum perducere maturent: mandauitque, vt cum omni celeritate idolorum delubra, quæ ceciderant, reficerent, & denuò ædificarent: quinetiam efficerent, vt omnes omnino

Maximini nouum edictum contra Christianos.

A mninò viri cum vxoribus, famulis, & pueris, matrum vbera adhuc sugentibus, immolarent, libamina afferrent, & ipsa sacrificia ipsa degustarent, & cibaria in foro venalia impuris sacrificiorum libationibus contaminarentur: & pro foribus denique balnearum quidam quasi custodes constituerētur, vti qui in his essent sordibus abluti, pòst scelestis & nefarijs illis victimis se inquinarēt. Quibus rebus ad hunc modum confectis, cùm nostri de integro (vt verisimile erat) maximis curis & mœrore tenerentur implicati, & gentiles ipsi de intolerabili & nimia horum scelerum absurditate admodum cō quererentur (nam illis ista nimium fastidij, nimiumq; importunitatis complecti visa sunt) & calamitosissima tempestas passim omnibus impendēret, diuina Seruatoris nostri virtus & potentia his athletis tantam denuò animi iniecit fidentiam, & quasi cœlitùs inspirauit, vt cum nemo illos vi impelleret, raperetq; ad fidei suæ confessionem, vltrò offerrent sese, & omnes ciusmodi terrores ac minas strenuè protererent, & tanquā pedibus prorsus conculcarent. Idcirco tres ex fidelibus simul vno animorum consensu, contra præsidem immolantem insiliunt, & alta voce tali errore atque amentia desistere hortantur. Nam non alium esse Deum, præter eum, qui omnium rerū effector & architectus est, asserunt. Rogati ergo, quinam essent? Christianos se audacter confitentur. Qua de causa Firmilianus acrius & vehementius concitatus, absq; vllo alio supplicij genere, capite mulctandos tradidit. Quorum vnus presbyter erat, nomine Antonius: alter Zebinas vocabatur, ex ciuitate Eleutheriopoli prognatus: tertio Germanus nomē fuit. Decimotertio die mensis, qui Dius dicitur, id est Idibus Nouembris, hæc de istis acta sunt. Eodem die mulier quædam Ennathas nomine, ex vrbe Scythopoli orta, virginitatis quasi coronis pulchrè adornata, vnà cum illis martyribus eò accessit: quæ nō vltrò se obtulit, vt illi, sed vi tracta fuit, & ad iudicem adducta. Idcirco post verbera & gra ues contumelios osq; cruciatus, quos iudex ei infligendos curauerat, tribunus quidē, qui illic in proximò magistratum gerebat, appellatus Maxys, homo nō tam nomine quàm tota vitæ ratione nequam, & vt alijs rebus scelestus & perditus, ita tum corporis viribus supra modum robustus, tum moribus ferus & crudelis: tum apud omnes, qui illum norant, infamia & dedecore notatus, absque authoritate maioris potestatis, hanc beatam virginem aggreditur, eamque omni vestitu vsque eò exuit, vt corpus à lumbis so- B lum ad pedes contegeretur, reliquum autem nudum existeret. Hanc per vniuersam ciuitatem Cæsaream vndique circumduxit: lorisque per totum forum & publicas plateas tractam, non sine quadam animi sui oblectatione verberauit. Quàm post tot cruciatus, cùm constantissimam animi firmitudinem pro tribunali, vbi præfectus considere solebat, in fide tuenda ostendisset, iudex viuam igne cremandam tradidit. Iste igitur immanitate longius progrediens, & rabiem propè belluinam contra pios indies adaugens, adeò extra naturæ leges penitùs egressus est, vti inanimis sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens inuideret: & propterea cadauera sub dio, vt à bestijs dilaniarentur, noctu assiduè & interdiu seruari præcepit. Itaque non exiguum hominum numerum, multorum dierum spacio, huic immani & barbaro mandato inseruientiū, cernere licebat. Quinetiam alij ex specula & loco edito, tanquam operæprecium factu- ri, ne cadauera surriperētur, sedulò obseruabant. Itaque aggrestes bestiæ, canes, & aues carniuoræ membra discerpserunt humana, eaque huc illuc dispersērunt: & tota ciuitas vndiq; visceribus ossibusque hominum constrata fuit: adeò vt illis ipsis, qui antè fuissent infesto animo in nos affecti, nihil vnquam crudelius, nihil aspectu horribilius videretur: neque tam eorum calamitatem in quos hæc admissa erant, quàm cùm suam ipsorum, tum communis parentis naturæ ignominiam deplorabant. Spectaculum enim humanarum carnium, non vno loco deuoratarum, sed vbique miserè dissectarū, (quod omnem dicendi facultatem, omnemque tragœdiæ speciem longè superat) prope ciuitatis portas cuiusque oculis subiectum fuit. Nonnulli autem membra, cadauera integra, & viscerum partes etiam intra portas se vidisse dixerunt. Dum permultis diebus ista gerebantur, tale quoddam miraculum accidit. Cùm clara esset serenitas, & aer pulchrè splendescret, totiusque cœli, omnia suo complexu ambientis, summa extaret tranquillitas, derepentè columnæ ciuitatis, quæ publicos & communes porticus sustentabant, multas veluti lachrymarum guttas quodammodo ex se profuderunt. Forum item & plateæ, nulla pluuiæ gutta ex aere decidente, nescio vnde, quóue modo, aqua aspersæ maduerunt: sic vt illicò rumor per omnium ora volitaret, terram, vtpote rerū id temporis gestarum scelus & impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione lachrymarum vim ex se fundere, & lapides naturamque inanimam nefaria ea facinora deflere, quo hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamque ab omni affectione vacuam, iusta reprehensione coargueret. Verùm nugæ & fabulæ (propè dixerim)

Ipsis etiā Gentilibus inuisa fuit nimia illa Imperatorum in Christianos sæuitia.

Antonius presbyter, Zebinas, Germanus, simul martyrio coronati.

Maxys tribunus.

Ennathæ virginis martyrium.

Sepultura martyrum cadaueribus negata.

Etiam inimici Christianorū miserti.

Miraculum naturæ ipsius, publicum decus lachrymantis in commiserationem martyrum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rim) hæc quidem oratio posteritati fortasse videbitur: non tamen his, qui eo ipso tempore præsentes, de rei veritate satis persuasi fuerunt. A

De quibusdam confessoribus, & tribus martyribus, & Petro monacho & Asclepio martyribus. CAPVT XX.

DEcimoquarto die mensis Apellæi, proximè insequentis, hoc est, ad Decimumnonum Calendas Ianuarij, quidam pij viri ex Aegypto profecti (in Ciliciam namque iter susceperant, vt confessores, qui ibi versabantur, sua curatione subleuarent Cæsareæ) ab his, qui diligenter homines ad portas ciuitatis accedentes perscrutantur, capti sunt. Ex quibus alij eandem cum illis quibus erant inseruituri, sententiam & condemnationem subierunt: vt oculi nempè & pedes cruciatu illis labefactarentur. Tres autem illorum Ascaloni, vbi capti erant, admirabilem fortitudinis vim in fidei suæ confessione ostendentes, varijs martyrij generibus defuncti sunt. Nam vnus illorum in rogum coniectus fuit, cui nomen Ares: reliquis duob. qui † Promus & Elias appellabantur, capita amputata. Vndecimo die mensis Audinæi, id est, ad tertium Idus Ianuarij, Petrus, qui & Apselamus dicebatur, ἀσκητὴς, id est religiosus vel monachus, vitam solitariam & meditationi deditam secutus, ex pago Anea in finibus Eleutheropolis sita prognatus, cum iudex, & qui ei aderant in consilio, sæpissimè eum orassent, vt sui ipsius misereretur, suæq; adolescentiæ & ætati florenti parceret: eorum hortationibus penitùs neglectis, & spe quam in Deo omnipotenti collocasset, cum alijs rebus omnibus, tum vitæ ipsius longè prælata, Cæsareæ per ignem, velut aurum purissimum, fidem in Christum Dei, generoso & excelso animo accuratè probauit. Cũ isto vnà Aesculapius episcopus, vt videbatur, erroris Marcionitarum, zelo pietatis, vt illę putabat, sed non illius, quæ est secundum scientiam, vno & eodem rogo combustus, exijt è vita. Verùm hæc hactenus.

Martyres Ares, Promus, Elias.
† Probus al. Petrus Apselamus.
Anea pag.
Aesculapius episc.

De duodecim Martyribus, qui cum Pamphilo martyrium opperiuerunt. CAP. XXI.

B TEmpus iam eò me vocat, vt illustre quasi theatrum martyrum, qui cũ Pamphilo (cuius nomen mihi semper optatissimum fuit) mortẽ opperiuerunt, in hoc sermone ante oculos cuiusque ad intuendum proponam. Duodecim quidem erant, & non modò quodam prophetico dono, aut potius Apostolico, sed Apostolorum etiam numero dignati: quorum coryphæus & princeps solus Pamphilus, presbyterij dignitate Cæsareæ ornatus, extitit: vir toto vitæ cursu omni virtutũ genere eximius, abiectione & cõtemptu seculi insignis, facultatũ in pauperes largitione magnificus: spei, quæ in caducis mundi rebus defigi solet, despicientia mirus: ratione viuendi & consuetudine vero philosopho digna singularis: quinetiam ardenti diuini eloquij & Sacrarum literarum studio, præter cæteros nostræ memoriæ homines egregius: attentissima & propè inexhausta in eas res industria & assiduitate, quas apud animum proposuerat, præstabilis, & in cognatis omnibusq; propinquis iuuandis perliberalis. Cætera virtutis eius officia, & rectè facta, quoniam longiore explicatione eguerunt, in separato & proprio volumine, de eius vita perscripto, inque tres libros dispertito, iampridem pluribus verbis tradidimus. Eos ergo, qui acti illius vitæ, & virtutum in ea elucentium plenius cognoscendarum cupiditate incenduntur, eò amandamus: nos autem illis solùm in præsentia insistemus, quæ ad martyres cum eo ad supplicium adductos pertinent. Secundus post Pamphilum in certamen descendit, veneranda canicie honoratus Valens, Aeliæ ciuitatis diaconus, ipso aspectu senex grauissimus, diuinarum Scripturarum (si quisquam alius) in primis peritus. nam tantam illarum memoriam in pectus eius incluserat, vt si quãdo aliquem locum citare vellet, perinde expeditè illud poterat absque scripto efficere, atque ex scriptò legere. Tertius, Paulus pietate maximè inflammatus, & spiritu non minus feruidus, ex ciuitate Iamnitarum, in qua fama percelebris fuit, prognatus, qui ante martyrium, cauteriorum exustiones perpessus, egregium certamen pro fidei confessione confecit. His in carcere toto biennij spacio commorantibus, fit martyrij dilatio. Interea fratrum AEgyptiorum, qui cum illis vnà martyrium subierunt, accessio facta est. Isti AEgyptij, simulatque confessores illos, qui erant ex Cilicia, ad metalla vsque, quæ ibi erant, produxerant, domum redierunt. Qui similiter apud ipsos portarum Cæsareæ introitus à custodibus (Barbari autem isti erant, & moribus agrestes) quinam essent, & vn-

Huc refer. Nicephor. ca. 10. lib. 3.
Pamphili presbyteri, & xij. eius sociorum martyrium.
Eusebij de Pamphili vita tres libri.
Valens diaconus Aeliæ.
Paulus Iamnita.

A & vnde venissent, interrogati: cum veritatem occultare non possent, tanquam malefici in ipso facinore manifestò prehensi, tenebantur. Quinque erant numero: qui quidem ad tyrannum deducti, & coram illo liberè fidem confessi, statim in carcerem contrudũtur. Postridie (hoc erat decimosexto die mensis Peritij: id est secundum Romanos, ad decimum quartum Calendas Martij) hi pariter cum Pamphilo, & reliquis eius socijs, quos suprà posuimus, ex mandato ad iudicem producuntur. Iste primùm inexpugnabilis Aegyptiorum constantiæ & firmitatis animi, diuersis cuiusque modi tormentorum formis, nouis peregrinarum & variarum machinarum inuentis periculum facit. Et simulac illum, qui inter eos omnes principatum tenuit, his certaminibus exercuerat, quisnã esset, primùm scisscitatus est. Deinde vbi pro proprio nomine, prophetæ cuiusdã nomen ab eo acceperat (hoc enim ab illis factitatum erat, quòd pro nominibus idolorum, quæ erant fortè à parentibus ipsis imposita, noua nomina, facta mutatione, ipsi sibi asciuissent: Eliæ enim, Hieremiæ, Hesaiæ, Samuelis & Danielis nomine seipsos nuncupasse, & germanum ac verum Dei Israëlem, qui Iudæis erat in occulto, nõ solum rebus ipsis, sed nominibus propriè & significanter explicatis, commonstrasse audire potuisses) vbi inquam tale nomen à martyre acceperat Firmilianus, non in verbi vim & significationem animum omninò intendens, secundò loco eum interrogauit, quæ illius patria esset? Ille nomen priori aptè respondens effert, Hierusalem suam patriam esse aiteam certè intelligens, de qua apud Paulum dicitur: Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrũm. Item alio loco: Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cælestem. is quidem hanc planè intellexit. Sed Firmilianus cogitatione sua humi abiecta, quæ tandem ciuitas illa esset, & vbi terrarum sita, accuratè & curiosè disquirit: vnde cruciatu illum affligit, vt verum fateretur. Hic manibus à tergo vinctis, obtortisque, & pedibus machinamentis peregrinis inusitatisq; diuulsis excruciatus, verum se dixisse constanter asseuerat. Deinceps iudice rursus sæpè quærente, quisnam esset, & quo loco ciuitas illa quam dicebat, locaretur, eam affirmat piorum solùm patriam esse: neque alios, præter hos solos, illius fore participes: illamque ad orientem, vbi sol primo manè suos radios fundere incipit, positam. Atque in istis denuò proferendis seorsum apud animum suum ita diuinitùs philosophatus est,

B vt eorum, qui illum vndique tormentis diuexabant, nullam prorsus rationem duceret: sed tanquam carnis corporisque expers, ne minimum quidem videretur doloris sensum percepisse. Iudex animo hæsitans, intra se tumultuari cœpit: putabatque Christianos eam ciuitatem, de qua martyr locutus fuisset, infestam omninò & inimicam Romanis effecturos. Multum igitur de ea re scrutari, & vbinam tandem illa regio, quæ in Oriente ferebatur, existeret, admodum conquirere. Postquam autem adolescentulum verberibus sæpius dilaniatum, & tormentis cuiusque generis discruciatum, firma & immutabili mentis constantia illis, quæ ante dixerat, adhærescere animaduertit, ad extremùm mortis sententiam, vt securi percuteretur, contra eum protulit. Talem igitur is velut vitæ suæ peregit fabulam. Cæteri eius socij paribus certaminibus à iudice exagitati, pari mortis genere è vita cesserunt. Postea demum Firmilianus, quanquam propè defatigatus erat, & frustra viros illos supplicio affici cernebat, sua tamen cupiditate eorum morte exaturata, ad Pamphilum & eius socios se contulit. Et quia satis expertus erat, quàm inflexibilem in fide tuenda constantiam etiam iam antea in tormentis ostendissent: iterum interrogat, vtrum deinceps modò illi morem gererent? Atque cum à singulis eorum definitum & postremum responsum de fidei confessione, quæ est martyrij propria, excepisset, similem cum prioribus pœnam & supplicium illis irrogat. Quibus ad exitum perductis, adolescentulus quidam ex famulis Pamphili, qui ita erat excultus instructusque, vt dignus ingenua talis & tanti viri educatione & disciplina meritò videretur, simulatque iudicis sententiam contra Domitium suum pronũciatam intellexit, è media hominum multitudine exclamat, & vt illius aliorumque sociorum corpora cùm è vita decederent, terræ mandarentur postulat. Iudex verò non hominis, sed belluæ, aut si quid sit bellua immanius, naturam secutus, ne adolescentulo quidem ætatis causa quicquam veniæ tribuit: sed vt primùm eum rogârat, essétne Christianus, ipseque se esse respondérat, ira cundiæ æstu intumescens, quasi telo saucius, tortoribus in mandatis dedit, vt omnes suas vires & impetus contra eum exererent. Postquam verò, cùm immolare ei iussum esset, recusantem videbat: non vt hominem carne circundatum, sed vt statuam ex lapidibus, aut ligno, aut alia re quapiam confectam, ad ossa vsque, & intimos viscerum recessus, acriter & absque vlla remissione deradi dilacerarique præcepit. Quo supplicij genere diu sustentato, iudex cùm illum nec vocem emittere, nec sensum doloris vllum

Martyres Aegyptij quinq; supertoribus additi.
Christiani nomina sua gentilia mutare solii.
Galat. 4.
Hebr. 12.
Hierusalem cœlestis piorũ patria.
Porphyrius Pamphili famulus, ante herum cæsus.
Secuum supplicium adolescẽtis Porphyrij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

præ se ferre vidit, idque, cum parum abesset quin illius corpus esset omnino inanima- A
tum, & tormentis penè contritum exhaustumque, se frustra illum torquere perspexit:
tamen animo duro, ferreo, & omnis humanitatis experte perstans, confestim igni pe-
detentim exardescente & remisso comburi decernit. Hic igitur adolescentulus postre-
mus, ante Pamphili mortem, qui erat dominus eius secundum carnem, in certamen
ingressus, ante illum è corporis vinculis solutus fuit: propterea quòd, qui erant in alijs
trucidandis occupati, tardare videbantur. Licuerat ergo Porphyrium videre (hoc nam-
que adolescentulo nomen erat) iam in omni certaminum genere exercitatum, incredi-
bili studio & ardore, more hominis pro augusta & sacra victoria decertantis, incensum,
corpore puluere quidem conspersо sordidatum, sed decoro oris habitu eximium, erec-
ta & generosa animi elatione post tantos cruciatus ad mortem gradientem, diuino spi-
ritu reuera completum: habitu philosophico quo vti solebat, hoc est, indumento ad
modum pallij humeros solum obtegentis vestitum, familiaribus suis, quid illos eius
causa facere vellet, modesto & trāquillo animo præcipientem, nutuque significantem,
& cum iam ad palum esset alligatus, vultum splendidum & hilarem seruantem: quin-
etiam cum rogus longo interuallo ab illo tanquam in ambitum orbemque exardesce-
ret, hinc illinc que flammam ore ad se arripientem: & post hæc verba, quæ iam flam-
marum incendio primùm corpus attingente clara voce profundebat (nempe IESVM
filium Dei eius adiutorem fore) constantissimè cum silentio omnes cruciatus ad extre-
mum vsque spiritum tolerantem. Tale Porphyrij in martyrio certamen fuisse constat.
Cuius vitæ exitum Seleucus confessor quidam ex militum numero, Pamphilo nunci-
auit: qui, vt par erat eiusmodi nuncij ministro, quàm primùm fuit eadem sorte cum
illis martyribus dignatus. Nam mox vt mortem nunciauerat Porphyrij, & vnum ex
martyribus osculo sancto salutauerat, cum milites quidam comprehendentes ad præ-
sidem deducunt. Iste, tanquam eius profectionem maturans, quo Porphyrio comes
itineris ad cœlum suscepti adiungeretur, extemplò capitis supplicio mulctari iubet. hic
in Cappadocia natus, præ delecto iuuenum globo qui in exercitu Romano militabant,
præque illis qui erant apud Romanos in amplis dignitatum gradibus locati, non exi-
guum honorem adeptus est. Aetate enim florente, robore, proceritate, firmitateque
corporis plurimùm omnibus militibus antecelluit: adeò vt aspectus eius celebris, & B
omnium sermone prædicatus existeret, tota corporis forma ac specie tum ob magni-
tudinem, tum ob pulchritudinem & aptam membrorum compositionem admirabi-
lis. Qui in ipso persecutionis initio, plagarum perpessione in certaminibus pro fidei
confessione susceptis admodum enituit: & vbi militiæ munere quo fungebatur, spolia-
tus fuit, eorum qui ἀσκητάς, id est pietatis cultores, vel monachi, qui dies noctesque di-
uinis meditationibus se exercent, æmulum se imitatorem effecit: orphanis desertis,
viduis omni ope destitutis, hominibus inopia & corporis infirmitate afflictatis, instar
patris alicuius indulgentis & curatoris, benignè prospexit, & opitulatus est: vnde meri-
tò quidem (cum Deus ab eiusmodi pietatis officijs plus capiat oblectationis, quàm à
victimis fumo redundantibus & sanguine aspersis) ad insigne & eximium martyrij de-
cus per eius gratiam accersitus fuit. Hic decimus athleta inter eos quos suprà ostendi-
mus, vno eodemque die mortem oppetijt: quo certè (vt apparet) maxima quasi cœli
porta Pamphili martyrio, decora illa quidem & congruens, patefacta, tum illi, tum a-
lijs qui cum eo erant, in regnum cœlorum aditum dedit perfacilem. Theodulus item,
grauis quidem & religiosus senex, vnus ex præfecti Firmiliani familia, & ab eo plus-
quàm cæteri omnes domestici honoratus, partim prouectæ ætatis causa (proauus enim
erat, id est tertiæ progeniei pater) partim propter beneuolentiam & fidelem animum
quem erga ipsum semper seruauerat, ijsdem vestigijs cum Seleuco insistens, & facinus
illius facinori hauquaquam dissimile admittens, ad Firmilianum dominum suum de-
ductus fuit: eique maiorem bilem quàm superiores commouens, tandem crucis affli-
ctationi addictus, idemque martyrij genus quod Seruator olim, lubens perpessus
est. Deinceps quoniam vnus adhuc restabat, qui inter martyres commemoratos
locum duodecimum expleret, idcirco Iulianus eum expleturus accessit. Qui peregrè
iā eò aduentans, & locum adhuc minimè ingressus, simulac inter vias de eorum mor-
te intellexerat, extemplò ad insigne martyrum spectaculum rectà se contulit: atque vt
humi posita sanctorum vidit corpora, solido expletus gaudio, sigillatim ea complexus
salutauit. Quod dum faciebat, lictores & cædis ministri eum prehensum ad Firmilia-
num ducunt. Qui ea quæ sibi erant suæque crudeli naturæ consentanea, executus, len-
to & remisso igni eum cremandum tradit. Iulianus ergo præ lætitia exultare, valdeque
gestire: atque clara voce gratias agens Domino, qui eum talibus præmijs, tamque insi-
gni

Porphyrius flamis exhaustus.

Seleucus miles, confessor & martyr.

Seleuci dignitas ac præstantia.

ἀσκηταὶ.

Pietatis officijs Deo plus, quàm sacrificijs, oblectari.

Theodulus senex martyr, crucifixus.

Iulianus Cappadox martyr existus.

Agni splendore afficere dignatus fuerat, præclara martyrum corona donatur. Erat hic
quidem Cappadocum genere secundum carnem oriundus, moribus & vita sanctissi-
mus, fidelissimus & maximè ingenuus: & cùm in alijs rebus spectatus, tū diuino ipsius san-
cti Spiritus afflatu imbutus. Talis erat caterua eorū, qui per Dei gratiam in martyrij so-
cietatem cum beato Pamphilo asciti fuerunt. Sacra autem & sancta reuera istorum
corpora ex impij præsidis mandato quatuor diebus, totidemque noctibus, vt à bestijs,
auibusque carniuoris douorarentur, sub dio seruabantur. Verùm vbi tanquam mira- *Bestiæ à S. martyrum abstinuerunt, ab iisdem.*
culo quodam, nulla neque bestia, neque volucris, neque canis ad ea accedebat, rursus
per diuinæ prouidentiæ dispensationem integra illæsaque inde ablata fuerunt. Et ex-
equiarum iustis potita, sepulturæ (vt moris est) honorificè commendantur. Porrò
dum sæuitia aduersum istos vsurpata, in omnium ore & sermone versabatur, Adria-
nus & Eubulus ex regione quæ Manganæa dicitur, ad reliquos confessores Cæsaream *Adrianus & Eubulus martyres, Bestijs obiecti & postea gladijs trucidati.*
versus accedentes, ad portas vrbis causam sui itineris eò suscepti rogantur. Deinde rei
veritatē ingenuè confessi, deducuntur ad Firmilianū. Iste, nulla dilatione aut mora in-
terposita, post multa tormenta quæ in eorum latera impegerat, bestijs dilaniandos
condemnat. Biduo autem interiecto, Adrianus quinto die mensis Dystri, hoc est ad
tertium Nonas Martij, die festo quo natalicia Fortunæ Cæsariensium (sic enim pu ta-
batur) celebrari solent, leoni primùm ad discerpendum proiectus fuit: deinde gladio
iugulatus, obijt mortem. Eubulus autem perendino die ad meridiem, ipsis Nonis Mar-
tij, qui est septimus dies Dystri, cum iudex illum admodum rogaret, vt hostias immo-
laret idolis, quò libertate eorum legibus decreta potiretur glorioſam mortem pro pi-
etate susceptam huic vitæ breui & caducæ præposuit: & post bestiarum laniatus, gladio
vt socius ante illum, trucidatus fuit: omniaque martyrum certamina Cæsareæ confe-
cta suo sanguine postremus obsignauit. Cæterùm operæprecium est hoc loco comme-
†Vide an. nor græc. pag. 99. lat. 2. lin. 35. morare, quo pacto tandem, idque non longo tempore post, cælestis & diuina prouiden-
tia eos impios magistratus cum ipsis tyrannis vlta sit. Nam Firmilianus, qui tam petu- *Firmiliani interitus tyranno dignus.*
lanter & contumelioſe in Christi martyres debacchatus fuisset, cum alijs eiusdem sce-
leris participibus extrema supplicia subiens, gladio finem viuendi fecit.† Atq; hæc sunt
martyria, quæ Cæsareæ toto persecutionis tempore gesta sunt.

B

De diuina contra Ecclesiarum præsides vltione, meritò inflicta: & Syluano & Ioanne martyribus.

CAPVT XXII.

QVæ verò interea temporis contra ecclesiarum præsides transigi con-
tigerit: & quo pacto diuina iusticia peccati vltrix, pro pastoribus o-
uium & gregis Christi rationalis, cui parùm prudenter & considera- *Ecclesiarū præsides malè officio suo functi, diuturnis punitis.*
tè præfuissent, non modò camelorum (quod est animalis genus cum
rationis expers, tum maximè natura incuruatum & deforme) cura-
tores effecerit, illique quasi debito illis supplicio addixerit, verùm et-
iam equis Imperatorum alendis destinârit: quot etiam contumeli-
as, quot ignominiæ notas, quot tormentorum genera ab Imperatorum procuratori-
bus & magistratibus per varia tempora pro sacris ecclesiarum vasis & thesauro ipsi subi-
erunt, quanta ambitione honorumque cupiditate multi eorum flagrârint, quàm te-
merè & contra leges manus nonnullis imposuerint, quæ inter ipsos fidei confessores *Quæ taceat quæ scribat Euseb.*
schismata, quæ mala nuper quidam seditiosi contra Ecclesiæ membra quæ reliqua e-
rant, dum nouas res vnam post aliam excogitare laborabant, toto pectore (vt dicitur)
machinati fuerint, inclementerque asperis persecutionis calamitatibus obtriuerint,
& mala denique malis exaggerârint: hæc omnia à me prætereunda esse arbitror, præ-
sertim cum ea memoriæ commendare, sicut in principio huius libri posui, minimè no-
strarum partium esse putem, quippe qui eorum explicationem admodùm euitare & ef-
fugere cupiam. Verùm si quæ decora sint, quæque verbum Dei commendent, si quæ
virtus sit, si quæ laus in Ecclesia splenduerit, ista explanare, ista scribere, ista fidelibus
auribus inculcare, mihi in primis accommodatum arbitratus, præclaris eximiorum
martyrum rebus gestis, & pace quæ postea nobis cœlitus elucebat, extremam partem
huius libri mihi illustrandam censeo. Cum septimus annus persecutionis contra nos
intentatæ iam propè esset confectus, & res nostræ sensim & quasi tacito gressu ad quan- *VIII persecutionis annus.*
dam tranquillitatem securitatemque prolaberentur, & ad octauum annum deflecte-
rent, in quo non exigua confessorum multitudo apud metalla in Palæstina cogebatur,
qui magna iam in ritibus religionis perfungendis vtebantur libertate, adeò vt domos
in ecclesias exædificarent: præfectus prouinciæ, vir sæuus & improbus, qualem sceleratum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperatoris mandato metallis addicti Christiani variè disparguntur.

ius in martyres Christi admissa ipsum planè commonstrabant, eò statim profectus, si- A
mulatq; facta & vitæ institutionem eorum qui ibi degebant, audiuerat, Imperatorem
facit per literas certiorem: & in ijsdem, ea quæ ad eorum famam violandam maximè
valere putabat, ad eum perscribit. Vnde qui metallorum venis præerat, eò accessit, &
tanquam ex Imperatoris mandato confessorum segregauit multitudinem, sicq; distri-
buit, vt deinceps alij Cyprum, alij Libanum incolerent: alios etiã in alia Palæstinæ loca
dispertiens, omnes varijs laborum molestijs vexari conteriq; præcepit: deinde quatuor
ex eorum numero eximens, qui principem locum inter eos tenere videbantur, ad ma-
gistrum equitum mittit. Quorum duo Peleus & Nilus appellabantur, Aegyptiorum e-
piscopi: tertius presbyter fuit. His etiam quartus accessit Patermythius, vir propter
singulare erga omnes pietatis studium facilè clarissimus. Ex quibus magister equitũ re-
ligionis & fidei in Christum inficiationem postulat: atq; haud compos voti factus, eos
ignis incendijs cremandos tradit. Alij rursus ex confessoribus, qui aut propter ingraues-
centem ætatem, aut membra inutilia, aut alias corporis infirmitates erant illo operum
ministerio soluti, ibi in locum separatum ad incolendum amandati. Quorum primas
tulit Syluanus episcopus Gazæ, qui pium virtutis specimen & egregium exemplar Chri-
stianismi omnibus ostendit. Iste à primo die persecutionis (propè dixerim) ad extremũ
vsq; per totum temporis spacium varijs certaminibus pro crebra fidei confessione de-
cursis nobilitatus, ad illum temporis articulum reseruabatur, vt omnia certamina mar-
tyrum in Palæstina interfectorum, postremus quasi sigillo cruoris obsignaret. Cum eo
coniuncti erant, ex Aegypto complures: inter quos erat Ioannes, qui memoriæ boni-
tate facilè omnes nostri temporis superauit. Et quanquam antea luminibus orbatus e-
rat, tamen tortores adeò sæui, truculenti, crudeles & immanes fuerũt, vt propter egre-
giam in Christi nomine confitendo constantiam, qua magnoperè excellebat, tum ignis
cauterijs eius pedem pari ratione cum alijs prorsus labefactarent, tum pupillam ocu-
li, quæ visum amiserat, candente ferro exurerent. Eum autem ob morum probitatem,
& piam viuendi rationem, præsertim cum cæcus esset, non est cur quisquam tantoperè
admiretur: quandoquidem illud non tantum habet admirationis, quantum memoriæ
vis, qua quidem integros sacrarum Scripturarum libros, non in tabulis lapideis, vt ait
diuus Apostolus, neque in animalium pellibus, membranis, aut charta, quæ vel tineæ B
conficiunt, vel temporis consumit diuturnitas: sed in tabulis reuera cordis carneis, id
est, in animo solerti & syncera mentis intelligentia tanquam scriptos habuit: adeò vt
quando visum erat, interdum legis & prophetarum testimonia, sæpe historias, non-
nunquam Euangelia, aut Apostolorum scripta, memoriter ex animi domicilio tan-
quam ex quodam literarum thesauro proferre potuerit. Ipse equidem fateor, me,
cùm primùm hominem in media Ecclesiæ multitudine ac frequentia stantem & quas-
dam diuinæ Scripturæ partes recitantem animaduerterem, penitùs obstupuisse. Nam
quamdiu vocem illius solùm audire licebat, tamdiu aliquem (vti in populi conuenti-
bus in Ecclesia mos est) ex scripto legisse putabam: sed vbi quàm proximè ad eum acce-
dens, quod factum erat, euidenter conspicabar, & alios omnes integris oculis & apertis
vndique circumsistentes, hunc autem solis mentis luminibus vtentem, & reuerà non
pauca velut prophetam proloquentem, & multis partibus eos quibus corporis sensus
sani & valentes erant, superantem: non potui non Deum ea de re tum summis laudibus
efferre, tum in primis admirari. Et euidens certè ac firmum argumentum mihi videre
videbar, eum reipsa & veritate hominem esse, nõ qui in externa corporis forma & spe-
cie oculis subijcitur, sed qui in ipso animo & interiore cogitatione residet: qui quidem
in isto, licet corpus deformatum mancumq; esset, maiorem tamen interioris suæ fa-
cultatis virtutem declarauit. Illis autem, quos diximus, in loco separato commoran-
tibus, & consueta ipsorum vitæ instituta in orationibus, in ieiunijs, in reliquis exercita-
tionibus exequentibus, Deus ipse dextram benignam & propitiam porrigens, largitus
est, vt per martyrium salutarem vitæ exitum consequerentur. Hostis namque & aduer-
sarius noster diabolus, eos quidẽ, vtpote precibus attentissimè ad Deum fusis, contra
ipsum armatos non amplius ferre poterat: sed sicuti putabat, molestiam ipsi exhiben-
tes, trucidare, & è terra tollere instituit. quippe Deus illi hoc agere molienti potestа-
tem concessit, vt pariter nec ipse ab improbitate, quam dedita opera decreuisset, vlla ex
parte arceretur: & hi præclara pro multis suis ac varijs certaminibus præmia iam tandẽ
acciperent. Ea de causa ex sceleratissimi Maximini imperatoris mandato, vno die vnde-
quadraginta martyres capitis pœna mulctantur. Ista sunt martyria octo annis integris
in Palæstina patrata.

Ioannis mira facultas in docenda Ecclesia.

XLVIII. *martyres vno die capite mulctati.*

Deijs

Peleus, Nilus, Aegypt. episc. martyres.

Patermythius.

Syluanus Gazæ episc. martyr.

Ioannes martyr excæcatus, & mira eiusdem memoria.

2. Cor. 3.

Huc refer Nicephor. ca. 10. li. 7.

De ijs quæ gesta sunt in Phrygia. CAPVT XXIII.

VErùm quid opus est multa persequi, & nouas piorum martyrum per or- Ruff. ca. 11.
bem dimicationes, alteras alteri succedentes proferre, eorum quidem ma- *Hic finiunt ea quæ sunt*
ximè, qui non communi lege, sed more & instituto bellico essent vndique *in fragmenta*
obsessi, oppugnatiq; e? Iamdudum enim vrbs Christianorum quæ est in *octaui libri.*
Phrygia, vniuersa, vnà cum populo eiusdem, ab hominibus armatis obsi- *Vrbs Christianorum in Phrygia obsessa & incensa.*
dione vndique cincta fuit: & dum viri simul cum teneris liberis & vxoribus, Christi
Dei omnipotentis opem inuocabant, facibus ardentibus iniectis incẽsa, propterea quòd
tum vniuersus populus qui ciuitatem incoluit, tum curator eiusdem, & præfectus præ-
sidij, pariter cum magistratibus & priuatis omnibus, se Christianos ingenuè confiteban
tur: neque infidelibus, qui eos idolis hostias offerre mandauerant, vlla ex parte vole-
bant obtemperare. Quidam autem Adaucus nomine, dignitate à Romanis ornatus, ge- *Adaucus quæstor & mar.*
nere apud Italos clarus, omni ferè honorum gradu ab Imperatoribus potitus, & magi-
stri officiorum & quæstoris generalis munera integrè & incorruptè executus, & præter hæc omnia præclaris pietatis officijs & confessionibus fidei in Christum insigniter no-
bilitatus: tandem quæstoris generalis pro pietatis defensione, dum adhuc munere fun-
gebatur, certamen ingressus, illustri martyrij corona gloriosè redimitus fuit.

Huc refer Nicephor. ca. 11. li. 7.

De compluribus tum viris, tum mulieribus. CAPVT XXIIII. Ruff. ca. 12.

QVid iam reliquos martyres nominatim commemorare attinet, aut *Martyrũ varia supplicia.*
virorum multitudinem enumerare, aut varia plagarum & supplicio-
rum genera, quæ insignes martyres perpessi sunt, oratione depingere? *In Arabia.*
qui partim securibus percussi interierunt, sicut his qui erant in Ara-
bia contigit: partim cruribus cõfractis diuexati, veluti his qui in Cap- *In Cappadocia.*
padocia versabãtur, accidit: partim etiam pedibus in sublime appen-
sis, capiteque in terram demisso, igne paulatim succenso & leniter ex-
B ardescente, & fumo è materia accensa ascendente suffocati, quemadmodum illis qui in *In Mesopotamia.*
Mesopotamia morabantur, euenit: partim naso, auribus & manibus amputatis, cæteris-
que corporis membris dilaniatis deformati, vt his qui incolebant Alexandriam, obti- *Alexandriæ Antiochiæ.*
gît. Quid opus est etiam eorum qui Antiochiæ martyrium subierunt, memoriam re-
nouare? quorum alij candentibus craticulis suppositis, non ad mortem vsque, sed ad lõ-
ginquum & diuturnum cruciatum assati: alij dextram in rogum immittere maluerunt,
quàm eâdem detestandas victimas attingere? Ex quibus nonnulli, priusquam capti e-
rant, & in manus insidiatorum venerant, ne rei periculum facerent, ex altis ædium ta-
bulatis se præcipites deiecerunt: sicque sua morte insignitè impios præda, quam in illis
afflictandis se capturos sperabant, omninò priuare statuerunt. Inter quos erat mulier *Mulier cuius duabus filiabus vltrò se submergunt.*
quædam sancta, admirabilis: corporis figura mulier quidem, virtute autem animi pla-
nè vir, alijsque rebus præ cæteris Antiochiæ ciuibus, vt diuitijs, generis nobilitate, & glo
ria apud omnes eximia: quæ quidem geminas filias virgines, corporis pulchritudine &
ætate integra præstantes habuit, easque pietatis institutis studiosè educauerat: hæc mu-
lier, quum quidam improbi in eam eiusque filias graui inuidia incensi, illas in obscuro
latitantes omni ratione vestigandas curiosè laborassent, & postea certiores facti ipsas
in aliena regione versari, Antiochiam accersendas sedulò curassent, ac iam planè quasi
satellitum retibus circumiectæ tenerentur: hæc mulier inquam, simulac cùm se, tum
filias in eiusmodi discrimina deuenisse videret, & acerba tormenta quæ ab homini-
bus infligerentur, illis oratione exposuisset, & de stupro, re planè tormentis intolera-
biliore, quo aduersarij eas violaturos minarentur (de quo ne verbum quidem ad extre-
mas aures vel ipsa vel illæ allabi sinere deberent) eas sedulò admonuisset: quum etiam
animas dæmonum seruituti tradere, omnibus mortis & exitij generibus deterius es-
se docuisset: omnium istorum malorum liberationem esse, ad Dominum tanquam
ad portum salutis confugere. Vnde omnes simul vno animorum consensu & senten-
tia conueniunt, corpora vestibus decenter adornant: ac quum ad medium iter ventum
esset, paululum de via decedendi, naturalis necessitatis explendæ causa, postulant à sa-
tellitibus qui eas ducebant, potestatem: qua impetrata, derepentè ad fluuij ripam
profectæ, se in profluentem gurgitem præcipitârunt. Atq; istæ quidem hoc genere mor-
tis se sua sponte affecerunt: ita igitur cũ istis actum est. At alias geminas virgines etiam
Antiochiæ omnib. rebus valdè præstabiles, verè germanas sorores, inclytas genere, vitæ *Virgines duæ submersæ.*
integritate insignes, ætate adolescẽtulas, venustas corpore, animo graues & venerandas,

Universidad de Deusto
Biblioteca

moribus pias, studio & industria admirabiles, adeò vt terra impia non digna videretur A quæ tales sustentaret, in vastos maris fluctus nefarij dæmonum ministri immergere præceperunt. * Hęc apud hosce gesta accipimus. Sed cruciamenta quæ martyres in Ponto tolerabant, auditu videtur horrenda. Quidam enim digitos manuum ab extremis vnguibus, acutis arundinibus transfixos habuêre: aliorũ terga plumbo igni liquefacto, eiusque materia iam ebulliente efferuescenteque perfusa: & corporis partes, quas natura maximè ad necessitatem fabricata est, flammis adustæ: nonnulli membris pudendis ac viscеribus cruciatus turpes, intolerãdos, & eiusmodi quos exprimere reformidat oratio, subierunt: quas quidẽ generosi illi & æqui scilicet iudices, quo suam solertem indolem & ingeniorum acumen ostenderent, & perinde ac si singulare quoddam sapientiæ specimen in ea re eluxisset, attentius excogitârunt: atque in nouis suppliciorum generibus inueniendis, non aliter atque in certamine præmia assequi laborabant, seque inter ipsos superare obnixè contendebant. Ista igitur calamitatum genera, quæ sequuntur, postremum locum obtinuerunt. Cũ malorum nobis impositorum exuberantia deinceps defessi essent, & in hominum cæde defatigati, & satietatem ac fastidiũ in sanguinis effusione cœpissent, & se ad tantam clementiam ac facilitatem, vt ab illis putabatur, se conuertissent, vti de reliquo nihil acerbitatis cõtra nos moliri viderentur (non enim decere aiebant, ciuitates intestino cruore contaminare, neque propter crudelitatem imperium eorum qui principatum tenebant, vtpote omnibus tam clemẽs & mansuetum, ignominiæ nota afficere: sed potius beneficentiam humanæ ac verè regiæ potestatis in omnes patêre oportere, vti nulli de reliquo morte multarentur, hocq; contra nos supplicij genus propter imperatorum benignitatem remitti relaxariq́ue debere) tum oculos effodi, alterum crus suffringi solũ pręcipiebatur. Ista enim apud illos mitia admodũ cruciamenta, atque leniſſima supplicia, quibus nos torquerent, videbantur: adeò vt dicendo explicare non possimus innumerabilem ferè multitudinem eorum, quorum ob istam impiorum mansuetudinem non solùm oculi dextri scis antè eruti fuerunt, & excisi (quibus euulsis, loca in quibus inerant ferro candente exusserunt) sed læui pedes etiam in ipsis flexuum commissuris, cauterio ambusti fuerunt, & prorsus debilitati. Ac postea isti ad æris metalla in singulis prouincijs non tam ministerij causa, quàm afflictationis & cruciatus, condemnati. Ad extremum autem alij eorum, quos nec recensere quisquam poterit (strenuæ enim illorum & viriles res gestæ omnem dicendi facultatẽ euincunt) in alia certamina fortuitu inciderunt. B

Ruff. ca. 13. Ponti martyrum supplicia crudelissima.

Nouum supplicij genus reperti aduersus Christianos.

De Ecclesiæ præsidibus, qui fuso sanguine, veram, quam professi sunt, pietatem ostenderunt.

CAPVT XXV.

Huc refer Nicephor. ca. 16. lib.

HIs igitur temporibus illustres & eximij martyres, per vniuersum mũdum magna gloria decorati, cum suæ mentis, magnitudinis & roboris spectatores, vbique non sine causa obstupefecerũt: tum insignia diuinæ reuerà & inexplicabilis Seruatoris nostri potentiæ indicia, suis rectè factis ante omnium oculos statuerunt. Verùm quemq; nomina tim historia prosequi, vt longũ, ita vix posse fieri videtur. Attamen inter ecclesiasticos præsides, qui in præclaris ciuitatib. martyriũ passi sunt, * primò omniũ tanquam in columellas ad piorũ memoriã erectas, regni Christi testẽ, Anthimum episcopũ vrbis Nicomedẽsium, qui capitis pœna multatus obijt mortem, inscribamus. Ex martyribus aũt Antiochiæ, Lucianum illius ecclesiæ presbyterũ, pijs vitæ institutis facilè præstantissimum, qui Nicomediæ etiã, imperatore præsente, cæleste Christi regnum, primùm sermone per apologiam, deinde rebus gestis palàm prædicauit. Ex martyribus Phœniciæ longè illustrissimos, omninoque sanctissimos pastores Christi gregis rationalis, Tyrannionem episcopum ecclesiæ Tyri, & Zenobium presbyterum ecclesiæ apud Sidonem numeremus. Siluanum etiam episcopum ecclesiarum quæ erant Emisæ, qui cum alijs in eadem vrbe bestiarum præda factus, in martyrum chorum relatus fuit. Verùm ambo illi martyres (quos modò citaui) verbum Dei Antiochiæ per mortis perpessionem magnopere illustrârunt: quorum alter, Tyrannio nempe, in profundos maris vortices demergitur: alter, Zenobius videlicet, medicorum propè summus, tormentis in latera sua incussis toleranter & placidè exit è vita. † Inter martyres qui in Palæstina cæsi fuerunt, principem locum obtinebant, Siluanus ecclesiarum Gazæ episcopus, de quo suprà diximus: Peleus item, & Nilus, episcopi Aegyptij, antea etiam commemorati: quinetiam magnum decus ecclesiæ Cæsarienſis inter istos à nobis numeretur, Pamphilus presbyter, qui (vt diximus) ex hominib. nostræ memoriæ propter pietatis admirabilitatem facilè primas tulit. Ex illis qui

Huc refer Nicephor. ca. 16. lib.

Ruff. c. 14. Anthimus episc. martyr. Lucianꝰ presbyter.

Tyrannio episc. Zenobius presbyter. Siluanus episcop.

† Vide annot. pag. 48. lat. 1. lib. 20. 21. 22.

Peleus, Nilus episc. & martyres. Pamphilus presbyter.

A qui Alexandriæ, qui in reliqua Aegypto & Thebaide egregiè & præclarè occubuerunt, Petrus ipsius Alexandriæ episcopus, diuinum quoddam decus eorum qui veræ in Christo religionis doctores & magistri extiterunt, primus hoc loco citetur: & presbyteri vnà cum illo Faustus & Didius, & Ammonius, præfecti Christi martyres. Phileas item, & Hesychius, & Pachumius, & Theodorus, ecclesiarum quæ sunt in Aegypto episcopi, alijque præstantes viri præter istos propè infiniti, qui in ecclesijs regionis & loci cuiusque, vbi habitabant, multorum sermone celebrantur. † Tales fuit persecutio contra nos concitata, quæ ab ecclesiarum euersione & vastitate initium sumpsit: quæque propterea quòd Imperatores varijs temporibus eandem renouabant, indies magis magisque accreuit: vnde multiplicia & diuersa fuerunt athletarum pro pietate dimicantium certamina confecta, innumerabilisque extitit martyrum multitudo in singulis prouincijs, quæ à Lybia per vniuersam Aegyptum, Syriam, & partes versus Orientem, & vndique ad oras vsque Illyrici pertinent. Nam ea loca quæ illis iam demonstratis adiacent, vt Italia tota, Sicilia, Gallia, & quæ ad solem occidentem vergunt, & ad Hispaniam, Mauritaniam & Africam se porrigunt, vbi non duobus primis annis integris impetum persecutionis sustinuerant, celerrimè clementi Dei obtutu sunt pacem & pacis tranquillitatem consecuti: quandoquidem cælestis prouidentia tandem ob vitæ innocentiam & fidem, illorum misserta est.

Petrus Alexand. episcꝯ. Faustus, Didius, Ammonius, martyres. Phileas, Hesychius, Pachumius, Theodorus, episc.

Occidentalis ecclesiæ persecutio quã diu duranerit.

† Hoc loco Curterius non nulla infert, quæ à Christophorsono omissa cõsultò erãt. ipse enim ea, quinq; paulo amplius lineis in colice græco contenta, induxit. quæ cũ in omnib. exemplarib. græcis ad finem huius capitis 25. extent, in tuto sunt. latine ea Curterius ita reddidit: quorum toto orbe diuini cultus nomine labores exantlatos & singula exacte, quæ illis contigerunt, narrare, non est nostri muneris, sed eorum potius, qui res oculis vsurparunt. Quibus verò ipse interfui, eosdem alio opere posteritati cõmendare conabor: illa verò, quæ Christophorsonus hic addidit, græcè habentur in excuso codice, fol. 99. & fol. 100. a.

Quales fuerint pietatis inimici, & de ijs quæ acciderunt illis qui à nostra religione alieni erant.

CAPVT XXVI.

Huc refer Nicephor. ca. 20. li. 7. item ca. 17. B 18. 19. 20. lib. eiusd. Vide Socrat. li. 1. ca. 1. & infra Euseb. li. 9. cap. 2.

DEinceps in hoc libro, qui est adhuc in manibus, scelerum contra nos admissorum palinodiam, id est, retractationem, ijs quæ suprà posui, adnectam: & ea quæ ab initio persecutionis contigerunt (quæ sanè hanc historiam perlecturis vtilissima fore puto) simul exponam. Ante persecutionis tempestatem contra nos ab Imperatoribus Romanis excitatam, quanta bonorum affluentia status Imperij fruerętur, quamque prosperè & fœliciter cum eo actum esset, dum benigno erant & placido animo erga nos affecti, quæ dicendi vis potest satis perspicuè explicare? præsertim cùm, qui summam totius Imperij administrarent, ad decimum Imperij annum, quinetiam ad vigesimum, festis, & celebri conuentu, splendidissima pompa, & festiua lætitia honorificè triumphârint, & cum pace constante & firma omnino vitam degerint. Sic igitur cùm potestas in dies singulos sine impedimento magnas faceret progressiones, ex insperato pace aduersum nos commutata, fœuum & crudele persecutionis bellum concitârunt. Et cùm secũdus iam annus eius tumultus in nos commoti, nondum esset completus, facinus quoddam nouum & inauditum in Imperio famã & fidem, illorum misserta est.

Mota aduersus ecclesiam persecutione politia concidit.

Diocletiani morbus.

Maximiã. histotiã amplius vi decap. seq. & in vita Constanti. nifi. li. c. 50. li. 2. ca. 48.

Maximianus ex Imperatore priuatus. *Ruff. c. 16.

Constantiꝰ Imperat mors: eiusdemque laus, cuius historiam porrò vide hoc lib. cap. 29. item de vita Constant. lib 1. ca. 9. 10. 11. 12. 15. lib. 2. ca. 48. Sozom. lib. 1. cap. 6.

Maximianus, qui in Occidente Imperium tenebat, & Herculius Maximianum intelligo) qui secundas post illũ in Imperio obtinebat, Imperij honore, vt suprà diximus, depositò, plebeiũ & priuatum vitæ genus sibi delegit. * Ac vix ista erat confecta, cũ totius Imperij status dissensione in duas partes diuisus fuit: res planè eiusmodi, qualẽ non aliquãdo obtigisse memoriæ proditũ est. Nõ longò temporis interuallo interiecto, Imperator Constantinus, qui & vitã vniuersam placidissimè instituerat, & erga subiectos suos beneuolentissimè animatꝰ erat, & erga diuinũ verbum amicissimè affectus, filium suum Ingenium Constantinum, Imperatorem & Augustum pro se relinquens, communi legè naturæ finem viuendi fecit. Qui primus ex Imperatoribus, propter singularem morum facilitatem & mansuetudinem, qua præter cæteros præstabat, apud Romanos in deos relatus fuit, omniq; splendore & dignitate quæ Imperatori debetur, post mortem honoratus: qui etiam solus inter Imperatores nostræ memoriæ, totum regni sui tempus, vt Imperij dignitas postulat, exegit: & cùm in alijs rebus humanissimum liberalissimumque omnibus seipsum præbuit, tum persecutionis cõtra nos intẽtatæ minimè particeps factus est: sed pios Christianos, qui sub ipso vitam degebant, à damno contumeliaq; penitùs immunes conseruauit: &

Universidad de Deusto
Biblioteca

& neque ecclesiarum ædificia demolitus, neque aliquod scelus in nos machinatus, fœlicem & beatum admodum vitæ exitum consecutus est: qui solus ex Imperatoribus, præter filium Ingenuũ, quem post se in imperio successorem suum reliquit, principem in omnibus modestissimũ sanctissimumque, prosperè & gloriosè abijt è vita. Huius filius Constantinus, statim vt Imperij gubernacula susceperat, Imperator summus & Augustus, cũ ab exercitibus, tũ multò antea ab ipso Deo, summo omnium Imperatore, declaratus, se paternæ pietatis erga nostræ religionis disciplinam æmulum & imitatorẽ præstitit. Hic eiusmodi fuit. Licinius deinceps, communi eorum suffragio & cõsensu penes quos summa potestas erat, Imperator & Augustus declaratur. Ista grauiter animũ offenderunt † Maximini: qui solus ad id temporis vsque Cæsar appellatus fuisset, quique maximè tyrannidi deditus, dignitatem Imperij sibi vi arripuisset, & Augustus ipse à seipso factus. Interea Valerius Herculius Maximianus, quẽ suprà dixi, postquã Imperium sua sponte deposuisset, insidias Constantino tetendisse deprehensus fuit, & turpissima morte tandem decubuit. Ante quod tempus inscriptiones ad honorem attributæ, statutæq;, & alia eius generis quæ statui ad eius gloriam decernebantur, tanquam scelesto & impio adempta fuerunt. Huius filius* Maxentius, qui Romæ tyrannidẽ occupare instituit, in ipso Imperij sui ingressu fidẽ nostrã se amplecti, quò populo Romano placeret, eumque blanditijs deliniret & assentatione,[a] callidè simulauit. Et ea de re illis qui eius parebant imperio, in mandatis dedit, vt persecutionem contra Christianos remitterent: tantamq; pietatis speciem præ se tulit, vt humanus & valdè mansuetus, præ illis qui imperium antè tenuissent, cuiq; videretur. verùm non talẽ reipsa se præstitit, qualis opinione hominum fore putabatur: sed in omnia scelera præceps delapsus, nullum impietatis, nullum intemperantiæ facinus prætermisit. quippe adulterij, & cuiusque vitiositatis corruptela se contaminauit: legitimas vxores viris eripuit, easq; turpissima ignominia contumeliaque affectas, ad viros denuò remisit. Atq; hæc nõ in ignobiles solum, & obscuros quidẽ homines moliri cœpit: sed in illos qui in senatu Romano principẽ locum tulerunt, quiq; fuerunt facile præstantissimi, effrenatius insultare. Omnes verò, tum populus tum magistratus, illum grauiter metuentes, acerba vexabantur tyrannide. Neq; tamen ipsis, quantumuis pacato & tranquillo animo asperam ferentib. seruitutẽ, vlla extitit liberatio tyrãnicæ crudelitatis, in eorum internecionem grassantis. Nã quodam tempore, leui admodum occasione arrepta, populum in cædem satellitib. suis exposuit: infinitaq; populi Romani multitudo in media ciuitate, non Scytharũ, non Barbarorum, sed domesticorum suorum hastis, & armis cuiusque generis, miserè trucidata fuit. Quanta cædes facta sit: qui senatorum, propter insidias quæ ipsorum parabantur diuitijs, erant, nunc vno, nunc alio crimine falso in eos conficto, è medio sublati, vix percenseri potest. Ad extremum verò, istius scelera delabebantur ad magicarum præstigiarum commenta. quippe interdum mulieres grauidas dissecuit: nonnunquam tenerorũ infantium scrutatus est viscera, aliquando leones mactauit: infandas non rarò adiurationes ad dæmones excitandos, quo illorum subsidio bellum ingruens depelleret, auertéretque, vsurpauit. Istarum namq; rerum adiumento spes in illius mente insidebat, victoriam ex animi sententia sibi successuram. Iste igitur Romæ tyrannidem exercẽs, vix dici poterit quæ molitus sit, quo homines suo imperio subiectos in seruitutem redigeret: vsq; adeò, vt iam in tanta penuria & egestate alimentorũ ad vitam necessariorũ constituerentur, quantam non aliàs Romæ viguisse homines nostri temporis affirmant.

Constantinus Imp eiusque pietas.

Licinius Imperat.

Maximinus.

Maximiani mors.

Maximianus ad regnum redire conatus, vt illud Maxentio filio acquireret, interfectus est iussu Constantij Chlori.

a Maxentij simulatio, & tyrannis.

Populi Romani ædes per Maxentiũ facta.

Imperator ad præstigias cõuersus.

Caritas annonæ sub Maxẽtio.

De Maximino Tyranno in oriente. CAPVT XXVII.

MAximinus tyrannus in Oriente, cum Maxentio qui Romæ imperabat, tanquam cũ fratre, in omni scelerũ genere sui simillimo, amicitiã animo simulato contraxit, & veteratorio: eamque longo tempore callidè obtegere laborauit. verùm postea tandem deprehensus, debitas simulationis pœnas per soluit. Videtur planè dignum admiratione, quo pacto iste finitima & germana scelera cũ tyranno, qui Romæ rexit imperium, cõsciuerit: immò verò etiã nequitiæ & improbitatis priores partes omnino obtinuerit. Nã qui arte magica & falsis præstigijs pollebant maximè, ab isto maximum dignitatis gradum adepti sunt: quandoquidẽ erat cũ primis meticulosus, & vana superstitione obligatus, errorem q; illũ in scisciendis idolorum & dæmonũ oraculis plurimi faciebat. Etenim abs q; diuinationibus & oraculis ne transuersum vnguẽ, quod aiunt, se audebat commouere. Ob quam causam grauiorem crebriorem q; persecutionem, quã maiores sui, contra nos concitauit. Templa autem deorum in singulis ciuitatibus erigi, & delubra temporis longinquitate vastata maturè renouari præcepit, idolorumque in omni loco & ciuitate constituit sacerdotes:

Ruff. ca. 17. Maximini cũ Maxentio simulata amicitia.

Maxentij tyrannis in Christianos, & dæmonum cultus.

A cerdotes: & his in singulis prouincijs pontificẽ vnum, qui in omni munere egregiè obeundo & luculenter cæteris in Rep. viris præstare videretur, cohorte & satellitio stipatum præfecit: & omnibus denique maleficis & præstigiatoribus, tanquam religiosis & deorum numini charis, præfecturarũ dignitates, & maxima priuilegia impertire non erubuit. Deinceps ab his ad alia nequitiæ genera se transtulit: & non vnã ciuitatẽ aut regionẽ, sed omnes omnino prouincias suo imperio subiectas, auri, argenti & ingentiũ facultatũ exactionibus, mandatis grauissimis, & alijs aliquãdo mulctis supra modum diuexauit, oppressitque. Locupletum etiam fortunas ipsis à maioribus traditas vi abstulit, quo diuitias & pecuniarum tanquã cumulos aceruatim suis assentatoribus largiretur. Eò porrò temulentiæ & ebrietatis ferebatur, vt insaniret inter pocula, & dementis gradu deturbatus, rabie quadam fureret: & ea imperaret ebrius, quorum postridie sobriũ maximè pœniteret. In crapulæ & effusæ libidinis exuberantia nemini secundus fuit: improbitatis magistrum tum magistratibus, tum subiectis suis seipsum effecit. Atque vt suos induxit milites, vt omni luxu & intemperantia diffluerent: sic præsides & prætores incitauit, vt omnes rapinarum & auaritiæ vias contra subiectos insisterent, & ferè cum illo tyrannidem vsurparent. Quid vesana & temeraria viri flagitia commemorem? quidue numerem multitudinem mulierum ab eo cõstupratarum? Nullam enim ciuitatem aliquando ipse præterijt, in qua non pudicas mulieres vitiârit, in qua virginũ raptiones non fecerit. Atque ista cius facinora non cõtra Christianos solùm (qui morte contempta, eius tyrannidem pro nihilo putârunt) sed contra alios omnes grassabantur. Nam quod ad Christianos attinet, qui viri erant, ignis, ferri, clauorum transfixorum cruciatus, immanes bestias, maris profundos gurgites, mẽbrorum amputationes, ignitorum instrumentorum inustiones, oculos extumulatos effossosque, corporis partium extremitates abscissas, famem præterea, metallorum & vinculorum denique ærumnas exantlârunt: atque hæc omnia pro pietate patienter & tranquillo animo ferre maluerunt, quàm Dei cultum cum idolorum veneratione commutare. Atque ex mulieribus, non minus ipsis viris à doctrina diuini verbi animatis, roboratisque, pars eadem cum viris certamina subeuntes, æqua virtutis præmia reportârunt: pars ad corruptelam & obscœnam libidinis turpitudinem inuitæ attractæ, vitam citius internecioni quàm corpus dedecori tradere instituerunt. Sola namque mulier quædam Christiana, inter alias à tyranno adulterij labe turpificatas, ex Alexandrinis mulieribus nobilissima splendidissimaq;, Maximini animum libidine furentem, & lasciuientem intemperantia, magnitudine quàm altissimi animi deuicit: quæ quanquam alijs rebus, vt opibus, generis splendore, & exquisita doctrina insignis fuit, tamen ista omnia præpudicitia postputauit. Istam quidem Maximinus, licet sæpè orasset vti ipsius cupiditati obsequeretur, eaque denegasset, seque mori paratam ostenderet: tamen interficere non potuit (quippe libido potius, quàm iracundia, mentis suæ tenebat imperium) sed illam fuga mulctatam, omnibus facultatib. spoliauit. Innumerabiles etiam aliæ Christianæ, quoniam stupri minas, quibus prouinciarum præfecti eas terrere conabantur, ferre non poterant, omnia cruciamentorum, distortionum, & mortiferi supplicij genera libenter subierunt. atque hæ sanè permagna admiratione dignæ sunt. Verùm illa mulier Romæ maximè admirabilis, quæ ex omnibus, quibuscum Maxentius tyrannus ibi non dissimilem à Maximino turpitudinem admittere conabatur, & nobilissima reuera, & modestissima fuit. Hæc enim simulatque audiuerat, eos qui tyranni rogatu talia administrare solent, pro foribus ædium astare (Christiana etiam ipsa erat) & virum suum, qui fuit præfectus Romanorum, metus causa eos ipsam arreptam permisisse abducere, paululum temporis popposcit, vt corpus eius decenter exornaret. Itaque cubiculum ingreditur, & cùm sola esset, ense seipsam transfigit: & mortua statim concidit, cadauere[a] perductoribus Imperatoris relicto. Quæ suis rebus gestis, omni voce ac sono multò clarius personantibus, omnibus hominibus cùm qui iam sunt, tum qui pòst futuri sunt, palàm fecit, solam [b] Christianorum continentiam nec pecunia expugnari, nec morte extingui posse. Tanta & tam multiplicia improbitatis genera, à duobis tyrannis, Orientis & Occidentis regna occupantibus, eodem temporis momento fortè admissa fuerunt. Ecquis verò tantarum miseriarum causa accuratè conquisita, animo hæsitare poterit, eas ex persecutione contra nos excitatas natas esse: præsertim cùm non prius Imperatorum res essent eiusmodi confusione ac perturbatione liberatæ, quàm Christiani suam denuò recuperassent libertatem? * Nam toto decem annorum spacio, persecutione longè lateque manante, nihil eorum quæ vel ad insidias, vel ad bellum intestinum spectabant, ab illis abesse videbatur. Nullum enim mare tutò traijci poterat: neque hominibus integrum erat alicunde tranare, quin

Maximini auaritia, temulentia, libido.

Christianorũ sub Maximino afflictio et patientia.

Mulieris Alexandrinæ pudicitia.

Stupri minis mulieres tyranni territãt.

Mulieres Romanæ admiranda continentia.

Vide c. 28. lib. 1. de vita Cõstantini.

Huc refer Nicephor. lib. 24. cap. 20. vide Euseb. lib. 8. de vita Constantini.

a Cicero in 3. Verr. Lenonũ, aleatorũ, perductorum nulla mentio fiat, vbi assecutorũ perductorũ res inuitarũ personarum, lenones scortorũ esse ait.

b Christianorũ cõtinentia inexpugnabilis.

** Ruff. c. 18.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quin. omnibus deuexarentur supplicijs, vt distortione membrorum, laterum dilacera- A
tione, & tormentis cuiusque generis, dum quæstio de illis habebatur, num ab hostibus
venissent: & ad extremum crucibus, aut incendij flammis torquerentur. Adde huc, cly-
peorum & loricarum, telorum, hastarum, & aliorum instrumentorum cuiusque modi
ad bellum faciendum accommodatorum apparatus, cum triremibus & armis ad præ-
lium nauale spectantibus, quæ in locis quibusque in vnum congerebantur. Neq; cuiquā
aliud quicquam expectare licebat, quàm hostium quotidie incursionem. Hasce res po-
stea fames & pestis insequebantur: de quibus opportunè, quæ consentanea sunt, suo lo-
co dicemus.

Innocentiū persecutio, tranquillitatē Imperij perturbauit.

De rerum in melius mutatione. CAPVT XXVIII.

Huc refert Nicephor. ca. 16. lib. 7.

Ilusmodi erant ea mala, quæ toto persecutionis tempore regnârunt: cuius æstus, vt octauo anno, Dei iuuante gratia, cœpit paululum de-
feruescere, sic decimo anno consopitus fuit. Nam cùm diuina & cæ-
lestis gratia clementem suum & propitium obtutum in nos ostende
re dignata esset, tum Imperatores nostri tēporis (illos dico, per quos
iamdudum persecutionis tempestates in nos excitatæ fuissent) sen-
tentia sua tanquam miraculo quodam diuino commutata, palino-
diam, vt aiunt, cecinerunt: & benignis edictis atque decretis humanissimis de nobis pro-
mulgatis, persecutionis ardorem in primis efferuescentem prorsus extinxerunt. Neque
quisquam huius mutationis causam ad humanum auxilium, aut ad Imperatorum (vt
fortasse aliquis dixerit) commiserationem & clementiam referat (multum sanè abest,
præsertim cum in dies singulos plures suppliciorum formæ, & acerbiores ab initio ad
illud vsque tempus contra nos ab illis excogitatæ sint, dum cruciamenta nobis inflicta
varijs machinis aliàs aliter innouare studebant) sed ad Deum reuera, qui tam benignè
nobis prospexit, accommodandam: quique non modò populo reconciliatus fuit, verū
etiam ipsum malorum tanquam architectum, & cladis totius persecutionis præcipuū
authorem insectatus, grauiter exagitauit. Et quamuis ista diuino iudicio & decreto fie-
ri oporteret, tamen Væ (inquit sacer Dei sermo) per quem scandalum venit. Illum er- B
go castigatio & pœna cœlitùs inuecta occupauit, & ex ipsa carne exorsa peruasit ad ani-
mum. Ex improuiso enim in illis corporis partibus, quas natura ob verecundiam con-
texit atque abdidit, nascitur apostema: deinde in interioribus corporis receſſibus, vlcus
purulentum & fistulosum: atque istorum insanabilis morsus intima depascebatur vi-
scera, quæ quidem infinita vermium multitudine redundârunt, vnde fœtor lethalis &
pestifer efflatur: quando quidem vniuersa corporis moles ex nimia eius, antequam in
morbum delabebatur, helluatione & ingluuie, in immensam pinguedinem commuta-
ta erat, quæ tum putredine contabefacta, intolerabile & horrendum spectaculum his
qui appropinquabant, exhibuit. Proinde ex medicis alij, qui exuberantem fœtoris gra-
ueolentiam ferre omnino non poterant, fuêre eius iussu trucidati. Alij, tota corporis
mole intumescente, & in salutis desperationem delapsa, cùm nihil opis adferre valе-
rent, crudeliter interfecti.

Imperatorū tyrannis in melius conuersa diuinitus.

Maximinus persecutionis primus author, vt & infra cap. seq.

Maximini interitus, & simul rabies.

De Imperatorum recantatione. CAP. XXIX.

Hac refert Nicephor. ca. 22. lib. 7. Vide de laudib. Constant.

Ruff. ca. 19. *Maximini pœnitentia de mota in Christianos persecutione.*

Atqui tyrannus tantis cum miserijs colluctans, tandem sua maleficia in pios homines admissa, animo recognoscere cœpit. Mentem igitur recolli-
gens, & tanquam rediens ad se, primùm Deo omnium rerum creatori se
confitetur: deinde suis ad se accersitis, persecutionem contra Christianos
sine dilatione sedare & comprimere iubet, lege & decreto Imperatorio i-
psos Christianos templa sua exædificare, rem maturare, consueta officia in illis facere,
preces pro Imperij statu fundere. Statim ergo ipso facto verbis probè consentiente, edi-
cta Imperatoria in singulis ciuitatibus palā diuulgantur, quę quasi palinodiam & retra-
ctationem iniuriarum nobis illatarum complexa sunt, ad hunc modum:

Imperator Cæsar Galerius, Maximinus, Inuictus, Augustus, Pontifex Max. Thebaicus Max. Sarmaticus Max. V. Persarum Max. Germanicus Max. Aegyptiacus Max. II. Carporum Max. VI. Armeniorum Max. Medorum Max. Adiabenorum Max. Trib. Pot. XX. Dictator XIX. Cos. VIII. Pater patriæ, Procos. & Imperator Cæsar Flauius Valerius Constantius, Pius, Fortunatus, Inuictus, Augustus, Pontifex Max. Trib. Pot. Dictator V. Cos. Pater patriæ. Procos.

Inter

Imperatorum Maximini & Constantij edictum pro christianis.

A Inter cætera quæ pro communi reipublicæ vtilitate & commodo statuimus, voleba-
„ mus iam antea ex veterum legum institutis, & publica Romanorum disciplina, omnia
„ corrigi, inq; pristinum statum restitui: & prouidentiam ac curam haberi, vt Christiani,
„ qui maiorum suorum sectam & religionem deseruissent, ad rectam eiusdem instituti-
„ onem reuerterentur. Verùm quoniam illi tanta animi insolentia inflati sunt, tantaq;
„ elati arrogantia, vt quæ erant à veteribus decreta (quæ quidem fortasse maiores eorum
„ sanciuerant) nullo modo sequerētur: sed suo quodam instituto, & vt cuiq; visum erat,
„ sic quisq; sibi cùm leges promulgare, tum easdem obseruare, tum in varijs locis varios
„ hominum conuentus cogere vellet: nos propterea edictum illicò tulimus, vt ad veterū
„ instituta se transferrent. vnde complures periculo vitæ obiecti, nonnulli grauiter per-
„ turbati, varia mortis genera sustinuerunt. Et quoniam non pauci in eadem pertinacia
„ persistebant, & eos nec dijs cœlestibus debitum cultum tribuere, neq; Christianorum
„ Deo venerationem adhibere videbamus: nos idcirco ad mansuetudinē nostram & diu-
„ turnam clementiæ nostræ cōsuetudinem, qua omnibus hominibus veniam impartire
„ solebamus, oculos conuertentes, libentissimè istud concessimus, vt homines denuò se
„ liberè Christianos profiteantur: vt ædes in quibus conuenire solēt, resarciant: sic tamē,
„ vt nihil contra publicam Romanorum disciplinam moliantur. Per alias item literas
„ iudicibus significabimus, quid ipsos obseruare oporteat. vnde Christiani hac indulgen-
„ tia à nobis cōcessa deuincti, debent Deo suo obnixè supplicare pro nostra, pro reip. pro
†Videan. not pag. 91. lat. 1. lin. 25. „ sua ipsorum salute, vt quouis modo cùm publicus rerum status integer & incolumis re-
tineatur, tum ipsi in suis familijs absq; cura & solicitudine vitā traducere queant. †Quin
ille ipse qui huius edicti author fuit, non longo tempore post huiusmodi confessionem
habitam, è vita migrauit, doloribus, quibus erat oppressus, liberatus. Istum etiam fertur
primum præcipuumq; calamitatis, quæ Christianis in persecutione contigerat, autho-
rem extitisse, & iam pridem ante tumultum à cæteris Imperatoribus concitatum, Chri-
stianos, cùm qui in militia versabantur, tum primùm omnium qui in ipsius familia de-
gebant, vi ex fide auertere conatum: & illos ex dignitatis militaris gradu, in quo locabā-
tur, deiecisse: hos autem maxima contumelia & dedecore affecisse. Iam verò alijs intu-
B lisse mortem: ad extremùm cæteros Imperatores, qui erāt cum ipso in illa honoris am-
plitudine coniuncti, ad omnes Christianos persequendos commouisse: quorum Im-
peratorum vitæ exitum scriptis mandare operæprecium arbitror. Cum Imperium om-
nino inter quatuor principes esset diuisum, duo illorum qui & Imperatores antea de-
clarati fuerant, & honore prælati, cum non integro biennio post persecutionis initium
regnassent, se (sicut antè à nobis demonstratum est) abdicarunt imperio, atq; reliquum
vitæ suæ tempus plebeio & priuato quodam viuendi genere degerunt: huncq; vitæ finē,
quem deinceps exponemus, sunt consecuti. Alter & gradu honoris, & designationis tē-
pore primas Imperij partes assecutus, diuturna & aspera in primis corporis ægrotatione
pedetentim contabescens occubuit. Alter secundas ab eo adeptus, propter plurimos
suos perditos & fraudulentos conatus, quos conscium esset in vita, dæmonis incitatione
acpulsu extremum vitæ spiritū laqueo interrupit. Ex illis qui hos proximè secuti sunt,
posterior, quem totius persecutionis caput & authorem fuisse diximus, tales cruciatus,
quales suprà ostendimus, tolerauit. Qui autem hunc in regno antegressus est Constan-
tius, imperator benignissimus mansuetissimusq;, vt suprà dixi, vniuersum regni sui tē-
pus præclarè pro Imperij dignitate traducens, nō propterea solum quòd in alijs rebus o-
mnibus seipsum humanissimum & liberalissimum quibusq; præbuit: verùm etiā quòd
persecutionis contra nos intentatæ, nullo modo particeps fuit, imò verò pios sub eius
imperium subiectos, illæsos conseruauit & incolumes: acneq; sacras ecclesiarum ædes
diruit, neq; aliud quicquam maleficij in nos omnino molitus, perbeatum reuera perq;
fœlicem vitæ exitum obtinuit: solusq; in suo regno propter Ingenuum filium, imperij
successorem, principem in omnibus rebus modestissimum religiosissimumq;, præcla-
ram & gloriosam mortem oppetiuit. Eius autem filius simulac fuit in imperio consti-
tutus, Imperator summus & Augustus ab exercitibus appellatus, paternæ erga nostram
religionem pietatis vestigia diligenter est persecutus. Talem igitur vitæ exitum superio-
res quatuor imperatores varijs temporibus habuerunt. Ex quibus solus ille quem paulo
antè posuimus, cum cæteris ad imperium deinceps ascitis, postea confessionē suprà de-
claratam, per edictum scriptis editum omnibus palàm fecit. Verùm quid postea conse-
cutum sit, iam considerandi opportuna se offert occasio.

Falsa Christianorum insolentia immanitate suam obumbrat Maximinus.

Maximini interitus.

Maximinus primus author persecutionis: sic etiam in vita Constantini lib. 1. cap. 49. & 50. idē innuitur etiā quātus obscure supra cap. 4. huius libri.

Imperium inter quatuor principes diuisum.

Vide infra cap. 20. lib. 1. de vita Constantini.

Diocletiani & Maximiani Impp. interitus. Maximini mors.

Constātij Imp. pietas, & placida mors.

Constantinus Magnus Imperator. Anno Christi 310.

Constantinus Imp.

LIBRI OCTAVI FINIS.

P EVSE-

Universidad de Deusto
Biblioteca

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE

Palæstinæ, Ecclesiasticæ Historiæ Liber Nonus.

Nonus liber & decimus ad finem porro historiæ Ecclesiasticæ Eusebij continent acta sub Constantino Magno annis triginta, & mensibus decem. Huc refer Rerum Rom. lib. XI. Pompon. Lætum: Huc adde Vitas Pontif. Rom. ex authoribus præallegatis, & tomos Concil. & Hæres. item Oros. lib. 7. cap. 26. 27. 28. Eutrop. lib. 10. Aurel. Victorem: Pontifices autem quorum vitæ huc pertinent, sunt, Marcellinus, Marcellus, Melciades, Syluester, Marcus 2. Iulius, quanquam horum priores aliquot, etiam ad præcedentem tractatum pertineant.

De simulata persequutionis remissione. CAPVT I.

Ruff. cap. 1.

HAec palinodia siue retractatio, authoritate Imperatorum Galerij Maximini & Constantij, quos suprà posuimus, edita, passim in omnib. Asiæ partibus, inq; singulis eiusdem prouincijs diuulgata fuit. Quare ad hunc modum confecta, Iouius Maximinus in Oriente tyrannidem exercens, scelestissimus ille quidem maximeq; impius (si quisquam alius) & pietatis in Deum omnium rerum satorem hostis acerrimus, cùm literæ quibus hæc retractatio continebatur, neutiquam ipsi arriderent, pro mandato quod scripto in illis erat enunciatum, verbis solum magistratibus ipsius imperio subiectis mandat, vt persecutionis bellum contra nos excitatum remittant. Nam cùm ei non integrum esset, eorum iudicio qui priores Imperij partes tenebant, aliter refragari: decretum retractationis omnibus propositum in obscuro collocare, & aliqua ex parte supprimere molitur: totoq; animo connitens, ne Imperij partibus sub ipsius ditionem subiectis in apertum proferretur, magistratibus ei obsequentibus edicto non scripto mandat, vt persecutionem contra nos concitatã relaxent. His literis se ipsi mutuò de mandato certiores faciunt. nam Sabinus, qui summus prouinciarum præfectus, & maximo in honore apud Imperatores fuit, Maximini sententiam ac voluntatem prouinciarum præsidibus per epistolam Latinis literis scriptam significat ad hunc modum: Diuina Imperatorum, dominorum nostrorum sanctissimorum maiestas, incredibili ac singulari studio inflammata, omnium hominum mentes ad sanctam rectamq; viuendi viam traducere iampridem decreuerat, quò hi qui religionis institutionem & consuetudinem à Romanorum more alienam sequi videbantur, deinceps iustos debitosq; cultus dijs immortalibus impertirent. Verùm quorũdam pertinacia & peruersa voluntas eò temeritatis processit, vt neq; recta mandati præscriptione à proprio instituto recedere voluerint, neque supplicium ipsis inflictum, eos vlla ex parte potuerit perterrere. Quare quoniam accidit vt nonnulli ea de causa se in graue periculum coniecerint: diuina dominorum nostrorum potentissimorum Imperatorum celsitudo, propter eximiã suæ insignis pietatis præstantiam, alienum à diuinissima ipsorum voluntate ac proposito statuens, vt homines eiusmodi de causa in discrimen veniant, præcepit vt ipse ad tuam prudentiam literas exararem, vt si Christianorũ quisquam religionem suæ gentis sequi & obseruare comperiatur, illum molestia & periculo ipsi intentato eximas, & neminem eiusmodi de causa pœna mulctandum statuas: præsertim cum longa temporis progressione satis explorate cognitum & perspectum sit, illos nullo modo nullaq; ratione persuaderi posse, vt ab eiusmodi contumacia aliquando desciscãt. Quocirca tua perspicax solertia ad curatores, præfectos præsidiorum & præpositos cuiusq; ciuitatis & pagi literas scribere debet, vt intelligant se debere seduló præcauere, ne extra cancellos huius edicti egrediantur. Ob hanc causam hi qui in singulis prouincijs præerant, sententiam eorum quæ ad ipsos scripta erant, in primis veram arbitrati, curatoribus, præfectis præsidiorum, & præpositis in singulis agris constitutis, Imperatoris volũtatem per literas planam fecerunt. Neque ista scriptis solum commodè processerunt, sed rebus ipsis etiã multo magis. nã hæc perinde ac si ab Imperatore imperata fuissent, reuerà ad exitũ perduxerunt, & tã hos quos carceribus conclusos propter fidei in Deum professionem tenebant, quàm illos quos cruciatus causa ad metalla condemnauerant, in apertum educentes, liberos dimiserunt. Hoc enim Imperatori ipsa visum esse suspicati sunt: sed falsò quidem. Istis igitur rebus hoc modo constitutis, derepente in omnibus ciuitatibus Christianorum conuentus frequentes in vnum coalescentes, & crebros congressus, qui inter istos de more in ritibus suis obeundis fieri solent,

Huc refer Nicephori ca. 24. li. 7. Vide infra cap. 8. hoc lib. & lib. 10. cap. 5.

Iouij Maximini tyranni, in Oriente.

Iouius edicta Imperatorum pro Christiãis dissimulat.

Sabini ad prouinciarũ præsides literæ, ex Maximini nafro consilio.

Libertatem recuperata Christiani è carceribus dimittũtur, & conuẽtus iterum celebrant.

Alent, tanquam lumen quoddam post tenebras & noctem opacam effulgens, cernere licuit. Vnde tota infidelium gentium multitudo fuit non parum obstupefacta, cùm incredibilem tantæ mutationis rationem admirando: tum propterea solum Christianorum Deum, magnum & verum Deum esse, voce contenta exclamando. Ex nostris autem, illi qui persecutiõis certamen fideliter & magno animo obijssent, præ cæteris omnibus permagnam animis læticiam denuò perceperunt. At qui fide ægri & infirmi fuissent, & iam propterea conscientias haberent quasi tempestate iactatas, libenter remedium sibi inuenire maturârunt, & his qui erant robusti in fide supplicare, eorum dextram salutarem sibi porrigi exposcere, & Deum ipsis propitium fore obtestari cœperũt. Deinde generosi & magnanimi pietatis athletæ, metallorum afflictatione liberati, ad suam patriam redierunt, hilariq; & læto aspectu per quamque ciuitatem profecti sunt: & gaudio penè inexplicabili, animorumque alacritate, quæ nulla oratione explicari poterit, completi. Ingentes igitur hominum cateruæ, per medias vias ac publicas plateas transeuntes, hymnis & psalmis Deum laudauêre, sicque itineris sui deuorauêre molestias. Atque illos qui vt captiui supplicio crudelissimo paulò antè excruciati fuissent, & patria sua eiecti, læto ac hilari vultu se ad suos proprios lares recipientes vidisses: vsque eò, vti etiam illi qui antea nos neci dare magnopere expetiuissent, vbi hãc mutationem adeò mirandum in modum factam conspexerũt, nobiscum vnà de rerum euentis nonnihil lætari viderentur.

Quomodo se gesserint. Constantes in fide. Vacillantes in fide.

Ex metallis liberati domũ reuertuntur.

Etiã Ethnici Christianis lætiorem statũ gratulati.

De ea quæ subsequuta est peruersitate, & de statua Antiochiæ nouiter erecta. CAPVT II.

Huc refer Nicephor. ca. 25. li. 7.

VErùm tyrannus (quem partes versus Orientem regere diximus) quia probitatis osor fuit maximus, & omnium bonorum insidiator, ista amplius ferre non potuit, neque ad sex menses integros ita cum nostris rebus agi passus est. Nam quæcunque ad pacis & tranquillitatis nostræ euersionem facere videbantur, omnibus (vt dicitur) opibus viribusque machinatus, primùm occasione arrepta, nos conuentu qui in cœmeterijs à nobis fieri solet, interdicere conatur: deinde per nefarios quosdam & perditos viros ipse, quo suo animo satisfaceret, legationem mittit, ciues Antiochiæ hortaturus, vt illi tum ab ipso maximi beneficij loco flagitarent, vti nullus Christianus ipsorum patriam incolere permitteretur: tum alios etiam ad idẽ præstandum impellerent. Quarum rerum omnium gerendarum dux fuit & princeps Theotecnus, in ipsa Antiochia natus, & eiusdem ciuitatis curator: vir crudelis, vafer, improbus, & à sua appellatione maximè alienus. * Hic igitur postquam nos grauiter oppugnauerat, & omnibus modis nostros tanquam impios quosdam fures celeriter ex latebris eruerat, & omnia ad calumniam nobis & criminationem inferendam molitus erat, & mortis author ac causa infinitis propè extiterat: tandem idolum & simulachrũ quoddam Iouis φίλιος id est, qui amicitijs contrahendis præest, erigit, inque eo magicis præstigijs falsa edit miracula: & ad eius cultum nefaria mysteria, initiationes impuras, & scelestas expiationes excogitat: efficitque, vt oraculorum præstigiæ, quibus ea quæ instituebat, absoluit, ad aures Imperatoris peruenirent. Quinetiam, quò assentatione & blanditijs in Imperatoris animum influeret, dæmonem contra Christianos excitat: asseritque Deum præcepisse, vt illos tanquam ipsi infestos, ex vrbe agrisque penitus expellere properarent.

Ruff. cap. 2. *Iouij Maximini tyranni per Orientem, & studia vexandæ Ecclesiæ.*

Theotecnus Iouis Philij statuam Antiochiæ erigit, in gratiam Maximini.

Theotecni cõtra nos Christianos præstigiæ.

De edictis contra Christianos CAPVT III.

Huc refer Nicephor. ca. 27. li. 7.

CVm igitur Theotecnus primus hæc in sententia gessisset, cæteri omnes magistratus qui ciuitates Maximini imperio subditas incolebãt, simile suffragiũ contra Christianos ferre instituerunt. Vbi etiã præfecti prouinciarum hoc Imperatori pergratũ esse perspiciebãt, idemq; ipsum subiectis suis trãsigendũ suggesserãt, & tyrannus ipse per rescripta eorũ sententijs & decretis lubentissimè assensus erat, persecutionis flãma contra nos de integro incenditur. Statuarum igitur & simulachrorum sacerdotes, pontifices etiã, viri in reip. negocijs obeũdis eximij, & in omni ministerij genere ad deos spectantis præstabiles, & in quib. incredibile studiũ insidebat obsequij idolis præstãdi, in singulis ciuitatib. à Maximino creantur. Nã absurda Imperatoris superstitio (vt breui cõprehendam) tum magistratus, tum priuatos omnes, omnia contra nos moliri, quo illi gratificari possent, induxit: quippe pro beneficijs quæ ab illo se assecuturos sperabant, si illi, si mortem nobis inferrent, aliaq; noua & inaudita scelera aduersum nos ederent, maximè gratificaturos putauerunt.

Ruff. ca. 4.

Persecutio cõtra Christianos rursum instituta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De fictis Commentarijs contra Seruatorem nostrum.

CAPVT IIII.

Ruff. cap. 5. *De Pilato & Christo fabulæ passim sparsæ.*

PIlati præterea & Seruatoris nostri rerum gestarum tanquam commentarios quosdam, omni blasphemia & conuicio contra Christū refertos confinxerunt: quos de sententia Imperatoris in totum regnum, quod eius ditioni parebat, mittunt: perq; literas iubent, vt in quibusq; locis, agris & ciuitatibus hi palàm omnibus exponerentur, & ludimagistri pro alijs disciplinis pueros in hisce sedulò exercerēt, hosq; illis memoriæ mandandos traderent. Quibus ad hūc modum confectis, alius dux exercituum apud Damascum Phœniciæ, mulierculas quasdam infames impurasq; è medio foro arripit, illisq; adeò grauia se tormenta inflicturum interminatur, vti eas asseueranter dicere cogat, cùm quòd olim fuissent Christianæ, tū quòd nefandi sceleris cum Christianis consciæ extitissent: tum quòd in suis ipsorum templis, quæ Græci Dominica vocant, res obscœnas & libidinosas gessissent: & alia etiam, quæ eas in nostræ religionis reprehensionem & ignominiam falso effutire voluit. Quarum voces in commentarios relatas, Imperatori etiam ostendendas curauit. Cuius iussu in singulis vrbibus, locisque hæc scripta diuulgantur.

Huc refert Nicephor. ca. 26. lib. 7. Ité Euseb. cap. 9. lib. 9. præpar. vbi hoc cõmentum refellitur.

Damasceni Dicis scelestum facinus.

Meretrices contra Christianos mẽdacia.

De ijs qui eodem tempore Martyrium subierunt. CAP. V.

Ruff. ca. 6. *a Quanquã hi martyres antea in octauo Libro cap. 25. ab Eusebio inter reliquos martyres numerati sunt, propterea quòd ei erat propositũ in eo libro omnia martyria recensere: tamẽ intelligendum est, eos sub Tonio Maximino mortem oppetiuisse.*

VErùm dux iste non longo temporis interuallo interposito, sibijpsi manus graues inferens, debitum suæ improbitatis supplicium luit. In nos autem denuò exilia & crudeles persecutiones commouentur, acerbi præfectorum singulas prouincias obtinentium, contra nos tumultus rursus cientur: vsq; adeò, vti nonnulli ex his qui in verbi Dei propagatione multum pollebant, ex improuiso comprehensi, sententiam mortis ineuitabilem exciperent.[a] Quorũ tres, qui se Christianos liberè confitebantur, Emisæ vrbis Phœniciæ bestijs membratim discerpendos objiciunt: quorum vnus [b] Siluanus episcopus, ætate planè grandis & proiectus, qui ecclesiæ ministerium non minus quadraginta annis obijsset. Peridem tempus [c] Petrus, qui ecclesiæ Alexãdriæ maxima cum dignitate præfuerat, quiq; præter cæteros sanctos & diuinos episcopos, cùm virtutis causa, quæ in eius vita elucebat, tum studij & vigiliarum, quas in Sacras literas contulerat, propè miraculum extitit, nulla de causa culpáue, cum minimè expectabat, arreptus subitò, ita vt erat, ex Maximini mandato iustè capite plectitur. Alijque complures qui in Aegypto erant episcopi, idem cum illo supplicij genus perpessi sunt.[d] Lucianus itẽ, ecclesiæ Antiochenæ presbyter, vir cum alijs rebus omnibus facilè primus, tum continẽtia eximius, tum in sacris disciplinis diu multumq; exercitatus, ad ciuitatem Nicomedensium, in qua tum Imperator commoratus est, deductus, cùm coram vrbis præfecto Apologiam pro Christi doctrina, cuius patrocinium susceperat, recitasset, in carcerem coniectus est, ibiq; trucidatus.* Tot mala, & tam grauia, breui temporis spacio à Maximino, virtutis & honestatis aduersario, contra nos comparata erant: adeò vt hæc posterior persecutio id temporis excitata, multo acerbior, quàm prior, nobis videretur.

Huc refert Nicephor. ca. 27. lib. 7. Coniungit his maioribus adhuc confimilia tractatum supra lib. 4. cap. 4. in B

b Siluanus episcopus bestijs obiectus.

c Petrus Alexand. episcopus.

d Ruff. ca. 7. de Lucianus Antioch. episc. in carcere necatus.

De Edicto contra nos columnis affixo. CAP. VI.

Huc refert Nicephor. ca. 27. lib. 7.

Decreta diuersa contra Christianos. Scripta aduersus Christianos conficta pueris discẽda inculcantur in scholis.

IN medijs porrò ciuitatibus (quod nunquam aliàs contigerat) cùm vrbis cuiusque contra nos decreta, tum ipsius Imperatoris præterea rescripta, in columellas æneas incisa eriguntur. Pueri quoque in ludis literarijs, Iesum & Pilatum, commentariosque ad Christi contumeliam confictos, in ore & sermone quotidie habuerunt. Atque hoc loco mihi necessarium videtur, illud ipsum Maximini rescriptum in columellis æneis palàm propositum, citare, quò pariter & insolens ac superba viri, impietatis odijque in Deum peruicacia, & diuina vltio quæ eum breui pòst infectabatur, quæque ob nequitiæ odium, quo tenetur, & ad impios puniendos assiduè & vigilanter incumbit, manifestò appareat: qua quidem impulsus, non longo tempore pòst contraria de nobis cõsilia inijt, & legibus scriptis sanciuit eadem, stabiliuitque. Sed primum rescriptum totidem verbis explicatum, ad hunc modum se habet.

Exemplar

Exemplar rescripti Maximini, ad ciuitatum decreta contra nos sancita respondẽtis, ex columna ænea Tyri desumpti.

Maximini rescriptum contra Christianos plenum dolo.

Quoniam omnis erroris caligo, & tanquam nebula, (quæ quidem antehac hominũ non tam impietate imbutorum, quàm insciti a miserè cæcutientium, sensus pernicios is ignorationis tenebris inuolutos obsederat) penitùs discussa est, & dissipata: imbecilla humanæ mentis vis iam tandem facilè perspicere potest, se benigna deorum immortalium prouidentia solùm & gubernatam esse, & corroboratam. Atq; res est dictu propè incredibilis, quàm gratum, quàm iucundum & acceptum nobis fuerit, quòd tam insigne & clarum vestri pij erga deos instituti specimen edideritis. Quinetiã ante hoc tempus nemini obscurum erat, qua obseruantia, quo cultu erga deos immortales vti consueueritis: quibus vestra fides non nudis solum & inanibus verbis, sed continuis, & admirabilibus rebus gestis satis cognita est, & perspecta. Quapropter vestra ciuitas meritò quidem & optimo iure deorum immortalium sedes & domicilium nuncupetur. Multis enim exemplis liquet eam deorum cœlestium præsentia perpetuò floruisse. Ecce ergo, vestra ciuitas, omnibus illis rebus quæ ad eius commodum interesse videbantur, neglectis, & petitionibus, quibus pro suo ipsius statu vti solebat, penitùs omissis, quando denuò execrabilis Christianismi inanitatis† professores ac duces velut incendium, consopitum illud quidem, spretum tamen (quod facibus reuiuiscentibus maximas flãmas & ardores rursus ex se fundit) incipere longius serpere senserat, protinus absq; mora ad nostram religiosam maiestatem, tanquam ad cuiusq; cultus & pietatis magistram ac patronam confugit, & ab ea remedium & auxilium supplex efflagitauit. quam quidẽ salutarem cogitationem, propter constantem in vestra religione tuenda fidem, deos animis vestris iniecisse perspicuum est. Ille namq;, ille inquam altissimus & maximus Iupiter, qui vestræ vrbis splendori & amplitudini præsidet, qui vestros deos patrios, vxores, liberos, lares & domos, ab omni pestifera ac lethali internecione liberat, in vestris mentibus hoc salutare consilium insecit? aperteq; ostendit indicauitq;, quàm eximiũ, quàm magnificum, quàm salubre sit, debita cum veneratione deorum immortaliũ religioni & sacro sancto cultui diligenter attendere. Quis enim tam amẽs, tamq; ab omni ratione alienus reperiri poterit, qui non animaduertat clementi deorum in homines studio factum esse, vt neq; terra semina sibi mandata cum fœnore reddere deneget, neq; agricolarum spem inani expectatione fallat: neq; rursum impius Mars tam horridus absq; impedimento in terra vigeat & roboretur: neq; æquabili cœli temperatione perturbata, corpora peste infecta ægraq;, celeriter ad mortem rapiantur: neq; mare rigidis immoderatorum ventorum flatibus agitatum turgescat: neq; repentinæ procellæ & abruptæ naufragã & periculosam tempestatem excitẽt: neq; terra præterea, quæ est omnium nutrix & parens, ab imis quasi visceribus graui cũ trepidatione dehiscat: neq; montes eius radicibus nixi, ingenti hiatu patefacto deglutiantur: quæ quidem mala omnia, hisque multo grauiora, nemo est qui ignoret, ante hoc tempus sæpenumero obtigisse. Atq; ista vniuersa acciderunt ob pernicios um illum & vanum errorem hominum nequã & improborum, Christianorum videlicet errorem: qui quidẽ cum in eorum animos illabe-
retur, vniuersum (propè dixerim) orbem terrarum confusione quadam oppressit. Quibus paulò pòst subiungit: Cõuertant iam oculos ad camporum planiciem longè lateq; patentem: considerent lætas & florentes segetes, spicarum vbertate redundantes: prata intueantur propter fœcundos & moderatos imbres, herbis & floribus splendescentia, aëris temperationem animaduertant, quàm æquabilis & quàm amœna sit. De reliquo omnes perfundantur lætitia, quòd per vestram religionem, sacras victimas & honorẽ dijs adhibitum, vis & impetus potentissimi robustissimiq; Martis placatus sit: & pro-
pterea placidissima pace constanter & cũ securitate ac quiete sese oblectent: & quicunq; cæco illo Christianismi errore, & tanquam itinere deuio decedentes ad rectam & præclaram mentẽ redierunt, multò magis lætentur animo, perinde ac si ex tempestate improuisa, aut morbo graui erepti fuerint, & in posterũ iucũdissimis vitæ commodis cum voluptate fruantur. Quod si qui ex illis sint qui in detestabili illa inanitate & insciti a obstinatè persistant, longo locorum interuallo à vestra vrbe, & agris eam vndiq; ambientibus (sicuti à nobis postulastis) segregati, in exilium ejciantur, vt vestra ciuitas secundum consentaneam vestri studij in hac causa positi rationẽ, ita omni erroris labe & impietate liberata, cum debito cultu, sicut in eius voluntate naturaliter insitum est, augustæ deorum immortalium veneration i & obsequio se totam tradat. Vt igitur intelligatis, quàm grata nobis fuerit vestra in hac re petitio: animus noster, qui est ad gratificandum paratissimus, absq; decretis, absq; postulatione, vestris religiosis mentibus liberam cuiuscunq; beneficij & magnifici muneris pro isto vestro diuino proposito petendi fa-

† Vide annot pag. 202. lat. 1. lin. 33.

Iuppiter Tyriorum Præses.

Christianos decernit exterminandos.

Deloue Xenio in. telleadum hoc est, vnde apud Virgilium Tyria Dido ait,

Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)

Hunelæũ Tyriisque

Huius meminisse nepotes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cit potestatem. Iam ergo hoc petite, vt sitis voti compotes. Nam absque mora ipsum A consequemini. Quod quidem vestræ ciuitati donatum, cum vestræ singularis in deos "
immortales pietatis & religionis, in perpetuũ perhibebit testimonium: tum satis perspi- "
cuè vestris filijs & posteritati declarabit, vos huius vestri pij instituti causa, digna præmia "
à nostra benignitate cõsecutos.* Hæc igitur in columellis, & tabulis incisa, contra nos "
in singulis prouincijs diuulgata fuerũt: quæ sanè omnẽ aditum ad bene sperandũ nobis
(quantum in hominũ situm erat potestate) penitùs intercludebant: adeò vt secundum
illud diuinũ Christi oraculum, etiã electi si potuissent fieri, his de rebus offendiculo im-
pegissent. Verùm quanquã auxilij expectatio, quæ in multorum animis insederat, penè
sublata erat, & extincta: tamen propè ex inopinato inter vias, dum ministri huius edicti
contra nos promulgati, iter in nonnullis regionibus faciebant, Deus, qui est suæ Eccle-
siæ constans propugnator, arrogante tyranni contra nos ostẽtatione penè refrenata &
compressa, suum cœleste præsidium nobis benignus præstitit. Imbres igitur & pluuia,
quæ hyberno tempore fieri consueuerant, solitam suam terræ irrigandæ consuetudinẽ
intermiserunt. Vnde fames præter omniũ expectationem passim grassari, & pestis de-
inceps oberrare cœpit. Morbi etiam cuiusdam noui & peregrini (exulceratio quædam
erat, quæ æstus & feruoris gratia, proprio nomine anthrax, id est carbũculus appellatur)
grauis & violenta impressio: qui per vniuersum corpus pererrans, mortifera his qui eo
perturbabantur, iniecit pericula. Quin etiã, quoniam in oculis potissimùm eius insede-
bat cruciatus, infinitos ferè viros cum coniugibus & liberis cœcos reddidit. Ijsdem tem-
poribus bellum à tyranno contra Armenios concitatur, viros iam vsq; ab antiquis se-
culis cum Romanis amicitia & societate coniunctos: quos quidem, quoniam Christi-
ani erant, & veram in Deum pietatem magno studio & diligentia colebant, iste Deo in-
festus tyrannus ad hostias idolis & dæmonibus immolandas cogere conatus, inimicos
pro amicis, & hostes pro socijs effecit. Ista cum repentè omnia in idem tempus concur-
rerent, arrogantem audaciam & temerariam contra Deum iactationem tyranni, qui
obseruantiæ suæ in idola collatæ, & obsidionis contra nos susceptæ causa nec famem,
nec pestem, nec bellum denique suis temporibus accidisse fuisset insolenter gloriatus, B
perspicuè coarguerunt.

Ruff. ca. 8.

Matth. 24.

Apparet ex machina Deus.

Maximini audacia in Christianos, retusa. 1. Tempestate. 2. Fame, 3. Peste, 4. Inusitato morbo. 5. Bello in Armenios.

De ijs quæ postea tempore famis, pestis & belli contigerunt.

CAPVT VII.

Maximini infelix successus belli Armeniaci. Fames & annonæ caritas mira. Drachma Attica est monetæ Anglicæ grossus vnus, antiqui numismatis. Famis inumerabilia consequentia mala.

Hæc igitur mala, quæ pariter in eundem temporis articulum incidebant, Huc refert Nicephor. ca. 28. lib. 7.
tyranni calamitosi exitus, tanquã prooemia quædam cõplexa sunt. Vt ille
in bello contra Armenios administrato, vnà cũ exercitu grauẽ cladem ac-
cepit: ita cæteri, qui ciuitates eius imperiõ parẽtes incolebãt, fuerunt fame
simul & peste acerbè afflictati: vsq; eò, vti pro vna tritici mensura bis mille
& quingentas drachmas Atticas persoluerẽt. Infiniti ergo in singulis ciuitatib. mortui
sunt: cõplures etiam in agris & vicis extincti, vt iã parum abesset, quin colonorũ census
qui iamdudũ innumerabiles esse solebãt, penitùs deficerent: propterea quòd de repentè
ferè omnes iã inedia, alimenti penuria, & pestifero morbo interijssent. Nõnulli vel pro
minima cibi particula, res sibi charissimas locupletioribus vendiderũt. Alij suis pessessi-
onib[o] pedetentim diuenditis, ad extremã egestatem tandẽ deuenerunt. Iam verò non
pauci exigua fœni segmẽta confecêre dentibus: & absq; delectu herbas quasdã pestiferas
ac lethales, & ea quæ corporis habitum labefactant, deuorãtes, miserè periêre. Quinetiã
mulieres quædã nobiles in singulis ciuitatibus, ad tã importunã impudentemq; necessi-
tatẽ erant præ indigentia detrusæ, vt in forum & plateas publicas mendicatũ prodirent:
quæ quidem verecundo vultus sui pudore, & exquisita vestitus elegantia euidens suæ
liberalis lautæq; obsoniorum affluentiæ indicium, qua antea abundauerant, perspicuè
declararunt. Alij pleriq; homines erant, qui tanquã simulacra mortua, macie tabefac-
ti, huc illucq; agitati, † concussiq;, & animo planè deficientes, præ virium imbecillitate † Vide an-
not. pag.
103. lat. in
lin. 25.
in medijs conciderunt plateis: & proni in terra extensi, sibi paruum frustum panis por-
rigi suppliciter poposcerunt. Et cùm vitæ extremum spiritum essent iã edituri, se fame
confici clamarunt, & ad hanc vocem acerbissimam solam fundendam satis habuisse vi-
rium visi sunt. Multi qui ditiores videbantur, præ mendicantium turba obstupefacti,
post infinitas facultates in egentes collatas, deinceps in duram quandam & inflexibilem
animi affectionem propterea venerunt, quòd eandem penè calamitatem cum mendicis
se breui perpessuros expectabant. Quare iã in medio foro, plateis & angiportis mortua &
nuda corpora proiecta, multorũ dierum spacio insepulta, miserandũ spectaculũ oculis
intuentiũ exhibuerunt. Iam verò nonnulli extincti, canum laniatus & præda facti sunt.

Ob quã

Canes interfecti, ne vt mortuos ita etiam viuos homines deuorarẽt.

A Ob quã causam, qui adhuc erant superstites, ad canes interimendos se conuerterunt, ti-
more quodã perculsi, ne insana rabie furentes, homines etiã viuos deuorarent. Pestis aũt
omnes domos integras & familias penitus depascebatur: & eos vel maximè, quos fames
propter alimentorũ affluentiã, qua fruebantur, consumere & conficere non poterat.
Magistratus & præfecti, alijq; propè infiniti, qui cum potestate & imperio erãt, omniũ-
que rerum copia circũfluebant, perinde ac si fames quasi de industria eos missos fecisset,
vt peste interirent, acerbissimã mortem & maximè repentinã sustinuerunt. Omnia igi-
tur loca, angiportus, forum, plateæ, lachrymis, mœrore & planctu redundabant. Neque
aliud quicquã spectare licebat, quã miserabiles fletus, quos pro tibiarum cantu & stre-
pitu ipsis in more posito ediderunt. Quocirca mors his duobus telis (quæ suprà dixi) pe-
ste videlicet & fame, hoc modo bellũ gerens, vniuersas familias breui tẽporis spacio ab-
sumpsit & depasta est: adeò vt iam planè cõspicari licuisset, duo aut tria mortuorũ cor-
pora ex vnis ædib. pariter ad sepulturã elata. Arrogantis tyranni Maximini ostentatio-
nis, & decretorũ per singulas ciuitates contra nos sancitorum tale præmium ac merces
fuit. Quo quidẽ tempore clara singularis Christianorum erga quemq; & studij & pij a-
nimi indicia apud oẽs increbuerunt. Nam hi soli in tanto malorum cumulo suis rectè
factis & pijs officijs misericordiã declarabant, & benignitatem: quorũ alij in dies singu-
los mortuorum funerib. & sepulturæ (infiniti enim erant, quibus sepeliendis nemo cu-
ram adhibuit) diligentẽ nauarunt operam: alij multitudine eorum qui per totã ciuita-
tem fame vrgebantur, in vnum coacta, omnib. panes dispertierũt: vsq; adeò, vt hoc pre-
clarum facinus per omnes homines constanti fama & magna celebritate peruaderet, &
singuli Christianorum Deum gloria & laude prædicarent, eosq; solos & veros Dei cul-
tores re & factis cõprobatos faterentur. Pro quib. rebus ad hunc modum cõfectis, ma-
gnus ille & cælestis Christianorum propugnator Deus, simul atq; his calamitatib. quas
supra commemorauimus, in omnes infideles pro maleficijs quæ præter æquum in nos
admisissent, terrorem suum & indignationem palàm ostenderat, clementem & eximiũ
suæ de nobis prouidentiæ splendorem de integro aduersum nos effudit: nobisque, tan-
B quam in profunda tenebrarum caligine constitutis, mirandum in modum præclarum
pacis suæ lumen cœlitùs demisit: & omnibus planum fecit, se Deum esse, qui nostra-
rum rerum semper diligentem rationem ducit, qui populum suũ castigat: qui rebus af-
flictis, cũ tempus postulat, eum coercet: qui rursus, vbi suos disciplina & correctione sa-
tis affixerit, se propitium & beneuolum, his qui in eo spem ponũt, manifestò declarat.

Mortis duo tela, pestis & fames.

Christianorũ in publica calamitate pietas declarata.

Christianis apparent tandem lætiora.

De vitæ exitu Tyrannorum & quæ verba ante mortem suã habuerunt. CAP. VIII.

Huc refer Nicephor. ca. 39. lib. 7. Vide supra Euseb. lib. 8. ca. 26. & hoc lib. cap. 9. † Vide annot. pag. 104. lat. 2. lin. 37.

Ruff. c. 19. *Maxentius à Constantino victus.*

Constantinus igitur (quem Imperatorem ex Imperatore, & religiosum
ex religiosissimo patre, & omnino modestissimo satum, suprà dixi-
mus) Dei omnium rerum opificis & Seruatoris nostri impulsu contra
improbissimos tyrannos excitatus, bello iure & legitimè indicto suf-
ceptoque, Deo opem ferente, Maxentium Romæ mirandum in mo-
dum deuicit, [a] Maximinus item Oriẽtis tyrannus non longo tempore
post Maxentij occasum in vita manẽs, ab imperatore [b] Licinio nondũ
insaniente, † in bello turpissimè superatus fuit: & propterea tandẽ mœrore confectus
occubuit. [c] Constantinus autem Imperij honore & gradu summus, antea Romano-
rum, qui tyrannide opprimebantur, admodum misertus, Deum cæli, verbumque
eius, omnium seruatorem Iesum Christum auxilio sibi fore precibus obnixè obtesta-
tus, perrexit ire cum toto exercitu, quo Romanis libertatem ex maioribus illis tradi-
tus, perrexit ire cum toto exercitu, quo Romanis libertatem ex maioribus illis tradi-
tam, iamque amissam recuperaret. [d] Maxentius ergo magicarum præstigiarum machi-
nis potius, quàm subiectorum beneuolentia fretus, extra portas ciuitatis minimè egre-
di ausus est. Et quanquam innumerabili armatorum multitudine, & infinitis copijs,
turmisque, omnem locum, agrum & ciuitatem, quæcunque vel circa vrbem Ro-
mam, vel intra totius Italiæ ambitum ipsi inseruiebant, muniuerat: tamen Constanti-
nus imperator Dei præsidio nixus, primam, secundam & tertiam aciem tyranni ex
aduerso instructam adortus, perfacilè omnes cœpit, subiugauitque: & adeò magnam
Italiæ partem iam peragrarat, vti quàm proximè Romam accesserit. Deinde, ne,
dum tyrannum obsideret, ipsos etiam Romanos oppugnare cogeretur: Deus tanquam
catenis quibusdam tyrannum ex vrbe extraxit, & longo interuallo à portis constituit:
& opera sua iã olim cõtra impios edita, inq; sacris libris tanquã in tabulis inscripta (quæ
quãuis fabulæ loco apud plerosq; habeantur, fideq; careant, fidelib. tamen pro certo cre-
duntur) reipsa omnibus (vt comprehendam breui) tam infidelibus quàm fidelibus, qui
has res gestas tam admirabiles oculis aspexerint, vera esse confirmauit. Quẽadmodum

Ex vitæ quædam verba in conuertendo adiecimus, quo historia & verè perspicueq; explicetur, & ipsa sibi cõsentiat.

Nam Maximinus non in bello occubuit vt verba Græca præ se ferunt, sed postea domi grauí morbo mortem oppetijt.

b Licinius furore nondum correptus.

c Constantini contra Maxentiũ bellũ solo pietatis zelo susceptũ.

d Maxentius magicis præstigijs additus.

Exod. 15.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maxentij interitus Pharaonis cladi similis.

enim ipsius Moysis & antiquorum ac piorum Hebræorũ temporibus Deus Pharaonis currus & eius copias deiecit in altũ, & delectos ascensores satellitesq; regios in mari rubro demersit, vndisque obruit: sic Maxentius, quiq; cum eo erant armati & stipatores, in altum Tyberis gurgitem, tanquã lapis, præcipites deciderunt. Nã tyrannus, cum Dei virtute Constantino opẽ ferente, terga dedisset, & in ipsa fuga fluuium exaduerso obiectum (in quo lintribus iunctis, & ponte artificiose fabricato machinã ad suam ipsius internecionẽ constructo erat: vnde illud verè in eum dici potest, Lacũ aperuit, & effodit eum, & incidet in fouea quã fecit: conuertetur labor eius in caput ipsius, & in verticẽ ipsius iniquitas eius descender) traijcere cœpisset, pontis in fluuio iunctione & compage dissoluta, transitus subsidit, ruitque, & derepentè lintres cũ ipsis viris in profundum labuntur: ipseque sceleratissimus tyrannus, primus omnium in amnẽ præceps cadit, deinde satellites eius (sicut diuina loquuntur oracula) veluti plumbum in rapidũ aquæ gurgitem descẽderunt. vti Constantinus cum suo exercitu ope diuina victoriã adeptus, meritò quidẽ, licet non verbis, re tamen, similiter cũ Israelitis, & egregio Dei famulo Moyse, eadem quæ illi olim contra impium tyrannum Pharaonem, canere, & cum Maria sorore Moysis hoc modo dicere potuisset: Cantemus Domino: gloriose enim magnificatus est: equũ & ascensorẽ deiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi ad salutem. Et rursus: Quis similis tibi in dijs Domine? quis similis tibi? gloriosus in sanctis, admirabilis & præclarè faciens prodigia. Ista igitur verba, aliaq; his germana ac similia, Constantinus, ad Dei summi ducis & victoriæ authoris laudẽ celebrandam, rebus suis gestis pulchrè exprimens, Romam cum triumpho & celebri pompa ingreditur. Ibi tum omnes cateruatim, cum tenellis pueris & mulieribus, tam qui erant ex ordine Senatorio, quàm qui alio honore præstabant, cum vniuerso populo Romano læto oculorum obtutu, lubentibus animis, faustis acclamationibus, & insatiabili gaudio, eum tanquã liberatorem, patriæ conseruatorem, & patronum benignissimum exceperunt. At ille, vtpote pietate in Deum tanquam naturaliter menti illius insita imbutus, non omnino clamore illo & applausu populari commotus, non laudum elatus præconio, sed subsidijs à Deo allati admodum conscius, confestim passionis Seruatoris trophæũ in manu propriæ suæ statuæ & imaginis collocari mandat. Atque vt primũ eius effigiem, salutare signum crucis dextra tenentẽ in celeberrimo loco totius vrbis posuerant, eã inscripti one in basi Latinis literis insculpta præcipit insigniri, quæ hæc verba complexa est:

Psal. 7.

Psal. 7.

Constantini de Maxentio triumphus.

Canticum victoriæ & solarij Exod. 15.

Constantini trophæum.

A

B

HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, NOSTRAM CIVITATEM TYRANNI IVGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

Licinius imperij cũ Constantino particeps.

His de rebus Constantinus, & Licinius etiam Imperij cum illo particeps (qui nõdum in insaniam inciderat, qua postea mente auersa correptus est) Deum omnium bonorũ quæ ipsis obtigerant, authorem ambo collaudant, & vno consilio animorumque consensu legẽ pro Christianis absolutissimã accuratissimamque conscribunt. Ac incredibiles Dei in eos res gestas, & victoriam contra tyrannum Maxentium habitã, ipsamque legem ad Maximinum, qui tum gentes in Oriente gubernabat, quique amicitiã & beneuolentiã erga ipsos gerere præ se ferebat, mittunt. Iste, his de rebus certior factus, primũ, vtpote tyrannus, immensum animo dolorem cœpit: verùm postea, quãquam aliorum imperio cedere videri nolebat, neque mandatum eorum diuulgare: metu tamen iubẽtium perterritus, hanc primam pro Christianis epistolam tanquam sua authoritate compositam, præfectis suæ ditionis necessariò perscribit: & in ea quæ ab ipso nunquam fuerant hactenus factitata, commenticia ratione contra se ipse confingit.

Licinij historiã amplius vide infra lib. cap. 5. & de vita Constant. lib. 1. ca. 4. 42. 43. 44. 46. 47. 48. li. 2 ca. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 11. 15. 16. 17. & Socrat. lib. 1. ca. 1. 2. Soz. lib. 1. cap. 7.

Vultus Maximini.

Exemplar Epistolæ tyranni Maximini.

IOVIVS MAXIMINVS AVGVSTVS SABINO S.

Vide supra ca. 1. huius li. & li. 8. cap. 29. & huius lib. infra ca. 6. 7.

Maximini epistola ad Sabinũ pro Christianis simulato animo missa.

Cùm apud tuã grauitatẽ, tum apud oẽs homines satis increbuisse arbitror, dominos & patres nostros Imperatores, Diocletianũ & Maximianũ, quãdo oẽs ferè homines relicto deorum cultu, se cũ Christianorum gente cõmiscuisse cõiunxisseq; intellexerãt, rectè sanè mandasse, vt cuncti q à deorũ suorum immortaliũ religione recessissent, aperta animaduersione & supplicio ad eorũ venerationẽ denuò reuocarentur. Verũ cùm ego fœlici quodã & prospero casu in Orientẽ primùm aduentarem, & cõplures homines qui Reip. prodesse possent, à iudicib. ob eã causam, quàm modò posuimus, in loca quædam extranea relegatos animaduerterẽ, cuiq; iudici mandata dedi, vt nemo illorum de reliquo in homines prouinciales crudeliter animaduerteret, sed blãda assentatione potius, adhortationeq; beneuola, ad deorũ religionem eos reducere conaretur. Id temporis igitur, dum iussa cõuenienter & appositè à iudicib. iuxta mandatum meum obseruabãtur,

A tur, neminem ex partib. versus Orientẽ, vel missum in exilium, vel cõtumelia affectum „ cõtigit: imò verò etiã quia humanius cũ illis agebatur, facilius ad deorum cultum se re„ ceperunt. Postea, cùm anno præterito prospero itinere Nicomediã proficiscerer, ibique „ cõmorarer, ciues eius ciuitatis simul cum deorum statuis ad me veniunt, maioremq; in „ modum cõtendunt, vt Christiana gens nullo modo in ipsorũ patria habitare permitte„ retur. Cæterũ simulatq; complures eius regionis viros in illis partib. domicilia sua ha„ bere perspexerã, sic illis responsum dedi: eorum petitionẽ mihi pergratã esse, sed me nõ „ intellexisse illud idẽ ab omnib. postulari. Quod si qui essent q in illa superstitione per„ stare vellent, ita cuiq; pro suo arbitratu in instituto proprio persistẽdi libertatẽ permisi: „ & si sponte sua etiã deorum religionẽ amplexari in animũ inducerent, non equidẽ infi„ ciatus sum. Et sicut benignum responsum Nicomediẽ ciuib. dedi: sic cęteris ciuitatibus, „ quæ adeò enixè idẽ à me contendissent, nempe vt nullus Christianus eorũ ciuitates in„ coleret, necesse habui humanitùs respõdere: propterea quòd idẽ istud cũ antiqui Impe„ ratores omnes obseruassent, tum ipsis dijs, quorum prouidentia oẽs homines, omnesq; „ Resp. gubernantur, visum esset, vt eiusmodi petitionem, quam pro religione & cultu „ diuini eorum numinis ad me retulerant, lubens admitterem. Quapropter licet tuæ in„ primis æquitati ante hoc tempus à me per literas significatum sit, perq; mandata simili† Videan- ter imperatum, vt iudices contra prouinciales, qui Christianam gentem apud se retinenot. 105. re & incolumes seruare nitantur, † nihil acriter & acerbè statuant, sed toleranter & plalat. 1. lin. 7. „ cidè eos ferant: tamen ne vel à beneficiarijs, vel ab alijs quibuscunq; contumelias, iniu„ rias, aut molestas perturbationes pati cogantur: his etiam literis tuam animi magnitu„ dinem & grauitatem admonere consentaneum putaui, vt leni potius sermone, & co„ hortatione benigna, nostros prouinciales ad deorum curam ac religionem agnoscendã „ impellas. Vnde si quis sua quadam animi inductione deorum cultum agnoscendum „ existimet, hunc libenter admittere conuenit: sin nõnulli suam propriam religionẽ se„ qui velint, eorum arbitrio & potestati liberum relinquas velim. Quocirca tua æquitas, „ quod tibi concreditum est, sedulò obseruare debet: & nemini facultas permittatur, pro „ uinciales nostros contumelia vel molestia diuexandi: quandoquidẽ, vt suprà scripsi, li„ berali admonitione potius, & blanda sermonis suauitate eos ad deorum venerationem „ & obseruantiã reuocare par est. Atq;, quo ipsum nostrum mandatum in cognitionem B omnium nostrorum prouincialiũ veniat, edicto abs te edito, quod imperatum est, di„ uulgare debes. Vt primũ ista Maximinus necessitate coactus, non sua adductus voluntate, iusserat: deinceps propter veteratoriã & falsò ementitam sententiam, quam antea post parem nobis concessam libertatem ostendisset, apud nonnullos nec verus, nec fidignus habitus est. Idcirco nemo nostrùm aut conuentus cogere, aut se in aperto & in oculos omnium collocare audebat. Nam in eius literis de hac re nulla facta est mentio: sed illud solum in ipsis mandabatur, ne quisquã nobis quicquã faceſſeret negocij: conuentus autẽ agere, templa exædificare, vel aliud quippiam eorum quæ nobis in more posita sunt, transigere, eius literæ neutiquam permiserunt. Et quanquam pacis & pietatis authores Constantinus & Licinius ad eum literas dederant, vt nobis hæc omnia peragendi liberam faceret potestatem, & omnibus suis subiectis per leges & decreta idem concesserant: tamen sceleratissimus ille, si non diuina vltione eò detrusus fuisset, & ad extremum inuito animo ad idem largiendum compulsus, nunquam ei assentiri in animum induxisset. Eius autem rei eiusmodi causa fuit. Cùm magnitudinem Imperij ei non pro dignitate (indignissimus enim erat) commissi, amplius rectè ferre non posset, sed propter vacuitatem modestiæ, Imperatoris animum mirè exornantis, ineptè res suscipere aggressus fuisset, & omni insolenti arrogantiæ ostentatione animum temerè & inconsideratè extulisset, iam contra Imperij consortes, qui ipsi omnibus rebus, vt genere, eruditione, dignitate, prudentia, & (quod caput est omnium) moderatione animi sinceraque in verum Deum pietate præstabant: confidenti mente facinus audax instituit, ac se summum honoris gradum inter eos tenere prædicauit: atq; adeò ad tantã tamque insanã processit dementiam, vt amicitiæ fœdere, quod pactus fuisset cum Licinio, rupto violatoq;, bellum crudele cõtra ius fasq; omne excitaretur. Tum exiguo temporis momẽto omnia seditione permiscere, omnes ciuitates perturbare cœpit: exercitum ex hominibus multitudine infinitis cogere: acie contra Licinium instructa ad dimicandũ exire: dęmonũ fiducia, quos ipse deos putabat, cõstanter niti, & innumerabilib. armatorum copijs arroganter se iactitare. Ac cùm ad manus vẽtum esset, clemẽti Dei obtutu fuit & prouidẽtia prorsus destitutus, victoriaq; ex ipso vno & solo omniũ Deo Licinio donata. Primũ ergo turba illa armatorũ, qua tãtopere cõfisus fuerat, miserè perijt: & vbi satellites eum nudatum desertumq; reliquerãt, & ad Licinium victorẽ se contulerant,

Que acta cũ Nicomedien. fibus.

Christiani edictis Maximini non habent fidem.

Origo belli inter Maximinum & Licinios.

Imperatoris animum modestia vel maxime ornari.

Maximini cõtra Licinium bellum.

infelix

Universidad de Deusto
Biblioteca

infelix ille regiũ apparatum, ipsi certè parum decorũ & cõsentaneũ, quã celerrimè exu- A it: animoq; timido, abiecto, effœminatoq; in plebeiorum multitudinem clanculum irrepsit. Deinde fugã cepit, & ruri inter vicos se abdidit: & dum ad hunc modũ vitæ suæ saluti & incolumitati prospiciebat, ægrè hostiũ manus euitauit. In quo planè diuina ora- "
Maximinus turpiter succumbit. cula, certa veraq; reipsa demõstrauit, in quib. dictum est: Nõ saluatur rex per multã vir- "
tutẽ, & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutẽ, in abun- "
dantia aũt virtutis suæ nõ saluabitur. Ecce oculi Domini super metuẽtes eum, & in eis "
q sperãt super misericordia eius: vt eruat à morte animas eorũ. Sic igitur tyrannus totus "
ignominia & dedecore perfusus, vbi in sui imperij partes regressus fuit, primũ furiosa bi- Vide Nicephor. li. 7. cap. 36.
Maximinus in suos sacerdotes & magos sæuit moriturus, & suam iniquitatẽ agnoscit. le inflammatus, multos sacerdotes ac prophetas deorum (quos iampridẽ ipse in summa habuerat admiratione, & quorum oraculis impulsus bellum susceperat) tanquã præstigiatores, veteratores, deniq; salutis ipsius proditores trucidat. Deinde Christianorum Deo gloriã tribuens, legem pro eorum libertate accuratissimè plenissimeq; cõstituit: & extemplò lethali angore excruciatus, absque vlla temporis dilatione decessit è vita. Lex autem eius subiectis pro Christianis promulgata talis fuit.

Exemplar legis siue decreti à tyranno pro Christianis editi.

IMPERATOR CAESAR. CAIVS, VALERIVS, MAXIMINVS, GERMANICVS, SARMATICVS, PIVS, *Fortunatus, Inuictus, Augustus, Suis S.*

Maximini tyranni paulò pòst morituri pro Christianis decretũ. Simulat studiũ erga subditos. Prouincialium nostrorũ vtilitati assiduè & sine intermissione consulere nos omni Vide Nicephor. li. 7. cap. 38.
ratione decet: atq; ea illis libenter velle præstare, quibus eorum omnium emolumenta Vide locos prorectissimè constituantur, & quæ videantur ad commune eorum adiumentum & com- mo edicto supra adnotatos.
modum vel † maximè pertinere: ac quæ Reipub. præsidio conueniant, quæq; cuiusque
Repetit persecutorum edicta. menti & cogitationi grata sint, neminem ignorare, imò verò quoq; ad illud libenter se
transferre, & velut animo recurrere, & singulos homines hoc intelligere, hoc intra se
complecti, minimè obscurum esse putamus. Cũ igitur ante hoc tempus, ex eo quod pa- B
tres nostri diuinissimi Diocletianus & Maximianus mandauerant, vt Christiani à con- † Videantur pag. 105; lat. li. lin. 26.
uentibus agendis prohiberentur, multos tumultus, multasq; direptiones à publicis ma-
Fingit sibi dolere quod Christianis facultates ereptæ sint. gistratuum ministris fieri, & postea idem malum ad prouincialium nostrorum molestiam (quorũ quieti cũ primis prouidere laboramus) longius manare, eorumq; facultates dissipari & conteri perspicuè intelligeremus, literis anno præterlapso ad præfectos "
cuiusq; prouinciæ datis, decreuimus, sanciuimusq;, vt si quis in animo haberet talẽ vitæ "
consuetudinẽ, aut religionis illius obseruationẽ consectari, hunc liberè & absq; impedi- "
mento suæ ipsius sentẽtiæ & instituto posse adhærescere, & à nemine omnino impediri, "
prohiberiq;: & illis facilẽ potestatem fieri, vt absque metu aliquo aut suspicione, quod "
Culpam trãsferi in suæ crudelitatis administros. Concedit liberam nostræ fidei & professionem. cuique visum esset, id quisque transigeret. Verùm iam nos minimè præterit, iudices "
nonnullos nostra mandata pro nihilo putasse, effecisseque vt & nostri homines nõ mo "
dò de nostris edictis vehementer dubitent, verùm etiam religionis institutis, quæ ipsis "
maximè placere videntur, præ metu lentius ac tardius se accommodent. Quare vt dein- "
ceps omnis causa dubitationis & timoris sublata sit, hoc edictum diuulgari statuimus, "
quo omnibus planè constet, ex hac nostra donatione, liberam esse potestatem illis qui "
istam sectam & religionem sequi voluerint, eam pro arbitratu sanctè, vt eorũ mos fert, "
Facit copiam sacras ædes extruendi, & repetendi ædes priuatas contra ius Christianis ademptas. & augustè excolendi. Quinetiam vt dominica & sacras ædes reficiant, à nobis concessum est. Et quo nostra donatio liberalior & munificentior fiat, hoc etiam promulgan- "
dum censuimus, vt si quæ ædes, aut agri, Christianorum iuris antehac extiterint, qui ex "
patrũ nostrorum mãdato in ius fisci relati sunt, siue ex aliqua ciuitate occupati, siue ab- "
alienati per venditionem, siue pro munere alicui donati, hos omnes ad antiquũ Chri- "
stianorum ius restituantur: hocque mandauimus, vti nostram pietatem & prouiden- "
tiam inde omnes satis dilucidè animaduertant. Istæ sunt ipsius tyranni voces, quas non
anno integro post edicta contra Christianos columnis ab ipso proposita literis mãdan-
das curauit. Ac cui paulò antè, nos quidem impij, Dei osores, & totius mundi pernicies
videbamur, vsque adeò vt nec ciuitatem, nec agrum, nec solitudinem, aut locum de-
sertum incolere nobis permissum esset, ab eodẽ iam decreta & leges pro nostra liberta-
te cõscriptæ sunt. Item qui non ita pridẽ igne, ferro, bestiarũ & volucrum laniatu ante
oculos tyranni absumpti erãt, & quoduis genus pœnæ, supplicij & discessionis è vita mi-
serandũ in modũ tanquam nequã & sceleſti homines perpessi, hi iam ab eodẽ cùm cre-
duntur verã piamq; religionẽ colere, tũ dominica resarcire permittũtur. Et iura quædã
ad eos spectare, idem tyrannus testatur ac concedit. Atque eiusmodi palàm confessus,
aliquo

A aliquo saltẽ poticbatur beneficio, propterea quòd minus quã pati oportuerat, passus est, qui quidem repentina Dei percussus plaga, in secunda belli cõflictatione occubuit.* Ac talis vitæ exitus illi contigit, non qualis ducib. bellicosis, qui pro virtute, proq; amicis & familiaribus in prælio fortiter se gerẽtes, fidenti animo gloriosam mortem subierunt: quandoquidẽ ille vtpote impius & Dei aduersarius, dum ipsius exercitus passim iam in campo instructa acie versabatur, domi ipse moratus, & intra parietes se occultans, inopinato Dei flagello toto corpore percussus fuit, debitumq; pro scelerib. luit suppliciũ: sic vt grauibus dolorum stimulis, & acerbo cruciatus morsu agitatus, famisq; confectus diritate, pronus in terrã rueret. Eius etiam caro vniuersa, ardore cælitùs inuecto & haud aspectabili contabuit, adeò vt ea pedetentim exesa absumptaq;, tota pristinæ formæ effigies tandem penitus deleretur, & tanquã simulachrum quoddam ossium exiccatorũ longinquitate temporis exhaustum attenuatumq; illi solùm relinqueretur: sic vt qui præsto aderant, eius corpus nihil aliud esse existimarẽt, quàm sepulchrum animæ, quæ in eo quasi in cadauere penitus putrefacto defodiebatur. Et cũ æstus adhuc vehemẽtius cum ex intimis medullis inflammasset, ei exilierunt oculi, & è propria sede in qua conquieuerant, elapsi, eum cæcum omnino reliquerunt: deinceps ægrè spiritum ducens, Domino se confitetur, mortemq; inuocat. Ad extremum, ista propter amentiam & temeritatem contra Christum admissam, meritò se perpeti confessus, animam efflat.

Maximini interitus. *Ruff. c. 10.*
Plaga Dei in Maximinum.
Fames plegmone.
Cæcitas.
Confitetur culpam suam vltima confessione Maximinus.

De suprema hostium pietatis internecione CAPVT IX.

Hue refert Nicephor. ea. 39. li. 7.

Ie ergo cũ Maximinus (qui ex reliquis omnibus pietatis hostibus pessimus planè fuit) è medio sublatus esset, ecclesiæ, gratia Dei omnipotentis ab ipsis fundamentis denuò ædificatæ erectæq; fuerunt: & non solùm verbũ Christi suum splendorem ad gloriã Dei omnium rerũ moderatoris longè latèq; profudit, maioremq; quàm antea recuperauit libertatẽ, verùm etiam impij & nefarij pietatis hostes turpi dedecore & maxima ignominia affecti sunt. Nã primùm Maximinus ille ab ipsis Imperatorib. omnium hostis infestissimus prædicatus est, & per edicta publica tyrannus scelere & impietate planè perditissimus, infamia turpissimus, Dei maximus osor perspicuè notatus. Ex tabulis etiam & inscriptionibus, quæ e- B rant in ipsius & liberorum suorum honorẽ in singulis ciuitatibus collocatę, aliæ è sublimi in solum deiectæ cõteruntur, aliæ tanquam vultu ipso & exteriore effigie deleta, deformi & tenebricoso colore obliterantur. Statuæ etiam quæ ad eius venerationẽ & amplitudinem erigebantur, simili ratione deturbatæ confringuntur, & his qui in eas probra intorquere & cõtumeliosè insultare voluerunt, risui & ludibrio exponuntur. Deinde alijs qui pietatis in Deum inimici erant, omnes honores, omnia splẽdoris insignia prorsus adimũtur. Vniuersi porrò qui videbantur Maximini partes defendere, qui præcipuis dignitatis ornamẽtis ab eo honorati erant, quiq; quò illi magis blãdirentur, in nostrã religionem proteruè & petulanter impetũ fecerant, interfecti sunt: vt Peucetius, qui præter cæteros apud eũ in summo honore, summaq; reuerẽtia habebatur, & inter amicos illius charissimus erat, iterũ & tertiò cõsul factus, generalisq; omniũ rationum in eius imperio referendarum præfectus ab eo constitutus. vt Cultianus, qui eodem modo per omnes honoris gradus prę̃teruectus est, infinitaq; cędę Christianorũ, qui erãt in Aegypto, insigniter nobilitatus. vt alij nõ pauci, quorum conatu fines tyrannidis Maximini & roborati & propagati dicuntur. Theotecnum porrò vltio diuina, quæ in obliuionem scelerum eius contra Christianos editorum neutiquam venerat, ad eũdem numerum adiunxit. Nam quanquã propter statuam quã Antiochiæ erexerat, putabat se rem prosperè gesturum, & iam præfectura à Maximino donatus erat: tamen Licinius cùm Antiochiam aduentasset, & de præstigiatoribus habuisset quæstionem, & prophetas, ac sacerdotes statuæ nuper fabricatæ consecratos, verberibus grauiter cæcidisset, & qua ratione quibusue simulationis inuolucris illas frudulentas præstigias obtexissent, sciscitatus esset, vsque vt ipsi præ tormentorum cruciatu nullo modo amplius celare possent, totumq; mysteriũ aperuissent, & fallaciam illam techna Theotecni machinatã prodidissent, quò debitũ omnib. supplicium irrogaret, primũ ipsum Theotecnum, deinde reliquos præstigiarũ socios post multas plagas ipsis inflictas, morte mulctauit. Istis omnib. adiecti fuerunt Maximini liberi, quos iã ipse tã honoris regij, quã inscriptionum in tabulis ac picturis insculptarũ participes effecerat. Quin etiã huius tyrãni cognati & familiares, q̃ antè tã insolẽter gloriati erãt, seq; oẽs homines suę ditioni subiecisse iacti tarãt, eadem supplicia cum his quos cõmemorauimus, summa cum ignominia & turpi tudine sustinuerunt. Siquidẽ disciplinam nõ exceperant, non norant, neq; intellexerãt Sacrarum literarũ admonitionẽ, quę sic loquitur: Nolite sperare in principibus, in filijs hominum

Maximinum vltio diuina persequitur.
Eius assecłæ ignominia affecti.
Ipse hostis iudicatus Dei hominum.
Memoria eius damnata.
Obtemperantibus ei adẽpti honores.
Fautores eius & amici interfecti.
Peucetius.
Cultianus.
Theotecnus reliquiq; præstigiatores.
Maximini liberi, cognati, et familiares interfecti.

hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Sic igitur impiorum sordibus expurgatis, præclara Imperij gubernacula, firma, stabilia, omnis inuidiæ expertia, solis Constantino & Licinio iurè remanserunt. Qui quidem simulatq; infestos Dei aduersarios initio regni ex hominum vita exemerant, & Deum suarum rerum prosperè gestarum authorem lubentibus animis agnouerant, cùm studium virtutis & pietatis, tum verum cultum, & gratiarum actionem quæ Deo se debere intelligebant, per leges & decreta pro Christianis sancita manifestò declarârunt.

Psal. 144.

Constantinus Licinius Imperatores.

LIBRI NONI FINIS.

EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE

Palæstinæ, Ecclesiasticæ Historiæ Liber Decimus.

De diuina nobis procurata pace. CAPVT I.

Ruff. totũ librum decimũ intactum reliquit.

Sublatis erũnis agit Deo gratias.

Paulino dicatus hic decimus Eusebij liber, cuius hortatu & scriptus est.

Huc refer. Nicephor. ca. 40. lib. 7.

SED Deo patri omnipotenti & rerum vniuersarum regi ac gubernatori sit maxima in omnibus gratia: nec minor etiam filio seruatori ac redemptori animarum nostrarum Iesu Christo tribuatur, per quem precamur, vti pace firma & stabili perpetuò fruamur: sicque ab omnibus molestijs, cùm quæ extrinsecus importari, tum quæ in ipsa interiore cogitatione oriri solent, vacui liberiq́ue vitam degamus. Ac quoniam tuis precibus impulsi, sanctissime Paulline, hunc decimum librum historiæ Ecclesiasticæ iam opportunè illis libris qui antegressi sunt, apposuimus, tibi B hoc, quidquid est laboris, dicare, tuoque nomine in lucem edere instituimus: in quo velut fastigium toti operi imponentes, tuas laudes prædicabimus. Meritò igitur hoc loco in numero perfecto, perfectam & absolutam panegyricâ orationem ad Dei gloriam illustrandam, cuius auxilio ecclesiæ denuò ædificatæ sunt, accuratè contexemus: idq; diuino Spiritui obsecuti, hoc ferè pacto nos cohortãti: Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit. Seruauit sibi dextra eus, & brachium sanctum eius. Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Idcirco sacrosancto Dei eloquio hoc nobis canticum recolendum præcipienti, hoc nostro sermone concinnè applaudamus: idque propterea, quòd post acerbas & tristes illas ęrumnas, partim sub oculorum aspectum, partim sub audiendi sensum subiectas, tales res in præsentia cernere, tales etiam laude & præconio efferre per Dei gratiam poterimus, quales ante nostra tempora multi reuera iusti, & sancti Dei martyres cupierunt in terra videre, & non viderunt, audire & non audierunt. Verùm hi quàm celerrimo cursu sublati ad superos, res multò præstabiliores sunt consecuti, & in ipso cælo & paradiso diuinis delicijs perfruuntur. Nos autem hæc beneficia maiora, quàm nostræ vitæ conditio fert, confitentes, sicut egregiam Dei eorundẽ authoris magnificentiam obstupescimus: sic illum optimo iure totius animæ viribus colentes, sum mè celebramus: & sacras prophetæ prædictiones scriptis proditas, veras esse testificamur, in quibus dicitur: Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ. Arcũ conteret & confringet arma, & scuta cõburet igne. Pro quibus adeò euidẽter in nobis expletis, magnopere lætemur, & deinceps ad ea quæ sequuntur, pergamus. Vniuersum impiorum genus eo modo qui suprà est demonstratus, deletum & extinctum est, & ex hominum conspectu subitò ita euanuit, vt aliud Dei oraculum videatur ad exitum peruenisse, quod sic loquitur: Vidi impium superexaltatũ, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat: & quæsiui locum eius, & non est inuentus. Dies iam de cæterò serena & splendida, quam nulla nubes sua opacat vmbra, claris cælestis luminis radijs, ecclesijs Christi per vniuersum orbem effulsit. Neque gentilibus hunc nostrum insignem triumphum Deus inuidit, sed eos ex æquo nobiscum omnium bonorũ, quæ nobis ęlitùs demisisset, benignusque suppeditasset, effecit participes.

Psal. 97.

Orationes panegyricæ.

Sublatis persecutoribus pax ecclesiæ.

Psal. 45.

Psal. 37.

De

A *Huc refer. superius illud 40. c. lib. 7. Nice.*

De ecclesiarum renouatione. CAPVT II.

Renascentis Ecclesiæ lætitia.

VNiuersum igitur humanum genus graui tyrannorum oppressione liberatum est. Aque vt alij prioribus malis, quibus conflictati erant, alia ratione piorum propugnatorem, solum verum Deum esse ingenu èconfessi sunt: sic nos in primis, qui spem in Christo Dei defixam habebamus, incredibilem lætitiam animo percepimus. Quinetiam omnium nostri mentes diuino quodam & cœlesti gaudio triumpharunt, dũ singula loca tyrannorũ scelere & impietate paulo antè diruta, tanquam post diuturnam & mortiferam vastitatem iam quodam modo reuiuiscere, & templa solo æquata, ab ipsis fundamentis denuò ad immensam altitudinẽ erigi, & multo maiore splendore atq; amplitudine quàm illa quæ dudum euersa erãt, illustrari videbamus. Imperatores item ipsi, qui summam rerum obtinebant, ratis legibus pro Christianis sancitis Dei in nos munificentiæ permagnã quasi accessionem adiunxerunt. Imperatoris enim Constantini literæ ad episcopos sunt missæ, quibus & honores fuere illis delati, & donata pecunia: quarũ literarum voces Latino sermone non à ratione alienum erit, vbi oportunum tempus de illis differendi se offeret, in hoc libro, tanquam in illustri quadam tabula inscribere, quò immortali memoriæ ad omnem posteritatem omnino commendentur.

Templa extructa.

Impp. liberalitas in Ecclesiã & Episcopos.

De Encæniis vbique locorum celebratis. CAP. III.

Huc refer. idem illud 40. cap. lib. 7. Niceph.

Dedicationes & ædificationes Templorũ.

Episcoporũ & populorũ conuentus.

Ezech. 37.

DEinceps celebre spectaculum, nobis omnibus optabile & vehementer desideratum, ante omnium oculos proponebatur: dedicationum scilicet festiuitates per vrbes singulas, templorum nuper exædificatorum consecrationes, frequentes episcoporum in vnum conuentus, peregrinorum longè ab exteris regionibus accedentium concursus, mutuæ populi in populũ benuolentiæ, propterea quòd membra corporis Christi in vnam quasi harmoniæ & concẽtus conspirationẽ coibant. Quapropter aptè admodũ & conuenienter oraculo propheticо, quod futurum erat, mysticè præsignificãti, os ad os, & iunctura ad iuncturam coalescebat: & alia eius generis, quæ diuinus sermo per obscura quædam & inuoluta ænigmata deinceps verè profatus est in eandem sententiam. Vna erat sacri Spiritus virB tus & potentia, quæ per vniuersa Ecclesiæ membra permeauit: vna omnium mens & sententia, vnaq; & eadem fidei propensio ac studium, vna ex omniũ ore & consentiens diuinitatis laus: perfectus etiam in summis Ecclesiæ præfectis cultus & obseruantia: accurata sacrorum mysteriorum administratio: decori Ecclesiæ ritus interdũ psalmorum cantu, & cæteris hymnorum diuinitùs nobis traditorum recitationibus, nonnunquam diuinis & mysticis ministerijs exequendis celebrati: erant item arcana passionis Seruatoris symbola. Cuiusq; item ætatis genus, cuiusq; sexus multitudo, vt maris & fœminæ, totis cogitationis viribus, læta mente, alacri animo per preces & gratiarum actiones, Deum omnium bonorum authorem venerati sunt. Singuli etiam ecclesiarum præsides, qui in conuentibus aderant, singulas orationes panegyricas habuerunt: & vt vis & facultas dicendi suppetebat cuiq;, sic quisq; eam celebritatem prædicauit. Tyri autem vir quidam valde modestus, progressus in medium, orationem accuratè contextã, in ipsa crebra Ecclesiæ frequentia, multis præsentibus gregis Christi pastoribus, qui quietè & decorè audientiam fecerunt, recitauit: inq; ea nominatim vnũ solum episcopum, facilè præstantissimum, Deoq; charissimum (cuius opera ac studio egregium templum ibi, quod splendore omnia templa gentis Phœniciæ longè superabat, magnificè fuit extructum) summis laudibus extulit: sicq; dicere ingressus est.

Ecclesiæ status, et ritus sub Constantino notandus.

Epiſcoporum Panegyricæ orationes.

Sequẽs oratio per quẽ & vbi recitata sit.

Oratio Panegyrica pro ecclesiarum exædificatione recitata, & Paulino Tyriorum episcopo dedicata. CAPVT IIII.

Huc item refer idem cap. illud 40. lib. 7. Nicephori. Captat beneuolentiã pontificimũ à sacerdotũ & Pauli persona.

A persona auditorũ.

Exordium.

AMici Dei, & sacerdotes, qui sacrosancto podêra indumento, cœlesti glorię corona, diuina vnctione, & secrata sancti Spiritus stola circumuestiti: tuq; venerandum noui ac sancti Dei templi decus Pauline, qui eximiæ prudentiæ insignibus à Deo exornatus, egregia florentis & integræ virtutis opera, actionesq; edidisti, cui ipse Deus, qui vniuersum mundum suo complexu continet, sui in terra domicilij ac tẽpli exædificationem renouationemq; ad Christi, vnici & primogeniti ipsius verbi, sanctæq; & decoræ eius sponsæ honorem concessit: siue quis te nouum Beseleel, diuini tabernaculi architectum velit appellare: siue Salomonem, nouæ Hierusalem veteri illa longè præstantioris regem: siue etiam nouum Zorobabel, qui templo Dei multo maiorẽ splendorẽ, quã quo antea nitebat, adiecit. Quinetiam vos compello, ô sacri gregis Christi oues, diuini verbi familia, schola modestię, augustum & diuinum pietatis adiu-

Paulini Tyriorum epiſcopi encomium.

Beſeleel. Salomon. Zorobabel.

Q torium:

Universidad de Deusto
Biblioteca

torium: quemadmodum nos iam olim, ad mirabilia Dei prodigia, & miracula à Domino edita, eiusque in illis beneficia in homines declarata, per diuinas sacræ Scripturæ lectiones auditione accipere poteramus, & ita diuinitùs instituti cum Dauide hymnos & pias cãtiones in Deum resonare, hoc pacto (Deus, auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis) sic iam deinceps non auribus & verborum sono brachium excelsum, & dextram cælestem Dei omnium bonorum authoris, summi nostri Regis percipere, sed re & factis (verè dicam) & oculis coràm, rerum gestarum, quæ quondam erant memoriæ proditæ, fidem & veritatem intueri, & propterea hunc secundum victoriæ hymnum meritò canere possumus, & ita perspicuè eloqui ac dicere cum prophera: Sicut audiuimus, sic & vidimus, in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. At in qua tandem ciuitate nunquid in hac, quæ nuper à Deo extructa & fabricata est, quæ est ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis? de qua sic etiam aliud diuinum oraculum annunciat: Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. In quam, cum Deus omnis boni largitor nos per gratiam vnigeniti filij sui cõgregauerit, quisq; eò accersitus sic voce & sermone decantet: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. Et iterũ: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Ac non singuli solum, sed simul vniuersi vno spiritu, vnoq; animo Deum venerantes personemus. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri, in mõte sancto eius. Etenim reuera ipse magnus est, & magna domus eius, excelsa, ampla, & pulchritudine speciosa præ filijs hominum. Magnus Dominus, qui facit mirabilia solus: magnus, qui facit magna & inscrutabilia, glorioſa & eximia, quorum non est numerus. Magnus, qui occasionum & temporum vicissitudines commutat, qui deponit reges, & constituit: suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles à terra. Esurientes impleuit bonis, & brachia superborum contriuit. Vnde non fidelibus solùm, sed infidelibus etiam res olim à se gestas in Sacris literis memoriæ proditas, veras esse confirmauit ille ipse, qui est rerum admirabilium opifex, qui magnarũ architectus, qui vniuersarum Dominus, qui totius mũdi fabricator: qui omnipotens totus bonus, vnus & solus Deus. Cuius spiritui obsequentes, nouum canticum cantemus ei, qui facit mirabilia solus: quoniam in seculum misericordia eius: ei qui percussit reges magnos, & occidit reges fortes: quoniam in seculum misericordia eius: quia in humilitate nostra recordatus est nostri Dominus, & redemit nos ab inimicis nostris. Atq; hisce præconijs primum omnium rerum parentem & procreatorem celebrare non aliquando desistamus. Secundum etiam, bonorum authorem, diuinæ cognitionis explicatorem, magistrum veræ pietatis, impiorum euersorem, interfectorem tyrannorum, rectum vitæ moderatorem, nostri omnium, cum essemus reprobati & reiecti, seruatorẽ Iesum ore concinentes veneremur. Nam solus ille benignissimi patris benignissimus & vnigenitus filius, paternæ clementiæ desiderio morem gerens, nostri naturam, qui in peccatorum corruptione & eluuie volutati iacebamus, libenter induit: & tãquam medicus longè præstantissimus, tristes & ærumnosos ægrotãtium morbos, quò illis largiatur salutem, intuetur, horrida & tetra vlcera contrectat, & propter alienas calamitates proprio ac suo corpore dolores exhaurit. Qui nos non modò morbo vexatos, grauibus vlceribus & sanie tabescentibus vulneribus oppressos, sed iam in numerum mortuorũ relatos, ex ipso opaco mortis recessu ad suam gloriã participandã recuperauit. Quippe nemini alij eorum, qui in cælo fuerunt, tantum suppetebat roboris, vt tot perditos homines re quidem ipsa posset ad salutem reducere. Solus igitur Christus, graue onus nostræ afflictæ & calamitosæ corruptionis in se suscepit: solus nostros exantlauit labores: solus multam pro impietatibus nostris subijt: solus non semineces, verùm omninò in monumentis, in sepulchris fœtidos, & iam graueolentes restituit: solus & olim & iam studio suo, & cura beneuola, præter cuiusquam nostri ipsorum spem & expectationem seruauit: solus deniq; magnam paternorum bonorum affluentiam nobis impertijt: qui est vitæ author, lucis largitor, magnus & eximius noster medicus, rex, Dominus & Christus Dei. Et sicut quõdam, cùm humanum genus vniuersum, dæmonum impiorum fraude, & malignorum spirituum conatu esset quasi nocte quadam obscura, & densa caligine obtectum, obrutumq;, semel ipse solus apparẽs ardentibus luminis sui radijs, multiplices & tortuosas scelerum nostrorum catenas tanquam ceram igne liquefactam dissoluit: ita iam, cũ propter tantam gratiã, propter tantum beneficium, inuidia omnis virtutis inimica, & scelestus dẽmõ totius probitatis hostis, propè præ iracudia disruptus esset, & omnes suas lethales ac mortiferas copias aduersum nos instruxisset, & primũ instar rabidi canis dẽtes in lapides cõtra ipsũ proiectos illisisset, & furorẽ suũ, qui cõtra pios viros,

Psal. 45.

A beneficiorũ magnitudi. ac, per cõparationem.

Psalm. 47. 1. Timot. 3.

Psalm. 83.

Psal. 121. Psal. 25.

Psalm. 47.

Dei Patris laudes.

Psalm. 112. Luc. 1.

Psalm. 135.

Christi laudes, eiusque in Ecclesiam beneficia.

Esai. 53.

Satan quorũ malorum author.

A ros, aduersarios suos incendi solet (dum immanẽ suam ac plusquam belluinam rabiẽ in lapides templorum, & inanimam sacrarum ædium materiam conuertebat, & ecclesiarum vastitatem ac ruinam, sicut ipse secum putauit, edebat) in tela inanima expuisset, cumq; deinceps horrenda sibila & serpentinas ipsius ac pestiferas voces, nonnunquam per impiorum tyrannorum minas & terrores, interdum per nefanda & contumelioſa perditorum principum decreta profudisset, exitialeq; mortis virus ex faucibus euomuisset, & lethalibus ac pernicioſis venenis animas à se inescatas infecisset, & mortiferis mortuorum simulacrorũ victimis eas ferè ad æternam mortẽ trusisset, & homines belluina immanitate efferatos contra nos incitasset, eosq; omne crudelitatis genus in nos exercere coegisset: rursus quasi de integro ille magni consilij angelus, potentissimus omnium rex, summus Dei dux, postquam fortissimi regni ipsius milites erant omni tormentorum genere, quæ patienter & constanti animo pertulerant, satis superq; exercitati, ex inopinato sese ostendit: omnesq; hostes & inimicos suos ita penitùs deleuit, & redegit in nihilum, vt ne nominari quidem aliquando videantur: & quos sibi charos, quos amicos habebat, apud omnes, non homines modò, sed cælestes etiam potestates, solem, lunam, sydera, cœlum ac mundum vniuersum præter omnium opinionem ad tantam gloriam euexit, vt iam (quod quidem non aliàs) summi imperatores, honorem, quem sunt ab eo consecuti, planè sentientes, in detestabiles mortuorum idolorum vultus ac effigies expuant, profanos dæmonum cultus proterant, veterem errorem à patribus ductum irrideant, vnũ solum Deum cõmunem cùm omnium, tũ ipsorum patronum agnoscant: Christum Dei filiũ summum vniuersorum regẽ fateantur, eum seruatorẽ inscriptionibus in columnis incisis pronuncient, & præclara eius facinora, victoriasq; contra impios partas literis maiusculis ad perpetuam memoriam in tabulis media in vrbe, quæ totius orbis terrarum regina est, collocatis, scitè describendas curarint: adeò vt ex omnib. qui à primo æuo extiterint, solus Iesus Christus seruator nosster, ab imperatorib. qui summum in terris principatũ obtinent, non tanquã rex ab hominibus de more constitutus esse concedatur, sed vt ingenuus Dei omnipotentis filius, & Deus ipse vniuersitatis moderator summa veneratione dignetur, idq; planè meritissimo. Nam quis vnquam regum tantum virtutis ac potentiæ nactus est, vt nomen suum ita posset propagare, vti omnium hominum aures percelleret, inq; omnium ore ac sermone versaretur? Quis princeps leges tam pias tamq; modestas instituit, easq; tam firmè
B constabiliuit, vt omnes hominẽs ab vltimis terræ oris, ad extremos vsq; totius mundi terminos cùm illas approbarent, tum ijsdem sua sponte morem gererent? Quis gentes indomitas, moribus barbaras ac immanes, legibus quantumuis mansuetis & benignis repressit? Quis tot integris seculis ab omnibus oppugnatus, virtutem & potentiam, quæ supra hominem putanda est, ostendit, ita vt in dies singulos magis magisq; floreret, & per omnes hominum ætates reuiresceret? Quis gentem, de qua non aliquando ab omni seculorum ætate auditum fuerat, non dico in aliquem terræ angulum clanculum abdidit, sed passim in vniuersum terræ orbem, qui sub sole est, diffudit? Quis pietatis armis milites suos adeò munuit, vt animos adamante duriores robustioresq; in certaminibus prælijsq; contra aduersarios susceptis declararent? Quis vnquam regum post mortẽ tantum viribus ac potentia valuit, tot bella gessit, tot trophæa contra inimicos statuit? Quis deniq; tam regalibus tamq; magnificis palatijs, tam præclaris templis auguste consecratis omnem locum, regionem & ciuitatem tam Græcorum quàm Barbarorum illustrauit? Egregia aũt huius templi ornamenta monumẽtaq;, quæ sunt tam augusta reuera, tam magnifica, tanta admiratione digna, & velut illustres imagines, regnum Seruatoris ob oculos nostros statuentes (quoniam etiam ipse iam dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt: etenim potentiæ ipsius verbi Dei, summi omnium regis & moderatoris, à nemine resisti poterat) accuratè considerare, & quid singula eorum significent, disquirere, proprio quodam ocio & separato egerent: neq; ea solum, verùm etiam propensum studium eorum, qui in hoc templo ædificando laborem suum & operã posuerunt, quale sit, & quanti æstimetur ab ipso Iesu Christo, quem diuinis laudibus efferimus, qui viuum animorum nostrorum templum intuetur, qui domum ex viuis incedentibusq; in terra lapidibus constructam, beneq; & firmiter super fundamẽtum Apostolorum & prophetarum locatã cõtemplatur: cuius lapis angularis ille ipse est: quem tametsi non solum veteris illius ædificij, quod iam dirutum est, sed huius etiam, quod nunc ex multis hominibus constat, architecti mali, (Iudæos & hæreticos videtur intelligere) ex malis edocti penitùs reprobarunt: tamen pater & olim & iam approbans, in caput anguli ecclesiæ, quæ est omniũ nostri cõmunis, collocauit. Hoc igitur ex nobis ipsis extructũ viuum viuentis Dei templũ, maximum & maximè vero Dei verbo decorũ

Imperatores cognito Malorum suorum errore, Dæmoniũ cultus detestantur, et Christo meritos honores deferunt.

Christus potentia sua reliquos Reges longe superat.

Templi ornamenta, & singulorum explicatio. Psal. 148.

Sacrarũ, sanctiorũq; ædificatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus vnus templi summus Pontifex eiusq; Vicarius. Tyrius Episcopus.

sacrarium, cuius intima adyta, quæ sub vulgi aspectum cadere non possunt, quæ reuera A sancta sunt, & sancta sanctorum, quis aliquando introspexisse se audeat affirmare? Quis oculos suos intra sacros eius ambitus injicere potest, nisi solus magnus ille & summus omnium pōtifex, cui soli fas est cuiusque animæ rationalis arcana perscrutari? Verūm forsitan etiam vni alteri (duci nimirum, qui isti exercitui & gregi Christi præsidet) proximè secundum eum similiter huius muneris potestas datur obeundi: cui ipse primus & magnus pontifex Christus secundas in templo, quod hic apud nos est, impertijt, quem pastorem vestro sancto gregi præfecit: quem consensu & iudicio patris, vestri populi moderatorē designauit: quem tanquam ministrū & interpretem nouū Aaron, aut Melchisedech, effigiem filij Dei representantem, manentem, & communibus vestri omnium precibus ab ipso Domino ad immortalē gloriam reseruatū constituit. Deferātur igitur huic soli post primum illum & maximum pontificē, etsi non primæ, at secundæ partes intimā animorum vestrorum cogitationē contemplandi, inspiciendiq;. Qui iā cùm multa experientia, tū prolixo temporis spacio in vnumquemq; vestrū accuratè inquisiuit: quiq; magno studio & diligenti cura oēs vos modestia & vero pietatis verbo instituit: qui deniq; potest præ cæteris earum rerum, quas ipse diuina ope adiutus peregerit, rationē reuerà exquisitā reddere. Quemadmodum aūt summus & magnus noster pontifex Christus, quæ patrem facientē videt, eadem (ita de se ipse loquitur) similiter & ipse facit: sic iste pontifex, in summum pontificē Christum, tanquam in magistrum synceris mentis oculis intuens, quæ eum facere animaduertit, illorū quasi archetypis vsus exemplaribus, effigies, quoad eius fieri potest, tanquam probus artifex simillimè ad ea ipsa exprimit: nihilo planè inferior ipso Besileel, quem Deus diuino spiritu sapientiæ, intelligentiæ, & reliquæ artificiosæ solertisq; peritiæ imbuit, & ad tabernaculum siue tēplum exædificandum (quod cælestia mysteria per symbola quædam & notas adumbraret) accersiuit. Eodē modo igitur iste viuam Christi totius Dei verbi, sapientiæ, luminis imaginem suo ipsius animo figurans, ne dici quidem potest, quanta cum magnificētia, quàm liberali & immensa animi alacritate, quanta cū omnium vestrūm ad eā rem propensione ac studio (qui liberali sumptuum & munerū collatorum amplitudine tam enixè, tamq; beneficè prospexistis, ne quicquā eius proposito vllo modo deesset) magnificum & egregium Dei altissimi templū, quod oculis cerni potest, simile planè natura sua B exemplari præstantioris templi, quod sub sensum humanū non cadit, fabricatus sit. Hūc autem locum (par est enim primùm omnium de eo verba facere) quem hostes præ maleuolentia, omni spurca & impura materia ac sordibus exaggerauerant, iste minimè neglexit: neque eorum, qui eius nequitiæ erant authores, cessit improbitati, idq; cum licuisset ad alium locum (alijnamq; ferè infiniti erant in ciuitate) perrexisse, sicq; permagnā laboris reperisse leuationē, & multis molestijs se penitùs expediuisse. Iste tamē primùm se applicauit ad opus: deinde vniuersum populum propensa animi intentione ad illud excitauit: & simulatq; ingentem manū turbamq; ex omnibus coegerat, primū laboris certamen ille ipse obijt, consentaneum sanè ratus, vt ista cū primis ecclesia, quæ fuisset ab hostibus expugnata, quæ graues ruinas passa, quæ persecutionis impetus cū antè nos, tū vnà nobiscū sustinuisset, quæ instar matris liberis suis orbata esset, singularis beneficētiæ beneficētissimi Domini nostri ac seruatoris particeps nobiscum fieret. Postquā enim visum fuit magno nostro pastori Christo, feris, lupis, & omni immani agrestiq; beluarum genere abacto, & dentibus leonum (vt diuina oracula loquuntur) contritis, filios suos in vnum deintegro conuocare, gregi suo ouile quoddam egregium meritissimo quidem erexit, quo inimicum confunderet, & vltorem, & detestabiles impiorum conatus prorsus retunderet. Atque hi quidem Dei osores iam non sunt, quoniam non omninò erant, qui ad exiguum tempus non solum alijs exhibuere molestias, verùm etiam ipsi ijsdem conturbati fuere: supplicium q́ue deinde æquum debitum q́ue subeuntes, seipsos, amicos, domos & familias suas funditùs euerterunt: adeò vt vetera vaticinia in Sacris literis perscripta, rata reuera, & fidelia comprobētur: in quibus diuinus sermo cùm alia verè asseuerat, tum ista etiam de his impijs euidenter pronunciat: Gladium extraxerunt peccatores, intenderunt arcum suum, vt percutiant pauperem & inopem, & trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur. Et iterum: Perijt memoria eorum cum sonitu, & nomen eorum delesti in æternum, & in seculum seculi. Quoniam cum in malis erant, clamauerunt, & non erat, qui saluos faceret: ad Dominum, & non exaudiuit eos: quinetiam ipsi obligati sunt & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus. Atque illud, quod his verbis elatum erat, (Domine in ciuitate tua imaginem eorum ad nihilum rediges) iam oculis cuiusque verum apparet. Cæterùm vt hi Gigātum more bellare cum Deo neutiquam veriti, talem sunt

Eiusdem probitas & industria. Ioan. 5.

Besileel.

Diligentia & labor in repurgando tēplo, id est, Ecclesiæ loco.

In templo ipso instauran-do.

In prosligandis Ecclesiæ hostibus.

Psalm 36. Psalm 9. Psalm. 17. Psalm. 72.

A vitæ exitum consecuti: sic ecclesia Christi, quæ opinione hominum deserta & desperata erat, propter singularem patientiam tormentorum, ob Dei amorem susceptorum, talem exitum habuit, qualis iam perspicuè cernitur, vsq; adeò, vti Esaiæ prophetia pulchrè illi consentiat: Lætare deserta solitudo, quę exiccata es. Exultet solitudo, & floreat vt lilium. Et florebunt, & exultabunt loca deserta: roboramini manus languentes, & genua debilia: consolationem capite pusillanimi mente: confortamini, ne timeatis: ecce Deus noster iudicium reddit, & reddet: ipse veniet, & seruabit nos: quoniam, inquit, erupit in deserto aqua, & vallis in terra sitiente, & arida erit in paludes, & in terram sitientē fons aquæ erit. Atque vt ista olim verbis diuinitus prædicta, Sacris literis commendata sunt: sic euenta eorum non amplius auditione, sed reipsa nobis tradūtur. Solitudo hæc quæ est inaquosa, quæ vidua, consolatione destituta, cuius in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius in idipsum, quam in securi & ascia contriuerunt: cuius libros corrumpendo, incenderunt igne sanctuarium Dei, in terra polluerunt tabernaculū nominis eius: quam vindemiarunt omnes transeuntes per viam, diruerunt q́ue eius sepes: quam exterminauit aper de sylua, & singularis ferus depastus est: admirabili Christi potentia iam, cum ei visum sit, iterum floret vt lilium. Quippe sicut id temporis etiam ipsius nutu & virtute, tanquā à patre diligentem cura de ea suscipiente castigabatur (quē enim diligit Dominus, castigat: flagellat omnem filiū, quem recipit) sic vbi iam satis castigata est, rursus de integro cælitùs exultare præcipitur: efflorescit, vt lilium, & diuinū suum odorem in omnes homines efflat. Quoniam, inquit, erupit aqua in deserto: hoc est, riuus salutaris lauacri, in quo diuinitùs regenerati sumus. Et iam solitudo, quæ antè arida erat, in stagna dissoluta est, & in sitientem terram ebullijt fons aquæ viuentis. Manus, quæ prius languidę erant, sunt reuera roboratæ. Atq; hæc præclara & illustria monumenta exemplaq;, quæ oculis cernimus, sunt manuum roborararū opera. Quinetiā genua, quæ iampridē debilitata erant, & dissoluta, proprio gressu fruuntur, rectā diuinæ cognitionis semitā insistunt, & maturæ ad proprium & familiarem gregem summi & benignissimi pastoris Christi festinant. Quòd si qui minis tyrannorū perterriti, animis obtorpuerunt, ne istos quidem salutaris Dei sermo curationis patitur expertes esse: sed eos benignè admodum sanat, & ad verum diuini numinis solatium percipiendū incitat, dicens: Consolationem capite pusillanimi mente, confortamini ne timeatis. Iste B nouus noster & præclarus Zorobabel, quoniam solerti & perspicaci mentis intelligentia percipiebat diuinum sermonem, prædicentem solitudinem illam, Ecclesiam dico, propter Dei amorem vastatam, post acerbam captiuitatem & abominationem desolationis, his commodis, quæ supra posui, potiturā, ob eā causam non mortuum istud Ecclesiæ cadauer aspernatus est, sed primò omniū obsecrationibus ac precibus, cōmuni omnium vestri consensu, patrem placatum & propitium effecit: & solùm eum, qui mortuis vitam tribuit, auxiliatorem & adiutorem sibi asciscens, ecclesiā hanc prolapsam, simulac eam purgauerat, & sordes inde penitùs exemerat, erexit: deinde non veteri ornatu, quē olim habuerat, decorauit, sed qualē à diuinis eloquijs didicerat, manifestò ita referentibus: Erit gloria domus huius posterior, longè supra priorē. Ob quā causam vniuersum locū multo ampliorib⁹ terminis circūscribens, exteriorē ambitum muro vndiq; muniuit, vt firmissimū totius operis propugnaculum existeret. Ingens vestibulū in sublime erectum, versus orientis solis radios protendit: vt iā qui longè extra sacros illius ambitus consistant, ex eius aspectu perfacilē coniecturam facere possint, eorum, quæ sunt intus tā artificiosè fabricata. Quinetiā Gentiles ipsi non parū ad primos eius introitus contemplandos alliciuntur, vnde nemo ipsum templū præterit, qui nō sicut prioris vastitatis recordatione renouata nō exiguum dolorē, sic ex hoc eius admirabili & diuino opificio permagnā læticiam animo capit. Cuius quidem opificij aspectu, eum qui superiorem eius euersionē deploraret, hic noster sperabat ita prolectatū iri, vt in ipsum templum libenter ingredi vellet. Ei autē qui portas iam ingressus fuerit, nō fit potestas impuris & illotis pedibus statim in sancta sanctorum ascendēdi: sed immensa quædam inter intimum sanctuarium & primos introitus incercedit intercapedo, quæ quatuor obliquis porticibus tanquā in gyrum decorata est. Locus autē sanctuarij in speciē quadrati columnis sublimib. est vndiq; circumseptus: quarum media interualla sunt interstitijs ligno, instar retis aut transennæ cancellatis, in mediocrē & æquabilē longitudinē porrectis circumcluſa: medium sanctuarium desuper apertum & patens relictum, quò cœlum suspiciatur, & subtilis aer lucis radijs collustratus intromittatur. Deinceps fontes ex aduersa fronte tēpli profluenti aqua redundantes positi, quibus oēs, qui in sacros templi ambitus introeunt, sordes corporum abluant: qui fontes sacrosancta Baptismatis lauacra repręsentant. Atq; hic locus in quo singuli introeuntiū primùm vt se lauēt, moran-

Esai. 35. Ecclesia pridē deserta & afflicta, nunc fruens, læta et valida.

Psal. 73.

Psalm. 79.

Hebr. 12.

Esai. 35.

Paulinus tanquā nouus Zorobabel Tyriæ Ecclesiæ instaurator.

Loci in quo extructa ecclesia, ambitus.

Vestibulum.

Interiora templi & vestibulum. Spacium 4. porticibus decoratum. Sanctuarij locus.

Fontes purgatorij.

Universidad de Deusto
Biblioteca

morantur, ſicut cuiq; ornatum & ſplendorem affert: ſic illis, qui primis fidei principijs A inſtituendi ſunt, manſio percõmoda eſt ad acquieſcendum. Quinetiã quo iſtas res ad oculos capiendos magna operũ varietate concinnè illuſtraret, aditus ad templum patentes, pluribus porticibus intrinſecus fabricatis cõfecit. Rurſus ex vno templi latere, quod *Portæ Templi.* ad ſolis radios vergit, tres portas conſtruxit: quarum mediã duabus alijs vtrinq; collocatis magnitudine, & laxitate ad maiorẽ amplitudinem longè præſtare cupiens, repagulis æneis & ferro obductis, colligatisq; varijs cælaturis artificioſe expolitis, eam exornauit, *Porticus.* eiq; tanquam decumanæ portæ cuſtodes præfecit. Eodem modo porticibus ex vtraque parte templi poſitis, parem veſtibulorum numerum adiecit, & in his deſuper varias fe- *Feneſtræ.* neſtras ad templum maiore luce colluſtrandum excogitauit, easq; ſubtili & arguto opere ex ligno confecto perpulchrè variauit. Sanctuariũ aũt locupletiore, ſplendidioreq; *Sanctuarium.* materia veſtiuit vndiq;, inq; ea extruenda affluenti ſumptuum magnificentia vſus eſt. Verùm templi longitudinem latitudinemq; deſcribere, & inſigne eius decus, amplã magnitudinem, quæ omnem facilè orationem ſuperat, ſplendidum operũ aſpectum, faſtigij altitudinem propè ad cælum pertingentẽ, eximias deniq; cedros Libani ſuperiectas, hoc loco dicendo proſequi ſuperuacaneum arbitror: quorum mentionem diuina elo- *Pſalm. 103.* quia minimè ſilentio prætereunt: ſic locuta: Lętabuntur ligna Domini, & cedri Libani, quas plantauit. Quid attinet iam ſolertis & perpolitæ fabricę deſcriptionem, ſummãq; pulchritudinem, quæ in quaq; parte mirè relucet, exquiſitè explicare? præſertim cum oculis melius perſpici poſſit, quàm verbis exprimi. Porrò Sanctuario hoc modo abſoluto *Solium. Subſellia. Altare cancellis ligneis ſeptum.* & perfecto, ſellisq; quibuſdam in altiſſimo loco ad præſidum eccleſiæ honorem collocatis, & ſubſellijs prætereà vndiq; ordine diſpenſatis decorè eximieq; exornato, altariq; deniq; tanquam ſancto ſanctorum in medio ſanctuarij ſito, iſta rurſus, vt à plebe & multitudine eò non poſſet accedi, cancellis ex ligno fabricatis circumdedit: qui adeò artificioſa ſolertia ad ſummum elaborati ſunt, vt mirabile ſpectaculum intuentibus exhibeant. Imò ne ſolum quidem templi ab eo iacebat neglectum. nam marmore ſummo *Solum templi. Aediculæ tẽpli lateribus additæ.* cum ornatu ſtratum illuſtrauit. Iam de cætero exteriores ſanctuarij partes aggreſſus, exedras & ædiculas vtrinq;, maximas illas quidẽ perpolitè extruxit, eaq; ad latera eius affabrè coagmentauit, atq; adeò ad feneſtras inferioris tẽpli affixit. Quæ eorũ cauſa, qui purgatione & aſperſione per aquã & Spiritum ſanctũ egerent, hic noſter placidiſſimus Sa- B lomon huius templi Dei ædificator effecit, vt nõ amplius verbo, ſed reipſa & veritate *Tyriæ eccleſiæ inſtauratæ.* prophetia cælitùs edita, expleta cerneretur. facta eſt enim iam verè gloria domus huius poſterior, ſupra priorẽ.† Pari ratione eccleſia catholica, quæ antehac tyrannorum inſi- *Eccleſiæ etiã catholicæ inſtauratio.* dijs obruta erat, & diaboli, hoſtis probitatis, tanquã apri de ſylua incurſionibus vaſtata: iam per gratiã Seruatoris, omni impura & ſceleſta tyrannidis ſtirpe purgata eſt: & poſt abominationẽ deſolationis ad maiorẽ ſplendorem, quã qui priùs in ea elucebat, reſtituta, præter omnium opinionẽ mirificè enitet, adeò vt gloria eius poſterior priorem excellat plurimum. Nam quoniã paſtor illius & Dominus Ieſus ſemel pro ipſa mortẽ oppetijt, & poſt paſſionem, corpus mortale & caducũ, cp eius gratia induerat, in glorioſum & immortale cõmutauit, & carnem morti obnoxiã ex corruptione ad immortalitatẽ traduxit: idcirco par erat & rationi conſentaneum, vt illa non aliter atq; Seruator, mira ratione cõmutaretur. Et quanquã promiſſionem rerum, hiſce quibus iam fruitur, lõgè preſtabiliorum accepit, & propterea maiorem regenerationis gloriã in reſurrectione corporis incorruptibilis, cum choro angelorum lucis æternæ in ipſa Dei regia ſupra cœlos ſita, cum Chriſto Ieſu eius patrono & ſeruatore ad ſecula deinceps ſempiterna percipere deſiderat: tamen intereà loci in hoc præſenti ſeculo, ea ipſa, quæ pridem vidua & deſerta ſolitudo fuit, his per Dei gratiã circumueſtita floribus, facta eſt (vt prophetia loquitur) reuera vt lilium. Atq; quo pacto veſte nuptiali accepta, & corona decoris ornata, velut choreas ducere, ad gratias Deo regi agendas, & ad eum lætis vocib. honorandũ per Eſaiã doceatur, eam ipſam loquentem audiamus: Exultet anima mea in Domino. “ Induit enim me veſte ſalutis, & tunica læticiæ circumdedit me: tanquã ſponſum mitra, “ & tanquam ſponſam decorauit me ornamento: & ſicut terra augens florem ſuum, & vt “ hortus ſemina ſua oriri faciet, ſit Dominus Deus oriri fecit iuſticiã, & exultationem co- “ ram vniuerſis gentib. His igitur ipſa geſtit & tripudiat. Sed quibus ſpõſus, ſermo cæleſtis, “ ipſe Ieſus Chriſtus ex aduerſo illi reſpondeat, audi Dominum dicentẽ: Ne timeas, quòd “ confuſa fuiſti, neq; reuerearis quòd exprobrata. Quin ignominiæ perpetuę obliuiſceris, “ & probri viduitatis tuæ non recordaberis. Non vt mulierem deſertam & puſillam ani- “ mo vocauit te Dominus, neq; vt mulierem ex iuuẽtute odio habitam, dixit Deus tuus: “ Tempore exiguo dereliqui te, & in miſericordia magna miſerebor tui. In ira exigua a- “ uerti faciem meam abs te, & in miſericordia æterna miſerebor tui, dixit, qui liberauit te “ Domi-

Vaticinia de futuro ſplendore inſtauratæ eccleſiæ. Eſai. 61.

Eſai. 54.

†Vide ſup. not. pag. 111. lat. 1. lin. 22.

A Dominus. Surge ſurge, quæ bibiſti ex manu Domini poculum furoris ſui. Poculum e- „ nim ruinæ, calicem iræ meæ ebibiſti, & exinaniuiſti: & non erat qui conſolaretur te ex „ omnibus liberis tuis, quos peperiſti, & non erat qui prehenderet manum tuam. Ecce „ accepi de manu tua poculum ruinæ, calicem iræ meæ, & non adijcies vt amplius bibas „ illum: & dabo illum in manus eorum qui iniuria affecerunt te, & qui humiliauerunt „ te. Surge, ſurge, indue robur, indue gloriam tuam: excute puluerẽ, & ſurge. Aſside, ſol- „ ue vinculum colli tui. Eleua vndiq; oculos tuos, & vide congregatos filios tuos: Ecce „ congregati ſunt, & venerunt ad te. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnes illos vt orna- „ tum indues, & circumpones eos tanquam ſponſa decorem. Quia loca deſerta tua & di- „ ruta & ruinoſa iam anguſta reddentur ab inhabitatoribus tuis: & elongabuntur abs te, „ qui abſorbuerunt te. Dicent enim in aures tuas, filij tui, quos perdidiſti: Anguſtus eſt „ mihi locus, facito mihi locũ vt inhabitẽ. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? „ Ego orba ſum liberis, & vidua: iſtos quis educauit mihi? Ego relicta ſum ſola: iſti mihi v- bi erãt? Hæc Eſaias antea vaticinatus eſt. Hæc olim in Sacris literis de nobis tradita. Par autem erat, iſtorũ verborũ veritatem iam tandem reipſa cõpletam fore. Porrò eiuſmodi voces ſponſi verbi Dei ad ſuã ſponſam ſacram, & ſanctam Eccleſiã loquentis, meritò iſtæ ſponſæ exornator Paulus, domũ deſertã, ruina iacentẽ, ab hominib. deſperatã, communib. omnium veſtri precibus, manuumq; veſtrarum opera adiuncta adiutus, Dei omniũ gubernatoris ope, & Ieſu Chriſti virtutis præſidio ei erexit, excitauitq;: taliq; ratione eam conſtruxit, qualẽ ex ſacrorum oraculorum deſcriptione didiciſſet. Atq; vt hoc certè miraculũ maximum eſt, & ſupra omnẽ admirationẽ, his in primis qui ſoli externarũ rerũ viſo & contemplatione animũ attẽdunt: ſic illa archetypa & exemplaria, quæ primã harum rerum ſpeciẽ repreſentant, menteq; ſola percipiũtur, quæ decora eximiaq; ſunt, renouationes dico diuini & rationalis in animis noſtris ædificij, omnia miracula longè ſuperant. Quod quidem ædificium ipſe Dei filius ad ſuã ipſius effigiem fabricatus, omnino in omnib. partibus Dei ſpeciem illi largitus eſt: & naturam immortalem, corporis expertẽ, rationis participem, ab omni terreſtri & concreta materia alienã, ſubſtantiã ſola mentis intelligentia cognitã ei tribuens, ſemelq; in initio ex eo quod non erat, in id vt eſſet, efficiens, ſponſam ſanctam & templum ſacrũ ſibijpſi & parri ſuo B architectatus eſt. Idemq; ipſum ille ipſe perſpicuè ſuis verbis oſtẽdit. ſic enim loquitur: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero eorũ Deus, & ipſi erunt mihi populus. Ac talis adeò in principio anima fuit, perfecta ſcilicet ac ſyncera, vtpote quæ cæleſtis Dei verbi imaginẽ verè repræſentauit. Verũ vt primùm dæmonis nefaria inuidia & æmulatione ſuo ipſius libero arbitrio, perturbationib. nequitiæ ſe dediderat, Deus ab ea receſſit: & propterea tanquã patrono ac defenſore ſuo deſtituta, facilè capi, facilè in eorum inſidias venire poterat, qui tam diu in eam adeò graui inuidia flagraſſent. Itaq; teſtudinibus & machinis inimicorum, hoſtiumq; qui nõ oculis cerni illi quidem, ſed mentis acie ſolum percipi poſſunt, obiecta, notabili ruina concidit: vſque eò, vt lapis virtutis ſuper lapidẽ conſiſtens, nõ omnino permaneret in ea, ſed tota penitùs humi proſtrata tanquã mortua iaceret, naturalib. Dei notionibus omnino orbata. Eam igitur quæ erat ad Dei imaginẽ fabricata, delapſam vaſtauit nõ aper hic de ſylua, qui ſub aſpectu noſtro ſubijcitur: ſed pernicioſus dæmõ, & agreſtes belluæ, quæ cogitatione ſolũ intelliguntur: quæ quidẽ prauis affectionib. quaſi ardentibus ſuæ improbitatis telis illã incẽderunt, itaque igne ſacrũ reuera Dei concremarunt ſanctuarium, in terraq; polluerunt tabernaculum nominis eius. Deinde eam miſeram magno aggere obruentes, in deſperationem omnis ſalutis prorſus coniecerunt. Verùm hic curator eius, ſalutaris Dei ſermo, ſplendor patris, illam vbi debita pro peccatis ſuis luiſſet ſupplicia, iterum dẽintegrò incredibili patris optimi erga humanum genus clementiæ obſecutus, in priſtinum ſtatum reſtituit. Rurſus,† cùm poſtea à diaboli miniſtris oppugnata eſſet, ſeruauit incolumẽ: ac primùm Imperatoribus ac principibus ſummis ſanctiſſimisque ſibi aſcitis, eorum opera vniuerſum mundũ omnibus impijs ac peſtiferis hominib. atq; adeò crudelibus & Deo infeſtis tyrannis, tanquã labe pernicioſa, perpurgauit. Deinde verò viros ſibi cognitos, hoc eſt iampridẽ ipſi per vitæ ſanctimoniã conſecratos, clã & occultè tanquã in triſti & aſpera perſecutionis procella, ipſius protectione quaſi integumento quodã opertos obductoſq; in lucẽ educens, & præclaris ſacri Spiritus donis perpulchrè adornans, rurſus animas paulò antè velut ſordibus inuolutas, omni colluuie & ingenti impiorum decretorum aceruo oppreſſas, per iſtos palis & ligonibus, hoc eſt acrib. ad animum ferièdum ſalutaris doctrinæ monitis effodit, expurgauit, abſterſit: & vbi locũ ac ſedem mentis omnium veſtrũ ſplendidam & claram effecerat, de reliquo huic ſapiẽti & pio præſidi cõcredidit: qui vt in alijs rebus tum ad iudicandum acutus, tũ ad orationem, quid in

Vaticinia cõpleta in Tyrẽ eccleſia Paulini operæ.

2. Cor. 6.

Animæ tem. plum, quomodo à dæmone corruptum, et per Chriſtum rurſum inſtauratum.

Pſal. 73.

†Vide ſup. not. pag. 111. lat. 1. lin. 17.

Sublatis malis principib. boni ſucceſſerunt.

Paulini in templo Dei purgando & instaurando diligentia & industria.

quaq; re agendum sit, incundā perspicax existit: sic in interiore animarū tanquam sorti- A tò illi cōmissarum cogitatione rectè discernenda, & benignè disquirēda prudens & gravis: & à primo ferè die hucusq; in animo cuiusq;, sicut cuiq; accommodatum censuit, ædificare non aliquando cessauit. Interdum aurum fulgens, nonnunquā probatum & purum argentū, eximios non rarò ac pretiosos lapides, vt sacrā denuò ac mysticā suis erga vos officijs cōpleret prophetiam, per quā dictum est: Ecce ego præparo tibi carbun- " culum lapidē tuum, & fundamenta tua sapphyrum, & propugnacula tua iaspidem, & " portas tuas lapides crystalli, & murum tuū lapides electos, & omnes filios tuos doctos à " Deo, & in multa pace liberos tuos, & in iusticia ædificaberis. Iusticia igitur ædificans, " pro ratione totius populi suas distribuit facultates. Nōnullos exteriore ambitu ceu muro circumsepit: hoc est, fide non ficta vndiq; munit: cuius generis infinita est multitudo, quæ structurā magnificentiorem ferre non valet. Quosdam ad introitus versus templū inferius patentes admittit: illosq; ianitores constituit, vt homines in templum intromittant: qui sanè tanquam templi vestibula non immeritò putantur. Alios primis columnis aulam templi ad quadrati speciem extrinsecus ambientib. suffulcit: id est, intra prima literæ quatuor Euangeliorum quasi repagula introducit. Alios ad sanctuarij septa collocat, nempe catechumenos, & eos qui in incremento ac progressu fidei versantur, quiq́ue ab intimis arcanisq; mysterijs, quibus perfectè fideles fruuntur, non longè separantur. Ex istorum numero, eos quorum animæ diuino lauacro instar auri purgatæ sunt, omniq́ue macula vacuæ, assumit: atque ex illis deinde alios columnis interioris ac mysticæ Sacrarum literarum intelligentiæ, quæ sunt exterioribus illis columnis multo splendidiores, sustentat: alios fenestris, per quas lumen sancti Spiritus in corda infunditur, mirè collustrat. Porrò vestibulo vno maximo ad summi regis & solius Dei gloriam, templū vniuersum decorat: duas etiā secundas fenestras ad gloriam Christi & Spiritus sancti, eiusdem cum patre authoritatis ac potentiæ, vtrinq; construit. In cæteris totius templi partib. illustria veritatis cuiusq; sigillatim in fide nostra contentæ indicia, & quasi notas ante oculos omnium statuit. Præterea iste Paulinus vndiq; viuos in terra gradientes, ac solidos animorum lapides deligens, amplam & regalem domū, splendidam & plenam luminis ex omnibus fabricauit. Actum interiores, tum exteriores eius partes (quia non ex anima solū & mente, sed etiam ex corpore constant) florido B & insigni castitatis modestiæq́ue ornatu illustrauit. Insunt porrò in hoc templo throni, sellæ infinitæ, & subsellia, quæ sunt animæ illæ, in quibus diuini spiritus dona penitùs insident: qualia quondam inter sacros Apostolos cernebantur, quibus linguæ igneę diuisæ & dispertitæ apparuerunt, & singulæ in singulos eorum resederunt. Sed sicut in omnium vestri præside ipse Christus totus reuera consident: sic in illis qui secundas virtutis post eum obtinent, singuli secundū proportionē illius quod capere possunt, discretas Christi virtutis & Spiritus sancti portiones assequuntur. Animæ item quorundam sunt sedes angelorum, qui ad quemque ipsorum tum instituendum, tum custodiendum assignantur. Augustum porrò, ingens, & vnum altare, quid aliud significat, quàm purum sanctum sanctorum animi, qui est communis omnium sacerdos: cui ad dextram assistens magnus ipse totius orbis Pontifex Iesus vnigenitus Dei filius, & fragrans incensum, & precum sacrificia, sanguinis & concretæ materiæ expertia, ab omnibus læto aspectu, & supinis ac erectis manibus excipiens, cælesti patri Deo omnipotenti offert, ipseq́ue primus patrem adorat, & solus dignum decus tribuit, ac venerationem: deinde ab eo sine intermissione flagitat, vt nobis omnibus benignus & propitius esse perseueret. Eiusmodi est immensum illud templum, quod per vniuersum orbem sub sole situm, magnus omnium rerum opifex Dei sermo fabricauit. Inq́ue eodem effigiem glorioſi templi supra cæli globos positi, sola mente comprehensam inter homines accuratè expressit: vt omnis creatura, animaliaq́ue in terra rationis capacia, patrem ipsius vero honore & cultu afficeret. Qui etiam ipsam regionem supercælestem, & loca ibi sita (quæ sunt exemplaria horum quæ hic apud nos sunt) superioremq́ue Hierusalem, cælestem montem Sion, & ciuitatem excellsam Dei viuentis construxit: in qua innumerabiles angelorum turmæ, & ecclesia primogenitorum, qui ciues in cælum ascripti sunt, laudibus & præconijs, quæ nec dicendo exprimi, nec cogitatione comprehendi possunt, suum creatorem, & omnium ducem ac moderatorem venerantur. Quem pro dignitate quis mortalis valet satis præ- " dicatione celebrare? Nam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen- " derunt, ea quę præparauit Deus diligentib. se. Quarum quidem rerum quoniā Deus in " hac etiam vita nos aliqua ex parte effecit participes, omnes pariter, viri vnà cum pueris & mulieribus, obscuri pariter & nobiles, vno spiritu, vna anima eius nomen confiteri, tanto-

Throni, sellæ, subsellia, mystice considerata.

Altare vnicum & summum.

Hierusalē cælestis nostræ ecclesiæ idea.

1. Cor. 2.

A tantorum bonorum authorem laude prædicare non desistamus: Qui propitiatur om- *Psal. 102.*
" nibus iniquitatib. nostris, qui sanat omnes infirmitates nostras: qui redimit de interitu
" vitā nostram, qui coronat nos in misericordia & miserationibus: qui replet in bonis de-
" siderium nostrum. Quia non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundū ini-
" quitates nostras retribuit nobis. Quia quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à
" nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus
" timentium se. Hæc igitur & nunc, & in vniuersum tempus posterum, memoria renouā- *Gratiarum actio & preces pro æterna ecclesiæ pace.*
tes, quinetiam causam huius celebritatis & splendidæ ac præclaræ diei, eiusdemque veluti coryphæum & ducem Deum noctes diesq;, omni hora, omni denique vitæ cursu, quo spiritum ducimus, ante oculos mentis nostræ proponentes, totis animæ viribus diligamus, veneremurq;. Et iā consurgentes, magna interioris cogitationis ac desiderij nostri tanquā voce ei supplicemus, vt sub suo ouili nos perpetuò protegat, cōseruet: & æternā deniq; pacē, quæ nec robore frangi, nec tempestate conquassari potest, nobis clemens impertiat, in Christo Iesu seruatore nostro, cui gloria in omnē ęternitatē, Amen.

Sequitur iam, vt imperatoria edicta per Constantinum & Licinium edita hoc loco citemus.

IMPERATORIORVM EDICTORVM EXEMPLAR.

CAPVT V.

Constantini & Licinij imp. edictum pro Christianis.

Huc refer Nicephor. lib. 7. ca. 41. item ca. 42. lib. eiusdē. Ad integrū huius edicto rum tractatum refer ea quæ supra sunt relata li. 1. cap. 29.

CVm iampridem religionis libertatem nemini denegandam esse, sed cuiusque menti & voluntati potestatem permittendam, ritus & instituta diuina pro sua animi voluntate & arbitrio excolēdi cōsideraremus: mandatū dedimus, vt cùm singuli alij, tum Christiani, suæ sectæ & religionis fidem integrè obseruarent. Sed quoniam in eo rescripto, in quo eiusmodi illis cōcedebatur facultas, multæ sententiæ dubiæ & controuersæ inesse videbantur: quidam illorum propterea fortasse paulò pòst, præ metu ab illius obseruatione repulsi sunt. Quapropter cùm ego Constantinus Augustus, & ego Licinius Augustus prospero itinere Mediolanum peruenissemus, & omnia quæ ad vtilitatem & commodum Reipub. pertinebant, accuratè disquireremus: ista inter cætera quæ plebi vniuersæ perutilia videbātur, maximè omnium decernenda existimauimus, quibus reuerentia & diuinus cultus contineretur: hoc est, vt tum Christianis, tum alijs omnib. liberam optionem omnino daremus, eam religionem sequendi, quā ipsi in animos inducerēt: quò quæcunq; sit diuinitatis & cælestis numinis potentia, nobis, ac vniuersis qui sub nostra ditione vitam degunt, clemens & propitia esse posset. Istam igitur nostram voluntatem ac sententiam recta ratione ac cōsilio decidimus, vt nemini prorsus libertas negetur, Christianorū obseruantiam & cultum imitandi, amplexandiq́ue: & cuiq; detur copia, suam mentem ei religioni addicendi, quā ipse sibi maximè cōuenire cēfuerit: * quò diuinum numen in omnib. quæ molimur, cōsuetam curam, studium & bonitatem in nos ostendat. De qua quidem voluntate nostra consentaneū fuit ad te rescribere, vt tum controuersæ illæ sententiæ quæ prioribus literis ad tuam pietatem missis de Christianis continebantur, penitùs tollerentur: tum ea quæ videbantur admodum seuera, & à nostra mansuetudine ac clementia aliena, omnino abrogarentur: atque adeò iam quisq; eorum qui induxerint in animum, Christianorum religionem obseruare, liberè, minimè fucatè, & absque vlla molestia aut perturbatione cuiusquam, hoc ipsum custodiat. Quæ quidē tuæ solertiæ plenissimè significare decreuimus, vt intelligas, nos liberam ac solutā Christianis facultatem concessisse, suam ipsorum religionē sedulò excolendi. Quod † quoniam tua pietas perspicit à nobis liberè illis esse concessum, alijsq; etiā potestatem factā, eum obseruantiæ & religionis modū, quem apud animum proposuerint, consectandi: & nostrorum temporū tranquillitati & quieti reuerà accommodatum esse, vt quisque facultatem habeat deligendi, obseruandiq; eam in Deo colendo rationē, quæ sibi maximè placuerit; hocq; à nobis factitatum esse, vt nullius honoris, nullius religionis authoritas à nobis vlla ex parte imminui videatur: tuarū partium est prouidere, vt nemo impediatur, quo minus suæ professioni firmè ad hæresc at. Istud etiā præter cętera nominatim Christianis decernimus, vt loca eorū, in quę ipsis in more positū erat, antea cōuenire (de quib. quidem rebus literis superiorib. ad tuam sanctimoniā datis, alia formula eō tempore à nobis erat definita & præscripta) si qui vel à quæstore nostro, vel ab alio quo- piā ea emisse videantur, Christianis absq; argēto, absq; vlla repetitione pretij, quod in illis emendis collocauerant, sine omni mora & dubitatione restituant. Et si qui ipsa loca pro munere fuerint adepti, vt ipsis Christianis quàm celerrimè reddant: ac si qui ea aut

Christianæ religionis libertas decreta.

Templa Christianis restituenda, & gratis.

coeme-

* Vide Sozom. lib. 1. cap. 8. & 9. ca. 12. lib. 2. ca. 25. Theodorit. lib. 1. cap. 15. 16. 17. Socrat. li. 1. cap. 14.

† Vide supra li. 2. cap. 9. ca. 1. 2. & 3. & infra hoc lib. cap. 6. 7. item de vita Constant. li. 2. ca. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 47. & lib. 4. ca. 25. 26. 27. 28. de Sozom. lib. 1. cap. 8. lib. 2. ca. 25. Theodorit. lib. 1. cap. 15. 16. 17. Socrat. li. 1. cap. 14.

† Vide antinor. li. 15. lat. alin. 7. 10. 11.

coemerint,aut dono receperint,aliquid à noſtra bonitate poſtulēt: præfectum q; qui re- A
gioni,in qua habitant,præeſt, adeant, quò ipſorum etiam à noſtra munificentia pro-
uiſio & cura ſuſcipiatur. Quæ quidē omnia Chriſtianorum ſocietati tuo ſtudio & in-
duſtria,extemplò,& ſine vlla dilatione reſtituenda cures, oportebit. Ac quoniam ipſi
Chriſtiani non ſolùm ea loca in quæ conuenire ſolent, ſed alia etiam habuiſſe cogno-
ſcuntur,quæ non priuatim ad ſingulos, ſed ad ius totius ipſorum communitatis,id eſt,
Chriſtianorum ſpectabant:ſingulis qui ea poſſident, mandes velim, vt omnia per legē,
quam ſuprà poſuimus,abſq; vlla controuerſia Chriſtianis, id eſt,ſocietati ipſorum &
conuentui reddant: modò ratio ipſa antè demonſtrata ſedulò conſeruetur,nimirum vt
illi qui ſine repetitione precij,ſicuti antea diximus,ea reſtituāt,ſuas res & facultates abſ-
que damno à noſtra beneficentia compenſatas fore pro certo expectent. In quibus om-
nib. prædictæ Chriſtianorum cōmunitati, ſtudium & diligentiam pro virili tua parte
vel maximam adhibere debes,vt noſtrum citiſſimè conficiatur mandatum,quò ad hūc
modum communi & publicæ tranquillitati à noſtra benignitate rectè proſpiciatur. Nā
hac ratione,ſicuti dictum eſt,diuinum erga nos ſtudium, quod in multis iam rebus ex-
perti ſumus,perpetuò nobis firmum ac ſtabile permanebit. Vt igitur huius noſtræ ſan-
ctionis & beneficentiæ deciſio ad omnium notitiam perferatur, has noſtras literas vbi-
que proponi,& in cuiuſq; cognitionem venire conſentaneum eſt, quò lex à noſtra cle-
mentia ſancita neminem omnino latere poſſit.

Communes etiam poſſeſſiones Chriſtianis reſtituendæ.

Exemplar alterius edicti,quod ab Imperatoribus factum eſt,vt ſuā beneficentiam erga ſolam Eccleſiam catholicam oſtentatam,perſpicuè omnibus ſignificarent.

Salue Aniline,nobis in primis venerande. Eſt hæc noſtræ clementiæ ratio & mo- Videbant conſtitutionem primam Lectum in uilegia Codicis de hæret. et Manich. Cod. Theod. lib. 16. tit. 10. l. 1. partim, iuxta Cuiacium B Cod. de epiſcop. & Clericis Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. l. 1. item 16. 1. Cæ. Gen. ralitatis. Nouellæ.
dus Aniline honoratiſſime,vt illa quæ ad alienum ius pertinent, non ſolū non pertur-
bare,ſed etiam cuiq; reſtituere quā maximè cupiamus. Quare volumus,vt ſimulac haſ-
ce literas à nobis acceperis,ſi quæ ex his poſſeſſionibus,quę ad catholicam Chriſtianorū
eccleſiam in quibuſq; ciuitatibus aut alijs locis pertinent, etiam adhuc à ciuibus, aut ab
alijs quibuſdam retineantur, eas quā primum ijſdem Eccleſijs facias reſtiſtui. Quando-
quidem animo inſtituimus,vt ea quæ eccleſiæ antea poſſederunt,ad ipſarum ius denuò
reuertantur. Cùm igitur tua pietas animaduertat,decretum hoc abſque dubio de no
ſtra ſententia eſſe publicatū,enitere atq; elabora,vt ſiue horti,ſiue ædes,ſiue aliud quod-
cunque aliquando ad jus ipſarum eccleſiarum ſpectauerit, omnia illis quàm celerrimè
reddantur,vt te huic noſtro edicto diligētiſſimum obſequium præſtitiſſe intelligamus.
Vale Aniline honoratiſſime,nobiſque chariſſime.

Eccleſiæ catholicæ bona ſingulis reſtituenda.

Exemplar epiſtolæ Conſtantini Imperatoris,per quam epiſcoporum concilium Romæ præcipit fieri,pro eccleſiarum vnitate & concordia.

CONSTANTINVS AVGVSTVS MILTIADAE *epiſcopo Romano,& Marco, S.*

Quoniam eiuſmodi literæ complures,ab Anilino clariſſimo Africæ proconſule ad
me miſſæ ſunt,in quibus conſtat Cecilianum epiſcopum ciuitatis Carthaginenſium à
quibuſdam collegis ſuis in Africa ordinatis epiſcopis,multis de rebus in crimen vocari,
& illud per mihi moleſtum videtur,vt in his prouincijs, quas diuina prouidentia vltrò
ac ſua ſponte ſub meum ſubiunxerit imperium, & in illis locis in quibus crebra ho-
minum frequentia verſatur,non modò multitudo ad dereriora deflectat, & diſtrahitur
diſſidijs,ſed epiſcopi etiam, diſcordiam inter ſe ipſi exerceant: viſum eſt mihi vt idem
Cecilianus cum decē epiſcopis,q illum reum facere videntur, & decem alijs,quos ipſe
ſuæ litis dijudicationi neceſſarios exiſtimauerit, Romam nauigio traijciat,vt ibi coram
vobis,& Rhetecio etiam, & Materno & Marino collegis veſtris(quos ea de cauſa Ro-
mam maturare iuſſerim)poſſit audiri, ſicut ſanctiſſima Dei lex,vti noſtis,poſtulat. Atq;
vt de omnibus hiſce pleniſſimam accuratiſſimamque notitiam poſitis habere, exem-
plaria literarum ad me ab Anilino miſſarum, literis meis ſubſcripta, ad veſtros prædi-
ctos collegas miſi. Quas cū veſtra grauitas perlegerit, exquiſitè ponderabit,quo modo,
quáue ratione lis illa,quam ſuprà diximus, diligentiſſimè rectiſſimeque dirimatur,& ex iuris præſcripto tandem aliquando abſoluatur: quandoquidem illud veſtrum ſtu-
dium minimè latet, me tantam reuerentiam ſanctæ & catholicæ Eccleſiæ tribue-
re,vt velim vos nullum generale ſchiſma, nullam diſcordiam in vllo lo-
co omnino relinquere. Summa magni Dei maieſtas vos ho-
noratiſſimi viri multis annis conſeruet.

Vult ad Romanum Pontificem Cypriani cauſā deferri.

Tollenda plane inter Epiſcopos diſſidia.

Exemplar

Exemplar epiſtolæ Imperatoris,per quam iubet ſecundum concilium fieri,pro omni inter epiſcopos diſcordia tollenda.

CONSTANTINVS AVGVSTVS CHRESTO, *Syracuſanorum epiſcopo, S.*

Iamdudum cùm nonnulli improbo & peruerſo animo à ſancta religione & cæle- *Indicto Arelatæ concilio, epiſcoporum animos cōciliare nititur.*
ſti Euangelij doctrina ac potentia,& à catholica Eccleſiæ opinione deſciſcere cœperint:
cupiens equidem eiuſmodi lites & controuerſias inter vos ortas diſſoluere,ita ſcripſi,vt
miſſis à Gallia quibuſdam epiſcopis,quinetiam ex Africa alijs aduerſarum partium ac-
cerſitis,qui inter ſe maxima cum pertinacia & animorum contentione digladiantur,
& epiſcopo Romano etiam coràm,hoc diſſenſionis, quicquid videatur,poſsit illis præ-
ſentibus,accurata dijudicatione in rectam viam reduci. Verùm quoniam(ſicut vſuue-
nit)quidam tum ſuæ ſalutis, tum veri cultus, qui ſanctiſſimæ Chriſti religioni debetur,
penitùs obliti,adhuc priuatas inimicitias exercere, & graues ſimultates gerere non deſi-
nunt,dum nolunt aut Concilij iudicio iam facto acquieſcere:dumq; definitè affirmant,
paucos admodum fuiſſe qui ſuas ipſorum ſententias palàm in Concilio proferebant,
ijq; ipſi cùm non omnia quæ antè quæri debuerant, accuratè queſita eſſent,ad iudicium
dandum properè & valdè celeriter feſtinabant: atque ex his omnibus ea fieri contigit,
vt tum illi ipſi quos fraternum & concordem animorum conſenſum inter ipſos reti-
nere oportuerat, turpi,imò nefaria & impia diſſenſione diſcordent:tum alijs homini- *Epiſcoporum diſſidia eccleſiam gentibus ridiculam fáciunt.*
bus qui mentes à ſanctiſſima religione alienas habent, anſam ludibrij & irriſionis præ-
ſtent:idcirco mihi ſedulò prouidendum erat, vt iſtud quod poſt iudicium antea pro-
nunciatum,ſua ſponte componi & tranquillari debuerat, etiam iam tandem multis *Epiſcopi vetes etiam opes & comitatum habuerunt. Latronianus Siciliæ conductor.*
præſentibus epiſcopis exitum & finem conſequatur. Proinde quoniam plurimos epi-
ſcopos ex locis diuerſis & propè infinitis in vrbem Aretaleſiorum ad Calendas Auguſti
conuenire mandauimus, tibi etiam per literas ſignificandum putauimus, vt accepta
rheda publica à clariſſimo viro Latroniano Siciliæ conductore: duobus item alijs epi-
ſcopis ex ſecunda ſede,quos tuipſe tibi maximè deligendos iudicaueris,tibi in ſocieta-
tem aſcitis: quinetiam tribus famulis,qui vobis inter vias miniſtrent,aſſumptis,ad eum
B diem in loco præſcripto alijs occurras: quo per tuam grauitatem, & conſentientē ſen-
tentiam reliquorum qui eò comeant, hoc diſſidium,quod hactenus improbè ob tur-
pes & ſceleſtas concertationes continuatum fuit, ſimulatque ea quæ ab vtraque factio-
ne epiſcoporum(quos ſimpliciter adeſſe mandauimus)audita fuerint, poſſit,licet ſerò,
ad debitam religionem,fidem & fraternam concordiam aliquando reuocari. Deus o-
mnipotens in multos annos te nobis ſeruet incolumem.

Exemplar epiſtolæ Imperatoris, per quam pecuniæ eccleſijs donatæ fuerunt.

CONSTANTINVS AVGVSTVS CECILIANO EPISCOPO *Carthaginenſi, S.*

De pecunijs eccleſijs à Conſtantino donatis. CAP. VI.

Hucrefer Nicephor. ca. 42. li. 7. Vitam Cōſtant. lib. 1. ca. 34. 35. 36. lib. 4. ca. 1. 2. 3. 4. Sozom. lib. 2. ca. 32. quib. locis agitur de donatione Conſtantini & munificentia eius: quib. adiungēdi ſunt loci Iſidori vicini & cōſoni. Fanatici & hæretici. Ibique detractores & prauatores ab eccleſia per magiſtratū excommunicati, terminādi, uertant, Dei opt. max. numen te in multos annos conſeruet.



Voniam viſum eſt nobis,per omnes prouincias Africæ, Numidiæ & Mauritaniæ,certis quibuſdam legitimæ & ſanctiſſimæ religionis catholicæ miniſtris in ſumptus communes aliquid ſuppeditare,literas ad Vrſum,virum nobiliſsimum,Quæſtorem noſtrum in Africa,dedi:& ei ſignificaui,vt tria millia φόλεις tuæ grauitati numeranda curaret. Tu igitur quando prædictam pecuniæ ſummam recipiendam curaueris, omnibus qui in ſcheda ad te ab Oſio miſſa antè ſcripti ſunt,has pecunias diſpertiri iubeto. Quod ſi aliquid ad iſtud meum in hac re erga omnes hos inſtitutum cumulatè explendum deeſſe animaduertas,ab Heraclida noſtrarum poſſeſsionum procuratore,audacter & abſque hæſitatione, quod neceſſarium fore putaueris,poſtules velim. Nam illi corā imperaui, vt ſi quid pecuniæ tua grauitas ab eo peteret,abſque dubitatione vlla tibi numerandū curaret. Et quoniā accepi quoſdā homines non animo ſatis rectè compoſito & conſtituto, populum à ſanctiſsima & catholica Eccleſia,mala & pernicioſa corruptela velle auertere:ſcias velim,me Auilino procōſuli,quinetiam Patricio præfectorum vicario,cùm præſtò apud me eſſent,talia mandata dediſſe, vt cùm in reliquis omnib. tum in hoc maximè curam diligentem ponerent: rem ciuſmodi,ſi fortè acciderit,nullo modo negligerent. Quaptopter ſi quos homines in eo furore & amentia inhæreſcere perſpicias, abiecta omni cunctatione, iudices (quos dixi)adito,& hoc idem illis referto, vt illi in hos, ſicut coràm mandaui,animaduertant. Deus opt. max. numen te in multos annos conſeruet.

Epiphanius de menſuris & ponderib. φόλις,ὅ καὶ ταλάντιον καλεῖται. λιτρῶν ἐστὶ δύο ἀβαρῶν σταθμῷ συγκειμένη, ἥ γίνονται ἀνκάριαι, καὶ φόλεις δύο λέγονται, κατὰ τὸν ἀντεφιστέον, ἀλλ' οὐ κατὰ τὸν ἀργυρικόν. *Denarius valet groſſos Anglic. Summa; 27000. lib. 1575. marc. Anglic.*

Exemplar

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exemplar epistolæ Imperatoris, per quam ecclesiarum præfectos ab omni ciuili & communi Reip. administratione immunes esse mandat. A

De Clericorum immunitate. CAPVT VII.

Salue Auiline nobis cum primis obseruande.

† Vide annot. pag. 15. lat. 2. lin. 15.

QVoniam multis argumentis constat, religionem, in qua summus & perfectus cultus sacrosanctæ & cælesti Dei potentiæ †debitus omnino consistit, neglectam & contemptam, magna pericula Reip. attulisse: eandemque sanctè augusteque obseruatam, tum maximam Romano nomini ac splendori prosperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus felicitatem (diuina beneficentia illud largiente) apportasse: visum est, vt illi homines, qui debita cum sanctimonia, & assidua legis diuinæ obseruatione, sua ministeria huic diuinæ religioni excolendæ impertiant, Auiline honoratissime, pro laboribus suis digna præmia reportent. Quare eos qui in prouincia tuæ fidei concredita, in Ecclesia catholica, cui Cecilianus præest, huic sanctæ religioni sedulò inseruiunt (quos clericos nominare solent) ab omnibus omnino communibus & ciuilibus Rerumpub. ministerijs immunes ac solutos volo: vt nullo modo per errorem vel per sacrilegam ac profanam prolaptionem, quæ in huiusmodi negotijs accidere solent, à cultu diuinæ maiestati debito abstrahantur, sed absque vlla molestia propriæ legi obsequium præstent. Qui quidem cùm sacrum numen summo honore & veneratione prosequantur, incredibile est, quantum Reipub. adiumenti videantur allaturi. Vale Auiline venerande.

Vide Nicephor. li. 7. cap. 42. Vide Lactantium de episco. & cleric. Vide supra cap. 5. hoc li. Sozom. li. 1. cap. 9.

Clerici à pub. & ciuilib. ministerijs liberati.

De secunda Licinij malignitate, & eius morte. CAP. VIII.

Licinius superiorum tyrannorũ pœnis nihil motus exemplũ imitatur.

EIusmodi nobis beneficia, diuina & cælestis gratia Seruatoris nostri, benignè in nos intuentis, tandem tribuit. Tanta item bonorum affluentia omnibus hominibus ex pace nobis restituta, suppeditata est: atque ad hunc modum Ecclesia magna exultare lætitia, & insigni celebritate triumphare cœpit. Verùm neque inuido hosti probitatis, omnisque impietatis fautori diabolo, spectaculum istarum rerum quæ cernebantur, tolerandum videbatur. Neque itidem Licinio, calamitosi vitæ exitus qui tyrannis suprà demonstratis obtigerant, satis exempli ad modestiam & moderationem animi excolendam dederunt. Qui, cùm imperium suum prosperè & ex animi sententia sibi succederet, & secundas in honore post Constantinum Magnum obtinuisset, & vir sororis factus esset, & summa propinquitate dignatus: relicta præclarorum hominum imitatione, perditos impiorum tyrannorum mores æmulatus est: & quorum miserum vitæ exitum oculis conspexisset, eorum perditam mentem sequi maluit, quàm in constante viri præstabilioris amore & amicitia acquiescere. Inuidia namque contra Constantinum summum suum patronum inflamatus, non naturæ leges reueritus, non iusiurandi, non sanguinis, non fœderum recordatus, pestiferum contra eum & crudele bellum excitat. Etenim vt Constantinus tanquam optimus & clementissimus princeps, quò in eum veræ beneuolentiæ indicia declararet, suam ipsius cognationem illi non inuidit, illustres nuptias sororis non denegauit: paternæ etiam cognationis, regijq; sanguinis antiquitùs ducti compotem fieri voluit, omnium imperio tanquam affini & totius regni consorti perfruendi potestatem tribuit, nec minorem inferioremq; partem nationum Romanorum ditioni subiectarum procurandam administrandamque concessit: sic iste vicissim contraria his omnibus admittere, omnes machinas quotidie contra superiorem suum excogitare, omnes insidiarum vias perquisitare cœpit, vt malefactis benefacta patroni sui compensaret.

Huc refer Nicephor. ca. 44. li. 7. Socrat. li. 1. cap. 2.

Licinij in Cõstantinũ Imp. inuidia, bellũ & interitus.

Primùm igitur perditum conatum suum occultare molitus, amicum se Constantini esse simulauit: ac dolo & fraude rem sæpenumero aggressus, facillimè quod expectabat se consequuturum sperauit. Verùm Deus Constantino amicus fuit, curator eius & custos beneuolus, qui insidias in occulto & obscuris tenebris ei comparatas in lucem eduxit, easque patefecit. Tanta igitur sunt & tam firma pietatis arma, vt non solum ad depulsionem hostium, sed etiam ad salutis nostræ propugnationem satis habeant præsidij: quibus quidem sanctissimus Imperator noster præclarè septus, multiplices & callidas hostis execrabilis insidias euitauit. Licinius deinde, vbi suos clandestinos conatus neutiquam ex animi sententia procedere vidit (Deus enim omnem dolum ac fallaciam pio Imperatori aperuerat) cũ amplius facinus celare non posset, bellum palàm mouet. Ac dum cum Constantino prælium inire cogitabat, iam etiam contra Deum omnium moderatorem, quem norat Constantinum colere, aciem instruere instituit. Deinde pios homines ipsius imperio subditos, qui nunquã eius regnum illo afficere incõmodo in animum induxissent, pedetentim & ex occulto oppugnare conatus est. Atq; grauiter à sua sibi insita prauitate delinquere cõpulsus, hoc facinus cõsciuit. Neq; igitur illos, qui ante eum Christianos fuissent persecuti, ante oculos statuit: neq; quos ipse propter impia eorum scelera neci dedisset, debitoq; affecisset supplicio, memoria tenuit: sed à recta ratione & pacato mentis statu deturbatus, & animi furore planè exagitatus, contra Deum ipsum, Constantini propugnatorẽ, Constantini loco, quem propugnabat, bellũ gerere decreuit. Ac primum Christianum quemq; ex ædibus suis eijcit, & sic infelix iste precibus eorum ad Deum pro se fusis, quas pro omnibus etiã enixè fieri patria illorum & auita disciplina postulat, se penitùs orbauit. Deinde milites Christianos in singulis ciuitatibus ex aliorum militum numero eximi, eosq; si nõ sua spõte dæmonibus immolare instituerent, de dignitatis gradu deijci mandat. Cæterùm ista exigua quidem sunt, si cum maioribus eius sceleribus collatione quadam cõparentur. Sed quid attinet sigillatim res ab isto Dei aduersario gestas cõmemorare, quo pacto legum violator maximus, legem tulit, ne quis clementia adductus, quicquã alimenti illis impertiret, neue corũ misereretur, qui in vinculis fame enecti erant: neq; quemquã omninò illorum, qui ab ipsa natura trahebantur ad proximorum cõmiserationem, vel in bonorum numero haberi deberẽ, vel boni quicquã agere censuit. Atq; hæc inter leges suas egregiè impudens, & planè crudelis fuit, vtpotè quæ omnẽ humanam & mansuetã naturam ex animis hominum penitùs exturbauerit: per quam idẽ supplicium illis, qui cõmiserabantur afflictos, decernebatur, quod illi perpessi fuerant, quos cõmiserabantur: perq; eandem iubebatur, vt qui benignitatis aliquid in eos, qui in carcere torquebantur, conferrent, in vincula & custodiam conijcti, parem pœnam cum illis subirent. Talia fuêre Licinij decreta. Quid præterea attinet eius de nuptijs cõtrahendis innouationes enumerare, vel nouas de his, qui vita decesserant, sanctiones persequi, quibus veteres Romanorum leges præclarè & eximiè promulgatas, refringere ausus est, & barbaras quasdã, immanes, iniquas reuera & iniustas leges in earum locum inducere? Quid infinitos etiam modos & rationes cõmemorem, quas ad gentes sibi subiectas opprimendas excogitauit? Quid varias cuiusq; generis auri & argenti exactiones, quid terræ dimensiones, quid damnosum quæstum, quem ex hominibus agricolis, quibus non amplius vita suppeditabat, sed iampridẽ fuerant morte extincti, facere non dubitauit, oratione cõplectar? Quid exilij genera persequar, quæ iste humani generis hostis contra innocentes inuenit? quid falsas criminationes, quas contra patricios & nobiles homines confinxit, recenseam? quorum teneras vxores vi ab ipsis abreptas, quò eas turpis flagitij ignominia deformaret, sceleſtis & perditis seruis abutendas tradidit. Quid dicã de mulieribus in matrimonium collocatis, in quas iste decrepitus senex impetum fecit? Quid virgines adolescentulas enumerem, in quas quò effusam & intemperantẽ animi sui libidinem expleret, contumelioſe insultauit? Quid in istis narrandis prolixum sermonẽ instituere opus est, cùm postrema eius facinora adeò extra omnẽ modum prodierint, vt prima exigua esse & propè nulla cõuincant? Exitus enim illius furoris in episcopos grassatus est: & istos, vtpotè Dei omniũ moderatoris famulos, suis conatib, quos moliebatur, reluctaturos arbitratus: quanquã nõdum velut aperto Marte, propterea quòd superiorẽ imperatorem pertimescebat, clàm tamen & doloſe machinas contra eos cõparauit, & per insidias à præfectis suis in eos factas, illorum facilè spectatissimos è medio sustulit. Ac modus & ratio cædis, qua in illos vsus est peregrina, & anteà nunquam vlla seculorum memoria audita: quæ porrò apud Amasiam & reliquas Ponti ciuitates ab eo patrata sint, omnẽ crudelitatis modum longè superant: in quo loco quædã ecclesiarum Dei è sublimi deiectæ sunt, soloq; adæquatæ: aliæ aũt occlusæ, ne quisquã eorum, qui eas frequentare consueuerunt, eo cõmeet, néue debitos Deo ibi cultus impertiat. Non enim putauit pro se illic preces Deo offerri, vtpotè quem mala conscientia in eã opinionem induxisset: sed nos pro pij imperatoris Constãtini incolumitate omnia exequi, & Deum orationib. pro eo placare persuasum habuit. Vnde omnẽ furoris sui impetum in nos intorquere statuit. Præfecti igitur, qui assentationibus dediti erant, se gratum impuro tyranno facturos rati, quosdã episcopos more hominum maleficorum (qui enim nihil mali cõmiserant, absq; causa erant tamquam sicarij ad pœnã abducti, & grauiter multati) acerbis supplicijs affecerunt: alij iam corpore in multas particulas dissecto, nouum mortis genus & vitæ exitum sustinuerũt: & post crudele illud horrendumq; spectaculũ, quò à piscib. deuorarẽtur, in altos maris gurgites erãt precipitati. His accesserunt piorũ virorũ fugę: quinetiã ex Dei seruis alijin

Licinij in Christianos & in Constãtinũ arma.

Licinij lex crudelis, magis quã vlla lex Draconis.

Licinius veteres & præclaras Romanorũ Leges abolet, vt barbaras suas in earum locũ surroget. Rapinis, stupris, adulterijs incumbit.

Licinij in Episcopos tyrannis.

Præfecti assentationibus dediti procurant martyria sanctorum. Noua supplicioru genera.

Universidad de Deusto
Biblioteca

agros, nonnulli in solitudines, quidam in syluas se abdiderunt, non pauci ad montes se A contulerunt.

De Constantini victoria, & ijs, qui per eum in Romanorum ditionem venerunt.

CAPVT IX.

Licinium persecutionem renouare conatur.

Huc refert Nicephorus ca. 45. li. 7. Vide de vita Constā. lib. 1. ca. 4.

VBi igitur sceleratus tyrannus ista ad hunc modum succedere animaduertit, de reliquo contra omnes Christianos persecutionem commouere in animum induxit. in qua re certè voti compos fuisset, & nihil ei fuisset impedimento, quo minus in instituto opere processisset, si Deus seruorum suorum propugnator non celerimè, vti & futurū erat præuerteret, famulum suum Constantinum, tanquā splendidū quoddam lucis iubar, in obscuris tenebris & caliginosa nocte de improuiso apparens, tum liberatorē omnibus excitasset: tum in brachio excelso in ea loca, in quibus tyrannus versabatur, quasi manu duxisset, cui quidem trophæa victoriæ contra impios, quasi fructum ipsius pietati debitum, cœlitus largitus est. At sacrilegum illū & nefandum tyrannum Licinium, vnà cum consiliarijs omnibus & amicis, sub Constantini pedib. prostrauit. Nam vbi eius insania ad extremam ruit dementiā, imperator Deo charus non amplius ferendū putauit, sed modesta animi ratione rem reputans, & seuerā æquitatis regulam cū humanitate & clementia temperans, propenso studio eos, qui tyrannidis iugo miserè opprimebantur, maturè iuuandos censuit: atq; infinitum hominū genus, paucis nefarijs hominibus tanquā quibusdam corruptelis è medio sublatis, incolume seruare aggreditur. Nam cum ipse sola humanitate temporib. antegressis vsus fuisset, & Licinium, qui nulla cōmiseratione dignus erat, cōmiseratus: ei, vtpote à prauitate neutiquam decedenti, sed potius rabiem suam contra gentes sibi subiectas augenti, nihil omninò profuit. Atq; illis, qui ab immani illa bellua diuexabantur, nulla fuit salutis spes relicta. Quapropter iste bonorum adiutor & patronus, nequitiæ odium cū amore virtutis permiscens, simul cum filio Crispo imperatore humanissimo, salutari dextra omnibus, qui propè perierant, porrecta & ostentata, contra tyrannum proficiscitur. Pater simul ac filius Deum patrē, rerum vniuersarum rectorem, & Dei filiū, omnium seruatorem, ducem auxiliatoremq; adepti, vndiq; acie contra impios circumiecta & disposita, perfacilē reportant victoriam: hostesq; vniuersos in dimicatione illa, Dei ope, ex animi sententia profligant. Quocirca derepentè, & penè dicto citius, qui heri & nudiustertius B mortem & terrorē spirabant, nō amplius superfuerunt, imò ne minimā quidem nominis sui memoriam post se reliquerunt: tituli aūt eorum, & honoris insignia, debita ignominiæ labe aspersi. Ac quæ Licinius impijs iamdudum tyrannis obtigisse oculis aspexisset, eadem pari ratione cū illis perpessus est: idq; meritò. Nam neq; disciplinā admittere voluit: neq; proximorum flagellis admonitus, sapere aliquando didicit. Persimilē igitur cum illis impietatis viam persecutus, ad persimile etiam cum eisdem calamitatis præcipitium non sine causa ruit. Atq; iste hoc modo tandem perculsus & profligatus, decubuit: Constantinus autem victor, omni genere pietatis ornatus, vnà cum filio Crispo, imperatore Deo charissimo, & patris rebus in omnibus simili, Oriētem in suam redegit potestatem: atq; Romanorum imperium, sicut iam olim fuerat, in vnum redegit, & regnum vniuersum à sole oriente vndiq; ad extremas occidentis oras, & ad alteras vtrasq; mundi plagas, Boream pariter & meridiem, cum tranquilla pace obtinuit. Proinde metus tyrannidis, qua ante premebantur, tum ex hominū vita prorsus sublatus fuit: tunc frequentes conuentus acti, tum festi dies celebrati: tunc omnia lætitia redundarūt. tunc qui antè demissa & contracta fronte erant, hilari vultu & læto oculorum obtutu aspexerunt: tunc choreis, tū hymnis tam per singulas ciuitates, quàm per agros primùm * Deum summum omnium regem esse, huncq; reuera esse prædicarunt: deinde piū Imperatorem, ac liberos Deo in primis charos, laudibus extulerunt. Tunc veterum nulla recordatio malorum, tunc omnis impietatis obliuio, tunc suauis præsentium bonorū vsus & oblectatio, tunc iucunda expectatio futurorum: tunc deniq; non decreta solum Imperatoris, victoris illustrissimi, plena humanitatis, plena clementiæ, verumetiam leges eximia magnificentiæ illius & veræ pietatis indicia complectentes, in locis quibusq; diuulgatæ. Sic ergo pestifera totius tyrannidis labe purgata, deletaque, Constantinus solum, & liberi, Imperij iure ad ipsos pertinentis gubernacula, authoritate & præsidio firma, inuidiæ ac metus expertia, deinceps possederunt. Qui quidem, simulatq; principio regni infestos Dei hostes è mundo sustulerant, Deum bonorum, quibus fruebantur, authorem verè agnoscentes, singulare virtutis & pietatis studium, verum diuini numinis cultum, & gratiarum actionem, quas ei pro beneficijs debebant, per sanctiones & edicta pro Christianis edita, palàm ac perspicuè commonstrarunt.

Constantini Imp. & Crispi F. contra Licinii expeditio, deq; eodem victoria.

Sub vno Imp. Constantino pax vniuersa Ecclesiæ.

* Videantur pa. nic. lat. a. fi. 29

Ecclesiæ pacatæ exultatio.

EIVS-

A

EIVSDEM EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESARIAE PALAESTINAE, DE VITA SANCTISSIMI Imperatoris Constantini, Libri quatuor.

Eusebius hoc capite Constantinum ait imperasse amplius triginta annis, & vixisse eo temporis spatio conduplicato: Ruffinus ait, eum defunctum esse anno Imperij sui 31. id quod ipse Eusebius in Chronicis interpretatus ait eum imperasse annis 30. & mensibus decem, in vita autem Constantini, lib. 4. cap. 53. ait eum imperasse 32. annos, demptis aliquot mensibus & diebus, & imperasse temporis eodem spatio conduplicato. Socrates demum libro primo, cap. 26. ait, eum defunctum esse anno ætatis suæ sexagesimo quinto, ita vt ad annum 65. complendum duo menses reliqui fuerint. Tantum igitur hi quatuor libri continent historiæ, quantum intrà Christi annum 275. Aureliani Imp. 2. quo natus est, & 34. Christi, Imperij sui vltimum inchoatum, quo mortuus est, interstitij comprehenduntur: Authores autem ijdem illi huc referendi sunt, quos retulimus supra, ad lib. 7. 8. 9. & 10.

Prœmium de morte Constantini, & de liberis eius Imperatoribus: & quòd Deus Imperatores pios honorat, & tyrannos perimit: quodque Deus Constantinum honorauit, qui annos plusquàm triginta pie Imperium solus administrauit: vixit autem annos supra sexaginta.

CAPVT I.

Vide Niceph. lib. 8 ca. 54. 55. Theod. lib. 1. ca. 32. 34. Socrat. lib. 1. cap. 26. Sozom. li. 2. cap. 32. Russ. lib. 1. cap. 11.

QVEMADMODVM vniuersum hominum genus illustrem & prepotentem nostrum Imperatorem, ad decimum quemque Imperij annum ratis conuersionibus iterum ac tertiò reuolutum, diebus festis epulisque solennibus magnificè celebrauit: ita nos quoque, non solum cum iam viginti annos regnasset, multisque victoriæ trophæis esset nobilitatus, illum amplo ministrorum Dei consessu stipatum, diuinis laudibus ad cælum vsque extulimus: a verumetiam cum triginta annos modò in hoc imperandi munere confecisset, augustū illius ca-

Panegyrici in laudem Constantini decimo quoq; imperij illius anno celebrati.

Modestè sibi benevolentiā & attentionē parat ab argumenti magnitudine per cōparationem.

a Sentit de ea oratione, quam subiunctā vltimo loco hic vide de laudibus Constantini.

B put orationibus, tanq; coronis ex varijs floscul is pulchrè contextis, nuper in ipsa regia mirificè decorauimus. Verū nunc b quasi in ambiguo hærens cōsisto, & dū aueo aliquid, quod est in communi dicendi consuetudine positum, perspicuè eloqui, velut anceps & incertus, non habeo quò me vertam, sola peregrini & insolentis aspectus admirabilitate obstupefactus. Nam in quamcunq; mundi partem, siue ad solis ortum, siue ad occasum, siue ad vniuersæ terræ ambitum, siue ad cœlum ipsum aciem acriter intendo, nusquam non Imperatorem illum beatum præstò esse conspicor. Eius enim liberos, tanquam lumina quædam recens accensa, & ex patris splendore profusa, omnes terræ oras sua claritate cōplere video: illumq; ipsum vi & virtute viuentem, & totum vitæ nostræ curſum multo quàm antea splendidius præclariusque propterea gubernantem cerno, quòd eiusmodi numero liberorum, à quibus ei in Imperij administratione successum est, amplificatus sit: qui quidem sicut non ita pridem fuêre Cæsarei honoris & dignitatis facti participes, ita iam vera patris sui persona omninò propter singularem pietatis & diuini cultus præstantiam induti, Imperatores, Augusti, Reges etiam declarati sunt, denique omnibus patris ornamentis eximiè illustrati. Atque cum illum, qui paulò antè in compagibus mortalis corporis cernebatur conclusus, quique cum admiratione nobiscum vnà versabatur, etiam post extremum vitæ diem (quando natura, si quid supervacaneum sit, illud tanquam alienum solet arguere), & regalium ædium magnificentia eadem, & eisdem tum honorum, tum laudum insignibus dignatum contemplor, quasi mente captus, supra modum obstupesco. Quinetiam cum iam aciem oculorum adijcio ad ipsum cœli complexum omnia vndique ambigentem, & eius beatissimum animum ibi cum ipso Deo vita frui cogitatione informo, & nō modo omni caduco mortalique integumento exutum, verumetiam apparatu fulgoris radijs mirè splendescente collustratum, & neutiquam in isto exigui temporis anfractu amplius ad mortalium cō suetudinem volutatum, sed corona, quæ perpetuò florebit, vita quæ nullum exitum est habitura, beati æui denique immortalitate honorificè donatum mecum cōsidero: stupore oppressus penitùs conticesco, & tanquam mutus nullam emitto vocem, sed mea ipsius tenuitate viribusq; imbecillis condemnatis, atque adeò silentio mihijpsi indicto, locum do meliori: Deo videlicet immortali, qui & amplitudinem laudis dignitati eius ex æquo respondentis dicēdo assequi, & cū verus sermo sit, suas ipsius voces (quibus prę-

b Sentit de 4. his libris de vita Cōstantini.

Constantini Imp. liberi, parentis defuncti hæredes ac successores in Imperio & honoribus.

Amplificat præsentis argumenti difficultatem.

2. Cor. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deus pios principes honorat, tyrannos extinguit.

dixit, illos qui ipsum gloria efferunt, & obseruantia venerantur, muneribus, quæ ipsorũ A gratiam compensent, mirum in modum ab se remuneratos fore: hos autem, qui se inimicos, & hostes illi ex aduerso opponant, ipsos sibi suum interitum tandem ascituros) verè confirmare queat. Atque promissa in sacro ipsius verbo comprehensa, hinc iam rata fideliaq; comprobauit, quòd tum tyrannos, qui cum ipso inimicitias exercere, bellũque gerere non dubitarent, horrendis & detestabilibus mortis generibus affecerit: tum suo ipsius famulo, præterquàm quòd vitã eximiam largitus sit, mortem præterea decore admirabilem, celebritate insignem, dignam cõmemoratione posteritatis, dignã columellis, non caducis illis quidem, sed immortalibus concesserit. mortalium enim natura solatio quodam sui caduci & fragilis exitus excogitato, superiorum hominũ memorias, imaginum monumentis, tanquam immortali honoris claritate illustrauit. Ac

Memoriæ ad posteros propagandæ studiũ in Ethnicis.

quidam adumbratas corporum effigies picturis cera oblitis varijsq; floribus collustratis exprimentes: alij statuas, quæ è materia inanima sculptæ, hominum species repræsentabant, artificiosè fabricantes: nõnulli literas maiusculas in tabulis quadratis & columellis altius incidentes, clarorum virorum virtutes memoriæ sempiternæ commendare studuerunt. Verùm quanquã ista omnia fuêre mortalia & temporis longinquitate absumpta confectaq;, (vtpote quæ mortalium corporum simulacra, non immortalis animi speciem figurarint:) illis tamen satis esse putabantur, quorum in animis nullius alterius boni post huius fragilis vitæ exitum futuri spes omninò insidebat. At Deus, Deus,

Deus Constãtinum virtutis & pietatis exemplar Imperatoribus posteris proposuit.

inquam, cõmunis huius vniuersitatis conseruator, ampliora bona, ac longè maiora quàm quæ sub mortalium cogitationem cadant, pietatis & veræ religionis amatoribus habet apud se recondita: & præmiorum quasi primitias hic arrabonis loco dat, quò immortalium rerum spem oculis quodam modo mortalibus ostentatam probè confirmare queat. Hæc namque, vetera prophetarum oracula, quæ scriptis mandata sunt, vaticinantur. Hæc, vitæ instituta piorum virorum, qui iam olim varijs virtutum generib. excelluerunt, posteris prodita, apertè testantur. Hæc tempus nostræ ætatis vera esse conuincit: quo quidem tempore Constantinus solus ex illis, qui vnquam Romani imperij administrationem susceperint, Deo omnium moderatori eximiè charus, clarum ac euidens piæ & religiosæ viuendi rationis exemplar omnibus hominibus proposuit ad imitandum. Hæc etiam Deus ipse, quem Constantinus sanctè coluit, claris propterea & B euidentibus testimonijs confirmauit, quòd non modò ei gubernacula Imperij iam primùm capessenti, sed etiam in eo longiùs gradienti, & iam peragenti extrema, benignè & clementer opem tulit: quem quidem virum vniuerso mortalium generi documentũ statuit, piè vitam sancteq; instituendi. Cum igitur solum inter Imperatores ex omni seculorum memoria famę celebritate nobilitatos, tanquam maximum luminare, & prę-

Constantini Imp. ætas, & Imperij tempus.

conem verę pietatis facilè clarissimum, varijs cuiusque generis bonis ei suppeditatis, sub aspectu hominum subiecit ad intuendum; regni tempus ad amplius triginta annorum curricula plenè expleta confectaq;, cum summo honore illi propagauit. Quo annorũ spacio duplicato, totius vitæ orbem, quem inter homines peragrabat, quasi termino quodam circũscripsit: & quo suæ ipsius monarchię effigiem ob oculos cuiusq; poneret, illum & victorem omnium hominum tyrannidem exercentium effecit, & interfectorem gigantum, qui cum Deo prælium iniuissent: quique animi insolentia ac temeritate elati, contra ipsum summum totius orbis moderatorem, crudelia impietatis arma

Deus opera Constantini vsus est in Tyrannis puniendis.

ferre non dubitassent: qui vixdum (propè dixerim) in lucem prodierant, cum iam extincti fuerunt. Deus enim vnus ac solus cum famulum suum Constantinum vnum cõtra multos diuina texisset armatura, omnibusque pręsidijs muniuisset, eius opera mortalũ genus scelerata impiorum turba perpurgauit: eumq;, ipsum veri sui numinis cultus &

Constantinus verũ Deum agnouit.

obseruantiæ magistrum omnibus gentibus exhibuit: qui virtutibus cuiusque generis tãquam clara voce testificatus est, tum quòd verum Deum agnosceret, tum quòd eorum, qui nequaquam dij sunt, prorsus detestabatur errorem.

Quòd Dei quidem seruus fuerit, gentium autem victor. CAP. II.

Constantinus Dei seruus et hominum victor.

Hicigitur, vtpote fidelis & spectatus Dei famulus, istud præstitit, prædicauit apud omnes, seque & Dei seruum palàm nuncupauit, & ministrum summi regis inuenè confessus est. Itaq; Deus, neque id ita multo pòst, quò eius obsequium abunde compensaret, moderatorem constituit & dominum: atq; solum inter Imperatores, qui post homines natos extiterũt, talem effecit victorem, qualis nec armis expugnari, nec viribus vllis (quippè illustria victoriæ trophæa perpetuò reportauit) vnquam superari poterat: tantum etiam Imperatorem, quantũ à nemine fama & auditione veterum prædicatum aliquando accepimus: adeò Deo charum, & verè beatum, adeò piũ &

Constantini victoria, ex imperij amplitudo diuinitus.

cumula-

A cumulatè felicem, vt facilè ac nullo propè negotio tum gentes multò plures, quàm quæ antè imperio Romano partiissent, suæ ditioni subijceret, tum regno sine molestia & ægritudine ad extremum eius exitum omninò perfungeretur.

Constantini cum rege Persarum & Alexandro Macedonum rege comparatio. CAPVT III.

Curterius recte adnotauit, hæc in Græco exemplari esse corrupta. Christophorsonus. n. hic ingentem lacunã expleuit, quã videre licet in annotationibus siue castigationibus nostris Græcis pagi. 119. iat. 1. lin. 4.

Cyri præstantia & mors.

Cyrum Persarum regem, præ cæteris, qui aliquando vixerint, præstantem & eximium extitisse, vetus hominum sermo celebrat: * verùm non est eum vitæ exitum, qui istas res exornaret, consecutus. Ad extremum namq;, mortẽ non vt natura postulabat, neq; ad longinquum tempus dilatam, neq; eam quidem honestam & decoram, sed turpem planè & valdè ignominiosam, à muliere illatam subijsse fertur. A-

Alexandri Magni præmatura & miseramors: & regni eius diuisio.

lexandrum porrò Macedonum regem Græci infinita diuersarum gentium ac nationũ genera subegisse prædicant: verùm priusquàm perfectam ætatem explere posset, commestationibus & ebrietate derepentè oppressum, immaturâ morte occubuisse: totoque vitæ spacio compleuisse duos solũ & triginta annos, ac paulò amplius quàm tertia eorũ parte tempus regni terminasse: per cædem & sanguinem instar vibrati fulminis, crudeliter grassatum esse: gentes & ciuitates vniuersas, nulla ætatis ratione habita, in seruitutem redegisse. Et cum iam eius ætas in ipso flore esse videretur, fatum violento impetu in eum inuasisse: delitiasq; suas post se relinquere grauiter & acerbè lamentantem, orbum liberis, stirpe & lare carentem, in extera regione & infesta, ne diutius mortalium genus eius crudelitate labefactaretur, extinxisse. Mox regnum, inter eius ministros, dum quisque partem aliquam occupare & vi rapere moliebatur, sigillatim diuisum fuisse, atque istum tali laudum genere celebratum constat.

Quòd orbem propemodum vniuersum subegerit. CAP. IIII.

Vide Niceph. lib. 7. cap. 46. Vide supra lib. 10. c. 9.

Constantini virtute orbis ferè vniuersus subactus.

At noster hic Imperator, eo ætatis tempore regnum obtinuit, quo ille Macedo cessit è vita. Illius autem vitæ spacium, temporis propagatione dupli cauit: regnique longitudinem triplo reddidit diuturniorem. Porrò autem cùm mansuetis & modestis pietatis præceptis exercitum muniuisset, in Britanniam, & eos, qui fluctiB bus Oceani solis occasum suis quasi oris terminantis, vndiq; circundati habitant, inuasit: Scythiam quoq; vniuersam sub ipsa septentrione, in infinita barbarorũ hominum genera moribus & vitæ ratione disparia partitam, ad suum adiunxit imperium. Iam ve-

Imperij fines sub Constantino.

rò fines Imperij ad meridiei extremitates, ad Blemmyas nimirum, & Aethyopes vsque dilatauit: atq; eos præterea, qui versus solis ortum incolebant, in suam ditionem & potestatem redegit. Principes item variorum locorum, gentiumq; dominos & satrapas, ad ipsos vsq; totius orbis terminos, hoc est, ad Indos, vltimos totius terræ (quo vno elemento res ad vitæ vsum necessariæ suppetunt) accolas diffusos, luce ac splendore pietatis illuminans, suo imperio reddidit obsequentes. Barbaras etiam gentes, quæ sua sponte libentibusque animis eum amplexabantur, muneribus ad illum missis, per legatos, eius gratiam aucupatæ sunt: & familiaritatem cum eo inire, amicitiamq; iungere, maximi beneficij loco putauerunt: sic vt eximijs imaginum picturis, præclaris statuarum monumentis illum apud se decorarent. Quid multa? inter Imperatores solus Constantinus a-

Constantini celebritas & propagandæ veræ Religionis studium.

pud omnes omnium sermone ac fama, maxima cum amplitudine celebratus fuit: qui Deum, quem ipse augustè coluit, ad hasce gentes vsque magnifica & verè regia voce, liberè & ingenuè omninò prædicauit. Deinde non verbo istud præstitit, & frustratus est reipsa: sed per omnes virtutum quasi regiones peragrans, vario ac multiplici pietatis fructu se illustrem effecit, nobiles & præstantes viros amplis perliberalibusq; beneficijs ad

Constantini erga subditos beneuolentia non verbis sed rebus ipsis nixa.

sibi seruiendum deuinxit: legibus autem humanitatis & clementiæ obstrictos tenuit: Imperiumque suum omnibus, qui ipsi parebant, mansuetum, & cum primis optabile catenus exhibuit, quoad longinquo annorum circuitu diuinis obeundis certaminibus confectus & exhaustus, à Deo, quem religiosè venerabatur, immortalitatis prẽmijs donatus esset: triplicique sobolis fœtu, qui post ipsum in Imperium succederet, in lucem suscepto, ex mortali regno ad vitam immortalem apud Deum sanctis animis recondi-

Constantini Imperium ad liberos et nepotes propagatũ, ab Imperatore patre per manus acceptũ.

tam migrauisset.

Quòd filius Imperatoris Pius, etiam Imperatoribus filijs Imperium reliquerit. CAPVT V.

Videe eosdẽ authores istos primo cap. citatos.

Atque vt imperij sedes à patre ducta, ad eum descendit: sic lege naturæ liberis illius, eorumq; posteris reseruata fuit, & tanquam paterna quædam hæreditas ad sempiternum tempus propè continuata. Deus igitur ipse, qui illum verè beatũ, non modò dũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

adhuc vnà nobiscum hac luce frueretur, ad illustres dignitatis gradus extulit, verumetiam cum ex hac corporis custodia euolasset, multò præstantioribus honoris ornamentis in ipso cœlo cohonestauit: res ab eo præclarè gestas literis sempiternis prodat, & cœlestium monumentorum tabulis præmia eius rectè factis congruentia commendet ad perpetuitatem. A

Quòd historia hæc necessaria sit, & ad animorum salutem conducibilis.

CAPVT VI.

Quid impulerit Euseb. ad describendam Constantini vitam.

Augumenti dignitas.

MIhi quidem, etsi viri felicitate & beata vita aliquid dignum dicendo persequi, valdè arduum est, eandem autem silentio præterire tutum & periculo vacuũ: tamen necesse est ad caducæ cuiusdam & vmbratilis picturę similitudinem, hominis pij effigiem orationis artificio posterorum memoriæ prodere, quò ipsi inertiæ & desidiæ crimen, quod alioqui nobis fortè obijci posset, omninò euitemus. Me enim planè puderet, si dicendi facultatem, quæ mihi suppetit, licet exiguam eam quidem & pertenuem, in illum, qui sit verum Dei cultum summa obseruantia & honore prosecutus, non pro virili parte conferre laborarem. Atque arbitror equidem, hoc opus, quod magni animi & verè regij facta Deo omnium regi adeò grata acceptaq; complectitur, non

Copia dicendi.

modò ad vitæ vsum aptum, sed mihi reuera in primis necessarium fore. An non turpe est, nos quidem conticescere, quibus Deus ipse pro sua clementia largitus est, vt & talem haberemus Imperatorem, & in eius conspectum, noticiam ac colloquium veniremus,

Aemulatio scriptorũ, qui deteriora ipsi didè tractant.

qualem nulla ætas hactenus cognouerit: cùm rerum tum à Nerone, tùm ab alijs quibusdam impijs & nefarijs tyrannis, eo multò nequioribus gestarum commemoratio, tam diligentes assequuta sit & impigros scriptores, qui improborum facinorum argumenta splendido & illustri genere orationis exornare, historiarumq; monumẽtis in varios libros dispertitis consecrare non grauati sunt? Quocirca nobis præter cæteros valdè consentaneum videtur, vt eximiam & illustrem virtutis eius & rerum gestarum famam palàm prædicemus omnibus illis, quorũ desiderium ad diuinum amorem amplexandum præclarorũ imitatio mirè possit incendere. Nam illi, hominum impurorũ vitæ institutа & res gestas, ad mores rectius informandos penitùs inutiles (vel gratia quorundã, vel odio, vel suæ deniq; ipsorum doctrinæ ostentandæ causa fortè impulsi) exquisita verborum elegantia, cum orationis volubilitate coniũcta, turpes & flagitiosas res tragicè quidem & amplè, sed parum vtiliter ad hominum vitam, narrare aggressi sunt: & illis, qui per Dei gratiam illud obtinuissent, vt vitam culpæ expertem degerent, non honestè facta, sed ea, quæ erant obliuione ac tenebris prorsus abruenda, proposuerunt ad contemplandum. Quod autem ad meam in dicendo vim & facultatem attinet, quamuis præmagnitudine rerum oratione explicandarum non sine causa langueſcat: tamen aperta & simplici præclarorum ad narrandum facinorum susceptione se debet denuò recreare. Rerum namq; præclarè & diuinitùs gestarum commemoratio, non incommodam quidem & iniucundam lectionem, his præsertim, qui sunt animo benè constituti, sed ad vitam instruendam perquàm vtilem & fructuosam est planè allatura. B

Historiæ huius vtilitas.

Quòd ea Constantini gesta sola nunc commemoret, quæ ad pietatem pertinent.

CAPVT VII.

Constantini res quàm potissimum celebraturus sit Eusebius.

AEterùm permulta, quæ de hoc Imperatore summè beato narrari possent, vt acies instructas, commissa prælia, res in illis strenuè & fortiter gestas, partas victorias, trophæa contra hostes statuta, triumphos quos egerit, ea etiam, quæ ad cuiusq; vtilitatem fuerint ab eo descripta, legum sanctiones, quas ad Reip. & subiectorum emolumentum instituerit, pleraq; alia illustria & regalia certamina cõfecta, quæ apud omnes crebro sermone commemorata sunt, arbitror à me prætermitti debere: quippe cum institutum, quo omnis ista tractatio referenda est, me admonere videatur, vt ea sola tum dicendo, tum scribendo exponam, quæ ad vitam piè religioseque

Obseruandum discrimen prophanæ & ecclesiasticæ historiæ.

degendam spectent. Quæ cũ propè infinita sint, ex his, quæ perlata sunt ad nos, ea sumã, quæ & maximè ad vitam opportuna, & posterorum memoria dignissima iudicentur. In quibus exponendis, quoad fieri potest, breuitatem sequar maximè: præsertim cũ tempus deinceps facultatem dederit, laudes Imperatoris verè beati quouis dicendi genere liberius & diffusius prædicandi. Nam antehac istud munus minimè propterea obire licebat, quòd nobis veterum præcepto vetitum sit, ne quenquam ante mortem propter varias & incertas vitæ mutationes omninò beatum existimemus. Dei ergo patris implorемus auxilium, & filij eius cœlestis Verbi opem, vt nobis in hoc negotio, diuino eius afflatu subueniat. Sic igitur ab ipsis Imperatoris incunabulis scribere ingrediemur.

Beatus nemo ante mortem censendus.

Quod

Quòd in tyrannorum ædibus, vt Moyses, educatus sit Constantinus.

CAPVT VIII.

Vide Nicephor. li. 7. cap. 18. Vide infra cap. 13. 14. hoc lib.

VIm crudele quoddam tyrannorum genus populum Hebræorum labore & cruciatu, sicut vetere iam fama ac sermone celebratum est, grauiter afflictaret: Deus illum ita diuexatum commiseratus, benignè respexit: Moysenque propheram, cũ adhuc puer esset, in ipsis medijs tyrannorum domicilijs, & quasi intimis recessib. educandum, atq; adeò sapiẽtia quæ apud illos fuit, imbuendum prouidè curauit. Postea verò iste Dei propheta, cũ tempore progrediente vir inter viros esse cœpit, & vltio diuina iniquè oppressorum vindex, ad iniustos punien-

Moyses in tyrannorũ ædib. educatus.

dos pro foribus adfuit: ex tyrannorum ædibus egressus, numinis summi consilio & voluntati lubens obtemperauit: atque vt à necessitudine tyrannorum qui ipsum educassent, verbo reque ipsa animo fuit quàm maximè abalienato, ita suos natura ac verè fratres cognatosque sibi summa amicitia & familiaritate deuinxit. Cuius opera Deus He-

Exod. 2. 3. 4. Act. 7.

Moyses duxit populi Israelis.

bræos, cùm eum vniuersæ illorum genti ducem præfecisset, deinceps ex seruitutis iugo, quo ab hostibus premebantur, penitùs liberauit: genus autem tyrannorum supplicijs cœlitùs inflictis, acerbè insectatus est. Atque vt sermo ille de rebus à Moyse mirandum in modum gestis, ab antiquis iam deriuatus temporibus, licet plerisq; fabulæ loco habitus sit, omnium tamen aures iampridem compleuit: sic Deus insignia miraculorũ spectacula, quæ commenta fabularum longè superant, quæque propter veritatem omnes famę & rumoris opiniones facilè vincunt, oculis nostris iam nuper contemplanda subiecit. Nam tametsi tyranni, qui nostra iam memoria contra Deum omnium moderatorem bellum mouere enixè moliebantur, ecclesiam miserè diuexarint: Constantinus tamen, medius inter hos interiectus (qui quidem paulò pòst tyrannos è medio sustulit) dum adhuc adolescens esset, ætate tenera, facie venusta, & lanuginis flore decora,

Constantinus inter tyrannos, perinde vt Moyses, educatus: & à Deo, ne corrumperetur, seruatus.

non aliter atque ille ipse Dei famulus Moyses, in familijs tyrannorum assiduè vitam degit. Qui quanquam, quum nondum ex ephebis excessisset, cum impijs versabatur, non tamen similes cum illis mores cõbibit. Nam ingenua eius & proba indoles diuino sancti Spiritus instinctu pulsa, illum ex ea consuetudine ad piam viuendi rationem, Deoque gratam traduxit. Quinetiam singulare paternæ virtutis æmulãdæ studium, adolescentem magnoperè ad bonorum pellexit imitationem. Ei enim pater (cuius memoriam opportunè hoc loco recordatione renouare operæprecium est) fuit Constantius, inter Imperatores nostri temporis facilè illustrissimus. De quo ea necesse habeo breuiter oratione percurrere, quæ filio nonnihil ornamẽti adferant ad commendationem. B

Constantius Imp. Constantini pater.

De patre eius Constantio, qui non vt Diocletianus, Maximianus & Maxentius, Christianos persequutus est.

CAP. IX.

Huc refer Nicephor. ca. 19. li. 7.

VM quatuor in Romani Imperij gubernandi societatẽ iungebantur, solus hic fœdere amicitiæ cum Deo omnium gubernatore pacto, modum vitæ à cæterorum institutis alienum disparemque consectatus est. Illi enim Dei ecclesias obsidione vastare, euertere radicitùs, solo æquare, ac templa concussis fundamentis disturbatisq;, prorsus delere aggressi sunt: hic autem à nefando & detestabili illorum scelere manus integras & inuiolatas continuit, neque vlla ex parte se similem eis præbuit. Illi intestina virorum simul ac mulierum pietatem maximè excolentium cæde, prouincias suæ ditioni subiectas scelerate contaminarunt: hic suam ipsius animam à sceleris labe vacuam assiduè conseruauit. Illi, quò mala omnia in vnum coaceruarent, vocibus quibusdam execrabilibus, quæ in simulachrorum cultu fundi solent, primùm seipsos, deinde omnes qui ipsorum obsequebantur imperio, nefariæ dæmonum venerationi deuouerunt: hic pacis tranquillissimæ, illis qui ab ipso regebantur, author factus, liberam eis veræ in Deum religionis sine molestia excolendæ permisit potestatem. Quinetiam alij vitam omniũ mortalium, haud vitalem illam quidem, imò verò morte ipsa longè acerbiorem, propterea effecerunt, quòd tributa ab illis exigebant planè intolerabilia: Constantius solus & Imperium placidum præstitit ac tranquillum suis, & non aliter atque pater indulgens illis sedulò prospexit, atque adeò opitulatus est. Cæterùm cùm alia sint eius virtutis ornamenta propè infinita, eaq; omnium ore ac sermone percelebrata, vno & altero præclarè facto, quibus ea quæ silentio prætereuntur, melius certiusque intelligantur, oratione nostra percursis, ad institutam scriptionem sermonem deinceps transferemus.

Imperatores simul quatuor: eorumq; vnicus tantũ Constantinus pietatis studiosus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo Constantius pater, obiecta illi per probrum à Diocletiano paupertate, postquam ærarium compleuerat, pecunias rursus ijs qui attulerant, reddiderit.

CAPVT X.

VBi multus & creber sermo de isto Imperatore passim fama peruagatus est, quòd mansuetus erat, quòd spectatus, quòd ardenter vitæ sanctimoniam consectabatur, quòd propter incredibilem in eos qui ipsius parebant Imperio, clementiam & benignitatem, nullum thesaurum sibi omnino reposuerat: Imperator, qui id temporis summum Imperij gradum obtinuit, legatis ad illum missis, dissolutam eius in Republica administranda negligentiam grauiter increpare cœpit: paupertatem tanquam probrum obijcere: hocque ad rei confirmationem argumenti loco vsurpare, quòd nihil prorsus pecuniæ haberet in thesauris reconditum. Hic tum legatos qui ab Imperatore venerant, aliquandiu moram facere precatus, ex omnibus gentibus suæ ditioni subiectis, eos qui maximis diuitiarum copijs circumfluebant, in vnum conuocauit: pecunia dixit sibi opus esse: & illud tempus opportunè oblatum, quo quemque propensum studium & beneuolentiam erga dominũ ac regem suum declarare par esset. Quo audito, hanc occasionem quæ diu ipsis in optatis fuisset, beneuolæ suæ in illum voluntatis perspicuè significandæ statuentes, abiecta omni cunctatione, maturè auro, argento, & alijs opum facultatum que generibus ærariacius complere laborant, studio quodam & ardore ipsos inter se, quò alius alium in largiendo superaret, vehementer contendunt, hocq; præstiterunt valde læto & hilari vultu. Qua re confecta, Constantius legatos ab Imperatore summo missos, thesauri sui spectatores fieri voluit. Quos testes fore iussit eorum quæ oculis vidissent: illisque retulit, quemadmodum thesaurus ille, qui in præsentia in ipsius ærariacollectus erat & conditus, iampridem fuisset apud pecuniæ suæ & diuitiarum dominos, tanquam custodes tutissimos conseruatus. Istos igitur rei gestæ permagna cœpit admiratio. Imperator autem benignissimus, post eorum discessum, pecuniæ illius dominos denuò accersit: illosque cum obsequij ac singularis beneuolentiæ causa humanissimè tractauisset, suis receptis omnibus facultatibus, domum reuerti iubet. Atque vt ista vna res est à Constantio gesta, quæ illustre sanè humanitatis specimen dat, & clementię: sic altera insigne pietatis erga Deum testimonium continet.

Diocletianus Constantino paupertatem obijcit.

Constantij in colligenda pecunia, & confutanda Diocletiani obiectione industria.

Constantius pecunias ex ærario, ijs qui attulerant, reddit.

De persecutionibus ab alijs factis: & quomodo pater eius Constantius, imposita sibi eidololatræ persona, eos qui sacrificare animum induxerant, reiecerit: qui verò confiteri statuerant, in palatio retinuerit: & de eius grato erga Christum animo ac beneuolentia. CAP. XI.

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 19.

CVm magistratus in singulis prouincijs ex Imperatorum mandato, pios homines passim inhumanè & grauiter persequerentur: & sancti martyres qui in ipsis Imperatorum palatijs versabantur, primi omnium certamina pro pietate obirent: ignemque, ferrum, vastos maris gurgites, omnia denique mortis genera, summa cum animi alacritate & tolerantia subirent, vsq; eò vti breui Imperatorum regiæ sanctis viris essent omnino orbatæ (quæ res, authores maleficij, clementi Dei obtutu curationeque prorsus priuauit: quippe qui dum homines pios insectarentur, etiam eorum preces insectati sunt, & abs se penitùs auerterunt) soli Constantio sapiens quædã & solers animi occurrit cogitatio: & facinus facit, vt incredibile auditu, ita factu in primis admirabile. Nam illis qui in regia ipsi inseruiebant, libera data optione (quæ etiam illis, qui aliquem dignitatis gradum in familia eius obtinebant, delata fuit) hanc tulit conditionem, vt vel dæmonibus immolando integram haberent potestatem tum apud ipsum commorandi, tum consuetis honorib. perfruendi: vel si minus hoc exequerentur, aditu ad ipsum prohiberẽtur, & à consuetudine ipsius ac familiaritate penitùs repellerentur, reijcerenturque. Postquam igitur in duas partes dirempti fuerunt, alijque in hanc, alij in illam segregati: ilico singuli, quo animo essent & instituto, perspicuè ostenderunt. Ibi tum admirabilis ille Constantius, commẽto quod cælatum erat, statim pòst patefacto, quorundam timiditatem, & nimium amorem quo ipsi se suamque vitam complectebantur, vehementer coarguit: alios ob synceram & integram erga Deum mentem approbauit plurimùm. illos deinde tanquam Dei proditores, Imperatoris seruitio indignos censuit. Quomodo enim, inquit, fidem erga Imperatorem seruare poterunt inuiolatam, qui aduersus Deum opt. max. perfidi esse manifestò conuincuntur? Quapropter hos procul à regali suo domicilio statuit amandãdos: illos verò qui veritatis testimonio digni Deo fuêre cõprobati, similes erga Imperatorem fore affirmans, stipatores suos, & ipsius regni custodes constituit: inquiens, id genus

Imperatorum aulici martyres.

Tyrannos pio rum precibus se ipsos priuare.

Constantius quomodo pios ab impijs inter aulicos suos discreuerit.

Infideles erga Deũ principib. suis non esse fideles, iudicat Constantius.

A genus homines in præcipuis maximeque necessarijs amicis & familiaribus numerandos esse, multoque pluris quàm ærariaingenti thesauro referta, meritò æstimãdos. Sed qualis Cõstantini pater fuisse traditus sit, ita est à nobis breuiter explicatum. Qualis autem exitus eum, qui talem se erga Deum ostenderit, sit consecutus: quamq; moribus & vita dissimilis eorum qui eiusdem imperij cum eo participes fuerunt, à Deo quem sedulò coluit, factus, cuique in naturam & conditionem rerum ab illis gestarum aciem animi intendenti est ad intelligendum perfacile. Nam cùm iam longo temporis spacio eximia & spectata satis regiæ virtutis indicia dedisset, tandem repudiata penitùs impiorum in varijs dijs colendis superstitione, Deum omnium moderatorem vltrò agnouit, & sanctorum virorum precibus suam firmè muniuit familiam: & reliquum vitæ cursum expeditum, perturbatione vacuũ, magna cum laude transegit: & quod vulgò beatum prædicant, neque quicquam ipse habuit molestiæ, neque alteri aliquãdo exhibuit. Sic igitur omne tempus regni constans & tranquillum liberis & coniugi cum tota famulorum turba præstitit, omnemque suam familiam vni regi Deo consecrauit: adeò vt multitudo quæ intra regiam ipsam coiuerat, nihil ab Ecclesiæ forma distare videretur: in qua inerant Dei ministri, qui continuos cultus pro Imperatore etiam tum obierunt, cum piorum hominum genus & verè Deo inseruientium, alibi apud gentilium multitudinem nẽ nominari quidem absque periculo poterat.

Constantij et reliquus vitæ cursus, & exitus felix.

Constantij aula quasi ecclesia quædã.

Quòd Diocletiano & Maximiano, imperio exutis, postea Constantius primus Augustus fuerit, numerosa natorum sobole insignis. CAPVT XII.

Huc refer Nicephor. ca. 20. li. 7.

B quas quidem res, neque id adeò diu pòst, Deus illum egregiè remuneratus est, sic vt iam in imperij gubernatione primas facilè obtineret. Illi enim qui clauum imperij ante eum tenuissent, nescio quo modo repentina animorum facta mutatione, post primum annum quo Ecclesiæ Dei graui fuissent obsidione oppugnatæ, imperio se sponte abdicarunt. Constantius de reliquo solus & summus imperator, & Augustus appellatus est: qui tum initiò Cæsarum ac Imperatorum diademate illustratus, & inter hos primas adeptus: tum postea in hoc honoris gradu exploratè, qualis esset, perspectus & cognitus, à Romanis ad summã B dignitatem elatus fuit, & quatuor Imperatorum qui pòst cum eo regnabant, summus, & Augustus nuncupatus. Quinetiam solus præter cæteros Imperatores, propter liberorum probitatem excelluit, permagna vtriusque sexus caterua in lucem edita, susceptaque. Cùm autem ad summam propè senectutem prouectus, communi naturæ quod debebat, esset persoluturus, & iam migraturus è vita, Deus tum rursus facinus quoddã planè admirabile eius causa edidit: qui ei mortem oppeturo sua prouidentia curauit, vt filius eius natu maximus Constantinus ad capessendum imperium præstò esset.

Constantius post Diocletiani & Maximiani abdicationem solus Imp.

Liberi Constantio decori sunt.

Constantinus Constantij filius Imp.

De filio eius Constantino, qui adolescens quum esset, vna cum Diocletiano, quando Palæstinam peragraret, versatus erat. CAPVT XIII.

*Huc refert Nicephoras. lib. 7. Coniunge ca. seq. & supra 8. * Vide Nicephor. lib. 7. cap. 19. † Videan. not. pag. 121. lat. 1. lin. 37. x Sunt qui has insidias Cõstantino non à Diocletiano, sed à Galerio Maximiano structas fuisse tradãt: Nicephor. ab vtroque structas ait & causas addit. capite iam dicto, quas sedulò, quo graui aliqua contumelia eum afficiant. Quod quidem adolescens animad-*

MAste, vt suprà diximus, in medio illorum qui erant cum patre consortes imperij, more illius veteris Dei prophetæ Moysis, quotidie versabatur, & vbi excessit ex pueris, & iam ad adolescentiam peruenit, summo apud illos honore dignatus fuit. In qua ætate & honore nos eum vidimus, cũ Palæstinorum regionem vnà cum Imperatore qui cæteros anteibat ætate, peragraret. Ad cuius dexteram assistens, illis qui eum videre cupiebant, se adolescentem facilè præstãtissimum declarauit: vtpote in quo eximia regiæ cuiusdam indolis indicia, ex eo qui dem tempore elucere cœperunt. Vt enim corporis compositione ad pulchritudinem apta, & staturæ (vt ætas tulit) proceritate, nemo cum illo comparari potuit, & virium etiam firmitate tantum superauit æquales, vt illis nonnihil terroris inijceret: sic virtutibus animi multò magis, quàm corporis ornamentis nobilitatus est. quippe modestia primùm suum decorauit animum: deinde politiore literatura, tum prudentia à natura propè insita, ad extremum sapientia diuinitùs animo consignata, tanquam alimentis quibusdam eximiè educauit.

Constantinus in aula Diocletiani educatus.

Constantini adhuc iuuenis species planè regia, & virtutes aliæ.

Statua Constantini, virtus & eruditio.

Constantinus ad patrem, propter Diocletiani insidias, reuertitur.

Diocletianus Constantino adolescenti adhuc, insidiatus.

CAPVT XIIII.

QVem * quidem cũ illi qui tum rerũ potiebantur, adolescentem generosum esse, robustum, procerum, excelso & erecto animo præditum animaduerterent, † inuidia simul fuerunt & metu perculsi. x Qua re inducti, tẽpus opportunũ obser-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Constãtinũ Dio cletiano Deus maturè eripit, vt patri mortuo suffi ciat.

animaduertens(siquidem Dei nutu insidiæ contra illum comparatæ, semel & iterum A fuere perspicuè deprehensæ)fuga salutem quæsiuit:atque in ea re exemplum magni prophetæ Moysis est probè imitatus. Deus etiam omnia eius causa faciebat, prouidè prospiciens,vt in tempore præstò esset ad patri succedendum.

Constantij mors, Constantinum filium Imperatorem relinquentis. CAP. XV.

Constantij obitus. Prouerb. Constantius filij redituregreatus.

EXtemplò enim vbi insidiarum machinas effugit,celeri gradu accessit ad patrem:& protinus post longum temporis interuallum, quo abfuerat, in eius conspectum venit. Eodem momento patris Constantij vitæ exitus in acie nouaculæ,vt dicitur,constitit. Postquam autem filium ex insperato adesse vidit,exiliens è cubili,illum complexus est: atque illud quod sibi iam vitã edituro solum tristiciam attulerat(filij nimirum absentia) se ex animo iam eiecisse asseruit: precesque propterea cum gratiarum actione Deo obnixè fudit. Iam verò mortem pluris propè,quàm immortalitatem æstimare se dixit: ac tandem familiam suam resque vniuersas ordine dispensauit. Atque in medio filiorum pariter & filiarum,ipsum instar chori vndique cingentium,se statuens, & in ipsa regia, inque regio cubili decumbens,regni hæreditate filio, qui reliquos ætate anteibat, communi lege naturæ tradita,decessit è vita.

Vide Nicephor. li. 7. cap. 19. Constantius refert Eusebio in Chron. anno Christi 308. Imperij sui 31. obijt Elpidio Tiberiano.

Testamentũ Constantij morientis.

Quónam pacto Constantij funere elato, exercitus Constantinum Augustum salutauerit. CAPVT XVI.

Constantinus Imp. patri succedit. Sumpta eius purpura.

NEque tamen propterea Imperium Imperatore destitutum permãsit: quippe Constantinus paterna purpura indutus, primùm è paternis ædibus egressus est: & patrem, tanquam à mortuis ad Imperium regendum denuò reuocatum,suo ipsius vultu & effigie omnibus repræsentauit. Deinde magna paternorum amicorum turba eum comitante,funeri præiuit † patrem que produxit: quinetiam populi infinita multitudine,militumque constipanti agmine partim antecedentium,partim subsequentium, genitorem sanctissimum cum omni splendore & maxima pompa extulit: faustis acclamationibus, suaui hymnorum concentu,omnes beatissimum illum celebrant: & consentientibus animis filiũ iam in Imperij gradu locatum,patrem ad vitam quodammodo reuocasse existimant. Extemplò igitur secundo & prospero applausu nouum Regem, Imperatorem & Augustum, ipsa prima voce contentius prædicant. Quibus acclamationibus tam auspicato in filium editis,patri mortuo nonnihil ornamenti allatum est: filium cuncti beatum putant,qui talis patris fuit successor declaratus: omnes gentes quæ ipsius obsequebantur imperio, incredibili lætitia efferuntur,& gaudio penè inexplicabili propterea complentur,quòd illustri & præclaro Imperatore ne breuissimo quidem temporis momento caruissent. Hunc morum vitæque piè & religiosè ad virtutem institutæ exitum esse, in Imperatore Constantio, vniuerso generi mortalium,qui nostra memoria vixerunt, Deus euidenter monstrauit.

Ad ea quæ acta Constantini post hæc cõcernunt refer Nicephor. ca. 29. li. 7. conjunge locos illos qui sunt notati infra ad ca. 2. lib.

Imperator salutatus Constantinus.

Constantij funus.

Vitæ piæ præmia.

Interitus tyrannorum compendiaria commemoratio. CAPVT XVII.

Flagitiosorũ memoria non est celebranda. Tyrannorum calamitosus exitus.

FInem autem vitæ aliorum,qui Dei ecclesias bellico quodã more & modo exagitarint,minimè cõsentaneum iudicaui, quẽ præsenti sermoni mandarem: neque bonorum memoriã, eorum appositione qui secus se gesserint in vita,omnino debere contaminari. Rerum enim experientia , illis solum qui ipso oculorum obtutu calamitates cuiusq; tyranni aspexerint, quique earundem cognitionem auribus acceperint, satis videtur esse ad vitam modestius deinceps sanctiusque moderandam.

Quòd diuino consilio Constantinus Imperium consequutus sit. CAP. XVIII.

Constantinus Dei solius arbitrio ad Imperium delectus.

SIc igitur Constantinum talis parentis satu editum, principẽ & Imperatorem, Deus omnium author,& totius mundi gubernator,suo solum arbitrio delegit: eo consilio,vt cùm alij omnes Imperatores hominum suffragijs ad eum dignitatis gradum ascendere consueuerint, de hoc Imperatore solo ad honorem efferendo, nemo mortalis omnino gloriaretur.

† Coniunge cap. 3. & 4. infra l. 4. supra. lib. cap. 4. Item Euseb. fiast. Hist. l. 10. ca. 4. Ité hoc lib. cap. 19.

Constantini de Barbaris & Britannis victoriæ. CAP. XIX.

ITaq; † vt primùm fuit in regni solio tutò locatus, Imperij portioni, quam rexisset pater, studiosè prospexit: cõmodisq; omnium gentium,quarum dominatum pater antè tenuisset, summa cum humanitate & clementia assiduè consuluit. Omnia autem Barbarorum

Barbari dõmiti ad Rhenum & Oceanũ siti.

Britanni à Cõstantino victi.

Abarorum genera,circa fluuium Rhenum, & Oceanum versus Occidentem incolentia, quæ audacia & temeritate impulsa seditionem conflassent, penitùs repressit: & ex indomitis immanitateque efferatis mansueta effecit, & ratione tractabilia. Alia verò, quorum animos adeò insanabiles animaduertebat, vt ad vitam quietè placideq; degendam nullo modo viderentur posse traduci,seclusit ab Imperio,& tanquam agrestes belluas è patriæ finibus prorsus exturbauit. Istis ratione & consilio ab eo ritè compositis, reliquas orbis partes ante oculos proponens,tandem traiecit ad Britannos , Oceani littorib. vndique conclusos. Quos cùm visisset, alias mundi partes animo complecti cœpit,vt his qui opis indigerent,subsidio maturè veniret.

Constantini studium de Roma à Maxentij tyrannide liberanda. CAP. XX.

Huc refer Nicephor. ca. 29. 30. lib. 7. Vide locos notatos ad c. 28. lib. 1. Euseb. supra.

Romæ nimiũ caput.

Studium Constantini erga Romam vindicandam.

DEinde in vniuersum totius mundi ambitum, tanquam in corpus quoddã immensum,aciem mentis intendens, & ciuitatem illam quæ quasi caput mundi est,totiusq; Romani Imperij moderatrix, tyrannis in seruiturẽ data tam perspiciens,primũ eius in libertatem vindicandæ potestatem, illis qui reliquas Imperij partes procurabãt, vtpote eum honoris gradũ ante ipsum adeptis,permisit. Verùm vbi nullus eorum illi malo remedium potuit afferre , sed qui periculum facere in animum inducebant,turpẽ habuere exitum: ipse nec vitam sibi vitalem fore dixit,si ciuitatem omnium dominam & reginam ita ægrè affectam & afflictam esse pateretur : & propterea ea parare sedulò studebat, quæ videbantur ad delendam tyrannidem spectare.

Quòd Constantinus, dum secum eidololatrarum cædes animo reuolueret, Christianismum potius amplectebatur. CAPVT XXI.

Dei auxilia præstantissimum.

AC cùm accuratè ratione animoq; lustrando comperisset,propter maleficas & fallaces magorum præstigias à tyranno studiosè conquisitas,multo firmiore præsidio sibi opus esse,quàm quod res militaris suppeditare soleret, Deum quæsiuit sibi adiutorem: ratus auxilijs quæ ex armis & militum manu petuntur,vix secundas tribuendas: at quæ sunt ex Deo, nec viribus expugnari, nec vlla frangi violentia posse. Mente igitur diligenter complexus est, quisnam Deus sibi in subsidium esset asciscendus. Ac quærenti illi talis subijt cogitatio,eorũ qui antea Rempub. attigissent, plerunq; omnes suam spem in deos complures coniecisse, eosque victimis & monumentis coluisse:ac primùm diuinationum inuitamentis,deinde oraculis,quæ fausta feliciaque auspicia ipsis denunciabant, in fraudem inductos,infelicẽ reperisse exitũ,& planè calamitosum:neq; quenquã deorum vel benignè illis opẽ tulisse, vel prohibuisse quò minus infanda internecione cœlitùs inuecta opprimerẽtur. Solũ eius patrẽ ad contrariam viã, & eorum institutis longè dissimilem diuertisse: eorũ condemnasse errorem:ipsum solum Deum , omnium rerum administratorem , toto vitæ spacio, obseruantia veneratum esse:eumque conseruatorem & custodem regni, omnisque boni largitorem comperisse. Ista cùm secum exquisitè in vtranque partem versaret,iudicioque sedulò expenderet,quemadmodum illi deorum multitudine confisi, in varias clades & exitia incidissent, adeò vt nec generis, nec sobolis, nec stirpis,nec nominis,nec memoriæ vel vestigium quidem inter homines esset relictum:& qua ratione Deus patris sui euidentia variaq; suæ virtutis & potentiæ indicia ei dedisset, atque adeò illi,qui iam antea contra tyrannum prælium inijssent, speq; in deorum multitudine locata, aciem contra hostem instruxissent, ad turpem exitum essent perducti. alter enim infecta re,cũ ignominia à prælio discessit: alter in ipso medio exercitu trucidatus,tanquam superuacanea mortis accessio factus est.ista , inquam, omnia cùm mente tanquam in vnum collegisset,in dijs,qui non sunt,colendis tantam inanitatem cõsectari,postq; periculum factum cæco errore duci,summæ putauit esse dementiæ:Deumque, quem pater sanctè adorasset,solum obseruandum colendumque statuit.

Exemplorum comparatione Constantinus idololatriã relinquẽs Chrẽ sti animum amplectitur.

Deorum multitudine confisos cõfundi.

Deo vni, rerum omniũ conditori, fidendum.

Quomodo orante circiter meridiem Constantino, Deus visionem in cælo ostenderit, crucem videlicet de lumine fabricatam,ac præterea inscriptionem cohortantem; IN HOC VINCE. CAP. XXII.

Miraculũ vi. se sibi crucis ipse Constantinus Eusebio retulit.

*Huc refer Nicephor. ca. 29. li. 7. conjunge locos illos qui sunt notati infra ad ca. 2. lib.

QVocirca * huius opem precib,implorauit, hunc orauit, hunc obtestatus est, vt tum quinam esset,ipsi vellet significare:tũ rebus quas apud animum proposuisset,dexteram velut adiutricẽ porrigere. Imperatori igitur ista precanti, obnixeq; flagitanti, visio quædam diuina, & inprimis admirabilis apparuit: quam si quis fortè alius dixisset, non

Universidad de Deusto
Biblioteca

non tam facilè hominibus potuisset persuaderi. verùm cùm Imperator ipse victor, nobis ipsis qui hanc historiam iam literis persequimur, longo tempore post, cùm noticia eramus & familiari colloquio ab eo dignati, narraret, & sermonem iureiurando confirmaret: cui dubium esse poterit, quin sit rei ita commemoratæ fides omnino adhibenda: præsertim cùm tempus postea consequutum, ratum orationi testimonium dederit? Cùm iam sol ad medium cælum ascendisset, die in pomeridianum tempus paulum inclinãte, dixit se crucis signum ex lucis splendore figuratũ, in ipso cælo soli imminens manifestò oculis aspexisse, inq; eo inscriptionẽ cõsignatã, quæ hæc verba cõplectebatur, In hoc vinces. Admiratio ingens ipsum & totum exercitum, qui eum quópiam iter facientem comitabatur, atq; adeò huius prodigij spectator factus erat, incessit. A

Crucis signũ in cælo exhibitum Constantino.

Quòd Christus Constantino per quietem visus, similem cruci effigiem fabricare, ac in bellis uti iubebat.

CAPVT XXIII.

Christus in somnis apparens, crucis signo Constantinum in prælijs uti iubet.

SE dubitatione admodum intra se distrahi, quid tandem illud ostentum sibi vellet, asseruit. Atque eum diu multumque de eo cogitantem, oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei cum signo in cælo monstrato visum esse, præcepisseque, vt exemplari ad imitationem illius signi quod in cælo apparuerat, fabricato, eo tanquam præsidio in prælijs cum hostibus committendis uteretur. *Vide Niceph. eodem.*

Crucis effigiei fabricatio.

CAPVT XXIIII.

Imaginẽ crucis in cælo visæ fabricatã Constantinus Eusebio ipse exhibuit.

ILle, simulatque dies illuxit, surgens, primùm arcanum illud visum amicis exponit: deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculpere norant, accersitis, medio inter illos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mãdat. † Quã quidem effigiem, contigit vt nos oculis olim contemplaremur. ipse enim Imperator, Deo illud largiente, eam nobis ostendere dignatus est. *Vide Niceph. eodem.* † *Vide annot. pag. 122. lat. 2. lin. 6.*

Descriptio vexilli instar crucem fabricati, quod nunc Romani labarum appellant.

CAPVT XXV.

Vexilli Constantini descriptio. Corona.

ERat autem tali figura fabricata. Hastile oblongum, erectumque, auro vndique obductum fuit: quod cornu habuit transuersum ad formam crucis constructum. Supra in fastigio ipsius operis, corona affixa, lapidibus pretiosis, & auro politè circumtexta. In ea salutaris appellationis Seruatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis: id est, duabus primis literis nominis Christi (erat enim litera ρ in ipso medio literæ χ curiosè & subtiliter inserta) quæ totum Christi nomen perspicuè significarunt. Quas quidem literas deinceps semper Imperator in galea gestare consueuit. Ad cornu illius particulæ, quæ ex transuerso erat per hastile traiecta, velamen quoddam pertenue appensum adhæsit, regalis videlicet & magnifica textura, mirabili varietate lapidum pretiosorum artificiosè coniunctorum, lucisque suæ claritate pulchrè resplendescentium depicta, & multo auro intertexta: quæ dici non potest, quantam spectatoribus ob suam pulchritudinem excitarit admirationem. Istud igitur velamen ad cornu affixum, longitudinis latitudinisque crucis mensuram penitùs exæquauit. Oblongum verò & erectum hastile in sublimi appensum, cuius pars inferior versus basim longius ducta fuit, sub ipsum crucis insigne ad texturæ discurrentis fimbrias, auream pij Imperatoris pariter ac liberorum suorum effigiem, ad pectus vsque concinnè descriptam continuit. Isto igitur salutari signo Imperator, tanquam hostilis cuiusque & infestæ violẽtiæ propugnaculo, semper vsus est. Cuius expressæ similitudines, mandauit vt vniuersum exercitum perpetuò antecederent. B *Vide Niceph. cap. eodem.*

Velamen.

Hastile.

Effigies Constantini et liberorum.

Quomodo Constantinus Christianorum mysterijs instructus, sacris literis operam dederit.

CAPVT XXVI.

Constantinus sacerdotes et verbi diuini professores consulit.

VErùm ista paulò pòst acciderunt. Tempore autem suprà commemorato, Constãtinus admiranda illa visione obstupefactus, nullum alium Deum, quàm qui ipsi apparuisset, colendum esse statuens, sacerdotes & professores religioni & verbo illius initiatos accersit: quis esset Deus ille scisciatur: quid etiam sibi vellet visio illa, quæ de signo fuisset ipsi patefacta. Hi hunc Deum, respondent, Dei vnius ac solius vnigenitum filium esse: signum autẽ quod apparuerat, immortalitatis notam esse, trophæumque victoriæ illius de morte reportatæ, quam olim, cùm in terra versabatur, fuisset assecutus. Causas etiam docent eius aduentus, accuratamque illius inter homines œconomiæ rationem ei suggerunt. His rationibus quanquam probè erudiebatur ille quidem, visionis tamen ipsius oculis subiectæ adhuc tenebatur admiratione. Atque tandem, vbi cœleste visum cum sacerdotum interpretatione contulerat, animo confirmatus fuit: pro certo persuasus, earum rerum cognitionem sibi diuinitùs oblatam esse, ac propterea in diuinam sacrarum literarum lectionem iam omni cura & cogitatione incumbere secum decreuit, Itaque primum Dei sacerdotibus sibi tanquam assessoribus ascitis, statuit Deum, qui ipsi apparuisset, omni genere cultus & obseruantiæ venerari. Deinde spe bona in illo posita firmè munitus, decæterò permagna cupiditate ferebatur, ardentes incendij tyrannici faces, ad terrorem intentatas, penitùs extinguendi. B *Vide Niceph. cap. eodem.* *Incumbit sacris literis.*

De adulterijs Maxentij, Romæ perpetratis.

CAPVT XXVII.

Huc refer Nicephori ca. 21. li. 7. Ad plenã Maxentij historiam, vide locos notatos suprà apud Euseb. lib. 8. cap. 26.

ETenim qui vrbem omnium reginam vi & armis occupasset, tantum iam scelere & impietate processerat, vt nullum audax, nullum nefarium & impurum facinus omninò prætermisisse videretur. † Nam cõiuges legitimas vi à viris abstraxit, easq; turpissimè oppressas violatasque ad viros remisit: idq; petulanter & contumeliosè admisit non in ignobiles aut obscuros, sed in eos, qui in senatu Rom. facilè primas tenuerunt. Et quamuis infinitas ferè liberas & ingenuas mulieres per vim flagitiosè violasset, nullo modo tamen poterat intemperantem & effusam animi sui libidinem explere. Postquam autem in Christianas mulieres cæca cupiditate ferri cœpit, non potuit omninò per suos prouidere, quo facilis sibi ad eas patêret aditus. Nam illę citius vitam cum morte commutare volebant, quàm corpus ei violandum permittere. † *Vide annot. pag. 122. lat. 2. lin. 6.* *Maxentij libido inexplebilis.* *Christianorũ mulierum cõtinentia.*

Quonam pacto uxor præfecti, propter tuendam pudicitiam, mortem sibi consciuerit.

CAPVT XXVIII.

Vide supra lib. 8. c. 27. Niceph. li. 7. cap. 26.

EX quibus vna, eaq; verè Christiana, viro ordinis senatorij, qui præfecturam Romanorum gerebat, in matrimonio collocata, vbi illos, qui in talibus flagitijs tyranno subseruire consueuerant, pro foribus ædium adesse, & virum suum meretu adductum, illis, vt prehensam abducerent, præcepisse accepit, exiguo temporis spacio postulato, quo corpus consueto apparatu decenter ornaret, in cubiculum ingreditur. Quæ cum sola esset, gladio transfigit pectus, statimq; mortua concidit, cadauere perductoribus relicto. Quæ reuera omnibus hominibus, tum qui iam sunt, tum qui post futuri sunt, rebus ipsis, quæ multo plus habent ponderis ad fidem faciendam, quàm verba, perspicuè declarauit, celebrem illam & multorum sermonibus nobilitatam Christianorum continentiam, rem esse solam, quæ nec libidine expugnari, nec flagitio perimi labefactariue possit. Atq; ista se talem & tam illustrem ostendit. *Coniugalis fidei exemplũ.* *Christianorũ continentia inexpugnabilis.*

Populi Romani, authore Maxentio, cædes.

CAPVT XXIX.

Vide Niceph. lib. 7. cap. 21.

TVius Imperatoris igitur metu, qui eiusmodi facinora conscisscere non dubitauit, omnes, non populus modò, sed etiam magistratus, non nobiles, sed ignobiles, grauiter perculsi, acerbo tyrannidis iugo premebantur. Neque tamen illis, licet pacatè & tranquillè se gerentibus, asperamque ferentibus seruitutem, vlla à tyranni crudelitate in ipsos grassante omninò extitit liberatio. Nam quodam tempore, exigua & leui de causa, populum satellitibus suis nefariè trucidandum obiecit. Ac populi Romani infinita propè multitudo, in ipsa media vrbe, non Scytharum, aut Barbarorum, sed suorum ciuium hastis & armis cuiusque generis miserè interfecta fuit. Quanta autem senatorum cædes, propter opes & facultates suas, fuerit per insidias patrata, dum aliàs aliæ criminationes in eos, qui neci dabantur, falsò confictæ essent, nẽ dicendo quidem explicari potest. *Maxentij in pop. Rom. tyrannis.* *Maxentij rabies in omnis ordinis homines.*

Incantationes Maxentij, & alimentorum penuria Romæ.

CAPVT XXX.

Vidi Nicephor. ca. 7. li. 29.

AD extremum verò, tyranni scelera ad magicæ artis delabebantur præstigias. Quippe interdum mulieres grauidas dissecuit: nonnunquam tenerorum infantium viscera perscrutatus est, aliquando mactauit leones: sæpè infandas adiurationes ad dæmones excitandos, quo illorum subsidio belli impetum abs se auerteret, vsurpauit. Nã horum adiumentis speraui se victoria facilè potiturum. Sic igitur, qui Romæ exercuit tyrannidem, dici non potest qualia patrando subiectos in seruitutem redegerit: adeò vt iam in tanta tamq; extrema alimentorum ad vitam necessariorum egestate, inopiaque constitueretur, quantam non aliàs Romæ extitisse, homines nostri temporis affirmant. *Maxentij præstigiæ, quibus victoriam se consecuturũ confidebat.* *Annonæ caritas Romæ.*

Universidad de Deusto Biblioteca

Copiæ Maxentij in Italia fusæ. CAP. XXXI.

Boni principis est subditos a tyrannide liberare.

Constantini contra Maxẽtium expeditio, & victoria.

Constantinus Romam aduẽtat.

VArie his rebus omnibus ad misericordiam inductus Constantinus, omni apparatu militari se ad delendam tyrannidem armauit. Atq; Deo omnium moderatore sibi patrono ante oculos proposito, & Christo seruatore adiutoreq; inuocato, & salutari signo tanquã victoriæ trophęo ante armatos suos & satellites collocato, cum toto exercitu procedit, Romanis libertatem, quam à maioribus accepissent, recuperaturus. Cùm verò Maxentius machinis præstigiarũ magis quàm subiectorum beneuolentia confideret, & nullo modo extra portas ciuitatis egredi ausus esset: & omnem locum, agrum, & ciuitatẽ etiam, quæ ipsius subijciebatur Imperio, ingenti armatorum multitudine, & infinitis copijs muniuisset: Imperator Constantinus Dei auxilio nixus, primam, secundam, & tertiam tyranni aciem adoritur: & omnibus primo impetu perfacilè subactis, vniuersam propè Italorum peragrat regionem, adeò vt iam quàm proximè Romam aduentaret.

Maxentij interitus in ponte Tyberis. CAP. XXXII.

a Vide annot. pag. 123. lat. 2. lin. 1.

Dei contra impios admiranda opera.

Exod. 14.

b Vide annot. ibid li. 4.

Maxentij interitus, ad exemplum Pharaonis.

Psalm. 7.

Exod. 15.

DEinde ne, dũ tyrannum obsideret, etiã Romanos ipsos oppugnare cõgeretur: Deus ipsum tyrannum, tanquam catenis quibusdam ex vrbe extrahit, longoq; interuallo à portis cõstituit: & opera sua, iam olim contra impios edita,[a] inque Sacris literis tanquam in tabulis inscripta (quæ quamuis fabulæ loco apud plerosq; habeantur, fideq; careant, tamen pro certo creduntur) reipsa omnibus, vt comprehendam breui, tam infidelibus quàm fidelibus, qui has res gestas tã admirabiles oculis aspexerunt, vera esse confirmauit. Quemadmodum enim ipsius Moysis & antiquorum ac piorum Hebræorum temporibus, currus Pharaonis, eiusque copias deiecit in altum, & delectos ascensores satellitesq; regios in mari rubro demersit,[b] sic & Maxentius, quique cum eo erant armati & stipatores, velut lapis in profundum Tyberis gurgitem præcipites deciderunt. Nam cum tyrannus, Dei virtute Constantino opem ferente, terga dedisset, & in fuga flumen ex aduerso obiectum (in quo lintribus iunctis, & põte artificiosè fabricato, machinam, qua Cõstantinum adeò Deo charum è medio sublaturum sperauit, ad suum ipsius interitum construxerat) traijcere cœpissent, Deusq; Constantino benignus præstò tulisset auxilium: & tyrannus eius ope destitutus, clandestinas & occultas machinas miser contra seipsum fabricasset (adeò vt illud commodè in ipsum dici possit, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidet in foueam quam fecit: Conuertetur labor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet) tum Dei nutu, machinarum in pontis iunctione collocatarum, & fraudis in eisdem latitantis transitus, tempore minimè sperato subsidit, ruitq́ue, ac de improuiso lintres cum ipsis viris in altum gurgitem præcipitati sunt: † ipseq; infelix primus, deinde satellites eius & stipatores (sicut diuina loquuntur oracula) in rapidum flumen tanquam plumbum dilapsi: Vti Constantinus cum suo exercitu Dei præsidio victoriam assecutus, meritò sanè, licet non verbis, re tamen ipsa, similiter cum Israelitis & egregio Dei famulo Moyse, eadem ipsa, quæ ille olim contra impium tyrannum Pharaonem cecinisset, sic quodammodo suaui concentu fuderit, dixeritq́;: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum & ascensorem deiecit in mare: adiutor & protector factus est mihi ad salutem. Et quis similis tibi in dijs Domine, quis similis tibi: Glorioſus in sanctis, admirabilis, & præclarè faciens prodigia.

Vide Niceph. lib. 7. cap. 29.

Vide eundem historiam iisdem verbis describentem supra lib. 9. ca. 8.

Acta sunt hæc apud Pontem Mului anno Christi 312.

† *De hac victoria Prudentius ita cecinit:*

Testis Christicolæ Ducis aduentantis ad vrbem
Miluius, exceptum Tiberina in flagna tyrannum
Præcipitans, quæ nam victricia viderit arma
Maiestate regi, quo signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint flemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro,
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux addita cristis.

De Constantini in vrbem Romam introitu: & de statua eius, crucem in manu continente, & eiusdem inscriptione.

CAPVT XXXIII.

COnstantinus igitur, cum ista aliaq; eisdem germana ac similia Deo omnium duci, & authori victoriæ, eximium Dei famulum Moysen imitatus, ecciniſſet: in vrbem, quæ

Vide Nicep. li. 7. ca. 30.

Constantinus quanto populi Rom applausu excipitur.

Constantinus Deo acceptos fert successus suos.

Constantini statua qualis in media vrbe Romæ erecta.

AQuæ omnium regina est, cum triumpho & celebri pompa ingreditur. Ibi tum frequentes, tam qui ex senatorio ordine, quàm qui alijs dignitatis ornamentis ibi clari erant & eximij, tanquam ex seruitutis custodia liberati, cum vniuerso populo Romano, læto oculorum obtutu, lubentibus animis, fastis acclamationibus, & insatiabili gaudio eũ exceperunt. viri etiam cuiusq; generis, vnà cum mulieribus, liberis & infinita famulorũ turba, illum liberatorem, conseruatorem, & beneficum patronum ingenti clamore prædicarunt. At ille, vtpotè pietate in Deum, tanquam naturaliter menti insita imbutus, non applausu illo populari & strepitu insolenter se iactans, non laudum elatus præconio: sed præsidijs Deo allati admodum conscius, extemplò preces cum gratiarum actione authori victoriæ impertijt: atq; illustribus inscriptionibus columellisq; erectis, omnibus hominibus salutaris Christi signi virtutem promulgauit: inque vrbe media, quæ præ cæteris principem locum facilè obtinet, ingens istud trophæum contra hostes erexit: & hoc salutare signum characteribus, qui nullo modo deleri poterant, in eo insculptis, Romanorum, aliorumq; omnium Imperio subiectorum propugnaculum esse demonstrauit: palamq́ue omnibus proposuit ad intuendum. Ac statim vbi erectum hastile, ad formam crucis in manum proprię imaginis in statua expressæ insertum, Romæ in loco celebri, ac multum à populo frequentato, locatum fuit, hanc inscriptionem latino sermone in eo mandat incidere:

dereliquis imaginib. & inscriptionibus Constant. vide infra lib. 3. ca. 3. lib. 4. cap. 15. 73.

Statuæ Constantini inscriptio.

HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINAE AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

De prouinciarum exultatione, & Constantini donationibus.

CAPVT XXXIIII.

Vide Nicep. lib. 7. c. 30. Coniunge seq. 2. ca. &

Communis omnium & publ alæticia.

PIus igitur Imperator ita crucis victricis confessione nobilitatus, cum magna dicendi libertate filium Dei ipsis Romanis palàm diuulgare cœpit. Omnes igitur omninò, qui ciuitatem incoluerunt, tam Senatus, quàm populus, velut acerbo & tyrannico dominatu leuati, clariorib. lucis radijs frui visi sunt, & nouo nouæ cuiusdam & quasi renascentis vitæ modo rationeq́ue potiri. Ac gentes vniuersæ, quæ oris Oceani ad occasum vergentis circumdantur, prioribus malis quibus implicatæ tenebãtur, liberatæ, insignem dierum festorum celebritatem lætis animis agentes, Constantinum victorem, pium, ac communem omnium patronum eximiè prædicarunt: dixeruntq́ue vna voce, vnoq́ue ore omnes, illum tanquam commune quoddam bonũ, hominibus Dei benignitate & clementia donatum, illuxisse. Imperatorium porrò passim diuulgabatur edictum, quod quidem & his, qui erant fortunis suis spoliati, concessit authoritatem rebus suis & facultatibus potiundi: & eos, qui iniquum exilium perpessi fuissent, ad proprios lares reuocauit: alios item vinculis, omniq́ue periculo ac metu, quibus per tyranni crudelitatem vexabantur, penitùs eripuit.

B lib. 4. ca. 1. 2. 3. 4. Sozom. li. 2. cap. 32. Eusseb. lib. 10. cap. 6.

Edictũ Constantini de reuocandis exulibus & restituendis eorũ bonis.

De honore episcopis delato, & ecclesiarum exædificatione.

CAPVT XXXV.

Vide Nicep. lib. 7. c. 42.

Constantini erga Ecclesiarum præsides obseruantia.

IPse porrò Imperator Dei ministros accersere, cultu & obseruantia honorificè complecti: & tum re, tum verbis, tanquam viros Deo suo consecratos, humanitus excipere, & maxima beneuolentia prosequi cœpit. Quippe licet homines fuerint, ipsius formæ habitu ad aspectũ abiecti, ab eo tamen non eius generis existimati sunt: sed quia nõ hominẽ, qui sub aspectũ oculorum cadit, sed Deũ ipsum, qui in eorum animis insidebat, cõsiderare visus est, illos suæ mensæ effecit participes. Illos, quocunq; iter capiebat, secum duxit: atque ea de re Deum, quem sanctè colebant, sibi credidit fore propitium. Porrò Ecclesijs copiosa suppeditare subsidia, * templa in sublime erecta exædificataq́; adaugere, plurimis monumẽtis augusta ecclesiæ sacraria illustrare, varia pecuniarum largitione egentiũ inopiam subleuare.

** Vide antiq. pa. 124. lat. 1. lin. 18.*

Eiusdem liberalitas in ecclesias.

De Constantini in pauperes munificentia. CAP. XXXVI.

Vide Nicep. lib. 7. ca. 34.

Const. in pauperes & peregrinos munificentia.

EXteris præterea, qui illum adibant, benignum & liberalem se præbere. Miseris etiam & abiectis, qui in foro & plateis palàm mendicabant, non pecunias solùm, & res ad victum necessarias, sed etiam decentem corporis vestitum subministrandum curare. Illis quoque, qui prima ætatis tempora feliciter traduxissent, & prosperè, pòst tamen graui vitæ facta mutatione, in res asperas afflictasq́ue incidissent, lautiora vberioraq́ue

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitæ subsidia impertire, & beneficia magnifica, animoq; verè regio digna cõferre. Quorum nonnullis agrorum donare possessiones: alios varijs dignitatis ornamentis cohonestare. Quos autem orbitas miserè afflictauit, eos patris curare loco: viduas mulieres omni ope destitutas recreare, propriaq; ac sua prouisione illis sedulò prospicere. Eodem modo etiam puellas parentibus orbas, & ab eorum auxilio destertas iam, viris sibi notis & locupleribus matrimonij vinculo iungere: istaq; præstare, eas res largè & liberaliter nuptis suppeditando, quæ illarum viris in nuptijs contrahendis essent necessariò conferenda. Quemadmodum sol supra terram oriens, omnibus claros sui luminis radios affatim profundit: sic Constantinus simul cum solis ortu in regijs ædibus apparens, & tanquam cum luminari illo cælesti pariter illucescens, omnibus qui in ipsius aspectũ prodibant, eximium suæ singularis probitatis splendorem & claritatem exhibuit. Neque quisquam certè ad eum aduentauit, qui non aliquo bono potitus sit: neque eos spes bona frustrata est, qui ab eo aliquid expectarent auxilij.

In viduas & puellas.

Quomodo vnà cum episcopis, Concilijs interfuerit. CAP. XXXVII.

ET quanquam communiter erga omnes se talem præstitit: tamen Ecclesiæ Dei eximiam & peculiarem curam adhibens, cum quidam inter se in diuersis locis dissensione discordarent, tanquam communis episcopus à Deo constitutus, ministrorum Dei coegit concilium: & in media istorum frequentia ac congressu adesse, & vnà considere nõ dedignatus, rerum in deliberationem vocatarum se fecit participem: easque res, quæ ad diuinam pacem spectabant, omnibus procurauit. In medio consessu, quasi vnus è multis assedit: & quoniam Dei timore vndique septus fuit, & amicis fidelibus maximeq; beneuolis circummunitus, primùm satellites amouit abs se, & totam stipatorum turbam. Deinde quos ex episcopis meliori menti consilioq; obsequentes, & ad quietam & tranquillam animorum consensionem propensos animaduerteret, eos vel maximè approbauit, seq; declarauit ex communi omnium concordia maximam lætitiam percipere: eos autem, qui animis essent obstinatis, magnopere detestatus est.

Concilia episcoporum cogere, & ijsdẽ interesse solitus Constantinus.

Concordiæ amans Constantinus.

Insipientes quo pacto tulerit. CAP. XXXVIII.

B IAm verò quosdam sua sponte acerbè incitatos, toleranter & moderatè tulit: placido & mansueto sermone hortatus, vt modestè se gerere, ac neutiquam seditionem concitare studerent. Ex quibus alij eius adhortationes cum reuerentia amplexati, discesserunt: alios, quorum animi ad modestiam videbantur propè insanabiles, Deo curandos permisit, ac nihil omninò contra quemquam mente concepit acerbitatis. Inde, vt est verisimile, seditiosi in Africa eò audaciæ fortè proruperunt, & crudelitatis, vt facinora nefaria molirentur, dæmone (vt videbatur) affluentiam præsentiũ bonorum Christianis inuidẽte, virosque ad absurdos & importunos conatus instigante, quò Imperatoris animum contra eos commoueret. Verùm inuido illi res parum processit ex sententia: quandoquidem Imperator ea quæ gesta erant, pro ridiculis putauit: inquiens, se perditi dæmonis impulsionem facilè intellexisse. *Nam facinora illa non modestorum & sobriorum hominum esse, sed eorum, qui vel mente penitùs excidissent, vel essent improbi & impij dæmonis tanquam œstro perciti: quos cõmiserari oportere potiùs, quàm supplicio afficere, asseruit. Vt enim, inquit, summæ clementiæ est, eorum vicem dolere: sic hominibus, cùm mente capti sunt, pœnas infligere, extremæ dementiæ est, & insciti æ.

De episcopis seditiosis quid statuerit Constantinus.

Hæreticos cõmiserandos esse potius, quã supplicio afficiendos.

Victoriæ eius in Barbaros. CAPVT XXXIX.

AD hunc modum Imperator Deum omnium contemplatorem, in omni re gerenda religiosè veneratus, effecit, vt cura quam susceperat de ecclesijs, nulla offensione minui labefactariue potuisset. Deus igitur, quò illum abundè compesaret, omnia Barbarorum genera adeò eius quasi pedibus substrauit, vt contra inimicos illustria victoriæ trophæa vbique erigeret. Illum curauit victorem apud omnes prædicandum, hostibus & aduersarijs terribilem (cùm natura sua non talis ille quidem, sed placidissimus, mansuetissimusque, si quisquam alius, atque adeò benignissimus existeret) planè constituit.

Constantini victoriæ de Barbaris.

Videsupra hoc lib. ca. 19. Euseb. hist. Eccles. lib. 10. ca. 4.

Quomodo Maximinus, & alij nonnulli, quum insidias Constantino struerent, illi Deo reuelante patefacti sunt.

CAP. XL.

CVI in hoc statu locato, alter eorum, qui imperium deposuerunt, mortem per insidias machinatus esse deprehensus, turpissima morte occumbit. Cui etiã ante mortem,

Huc refert Nicephor. li. 7. ca. 20. 32. 33. 34.

A TEM, tanquam impio & nefario tyranno inscriptiones honorificæ, statuæ, & quæ sunt de genere eodem, ad eius dignitatem illustrandam olim decretæ, vbiq; terrarum ademptæ fuerunt. Quo morte extincto, alij generis communione cum eo iuncti, qui clandestinas Constantino subdolè & veteratoriè struebant insidias, itidem prehensi sunt: idq; Dei clementia, qui eorum omnium consilia mirandum in modum famulo suo per visiones quasdam patefecit. Nam illum sæpenumero diuino suo dignauit aspectu, perque diuinam visionem ei res, quæ supra hominem putandæ sunt, ostendit, & varias prænotiones rerum suggessit futurarum. Miracula verò per Dei gratiam illi ostentata, ne dicẽdo quidem exprimi possunt: neq; oratione prætereà quisquam ea subsidia complecti valet, quæ Deus seruo suo suppeditare dignatus sit. Quibus firmè septus, reliquũ vitæ cursum tutò & tranquillè traduxit: beneuolentia subiectorum est in primis lætatus: lætatus etiam, cum omnes ipsius ditionis parentes, vitam pacatam & tranquillam degere cerneret: lætatus deniq; maximè, cum Dei ecclesias gaudio & lætitia frui videret.

Euseb. supra lib. 8 cap. 28.

Maximini in Constantinum insidiæ, & interitus.

Constantini panegyris, quæ decimo regni eius anno celebrata est.

CAP. XLI.

GVi hoc pacto vitam transigenti, decimus Imperij sui annus confectus est. In quo festos dies solẽnes & publicos celebrare: precesque, quibus gratias ageret, tanquam sacrificia quædam ignis & nidoris expertia, Deo omnium regi dicare cœpit.

Panegyrici decimo quoq; anno dicti.

Quomodo Orientem Licinius diuexarit. CAP. XLII.

Huc refert Nicephor. ca. 44. li. 7. Ad historiã Licinij vide locos ad notatos ad cap. 8. lib. 9. supra.

ATque vt in his plurimum percepit oblectationis: sic de illis, quæ in Oriente magno cum tumultu & perturbatione gesta esse auditione acceperat, mœroris nõ parum. Nam ei nũciatum est, belluam quandam immanem & ferocem illic tũ Dei Ecclesiæ, tum reliquis prouincialibus insidias tendere (quippe dæmon nefarios omnes suos neruos contendit, quò ijs, quæ erant à pio Imperatore confecta, contraria prorsus perageret) vsq; eò, vti imperium Romanum in duas partes diremptum, noctis tenebris & splendori diei omnibus persimile videretur. Nam his, qui Orientem obtinebãt, tanquam noctis caligo offundebatur: illis autem qui erant alteriùs partis incolæ, splendor clarissimæ diei illucescebat. Quos tam infinitis bonis diuina prouidentia suppeditatis frui, neq; diabolus inuidia exæstuans, virtutiq; infestus, æquo animo spectare tolerareque: neque tyrannus, qui alteram orbis partem opprimebat, omninò ferre potuit. qui quidem, cum Imperium sibi prosperè succederet, & Constantini tam eximij Imperatoris sororem duxisset, relicta præclarorum hominum imitatione, perditos impiorum mores & institutum æmulari cœpit: & quorum infelicem vitæ exitum oculis aspexisset, eorum sceleratam mentem sequi maluit, quàm in firma præstantioris viri amicitia acquiescere.

Licinius Constantini affinis.

Imperij Orientalis perturbatio.

Quomodo Constantino quoque Licinius perniciem machinari cogitauerit.

CAPVT XLIII.

Niceph. li. 7. ca. 4. lib. 8. cap. 6. vide Soz. lib. 1. cap. 2. Sozom. li. 1. cap. 2. Licinius ingratus erga Constantinũ.

ATque nec legum amicitiæ, nec fœderum, nec cognationis, nec pactionum memoriam omninò animò tenens, bellum crudele & pestiferum contra patronum suum mouet. Nam sicut Constantinus, vtpotè princeps humanissimus, verè beneuolentiæ erga illum ostendit indicia, maiorum cognationis, regij sanguinis antiquitùs ducti consortẽ fieri voluit, † sororẽ ei collocauit in matrimonium, liberam denique totius Imperij perfruendi potestatem tanquam cognato & collegæ regni tribuit: sic ille contraria animo statuens, contra meliorem præstantioremque hominem machinas comparauit: aliosq; aliàs excogitauit insidiarum modos, quò patroni sui benefacta malefactis compensaret. Ac primum amiciam callidè & veteratoriè simulans, dolo & fraude egit omnia: & propterea, quæ temerè admittebat, clàm fore sperauit. Cæterùm eius insidias ex occulto structas Deus famulo suo patefecit. Iste igitur, simulac fuit in primis illis conatibus manifestò prehensus, ad secundas fraudes se contulit: cœpitque interdum beneuolentiam & necessitudinem prætexere, nonnunquam fœderibus & iureiurando fidem facere, tum quasi derepentè decreta antiquare: rursus per legatos supplicare: iterum ex mendacij simulationibus turpi ignominiæ labe notatus, tandem bellum palàm indicere: ac mentis adeò temeritate & insolentia incitatus, decæterò ipsi Deo (quem Constantinum Imperatorem augustè venerari cognouit) se opponere.

Videsupra hoc lib. ca. 19. Euseb. hist. Eccles. lib. 10. ca. 4.

† Videantur not. pag. 126. lat. 1. lin. 17.

Licinij contrà Constantinũ bellum.

Constantini soror Licinio nupta.

Licinij in Cõstantinũ insidiæ detectæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Licinij technæ contra episcopos, & Conciliorum inhibitiones. A

CAPVT XLIIII.

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 44.

PRimùm enim contra Dei ministros, eius subiectos imperio, qui nũquam quicquam criminis contra Imperium admisissent, pedetentim tum, & dissimulanter, causas astutè & fallaciter confictas aucupari molitus est. Et cùm nullum crimen ipsi suppeteret, nec haberet, quod viris illis omninò posset obijcere: legem promulgauit, quæ quidem præcepit, vt neque episcopi inter se de rebus suis communicarent, neq; cuiquam illorum copia esset aliquam ecclesiam in proximo sitam adeundi: neque conuentus, aut consilia, aut deliberationes de rebus ad ipsorum vtilitatẽ spectantibus instituendi. Atque hæc tanquam ansa illi fuit ad nos proteruè contumelioseque tractandos. Aut enim legem violando, supplicio obnoxios esse oportebat: aut legis præcepto morem gerendo, Ecclesiæ ritus & instituta euertere. Nam magnæ & graues deliberationes de rebus controuersis susceptæ, non aliter possunt quàm per rectam conciliorum administrationem ratione & via procedere. At reuera Dei hostis Licinius, quoniam Constantini pij Imperatoris institutis contraria moliri decreuerat, eiusmodi exequi conta nos mandauit. Nam vt hic sacerdotes Dei, quò honor illius quem sanctè colebant, illustraretur, ad pacem studuit & mutuam concordiam adducere: sic ille honesta disturbare machinatus, consentientem Ecclesiæ harmoniam disrumpere diuelleque contendit.

Licinij contra episcopos lex, veluti ansa grassandi in pios arrepta.

Conciliorum vsus.

Licinius Dei hostis, & aduersarius Constantini.

Christianorum exilia, & facultatum publicationes. CAP. XLV.

Vide Nicephor. lib. 7. ca. 44.

ATque quoniam hic Deo charus, famulos Dei in palatium suum benignè intromisit: ille Deo infestus, contraria animo complexus, omnes pios, ipsius obsequentes imperio, è sua exturbauit regia: & viros quos erga se maximè fideles habuit, & beneuolos, in exilium eiecit. Eos item, qui ob res suas antè præclarè gestas fuissent amplos ab ipso honoris & dignitatis gradus adepti, alijs obsequi, seruiliaque ministeria obire mandauit. Et primùm facultates, quæstus sui gratia omnibus ademit: deinde mortem illis minatus est, si fortè aliquando salutare Christi nomen profiterentur. Porrò animo perturbationibus agitato, & in omnem intemperantiam effuso præditus, infinitis adulterijs & facinoribus insigni turpitudine nobilitatis admissis, eximiã castimoniæ virtutem negauit in hominibus inesse posse, aliorumq; naturam ex sua vitiosa mente spectauit. B

Piorũ exilia.

Direptiones facultatum.

Licinij incontinentia.

Mulieres in ecclesiam vnà cum viris introire vetuit.

CAPVT XLVI.

Vide Nicephor. lib. 7. ca. 44. * Vide no. pag. 25 lat. 2. lin. 20.

Licinij lex aduersus cõuentus ecclesiasticos.

ACpropterea legem secundò tulit, iubens, ne viri simul cum mulieribus, precibus in * Eccleſia ad Deum fusis interessent: neue sexus muliebris augustas virtutis scholas adiret, neu deniq; episcopi mulieribus sacra Dei eloquia explicarent: sed mulieres ipsę, alias mulieres, à quibus erudirentur, sibi deligerent. Verùm cũ ista essent omnium irrisione illusa, aliud quiddam ad ecclesiarum euersionem machinatus est: asseuerans, populi conuentus, qui de more agebantur, extra portas in amœna planicie fieri oportere. Nam aerem, qui extra portas est, permultum ei, qui est templorũ in ciuitate sitorum, ad congressus faciendos præstare.

Conuentus populi ante portas.

Qui sacrificare renuerant, militia submouendos præcepit: & qui in vinculis detinerentur, alimenta submiſtrare haudquaquam permisit.

CAPVT XLVII.

Vide Nicephor. lib. 7. ca. 44.

Sacrificare recusantes militia moti.

VErùm vbi ne in hoc quidem instituto habebat, qui ei morem gererent, decæterò nudo capite, vt dicitur, milites qui erant in ciuitate, si dæmonibus hostias immolare neutiquam in animum inducerent, iussit de dignitatis gradib. quibus fruebantur, penitùs deijci. Proinde, vti cohortes piorum hominum vbiq; gentium honoribus erant dispoliatæ: sic tyrannus, qui has leges sanciuerat, sua ipsius opera sanctorum virorum precibus omninò orbatus. Quid præterea commemorem, quo pacto in mandatis dederit, ne quisquam eos, qui in carceribus miserè afflictabantur, alimenta benignè impertiendo subleuaret, neue illorũ, qui erant in vinculis fame confecti miserereturꝰ Imò verò neq; quemquam omninò illorum, qui ad proximorum commiserationem à natura trahebantur, vel in bonorum numero haberi debere, vel quicquam boni agere censuit. Atq; hæc inter illius leges planè impudens fuit, & impia in primis, † longeque omnes naturæ terminos transilijt: † in qua, pœna erat proposita, vt qui miseri cordiã alijs præstarent, ex æquo cum illis, qui egerent, eadẽ plecterentur: & qui propẽso animo

Cõmiseratio bonorum pœnæ subiecta.

† Vide no. pag. 125. lat. 2. lin. 24.

A animo benignitatis exequerentur officia, in carcerem & vincula coniecti, idem supplicium quod afflicti perpetiebantur, subirent.

De flagitijs & auaricia Licinij. CAP. XLVIII.

Vide Nicephor. lib. 7. ca. 44.

FIus generis Licinij fuêre decreta. Quid oportet noua illius de nuptijs contrahendis instituta, aut nouas de his qui è vita cesserant, sanctiones enumerare? quibus veteres Romanorum leges præclarè & sapienter promulgatas, barbaris quibusdam & crudelibus in eorum locum introductis, abrogare ausus est? Quid infinita propè oppressionis genera, contra subiectos suos ab ipso excogitata, persequar? Quid terræ dimensiones, ab ipso propter insatiabilem exactionum ingentium cupiditatem inuentas, percenseam? quibus effecit, vt exigua terræ particula, quæ minimo locata erat, cùm metiendo exploratum esset, quanti valeret, pro maiore precio deinceps locaretur. Quid etiam hominum agricolarum, quibus nõ amplius huius lucis vsura suppetebat, sed iampridem erant morte extincti, census oratione complectar, quos vt turpem quæstum inde faceret, instituit? Nam eius auaricia nullum habuit modum, neque inexplebilis animi auiditas omnino satiari potuit. Quapropter cũ omnes thesauros, auri, argenti, opumque immensarum copia impleuisset, affectione tamen Tantalica animo conflictatus, cum gemitu de paupertate conquestus est. Quid porrò exilia citem, quibus eos qui nihil cuiquam intulissent iniuriæ, mulctauit? Quid bonorum publicationes? Quid falsas criminationes, quas contra patricios & illustres viros confinxit, in memoriam reuocem? quorum teneras vxores, quò eas turpis flagitij ignominia deformaret, sceleratis & perditis seruis abutendas tradidit? Quid dicam de mulieribus in matrimonium datis? quid de puellis virginitatis flore decoris, quas iste cùm iam corporis vires senectute languescerent, turpiter violauit? Quid istis rebus attinet longum sermonem instituere: præsertim cùm scelerum postremò ab eo editorum magnitudo, prima vel exigua esse, vel nulla potius, arguat?

Vide infra lib. 4. ca. 3. vbi Constantinus has exactiones remittit.

Licinij flagitia reliqua.

Legũ vet. abolitio & nouarum promulgatio.

Exactiones.

Vectigal ex mortuis collectum.

Auaricia Tantalica.

Innocentum exilia.

Bonorum publicationes.

Calumniæ.

Adulteria.

Stupra.

Quòd denique persequi Christianos aggressus sit. CAPVT XLIX.

Vide Nicephor lib. 7. cap. 44. B

AD extremum namque furor eius cœpit in ecclesias insultare grassariq; in episcopos, quos sibi maximè aduersari animaduerteret. Quinetiam quos tum pietati deditos, tum Imperatori magno ac religioso charos existimaret, eos inimicorum loco habere. Quocirca à sanitate & mente penitùs deturbatus, animi impetum in nos incitauit: neque memoriam eorum, vel qui ante illum essent Christianos persecuti, vel quorum ipse interfector & vindex, propter scelera quæ obierant, constitutus esset, vel denique quorum spectator extitisset, animo complexus est: idque, cùm præcipuum malorum authorem, quisquis ille tandem fuerit, plaga cœlitùs inflicta perculsum, oculis planè cerneret.

In Christianos rebies.

Licinius interitu superiorum Tyrannorum non est motus.

Quòd Maximianus fistula & vermibus perdomitus, in fauorem Christianorum scribere cœperit.

CAPVT L.

Huc refert Nicephor. ca. 20. 23. lib. 7. Vide Euseb. hist. lib. 8. cap. vlt.

ILle enim simulatque ecclesias expugnare cœpit, priusquàm animum suum iustorum & piorum hominum cruore inquinauit, vltio diuinitùs illata in eum inuasit: & ex ipsa carne exorsa pertasit ad animũ. Ex improuiso enim in illis corporis partibus quas natura contexit, nascitur apostema: deinde in interioribus corporis recessibus, vlcus purulentum & fistulosum: atque horum intolerabilis morsus intima depascebatur viscera, quæ quidem infinita vermium multitudine redundarunt: vnde fœtor lethalis & pestifer efflatur. quandoquidem vniuersa corporis moles, ex nimia eius, antequàm incidit in morbũ, helluatione & ingluuie, in immensam pinguedinem erat commutata: quæ tunc putredine contabefacta, intolerabile & plenum horroris spectaculum (vt fertur) propius accedentibus exhibuit. Atque demum tot ac tantis malis colluctans, conscientia scelerum, quæ contra Ecclesiam admisisset, perculsus, deinceps Deo suam culpam confiteri, à persecutione contra Christianos inchoata desistere, legibusque & edictis Imperatorijs ecclesias illorum exædificare maturat: consuetas preces, quæ pro ipso antè fieri solent, eos iam etiam obire mandat. Atque iste quidem ob persecutionis flammam, quam contra Christianos accendisset, tales pœnas persoluit. Verùm ille, cuius mentionem superior nostra fecit oratio, spectator istarum rerum factus, earundem q; cognitionem accuratè experientia consequutus, derepentè venit in omnium obliuionem. Neque pœnam priori irrogatam, neque iustiam Dei meritò de posteriore supplicium sumentem, memoria repetijt.

Maximianus diuinitùs punitus.

Maximiani pœnitentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Maximinus Christianos persequutus, arreptafuga, sese seruili habitu occultauerit. A

CAPVT LI.

Maximini in Christianos crudel. eas.

QVi quidem etiam ipse priorem in scelerum certamine superare enixè contendens, nouorum contra nos suppliciorum inuentione sese insolenter extulit. Nam neq; ignis, neq; ferrum, neq; claui impacti, neq; agrestes belluæ, aut maris vortices illi satisfacere potuerunt: sed præter hæc omnia, peregrinum quoddã supplicij genus suopte ingenio excogitare studuit: legemq; tulit, vt sensus illi quibus lumen percipimus, prorsus labefactarentur. Crebræ igitur multitudines non virorum solùm, sed puerorum etiam & mulierum, cũ haberent aciem oculorum dextrorũ & pedum commissuras, ferro & cauterijs adeò penitùs debilitatas, vt ipsis nullo pòst vsui esse possent, ad metalla amandabantur excruciandæ. Quarum rerum causa non diu pòst, istũ quoq; iusta Dei vltio occupauit. Nam cũ spe in dæmonibus, quos Deos esse censebat, collocata, & innumerabilibus armatorum copijs confisus, ad prælium committendum progressus esset: tunc Dei ope, qua niti debuerat, destitutus, primùm apparatum regalem parum sibi congruentem cœpit exuere: deinde timidè ignauèq; in multitudinem irrepere, tum fuga salutem quærere. Postremò clanculũ occultatus, in agris & vicis habitu famulari se posse latitare censuit. Cæterũ excelsum obtutũ diuinæ prouidentiæ, quæ rerum curã gerit vniuersarum, minimè subterfugit. Nam posteaquam sperauit vitam suã esse in tuto locatam, ignito Dei telo percussus, pronus decubuit, toto corpore plaga cœlitùs delapsa ita exhausto, vt vniuersa pristinæ formæ effigies omnino deleretur, quippe ossa exiccata, & instar simulachrorũ extenuata, tantũ modo ei superfuerunt.

Crudele supplicium.

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 25. 26. 27. 28. 29. 31. 32. 33. 38. 39. Videetiã supra lib. 8. c. 26. 27. & locum qui illic ad notatus.

Quòd violentia morbi cæcus effectus, ad extremum pro Christianis scripserit. CAP. LII.

Maximinus cæcus factus demum pœnituit.

QVinetiam cũ Dei plaga vehementius intenderetur, eius exilierunt oculi: & sede propria elapsi, illum cæcum dimiserunt. Quæ igitur primus contra Dei martyres excogitauerat supplicia, eadem ipse iustissima sententia sustinuit. Qui demum, dum adhuc his malis conflictatus spiritum ducebat, Christianorum Deo se confiteri, & suas, quas contra Deum pugnas susceperat, palàm elocutus, palinodias pari ratione cum superiore canere: legibus etiam & edictis euidenter suum errorem de diis, quos sibi colendos delegisset, aperire cœpit: solumq; Deum Christianorum verum esse, ipsa experientia se comperisse testatus est. Ista scelera, eorundemq; mercedem, quanquã Licinius non auditione acceperat ab alijs, sed ipse reuera pro certo compererat: tamen velut crassa quadam caligine menti offusa cæcatus, in eisdem quasi volutatus hæsit. B

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 36. 37.

Maximiani, Maximini, Maxentij interitu Licinius non mouetur.

EIVSDEM EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE PALAESTINAE, DE VITA SANCTISSIMI Imperatoris Constantini, Liber secundus.

Licinius clanculum persequutionem molitur, episcopis in Amasia, quæ Ponti pars est, trucidatis.

CAPVT I.

Licinij in Christianos persecutio clandestina & fraudulẽta, mota primùm in episcopos vt his sublatis religionem Christianorũ facilius opprimeret.

ISte quẽ diximus, Licinius in eundẽ cũ illis gurgitem, qui cũ Deo bellũ gessissent, præceps deiectus est: & quorũ interneciones impietatis causa ipsis illatas oculis aspexisset, eorũ exemplũ ad suã pernicieẽ consectatus, persecutionẽ contra Christianos, tanquã quoddã ignis incẽdiũ iampridẽ extinctum, de integro exuscitauit: grauiore flãma ab ipso, quã à superioribus tyrannis, accensa. Atq; velut bellua quędã immanis, aut serpens tortuosus in se cõuolutus, furorẽ & minas quasi cũ Deo bellaturus, anhelans, nõdũ apertè quidẽ (Constantinũ enim admodum extimescebat) contra Dei ecclesias, ipsius imperio subiectas, dimicare ausus est: sed clã apud se maleuolentiæ occultans venenũ, clandestinas insidias separatim contra episcopos comparauit. Nã per veteratorias molitiones magistratuũ, qui prouincijs præfuerunt, spectatissimos quosq; inter ipsos è medio tollendos curauit. Quin cædis modus in eos institutus, peregrinus quidã erat. cuiusmodi non aliquando cognitum fuisse arbitror. Quæ enim fuere ab eo in Amasia Ponti patrata, extra omnem crudelitatis modum longè euagata sunt.

Vide Nicephor. lib. 7. ca. 44. Videlocos Historiæ Licinianæ adnotatos ad cap. 5. li. 9. Euseb.

Ecclesiæ

Ecclesiæ dirutæ, & episcopi discerpti. CAP. II.

Vide Nicephor. li. 7. cap. 44.

IN quo loco nonnullæ ecclesiæ, quæ fuissent etiam antè euersæ, iam secundò è sublimi ad solum vsque prostratæ: aliæ autem à prouinciarum præfectis occlusæ, ne quisquam eorum qui eas frequentare consueuerant, eò ad cõuentus agẽdos accederet, néue cultus Deo debitos impertiret. Nam qui ista mandauerat, non existimauit † preces illic pro se fieri: vtpote quem mala conscientia in eam opinionem induxisset: sed pro Constantini salute nos omnia pietatis officia exequi, & Deum assiduè pro eo orationibus placare, pro certo persuasum habuit. Illius autem assentatores, & qui ei egregiè blandiri in animum induxerant, illustrissimos Ecclesiarum præsides (inde enim se impio tyranno rem gratissimam facturos arbitrati sunt) capitis supplicio multarunt. Itaque qui insontes erant, perinde atque hi qui cæde & sanguine manus suas inquinassent, sine causa ad locum supplicij abducti sunt, & graui pœna affecti. Iam verò, quidam nouum mortis genus subierunt, corpore in multas particulas ense minutatim dissecto: ac post istud crudele supplicium, & omni scelere in tragœdijs audito magis horrendũ, in profundos maris gurgites piscibus vorandi proiecti sunt. Pij viri post hæc, sicut paulò antè acciderat, aufugêre, famuli Dei in agros rursus & solitudines se abdere cœperunt. † Vbi ista hoc modo succedunt tyranno ex sententia, decęterò contra omnes persecutionem excitare in animum inducit. In qua re certè fuisset voti compos, & nihil ei fuisset impedimento, † quò minus in opere instituto processisset: nisi Deus, suorum seruorum propugnator, vti quod futurum erat præuerteret, famulum suum Constantinum, tanquam lumen illustre in tenebris & nocte obscurissima incensum, in ea loca in quib. versabatur tyrannus, quasi manu duxisset.

Amasiana persecutio cepta anno Christi 320. in qua templa clauditur. 2. Episcopes occidit.

3. In reliquos pios nouũ supplicij genus cõminiscitur.

† Vide an. not. pag. 127. lat. 2. lin. 33.

† Vide an. not. pag. 128. lat. 1. lin. 8.

† Vide an. not. pag. lat. eodem lin. 9.

Constantinus Licinio diuinitus obijcitur.

Quid Constantinus animo conceperit, cum Christianis persecutio intenta aretur.

CAPVT III.

Vide Nicephor. li. 7. cap. 45.

BVi cùm ne rumorem quidem de illis rebus, quas diximus, dissipatum amplius ferendum cerneret, modesta animi ratione rem secum reputare, & morum seueritate cum clementia naturaliter sibi insita temperata, ad afflictorum liberationem maturare cœpit: existimans pietatis & sanctimoniæ munus esse, vt per vnius cædem infinita hominum multitudo seruaretur incolumis. Nam cùm animo complexus esset, se magna facilitate vsum, hominisque commiserationem parum promerentis misertum, ei, vtpote à malorum instituto minimè recedenti, nihil omnino profuisse: imò verò eius rabiem cõtra subiectos magis auxisse, adeò vt illis qui ab eo erant afflictati, nulla esset reliqua salutis spes: absque cunctatione dextram salutarem, ijs qui essent in tam extremas calamitates prolapsi, porrigere instituit. Idcirco consuetum militaris expeditionis apparatum instituit, vniuersa agmina tam peditum quàm equitum ad illum frequentia confluunt: quæ omnia antecedebant insignia certæ in Deum fiduciæ, quæ crucis effigiem suprà monstratam pulchrè repræsentarunt. B

Vnius tyranni cæde multis bonis rectè consulitur.

Constantini de liberandis à tyrannide Christianis cogitatio.

Crux insigne fidei.

Quod Constantinus adhibitis orationibus componebat se ad bellum: Licinius contrà, incantationibus.

CAPVT IIII.

Vide Nicephor. lib. 7 cap. 45. Hoc bellũ inter Constantinum & Licinium gestum est anno 325. Vide Eutropiũ lib. 10. Item Orosium lib. 7. ca. 28. † Vide an. not. hoc. c. plurib. locis. Cf. pag. 128. lat. 1. lin. 25. 26. 33. 34. 35. 38.

PRecibus, si vnquam aliàs, iam etiam sibi opus esse probè intelligens, Dei solicitare sacerdotes, vt semper cum ipso versari, † semperque præsto esse vellent: hosque tanquam quosdam animæ custodes ducere. Tunc verò qui tyrannidem propugnabat, cùm auditione accepisset, Constantinum contra hostes non aliter quàm per Dei virtutem præsidium ipsi afferentem victoriam conari comparare, & eos quos dixi, semper vnà cum illo versari, ei adesse, & salutaris Christi passionis insigne vniuersum illius exercitum perpetuò antecedere, has res reuera (sic namque erat verisimile) irrisione dignas putauit: simulque & Constantinum habuit ludibrio, & contumeliosis verbis lacerauit. Itaque is primùm augures & vates Aegyptiorum, veneficos etiam & præstigiatores, sacrificos & prophetas eorum quos habebat pro dijs, accersit ad se: deinde dijs illis quos sibi colendos censuit, victimis placatis, sciscitatur, quo modo belli exitus ipsi succederet. Illi enim, hostium victorem sine dubio fore, inque bello superiores laturum, vno ore respõdent. quinetiam longis carminum ambagibus oracula vbique idem asseuerant. Augures prædicant, ei per auium volatus fausta præsignificata esse: sacrificij, viscerum micationem similia portendere demõstrant. Fraudulentis igitur istorum promissis elatus, magna cum confidentia castris egressus est, ad manus conserendas paratus.

Const. orationibus ad Deũ Licinius verò præstigijs ad bellũ se adparant.

Licinius præstigijs magicis se ad bellũ parat.

Quid

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quid de idolis & Christo dixerit, cùm in lucis dæmonibus sacrificauit. A

CAPVT V.

Lucus in quo Licinius idola colebat.

QVi cùm esset prælium initurus, satellites suos, & eos quos inter amicos eximiè charos habebat, in locum quendam qui sacer apud illos putabatur, conuocat. In quo nemus erat irriguum & densum: variæ item statuæ lapideę vario artificio sculptæ, dijs ipsius in eo erectæ: quibus cùm cereos accendissent, & consuetas immolasset hostias, eiusmodi orationem habuisse fertur. Viri amici & socij, Dij isti sunt patrij, quos ex maioribus antiquitùs colendos accepimus, quosque religiosè & sanctè veneramur. Iste, qui nobiscum prælium initurus est, patrijs institutis violatis, præ errore quo cæcatus est, peregrinum quendam Deum (vnde, haud equidē scio) colens, impia opinione mentem imbuit: & turpi istius insigni, exercitum suum magnopere dedecorat. Quo fretus procedit in aciem, & non contra nos solum, sed multo potius contra ipsos deos, quorum cultum vt proditor deseruit, arma ferre aggreditur. Hoc igitur in tempore liquidò constabit, & quis nostrûm opinionis errore vagetur, & vtrũ dijs qui à nobis, an qui ab altera parte coluntur, priores deferendæ sint. Aut enim nos victores erimus, & sic iure optimo nostri dij seruatores & opitulatores veri existimari debent: aut si hic Constantini Deus (quisquis ille fuerit, vel vnde sit profectus, nescio) nostros, cũ plurimi sint, idq; numero & multitudine superiores, deuincat, nemo de reliquo vocet in controuersiam, quem tandem Deum venerari oporteat: sed vincẽti se addicat, & illi præmia offerat victorię debita. Quod si peregrinus ille Deus, qui est iam à nobis ludibrio habitus, superior in prælio videatur, illum nos decet agnoscere, illum colere, & ita longum vale dicere his quibus cereos frustra accendimus. Verùm si nostri potiantur victoria (quod non dubium est) post victoriam hoc loco partam, ad bellum contra impios faciendum maturemus oportet. Ista apud suos coràm, oratione disseruit. Nobis verò hanc historiam † scribere instituentibus, eius verba retulerunt hi, qui eadem auribus accepissent. Tyrannus tali oratione habita, iussit vt milites prælium quamprimùm aggrederentur.

Licinij ad suos oratio.

Impium Licinij propositũ.

† Vide annot. pag. 128. lat. lin. 16.

Spectra in ciuitatibus quæ Licinio subijciebantur visa, quasi Constantini exercitu eas infectante. B

CAPVT VI.

Prodigia ante commissam pugnam.

DVm ista gerebantur, visum quoddam suprà quàm dici potest admirabile, circa ciuitates eius ditioni subiectas, apparuisse ferunt. Nam se videre videbantur varias turmas militum armatorum, qui sub Constantino duce dimicassent, in ipsa meridie per vrbes, tanquam victoria potitas transijsse. Atque ista cernebantur, nemine vspiam reuera apparente: sed visione diuiniore quadam & excelsiore virtute, quod futurum erat, portendente. Cùm exercitus essent iam prælium inituri, qui amicitiæ fœdera ruperat, primùm dimicare exorsus est. Ibi Constantinus Dei omnium seruatoris auxilio implorato, signoque isto suis militibus dato, in prima dimicatione hostes expugnauit. Deinde non longo tempore pòst, secunda etiam pugna tulit superiores: atque adeò iam salutari Seruatoris vexillo exercitum suum antecedente, præclariora victoriæ trophæa consecutus est.

Vide lib. 2. ca. 45. Niceph.

Constantini victoria.

Vbicunque in prælijs crucis signum adfuit, ibi ilico consequutam esse victoriam.

CAP. VII.

Crucis signo parta vbique victoria.

NAm in qua parte istud crucis vexillum visum fuit, hostes fugam capere, victores persequi. Qua re intellecta, Imperator, sicubi partem aliquam sui exercitus laborantem cernebat, ibi salutare illud vexillum, tanquã quoddam subsidium ad victoriam obtinendam locari mandauit. Cuius adiumẽtis extemplò parta est victoria: quippe dimicantium vires diuina quadam potentia fuêre admodum confirmatæ.

Vide Niceph. lib. 9. cap. 24.

Crucis vexilli cura 50. viris commissa.

Quinquaginta ad portandum crucem delecti. CAPVT VIII.

QVapropter suis iussit satellitibus, qui & corporis robore erant, & virtute animi, & pietatis institutis in primis eximij, vt in solam vexilli illius gubernationem omni cura ac studio incumberent. Erant viri non pauciores quinquaginta numero, quibus nihil aliud impositum erat negotij, quàm vt vallarẽt vndique vexillum, præsidijs munirent, singuliq; ordine illud ipsum humeris gestarent. Atque ista quidem Imperator ipse longo pòst temporis interuallo interiecto, cùm animo vacuo erat, nobis, qui hanc historiam scribimus, exposuit: addens etiam rem dignam esse, quæ literis ad posteriorum memoriam commendaretur. Quòd

Vide lib. 9. cap. 27. Niceph.

Quòd de cruciferis quidam, cùm fugisset, interfectus est: qui fideliter permansérat, seruabatur illæsus. CAPVT IX.

Vide Niceph. lib. 7. cap. 27.

NAm cùm in media, inquit, belli dimicatione ingens fortè fremitus & tumultus repentina exercitum occuparet, ille qui vexillum hoc portabat humeris, inter præliandum primùm præ formidine exhorrescere cœpit: deinde alteri illud tradere, vt belli impetum effugeret. Postquam alter accepit, istęq; fuit ex acie egressus, & extra vexilli præsidium locatus, telo conjecto in ventre confossus est, morteque sopitus concidit. Atque vt iste timiditatis & diffidentiæ pœnas luens, ibi mortuus iacuit: sic ille qui salutare trophæum, sublime & erectum portabat, omnino eius subsidio euasit incolumis: adeò vt sæpè, cùm tela frequentia ab hostibus in eum iacerentur, qui ipsum ferebat, saluus extiterat, & vexilli hastile tela missa exceperit. Atque istud omnem planè superabat admirationem, tum quòd tela ab hostibus iacta sic intra exiguum illum & angustum hastilis ambitum prouolabant, vt in eodem fixa hærescerent: tum quòd ille qui illud ipsum gestabat, mortem effugeret: imò verò, vt qui hoc ministerium obibant, nihil damni incommodiue aliquando acciperent. Neque certè hæc nostra est oratio, sed ipsius Imperatoris: qui præter alias res, hanc etiam nobis coràm memorauit. Qui vbi diuina potentia has duas primas victorias fuisset adeptus, decæterò, exercitu ordine instructo, vlterius processit.

Miracula de crucifero, quæ Eusebio retulit ipse Constantinus.

Vide Niceph. lib. 7. cap. 45.

Conflictationes variæ, & Constantini victoria. CAP. X.

QVi autem contrariarum partiũ erant, quiq; primùm dimicare cœperant, cùm illius impetum abiectis armis, manu sustinere non possent, ad pedes Imperatoris acciderunt. Iste, vtpote ex hominibus conseruandis voluptatem capiens, omnes excepit incolumes. At alij qui in armis se tenuerunt, prælio instare, quos primũ Imperator benignè & humanitùs ad amicitiam ungendam inuitauit. Sed vbi minimè obsequentes intelligebat, in eos dimisit exercitum. Illi statim terga dantes, in fugam vertuntur. Ex quibus deinde alij capti, iure belli n terfecti sunt: nonnulli, alius in alium ruentes, suorum gladijs decubuerunt.

Constantini humanitas erga supplices, et seueritas in reluctantes. Constantini victoria.

Licinij fuga & incantationes. CAPVT XI.

Vide Niceph. lib. 7. cap. 45.

POst hæc, qui hisce rebus principium dederat, cũ videret se famulorũ auxilijs orbatum, & exercitum, quem collegerat, profligatum, ac sociorum copias deletas, & spem in illis quos ipse deos putabat, nihil posse, ipsa iam experientia manifestò conuictam, tum se turpissimæ fugæ mandauit: sicq; euasit incolumis, atque adeò extra vitæ periculum propterea fuit, quòd pius Imperator suis mandasset, ne omnino eum persequerentur, vt fugiendo saluti prospiceret. Spes enim in eius insidebat animo, illum, cũ persentisceret in quas incidisset calamitates, non modò ab insana temeritate desiturum, verùm etiam suam mentem ad meliora cogitanda conuersurum. Et quanquam iste singulari humanitatis studio ista instituebat, inducebatq; in animum iniuriam toleranter ferre, & indigno impertire veniam: ille tamen neutiquam ab improbitate se abstinuit: sed mala malis accumulans, sceleratiora facinora aggreditur: ac de integro fallacibus & dolosis præstigiatorum institutis insistens, animo confidere cœpit. Licebat profectò eandem sententiam de eo, atque de veteri tyranno pronunciare, quòd Deus eius cor planè indurauerat.

Deuicti Licinij fuga.

Constantini humanitas in deuictum hostem.

Quomodo Constantinus orans in tabernaculo, victor exstiterit. CAPVT XII.

Vide infra hoc lib. ca. 14. & lib. 4. cap. 56.

QVi cùm animum eiusmodi obstrinxisset sceleribus, seque in exitij tanquam barathrum detrusisset, Constantinus qui secundò iam bellum necessariò gerendum animaduerteret, Seruatori suos preces fundendi tempus vacuum & solutum dicauit: & crucis tabernaculo extra castra etiam longissimè fixo, ibi sincerę & piæ meditationi se dedens, more veteris illius Dei prophetæ, quem extra castra tabernaculũ fixisse diuina confirmant oracula, Deum orare cœpit. Nonnulli etiam quos ipse ob fidei & pietatis studium satis spectatos habuit, in idem munus cum eo vnà incumbebant: hocq; etiam aliàs exequi ei erat in more positũ, cũ bello cum hoste decertare constitueret. Nam sicut propter securitatẽ tardior in rebus gerendis fuit, sic Dei consilio omnia administrare consultum statuit. Et cùm iam vacuo animo attentè Deo preces adhibebat, semper diuina aliqua visione dignatus fuit: ac pòst illud tanquã diuino instinctu impulsus, exilijt è tabernaculo, & derepentè exercitũ incitare cœpit: mãdauitq;, vt nulla mora interposita, ipsam gladiorũ aciem experirentur. Qui ex improuiso hostes adorti, homines cuiusq; ætatis cõciderunt: † atq; interdum puncto ferè temporis parta victoria, trophæa contra hostes insignia statuerunt.

Crucis tabernaculum.

Constantini ad Deum precatio ante cõmissam pugnam.

Exod. 33.

† Vide annot. pag. 129. lat. 2. lin. 3.

Constanti-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Constantini in deuictos milites misericordia. CAP. XIII.

AD hunc modum Imperator etiam iam antea in prælijs committendis & seipsum gerere,& exercitum regere consueuit: quinetiam Deum suæ ipsius animæ præponere,& illius consilijs omnia transigere, diligentemque adhibere cautionem,ne inter dimicandum fieret multorum cædes. vnde non magis suorum,quàm hostium saluti prospexit. Quapropter suos,cùm fuisset in pugna victoriam adepti,hortari solebat, vt captiuorum misererentur: & cũ homines essent,naturæ humanæ nequaquam eos caperet obliuio: atque si aliquando militum animos ferociores cerneret,auri munusculo eos refrenare: præcipereque vt qui aliquem ex hostium numero viuum cepisset, aliqua certi auri summa remuneraretur. Atque hanc velut illecebram ad hominum conseruationem, Imperatoris excogitauit prudentia: adeò vt infiniti etiam ex ipsis Barbaris incolumes euaserint, Imperatorei ipsorum vitam auro redimente.

Const. erga hostes etiam benignitas.

Iterum de oratione in tabernaculo. CAP. XIIII.

QVemadmodum igitur hæc & infinita his similia, etiam aliàs Imperator facere consueuerat: sic in præsentia, de more suo ante initum prælium, in tabernaculo separato, tempus precibus ad Deum fundendis liberum addixit: ab omni licentia & vitę ratione luxu diffluente sese vocauit, inedia & corporis afflictatione seipsum coercuit, vti Deum sibi cùm precationibus supplicibus placatum, tum benignum adiutorem haberet: eaq; perageret, quæ Deus esset illius animo iniecturus. Porrò autem, vtpote natura vigilans & attentus, permagnam Reip. curam suscepit, nec magis pro suorum, quàm pro hostium salute precatus est.

Ad precationes præparatio, quas prælijs Constantinus præmittebat.

Vide supra cap. 2. huius libro.

Licinij in amicos dolus, & eidolorum cultus. CAP. XV.

POstquam autem Licinius, qui paulò antè se fugæ mandauerat, rursus amicitiæ fœdera iungere sibi esse in optatis, simulatione præ se tulit: hic nostri præscriptis illi pactionum formulis ad vitam cuiusque accommodatis, vtilibusq;, fœdera cum eo ferire nõ dedignatus est. Quib. quidẽ pactionibus, quanquam tyrannus quem suprà memorauimus, lubens obsecũdare præ- B texuit, fide iureiurando confirmata: tamen ex occulto, hominum armatorum manum iterum cogere,& de integro bellum pugnamque renouare, Barbaros homines in societatem asciscere: deosq; alios, vtpote à prioribus in fraudem inductus, circumcirca quęsitum cursitare cœpit: & eorum verborum quæ non ita pridem de dijs habuerat, nullam omnino tenuit animo memoriam, neq; Deum Constantini propugnatorẽ agnoscere voluit, sed plures & recentiores deos cum irrisione omniũ conquirere laborauit.

Licinius simulatum fœdus icit cum Cõstantino.

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 45.

Licinius veterib. dijs exauthoratis nouos quærit quib nitatur contra Deum verum.

Qualiter Licinius milites præmonuerat, vt dimicationem contra Crucem declinarent.
CAPVT XVI.

POstea cùm reuera intelligeret, quanta, quàm diuina, quamque inexplicabilis esset in salutari Christi passionis trophæo vis (qua quidẽ roboratus Constantini exercitus, in bello superior esse consueuerat) milites circum se hortatus est, ne huic exaduersò irent, cauerentque ne fortuitu aut per imprudentiam in illud oculos conijcerent. Nam & virtute valere plurimum, & sibi aduersarium infestumque esse affirmauit: & propterea debere declinare eam, quæ contra idem instituitur, dimicationem. Iis rebus sic constitutis, cum eo qui propter clementiam ipsum expugnare tardauerat, & mortem eius distulerat, prælio contendere aggreditur. Itaque vt huius milites multitudine deorum, & ingenti copiarum militarium numero confisi, simulachra hominum extinctorum (quos pro dijs colebant) hostibus velut propugnacula obijcere, sicque manu confligere cœperunt: Ita Constantinus lorica pietatis obseptus, salutare crucis & vitale signum, tanquam quoddam terriculamentum aduersariorum, & munimentum ad mala propulsanda firmissimum, hostium multitudini opposuit. Attamen principiò à bello ad tempus abstinuit: & miseri cordia commotus, neutiquam prior inijt prælium, ne amicitiæ fœdera, quæ pactus erat, violaret.

Licinius suos præmonet, vt sibi à cruce caueant.

Licinius denuò bellum parat.

Ethnici milites Liciniani, idolis freti præliantur.

Constantini fiducia in Deũ & longanimitas in hostẽ.

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 45.

Constantini alacritas ad cæpessẽdã pugnam.

Constantini victoria. CAPVT XVII.

VErùm vbi aduersarios constanter in instituto perstare, iamque gladiorum aciem experiri cernebat, ægrè sanè & grauiter ferens, sublato clamore, omnes hostium copias momento temporis pedem referre coegit: simulque contra inimicos & dæmones reportauit victoriam.

Hectoreã est decertare, quę Deus in præliis rapiãt.

Licinij

Licinij suorumq; mors. CAP. XVIII.

DEinde impium tyrannum, vnà cum suis, belli iure cõdemnatum, debito adhibito supplicio. Qui verò prælij contra Deum suscipiendi authores fuissent, pariter cum tyranno ad locum supplicij abducti sunt: & ibi meritas iustasq; persoluentes pœnas, miserè interierunt. Qui quidem sicut antè spe in dijs vanis locata insolenter se efferebant, sic paulò post Constantini Deum, qualis & quàm admirabilis esset,* re ipsa intellexerunt: & hunc iam verum & solum Deum se agnoscere, confessi sunt.

Licinij interitus & supplicium.

Confessio Licinij agnoscentis, Deum Constantini esse Deum verũ.

Vide Nicephor. lib. 7. ca. 46.

*Vide annot. pag. 130. lat. 1. lin. 7.

Summa omnium lætitia & panegyris. CAP. XIX.

POrrò impijs hominibus è medio sublatis, & potestate tyrãnica deleta, mundus de reliquo velut solis claritate collustratus fuit: vniuersæq; orbis terræ partes, quæ Romanorum parebant ditioni, in vnum coaluerunt: quinetiam dum gentes, quæ Orientem occupabant, alteri parti adijcerentur, & vno generali principatu, tanquam capite quodam, totum corpus adornaretur, vnius Imperij potestas per omnes peruasit: illustres prætereà lucis ex pietate nascentis splendores, ijs, qui antea in tenebris & mortis vmbra consedissent, lætos & serenos dies impertierunt. Neq; erat vlla amplius præteritorum malorum recordatio: quippe omnes vbiq; victorem hymnis celebrabant, huiusq; conseruatorem solum Deum se agnoscere fatebantur. Iste Imperator vniuerso pietatis genere eximius, & victor egregius, (hanc enim appellationem, cognominis loco, victoriæ sibi à Deo contra hostes & inimicos donatę,† maximè propriè conuenientem inuenit) Orientem recuperauit: & vnum coniunctum cohærentemque principatum, more veteri Romanorum sibijpsi subiecit: ac non modò Deum omnib. qui in Imperij sui finibus continebantur, palàm prædicare cœpit: verùm etiã vniuersum mundum gubernaculis singularis potestatis, quæ Romanorum ditionis erat propria, præclarè admodum administrauit. Malorum porrò, quæ anteà cũctos mortales oppresserant, metus sublatus fuit: & qui antè fracto animo & demisso fuerũt, hilari vultu, obtutuq; læto alter alterum aspexerunt. Tum choreis & hymnis primùm Deum, summũ omnium regem esse prædicarunt: deinde victorem Constantinum, eiusq; filios modestissimos, Deoq; charos Cæsares, acclamationibus continuis extulerunt. Erat iam veterum malorum & impietatis cuiusq; obliuio: iam suauis præsentium bonorum vsus & oblectatio, iam iucunda expectatio futurorum.

Constantini victoria passim celebrata, ob libertatem pacemq; restitutam.

†Videan. not. pag. 130. lat. 1. lin. 17.

Quomodo pro confessoribus Constantinus leges sanxerit.
CAPVT XX.

IAm apud nos, sicut etiam pridem apud eos, qui alteram orbis partem obtinẽt, Imperatoris decreta plena humanitatis diuulgata: iam leges, quæ & clarã[a] sanctimonię erga Deum significationem dare, & non obscura bonorum cuiusque generis indicia, cuiusq; oculis subijcere videbantur: neq; solum prouincialibus cuiusq; nationis, ea quæ erant ad vitam accommodata vtiliaque, largitæ sunt, sed etiam Dei ecclesijs, quæ conuenientia putabantur, ritè præscripserunt. Nam primùm omnium, illos qui à præfectis cuiusque prouinciæ, propterea quòd idolis immolare recusauerant, è patriæ finibus pulsi, inque exilium electi fuissent, domum reuocarunt: deinde eos, qui cum rijs eandem ob causam essent adiudicati, ministerijs liberarunt: præceperuntque, vt qui fuissent facultatibus dispoliati, eas denuò reciperent. Quinetiam qui tempore persecutionis animi tolerantia in tormentis pro Deo perferendis nobilitati, aut metallis excrudiandi addicti, aut ad insulas incolendas condemnati, aut ad publica Imperij opera obeunda vi compulsi fuissent, per easdem leges istis omnibus miserijs ex insperato fuere liberati. Eos etiam, qui propter constantem pietatis confessionem essent de militaris dignitatis gradu deiecti, benignitas Imperatoris ex ea contumelia rursus euocauit: libera optione data, vel ædes recipiendi, & prioribus honoris ornamentis potiundi cum dignitate: vel vita tranquilla contentis, ætatem ab omnibus ministerijs vacuam degendi. Eosq; item, qui fuissent ad muliebria officia seruiliter obeunda, quò dedecore & ignominia afficerentur, condemnati, pari ratione atq; cæteros liberauit.

Huc refer Nicephor. li. 7. ca. 46. Ad intergrum edictorũ tra- B dationem cõiunge eos locos, qui notati sũt supra libr. 10. cap. 5. Euseb. hist. Eccle.

[a] *Vide annot. pag. 130. lat. 1. lin. 29*

Leges à Constantino post victos tyrannos latæ pro confessoribus ab exilio reuocandis et in integrum restituendis.

Quomodo etiam pro martyribus leges tulerit, & bonis ecclesiasticis.
CAPVT XXI.

ATque ista fuere de ijs hominibus, qui hæc incommoda sustinuissent, Imperatoris edicto sancita. De facultatibus autẽ * piorum, qui in persecutione mortem obijssent, definitè etiam præscripsit Imperatoris lex. Nam sanctorum Dei mar-

Vide Nicephor. lib. 7. c. 46. *Videan. pa. 130. lat. 2. lin. 4.

Pro martyribus leges.

T tyrum

Eorum fortunæ cognatis restituendæ, aut in horum defectu ecclesijs.

tyrum fortunas, qui in fidei confessione supremum vitę diem egissent, à cognatis possi- A deri præcepit. Quod si nullus ipsis superesset sanguinis communione coniunctus, vt ecclesiæ eorum hæreditates adirent. Porrò autem, quæ bona Christianorum anteà in ærarium relata, & ex eo, aut venditione, aut gratuitò ad aliorum vsum abalienata fuissent, quæue in illo ipso adhuc reperta essent, dominis denuò debere reddi munificum Imperatoris edictum in mandatis dedit. Atq; benignę Imperatoris leges passim diuulgatæ, non solum ecclesiæ Dei & populo Christiano tot tantaq; beneficia præstiterunt: verùm etiam infidelibus populis, & cunctis gentibus, alij præterea multitudini propè infinitæ, Imperatoris magnificentia elargita est.

Confiscata dominis restituenda.

Quantopere populorum animos recreauerit. CAP. XXII.

Constantini virtutibus omnes recreati

VIde Nicephor. lib. 7. cap. 46.

NOnde omnes, qui in nostris regionibus auditione solùm accepissent ea, quæ iam antè fuerant in altera parte Imperij Rom. gesta, eosque, qui istis affecti fuissent beneficijs, beatos putarent, optarentq; vt ipsi tandem paribus potirentur: cum eadem ipsis etiam ante oculos versarentur, se quoq; iam in beatorum numero duxerũt: & sunt ingenuè confessi, tantum & tam præclarum Imperatorem, tanquam rem quandam nouam & propè inauditam (qualem nulla ætas, quam sol viderit, aliquando cognouit) mortali hominum generi apparuisse. Atq; isti hoc animo fuerunt.

Quòd Deum bonorum authorem palàm prædicauit, & de legum exemplaribus. CAP. XXIII.

Constantinus Deo fert acceptos successus suos.

VIde Nicephor. li. 7. ca. 44.

POstquam autem omnes gentes Dei patris virtute Imperatori subiectæ fuerunt, bonorum sibi suppeditatorum largitorem omnibus palàm prædicauit: eumq; victoriarum quas esset consecutus authorem, & non seipsum, agnoscere, constanter testificatus est: hocq; ipsum per edicta, quæ literis Latinis Græcisq; mandata erant, & ad omnes gentes missa, manifestò denunciauit.

Lex Constantini, de pietate erga Deum, & religione Christiana, in qua hæc continentur. CAPVT XXIIII.

Edicta Constantini ad Christianos & ethnicos ipsius Constantini manu subsignata.

ATque nostram orationem de hac re iustitutam veram esse, si in ipsa edicta fortè incideris, facilè cognoscas licet. Duo quidem erant: alterum ecclesijs B Dei, & populo Christiano: alterum, populis infidelibus singulas ciuitates incolentibus missum. Quod quidem, vtpotè ad præsens argumentum valdè commodatum, hoc loco citare consentaneum arbitror: ad eum sanè finem, vti eius formula historiæ monumentis prodita, maneat reseruetur q; ad posteritatem: quandoquidem & ad veritatis plurimùm, & ad nostræ orationis confirmationem non minus adferre videtur adiumenti. Descripta est enim ex primo exemplari ipsius edicti, authoritate Imperatoris confirmati, & eius dextera subscripti, eaq; tanquam sigillo ad fidem huic nostro sermoni faciendam obsignati, quod quidẽ exemplar apud nos custoditum est.

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVGVSTVS, PROVINCIALIBVS PALAESTINAE S.

Exemplum à vetustis temporibus. CAP. XXV.

Constantiniane legis pro Christianis editæ exemplũ.

QVanquam erat olim veterum memoria, apud eos, qui rectè & syncerè de Deo “
Opt. Max. sentiebant, euidens & perspicua differentia, quæ omnem dubitatio- “
nem longè ab hominum mentibus dispulit, quęque etiam quantum interfit in- “
ter eos, qui augustissimam Christi religionem studiosè obseruant, & eos, qui oppugnãt “
eandem, atq; adeò despicatui ducunt, accuratè distinguebat: tamen iam & argumentis “
illustrioribus, & splendidioribus rebus gestis, tum huius dubitationis inscitia, tum quæ “
sit præpotentis Dei vis, perspicuè patefit. Quandoquidem hos, qui fideliter sanctissimã “
Christianorum legem & disciplinam colant, nullumq; illius præceptum violare aude- “
ant, magna bonorum affluentia, & robur firmissimum ad præclaros conatus cum bona “
spe suscipiendos accommodatum: illos autem, qui impia mente imbuti sunt, euentus “
etiam ipsorum institutis consentanei sequuntur. Quod si quisquam, qui neq; Deum bo- “
norum authorem agnoscere, neq; officia honestati congruentia colere in animum in- “
duxerit, aliquid boni sit consecutus, euenta rerum ab ipso gerendarum fidem orationi “
nostræ facilè facient. Ac si quis superiora tempora hucusq; continuata animo percurrat, “
& priores res gestas acie ingenij contempletur, reperiet, omnes, qui fundamentum rerũ “
gerendarum in iusticia & bonitate posuerint, conatus suos ad felicem exitum perduxis- “
se, & tanquam ex suaui quadam radice dulcissimum fructum percepisse: at qui iniqua fa “

Euentu ipso inter Christianos & Ethnicos discrimen constat.

cinora

Acinora edere aggressi sint, & nullam piam sanctamq; cogitationem erga humanum ge-
„nus aliquando susceperint, sed homines exilio multare, illis contumelias facere, bona
„publicare, cædes, & multa eius generis mala inferre effrenatè moliti sint, & neq; illos ali-
„quando pœnituerit, neque mentem ad meliora conuerterint, supplicia appositè ipsorũ
„sceleribus respondentia subijsse.

De ijs, qui persequutionem perpessi sunt, ac eorum inflictatoribus. CAP. XXVI.

Pij non nisi cũ fœnore affligũtur ab impijs.

„ATque ista neq; temerè, neque sine ratione eueniunt. Qui enim animo rectè ex
„iusticiæ regula instituto ad res gerendas se conferant, & timorẽ Dei Opt. Max.
„assiduè animo complectantur, & firmam erga illum fidem retineant, & terro-
„res periculaque, quæ in præsenti vita obijciuntur, spe illa de rebus futuris ostentata, po-
„steriora ducant: hi licet ad tempus rebus aduersis & incommodis conflictentur: tamen
„quia pro certo persuasum habeãt, honores sibi multo maiores in posterum reseruatos,
„casus qui incidunt fortuitu, neutiquam ægrè & grauiter ferunt: sed quò asperioribus di-
„uexantur molestijs, hoc illustriora gloriæ insignia assequuntur. Qui verò iustitiæ nor-
„ma cum dedecore reiecta, Deum Opt. Max. non agnouerint: & eos, qui illum sunt fide-
„liter consectati, contumeliæ & supplicio intolerabili obijcere non dubitarint, neque il-
„lorum gratia quibus ob talem causam pœnas irrogassent, se quidem miseros, illos autẽ
„felices & beatos (vtpote, qui etiam dum tam dira tormenta subibant, pietatem erga De-
„um firmè retinerent) iudicarint: istorum certè copiæ complures conciderunt, multæ in
„fugam conuersæ sunt, omnis denique bellica expeditio ab his suscepta ad extremã cla-
„dem prolapsa.

Persecutores in quas clades inciderint.

Quòd persequutio, malorum causa extiterit ijs, qui bellorum authores fuerunt. CAPVT XXVII.

Christianorũ persecutionẽ secuta sunt Bella. Vastitas. Annonæ caritates.

„EX huiusmodi sceleribus bella pestifera exorta, ex huiusmodi vastitates per-
„niciose: inde etiam diminutiones rerũ ad vitę vsus necessariarũ, inde malo-
„rum eiusmodi nequitiã insequentium multitudo: inde duces tantæ impie-
B „tatis editi, qui quidem vel extremis ærumnis exantlantis, extremam miseri-
„am perpessi sunt: vel vitam turpissimã degẽtes, eam postea cũ supplicia suis
„nequitijs aptè & æqualiter conuenientia sustinerent, morte grauiorem esse facilè agno-
„uerunt. Nam quo vehementius quisq; eorum, temeritate quadam inductus, ad diuinã
„Christianorum legem & disciplinam expugnandam (sic enim putabat) vehementius a-
„criusq; incubuit, hoc certè plus hausit calamitatis: vsq; eò, vti singulis ipsorum non mo-
„dò huius vitæ acerbitates, sed etiam grauissimus ille metus suppliciorum, quæ se expe-
„ctarent apud inferos, subituros, maximam planè afferret molestiam.

Persecutores in quas calamitates inciderint.

Deus bonorum administratorem Constantinum delegit. CAP. XXVIII.

Constantinus instrumentũ Dei ad vindicandã Rempub. à tyrannide.

„PRoinde cùm tanta & tam grauis impietas per humanas res permanaret, & Resp.
„pub. velut à morbo quodam pestifero in periculum funditus intereundi venis-
„set, & ob eam causam magna, eaq; salutari curatione egeret, quodnam quæso
„lum & reipsa est, & vniuerso temporis spacio satis virium ad opem ferendam in se con-
„tinet) quod, inquam, remedium, aut quam rationem ad orbem terrarum ex his malis e-
„ripiendum excogitauit? Dicam equidem: quippe beneficia à Deo Opt. Max. in nos col-
„lata ingenuè agnoscere, eaque egregiè prædicare, reuera gloriosum est. Deus quidẽ cer-
„tè, cum meum ministerium accuratè quale esset explorasset, idemq; ad ipsius voluntatẽ
„explendam idoneum censeret, eodem vtens, & à mari Britannico, illisq; partibus vbi sol
„rato cursu confecto necessariò occidit, initium faciens, eximia quadam potentia & vir-
*Videan. no. pa. 130. li. 1. lin. 38.
„tute omnia mala, quæ homines premebãt, profligauit, & * è medio prorsus sustulit: ad-
„eò vt mea opera ac diligentia tum humanum genus ad cultũ augustissimę legis & disci-
„plinæ reuocatũ esset, tũ fides sanctissima permagnas ipso Deo duce faceret ꝓgressiones.

Dei beneficia et agnoscẽda, & prædicanda.

Piæ in Deum Constantini voces, & confessorum laus. CAPVT XXIX.

Constantini voces optimo principe dignæ.

„IDcirco cum exploratum habeam, eum hoc ministerium omnium facilè præ-
„stantissimum, mihi tãquam quoddam suæ singularis erga me beneuolentiæ in-
„dicium commisisse: non meipsum dissolutum in eo sedulò exequendo, quò illi
„gratiam referam, præstabo: & propterea ad regiones in Oriente sitas (quæ quidem orbis

pars,quo asperioribus calamitatibus implicata tenetur,eo maius firmiusq; auxilium à nobis implorat)iter iã susciperе animus est:quippe vniuersã omninò vitã, & id totum quo spiritum duco,atq; adeò omnes animi vires,quæ in intimo pectore insident, Deo Opt. Max.à me deberi,pro certò persuasus sum.Et quanquam profectò non sum inscius,eos qui spem in rebus cœlestibus verè & ex animo ponant,hominum beneuolentia neutiquam indigere:& qui eam in Dei domicilio constanter & firmè collocarint,quiq; quo magis se à rerum caducarum fragilitate sceleribusque omnibus sciunxerint, hoc plus dignitatis adepturi sint:tamen graues necessitates ad tempus eorum ceruicibus impositas,& supplicia parum hominum naturæ consentanea, ab eis, qui nec culpæ alicuius affines, nec criminis cuiusquam rei sunt, quàm longissimè depellere, nostrarum partium in primis esse statuo.An non absurdum est maximè, vt cum eorum animi tolerantia, & constans robur,per illos, qui sint eos diuini cultus & religionis causa acerrimè persecuti,satis exploratè cognitum sit, eorum gloria à me,qui Dei obsequio me totum dicauerim,non ad clarissimum augustissimumque splendorem extollatur?

Pollicetur se in Orientem profecturum ad solatiũ & subsidiũ piorũ.

Lex pro exulum liberatione,publicorum munerum vacatione,& bonorum hastæ subiectorum restitutione.

CAPVT XXX.

Lex pro exulibus reuocandis bonisq; et honoribus ablatis restituendis.

OMnes igitur,siue qui crudelibus iudicum sententijs subiecti, quibuscunque temporibus illud ipsis contigerit,patriam cum exilio ideò cõmutare coacti fuerint,quod ad honorem erga Deum & fidem,cui totis animæ viribus se consecrauerant,non neglexerunt:siue qui inter Curiæ ministros numerati sunt,cum in eorum numerum nõ iurè fuissent antea relati, omnes,inquam,isti tum patrijs sedibus, tum ocio consueto restituti, Deo omnium liberatori gratias agant:siue præterea,qui rebus suis fuerint priuati,& fortunarum omnium amissione oppressi,hucusque vitam abiectissimam degerint:isti quoq; domicilijs pristinis, familijs,& facultatibus redditi, Dei opt. max. beneficentia læti fruantur.

Item lex pro reducendis ijs,qui ad insulas relegati erant.

CAP. XXXI.

In insulas relegati,restituendi.

VInctiam eos,qui in insulis inuiti detinentur, istius prouisionis & solicitudinis nostræ beneficio potiri mandamus:vt scilicet cum hactenus angustis montium recessibus,& maris fluctibus circumiectis,vndiq;concluſi fuerint, iam acerba illa solitudine, & à natura hominum penitùs alienata liberati, desiderio rerum ab ipsis optatarum satiato,se ad amicissimos recipiant:cũq; longo temporis spacio in squalore & sordibus odiosis vixerint,reditum,velut prædam repentinam minimeq; expectatam nacti, curis præterea molestijsq; in posterum erepti, vitam metus expertem sub nostro traducant imperio:qui quidem nos Dei famulos esse & gloriamur, & pro certo persuasi sumus:quiq; ei, quod à ratione alienissimum est (præsertim cum nostrum sit aliena peccata corrigere)ne aures quidem patefacere debemus,† nedum fidem adhibere.

Imperatori à ratione aliena ne audienda quidem, nedũ credenda.

† Videatur not. pag. 222. lat. r. lin. 30.

Item alia lex,pro ijs,qui ad metalla cum sui ignominia & ad publica opera damnati erant.

CAP. XXXII.

QVicunque porrò aut ad metalla effodienda condemnati sint, aut ad publicorum operum ministeria obeunda addicti, hi continuis laboribus cum grato ocio commutatis,facilius & lenius vitæ genus libera cum potestate agant:immoderatis laborum asperitatibus in placidam animi remissionem conuersis.Atque si qui libertate, quæ est omnium communis, exciderint, & ignominia affecti fuerint, isti cum solida lætitia priorem dignitatis gradum,tanquam diuturna peregrinatione ab ipsis abalienatum recuperantes,in suam ipsorum patriam maturè se recipiant.

Ad metalla aut pub. opera damnatorum liberatio.

Pro confessoribus ad rei militaris pristina munia restituendis:vel eorum donanda, si vellent,immunitate.

CAP. XXXIII.

Milites vel ad militaria munia reuocandos vel rude donandos.

ILlis item,qui iam olim honoribus militaribus donati,ab eisdem iniusta & iniqua de causa sunt deiecti(nempè quòd confessionem in Deo verè agnoscendo,illis dignitatis ornamentis longè prætulerunt) libera detur optio, vel rei militari se dedendi,quo in pristino vitæ modo permaneant:vel cum honorata libertate,liberè & pro arbitratu vitam degẽdi. Rectum est enim, & ratio-

A & rationi consentaneum,vt qui in periculis ipsis illatis tam egregiam animi magnitudinem & tolerantiam declarauerint,integram habeant potestatem tum otio, tum dignitate,liberè pro animi sui sententia perfruendi.

Præmium debitum virtuti.

De ingenuis in libertatem vindicandis,qui ad muliebria opera,vel etiam seruitutem addicti erant.

CAPVT XXXIIII.

Ingenui in libertatem vindicandi.

ORrò autem, qui nobilitatis suæ amplitudine vi dispoliati,talem quandã iudicum sententiam subierunt,vt vel in gynæcea,vel in textrinas intrusi, durum & miserum laborem sustinerent,vel vt cellæ penariæ ministri fierent,quò nihil superior illorum ortus ipsis adferret subsidij: hi quoq; honoribus,quibus ante fruebantur,& libertatis beneficio potiti,& ad pristina dignitatis ornamenta restituti,deinceps hilari & læto animo vitã degant.Qui item de libertate sit in seruitutem datus, quique se iniqua * & inhumana cuius alicuius vecordia ministeria ipsi insueta obire coactum esse secum admodum deploret,& seipsum pro libero seruum ex improuiso factum intelligat:is in libertatem priorem nostro edicto vindicatus,se parentibus similem efficiat, exerceatq; labores libero homine dignos:& cogitationem seruilium illorum munerum parum sibi accommodatorum,quæ anteà pepessus fuerit,penitus ex animo deleat.

*Vide an. pag.192. lin.8.

Qui succederent in bonis eorum, qui aut martyres aut confessores fuerant, aut alio migrare coacti.

CAP. XXXV.

Martyrum ac confessorũ bona cognatis eorum restituenda.

Hæredes martyrum.

DOrrò illud nobis videndum est, vt facultates,quibus singuli varijs de criminib. falso illis obiectis orbati fuerint, restituantur:nempè si qui splendidissimum diuinissimumque martyrij certamen inuicto & constanti animo sustinuerint, & propterea rerum suarum amissionem tolerarint, & confessores constituti, spem perpetuam in cœlo sibi compararint: qui item non modò solum vertere coacti, sed fortunis etiam priuati fuerint, quòd neutiquam fidẽ prodendo persecutoribus cesserunt: istorum quotquot vita defuncti sunt, †hæreditates cognatis impertiri mandamus.Omninò autem,quibus hæreditates illę debeantur,est cognitu perfacile,cùm leges eos, qui genere propius accedunt,præcipiant hæredes fore: & quòd ratione etiam oportet eos B succedere,qui sint domestica consuetudine coniunctiores,constat: præsertim cum illi ipsi martyres, non criminis vllius conuicti, sed sua inducti voluntate, mortem oppetiuerint.

†Videantur not. pag. 222. lat.r. lin.18.

Quibus de sanguine nemo superfuerat,ijs ecclesia instituta est hæresis: quid tamen hi viui cuiquam dedissent,ratum id firmumq; permaneret.

CAPVT XXXVI.

Ecclesia quatenus bonorũ à martyribus relictorũ hæres esse debeat.

QVod si nemo de cognatis supersit,qui vlli vel martyrum, vel cõfessorum, vel exulum,quos diximus(qui eiusmodi de causa solum verterint) hæres ratione succedat:vt ecclesia semper cuiusque loci hæreditatem adeat,ratũ esto. Neque erit omninò molestum,his qui excedunt è vita, vt eam cuius gratia omnes suos labores susceperint,hæredem felices assequantur. Præterea hoc necessariò proponi debet,quòd si qui eorum, quos supra memorauimus, aliquid de fortunis suis,quibus visum fuit,donauerint, his possessio iure stabilis & firma permanere debeat.

Qui horum agros,hortos aut ædes possederant,reddere dominis cogebantur,exceptis fructibus,quos interim percepissent.

CAPVT XXXVII.

Possessiones martyrũ restituendæ,fructus percepti non item.

ET ne quis error appareat in edicto,sed vt quid verè voluerit,omnibus ad cognoscendum in procliui sit,sciant omnes:si agrum,si domum,si hortum,si quid eorum, quæ paulò antè posui,teneant,ipsis & honestum & vtile esse,vt non ea confiteantur solum, sed omni abiecta cunctatione restituant. Quapropter licet maximè videantur quidam ex iniusta illorum possessione maximos fructus cepisse,&nos vt isti repetantur,minimè æquum iudicemus.

Quonam modo illis harum rerum venia à Constantino petenda erat.

CAPVT XXXVIII.

Possessionũ vsumfructũ cur à se peti velit Constantinus.

TAmen illi ipsi planè confiteantur, & quos habuerint fructus, & vnde eos collegerint, huiusque peccati veniam sibi à nobis concedi postulent,vt non modò auaricia

Universidad de Deusto
Biblioteca

antegressa tali adhibita correctione à nobis remittatur: verùm etiam Deus Opt. Max. istud pœnitentiæ loco excipiens, benignus & clemens, erratis veniam det. At dixerint fortasse, qui huiusmodi facultatum domini (si modò istud nomẽ in illis valere vel debet, vel potest) facti sunt, excusatione pro se allata, quòd fieri non poterat, vt se ab illis rebus abstinerent, cum tam varium & multiplex miseriarum cuiusque generis spectaculum palàm esset propositum: quo quidem tempore extiterunt crebræ perditeq; proscriptiones eorum, qui nihil commeruissent, eæq; temerè inconsiderateq; factæ: crudeles etiam & insatiabiles persecutiones, iniustæ deniq; facultatum venditiones. Quòd si huiusmodi verbis quidam se defendere contendunt, & admonitiones continuas expectant, ne existiment se illud impunè laturos: præsertim cùm ista à nobis tam sedulò administrentur, quò Deo Opt. Max. debitum præstemus obsequium. Quæcunq; enim antehac grauis & damnosa necessitas accipere coegerit, ea in præsentiarum retinere nonnihil habet periculi. Ac necessum est, insatiabiles cupiditates omnibus modis, id est, rationibus & exemplis, imminuere.

Ærarium, agros, hortos ac domos, ecclesijs suis resignare debere.

CAPVT XXXIX.

Bona ecclesijs erepta restituenda.

NEque enim, si quid ærarium earum rerum quas ante posuimus, possideat, firmè retinere illi liberum erit: imò verò contra sacrosanctas ecclesias nihil omninò dicere audeat: & quas res ad tempus per iniuriam possederit, eas ecclesijs iure restituat. Omnia igitur, quæ rectè vereq; ad ecclesias pertinere videantur, siue domus, siue agri, siue hortus, vel si quæ sunt alia eiusdem generis, quæ in alicuius possessionem venerint, quò ius nullius, qui ad rempub. id est, ad ecclesiam spectat, violetur, sed omnia syncera & simplicia maneant, restitui mandamus.

De sacellis & cœmiterijs ecclesijs restituendis. *CAP. XL.*

Restituenda ecclesijs loca in quibus martyres sepulti.

QVinetiam loca illa, quæ martyrum corporibus honorata sunt, & monumenta gloriosæ illorum è vita discessionis, quis dubitet quin ad ecclesias spectent? imò verò etiam, quis non potius istud præciperet? quippe cum neq; munus præstantius sit, neque labor Deo gratior, vel quod plus habeat vtilitatis, quàm diuino spiritu adhortante, in his rebus diligentem operam & studium collocare. Quæ etiam iniquis de causis ab improbissimis hominibus ablata fuerint, ea vt æquitas postulat restitui, sanctisq; denuò ecclesijs integra reddi iubemus. Cæterùm quoniam perfectæ & singularis prouidentiæ est, ne istos quidem silentio præterire, qui aut iusta emptione aliquid ab ærario acquisierint, aut gratis concessum retinuerint, & ad huiusmodi res occupandas cupiditate quadam inexplebili temerè ruerint: sciant, quicunque fuerint de genere illo, sibi (quam harum rerum causa, quas coemere ausi sunt, nostram erga ipsos beneuolentiam maximè abalienare laborârunt) à nobis, quantum ratio commodè ferre poterit, benignè prospectum iri.

Eximia ad colendum Deum exhortatio. *CAP. XLI.*

Epistolæ conclusio per exhortationẽ ad cultum diuinum omnibus ad Palæstinæ præsides.

HAec igitur hactenus sermone nostro prouecta sint. Verùm quoniam virtus Dei omnipotentis euidentissimis argumentis manifestissimisq; sese ostendit, cùm ad optima cohortando, tum benignè mea causa adeò firma apportando subsidia, vt ijs acerba calamitas, quæ cũctas res humanas antea districtas tenuit, iam ex omni mundo radijs solis colluſtrato prorsus exempta: vniuersi simul & singuli accurata cura & cogitatione circumspicere debetis, qualis tandem illa potestas fuerit, quæ semen (vt ita dicam) perditissimorum hominum deleuerit, labefactaritque: bonorum autem lætiam quasi denuò reuocatam, in omnes regiones affatim fuderit, & omnibus concesserit potestatem, tum officia diuinæ legi ac disciplinæ consentanea cùm omni obseruantia præstandi: tum illis, qui se huic consecraueruntt, honesta virtutis munera sedulò excolendi: qui quidem, tanquam ex crassa caligine emergentes, quia eximia sunt sacrarũ literarum cognitione imbuti, decæterò debitũ cultum erga Deum, & honorem pium, eique congruentem declarabunt.

Quomodo Constantinus leges quas tulerat, reipsa confirmauerit.

CAPVT XLII.

Acta Imperatoris consona dictis.

ISTud primum Imperatoris edictum ad nos missum, ista præcepit. Statim verò, quę lege fuêre præscripta, reipsa processerunt: & omnia contraria his, quæ paulò antè à crudelibus tyrannis patrata fuissent, gesta sunt: Imperatorisq; beneficijs potiebantur hi, quibus ea tribui lege sancitum fuit.

Quomo-

Quomodo magistratus qui Christiani essent, ad honores extulerit: qui verò gentiles erant, sacrificare interdixerit. *CAP. XLIII.*

Ethnicis Christiani magistratus præfecti.

EX his verò rebus Imperator abiens, alias res illustres & magni momenti cœpit aggredi. Ac primùm gentibus per varias prouincias dispersis, præfectos, qui maximam partem salutari Christi fidei se addixissent, misit: qui verò Gentilium consuetudinem ac ritus imitari visi sunt, his ne sacrificia eidolis immolarent, interdixit. Eadẽ lex ab eo lata fuit de illis dignitatis gradibus, qui præfectorũ honores suo splẽdore superabant. Aut enim si Christiani erant, ita segerere præcepit, vti appellationis ipsorum dignitas postulabat: aut si aliter animo affecti, mandauit, ne eidolis hostias offerrent.

Ethnici idolis sacrificare vetiti.

De legibus quæ prohibuerunt sacrificia, sacras autem ædes extruere mandauerunt.

CAPVT XLIIII.

Vide infra hoc lib. ca. 51. & lib. 4. cap. 25.

Leges aliæ Constantini Ecclesiasticæ.

DEinceps duæ leges in eandem sententiam promulgabantur: altera, quæ vetuit detestabilia eidololatriæ scelera, quæ iam olim in quaque ciuitate & regione fieri consueuissent: & ne quisquam vel statuas erigere, vel curiosas & superuacaneas diuinationes moliri, vel denique sacrificare auderet. Altera, quę iussit tẽpla exædificare, Deiq; ecclesias tũ longitudine tũ latitudine ampliores effici: vt in posterũ omnes homines (vt cõplectar breui) insano illo & superstitioso multorum deorum colendorum ritu è medio sublato, Deo Opt. Max. reconciliarentur. Talia enim tum animo instituere, tum his qui prouincijs præfuerunt per literas significare, Imperatorem sua ipsius erga Deum sanctimonia incitauit. Lex præterea illud est in se complexa, vt pecunijs largiendis non parceretur, sed à thesauro regio promerentur ad parandas res illis institutis necessarias. Quinetiam ad ecclesiarum præsides passim de eiusmodi rebus literas dare dignatus est, hasque primas ad me misit.

Templa idolorum vetita.

Templa Christianorũ approbata.

Liberalitas Constantini in reficiendis ecclesijs.

Constantini epistola ad Eusebium & alios episcopos, vt magistratuum procuratione ædificarentur ecclesiæ. *CAPVT XLV.*

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVgustus Eusebio S.

Constantini ad Eusebium literæ.

VEmadmodum ad hoc vsque tempus, ob impiæ voluntatis institutum, & grauem tyrannidem seruos Dei persequentem, pro certo cognoui, & satis persuasum habui, omnium ecclesiarum ædificia vel negligentia corruisse, vel impẽdentis periculi metu, minimè † pro vt debuerant, refecta fuisse, frater charissime: sic nunc cùm libertas omnibus restituta sit, & draco ille, Dei Opt. Max. prouidentia, nostroque ministerio, de communi Reip. administratione depulsus: arbitror equidem & virtutem ac potentiam diuinam omnibus satis constare: & » eos qui vel timore, vel infidelitate in peccata lapsi sunt, cùm illud quod reuera bonum » est, satis perspiciant, in veram & rectam viuendi viam redituros. Quibuscunque igitur » ecclesijs vel ipse præsis, vel alij episcopi, presbyteri & diaconi vbicunq; terrarum, quos » nosti, præficiantur, vobis omnibus videndum est, vt eatum ædificia sedulò accurentur: » quo vel ea quæ remanent reficiantur, laxioraque fiant: vel vbi necessitas postulauerit, » de integro exædificẽtur. Quæ verò res ad ædificationem necessario requiruntur, eas quidem cùm ipse, tum alij tuo nomine, à præfectis & magistratibus prouinciarum petent. » hisce enim per literas à me significatũ est, vt omni studio & propensione animi ea quæ » fuerint à tua sanctitate præscripta, subministrent. Deus te, frater charissime, diu florentem seruet. Ista literis prodita, quibusque ecclesiarum præsidibus, in singulis nationib. ætatem degentibus, missa fuêre. Ea quoque sedulò exequi, quæ erant his congruentia, prouinciarum præfectis mandatum: ac quæ legibus erant sancita, illa etiam reuera cum magna celeritate confecta.

† Vide annot. pag. 152. lat. 1. lin. 20.

Imp. episcopũ fratrem vocat.

De fabrica templorum.

De sumptib.

Quòd contra eidolorum cultum scripserit. *CAP. XLVI.*

Constantini scriptum aduersus idololatriam.

PRæterea Imperator cùm sacrosanctam disciplinam quæ ad Dei cultum pertinet, augere studeret, omnibus prouincialibus cuiusque nationis, qui falso idololatriæ errore ante ipsius ætatem implicati fuissent, literas dedit: prudentiq; persuasione cohortatus est eos, qui ipsius parebant imperio, vt Deum omnium authorem agnoscerent, & ipsum Christum palàm & perspicuè suum Seruatorem esse profiterentur. Atque istas literas Imperatoris ipsius manu scriptas, ad præsentem hanc nostrã historiam necessariò arbitramur adiungẽdas, vti audire Imperatorem videamur, idem illud hoc modo quasi omnium hominum auribus inculcantem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Constantini ad prouincias contra errorem multiplicis deorum cultus decretum, & de virtute & vitio, præfatio. CAPVT XLVII.

VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVGVSTVS, PROVINCIALIBVS *Orientem incolentibus S.*

QVæcunque firmissimis summisq; naturæ legibus continentur, ea omnia prouidētiæ & diuinæ solertiæ per ipsorum descriptionē diuinitùs ordinatam, satis illustre specimē omnib. dant. Neq; vlla existet dubitatio, quin accurata synceræ rationis, & rerū simul in cernēdi sensum incurrentium cōprehensio vno veræ & perfectæ virtutis subsidio adiuncto, sit eos (quorum animus, sciētię quasi vestigijs rectà insistens, ad illum finem fertur) tandem ad Dei cognitionem deductura. Quapropter quisq; vir prudens non aliquando animo conturbetur, cùm multos animaduertat contraria vitæ instituta consectari. Virtutis enim decus in occulto latēret, si non vitiositas, vitam peruersam & insolentem illi tanquam ex aduerso respondentem opponeret. Verùm quòd & virtuti corona sit proposita, & iudicio Dei summi omnium moderatoris coerceatur vitiositas, ego quo ad fieri potest, iuxta eam spem quæ ea de re meo in animo insidet, perspicuè vobis omnibus aperire conabor.

Contraria inter se opposita magis elucescunt.

De pij Constantini patre, & Diocletiano, & Maximiano persecutoribus. CAP. XLVIII.

IMperatores, qui ante hoc tempus ad Reipublicæ gubernacula sederunt, propter agrestes credo & inhumanos mores exhæredati sunt. Atq; vt pater meus admirabili cum pietate, in omnibus suis rebus gerendis, Deo patre inuocato, solus clementiæ opera executus est: sic reliqui omnes insano animo & furioso affecti, ad immanitatē potius quā humanitatem suas curas & cogitationes contulerunt: quæ sanè illis regnantibus, vera religione euersa, vehementer creuit. Crudelis enim eorum nequitia vsque eò exardescere cœpit, vt cùm omnes res diuinæ pariter atque humanæ pacatæ & tranquillæ consisterent, intestina persecutionis bella ab illis excitarentur.

Antithesis boni principis Constantij et eius collegarū Tyrannorum.

Vide Eus. lib. 8. cap. 2. 6. 29. Ad fanā. contū c. 2.

Quòd Apollinis oracula, qui propter iustos homines responsa reddere non potuerat, persequutionis causa extiterint. CAPVT XLIX.

APollinem autē id tēporis, ex antro quodam & tenebricoso recessu, non ex sacerdotis ore hoc oraculum edidisse ferunt: Iustos qui in terris versabantur, impedimento ipsi fuisse, quo minus vera loqueretur: & propterea falsa oracula ex tripo† edita esse: † indeq; etiam factum esse, vt comam demitteret. Oraculo igitur hoc modo exagitato, hominum malicia de ea re conqueri cœpit. Sed videamus, ista quem ad exitum venerint.

Apollinis oraculum propter Christianos obmutuisse.

† *Vide ad not. pag. 225. lat. 1. lin. 21.*

Vnde truculentissimus tyrannus ansam sibi arripuerit, ad exquisitissima in Christianos supplicia comminiscenda. CAPVT L.

TE iam Deum altissimum contestor, me verum dicturum. Audiebam, cùm iam puer admodum essem, eum qui illo tempore principem locum inter Romanos Imperatores obtineret, miserum, planè miserum, errore cæcatum, à satellitibus suis curiosè inquirentem rogasse, quinam essent illi in terris iusti? Quendamque ex vatibus suis responsum dedisse, eos esse Christianos. Tyrannum autem responsum illud tanquam mel ore auidè arripientem, gladios, qui erant ad iniuriam vlciscendam excogitati, cōtra sanctos viros omni labe & reprehensione carentes intentasse. Extemplò igitur mandata crudelibus sicarijs, quorum manus erant cæde & sanguine respersæ, data esse: iudicesque missos, vt celeres animi motus à natura datos, ad acerbiora supplicorum genera inuenienda intenderent.

Persecutionis contra Christianos causa, Apollinis oraculū, propterea quòd eo hi iusti pronunciati sint.

Quot contra Christianos tormentorum genera excogitata fuerint. CAP. LI.

ITcuerat tum, licuerat inquam cernere, quanta cum animi alacritate, egregij pietatis athletæ, in crudelitate continua, non vulgares, sed nouas in dies singulos afflictationes pertulerint. Quippe modestia, quam nullus hostis aliquando læserit, furorem iracundorū & amentium ciuiū multo effecit truculentiorē. Quę incēdij flāma fuit, quis cruciatus, quod tormentorū genus, quod nō fuerit omniū sanctorū corporib. nulla ætatis ratione habita, irrogatū? Eo tempore terra reuerà lachrymas effudit: mundus res vniuersas suo cōplexu coercēs, tabido cruore inquinatus, fletū edidit: dies etiam ipsa præ lugubri prodigij calamitate obscurata est. Sed quid ista commemorem? Quòd

Tormenta & supplicia Christianis intentata.

Quòd Barbari Christianos summa cum humanitate susceperint. CAPVT LII.

BArbari inde iam gloriantur: qui quidē eos qui per idem tempus à nobis aufugerent, in tutelam receperunt: & licet illos tenuerint vt captiuos, tamen humanissimè tractarunt. Nam non solum in ea securitate collocarant, vt salutem, sed etiam vt religionis suæ institituta & ritus retinere possent. Et iam Romani hanc maculam ad longinquum tempus continuatam sustinent, quam Christiani eis imprimebant eo tempore, quo ex eorum ditione eiecti ad Barbaros confugerunt.

Christianis profugis apud Barbaros tutum asylum.

Cuiusmodi plaga exceperit illos, qui propter vaticinationem, persequutionum authores exiterant. CAPVT LIII.

SEd quid attinet pluribus mœrores illos, & communem totius orbis luctū persequi? Sceleris verò authores, præterquā quòd in Acherontis barathrum ad perpetuum cruciatum detrusi fuerunt, turpem præterea vitæ exitum, quo miserè interierunt, sunt consecuti. Nam bellis intestinis mutuò extincti, nec nominis, nec generis sui vestigium reliquerunt. Quod planè non obtigisset illis, nisi impia illa oraculorum Apollinis diuinatio vim quandam adulterinam & adumbratam, qua in fraudem inducebantur, in se fuisset complexa.

Authores persecutionis tyrannimendacibus vaticinijs Apollinis decepti, funditus perierunt.

Præconium Constantini in Deum, & signi crucis confessio, & pro ecclesijs & populis precatio. CAPVT LIIII.

TEiam Deum Opt. Max. oro, obtestorq;, sis Orientis incolis clemēs & propitius: & omnibus prouincialibus diuturna calamitate contritis, per me famulum tuum curationem adhibeas. Atq; ista non sine causa, ô omnium Domine, & sancte Deus, abs te postulo. Tuo enim impulsu res salutares & aggressus sum, & confeci: tuoq; vexillo vbique hostibus opposito, exercitum ab illis triumphantem duxi. Quinetiam si quando Reip. vsus postulat, illa ipsa tuæ virtutis ac potentiæ insignia sequens, contra hostes audacter procedo. Et propterea etiam tibi animum meum amore & timore ritè syncereq; temperatum, totum dedo. Nam nomen tuum ingenuè amplector: virtutem tuam, quam multis argumentis declarasti, quaque meam fidem firmiorem reddidisti, sanctè veneror. Meos igitur humeros huic operi subijcere equidem maturo, vt tuam angustissimam sanctissimamque domum, quam nefarij illi & impij graui vastationis scelere labefactarunt, in integrum restituam.

Constantinus Deū inuocat.

Eius beneficia celebrat.

Se suosque subditos Deo commendat.

Christianos optauit esse omnes, coegit neminem. CAPVT LV.

Vide supra hoc lib. ca. 44. & infra lib. 4. ca. 23.

POpulum tuum pacem colere, & à seditione liberum vacuumque esse, pro communi totius orbis & cunctorum hominum emolumento exopto. Qui autem errore ducuntur, parem cum fidelibus pacis & tranquillitatis oblectationem, læto animo capiant. Ipsa enim recta communitatis & societatis humanæ moderatio, etiam ad illos in rectam viam deducendos, valebit plurimum. Nemo alteri exhibeat molestiam: quod cuiusque animus vult, hoc quisque transigat. At verò rectè de Deo sentientibus penitùs persuasum esse debet, ipsos solos, quos ipse vocas vt in sacratis tuis legibus acquiescant, sanctè & incorruptè vitā traducturos. Qui verò seipsos inde abstrahunt, cōmenticij erroris delubra pro arbitratu habeant: nos aūt splendidissimū tuæ veritatis domicilium, quod natura nobis largitus es, teneamus. Hoc etiam illis optamus, vt videlicet per communem concordiam, læticiam animo percipiant.

Christianā religionem volentibus commendat, inuitis non obtrudit. Religionis libertas.

Præconium alterum in Deum, qui per filium suum lapsos in errores illuminauit. CAPVT LVI.

QVod verò ad hoc nostræ religionis institutum attinet, non nouum aut inauditum esse credimus: sed te ex eo tempore, quo hæc vniuersarum rerum fabrica firmè coagmentata fuit, idem ipsum cum tuo venerando cultu obseruandum præcepisse. Cæterùm humanum genus hallucinatum est, varijs errorum opinionibus à veritate abductum: at tu per filium tuum, vt peruersitas illa non in dies magis magisq; ingraueſceret, puro lumine porrecto, omnes in tui memoriam reuocasti.

Gratiarum actiones pro beneficijs humano generi collatis.

Præconium item aliud in Deum, ex orbis vniuersi administratione. CAP. LVII.

Vide annot. pag. 224. lat. 1. lin. 35.

TVa † potentia nos innocentes & fideles reddit: tuæ res gestæ ista confirmant. quippe sol & luna ratum suum & legitimum cursum tenent: neque sidera absque ordine, totius mundi orbem lustrant: temporū vicissitudines certa lege reuoluuntur: soli data terræ stabilitas tuo verbo cōtinuatur: vētus præstituto tēpore motū ciet: aquarum lapsus præcipitās immenso quodā & infinito cursu fertur: mare immobilibus terminis circunclu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prouidentia Dei ex creatis rectè colligitur.

circuncluditur: quodcunq; per terram perque Oceanum fusum est, hoc vniuersum ad A
mira quædam & singularia hominum cõmoda fabricatum est. Quæ res nisi voluntatis "
tuæ nutu atq; arbitrio administrarentur, sine cõtrouersia tanta discrepantia, & tam ma- "
gna potentiæ, quæ in illis cernitur, dissensio, vniuersæ vitæ humanæ esset, rebusque om- † Vide an-
nibus vastitatem allatura. Nam † ipsæ inter se confligentes, multò grauius cum huma- not. ibidē
no genere confligerent: quod etiam faciunt, licet oculis non cernantur. lin. 4. lat. 2.

Aliud rursus præconiũ in Deum, qui semper bona quæ sunt, homines docet. CAP. LVIII.

Errores & mala impiorũ cõmendant fidem & bona piorum.

DEus Opt. Max. & omnium Domine, tibi maxima habeatur gratia. Nã quan "
to magis humana natura varijs & discrepantib. studijs opinionibusq; duci "
intelligitur, tanto pluris apud eos qui rectè sentiunt, quiq; curam veræ & "
perfectæ veritatis gerunt, diuini verbi disciplinæ æstimantur. At verò si quis "
sit qui se sanari non sinat, alteri qui sanari vult, non vitio vertat. Nam me- "
dendi facultas, quæ morborum curationibus præest, omnibus in medio proposita est. "
Tantũ cauendum, ne quis istud religionis institutũ violet, quod res ipsæ purum & inte- "
grum esse cõmonstrant. Fruamur igitur omnes, boni illius cõmunione, quod nobis da- "
tum sit, hoc est pacis: nostraq; mens ab omni quod illi aduersetur, sit omnino separata. "

Hortatur sub edicti finem, vt nemo alteri negotium exhibeat. CAP. LIX.

Proximo vel inseruiendũ, vel nulla saltem molestia exhibenda.

ATtamen quod quisq; sibi persuadeat satis probum & spectatum esse, in hoca- "
teri ne sit offensioni: imò verò quodcunq; alter vel norit, vel intellexerit, illo "
quidem proximũ, si fieri potest, iuuet: sin fieri non potest, missum faciat. Aliud "
est enim, certamẽ pro immortalitate sponte susc ipere: aliud, supplicij metu co "
gi. Hæc dixi, hæcq; pluribus, quã id, quod erat tenuitati meæ propositũ, postulabat, pro- "
pterea persecutus sum, tum quòd verã fidem occultare noluerã: tum maximè omniũ, "
quòd iã nonnullis (vt audio) in ore est, templorũ ritus sublatos: hoc est, vt ego dico, te- "
nebrarũ erroris in falsis dijs colendis potestatẽ prorsus abrogatã esse. Quod planè omni- "
bus hominib. penitùs credo persuasissem, nisi quòd violentus peruersi erroris impetus "
ad Reip. euertendæ periculũ præter modum in quorundam animis penitùs inhæserit. "

Excusat scripti prolixitatem.

B

Quomodo ab vrbe Alexandrina quæstiones propter Ariũ inceperint. CAP. LX.

Externis hostib. deficientibus, interni ecclesiam vexant.

DEcimo sermonem Imperator, tanquam eximius Dei præco, prouincialibus om- Dehinc
nibus per literas suas communicauit, quò subiectos sibi tum à diabolico erro- lia Arij
re depelleret, tum ad verum Dei cultum sectandum exhortaretur. Ad quem, vide Ruf.
ijs rebus iam egregiè nobilitatum, rumor de tumultu quodam, non exiguo illo quidem lib. 1. cap.
in ecclesijs cõcitato, perlatus est: cuius auditione perculsus, ei cœpit remedium excogi- Nicephor.
tare. Tumultus ille talis fuit: Dum populus Dei gloriabatur, rerumque honestarum a- lib. 8. cap.
ctionibus sese efferebat, metusque, qui extrinsecus aliquid molestiarum facessebat, erat Socrat. lib.
ablatus, & ecclesia illustri quadam (vt ita dicam) & tranquilla pace vndique cœpta mu- 1. cap. 5. &
niebatur, inuidia nostris bonis insidias struens, callidè irrepsit, inque media episcopo- Theodor.
rum frequentia primùm tripudiare cœpit: eosque diuinorum decretorum discutien- lib. 1. c. 2. &
dorum causa, in seditionis coniecit certamen: deinde quasi ab exigua scintilla ingens De vita
incendium excitauit. Quod quidem ab ecclesia Alexandrina tanquam à summo capite Constant.
exorsum, omnem Aegyptum, Libyam & Thebaida deinceps peragrauit. Iam verò per lib. 1. ca.
reliquas prouincias & ciuitates eò vsque diffudit sese, vti non modò ecclesiarum præsi- Sozom.
des verborum contumelijs se mutuò concidere, sed etiam reliquorum hominum mul- lib. 1. ca. 14.
titudinem diuersè distractam (dum hi in istorum, illi in aliorum sententiam inclina- & lib. 2. ca. 1.
rent) cernere licuisset. Eò porrò turpitudinis rerum gestarum spectaculum prolabeba- & comme-
tur, vt iam in medijs infidelium theatris sacrosancta diuinæ nostræ doctrinæ instituta, morat. in
turpissimi ludibrij notam subirent. vbique ca-
pitib. sequẽ-
tibus.

Dissensionum in religione pernicies.

De Ario & Melitianis. CAP VT LXI.

Quæstionibus malè feriatorum ecclesia perturbata.

NOnnulli in ipsa Alexandria de summis religionis Christianæ mysterijs iuueni- Huc refer
liter & inconsultè digladiari: alij per vniuersam Aegyptum, & superiorem The- Nicephor.
baidem, de controuersia quadam iam pridem inter ipsos concitata decertare lib. 8. cap. 5.
cœperũt, adeò vt vbiq; ecclesiæ in varias partes dirimerẽtur. Et quoniã vniuersum eccle
siæ corpus his reb. laborabat, tũ tota Libya vehementer eisdẽ afflictata fuit, tum reliquæ
exterarũ prouinciarũ partes pariter in morbi societatem venerunt. Nam qui Alexãdriæ
dissidebant,

A dissidebant, ad episcopos aliarum prouinciarum, alij ad alios legatos mittebant: illi au-
tem in alterutram partem diuulsi, simili seditionis flamma incendebantur.

Quomodo Constantinus miserit ad Alexandrinos de pace componenda legatum.

CAPVT LXII.

Huc refer Nicephor. ca. 12. li. 8.

QVibus auditis Imperator animo supra modum dolens, remque illam pro- *Constantinus ecclesiæ concordiam sarcire conatur: misso Hosio episcopo, vti declarat Socrates li. 1. ca. 4.*
priæ calamitatis loco statuens, confestim virum ex numero piorum, quos
habuit circa se, quem modestia fidei virtute satis spectatum, & superioribus
temporibus pietatis confessione insigniter decoratum intelligebat, mittit,
vt pacem inter eos qui Alexandriæ discordabant, conciliaret: literasque ad
eam in primis accommodatas, per eundem ad seditionis authores dat: quas quidem, cũ
illustre testimonium prouidentiæ & solicitudinis de populo Dei susceptæ complectan-
tur, in hunc, qui de eo instituitur, sermonem inserere consentaneum videtur: quæ se ha-
bent ad hunc modum.

Constantini ad Alexandrum episcopum & Arium presbyterum literæ, & pro pace tuenda solicitudo.

CAPVT LXIII.

VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVGVST.
Alexandro & Ario.

Huc refer Nicephor. ca. 23. lib. 8. Vide Sozomenũ li. 1. cap. 15. † Videan. not. pag. 135. lat. 1. lin. 26.

Quo animo Constantinus Rempub. administrandam susceperit.

IPsum, vt par est, meorum institutorum adiutorem & conseruatorem om-
nium, Deum testem adhibeo, istarum rerum, quas mihi reipsa obeundas
suscepi, duplicem causam extitisse. Primùm enim, vt omnium gentium de
numinis cultu opinionem ad vnius habitudinis ritusq; formam traduce-
rem: deinde, † quòd in animo habebam, corpus totius mundi, tanquam gra-
ui aliquo morbo acerbè vexatum, ad sanitatem restituere. Quæ sanè accurata ratione
considerans, alterum eorum interiore mentis acie, id est, consilio, efficiendum statue-
bam: alterum autem copiarum militarium subsidio & viribus, quoad poteram, præcla-
" rè gerere conabar: persuasum habens, si omnes veros Dei cultores communi concor-
" diæ vinculo, sicut mihi in optatis erat, deuincire possem, vniuersæ nostræ Reip. ciues se
" ad pia eorum instituta breui conuersuros.

B

Quòd quæstiones apud Afros agitatas reprimebat. CAPVT LXIIII.

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 45

Quo fine hæc missa legatio. Sectis in religione non panendis remedium.

" PRoinde cùm insania quædam intolerabilis, propter temerariam leuitatẽ
" quorundam, religionem à populo obseruatam in varias sectas discindere
" molientium, vniuersam Africam occuparet, hunc morbum, cùm ipse le-
" uare cuperem, nullum aliud remedium ei curando satis idoneũ inuenie-
" bam, quàm vt quosdam ex vestrũm numero adiutores ad conciliationem
" hominum inter se dissentientium mitterem: quo inuidia, communis totius orbis ini-
" mica (quæ sacris nostris conuentibus aduersatur) penitùs restingueretur.

Quòd pietas ortum ab Oriente sumpserit. CAP. LXV.

†Vide an not. pag. 135. lat. 1. lin. 3. 26.

Christi incarnatio.

ET quoniam veri luminis vis, & sacræ religionis disciplina, quæ Dei Opt. Max.
beneficio ex quibusdam Orientis quasi sinubus egressa est, vniuersum simul or-
bem terrarũ suo splendore collustrauit: non sine causa † vos eam religionẽ pro-
" fitentes, quos tanquam quosdam gentium duces ad salutem fore existimo, non modò
" propenso animi studio, verùm etiam exquisito oculorum obtutu inuestigare conabar.
" Nam simulac illustri contra hostes parta victoria verè triumphassem, istud potissimum
" conquirere instituebam, quod omnium facilè præstantissimum iudicarem.

Quòd de seditione anxius, quæ ad pacem spectabant consuluerit. CAP. LXVI.

Angit Imperatorem dissensio in ecclesia.

" SEd ô præclarissimam & verè diuinã prouidentiam: quale & quàm lethale
" vulnus auribus meis, imò verò ipsi animo inflictum fuit, cũ audiuissem se
" ditionem inter vos concitatam, multo plus habere acerbitatis, quã eas res
" quas ibidẽ ante gestas fuisse cognouimus: adeò vt iã vestræ ecclesiæ mẽbra,
" ex quib. sperabam alijs medicinã petendam fore, multo maiore curatione
" egeant. Ac mihi de principio & causa istarũ rerum accuratè cogitãti, valdè exilis, & neu-
" tiquã tanta cõtentione digna visa est. Quapropter ad hanc epistolã scribendã necessita-
" te adductus, non solũ ad vestrũ vtriusq; prudentiã scribo: sed etiã diuinam prouidentiã
" in hac re adiutricẽ fore obtestor, meq; etiã communẽ vestrę mutuę dissensionis arbitrũ,
" tanquã pacis moderatorẽ nõ sine causa adhibeo. Quãdoquidẽ Deo Opt. Max. mihi opẽ
" ferente, quãuis maior esset dissentiendi occasio: tamen spero oratione pijs audientium
" mentib. adhibita, quemq; ad id quod sit vtilius, facilè me posse traducere. Quapropter

Studet author esse pacis.

cùm

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm causa tam exigua sit, illa quidem quæ totius vestræ Reip. commoda impedire vi- A
deatur, quid est quamobrem non expeditiorem & multo faciliorem dissidij correctio-
nem spondeat?

Vnde nata sit quæstio inter Alexandrum & Arium, & quòd talia haudquaquam erant disquirenda.

CAPVT LXVII.

Alexandri et Arij contentio.

INde igitur præsentis controuersiæ fundamentum intelligo iactum esse, quòd tu Alexander à presbyteris de loco quodam in Sacris literis scripto quærebas, imò verò de inani quadam quæstionis particula scisciteris, quid quisque illorum sentiret: tuque Arie istud quod neq; initio animo cõplecti, aut cũ fuisses complexus, silentio præterijsse debebas, inconsideratè effutiuisti. Vnde discordia inter vos concitata, tum conuentus, qui in ecclesia fieri solet, impeditus: tum populus sanctissimus variè in vtranque partem distractus, ex totius corporis Ecclesiæ compage diuulsus est. Proinde vterque vestrûm vicissim veniam alteri tribuens, illud approbet, ad quod non sine causa vester conseruus vos cohortatur. At quid istud est? vt de re- "
bus eiusmodi nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis. Tales enim quæstio- "
nes, quales nulla lex canónue ecclesiasticus necessariò præscribit, sed inanis dissoluti o- "
cij certatio proponit, licet ad ingenij acumen exercendum instituantur: tamen interio- "
re mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conuentus teme "
rè efferre, neque vulgi auribus inconsultò concredere. Quotus enim quisque est, qui re- "
rum tam grauium, tantaque obscuritate inuolutarum vim, vel satis accuratè peruide- "
re, vel pro dignitate explicare valeat? Quod si quisquam sit qui istud se facilè efficere & "
consequi posse confidat, quota quæso est illa multitudinis pars, quam possit efficere vt "
idem ipsum intelligat? Aut quis tandem est, qui in curiosa quæstionum eiusmodi per- "
uestigatione, extra prolapsionis periculum possit consistere? Quocirca in talibus rebus "
loquacitas coercenda est, ne vel cùm nos præ nostri ingenij imbecillitate, quod propositum est, explanare non possimus: vel auditores inter docendum, præ intelligentiæ tar- "
ditate ad accuratam sermonis institutionem comprehensionem peruenire non queant: ex re B
alterutra populus aut in blasphemiæ, aut in dissensionis necessitatem incurrat. Quare & "
interrogatio temeraria, & inconsulta responsio, veniam vtrique vestrûm ab altero im- "
petrare debet. Neque enim de summo in Sacris literis præcepto, vobis ansa ad digladiã- "
dum oblata est: neque nouus vllus de religione diuina introductus error: sed vnã ean- "
demque tenetis de fide sententiam, ita vt facilè possitis ad ipsum communionis consen- "
sum venire. Nam non est consentaneum, vt propter vestram imprudentẽ de adeò par- "
uis exiguisque rebus mutuò concertationem, tanta populi multitudo ad dissensionem "
rapiatur: imò verò non modò non est consentaneum, sed omnino nefas esse existima- "
tur. Verùm vt rem breuiter exemplo quodam animis vestris mecum recognoscatis, di- "
cam. non vos præterit, opinor, philosophos ipsos vnius quidem disciplinæ professione "
omnes inter se consentire: sæpe tamen in aliqua parte opinionum, quas asseueratione "
affirmant, discrepare solere: qui licet disciplinæ causa, quam quisque illorum tuetur, "
dissentiant, tamen ob professionem, qua conspirare videntur, denuò inter ipsos in gra- "
tiam redeunt. Quod si ita se res habet, quid est cur non sit multo conuenientius, vt qui "
famuli præpotentis Dei constituti sumus propter ipsum religionis institutum, quod "
profitemur consentientibus animis inter nos ipsos concordemus? Cæterùm accuratio- "
re cogitatione consideremus, & mente attentiore hoc, quod iam à me dicetur, circum- "
spiciamus, num rectè se habeat, vt per leuem & inanem verborum contentionem fra- "
tres fratribus reluctentur: & eximia concordia, impia simultate per nos, qui de rebus "
tam exiguis minimeque necessarijs inter nos confligimus, miserè discerpatur? Popula- "
ria quidem sunt ista, & puerili inscitiæ magis quàm sacerdotum & prudentium homi- "
num sapientiæ congruentia.

Quæstiones in religione subtiliores nec mouendæ. nec ad easdem respondendum.

Loquacitas coercenda.

Hortatio ad concordiam. CAPVT LXVIII.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 12.

NOstra sponte igitur diabolicas tentationes euitemus. Et quoniam Deus Opt. Max. conseruator omnium, communem suæ gratiæ lucem omnibus porrexit: idcirco mihi eius famulo quæso per vos liceat, vt illius prouidentiæ subsidio adiutus, meum conatum ad eam lucem propagandam susceptum, feliciter ad exitum perducam: atque etiam vt ipsius populum, tum verbis compellando, tum ministerium diligenter erga eum præstando, tum acriter admonendo, ad mutuam[a] cõcordiam traducam. Et cùm, vti dixi, vna sit vobis fides, "
vnaque

a Concordia quatenus inter non eadẽ per omnia sentientes, etiam seruari possit.

Ecclesiarum præsides inter se dissentire, nefas.

Philosophorũ dissensiones.

Ab honesto

Concordia fratrum logomachijs non rumpenda.

A vnaq; de nostra religione sententia, vnum deniq; legis ac disciplinæ institutum (quod "
quidem cum suis partibus vniuersum ecclesiæ corpus, consentiente animorum con- "
cordia & proposito, deuincit) istud quod inter vos non mediocrem contentio- "
nem excitauit, quoniam nullam rem grauem in nostræ religionis quasi ambitu con- "
prehensam attingit, non est cur distinctionem aliquam animorum, aut discordiam in "
vobis pariat. Atq; hæc dico, non vt cogam vos in hac leuicula & stulta quæstione, qua- "
liscũq; tandem illa fuerit, penitùs eandem sententiam sequi. Ac tametsi vos inter vos "
vicissim de re quapiam minimi momenti dissentitis (siquidem neq; omnes de omnibus "
rebus idem sentimus, neque vna eademq; in nobis indoles aut mens versatur) tamen fie- "
ri poterit, vt eximia concordia syncerè integreq; seruetur: & vna inter omnes animorũ "
conspiratio custodiatur: verùm de diuina prouidentia vna vobis sit omninò fides, vnus "
animorum consensus, vna de Deo sententia.

Concordia quatenus inter non eadem per omnia sentientes etiam seruari possit.

Quòd ob ineptas quasdam voculas digladiandum non erat.

CAPVT LXIX.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 12. 13.

AT quæ leuissimis istis quæstionibus inter vos argutè & subtiliter exquiritis, licet non in eandem sententiam tãquam pedibus eatis: ea tamen intra cogitationis "
vestræ quasi fines continere debetis, intimo mentis domicilio recondita. Com "
munis autem amicitiæ bonum, vera fides, reuerentia erga Deum, & legis obseruationẽ, "
stabilis firmaq; apud vos maneat. Redite in gratiam, & mutuam inter vos necessitudi- "
nem colite, vniuersoq; populo suos mutuos complexus reddite: ipsique, vestris ipsorũ "
animis cõtentionis labe purgatis, iterùm amicè & benuolè vos alter alterum excipite. "
Nam sæpenumero post inimicitias depositas, amicitia iterum reconciliata, plus solet "
habere iucunditatis.

Logomachijs intermissis mutuæ amicitiæ studendum.

Quòd pietatis causa summopere dolens, lachrymas profundere compulsus fuerit: iterq; quod in Orientis partes instituerat, propter hæc in aliud tempus distulerit.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 12. 13.

CAP. LXX.

DAte igitur mihi dies tranquillos, & noctes curæ ac molestiarum expertes, vt vo- B
luptas, quæ tum ex sincera concordiæ luce, tum ex vita quieta capi solet, mihi "
integra in posterum conseruetur. Quod quidem si minus contingat, necesse est "
ingemiscere, lachrymis & mœrore omnino confici: nec fieri potest vt vitæ cursum de "
reliquo tranquillè & sedatè trãsigam. Nam quandiu Dei populus, eum dico, qui com- "
muni mecum erga Deum obsequio fungitur, tam iniqua pernicioſaq; contentione ab "
se mutuò dissidet: quomodo fieri potest, vt ipse animo trãquillo consistã? Atq; vt increbilem huius doloris morsum intelligatis, sic accipite. Non ità pridem ad Nicomeden "
suam ciuitatem aduentans, extemplo iter versus Orientem maturè facere cõstituebam. "
Ac me quidem ad vos citato gradu properantem, cum maiorem itineris partem confe- "
cissem, vt propè iam vobiscum esse viderer, † literarum istarum nuncius in contrariam "
cogitationem compulit, ne oculis ea videre cogerer, quæ ne auribus quidem tolerari "
me posse planè existimabam. Deinceps igitur vestra concordia patefacite mihi ad Oriẽ- "
tem aditum, quem vos vestris dissidijs vltrò citroq; feruentibus intercluſistis & efficite "
breui, vt cùm vos pariter, tum reliquum vniuersum populum lætitia gestientem cernã- "
& omnes vnà pro communi omnium concordia & libertate, consentientibus laudis "
præconijs debitas gratias Deo Opt. Max. agamus.

Aequissima pij simulatio principis, vt partes in gratiam inter se redeant, salua tamen veritate.

†Videan. not. pag. 355. lat. 1. lib. 14.

Quòd post has quoq; literas, quæstiones ac rixæ nihilominus durauerint.

CAP. LXXI.

AD hunc modum igitur Deo charus Imperator, his quæ ad pacem ecclesiæ face- "
re videbantur, per epistolam missam diligenter prospexit. Ille verò bonus & "
spectatus nuncius, non solum literis fideliter perferendis, sed Imperatoris mit- "
tentis voluntati pro virili sua parte inseruiuit. Et quanquam omninò pius vir "
fuit, sicut suprà diximus: tamen hoc maius quiddam erat, quàm quod per literas admi- "
nistrari posset: quippe magis magisq; dissentientium lis accreuit, & vniuersas Ori- "
entis prouincias mali illius impetus inuaserat. Inuidia igitur & perdi- "
tus dæmon, qui semper ecclesiæ commoda ægrè & iniquo "
animo fert, ista admisit.

Legatione nõ sublata dissidia.

Osius Cordubensis legatus cum superiori epistola ab Imperatore missus nihil effecit, vt Socrates attestatur lib. 1.

Diaboli inuidia rixas inter ecclesiæ præsides et moueri, & ne remittant, curarè.

FINIS SECVNDI LIBRI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

EIVSDEM EVSEBII COGNOMENTO PAMPHILI, EPISCOPI CAESAREAE PALAESTINAE, DE VITA SANCTISSIMI Imperatoris Constantini, Liber Tertius.

Comparatio Constantini pietatis, & flagitij persequutorum. CAP. I.

Comparatio Constantini & collegarũ Imp. Religionis ergo. Antithesis capita. 1. Deus verus & commentitia numina. 2. Christi honor & contẽptus. 3. Fideles & infideles.

QVEMADMODVM probitatis hostis dæmon, graui in prosperum ecclesiæ statum exardescens inuidia, tempore pacis & lęticię, seditionis procellas & tumultus intestinos contra illum excitauit: sic Imperator Deo charus Constãtinus, ea quæ ad suum spectabant officium, minimè neglexit: sed omnia contraria his, quæ antea erant à tyrannica crudelitate admissa, instituit: & quenque ecclesiæ hostem inimicumque facilè deuicit. Atq; vt illi, qui à vero Deo abscesserant, homines ad deos, qui nõ sunt, colendos varijs necessitatis vijs coegerunt: ita hic, cum & re & verbo eos non deos coarguisset, ad eum qui solus Deus est, agnoscendum cohortatus est. Quinetiam illi contumelijs & maledicis verbis Christum Dei deridere non sunt veriti: hic in eximio passionis trophæo mirè gloriatus est, quod licet impij maximis grauissimisq; conuicijs afficere studerent, iste tamen salutis propugnaculum esse illud ipsum agnouit. illi Christi famulos, domicilijs & laribus orbatos, in exilium eijcere: hic eos omnes domũ reuocare, & proprijs sedibus restituere. illi eos ignominijs appetere: hic honoratos & in omnium conspectu illustres reddere. illi pijs viris vitam eripientes, iniquè eorum bona publicare: hic illos plurimis muneribus benignè & liberaliter excipiens, ad pristinum statum reducere. illi per scripta decreta palàm contra ecclesiarum præsides diuulgata, falsis calumnijs eos obiectare: hic contrà, viros eosdem B ad gloriam efferre apud se ad altum dignitatis gradum tollere, & edictis ac legibus multo chariores efficere. illi sacras ædes precibus destinatas funditus euertere, easq; è sublimi deiectas solo æquare: hic tum eas, quæ supererant altius erigere, tũ nouas sumptu ex ipsis regijs thesauris suppeditato magnificè extruendas sancire. illi mandare, vt libri diuinitùs inspirati, in ignem iecti, penitùs delerentur: hic, † vt ijdem ex ærario regio & ornarentur magnificè, & numero augerentur, decernere. illi iubere, ne episcopi vsquã conuentus cogere aggrederentur: hic eos ex omnibus gentibus ad se conuocare, intromittere in palatium, sinere in intimas eius partes penetrare, & laris sui mensæq; regalis compotes esse. illi, * dæmones monumentis & imaginibus honorare: hic eorum fraudẽ patefacere, & materiam ex qua erant illorum simulachra conflata, malè & inutiliter collocatam, his qui ea rectius norunt vti, distribuere. illi delubra dæmonibus magnificè ornare iusserunt: hic eadem ipsa suis quibus nitebantur fundamentis deturbare, illaq; maximè, quæ apud superstitiosos erant maximi æstimata. illi Dei seruos fœdis addicere supplicijs: hic, eos qui hæc patrassent, persequi, pœnaq; debita Dei ope inflicta, ad meliorem mentem traducere. Sanctorum Dei martyrum memoriam hic etiam colere non destitit. Illi pios viros ex ædibus regijs exigere: hic ijsdem ipsis maximè fretus, eos præter cæteros sibi & beneuolentiores & fideliores esse pro certo persuasum habuit. illi pecunia victi, animum Tantalicæ cupiditati in seruitutem dare: hic regali magnificentia omnes thesauros reseruans, liberali & magnifica largitione eosdem dispertire. illi infinitas cædes facere, quò facultates interemptorum rapinæ & publicationi parẽrent: sed toto illo tempore quo regnabat Constantinus, dum populus cuiusque nationis & ciues paternis potius gubernati legibus, quã necessitate adducti, parebant, gladius quiescebat, quo iudicum sententia supplicium de maleficis sumi solet, ociosus suspensus fuit. In quas quidem res oculis coniectis, dixerit aliquis meritò, nouum quendam & inusitatum mundi statum modò apparuisse, insolito quodam lucis splendore, velut post crassam caliginem, mortali hominum generi elucente: fatendumq;, vniuersum hoc opus ipsius Dei esse, qui Imperatorem tam pium, impiorum multitudini aduersarium oppoſuerit.

† Vide etiã non parũ lib. 10. cap. 2. lim. 22.

* Vide Euseb. li. 3. de laud. Const.

Nouus propemundi status imperante Cõstantino.

De Constantini pietate, palàm crucis insigne profitentis. CAPVT II.

De authoritate ac virtute crucis, vide supra lib. 1. c. 22. 23. 24. 25. 33. lib. 2. ca. 7. 8. 9. 12. 44. lib. 3. c. 48. lib. 4. cap. 21. De Constãtini laudibus. Sozom. li. 1. ca. 3. 4. li. 5. c. 2. Theodoret. lib. 3. c. 3. 6. lib. 5. cap. 21. Vide Constant. vitã lib. 4. cap. 25. 72. Item lib. 1. c. 33.

Constantinus ipse pius, impijs principibus successit.

VIm enim tales essent hi, quorum similes non aliquando visi fuerunt: & talia facinora contra ecclesiam ederent, qualia ex omni seculorũ memoria non sunt audita: Deus non sine causa principem quendam admirabilem in lucem extulit: cuius opera, ea quæ nec percepta auribus, nec sub oculorum aspectum subiecta fuerint, effecit. Hic Imperator virtute tam eximius, ex Dei sapientia mortali hominum generi donatus fuit, tanquã res quædam peregrina, quæ homines in admirationem traduceret. Hic enim Christum Dei, libero ore & sermone in omnes diuulgauit: neq; salutarẽ eam appellationem, quã obtinuerat, erubuit: sed ipsa professione gloriatus, se in luce & omnium oculis collocauit: atque interdum vultum salutari illa passionis signauit nota, nonnunquam trophęo illo victorioso plurimùm se extulit.

Crucis nota vultum signãdirit.

De imagine Constantini, supra cuius caput crux, sub pedibus verò confossus draco situs erat. CAP. III.

VInetiam in tabula depicta, quam in sublimi ante palatij vestibula suspenderat, se omnium oculis contemplandum proposuit: salutareq; passionis insigne, supra caput ipsius locatum, in pictura exprimendum: inimicam autem illam & hostilem belluam, quæ ecclesiam Dei, impiorum tyrannidẽ oppugnasset, in altum demersam, draconis specie & figura describendã curauit. Sacra enim oracula in Dei Prophetarum libris eum draconem, & tortuosum serpentẽ nuncupant. Et propterea Imperator, quo occultum humani generis hostem diabolum (quem ipsius salutaris trophæi capiti eius imminentis virtute ad extremum exitum prolapsum significauit) tum sub suis, tum suorum pedibus conculcatum perspicuè indicaret, draconem medio ventre transfixum, & in profundos maris fluctus præcipitatum, subtili & artificiosa pictura sub omnium aspectu ad cõtemplandum subiecit. Atque istæ quidem res in imagine scitè depictæ, varijs colorum flosculis significabantur. Vnde permagna de Imperatoris acumine & solertia me cæpit admiratio, quo modo, diuino afflatu pulsus, eadem ipsa figurauit, quæ vocibus prophetarum ita de ista bel B luã pronunciantur: Deum gladium ingentem & terribilem contra draconem & serpẽtem fugientem illaturum, & draconem in mari interfecturum. Istarum rerum igitur imagines Imperator formauit, voces illas prophetarum adumbratione quadam imitatus.

Constantini imago qualis proponi ab ipsomet solita.

Diabolus serpens, & draco.

Esai. 27.

De quæstionibus propter Arium in Ægypto excitatis. CAPVT IIII.

Huc refer Nicephori ca. 5. lib. 8. Vitam Cõstan. lib. 2. cap. 60. Socrat. lib. 1. cap. 5.

QVibus ex rebus ad exitum perductis, licèt non parum cæperit voluptatis: tamen inuidiæ flamma, quæ ecclesiam Alexandrinam grauiter conturbabat, & pestiferum schisma, quod inter Thebanos & Aegyptios versabatur, ipsius animum non parum cõmouit: quippe in singulis ciuitatibus episcopi cum episcopis dissidere, & populus contra populum tumultus ciere, & impetu quodam repentino instar Symplegadum & mutuis pugnis se ipse concidere cœpit: vsq; eò, vti animis insanis ac desperatis impia scelera aggredi, & Imperatoris imagines contumelia afficere non dubitarent. Verùm Imperatorem non tam ad iram, quàm ad immensam animi ægritudinem, qua furiosorum amentiam supra modum deplorauit, incitârunt.

Thebanorũ et Aegyptiorũ schisma.

Læsa Imperatoris imago.

De dissensione propter Paschæ celebrationem. CAPVT V.

Vide Eusebium supra. Vide etiã Orosium. Vide etiã Niceph. ca. 3. 19. lib. 8. Vide Sozomenũ lib. 1. cap. 15.

MOrbus porrò alius longè grauissimus istas res antegressus est, qui longo tempore ecclesiæ multum exhibuisset molestiæ: dissensionem dico de salutari Paschatis festo ortam. Etenim alij, Iudæorum ritum sequendum asseruerunt: alij temporis quidem articulum in eo festo celebrando accuratè obseruandum esse, non tamen imitandam consuetudinem eorum, qui errore cæcati, alieni à gratia Euangelica esse viderentur. In hac igitur controuersia cum prolixo iam temporis spacio populus vbiq; admodum dissensisset, diuinæque leges & instituta confusione quadam essent permista, ita vt temporis in vno eodemq; festo obseruãdo varietas & discrepantia maximam discordiam Paschatis solennitatem celebrantibus excitaret (quippe eodem tempore alij ieiunijs & corporis afflictatione se erercebãt, nonnulli se tradebant ocio & remissioni animorum) quanquam nemo certè erat, qui huic malo remedium inuenire potuerit, præsertim cum contentio dissidentiũ animos

De Paschatis tempore dissensio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ex æquo exagitaret: Deo tamen, qui omnia potest, istis rebus mederi erat perfacile. Ex A hominib. autem, qui adhuc in terris ætatem degebant, solus restare videbatur Constantinus, qui rectè factis sedulò operam daret: qui quidem, simulatq; rerum istarum commemoratarum fama ad ipsius aures permanauit, intellexitq; literas ad Alexandrinos à se missas nihil habuisse ponderis, nouum cõsilium animo cœpit agitare: inquiens, alio prælio contra occultum illum & clandestinum hostem, Ecclesię statum perturbantem, de integrò decertandum.

Concilia, veluti Dei exercitus contra ecclesiæ hostes.

Quomodo Concilium Nicææ cogendum imperauerit.

CAPVT VI.

Vide Nicephor. lib. 8 ca. 14. Vide Theodorit. lib. 1. cap. 7. Sozomenũ c. 16. lib. Socrat. lib. 1. ca. 5. 6. 7. Coniunge ca. hic sub. sequentia, item &, & alia locis alijs adexa ad eandem historiam pertinentia.

DEinceps igitur Concilium generale, tanquam quendam Dei exercitum instruens, in vnum locum coegit: & episcopos vndiq; per literas honorificè scriptas, vt eò maturarent, acciuit. Neque mandatum duntaxat erat ad hãc rem datum, sed in ea peragenda multum attulit subsidij authoritas Imperatoris, ac nutus: qui nonnullis fecit potestatem, equis publicè ad iter celeriter conficiendum dispositis vtendi: alijs permagnum iumentorum instratorum, quibus veherentur, numerum suppeditauit. Ciuitas autem Bithyniæ, quæ Nicæa, ἀπὸ τῆς νίκης, id est, à victoria nomen traxit, Concilio celebrando admodum idonea, designata fuit. Vbi autem edictum in quaq; prouincia diuulgatum erat, omnes summa cum animorum alacritate, tanquam è carceribus ad cursum emissi, properè aduolârunt. Nam bonorum spes, ipsorum mentibus iniecta, vel potius pacis fruendæ potestas, & noui ac peregrini cuiusdam miraculi spectaculum, quod in tanti Imperatoris vultu ostendebatur, eos allexit plurimùm. Postquam autem omnes in vnum conuenerunt, opus illud diuina prouidentia factitatum, pro certo iam intellectum fuit. Nam non solum, qui animorum dissensione erant, sed etiam, qui corporibus, regionibus, locis, gentibus longissimè disiuncti, vnum in locum aggregati sunt. Atq; vna ciuitas eos omnes, tanquam maximam sacerdotum coronam, ex multiplici nitidorum flosculorum varietate contextam, excepit.

Nicæa Bithyniæ vrbs vnde dicta.

De vniuersali Concilio, ad quod ex omnibus orbis partibus episcopi confluxerunt.

CAPVT VII.

Huc refert Nicephor. c. 14. 35. lib. 8.

Niceni concilij episcoporũ frequentia. ex quibus potiss gentibus constata.

EX omnibus namq; ecclesijs, quæ frequentes in tota Europa, Africa & Asia exB stiterunt, Dei ministri, qui facilè primas ferre putabantur, in vnum conuocati. Templum etiam Niceæ, velut Dei nutu amplificatum, intra parietes suos, Syros pariter & Cilices, Phœnices, Arabes & Palęstinos, Aegyptios porrò, Thebanos, Afros, aliosq; ex Mesopotamia profectos recepit. Aderat etiam vnà in Concilio Persidis episcopus: nec ab hoc choro Scytha abfuit. Pontus item, Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Asia & Phrygia, viros apud se lectissimos suppeditârunt. Quinetiam Thraces, Macedones, Achæi, Epirotæ, & quorum domicilia multo longiore locorum interuallo distabant, eò aduentârunt. Ex ipsis Hispanis vnus nominis & famæ celebritate insignis, cum alijs multis in consessu illo adfuit. Et quanquam vrbis illius, penes quam imperium est, episcopus, ingraueſcente ætate præpeditus, abfuit: eius tamen presbyteri, qui aderant, illius locum suppleuerunt. Talem coronam solum ex omni præteritæ ætatis memoria vnus Imperator Cõstantinus, pacis vinculo ad Christi gloriam deuinxit: & quò Seruatori suo gratias ageret, istud eximium victoriæ ab hostibus & inimicis partæ monumentum obtulit, effigie chori Apostolici pulchrè in hoc nostro conuentu expressa.

Osius Cordubensis episcopus.

Romanus episcopus senectute impeditus ipse nõ adfuit, sed Legatos tamen suos misit.

Quomodo secundum id, quod in Actis Apostolorum traditur, variæ gentes ad Concilium profectæ sunt. CAP. VIII.

Act. 2. Vide Nicep. c. 14. lib. 8. Theodorit. cũ c. 8. lib. 1.

Apostolorum in Actis concilium, quapotiss. re Niceno minus.

NAm dicitur in Sacris literis, illorum temporibus viros pios ex omni natione, quæ sub cælo est, in vnum conuenisse. Inter quos erant Parthi, Medi, Elamitę, & qui incolunt Mesopotamiam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Aegyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenam, & aduenæ Romani, Iudæi, & Proselytæ, Cretes & Arabes. Verùm illis hoc defuit, quòd non omnes, qui eò venerunt, ex Dei ministrorum numero erant illi quidem.

De virtute ætateq; ducentorum quinquaginta episcoporum.

CAPVT IX.

Vide Nicep. lib. 8. c. 16.

a Vide annot. pag. 138. lat. 1. lin. 4. Episcoporũ Cõcilij Niceni multitudo, & varia eorundem dona.

SEd in hoc præsenti choro fuit episcoporum multitudo, ad numerum aducentorum quinquaginta & amplius: presbyterorum autem, diaconorum, acoluthorum, & aliorum, qui istos comitabãtur, turba ne enumerari quidem potest. Atque ex his Dei ministris, alij prudenter & disertè dicendo, alij vitæ grauitate, & constanti rerum

A rerum arduarum perpessione, nonnulli quasi media inter istos interiecta viuendi consuetudine eximij, præclara laudis insignia adepti sunt. Erant inter hos etiam non pauci, qui propter longinquum temporis spacium, quo vixerant, multum honorati fuerunt: multi, qui in ipso ætatis flore propter ingeniorum acumen, magnum splendorem sunt consecuti: quidam modò in ministerij quasi cursum ingressi. Quibus quidem omnibus cibaria in singulos dies Imperator largè & liberaliter suppeditari mandauit.

Constantini in episcopos liberalitas.

Concilium in palatio celebratur, quò Constantinus ingressus vnà cum episcopis considebat. CAP. X.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 16.

Concilij loco, Imperatoris aula.

DIe autem Concilio, quo res in controuersiam vocatæ dirimerentur, præstituta, singuli parati erãt, in ipsa media regalis palatij aula, quę amplitudine cateris facile præstabat, illud celebraturi: ac compluribus sedibus in vtroq; aulæ latere, ordine dispositis, qui erant accersiti, intus præsto fuerunt: & sedem, quę quenq; decebat, capiebat quisque. Atq; cum vniuersus ministorum Dei conuentus decenti ordine collocatus esset, propter Imperatoris aduentum, qui iam erat in expectatione, omnibus fuit silentium. Ac primùm vnus ex principis familia, deinde alter, ac tertius ingreditur. Imperatorem antecedunt alij, non ex armatis & satellitibus, qui ei adesse consueuissent: sed ex amicis solum, qui Christi fidem amplexarentur. Signo verò dato, quod Imperatoris introitũ indicabat, consurrexisse omnes dicuntur. Imperator deinde tanquam quidam cœlestis Dei angelus, purpureo vestitu & nitido, velut claro luminis fulgore splendescens, corusçantibusq; illius radijs illustratus, & conspicuo auri lapidumq; precioſorum nitore pulchrè adornatus, per medium consessum intrat. Atque hæc sunt, quæ ad corporis decus spectant. Quod autem ad animum attinet, cum timore Dei, & vera pietate insigniter decoratum constat: quas quidem res, oculi demissi, vultus pudor, & incessus moderatio satis indicabant. Quinetiam reliqua formæ species, & proceritas, tum pulchritudinis excellentia, tum magnifica totius corporis conformatione, tum inuicti roboris firmitate eximia, facilè omnem omnium suorum præstantiam superauit. Quæ certè cum morum modestia, & mansuetudinis verè regiæ suauitate temperata, singularem mentis indolem, quæ nulla dicendi facultate explicari potest, declarabant. Simulac verò ad B summum locum venit, primùm in medio conuentu erectus constitit, ac cum parua quædam sella ex auro fabricata illi esset loco posita, non prius consedit, quàm episcopi ad id innuissent. Idemq; omnes post Imperatorem factitârunt.

Constantini oratio ad Concilium, pro concordia.

Conſt. Imperatoris ad Concilium euntis ornatus quatuplex.

Constantini in Concilio ornatus & ingressus.

Mores Imp.

Imperator nõ prius assedit quam innuerent Episcopi.

Silentium Concilij, postquam Eusebius episcopus pauca quædam dixisset. CAP. XI.

Vide Nicep. lib. 8. cap. 16.

Sedente Imp. Deo actæ gratiæ.

EPiscopus autem, qui in dextrò ordine primam sedem occupabat, assurgens, perbrevi oratione Imperatorem affatus est: hymnumque, quo Deo omnipotenti illo gratias ageret, recitauit. Postquam ille assederat, omnibus aciem oculorum in Imperatorem acriter intendentibus, silentium factum est. Imperator verò primùm alacri obtutu & placido, oculos in omnes conijciens, suæq; ipsius mentis & ingenij vires colligẽs, sedata ac leni voce, hoc modo apud eos dicere ingressus est.

Vide Nicep. li. 8. ca. 17.

Constantini oratio.

„ QVoniam mihi admodum in optatis fuit, amici charissimi, isto vestro consessu aliquando frui: iam eo potitus, regi & moderatori omnium Deo idẽ eò gratias me agere debere fateor, quòd mihi præter cæteros largitus est, vt istud quod omnibus ferè bonis antecellit, nempè vos in vnum conuocatos, vnamq; omnium & consentientem esse voluntatem, oculis tandem „ aspiciam. Nolite igitur pati, vt vlla inuidiæ tempestas, nostris rebus prosperis inimica, „ istud bonũ labefactet: neq; cum tyrannorum dimicatio contra Deum susceptа, iam „ Dei seruatoris virtute profligata sit, vt denuò perditus dæmon diuinam Christi discipli „ nam & religionem maleuolorum obtrectationibus lacerandam obijciat: quandoqui„ dem intestina seditio in Ecclesia Dei conflata, multo plus molestiarum & acerbitatis, „ quàm quoduis bellum pugnáue, videtur mihi in se complecti. Atq; istæ res ad animum „ spectantes, longè plus, quàm quæ ad corpus pertinent, doloris afferre videntur. Cùm igi„ tur Dei Opt. Max. nutu & auxilio adiutus, victoriam ab hostibus reportassem: nihilque „ amplius mihi reliquum esse putarem, quàm vt tum Deo gratias agerem, tum vnà cum „ his, qui (Deo opem ferente) per me essent in libertatem vindicati, communem lęticiam „ animo perciperem, vt primum dissensio vestra ad aures meas præter omnem spem per-

Seditionis in ecclesia pernicies.

uenit,rumorem illum de ea allatum non planè negligebam: sed optans in primis, vt huic rei mea opera & sedulitate remedium inueniretur,omnes vos absq; mora accersebam. Ac tametsi lætor equidem vehementer,cum iam vestrum consessum intueor:tũ tamen arbitror me rem maximè ex animi sententia gessisse,vbi omnes vos animorum coniunctione colligatos,& vnam eamq; communem inter omnes,& tranquillam concordiam(quam quidem vos,cum sitis Deo consecrati, alijs etiam à Deo impetrare consentaneum est)vigere florereq;,intellexero. Itaq; ne vlla sit quæso in vobis mora, ô charissimi:ne grauemini ô sancti Dei ministri,& spectati communis omnium nostri Domini ac Seruatoris famuli,ne grauemini inquam, deinceps † causas dissensionis inter vos grassantis iam penitùs tollere:primoq; omnium operam detis, vt omnia vincula, quibus constricta tenetur controuersia,pacis legibus omninò dissoluantur. Sic enim estis & Deo omnium gubernatori rem gratam facturi,& mihi vestro in Domino conseruo maximum præstaturi beneficium.

Hortator epi scopos ad con cordiam.

Obtestatio humana & blãda.

† Videan. not. pag. 138. lat. 2. lin 15.

Quomodo discordantes episcopos ad concordiam traduxerit, & quod de fide & paschæ celebratione eadem fuit Concilij sententia.

CAP. XIII.

Huc refer Nicephor. ca.19.lib.8.

Constantinus Latina lingua vsus per interpretem cũ patribus agit.

Ic ista Latino sermone,altero eadem interpretante locutus,sermonem omnẽ deinceps Concilij præsidibus concessit.Ibi tum alij vicinos accusare cœperunt: alij & pro se respondere,& crimen in aduersarios deriuare. Cum igitur multa essent ex vtraq; parte proposita,magnaq; controuersia in ipso disputationis ingressu cõcitata:Imperator toleranter ac placidè omnibus animum attendere,studio acri prolatas sententias sensim excipere:vicissim ferre opem vtriq; disceptantium parti, eos magna cum contentione digladiantes paulatim reconciliare:conferre cum singulis comiter & benignè sermonem:Græcè(nam ne huius quidem linguæ ignarus fuit) quid ipse sentiret eloqui.Suauis fuit,& dulcis,dum alijs persuadere, alios sermone lenire, alios qui difertè dixissent collaudare,omnes deniq; ad concordiam reducere contendebat: vsq; eò,vti tandem eos in omnibus rebus,quæ in quæstionem aliquando venissent,tum conspirantes animis,tum opinionibus adeò consentientes redderet,vt non modò concors fides inter eos vigeret,sed etiam vnum idemq; tempus in salutari festo Paschatis celebrando obseruandum ab omnibus concederetur.Iam verò,quæ erant communi omnium sententia decreta, cuiusq; manu subscripta fuerunt,& in commentarios relata.

Contentiones propositas placide audit & conciliare nititur.

Constantinus etiam Græcæ linguæ peritus.

Paschatis dissidium compositum.

Quomodo Constantinus episcopis epulum,cui ipse quoq; interfuit,exhibuerit,cum iam vigesimus administrati ab eo imperij annus transactus esset.

CAPVT XIIII.

Huc refer Nicephor. ca.20. lib.8.

Patribus inter se conciliatis oportunè vicennali festo Imperij sui cõpleto epulum exhibuit Constantinus, anno Christi 309. Euseb. in Chron.

Vibus ad exitum perductis, secundam istam victoriam Imperator se contrà ecclesiæ hostem consecutum affirmauit,& propterea festum triumphale ad Dei honorem illustrandum egit.Eodem tempore vigesimus eius regni annus completus est:in quo conuentus celebres etiam apud reliquas gentes agitabantur.Inter Dei ministros iam pace conciliata, ipse Imperator conuiuium celebrare cœpit,& hoc tanquam sacrificium Deo valde accommodatum per illorum præsentiam obtulit:neque quisquam ex episcoporum numero, ab illo regali epulo abfuit.Istud porrò,quod ibi factitatum est, omnem dicendi facultatem superat. Satellites enim armati,districtis gladijs,vndiq; regiæ vestibula obseruabant: per quorũ mediam turbam sancti Dei homines absq; formidine ingressi sunt,& ad interiores palatij ædes perrexerunt. Ex quibus alij deinde vnà cum Imperatore accumbere, pars prope valuas triclinij vtrinq; assidere. Regni Christi effigiem in ea re adumbrari videbatur: quam rem somnij similius,quàm rei gestæ,aliquis existimare potuerit.

Munera præsentibus episcopis dedit,& ad absentes omnes literas.

CAPVT XV.

Munificentia episcopis exhibita à Constantino.

Bi autem conuiuium magno cum splendore venit ad exitum,illud præterea, quò omnes magnificentius & liberalius exciperentur,accessit, quisque nimirũ pro dignitate muneribus honorificè donatus fuit. De hoc porrò concilio Imperator illos etiam,qui ei neutiquam interfuissent, certiores fecit per literas: quas quidem in hanc nostram historiam, tanquam in columellam quandam inscribam: quæ ita se habent:

Literæ

Literæ Constantini ad Ecclesias de habita Nicæa Synodo. CAP. XVI.

CONSTANTINVS, AVGVSTVS, ECCLESIIS. S.

Huc refer Nicephor. cap.25.li.8. Theodorit.ca.10.li.1.et Socrat. cap.6.lib.1.

Scribit Constantinus absentibus episcopis de actis Concilij Nicæni.& de die paschatis.

Vm ex florenti & prospero Reip. statu, quanta sit diuini numinis erga nos benignitas,compertum haberem, † istud maximè omnium mihi propositum putaui,vt in sanctissima catholicæ ecclesiæ multitudine,vna fides,sincera charitas,& consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur. Verùm quoniam istud haud poterat in loco tuto firmoque colloqui,nisi vel omnes episcopi, vel maxima eorum pars in vnum conuenisset, singuliq; suum iudicium de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus interposuissent: eam ob causam,cum cœtus,quantum fieri poterat, maximus coactus esset, ipse tanquã vnus è vestrũm numero(non enim recusabam, ex qua re iam maximam capio lætitiã, me vobiscum in eo ministerio coniungere)præsto vnà adfui.Atque vsque eò de omnibus rebus accuratè quæsitum est,quoad sententia Deo omnium contemplatori grata acceptaq; propter concordiam & animorum consensum palàm pronunciata esset: sic vt nihil,quod vel ad discordiam,vel ad fidei controuersiam spectaret, omnino in posterum reliquum fieret.

† Videan. not.pag. 139. lat.1. lin.7.

Modestia Imperatoris.

Einsdem de paschatis celebrandi consensione, & aduersus Iudæos.

CAPVT XVII.

Vide Nicephor.li. 8. cap. 19.

Pascha ab omnibus vno eodemque tempore celebrandum.

Bi cùm de sanctissimo festo paschatis disceptaretur, communi omnium sententia videbatur rectum esse, vt omnes vbique vno eodemque die illud celebrarent. Quid enim præstabilius, quidue augustius esse poterat, quàm vt hoc festum,per quod spem immortalitatis nobis ostentatam habemus,vno modo & ratione apud omnes integrè sincereque obseruaretur? Ac primùm omnium indignum planè videbatur,vt ritum & consuetudinem imitantes Iudæorum(qui quoniam suas ipsorum manus immani scelere polluerunt,merito,vt scelestos decet,cæco animorum errore tenẽtur irretiti)istud festum sanctissimũ † Videan. not. pag. 139.lat. 1. lin.24. ageremus.in nostra enim situm est potestate,vt illorum more † reiecto, veriore ac magis sincero instituto(quod quidem vsquè à prima passionis die hactenus recoluimus) huius festi celebrationẽ ad posterorum sæculorum memoriam propagemus.Nihil igitur sit nobis commune cum Iudæorum turba, omnium odiosa maximè. aliam enim vitam,quam insistamus,à Seruatore didicimus.Proponitur namque sanctissimæ nostræ religioni cursus quidem & legitimus, & decorus:hunc igitur consentientibus animis mordicus tenentes fratres honoratissimi,ab illa detestabili Iudæorum opinione nos ipsos remoueamus.Est enim reuera absurdissimum, vt illi insolenter se iactent:nos absque ipsorum disciplinæ subsidio,istas res nullo modò posse obseruare. Quid tandem est,de quo illi rectè sentire queant,qui post necem Domino illatam, post parricidium illud nefandum,ex mentis statu deturbati,non ratione vlla, sed temerario animorum impetu,quocunque insita ipsis & innata insania rapiat, feruntur ? Hinc etiam existit, quòd ne in hac quidem parte veritatem perspiciant: quippe præ errore extra exquisitã temporis in hoc festo celebrando obseruationem longissimè euagati, eodem anno alterum pascha celebrant. Proinde quid est cur istos imitemur, quos constat graui erroris morbo laborare?Eodem namque anno idem festum bis recolendum non permittemus.Verùm quamuis ista non à me fuissent proposita : tamen vestræ solertiæ esset, cum diligentiam adhibere,tum semper optare,vt nulla vobis aliquando detur occasio, vestrorum animorum integritatem nequam hominum moribus admiscendi. Ex his item illud potest intelligi,nefas esse, vti in tanto & tam solenni religionis nostræ festo regnaret dissensio.Vnum enim libertatis nostræ diem festum, hoc est sanctissimæ passionis,Seruator noster nobis tradidit, vnamque Ecclesiam catholicam esse voluit. Cuius quidem membra tametsi in multa & varia loca dispersa sint,tamen vno spiritu, hoc est,diuina voluntate & nutu coalescunt. Vestræ igitur sanctitatis prudentia accuratè secum consideret,quàm graue,imò verò quàm indecorum sit,vt ijsdem diebus alij ieiunijs vacent,alij agitent conuiuia:ac post dies paschatis,alij in festis & animorum remissione versentur,alij præscriptis ieiunijs se dedant. Quapropter istud rectius instituendum est,& ad vnam normam redigendum.hoc enim(sicut omnes vos satis animaduertere existimo)diuina prouidentia vult.

Cum Iudæis nihil commune esse Christianis debere.

Turpis est in ecclesia de Paschatis die dissensio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hortatio ad sequendum id quod maxima pars orbis comprobet.

CAP. XVIII.

Quanto consensu lata sit sententia de Paschate.

ET quoniam istud erat ita via & ratione gerendum, vt nihil nobis cum consuetudine † parricidarum, & illorum qui necis Domini authores extiterunt, sit cõmune: & modus ille eximius decorusq́ue seruandus sit, quem omnes ecclesiæ seruant, quæ orbis partes vel versus occidentem, vel versus meridiem, vel versus septentrionem sitas incolunt, ac nonnullæ quoque quæ in locis ad Orientem spectantibus habitant: idcirco omnes in præsentia, hoc rectè se habere arbitrati sunt. Ipseq́; etiam in me recepi, vestram sapientiam facilè assensuram: vos videlicet quod in vrbe Roma, † in Italia, in Africa, in Aegyto, in Hispania, Gallia & Britannia, in Lybia, & vniuersa Graecia, in diœcesi Asiatica & Pontica, in Cilicia denique, vna & consentiẽte sententia conseruatur, hoc etiam vestra prudentia lubentes approbaturos: illud sedulò reputantes, non solùm quòd in locis quæ modò citaui, maior ecclesiarum numerus existat: sed etiam quòd sanctissimum institutum sit, vt omnes communi consilio id ratum cupiant, quòd recta ratio postulare videtur, quodq́ue nihil cũ Iudæorum periurio habet commercij. Verùm vt summam rei breuiter complectar, visum est communi omnium iudicio sacratissimum Paschatis festum, vno eodemq́ue die celebrandum esse. neq; enim de re tam sancta ac solenni vlla dissensio debet existere: † imò verò hanc sequi sententiam, cui nullus à fide alienus error, nullum vitium admistum sit, multo maximam habet commentationem. Quæ cùm ita se habeant, libentibus animis hoc decretum, tãquam donum Dei & mandatum reuerà cælitùs demissum amplexamini. Nam quicquid in sanctis episcoporum Concilijs decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui. Quamobrem vos, vbi omnibus dilectis nostris fratribus res in hoc concilio gestas, sententiam iam decretam, & sanctissimi festi obseruandi modum denunciaueritis, eadem ipsi approbare, iusteq́; disponere debetis: vt simulatq́ue vestram rectam omnium rerum dispensationẽ, iam pridem à me desideratam, me planè perspicere contigerit, vno eodemq́; die vobiscum vna sacrosanctum festum recolere possim, & simul omnium causa permagnam animo capiam † voluptatem. quod quidem fiet, cùm intellexero, & diabolicam crudelitatem, diuina virtute opem ferente, per vestra rectè facta prorsus profligatam esse: & fidem nostram pace & concordia conciliata vbique egregiè florere. Deus vos, fratres charissimi, seruet incolumes.

Paschæ festũ vno eodemq́; die omnibus celebrandum.

Synodis rite coactis quantum sit deferẽdum.

Hortatio, vt decretis Synodi omnes obsequantur. CAP. XIX.

EDictum, quod quidem pondus habebat & authoritatem, cùm hac epistola Imperator in singulas misit prouincias: suæq́ue erga Deum piæ mentis integritatem illud legentibus, exquisitè intuendi dedit facultatem.

Consulit discessuris episcopis, vt mutuam concordiam conseruent. CAP. XX.

Episcopos discessuros hortatur ad pacẽ conseruandã.

DEcæterò autem, vbi Concilium erat dimittendum, sermonem apud episcopos de rebus ordine dispensandis instituit. Omnibus igitur vno eodemq; die in vnum conuocatis, eos, cùm adessent, admonuit sedulò, vt pacis inter ipsos mutuò colendæ diligentem curam adhiberent, & contentiosas lites auerterent: & si quisquam inter illos ex sapientiæ præstantia multũ laudis adeptus fuisset, nulla in illum flagrarent inuidia, sed virtutis vnius bonum cõmune esse censerent: qui autem præstabiliores viderentur, non aduersum tenuiores se insolenter efferrẽt. Nã qui, inquit, reuera sint bonitate superiores, diuini numinis est decernere. Dixit porrò, oportere eos propter animi lenitatem & indulgentiã se inferiorũ imbecillitati submittere: rarum esse illud, quod sit expletum omnib. suis numeris & partibus: & propterea inter ipsos, ijs qui leuiter peccant, veniam debere tribuere, benignè gratificari, & quæ humanæ sunt fragilitatis condonare: concordem animorum consensum in primis colere, ne ipsi inter se concertãtes, illis qui ad obtrectandum verbo * Dei parati sunt, ansam eidem illudendi præberent. † Quam rem omnium maximè præcaueri debere: posse autem facilè præcaueri, dummodo quæ apud nos sunt, illis admiratione digna videantur. Neque cuiquam nostrùm obscurum esse, vtilitatẽ quæ ex Sacris literis capitur, non omnibus conferri solere. † Alios enim delicijs ad tẽpus oblectari: nonnullos in eorum familiaritatem, qui aliquem dignitatis gradum adepti sunt, se callidè insinuare: cõplures, eos qui humanitùs & benignè ipsos excipiũt, amplexari: multos munerib. donatos, ad diligendũ impelli: sed paucos admodũ † veræ doctrinæ amore flagrare, & amicũ veritatis perrarò reperiri.

Meliores alijs qui sint, solius Dei esse decernere.

Rarus veritatis amicus.

Quare

A Quare omnibus esse in primis consentaneum, vt ea quæ ad salutem vtilia sunt, quisq; alteri, instar medici, suppeditet: ad eum planè finem, vt apud omnes omnino salutaris disciplina magno in honore habeatur. Ista, cum primis adhortatus est Imperator. Ad extremum etiam illud adiecit, vt pro ipso ad Deum preces obnixè funderent. Cùm igitur his præceptis eos instruxisset, omnibus fecit potestatem ad sua domicilia reuertendi. Illi lætitia gestientes, redierunt. Ad hunc modum, cùm illi qui propter dissentientes opiniones longo quasi interuallo ab se mutuo diuulsi fuerant, tanquam in vnum corpus essent denuò coagmentati, deinceps vna apud omnes viguit sententia, ipsius Imperatoris consensu confirmata.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 25.

† Vide annot. pag. 139. lat. 2. lin. 12.

† Videibidem lin. 16.

Quomodo literas dederit ad eos qui ad Concilium non conuenerant: & de pecuniarum in populum largitione. CAPVT XXI.

Vicennalia Constãtini. Vide Nicephor. c. 26. lib. 8.

Pecuniæ in pũpulũ largitio.

PRoinde Imperator de prospero rei euentu lætus, illis qui Concilio neutiquam interfuissent, per literas fructum eiusdem vberem præbuit: populoq́ue vniuerso cùm per agros, tum per ciuitates dispersò, ingentem pecuniæ vim distribui mandauit: sicq́ue festum diem, ad recolendam vigesimi anni regni sui memoriam, celebratum cohonestauit.

Literæ eius ad Aegyptios & hortatio, vt ad concordiam redeant. CAP. XXII.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 24. 25.

VErũ cùm iã inter omnes pax esset conciliata, solos Aegyptios seditiosa contentio mutuò inter ipsos distraxit, ita vt Imperatori de integro nonnihil negocij facesserent illi quidem, sed tamen bilem ei minimè commouerent: quippe eos vt patres, imò verò vt Dei prophetas, omnino honorificè reuerens, illos secundò accersere dignatus est, se rursus non inuitum, tanquam arbitrum, eorum controuersijs interponere: illis iterum munera honorificè impertire: arbitrium suum & sententiam per epistolam significare, & Concilij decreta suo sigillo rata facere. Hortari etiam, vt concordiæ adhærescerent, vt non distraherent Ecclesiæ dirimerentq́ue consensum, sed diuini iudicij recordationem intima cogitatione complecterentur. Ista per literas Imperator illis significauit.

Aegyptiorum contentiones adhuc flagrãtes literis sopire conatur.

B

Quomodo pias cùm populis, tum episcopis, literas subinde scripserit.

CAPVT XXIII.

Huc refert Nicephor. ca. 27. li. 8.



LIa item infinita his similia scripsit, vixq́ue dici potest quot & quàm multas epistolas exarauit: interdum episcopis ea quæ ad ecclesiarum Dei commodũ spectabant, præscribendo: interdum etiam cum ipsa multitudine per literas colloquendo, & vt beatum decet, singulos è populo fratres & conseruos appellando. Cæterùm ista seorsum opere tractare, cùm satis suppetet ocij, commodius erit, ne præsentis historiæ tanquam corpus medium incidatur.

Constantini humana industria in prouidendo ecclesiæ concordia.

Quomodo Hierosolymis, in sancto Seruatoris nostri resurrectionis loco, templum extruendum mandauerit. CAP. XXIIII.

* Vide Nicephor. li. 8. cap. 28. Ad integram tractationem determinis à Constantino circa sanctissimũ hunc locum, adde quæ proxime sequentia ex Sozom. lib. 2. cap. 1. & 4. Socrat. lib. 1. cap. 17. vbi & decretales deo rectè facta a. grum. Item Theod. lib. 1. cap. 17. Sozom. lib. 1. cap. 2. 3. 4. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 28.

IIs * rebus ad hũc modum constitutis, aliud quoddam opus maximè memorabile apud Palæstinorum gentem diuinus iste Imperator efficere aggressus est. At quódnam quæso? sanctissimum illum salutaris Christi resurrectionis locũ Hierosolymis, existimauit ita à se illustrari debere, vt omnibus eximius & veneratione dignus videretur. Idcirco mãdauit, in eo statim templũ construi: neq; istud opus aggredi absq; pulsu diuino, imò verò ipso Seruatoris spiritu incitatum, in animum induxit.

Templum inbet extrui ad sepulchrum Domini.

Quomodo sepulchri Christi memoriam impij, puluere ac sordibus adaggeratis tollere studuerunt. Veneris quoque sacrario ibidem extructo. CAP. XXV.

* Vide Nicephor. lib. 8. cap. 28. 29. Sozom. lib. 2. cap. 1. 2. vbi & de templo Veneris deorsum a. Item Theod. lib. 1. cap. 17. Sozom. lib. 1. cap. 2. 3. 4. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 28.

† Vide annot. pag. 140. lat. 1. lin. 1. 2.

† Vide ibidem lin. 8.

OLim † enim viri impij, imò verò istorũ subsidio vniuersum dæmonum genus, omni studio incubuit, vt illud diuinum immortalitatis monimentum tenebris obrueret, obliuioneq́ue penitùs deleret. Ad quod quidem Angelus è cælo delapsus, luminis claritate refulgens, non solùm lapidem reuoluebat ab illis, quorum animi instar lapidis obduruissent: verùm etiam, quem ipsi inter mortuos adhuc versari putabant, eum mulierib. viuere annunciauit, & ad vitam & resurrectionẽ illius qui quærebatur, illustrandam, incredulitatis lapidem ab eorum mentibus amouit. Istud Seruatoris sepulchrũ impij quidem & scelerati homines ex hominũ memoria delere cogitabant, & (quæ eorũ insciti fuit) censebant veritatem ad hunc modum se posse occultare.

Sepulchrum Christi quomodo impij abolere conati.

Itaque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque primum permultum capere laboris cœperunt in terra aliunde & extrinsecus A inuehenda, qua locum vniuersum obducerent. Deinde cùm molem terræ in immensam altitudinem erexissent, constrauissentque lapidibus, diuinum sepulchrum, ingente aggere supra iniecto, obtegere. Pòst, cùm nihil iam illis ad opus explẽdum deesset, super illum terræ cumulum, nefandum reuera & execrabile bustum animarum construere, & recessum lasciuæ Veneris dæmoni vnà ædificare, simulachrisque mortuis complere: tum detestabiles ibi victimas super impuras aras & omni nequitiæ labe pollutas immolare. Nam non aliter illud quod instituerant, se putabant ad exitum posse perducere, quàm vt per ista nefaria scelera, salutare illud sepulchrum penitùs obruerent. Verùm miseri illi neutiquam illud poterant intelligere, quòd sol ipse (modò terram suo splendore collustrare, & consuetum sibi cursum in cælo obire pergeret) non posset præclarũ illud facinus Christi, qui contra mortem tam eximia victoriæ trophæa fuisset adeptus, ita in obscuro relinquere, illudque vniuersum hominum † genus prorsus celare. Imò verò salutaris & diuina huius rei potentia ac virtus, quæ non corpora, sed animos hominum maximè solet illuminare, suæ lucis fulgore vniuersum orbem terrarum compleuit. Verùm tamen impiorum & nequam hominum molitiones contra veritatem paratæ, longinquo temporis spacio processerunt. Nemo enim vel ex præfectis, vel ex ducibus, vel ex ipsis Imperatoribus ad eorum conatus euertendos satis idoneus repertus est, præter vnum solum: qui quidem, vtpote Deo omnium gubernatori charus, & diuino eius afflatus Spiritu, locum illum, qui est suprà demonstratus, per fraudulentos hostium conatus omni impura materia obductum, & obliuione ignorationeque obrutum iri non passus est: neque authorum eius facinoris cessit malitiæ, sed Deo adiutore inuocato, illam terræ † particulam hostium scelere contaminatam, in primis perpurgari iussit: quam quidem censuit admirabili & singulari Dei Opt. Max. beneficio per illum potiri debere. Confestim igitur eius mandato, machinamenta ad homines in errorem inducendos comparata, de sublimi ad solum prosternere, & ædificia falso cultui consecrata, vnà cum statuis & dæmonibus disturbare diruereque cœpit. Neq; his rebus gestis alacre Imperatoris studium acquieuit: sed de integro dedit mandatum, vt materia eorum quę erant deiecta, siue lapidea illa esset, siue lignea, tolleretur penitùs, & B quàm longissimè extra loci fines ejceretur. Cui quidem mandato rei exitus planè respondebat.

Veneris fanũ in sepulchri locũ extructum.

† Vide annot. pag. 141. lat. 2. lin. 18.

Sepulchri Christi per Cõstan. instauratio.

† Vide annot. pag. 141. lat. 1. lin. 20.

† Vide ibidem lin. 27.

Quomodo Constantinus quisquilias & aggeres quæ in dæmonis fano habebantur, illinc quàm longissimè proijci præceperit. CAPVT XXVI.

Sordes dæmoniacæ idololatriæ à sepulchro remotæ.

† Vide annot. pag. 141. lat. 1. lin. 39.

NEque satis habebat Imperator, in istis solum rebus expediendis progredi: sed rursus diuini numinis instinctu impulsus, iubet vt ipsum solum ad ingentem altitudinem defossum (quippe impura dæmonum contagione infectum erat) foras procul cum ipso aggere exportaretur.

Sepulchri sancti sanctorum in lucem emersio. CAP. XXVII.

Christi sepulchrum inuentum.

QVod euestigiò effectum est. Simulatque verò solum terræ oppletum sordibus, egestum fuit: & aliud solum, id est, locus ille monumenti ex abditis terræ sedibus eminebat, ipsum etiam venerandũ & sacrosanctum salutaris Christi resurrectionis monimentum, præter omnium spem vnà emersit: & sepulchrum, quod meritò sanctissimum appelletur, resurrectionis Seruatoris aptè propterea expressit effigiẽ, quòd post tenebrarum caliginem quibus quasi sepultum iacuisset, in lucem denuò prodijt, & illustrem sanè miraculorum ibi editorum visum (qui reuera omni voce clarius, Seruatoris resurrectionem testificatus est) sub aspectu eorum qui ad illud ipsum contemplandum veniebant, subiecit.

Quomodo de extruendo templo, tum ad Orientis præfectos, tum ad Macarium episcopum literas miserit. CAPVT XXVIII.

Hucusque cap. 28. lib. 3. Nicephor.

Mãdatum de extruendo ibi templo.

Macarius Hierosol. episcop.

HIs rebus ad hunc modum confectis, extemplò Imperator non modò sacratis legibus sanciuit, vt templum augustum circa salutare illud antrum extrueretur: verùm etiam subsidijs ad eam rem suppeditatis (quippe hoc opus longo iam tẽpore apud animum proposuerat, attentioreq; cogitatione prospexerat, quod erat futurum) illud magnificè ac splendidè exædificandum curauit. Gentium igitur præfectis Orientem versus habitantium mandat, vt adiumentis necessarijs abundanter & copiosè subministratis, opus eximium, amplum & magnificum fabricandum curarent. Quinetiam ad episcopum qui id temporis ecclesiæ Hierosolymitanæ præerat, tales mittit literas, quales sinceram ac salutarẽ de fide nostra doctrinam planè & apertis verbis complexæ sunt. sic enim scribit:

Constantini

Constantini de exædificando templo Seruatoris ad Macarium epistola.

CAPVT XXIX.

VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVGVSTVS, *Macario. S.*

Hucusque idem 28. cap. lib. 3. Nicephor.

Christi beneficio inuentũ sepulchrum Domini.

DAnta Seruatoris nostri erga nos benignitas declarata est, vt nulla tam accurata dicendi ratio & vis sit, quæ præsens miraculum pro dignitate explicare posse videatur. Nam vt insigne illud sanctissimæ illius passionis monimentum, quod terræ viscеribus abditum, tot tamq; multis annorũ cõuersionibus iam delituisset, tũ illuc esceret seruis Dei, cũ illi, hoste deuicto, in libertatem essent vindicati, omnem profectò hominum admirationem longè superat. Etenim si omnes qui in vniuersi orbis terræ ambitu sapientes videntur, in vnum locum congregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggrederentur, ne minimæ huius parti oratione ex æquo satisfacere possent. Miraculi enim magnitudo tanto plus † vniuersum humanæ rationis & naturæ captum vincit, quanto res cælestes & diuinæ humanis sunt valentiores. Quapropter hoc vnum mihi in primis propositum sit ad dicendum, quòd sicut vera fides se ipsa quotidie nobis miraculis patefacit: sic nostri omnium animi, omni modestia & concordi alacritate ad sanctas Euangelij leges colẽdas attentiores fieri debent. Præterea illud, quod cuiq; perspicuum esse arbitror, pro certo tibi cũ primis * persuasum velimus, hoc nobis præ cæteris rebus omnibus maximè curæ esse, vt locus ille sacer, quẽ Dei iussu, † turpissima simulachrorum mole tanquam graui quodã onere impositò purgauimus, quemq; & primis mundi temporib. ipsius Dei iudicio sanctum habitũ esse: & postea etiã, quia fidem passionis Seruatoris tanquã è tenebris in lucẽ euocarit, multo clariorem sanctitatis suæ significationem dedisse cognouimus, præclara ædificiorum structura exornetur.

Vera fides miraculis comprobata.

† Vide annot. pag. 141. lat. 1. lin. 26.

† Vide ibidem lin. 27.

Quòd templum hoc cæteris orbis ecclesijs, muris, columnis & marmore antecellere voluerit.

CAPVT XXX.

PAret igitur, vt tua prudentia ita opus disponat, & prouidè res quasq; accuret ne cessarias, quò non modò sanctuarium templi reliquis omnibus quæ vbiq; sunt, pulchritudine antecellat: sed etiam cæteræ eius partes tales sint, vt omnia templa quæ in singulis ciuitatibus primas tenent, huius ædificij dignitate longè superentur. Ac de parietibus erigendis, exquisitoque artificio perpoliendis, tum Draciliano amico nostro, qui nonnullas aliarum prouinciarum partes administrat, tum vestræ etiam prouinciæ præfecto, scito curam à nobis esse impositam. A nostra enim benignitate illis imperatum est, vt qui artifices, qui operarij, quæue res aliæ fuerint ad illud ædificiũ necessariæ, à tua prudentia discant, ac statim ipsorum prouisione eò mittantur. Quod autem attinet ad columnas, † cæterasque partes ex marmore conficiendas, quas ipse existimaueris vel ad decus illustriores, vel accommodatiores ad diuturnitatem fore: cùm eas quasi summatim tecum consideraueris, fac ad nos diligenter perscribas: vt cùm ex literis tuis, quibus rebus opus fuerit, intellexerimus, vndique eædem illò comportari possint. † Nam locus ille qui totius orbis terrarum facilè primas fert, omnibus ornamentis meritò illustrandus est.

Magnificẽtia templi extrũ endi.

Dracilianus præfectus.

† Vide annot. pag. 141. lat. 1. lin. 39.

† Vide ibidem lin. 1. lat. 2.

Vt Macarius Constantinum de pulchritudine conchæ: iudices verò, quot artificibus ac qua materia opus esset, certiores faceret. CAPVT XXXI.

TEstudinem verò sanctuarij, laqueatámne facere, an alio quodã fabricæ genere extruere placeat, abs te certior fieri velim. Quod si fiat laqueata, scitè quoq; inaurari poterit. Restat igitur, vt tua sanctitas illis, quorum iudicio, vt suprà dictum est, rem permisimus, quibus operarijs, quibus artificibus, quibus denique sumptibus opus fuerit, quàm celerrimè significet: quinetiam nos non solùm de columnis, alijsque partibus ex marmore conficiendis, verùm etiam de testudinis laquearibus (si modò illud fabricæ genus pulchrius esse censeas) quàm primum facias certiores. Deus te frater charissime, diu seruet incolumem.

Formã implẽ & partiũ interiorum.

Quomodo extructa Saluatoris ecclesia, noua illa Hierusalem fortasse fuerit, quam tot retro seculis Prophetarum oracula prædixerant. CAPVT XXXII.

ISta ab Imperatore perscripta fuerunt: rerumque nulla interposita mora, prosperè successit euentus. Atq; ad illud salutare Christi monumentũ, noua Hierusalẽ ædificata est eregionè veteris illius quæ hominũ sermone iam diu celebrata fuisset: quæq; post

eruentam

Universidad de Deusto
Biblioteca

cruentam cædem Domini, ad extremam vastitatem prolapsa, pro impietate ciuium eā incolentium pœnas dederit. Imperator itaque huic ex aduerso salutare victoriæ Christi contra mortem comparatæ monumentum (quæ fortasse est recens illa & noua Hierusalem, prophetarum oraculis prædicata, de qua vaticinationes pluribus verbis explicatæ, plurima Spiritus sancti instinctu canere videntur) liberali & abundante sumptus magnificentia erigendum extruendumq; curauit.

Hierusalem noua, Christi monumentū.

Descriptio exornationis sanctissimi monumenti. CAP. XXXIII.

Antri seu monumenti ipsius ornatus.

ET primùm omnium,† sacrum antrum, diuinum illud videlicet monumentum, ad quod olim angelus fulgore enitens delapsus, spem regenerationis, quæ est à Seruatore nobis illic ostentata, omnibus annunciauit: primùm inquam omnium, Imperatoris magnificentia istud, velut totius ædificij caput, eximijs columnis illustrare, & ornatu splendido maximoque decorare, atque adeò varijs cuiusque generis insignibus illuminare cœpit.

† Vide Origat. huius annot. pag. 141. lat. 4 lin. 15.

Amplissimi sub dio regionis & porticuum descriptio. CAP. XXXIIII.

Area. Porticus.

DEinde ad amplissimum templi locū, libero cælo patentē, exornandum se contulit: cui & solum lapide eximio constratum, & porticus longis ambulationum spacijs ex tribus lateribus circundati, permultum decoris attulerunt.

Ecclesiæ augustissimi parietum opificij, elegantiæ, & inaurationis descriptio.

CAPVT XXXV.

ADuerso autem lateri antri, quod solem orientem spectabat, regale & augustum sanctuarium adiunctum fuit: opus planè eximium, ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immensa patens. Cuius ædificij partes interiores, marmoris versicoloris materia incrustatæ: exterior aūt parietum superficies politis lapidibus, qui commissuris quibusdam inter singulos interiectis colligabantur, exornata, singularem quandam pulchritudinis speciem, eamque non minus ad aspectum illustrem, quàm si marmore obducta fuisset, præbuit. Quod autem ad ipsa tecta in sublimi posita attinet, exteriores eorum partes plumbea obtexit materia: quæ tanquam firmum munimentum, tempestuosos imbres depelleret. Interiores verò celatis laquearibus affabrè inter se compactæ, & tanquam quoddam vastum pelagus, per vniuersum sanctuarium coagmentationibus quibusdam inter se continenter cohærentibus, diffusæ dilatataque, & fulgente auro passim coopertæ, totum templum velut lucis claritate mirè illuminarunt.

Templi parietes.

Templi tecta.

Geminarum vtrinque porticuum, & valuarum trium ad orientalem plagam spectantium, descriptio. CAPVT XXXVI.

Xysti.

DVabus porticibus, partim subterraneis, partim supra terram eminentibus, Vide Vitruuium. Xysti gemini ex vtroque latere adiecti, ad longitudinem sanctuarij porrigebantur: quorum testudines erant auro insigniter & vario artificio illustratæ. Ex quibus alter, à fronte inferioris templi columnis ingentibus suffulciebatur: alter introrsùm spectans, substratis postibus, magno extrinsecus ornatu decoratis, erigebatur. Tres portæ ad Orientem solem aptè & eleganter dispositæ, multitudini ingredientium patuerunt.

Portæ.

Hemisphærij columnarum duodecim, & craterum descriptio. CAP. XXXVII.

Fornix xij. columnis nixus.

ARctis ex aduerso erat fornix dimidiati vniuersi cæli circuli speciem adumbrans, in summo sanctuario in orbem ductus: quem duodecim columnæ, Seruatoris Apostolis numero pares, tanquam corona cingebant, crateribus ex argento confectis circa fastigia concinnè expolitæ: quas Imperator Deo illic pro monimento pulcherrimo dicauit.

Portarum atriensium, exedrarum & vestibulorum descriptio. CAP. XXXVIII.

Atrium. Porticus. Portæ.

INde ad introitus pro templo locatos accedentibus, area patuit. Erant inibi vtrinque, primò atrium, deinde porticus, ad extremum atriensis portæ: post quas in ipsa media platea à foro eò deducente, totius ædificij vestibula perpolitè constructa, iter illac faciētibus admirabile visu spectaculum, quod rerum intus fabricatarum pulchritudinem quodammodo monstrabat, exhibuerunt.

De

De multitudine donariorum. CAP. XXXIX.

ISTud verò templum, quo tanquam testimonio salutaris Domini resurrectio illustris & nota fiebat, extruxit Imperator: & quò totum illud magnifico & regali ornatu decoraret, insignibus, quæ oratione explicari nequeunt, & monumentis auri, argenti, & lapidum preciosorum materie distinctis, & quasi depictis, quæ erant numero ferè infinita, adornauit. Quorum apparatum tum magnitudine, tum multitudine, tum varietate, denique adeò artificiosè elaboratum, sigillatim iam oratione persequendi ocium non datur.

Anathemata quibus ornata fuit templum.

De ecclesiarum erectione Bethlehem, & in monte Oliuarum.

CAPVT XL.

Vide infra de laudib. Constantini circa medium, vbi tria antra cōmemorat.

EOdem tempore, cum alia duo loca, quibus duo abdita & quasi mystica antra multum honoris & dignitatis afferebant, reperisset, ea magnifico apparatu, sumptuque cohonestare instituit. Ac primùm illud, in quo primum Seruator noster diuini numinis virtute in carne apparuit, honoribus decenter affecit: deinde alterum, quod fuit eius in cœlos ascensionis monimentum, in summo montis vertice situm, præclaris ornamentis illustrauit. Atque ista tam splendidè decorauit loca, quo matris suæ memoriam, quæ tantum benignitatis hominum vitæ detulisset, immortalitati commendaret.

Antrū in quo Christus natus.

Antrum ascensionis Christi monumentū.

Imperatrix Helena, Constantini mater, profecta Bethlehem orandi causa, has ecclesias fabricari curauit. CAP. XLI.

Vide Sozom. lib. 2. ca. 1. Theo. lib. 1. ca. 18. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 29. Socrat. lib. 1. cap. 13.

ILla enim, cum Deo omnium gubernatori debitum piæ mentis & affectionis munus impertire in animo haberet, & pro filio suo, tanto & tam præclaro Imperatore, proq; liberis eius Cæsaribus, Deo charissimis, suis nepotibus, gratias per preces agendas esse putaret, ætate iam ingraueſcēte, singulari quodam consilio & prouida animi cogitatione, vereque regia, adducta, properè instar adolescentulæ venit, tum sacrosanctam terram oculis lustratura, tum gētes Orientem incolentes plebemq; pariter ac populi multitudinē conspectura. Ac postea quàm locis, in quibus Seruatoris erant impressa vestigia, debitam venerationem adhibuerat, idq; conuenienter prophetico sermoni dicenti (Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius) pietatis suæ monumenta, quibus post se relictis, posteris hominibus prodesset, statim fabricare aggreditur.

De origine Helenæ, vide Niceph. lib. 7. cap. 18 à quo cum Latini authores dissentiant, integram eius historiam vide apud Cuspinianū in Constantino.

Efai. 60.

Rursus de Ecclesia, quæ Bethlehem, & in monte Oliuarum constructa est.

CAPVT XLII.

Vide Socrat. lib. 1. cap. 18. Vide Michæ. 5. Gene. 35. Luc. 2. Matth. 2. Ioan. 7. & ibidē interpretes.

NAm Deo, quem adorauerat, duo dicauit templa: quorum alterum ædificauit in monte vbi ascenderat, alterum ad obscurum illud antrum natiuitatis eius. Etenim nobiscū Deus in terris nasci (locus autem illius natiuitatis proprio nomine apud Hebræos Bethlehem appellatur) pro nobis sustinuit: ac propterea imperatrix sanctissima Deiparæ partum eximijs monimentis exornare, & sacrum illud antrum varijs cuiusq; generis insignibus illustrare studuit. Imperator autem paulò post eundem locum ornamentis regalibus honorare, & monimētis ex auro & argento, varijsq; aulæis matris suæ magnificentiam adaugere cœpit. Rursus eius mater, quò omnium nostri Seruatoris in cœlos ascensionis memoriam celebraret, excelsa quædam ædificia in monte Oliuarum extruere parat: ac primùm in summo totius montis vertice sanctuarium ecclesiæ Dei erexit: templumq; inferius etiam exædificauit in eo ipso antro, in quo, vt verā & sacrata Dei testantur eloquia, discipuli & apostoli à Seruatore omnium arcanis mysterijs initiati fuerūt. Imperator quoq; ibidem, varijs monumentis & insignibus regem magnum Deum veneratus est. Ista igitur duo templa, memoria perpetua celebranda, augusta & eximia in duobus obscuris quasi antris & mysticis, Helena augusta, pij Imperatoris pia mater, suæ piæ mentis tanquam indicia, Deo seruatori fundauit, filio suo ei opem per regiam suam potentiam & authoritatem porrigente. Itaq; illa neq; adeò multo pòst, præmia digna laboribus reportauit. Nam cum iam planè grandis esset, inq; omnium bonorum affluentia omne vitæ suæ tempus ad extremam vsq; senectutem obijsset, & tum verbis tum rebus ipsis verospietatis fructus, quos præcepta Seruatoris præscribunt, extulisset, atq; ita vitam suam florentem & expertem cuiusq; molestiæ, valenti corporis simul & animæ virtute transegisset: deinceps eximium pietatis suæ exitum, & præclaram rectè factorum à Deo remunerationem, etiam in hac vita consecuta est.

Templa in monte Oliuarum, & Bethlehemi extructa.

Helena Constantini mater.

Helenæ pietas diuinitus remunerata.

X De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De excelsa animi magnitudine & beneficentia Helenæ.

CAPVT XLIII.

Helenæ munificentia politica.

PRorsùs autem dum regiarum opum magnificentia instructa, omnem Orientem peragrat, cùm vniuerso populo quasque ciuitates incolenti simul, tum priuatim singulis eorum, qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est. Infinita etiam ordinibus militaribus, quasi plena manu distribuit. Quæ verò pauperibus, omnibus rebus nudatis, omniq; ope & auxilio destitutis dispertierit, vix enumerari possunt: quippe in alios grandem pecuniarum vim conferre, alijs corporis integumenta prolixè & largiter suppeditare, vinculis eripere alios, alios tum laboribus in metallis effodiendis afflictatos, tum fraude & iniuria oppressos liberare, deniq; ab exilio alios in patriam reuocare dignata est.

Quomodo religiosè versari in ecclesijs Helena solita est.

CAPVT XLIIII.

Helenæ pietas ecclesiastica.

QVæ quidem, licet eiusmodi rebus esset insigniter nobilitata, alia tamen in Deum pietatis munera minimè neglexit. Nam vbique cernebatur in ecclesiam Dei intrare, templaq; splendidis exornare monumentis: inq; ædes sacras vel in minimis vrbibus extructas, suam benignitatem ostendere licebat: præterea eam & decoro eximioq; apparatu admirabilem, videre sæpè versari cum multitudine, & verum cultum erga Deum omnibus pijs vitæ officijs declarare.

Helena octogenaria cum esset, condito testamento moritur.

CAPVT XLV.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 30.

DEmum verò cum naturam satietate viuendi expleuisset, & ad meliorem statum euocaretur, octogesimum q; ferè ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum propè venisset: decreuit secum, statuitq; corã Imperatore filio suo, vnico principe mundi potentissimo, huiusq; liberis Cæsaribus, nepotibus suis, testamẽtum suum facere: & sigillatim nepotibus suas, quæ sibi in toto orbe terrarũ suppeterẽt, facultates dispertire. Quibus rebus ad hunc modum constitutis, suo filio tanto tamque eximio Imperatore, ipsi præstò assistente, sedulò inseruiẽte, & manus illius tenente, finẽ ita viuendi fecit, vt beatissima quidem iure optimo, non mori prudentibus videretur, sed vitam caducam & fragilem cum cœlesti & æterna reuera commutare. Animus igitur corporis compagibus solutus, ad immortalem & angelicam naturam, atq; adeò ad ipsum Seruatorem assumptus est.

Helena testamentum, & mors.

B

Quàm magnificè matri iusta fecerit Constantinus, & quanto dum illa viueret, in honore habuerit. CAP. XLVI.

Helenæ exequiæ et iusta.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 30.

EIus autem tabernaculum splendidis exequijs decoratum. Nam maxima satellitum turba ad ciuitatem, quę principem locum tenet Imperij, deportatum fuit, ibiq; regali sepulchro cõditum. Sic igitur Imperatoris mater diem suum obijt: quæ quidem est immortali planè memoria celebranda, non modò propter pia vitæ officia, sed etiam propter eximium illud & admirabile germen ab ipsa editum, Constantinum dico, quem quidem, cùm ad cæteras res omnes, tum ad pietatem in parentẽ & procreatricem suam, beatum iudicare par est: qui illam, cum iam antea pietate minimè esset imbuta, ita piam reddidit, vt à primo tempore ætatis ab ipso communis omniũ seruatoris ore instituta fuisse videretur: ita etiam honore regio exornauit, vt cùm apud omnes gentes, tum apud eos, qui aliquo gradu militari collocati essent, Augusta & imperatrix nuncuparetur, aureaq; numismata eius imprimerẽtur effigie. Iam verò thesauro regio pro arbitratu vtendi, proq; animi sententia, & vt sibi cõmodissimum fore putaret, singula liberè dispensandi, filius ei liberam fecit potestatem, quò etiã in his omnibus eam & splendore eximiã, & amplitudine admirabilem efficeret. Quare inter ea, quæ ad eius memoriam illustrandam faciant, ista etiã non sine causa repetita sunt: quæ dum propter singularem pietatis præstantiã in matre colenda exercebat, præcepta etiã diuina, quæ honorem parentibus decenter impertiendum tradunt, accuratè expleuit.

Constantini pietas in matrem.

Quomodo Constantinus ecclesijs ædificatis Constantinopoli omnem simulachrorum cultum sustulerit. CAP. XLVII.

Constantinus apud Val. essi. nos quomodo eximia pietatis munera sit conjecutus.

Huc refer Nicephor. ca. 31. lib.

ATque vt ista præclara & eximia pietatis munera, quæ diximus, Imperator apud gentem Palęstinorum est hoc modo executus; sic in omnibus Prouincijs ecclesias nouas extruxit, easq; effecit prioribus longè præstabiliores. Ciuitatem autem ipsius nomine nun-

Bizantiũ Thraciæ vrbẽ restauratã & auctã de suo nomine Constãtinopolin appellat ac dedicat anno Christi 324. Imperij sui 25. Hieron. ad Chron. Euseb.

ANe nuncupatam, eximio splendore illustrare instituens, permultis templis, hoc est præclarissimis Ecclesijs in honorem martyrum, illustrissimisq; ędibus sacris adornauit, quæ partim in suburbibus erant, partim in ipsa vrbe, quibus tum martyrum celebrauit memorias, tum ipsam vrbem martyrum Deo consecrauit. Ad summam, cùm sapientia diuina esset imbutus, ciuitatem, quam sui nominis appellatione donandam statuerat, primum omni eidolorum cultu perpurgari debere censuit, vt nusquam in illa vel statuæ eorum, qui dij putantur, in templis honoratæ, vel altaria impura cruoris contagione inquinata, vel hostiæ ignis incendio penitùs exustæ absumptæq;: vel festa dæmonum nomine celebrata, vel aliud quicquam eorum, quæ apud superstitiosos vsurpari solent, omninò apparerent.

De insigni crucis in palatio, & Danielis in fontibus.

CAP. XLVIII.

Vide supra cap. 2. hoc lib.

VIdeas etiam adhuc, licet, apud fontes in medio foro positos pastoris præclari symbola, illis, qui Sacris literis eruditi sunt, satis cognita. Danielem quoque cum leonibus in ære incisum, auriq; laminis splendescentem. Tantus item & tam diuinus amor Imperatoris animum complexus est, vt in ipso palatij introitu, in ædificio omnium excellentissimo, in medio tecti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, salutaris passionis insigne, ex lapillis preciosis cuiusque modi, auroq; multo politè elaboratis cõfectum, figendum curauerit. Istud Imperatori sanctissimo regni firmum videbatur esse propugnaculum.

Daniel in ẽre incisus.

Crucis insigne propositum in ipso palatij introitu velut amuletũ aduersorum.

Quòd Nicomediæ, & in alijs ciuitatibus ecclesias fabricauerit.

CAP. XLIX.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 31.

HIs igitur ornamentis suam ciuitatem illustrauit. Vrbem autem, quæ in Bithynia facilè primas fert, pari ratione ecclesia magnifica & insigni, monumẽti loco, sumptu ex suis thesauris suppeditato honorauit: ibiq; seruatori suo contra hostes & aduersarios Dei, præclara victoriæ erexit trophæa. Ciuitates item, quæ apud cæteras gentes videbantur vel maximè propter splendorem excellere, templis egregijs magnificisq; exornandas curauit: sicut ex præcipua vrbe totius Orientis, quæ nomen traxit ab Antiocho, constare poterit. In qua, tanquam in ciuitate illius gentis ac regionis primaria, ecclesiam tũ propter amplitudinem, tum propter pulchritudinem maximè eximiam Deo dicauit: quippe vniuersum templum longis porticibus extrinsecus adiectis circũdedit, sanctuarium autem interius ad infinitam erexit altitudinem: quod quidem ad speciem solijo. ctangularis fabricatum, multis ædiculis exedrisq; vndique constructis, compluribus itẽ tabulatis super terram eminentibus, denique fornicibus subter eandem abditis, ex omni parte circunsepta fuit. Quam etiam permagna auri ærisque copia, & reliquæ preciosæ materiæ ornamentis decorauit.

Mandatum de templis extrudendis circa annum Christi 332. publicatũ quidam arbitrantur.

Sanctuarij altitudo.

Quod apud quercum Mambre ecclesiam fieri iusserit.

CAP. L.

Vide Nicephor. lib. 8. ca. 30. 31. Sozom. li. 2. ca. 3. Gene. 18.

ISta quidem erant augustissima templa ab Imperatore hactenus consecrata. Verum vt audiuerat, ipsum Seruatorem, qui nuper in mundo versatus fuisset, etiam olim sanctis viris ex Palæstina propter quercum Mambre (sic enim appellabatur) diuinitùs apparuisse, ibi quoq; Deo viso templum exædificari mandat. Gentiũ ergo præfectis Imperatoris voluntas per literas ad singulos scriptas significata est: quæ eos admonuit, vt quod esset imperatum, illicò ad exitum perduceretur. Nobis etiam, qui hanc Historiam literis mandamus, epistolam accuratius scriptam misit. Cuius exẽplar mihi consentaneum videtur huic præsenti sermoni adnectere, quò Imperatoris sanctissimi studium & diligentia plenius intelligatur. Proinde quo liberè pro his, quæ gesta acceperat, nobiscum expostularet, ista totidem verbis perscripsit.

Mambre quercum.

VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVG. MACARIO ET CAETERIS PALAESTINAE EPISCOPIS.

Constantini de Mambre literæ ad Macarium, & quòd ibidem Seruator noster Abrahæ visus sit. CAP. LI.

ESt hoc vnum maximum meæ sanctissimæ solicitudinis erga vos beneficium, vt quorundam nefandorum hominum amentiam, quæ hactenus apud vos in obscuro latuerit, per literas vobis significem: quò licet quidem serò, necessariò tamen, erratum segnitiæ neglectum, diligentia rectè probeque corrigatur. Permagna enim profectò

impictas est,vt loca sancta nefandorum scelerum maculis contaminẽtur. At quidnam A
est,fratres chariſſimi,quod cum veſtram ſolertiam præterierit, mea etiam, quam dixi,
Imper. dolet quod Membre locus superstitione inquinatus sit. ſolicitudo propter obſeruãtiam,qua Deum veneror,poſſit ſilentio prætermittere? Lo-
cum,qui propter quercum Mambre dicitur,in quo Abrahamum domicilium habuiſſe
cognoſcimus,varijs modis à quibuſdam ſuperſtitioni deditis inquinari ferunt. Idola e-
nim,quæ nullo non vaſtationis genere deleri debent,in illo erecta eſſe, & altare propè
locatum,& impuras victimas ſine intermiſſione immolari.Quapropter cum illud & ab
Imperio noſtro alienum,& indignum loci ſanctitate videatur,veſtram grauitatem cer-
tiorem fieri velim,à nobis per literas Acatio illuſtriſſimo comiti,amico noſtro ſignifi-
catum eſſe,vt abſque cunctatione & idola,quæ in loco prædicto reperta fuerint, ignis
tradantur incendio, & altare ſedibus conuulſum euertatur. * Quinetiam neminem * Vide an-
non,qui poſt noſtrum mandatum aliquid impietatis in huiuſmodi loco audeat admit- no.pag.145
tere,ſupplicio coercendum ſtatuimus: quem ſanè locum decreuimus eximia templi lat.2.li.vlt.
ſtructura adornare,vt confeſſus dignus ſanctis viris in eo deinceps exiſtat. Quod ſi quic-
quam contra hoc mandatum committi acciderit,par eſt,vt abſq; mora noſtra clemen-
Templum ad quercũ Mambre merito exstruendum cũ ex locum multis argumentis Deo commendatus deprehendatur. tia per veſtras literas certior fiat,quò noſtro mandato, qui illud violaſſe deprehenſus
fuerit,ſummo afficiatur ſupplicio. Non enim ignoratis,illic primùm Deum, omnium
rerum rectorem tum apparuiſſe Abrahamo,tum cum eo ſermonem contuliſſe.Illic et-
iam primùm ſacroſanctæ legis cultum & obſeruationem initium habuiſſe. Illic primũ
ipſum Seruatorem cum duobus angelis ſeipſum clementer & benignè Abrahamo oſtẽ
diſſe.Illic Deum cœpiſſe ab hominibus videri. Illic prædixiſſe Abrahamo de ſemine
ſuo futuro,ac confeſtim promiſſum præſtitiſſe.Illic prædicaſſe,eum plurimarum gen-
tium patrem futurum. Quæ cum ita ſint, æquum eſt,meo quidem iudicio, veſtra cu-
ra ac diligentia prouideri,vt tum locus iſte purus & integer à labe conſeruetur, tum ad
priſtinam reuocetur ſanctimoniam,quò aliud nihil in eo præter cultum Deo omnipo-
tenti,moderatori omnium,& ſeruatori noſtro decorum conſentaneum q; peragatur.
Quod quidẽ ſtudioſè & decenter à vobis obſeruari cõuenit.Siquidẽ veſtra grauitas, ſicut
mihi pro certo perſuaſum habeo,ea quæ cum vero cultu & religione in primis cohæ-
rent,alacri ſtudio explere deſiderat.Deus vos,fratres chariſſ.incolumes ſeruet.

Eidolorum delubra cum ſtatuis vndique diruuntur. B

CAP. LII.

Gentium tem pla diruta. ISta omnia Imperator ad ſalutaris Dei virtutis gloriam illuſtrandam perficere admo
dum elaborauit,hocq́ue pacto non ſolùm ſeruatorem ſuum magno affecit honore, *Huc refert Nicephor. cã.33. lib. Sozom. lib. 2.ca.4.hoc edictũ plurimũ pertinere, publicarũ anno Christi 325. Constantini 326.*
verùm etiam ſuperſtitioſum gentium errorem omnibus modis coarguit. Itaque quo-
rundam delubrorum veſtibula eius mandato in quaque ciuitate nudata, portæq́ue di-
rutæ. Aliorum tectum cum laquearibus,tegulis ablatis,deturbatum. Aliorum inſignia
monumenta ex ære fabricata(in quibus veterum error lõgo iam temporis ſpacio ſe in-
ſolenter iactaſſet)in foro ciuitatis Imperatoris nomine nuncupatę omnibus palàm pro
poſita, vt intuentium oculis pro turpi ſpectaculo ſubijcerẽtur.Hic Pythius, illic Smin-
thius, in ipſo circo tripodes Delphici,Heliconides Muſæ in Palatio.Quinetiam eadem
ipſa ciuitas Imperatoris nomine,vti modò dixi, appellata, tota ſimulachris,quæ erant
apud quaſque gentes dijs conſecrata,& ex ære artificioſè elaborata, paſſim referta fuit.
Deiecta & cõminuta idola. Atque his ipſis ſimulachris deorum nomine erectis, quibus homines erroris morbo
oppreſſi, infinitas hecatombas, victimasq́ue igne crematas fruſtra obtuliſſent, ſeroq́;
tandem ſapere didiciſſent, tanquam ludicris rebus ad riſum iocumq́ue ſpectatorum
Imperator vſus eſt.In ſtatuis verò aureis aliam quandam viam & rationem ſecutus eſt.
Nam vt primùm intellexit multitudinem,inſtar ſtultorum infantium,illas erroris tan
quam laruas ex aurea argenteaq́ue materia effictas, temerè extimeſcentem,eas è medio
penitùs tollendas, velut lapides ante pedes incedentium in tenebris ad impingendum
proiectos, putauit,viamq́ue regiam,quæ plana & æquabilis eſt, omnibus in poſterum
patefaciendam. † Iſta igitur animo complexus, non armata manu, aut ingenti exerci- † Vide an-
tu ad has res corrigendas ſibi opus eſſe: ſed vnum & alterum ex illis, quos ſpectatos nor.pag.
habebat, ad hoc munus ſubeundum ſatis habere virium arbitratus eſt, quos vna ea- 144.lat.1.
Aurea & argentea idola. demque authoritate donatos ad ſingulas gentes miſit. Illi autem tum ſingulari Impe- lin.13.
ratoris ſanctimonia,tum ſua ipſorum in Deum pietate freti, per mediam plebem, per-
q́ue medium populum multitudine infinitum proficiſcentes,in ſingulis vrbibus regio-
nibusque errorem longinquo tempore inueteratum omninò profligarunt, ac pri-
mùm ipſos idolorum ſacerdotes magna cum irriſione & turpitudine ſuos ipſorum
deos ex tenebricoſis receſſibus in lucem proferre mandarunt,deinde exteriore illorum
effigie

A effigie detecta,etiam interioris formæ colore obductæ deformitatem ante oculos om-
nium ſtatuerunt:tum illis abraſis, materiæ partem, quæ videbatur habere aliquid boni-
tatis,fornace & igni probarunt,eamq́; reſeruarunt in tuto collocatam:quæ verò vilis e-
rat,& ad nullam rem vtilis,ſuperſtitioſis ad memoriam ſuæ turpitudinis largiti ſunt.
Porrò autem hoc,quod ſequitur,non multum huic diſſimile,ab iſto Imperatore admi- *Statuæ.*
rabili geſtum fuit.Poſtquam verò ſimulachra mortua ex precioſa materia conflata, ad
hunc modum,quem dixi,expoliauerat:reliquas ad perpetuandam hominum memori-
am erectas,quæ ex ære fabricatæ erant,aggreſſus eſt,deosq́;,quos veteres fabulæ celebrãt,
funibus ex pilis contextis conſtrictos abſtrahendos curauit.

Dæmonis ſani apud Aphacos,gentem ſcilicet Phœniciæ,euerſio, & turpitudinis ibidem abolitio. CAP. LIII.

Vide Nice. ibidem. PRæterea regio ſuo obtutu,tanquam clara face accẽſa,ſedulò luſtrauit, ne vllæ
erroris reliquiæ vſpiam delitеſcerent. Quemadmodum enim aquila in ſupe-
riora aëris loca ſubuolans,res in terra longiſſimo interuallo ab ſe diſtantes acu
tiſſimè cernit:ſic iſte dum in regali palatio,quod in præclara illa vrbe ab ipſo ę-
dificata ſitum eſt,verſabatur,ex eo velut è ſpecula periculoſum quoddam rete,quo ani-
mæ hominum illaqueabantur,in gente phœnicum latitare diſpexit, nemus videlicet, *Veneris delubrum in Libano ſitum deſtruitur.*
& delubrum turpi & flagitioſo Veneris dæmoni dedicatum,non in media aliqua ciui-
tate,non in foro,non in plateis(vt multa, quæ in vrbibus ornatus gratia magno ſplen-
dore decorantur) ſed extra ſemitam, extra triuia,extra viam publicam,in ſummo ver-
tice montis Libani inter arbuſta collocatum.Erat tanquam ſchola quædam nequitiæ *Schola impudicitiæ. Delubrum veneris.*
ijs,qui erant libidini dediti,quiq́; nimia licentia corpus labefactauerant ſuum,corrupe-
rantq́;.Nam quidam molles & effœminati viri,non viri reuera, pudore prorſus exuto,
* Vide an. no.pa.144. la.1.lin.28. inſtar mulierum turpiſſima contagione ſe ipſi inficientes,dæmonem placabant. Scele-
rati prætereà & nefarij mulierum congreſſus,* clandeſtinæ falſorum connubiorũ cor-
ruptelæ, infanda & turpia facinora in eo delubro,vtpote in loco impuro & fœdo, ad-
miſſa erant.Nec quiſquam fuit,qui in hæc ſcelera animaduerteret, propterea quòd ex
viris grauibus & honeſtis nemo illuc audebat accedere. Verùm Imperatorem eximiũ
B turpia facinora illic edita latêre nõ poterant. Quibus quidẽ regia ſua prouidentia inda-
gatis erutisq́;,indignum cenſuit,vt ſolis ſplendor ciuſmodi delubrum intueretur. Pro-
inde vniuerſum illud cũ ipſis ſtatuis & monumentis funditùs deleri iuſſit. Extemplò i-
gitur Imperatoris mandato machinamenta,quibus petulans & laſciuus error propug-
nabatur,penitùs euerſa ſunt:quippe militum manus loco purgando operam nauauit.
Qui aũt ad hoc vſq; tempus luxuria diffluxiſſent,Imperatoris minis perterriti, continẽ-
tiam deinceps modeſtiãq; colere didicerunt.Nõ diſſimili ratione etiã ſuperſtitioſi gen-
tiles,qui erant opinione ſapientes,reipſa ſuam ipſorum inanitatem animaduertere cœ-
perunt.

Æſculapij apud Ægas demolitio. CAPVT LIIII.

Vide Nice. lib.1.c.30. † Vide an. not.pag. 144.lat.1. lin.38. VBi namq; error † eorum, qui inter Cilices ſapientes videbantur,in dæmone ibi *Vide Sozom. fol.23.a.*
colendo longius ſerpſit,infinitis ſuper eo tanquam cõſeruatore & medico pro-
pterea in admirationem traductis,quòd interdum dormientibus apparuit,nõ-
nunquam ægrotantium corpora morbis releuauit(erat hic ſine dubio animorum cor-
ruptor,quippe qui homines incallidos à vero ſeruatore abſtraxiſſet,& res veriſimiles ef-
ficiendo ad impiam peruerſitatem rapuiſſet)Imperator,qui Deum zelotem,verè ſerua-
torem ſibi ad defenſionem ſemper proponebat, iſtud delubrum deijci ſoloq́; æquari *Æſculapij delubrum ſolo æquatum.*
mandauit. Ac res illa admiranda nobilium philoſophorum celebrata ſermonibus,que
latebris abdita,non dæmonis,neq; Dei,ſed erroris cuiuſdam ſpeciẽ,plurimis & diutur-
nis temporum curriculis,hominum animos in fraudem illicientis,perſpicuè repreſen-
tauit,ſolo nutu & ſignificatione,manu militari diſturbata, humiq́ue proſtrata iacuit.
Qui enim Deus alios malis eripere,calamitate leuare ſimulauerat, non magis iam re-
medium ad ſui propugnationem reperire potuit,quàm cum,vti in fabulis eſt, fulmine
percuſſus interijt.Verùm præclara officia,quæ in hac re Imperator noſter ad Dei gloriã
obijt,non inter fabulas numerãda ſunt,ſiquidem illuſtri & teſtata ipſius Seruatoris vir-
tute,delubrum illud radicitùs ſic euerſum fuit,vt inſaniæ amentiæq́ue, quæ illic anteà
oberrauerat,ne veſtigium quidem iam relictum eſſet.

Quomodo gentiles damnatis ſimulachris ad cognitionem Dei conuerſi ſunt. CAPVT LV.

Vide Nice. lib.8.ca.33. EX omnibus igitur,qui ante illud tempus ſe ſuperſtitione obligaſſent, cum errorem
ſuum patefactum & perſpicuè refutatum oculis cernerent, cumq́; delubrorum &

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtatuarum vbique vaſtitatem reipſa intuerentur: alij ad ſalutare Dei verbum ſe totos cõ A
ferre, alij licet non illud ipſum agerent, patriam tamen & auitam inſcitiam improbare,
& quos olim deos exiſtimauerant, riſu & ludibrio inſectari cœperunt. Ac quidem, quęſo, ita in animum inducerent, cum immenſam illam nequitiam interius latẽtem, exte-
riore quadam ſtatuarum ſpecie obductam ſatis manifeſtò perſpicerent? Aut enim ex-
tinctorum cadauerum oſſa, exiccataq; caluæ verſutis prætigiatorum dolis callidè ob-
tectę, aut ſordidæ laceratæq; veſtes horrida & impura fœditate farcitę, aut congeries ex
fœno & ſtipula collecta ſuberant. Quæ cum in ſimulachra inanima congeſta conſpica-
rentur, vehementer & ſuam, & patrum ſuorum amentiam incuſarunt, præſertim cum
planè intellexiſſent, neminem in illis abditis receſſibus, aut in ipſis ſtatuis, vel dæmonẽ,
vel ariolum, vel Deum, vel vatem, ſicuti ſibi antea perſuaſerant, tanquam habitatorẽ
reſidere: imò verò ne obſcurum quidem & vmbratile ſpectrum ſupereſſe. Quapropter
illis, qui erant ab Imperatore ad id negocij delegati, ad omne obſcurum antrum om-
nemq; latentem & apertum receſſum facilis patebat aditus. Quinetiam adita, ad quę ac-
cedere fas non erat, & intima ſacraria pedibus militum proterebantur, adeò vt mentis
cæcitas, quæ longinquo temporis ſpacio vniuerſos gentiles occupauiſſet, horum opere
& labore perſpicuè deprehenſa, in omnium oculis defigeretur.

Cognita idolorum vanitate & impoſtura multi Chriſtianiſmũ amplexi ſunt.

Adyta Deorũ Eth. à militib. protrita.

Quomodo Conſtantinus Heliopoli, ſtatua Veneris ſolo æquata, primus omnium Eccleſiam conſtruxerit. CAPVT LVI.

Delubrũ Veneris libidinis ergaſtulũ Heliopoli ſublatũ.

ATque* vt iſta Imperatoris præclarè rectęque factis accepta referri debent, ſic Vide Nicephor. lib. 8. ca. 30.
ea quoque, quæ particulatim apud ſingulas gentes ab ipſo erant adminiſtrata, * Vide anno. pag. 145. lat. 2. lin. 26.
vt illud, quod Heliopoli Phœniciæ factum eſt. In qua vrbe nonnulli ob-
ſcœnam & libidinoſam voluptatem pro dea venerantes, ſimulatione religionis vxo-
ribus & filiabus ſtupri admittendi facultatem, nulla habita pudoris ratione, conceſſe-
runt. Cæterùm iam lex noua, plena modeſtiæ & caſtimoniæ ab Imperatore promulga-
ta eſt, quæ iubet, ne quis eorum vllum flagitium ibi more poſitum vſurpatumque dein-
ceps audeat committere. His rurſus documenta ſcriptis mandata propoſuit, quaſi fuiſ-
ſet ob hanc cauſam potiſſimum à Deo miſſus, vt omnes homines temperantiæ legibus
inſtitueret. Quamobrem non eſt dedignatus cum his per literas ſuas familiariter collo-
qui, eosq; cohortari, vt ſe ad Dei Opt. Max. cognitionem maturè tranferrent. Atque in B
eo loco etiam eius dictis facta verè & appoſitè reſponderunt, quippè apud iſtos etiam
templi ampliſſimi fundamenta iecit, ita vt quod ab omni ſeculorum memoria non ſit
auditione acceptum, hoc iam ipſa re perfectum eſſet: nimirum vt ciuitas eorum, qui ſu-
perſtitione fuiſſent occæcati, Dei efficeretur eccleſia, preſbyteris diaconisque comple-
retur, & epiſcopus Deo omnium rectori conſecratus, illis præſideret. Prætereà Imperator
animo ſedulo proſpiciens, vti quàm plurimi ad Dei verbum ſe conferrent, ea quæ ad
ſubleuandos pauperes pertinebant, copioſe ſuppeditauit. Atq; hac ratione ad ſalutarẽ
Chriſti diſciplinam eos ſe properè recipere impulit, verbis ferè cum Paulo dicente con-
ſentiens, Siue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur.

Eccleſiæ caſtitatis ac miniſtri introducti.

Philip. 1.

De tumultu propter Euſtatium Antiochiæ ſuſcitato. CAPVT LVII.

Diabolus hominũ ſucceſſibus inuidens, diſcordiam ſerit.

VErùm intereà temporis, cum omnes vitam iucundam degerent, & eccleſia Vide Nicephor. lib. 8. c. 41. Socrat. lib. 1. cap. 15. Theodoret. lib. 1. cap. 21. Sozom. li. 2. ca. 16. 17.
Dei paſſim apud omnes gentes omni ratione eſſet tanquam in ſublime ſublata,
rurſus inuidus dæmon, qui rebus ſolet honeſtis inſidiari, ob tantam bonorum
proſperitatem ad bilem commotus eſt: ac quoniam ſuſpicabatur, ipſum Imperatorem
noſtro tumultu, & perturbata omnium rerum confuſione exulceratum abalienato
animo in nos futurum, idcirco diſſenſionis face accenſa, Eccleſiam Antiochenorum
ſic tragicis dilacerauit calamitatib. vt parum abeſſet, quin vniuerſa ciuitas funditùs fu-
iſſet exciſa. † In duas enim factiones populus Eccleſiæ diuiſus eſt, quippe plebs, magiſtra-
tus & milites præſidiarij, more hoſtium, vſq; eò concitati fuerunt, vt ſi non quædã Dei
prouidentia metusq; ab Imperatore ipſorum animis incuſſus, multitudinis impetus cõ
preſſiſſet, & iterum eiuſdem lenitas, inſtar conſeruatoris & medici animorũ, orationis
ſuauitate illis, contentionis morbo diuexatis medicinam attuliſſet, gladios ipſi in ſe mu
tuò diſtrinxiſſent. Quapropter ex illis viris, qui & propter virtutem ſatis ſpectati erant,
& propter præſtantiam honore comitum affecti, vnum fideliſſimum legatum miſit,
quò leniùs & benignius cum populo ageret. Literisq; eos hortatus eſt, vt in eas res, quæ
ad pacem inter ipſos mutuò facerent, attenta cogitatione incumberent, quinetiam quo
pacto pietatis officia decenter exequerentur, perdocuit. Perſuaſit etiam illis, imò per li-
teras

Antiochenorũ eccleſiæ dilaceratio.

Conſtantinus miſſo legato pacem ſarcire conatur apud Antiochenos.

Ateras ad eos ſcriptas deprecatus eſt, vti ipſe ſeditionis cauſam audire poſſit. Quas quidem literas (quæ & ſingularis doctrinæ plurimum, & vtilitatis non minus continent) ſi non calumniæ notam his qui erant in crimen vocati, inuſſiſſe videri potuiſſem, in præſentem hiſtoriã contuliſſem. Quocirca iſtas miſſas faciam, quippe cũ malorum memoriã minimè refricandã putem, easq; ſolùm in hunc ſermonẽ includam quas quidẽ Imperator, vtpote ex hominum concordia permultum animo capiens voluptatis, perſcripſit: in quib. Antiochenos cohortabatur, vt epiſcopum alterius eccleſiæ, ſub quo pacẽ facerent, appetere neutiquã in animam inducerent: ſed eccleſiæ inſtituto & more, eũ ſibi deligerent paſtorẽ, quem communis omnium ſeruator illis cõmonſtraret. Ad populum igitur Antiochiæ & epiſcopos ſeparatim quę ſequuntur, epiſtolas ſcripſit.

Intelligit hãc epiſtolam & alteram quæ ſequitur epiſtolam eam quã ſcripſit ad Euſebium.

VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVG. POPVLO ANTIOCHENO S.

Conſtantini ad populum Antiochenum literæ, ne Euſebium Cæſaria abſtraherent, ſed alium quærerent.

CAPVT LVIII.

Vide Nicephor. ibid.

VEſtra concordia alijs omnibus qui conſilio & ſapientia multum pollent, pergrata futura eſſet, tum mihi in primis, qui partim lege diuina, & veſtra pia vitæ ratione, partim veſtris erga me ſtudijs prouocatus, vos fratres ſempiterna beneuolentia complexus ſum. Et cùm hoc ſit reuera verum à rebus honeſtis fructum percipere, nimirum vt in omnibus, quæ quiſque molitur, ecta & integra animi cogitatione vtatur, quid quæſo eſt, quod tantopere vobis poſſit conuenire? Nec cuiquam mirum videatur ſi veritatem vobis dixero quæ amiciam potius erga me, quàm odium in veſtris animis párere debet. Atque inter vos fratres, quos vna eademque animorum affectio ſynceraque mens, recto itinere quaſi digito demonſtrato, ad Deum deducit, & in puram ſanctamq; eius eccleſiam, velut ciues † Videantur. not. pag. 145. lat. 1. lin. 27. aſcribit, quid † præſtabilius eſſe poterit, quàm vt cũ oẽs res vobis proſperè, & ad voluntatem fluant, concordiam & animorum tranquillitatem egregiè amplexamini: idque maximè cùm & diuinæ legis diſciplina veſtram voluntatem ad vitam rectè honeſteq; B moderandam impellat, & nos tam vehementer expetamus veſtrum † iudicium ſic ratione confirmare, vt de omnibus rebus verè ſyncereque decernatis? At fortaſſe vobis nõ † Vide ibi. dem lin. 29. nihil videtur afferre admirationis, quod tandem hoc orationis meæ initium voluerit. † Vide ibi dem lin. 32. & 34. Idcirco cauſam illius dicendo explicare nec recuſo, nec inficior. Fateor equidem me literas quaſdam perlegiſſe, in quibus ex illuſtri laudum † ac teſtimoniorum præconio, quo tantopere extuliſtis Euſebium epiſcopum Cæſariæ (quem etiam ipſe eruditionis & modeſtiæ cauſa plurimi faciendum iam diu exiſtimaui) planè animaduertebam, vos magno ſtudio erga illum incendi, & velle libenter eum veſtræ vrbis epiſcopum conſtituere. Quantum putatis me animo agitaſſe, quam curam, vt veſtro ſtudio ſatisfactum eſſet, ſuſcepiſſe, dum ad optimum virum conquirendum, qui veſtrum epiſcopatum capeſſeret, accurata cogitatione incumberem? Te ô fides † aliena (quæ quidem ex verbo & doctrina Seruatoris tanquam exemplar ſanctè ſyncereque viuendi nobis proponis, quæque etiam perægrè vitioſis hominibus ipſa reſiſteres, ſi non tua virtus talis eſſet, vt nullo modo poteſtatem cuiquam facias, ea ad quæſtum perditè abducendi) te, inquam, in hac cauſa teſtem cito. Mihi ſanè is potiſſimùm in hac controuerſia victoriam conſequi videbitur, qui pacis & concordiæ ſtudio flagrat maximè, quippe cùm nemi- Vide anno. pag. 145. lat. 1. lin. 39.
nem reperias, qui non ex pace, vbi eam nihil indecori afferre putet, magnam animo capiat oblectationem. Proinde iſtud à vobis quæſo, fratres, vt quoniam pro cupiditate rerum à nobis expetitarum explenda, alijs etiam è fratribus ignominiæ & contumeliæ nota inuſta eſt, idcirco deinceps illa conſectemur, quæ fidem noſtram omni ſuſpicione & infamia penitùs liberent. Ego verò quanquam hominem qui à vobis & tantis honoris ornamentis decorandus, & tanto amore ac beneuolentia complectendus iudicatur, laudo plurimùm: tamen Eccleſiæ canon, qui ſingulis ratus & ſtabilis debet manere, non ob eam cauſam infringendus aut debilitandus eſt, vt ſingulorum ſententijs ſeparatim ſatisfactum ſit, & vniuerſi, quod expetant, aſſequantur: ſed in ancipiti & controuerſa diſceptatione, in qua viri huius virtutes cum aliorum comparantur, non vnum, ſed plures liberè quid ſentiãt, eloqui oportet: propterea quòd cùm honores Eccleſiaſtici in eo loco & ſtatu ſint, vt in illis mandãdis nihil inſit vel perturbationis vel diſcordiæ, omniũ ſuffragia ſimiliter ſunt, & ex ęquo omnino experẽda.

De Euſebiõ iudiciũ eccleſiæ Antiochenæ & imperatoris.

Suos epiſcopos eccleſijs præficiendos putat Conſtantinus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Neque profectò rationi consentaneum est, vt propositum vestrũ, susceptumq; de Euse- A
bio deligendo consilium, præiudicium cõtra alterum fiat, quippe cũ nulli, siue abiectio-
res illi sunt, siue illustriores, qui syncerè & ex animo similiter diuina præcepta ac disci-
plinam approbant obseruantq;, vlla in re per communem eiusdem disciplinæ legem,
alijs inferiores putari debeant. Porrò autem, si id quod planè verum est, ingenuè fateri
volumus, concedendum est necessariò, quòd Eusebium non ipsius voluntate vobis ac-
quirere, sed vi potius à Cæsaria abducere conamini: quod profectò violentiæ potius est,
quàm electionis legitimæ. Atque siue isto modo, siue secus multitudo sentit, ipse libe-
rè & audacter affirmare audeo, hanc rem non leuem & exiguum tumultum illum qui-
dem excitaturam, sed eam contentionis subministraturam materiam, quæ efficiet, vt
vnus vestrũm alteri crimina obiectare magnopere laborauerit. Nam perinde facitis at-
que oues, quæ, cùm ob consuetam pastoris curationem, per negligentiam ad deteriorẽ
partẽ prolapsam, priore educatione destitutæ sunt, fruges vastare, & ita perspicuè quid
dentium suorum natura & vis valeat, ostendere solent. Quæ num ita se habeant, & nos
neutiquam opinione fallamur, vestrũ est, fratres (multa enim & magna ipsa prima de-
liberatione animis vestris se offerent) vobiscũ diligenter considerare. Ac primùm om-
nium ecquid de ingenio & mutuo inter vos amore detractum videatur. Deinde quòd
qui consentientibus hominum prudenter de ipso deligendo deliberantium suffragijs
ad episcopatus dignitatem ascendat, diuino iudicio veros ex ea fructus percepturus est,
atque adeò non vulgare beneficium propterea consecuturus, quòd vestro omnium cõ-
sensu illustre probitatis testimonium sibi tributum habeat. Postremò, vt vos, sicut ve-
stræ consuetudinis est, æqua & incorrupta mente in homine conquirendo, qui vobis
opus fuerit, diligentem operam nauetis, omni seditioso & turbulento tumultu com-
presso. Nam tumultus semper iniquus esse, & ex odiosa variorum hominum inter se
comparatione, non scintillæ exiguæ, sed magna inuidiæ incendia excitari solent. Verũ
vt tandem finem dicendi faciam, ita Deo placeam, & ita vestrũm causa, vti optatis, vita
mihi suppetat, sicut & vos amo, & tranquillum pacis quasi portum, in quo animi vestri
conquiescant, vobis exopto: ex quo portu sordibus seditionis præteritæ eiectis, pacato
mentis statu concordiam in earum locum inducite: vexillum quoque firmæ dilectio-
nis, in nauigio animorum vestrorum erigite, & cursum cælestem ad lucem æternitatis, B
gubernaculis, vt ita dicam, ferreis robustisque rectum tenete. Atque ea ratione illud in-
tegrum & incorruptum deinceps fore putatote, quod discordia erat antea labefactatũ.
Nam sordes seditionis, quæ nauem antè propè corruperant, vniuersæ ex animis vestris,
tanquam ex sentina, iam sperò, exhaustæ sunt. Quocirca iam consilio prouidete, vt is
rerum omnium status sit, † vti nihil in posterum, quod ex vsu Ecclesiæ non sit, inconsul
ta & vana contentione, vel suscipiatur, vel ratũ fiat. Deus vos, charissimi fratres, seruet
incolumes. Imperatoris epistola ad nos de episcopatu Antiocheno à nobis repudiato.

Non vi sed benevolentia episcopi suis ecclesijs aliò traducendi ad negotia sunt.

Tumultus semper iniquus et odiosa semper hominum diuersorum cõparatio.

† Videan not. pag. 145. lat. 2. lin. 37.

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. EVSEBIO S.

Constantini ad Eusebium literæ, quem laudat quòd Antiochiam recusauerat.

CAPVT LIX.

Vide Nicephor. ibid.

EPistolam † tuam legi diligentissimè, ex qua ecclesiæ canonem exquisitè abs
te seruatum intellexi. In his namq; persistere, quę deo grata, quæq; traditioni
Apostolicæ consentanea videntur, permagnæ pietatis est. Ac sic putato, te in
hoc ipso planè beatum, quòd totius (propè dixerim) orbis terrarum testimo
nio dignus iudicatus sis, qui vniuersæ ecclesiæ episcopatu perfungaris: &
huic tuæ felicitati reuera quasi accessionem adiunctam, quòd omnes ea tui cupiditate
ducantur, vt te velint esse apud se. Porrò abs te prudenter sanè factum est, quòd & Do-
mini mandatum Apostolicumq; Ecclesiæ canonẽ seruare decreuisti, episcopatũ eccle-
siæ Antiochenæ prorsus repudiando, & in eo episcopatu fungendo permanere labora-
sti, quẽ ab initio Dei voluntate suscepisses. Hac de re literas dedi cùm ad populum, tum
ad alios ecclesiæ ministros: qui quidem de eadem etiam ipsi scripserant ad me, suamq;
sententiam declarauerant. Quas quidem literas cùm tua sanctitas perlegerit, facilè intel
liget, me, cùm iusticia ipsa illis contradicere videretur, diuina quadam impulsione
ad eos rescripsisse. Quorum concilio tuam interesse prudentiam
opus est, vt hoc quicquid sit negocij, in Antiochena ec-
clesia, recta ratione transigatur. Deus te, frater
charissime, conseruet.

Vide Nicephor. ibid. † Videan. not. pag. 145. lat. 2. lin. 41.

Eusebius ab Imp. laudatur quòd Cæsariensi episcopatu contentus Antiochenũ nõ susceperit.

VICTOR

A VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVG. THEODOTO, THEODORO, *Narcisso, Aetio, Alpheo, & cæteris episcopis, qui sunt Antiochiæ,* S.

Constantinus scribit ad Synodum, ne Eusebium Cæsaria auellant. CAP. LX.

Vide Nicephor. ibid.

LIteras à vestra prudentia ad me scriptas perlegi, & prudens Eusebij collegæ ve-
stri institutum ac sententiam in eisdem à vobis declaratam admodum appro-
baui, quæq; gerebantur omnia, partim ex vestris, partim ex Acacij & Strategij
clarissimorum comitum epistolis cognoui. Ac cũ rationem accuratè mecũ iniuissem,
ad populum Antiochenum, quid Deo acceptum, quidq; ecclesiæ cõsentaneum foret,
epistola scripsi: cuius exẽplar his literis subiungendum præcepi, vti vos intelligatis, quid
tandẽ ipse iuris æquitatisq; causa adductus, ad populum Antiochenum scripserim. Ac
quũ literę vestræ hoc cõplectebãtur, vt cũ populi tum vestro prudẽti cõsilio & instituto,
Eusebius, sanctissimus Cæsarienſis ecclesiæ episcopus, Antiochenæ præsideret ecclesiæ,
eiusq; curã susciperet, oportebat & † Eusebij literas, qui decretum ecclesiæ maximè ob-
seruare videbatur, & meã simul sententiam vestræ prudentiæ ostendere. Et quoniam
Euphronius presbyter ex vrbe Cæsaria Cappadociæ ortus, & Georgius Arethusiorum
itidẽ presbyter (quẽ Alexander ad presbyterij ordinẽ Alexandriæ euexerat) viri propter
fidei integritatem planè spectatissimi, ad me fortè fortuna venerunt: idcircò rectum vi-
debatur, vt non solùm hos, qui sunt ad episcopatum petendum designati, sed alios et-
iam, quos vos ipsi ad episcopatus honorem capessendum dignos iudicaueritis, vestræ
prudentiæ significare, vti decernatis ea quæ cum Apostolorum traditione penitùs con
sentiant. Quibus hominibus vobis iam opportunè & commodè suppeditatis, vestra
prudentia ex ecclesiæ canone & traditione Apostolica ita vestram poterit electionem
moderari, vti Ecclesiasticæ disciplinæ ratio præscribit. Deus vos, fratres chari, diu seruet
incolumes. Ista cùm Imperator ecclesiarum præsidibus præcepisset, hortatus est, vt om-
nia ad laudem diuini verbi illustrandam exequerentur.

† Vide an not. pag. 145. lat. 1. lin. 25.

Ex emplare pistol. ad Antioch enos scripta r ansmittit Imp.

Euphronius presbyter.

Georgius Arethusiorũ prsbyter.

In electione episcoporum quæ norma se quenda.

Quomodo studuerit hæreses extirpare. CAPVT LXI.

B POstquam ecclesiam Dei, sublatis è medio discordijs, in tranquillo statu colloca-
uerat, inde digressus, aliud impiorum hominum genus, tanquam latens vene-
num, humanæ vitæ paratum, comprimendum censuit. Isti corruptores quidam
erant, qui honestatis specie & simulatione ciuitates labefactabant. Eos verò pseudopro-
phetas, & lupos rapaces Seruatoris vox diuinitùs vaticinando nuncupauit ad hunc mo-
dum: Attendite à pseudoprophetis, qui venient ad vos in vestimentis ouium, intus au-
tem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Edictum igitur Imperatoris,
quod ad prouinciarum præfectos missum fuit, vniuersum illud hominum genus gra-
uiter insectatum est. Et præter ipsum edictum, Imperator etiam salutarem admonitio-
nem illis ipsis proposuit, hortatus admodum, vt maturè resipiscerent. Nam asseruit il-
los ecclesiam Dei salutis portum habere, quò se reciperent. Attende ergo quo pacto
per literas cum illis sermonem contulerit.

Hæreticos hortatur vt in viã redeant.

Matth. 7.

Ecclesia Dei portus salutis.

VICTOR CONSTANTINVS MAX. AVG. HAERETICIS.

Constantini contra hæreticos edictum. CAPVT LXII.

COgnoscite iam per legem hanc, quæ à me sancita est, ô Nouatiani, Valen-
tiniani, Marcionistæ, Pauliani, quiq́ue Cataphrygum nomen vsurpatis, &
omnes omnino, qui per conspirationes à vobis cõflatas, hæreses & sectas
etiã atq; etiam augere conamini: cognoscite inquam, quib. mẽdacijs vestrę
doctrinæ inanitas implicata teneatur, & quatenus pestiferis quibusdã ve-
nenis vestra vsq; eò inficiatur disciplina, vt per eã integri ac valentes ad morbum, viui
autẽ ad sempiternum interitũ abstrahãtur. O veritatis inimici, hostes vitæ, internecio-
nis authores & cõsiliarij, omnia apud vos veritati cõtraria, turpib. consentientia male-
ficijs, ineptijs & cõmenticijs fabulis exultantia. Quibus certè mendacia struitis, premitis
insontes, fidelib. veritatis lucẽ denegatis. Nam falsa visione & specie pietatis semper de-
linquentes, omnia contagione vestra cõtaminatis, conscientias integras & labe vacuas
lethalibus plagis vulneratis: ipsum diem, penè dixerim, hominum oculis adimitis.
At quid attinet singula persequi, cùm de vestris flagitijs, sicut eorum natura postulat,
dicere neque temporis angustia, neque occupationes, quibus districti sumus, sinunt?

Compellat nominatim hæreticos et perstringit.

Hæretici maximorum malorum authores.

Nam

Universidad de Deusto Biblioteca

Hæreticorum scelera.

Nam scelera vestra adeò grandia, adeò immensa sunt, adeò etiã turpia & omni crudelitate redundãtia, vt dies integer ad ea explicanda non sufficeret. Imò verò ab huiusmodi reb. aures abducere oculosq; auertere cõuenit, ne singulorũ explanatione, syncera & incorrupta fidei nostræ professio cõmaculetur. Quid ergo? patiemurne eiusmodi malorum contagionẽ longius serpere, præsertim cũ longa dilatio faciat, vt sani ac valentes ea tanquã pestifero morbo inficiantur? Cur igitur non cum maxima celeritate eiusmodi prauitatis, vt ita dicam, radices animaduersione & pœna publica amputamus?

De tollendis locis illis, vbi conuentus hæreticorum celebrari consueuerant.

CAPVT LXIII.

Hæreticorum conuentus inhibendi. Aedes dirnẽdæ in quibus conueniunt.

ATque quò ista vestræ pestis pernicies longius grassari impediatur, per hanc legẽ mandamus, ne quis vestrũm posthac conuentus cogere audeat. Et propterea etiam iubemus, vt vniuersæ ædes vestræ, in quib. congressus illos celebrare cõsueuistis, penitùs euertantur, & hæc cautio eò vim suã porrigat, vt nõ modò non in publicis, sed ne in priuatis quidẽ ædificijs, aut in locis vllis separatis, huius vestræ superstitiosæ amentiæ factiones coeant. At verò, quod multo præstabilius est, si qui vestrũ veræ & synceræ religionis curã habeant, ad catholicã Ecclesiã reuertãtur, & eius sanctitatis sint participes, per quã poterunt ad veritatẽ peruenire: fraudulenta vestræ peruersæ mentis astutia, hoc est, scelerata & perdita hæreticorũ & schismaticorũ seditio, omnino ab hac prospera temporum nostrorũ conditione seiungatur. Nostræ enim prosperæ ac beatæ vitæ rationi, qua Dei beneficio fruimur, est admodũ consentaneũ, vt qui ætatem bona spe sustentatã degant, ab omni vago & cæco errore ad rectam viã, à tenebris ad lucem,

Ecclesiæ aut Reipub. assignandæ.

ab inscitia ad veritatem, à morte deniq; ad salutem traducantur. Ac quo prouisio hæc in curandis errorib. robur & firmitatem sibi necessariam assequatur, mandauimus, vt suprà dictum est, vt omnia superstitionis vestræ loca, in quibus conuenire soleatis, omnia dico hæreticorum templa (si modò templa appellare cõuenit) sine recusatione aut controuersia diruantur, & diruta absque mora catholicæ tradantur ecclesiæ, reliqua loca publico Reip. vsui addicantur, ne vlla in posterum vobis conuentus celebrandi relinquatur facultas. Sit igitur hoc ratum statutumq;, vt post hunc diem in nullo loco vel publico vel priuato, nefarij vestri conuentus in vnum coire audeant.

Quomodo complures hæretici, postq; nepharios apud ipsos libros inuentos, ad Ecclesiam catholicam redierint.

CAPVT LXIIII.

Hæreticorum libri perscrutandi.

AD hunc modum occultæ quasi latebræ & recessus eorũ, qui alienã ab Ecclesia catholica doctrinã & opinionem tenebant, Imperatorio edicto euoluti patuerunt: bestiæ etiam immanes, quæ huius erant impietatis authores, exactæ. Ex illis verò qui essent istorũ impulsu in fraudem & errorẽ inducti, alij Imperatoris minis perterriti, fallaci & fucata specie in ecclesiam obrepere cœperunt, tem porum conditioni callidè & dissimulanter cedentes: ac quoniam lex hominum libros perscrutari iusserat, tandem manifestò deprehensi fuerunt hi, qui vetitas & interdictas illas artes ad hominum perniciem comparatas consectati fuissent, qua de re omnibus, vt dicitur, opibus viribusque elaborabant, vt simulatione sibi salutem adipiscerentur. Alij fortè ad spem, quæ in Deo Opt. Max. poni debet, verè & ex animo se transferre. Quos, cùm ecclesiarum præsides accuratè internoscere studerent, alteros ouium pellibus obtectos, adumbrata specie se insinuare conantes, procul amandarũt: alteros verò, qui idem integra & incorrupta mente instituerent, vbi temporis longinquitate explorando, de illis satis exquisitè periculum fecissent, in multitudinem ascititiorum ascripserunt. Hoc modo cum illis qui alienam ab ecclesia opinionem & doctrinam sequebantur, actum est. Alios autem, qui, dum in eorum dogmatum disciplina versabantur, nihil concepissent impietatis, sed schismaticorum culpa se temerè à communi ecclesiæ congregatione & frequentia seiunxissent, abiecta omni cunctatione in ecclesiam receperunt. Hi igitur gregatim, tanquam ex colonia reuertentes, suam recuperârunt patriam, & ecclesiã matrem agnouerunt. A`qua diu aberrantes, cum gaudio & lætitia ad eam redierunt, membraq; communis corporis fuêre in vnum coagmentata, & concordiæ quasi compagibus firmè copulata: solaque catholica Dei ecclesia in se coalescens, tum resplenduit, cùm nusquam gentium vel hæreticæ vel schismaticæ factionis vestigium reliquũ quidem esset. Cuius præclari facinoris causam Imperator Deo (cui solus ex omnibus Imperatoribus qui aliquando extitissent curæ erat) acceptam planè retulit.

Verè & simulatè resipiscẽtium penes quos discrimẽ esse debeat.

Imperatoris beneficio sublatæ hæreses.

TERTII LIBRI FINIS.

EVSE

EVSEBII PAMPHILI
EPISCOPI CAESAREAE PALAESTINAE, DE VITA DIVI CONSTANTINI Imperatoris, Liber Quartus.

Quemadmodum muneribus & dignitatum accessionibus multos honorificè affecerit.

CAPVT I.

Hæc proœmia quæ primis 4. capitibus hîc cõtinentur refer ad lib. 2. sub princ. & ad reliqua loca ibi notata: item lib. 10. Euseb. c. 5. Sozom. li. 1. cap. 22. & cap. 8. lib. 2. † Vide annot. pag. 148. lar. 2. lin. 17.

Ecclesiæ incrẽmentũ solum spectat Constantinus.

TAntis igitur & tam præclaris rebus ab Imperatore gestis ad coædificationem & gloriam Ecclesiæ Dei, cũ omnia consilia sua ad gloriosam famã doctrinæ Seruatoris nostri referret, tamen ne externa quidem negocia neglexit: sed in his etiam oẽs gentes creberrimis, continuis, varijsq; beneficijs affecit. Qua in re partim quidẽ se paterna quadam erga omnes cura affici ostendit: partim verò familiares suos varijs honoribus decorauit, quos ille alto & excelso animo in omnes conferebat. Neq; sanè cuiquam aliquid ab Imperatore postulanti denegatum est, nec cuiusquam spes aliquod ab eo beneficium expectantis frustrata est. Nam alios pecunijs, alios amplissimis possessionibus locupletabat: multos † præterea authoritate, multos senatorijs officijs, multos etiam consulari dignitate ornauerat: duces verò plures ab eo constituti sunt. Iam comitum alios in primo ordine collocauit, alios in secundo, alios item in tertio. Atq; ista ratione alij propè infiniti clarissimos honores adepti sunt. Nam vt plurimos honoribus afficeret, diuersos dignitatum gradus Imperator excogitauerat.

Constantini beneficentia.

Condonatio quartæ partis tributorum.

CAPVT II.

Vide Sozom. lib. 1. cap. 8.

VAnto autem studio curauerit, vt & plebem & inferiorum hominum animos exhilararet, vel ex vno exemplo, quod erat & ad vitam commodissimum, & ad omnes etiam perueniebat, hodieq; durat, facilè perspicere licet. Nam cũ annua ei tributa agrorum nomine penderentur, quartam his detractam partem, agrorũ possessoribus donauit: vt annuam detractationem ad calculum reuocanti, facilè appareret, frugum dominos quarto quouis anno à pendendo tributo fore leuatos: id quod etiam lege firmatum, & in omne reliquum tempus stabilitũ, non viuentibus solùm, sed etiam eorum liberis & successoribus indelebilem & perennem beneficentiam præstitit.

Constantinus Plebem quanto studio exhilarauerit.

Quartã partẽ fructuũ suis remittit.

Adæquationes tributorum grauium.

CAPVT III.

CVM verò nonnulli agrorum metationes à superioribus Imperatoribus factas reprehenderent, hisque fines suos premi quererentur: hic rursus arbitros misit, qui re diligenter inspecta, postulantes illæsos præstarent.

Licinius suprà tributorum gratia nouas agrorũ dimẽsiones fecerat eas Cõstantinus ad canonẽ veterẽ reduxit. Vide supra lib. 1. cap. 42.

Quòd pecuniarijs iudicijs conuictos, ipse proprijs facultatibus subleuauit.

CAPVT IIII.

CAeterorum causas pecuniarias ipse Imperator audiens, cùm minimè vellet, vt qui causa cecidissent, deteriori conditione discederent, libenter eis ex suis bonis nonnunquam agros, aliquando pecunias largiebatur: vt iudicio cõuictus, quoniam dignus esset habitus, vt in conspectum Imperatoris veniret, non minore cum lætitia discederet, quàm qui causam erat adeptus. Etenim cùm non decere existimaret, vt qui coram tanto Imperatore ord compareret, demisso & lugubri animo dimitteretur: ista ratione perfecit, vt vtraque pars sereno placidoque vultu iudicio liberaretur. Ita accidit, vt hanc animi in Imperatore celsitudinem omnes admirarentur.

Constantini beneficentia, per quã nec cõdemnatus qui de tristiore è iudicio decedebat, quã qui causam obtinuerat.

Scytharum subactio, per signum crucis nostræ deuictorum.

CAP. V.

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 49. Hoc bellũ nationes, qui nunquã parêre populo Romano didicerant, primus is sub iugum miserit, fuit, qui ge coẽgeritq; eos vel inuitos profiteri, Romanos esse rerũ dominos. Nã cũ superiores Imperatores vectigalia Scythis persoluerẽt, ipsiq; Romani à barbaris seruitute pressi quotannis tributa pẽnderent: cũ hęc cõditio Imperatori minimè ferẽda videretur, alienũq; existima-

IAm verò quid attinet illa minimè necessaria recẽsere, quemadmodũ barbaras & immanes gentes sub Romanũ Imperium subiecerit: & vt Scytharũ & Sauromatarum futurę cõtra Romanos rebellionis impetus, qui futuri essent anno Christi 335.

Scythæ Romanis parere coacti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

a Scythæ quo modo Romanis parere didicerint.

existimaret ab omnium gentium victoris dignitate, perinde vt maiores suos tributum A pendere: seruatoris sui ope præsidioq; confisus, triumphale illud signum cõtra istos etiam obtendens, breui spacio omnes superauit, & reluctantes quidem armata manu coercens, reliquos prudentib. legationibus placans, ab inculta & fera vita ad humanam ciuilemq; traduxit. Atq; ità tandem aliquando Romanis[a] Scythæ parêre didicerunt.

Sauromatarum subactio per seruorum contra dominos tumultum.

CAPVT VI.

Sauromatæ quomodo subacti.

SAuromatas verò Deus ipse Imperatoris pedibus substrauit: quos barbara superbia elatos, hoc modo fregit & compressit. Cùm à Scythis Sauromatæ inuaderentur, seruosque suos cogerentur armare, vt eorum vim & impetum repellerent: postquam penes seruos victoria constitisset, ij iam eadem arma, quibus contra hostem vsi sunt, in dominos conuertunt, omnesque suis sedibus & domicilijs deturbant. At domini salutis portum præter Constantinum reperiebant nullũ. Is cùm solitus esset salutem dare miseris, omnibus in Romanam regionẽ receptis, quos idoneos reperiebat, in suorum militum ordines referebat: reliquis verò ad necessarios vitæ vsus agros ad colendum diuidebat: vt fortunatè & fœliciter hanc sibi calamitatem accidisse faterentur, quando immanem feritatem cum Romana libertate commutassent. Sic Deus immanium barbarorum vniuersas gentes Imperatori parêre fecit.

Serui Sauromatarum in dominos insurgunt.

Sauromatis quomodo vtatur imperator

Vide Nicephor. lib. 7. cap. 40.

Variorum barbarorum legationes, & ijs ab Imperatore tributa munera.

CAPVT VII.

Variarum gẽtium legati ad Constantinum missi.

INdeque factum est, vt frequentes vndique ex omnibus gentibus legati adessent, secumque preciosa dona ad Imperatorem afferrent: ita vt qui fortuitò ad vestibulum regiarum portarum accederent, claras & illustres barbarorum personas quasi ordine quodam dispositas animaduertere possent: quibus vestis non eadem, formarum species dispar: coma verò tum capitis tum genarum valdè dissimilis: vultus ipse truculentus, barbarus, horribilis: corporum incredibilis penè magnitudo. Iam alijs ora rubebant, alijs niue erant candidiora, nonnullis mediocri colore imbuta. nam Blemyum & Indorum legati, *Aethiopumque simul, quorum iacet extima tellus*, in ista hominum serie conspiciebantur. Ij singuli tanquam in tabulis depicta, honoraria munera ad Imperatorem adferebant: coronas hi aureas, illi ex preciosis lapidibus diademata. Iam alij flauam comam, alij auro & floribus contextas barbaricas vestes, equos alij, alij clypeos & longas hastas & sagittas & arcus: quibus Imperatori (si ita ei videretur) officium suum & societatem in omnibus bellis se offerre significabant. Quæ postquam accepisset Imperator, suumque singulis tribuisset locum, vicissim eos tantis muneribus donisque ornauit, vt eodem puncto & momento temporis legati locupletissimi euaderent. In quibus etiam nonnullos cæteris clariores & nobiliores Romanis honoribus sic illustrabat, vt pleriq; obliti ad patrios lares reuersionis, genus hoc vitæ amplexi sint.

Hom. 10. Odyss. primo folio 1.

Barbaros quæ arte sibi conciliauerit Imp.

B

Quòd etiam Persarum regi, qui legatos miserat, pro Christianis in Persia scripserit.

CAPVT VIII.

Sapores Persarum Rex Constãtini fauorẽ expetit.

GVm verò etiam Persarum rex Constantino per legatos notus esse cuperet, eique dona quædam mitteret, tanquam fœderis & amicitiæ signa: cum hoc quoque se Imperator societate & fœdere coniunxit, & incredibili quodam studio perfecit, vt a quo ipse primùm honorum præmijs prouocatus esset, eundem refundendis honoribus & præmijs lõgè superaret. Idemq; cũ accepisset apud Persas frequentes esse Dei ecclesias, & infinitũ penè populũ Christi gregib. contineri, nõ mediocri ex hac fama affectus voluptate, vtpote quẽ communis quædã omnium cura tãgeret, de ijs etiã solicitus erat.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 34.

Epistola Constantini Augusti, ad Saporem Persarum regem, summa cum pietate & religione Deum & Christum confitentis. CAP. IX.

EXEMPLVM EPISTOLAE AD REGEM PERSARVM.

Veritatis lux. Constantini, suæ fidei confessio, ad Persarum regem.

DIuinam * fidem conseruans, veritatis luce perfruor: & huius veritatis luce ductus, diuinam fidem intelligo. His igitur, vt res ipsæ confirmant, sanctissimum Dei cultum percipiens, hanc colendi rationem quasi magistram me habere profiteor, ad cognitionem sancti Dei. Huius Dei vim & potentiam auxiliatrices meorum bellorum nactus,

* Hucusque cap. 13. & Nicephor. Vide hanc epistolam etiã infra cap. 27. lib. 4. Theodoriti apud Sozom. lib. 6. cap. 14.

Actus, ab ipsa vltima Oceani ora exorsus, vniuersum inde orbem firma & salutari spe ere-
xi: ita vt omnes gentes, quæ tot tyrannorum dominatu oppressæ, dum quotidianis cala-
mitatibus cederent, propè extinctæ essent, * mea opera meisq; laboribus ad commodio-
rem statum reuocatæ sint. Hunc Deum immortali memoria me honorare profiteor:
hunc liquida & pura mente, celsissima in sede locatum, auidissimè contemplor.

* Vide anno. pag. 159 lat. 2. lin. 9. 10.

Dei cultus.

Contra idola, & de Dei glorificatione. CAP. X.

HVnc humi procumbens inuoco, omnem sanguinem execrandum & odores ingratos ac detestandos abhorrens, omnem terrestrem è sacrificio flammam fugiens: quibus omnibus turpiter pollutus nefandus & inexplicabilis error, multas gentes & totas ferè nationes ad profundissima tartara proiecit. Nam quæ huius vniuersitatis Deus ad humanæ prouidentiæ necessarium vsum benignitate quadam sua in lucem edidit, hæc ad cuiusq; cupiditatem rapi nullo modo patitur: puram solummodo mentem & animum omni labe vacantem ab hominibus flagitat, quibus ille virtutis & pietatis actiones ponderat. Bonitatis enim & mansuetudinis officijs placatur, cõplectens mites, turbulentos auersans, amans fidem, coercens infidelitatem, omnemque cum superbia iunctum dominatum perrumpens: arrogantium vim reprimens, quos fastus extulit, de solio deturbans: humiles, & iniuriarum perferentes, iustis præmijs affi-
ciens. Eodem modo iustum etiam imperium magni faciens, suis subsidijs & opibus cõmunit: regiamq; prudentiam pacis tranquillitate conseruat.

Odium Idolatriæ.

Cultum Dei verum, mente constare.

Contra tyrannos & persequutores, & de capto Valeriano.

CAPVT XI.

Vide infra ad sanctorum cœtũ cap. 24. 25. Supra Euseb. lib. 7. cap. 9. 10.

MInimè sanè errare mihi videor, frater mi, si hunc solum Deum profiteor omniũ ducem & parentem: quem multi hîc cum Imperium tenerent, insanis erroribus agitati, reſpuere & aspernari conati sunt. Sed horum tam acerbus exitus fuit, vt omniũ mortalium iudicio, illorum calamitates exempli loco proponerentur similia scelera persequentibus. In hoc numero illum vnum fuisse arbitror, qui diuina ira tanquam aliquo fulmine ex hoc loco deiectus, in vestras oras delatus est, patefacto de sua famosa turpitudine triumpho nostro. Sed illud benè cecidit, quòd nostris potissimum temporibus in eiusmodi sacrilegos tale supplicij exemplum editum sit.

Constantinus Saporem appellat fratrem.

Valeriani ad Persas fuga, et captiuitas.

Quòd persequutorum casus viderit: & quòd nunc placato animo sit, parta Christianis pace & tranquillitate. CAPVT XII.

NAm & mihi contigit nonnullorum exitus animaduertere, qui paulò antè populum Deo consecratum nefandis edictis perturbauerant. Quapropter immortales Deo gratias ago, quòd singulari prouidentia vniuersum hominum genus, qui diuinam legem colunt ac venerantur, restituta pace, incredibili lætitia & voluptate afficitur. Ex quo facilè mihi persuadeo, optimo tutissimoq; statu omnia collocata esse: cum per eorum castam & acceptam colendi Dei rationem, & ipsorum inter se de diuina natura consensionem, omnes ad se Deus rapere & colligere dignetur. Hunc præclarũ hominum cœtum, Christianorum inquam, de quibus omnis est à me suscepta oratio, cum audiam etiam Persidis potissimam partem (quod mihi sanè est gratissimum) exornasse, quanta me putas perfundi voluptate?

Constantinus aliorũ exemplo doctus Saporem docet abstinere à Christianorũ persecutione.

Christiani apud Persas.

Cohortationes, vt Christianos suos complectatur.

CAPVT XIII.

TEcum igitur præclarissimè agitur, & cum illis etiam: quoniam vtriq; vestrûm hæc felicitas communis est. Isto enim modo Deum, huius vniuersitatis Dominũ & parentem, propitium & placatum habebis. Hos igitur, quoniam hac dignitate es, tuæ fidei commendo: hos eosdem, propter insignem tuam pietatem, tibi in manus trado. Hos, vt decet humanitatem tuam, complectere & ama. Sic enim & tibi, & nobis, ista tua fide immensum beneficium præstabis.

Christianorũ commẽdatio.

Quòd assiduis Constantini precibus pax Christianis data sit.

CAPVT XIIII.

ITa igitur vniuerso orbe sub vnius gubernatoris prudentia constituto, eodemq; cõplectente serui Dei instituta & leges: cùm nulla cuiusquã temeritate Romanum Imperium turbaretur, stabilem & quietam vitam omnes mortales traducebant. Imperator verò cum existimaret piorum hominum preces magnum sibi momentum afferre ad salutem

Poscit Constantinus vt eccle-sia pro ipso oret.

Universidad de Deusto Biblioteca

Ecclesiæ precatio.

salutem,& custodiam vniuersæ Reipub.eas cum necessariò adhibuisset, non solum i- A pse se Deo supplicem abiecit:verumetiam vt pro se ab Ecclesiæ præsidibus supplicaretur,mandauit.

Quòd in nummis & picturis, precantis effigie se insculpi fecit.

CAP. XV.

Constantini nummisma quale, & effigies eius, qua forma proposita.

QVanta verò fidei vis diuino quodam instinctu in eius animo defixa fuerit,vel ex eo intelligi potest, quòd in aureis nummis imaginē ita insculpi curauit, vt pansis manibus instar precantis cœlum contueri videretur:quod genus nummi hac effigie sculpti,per omnes Romani Imperij gentes volitabat.Iam in ipsis regijs, per quasdam ianuas in tabellis,quæ summis vestibulorum partibus affixæ erant,erecto statu pingebatur,sursum in cœlum contemplans,& precantis forma manus sursum tollens. *Vide supra lib.3.cap.5. & infrà hoc lib.ca. 73.*

Quòd in idolorum fanis, lege vetuit suas picturas poni.

CAP. XVI.

Imaginem sui in templis idolorum poni vetat.

HOc modo cum in tabellis se Deo supplicantem repræsentasset,lege cauit, ne ipsius effigies in idolorum templis poneretur: ne ipsa tabella, vel minima lineamentorum parte,propter vetitorum idolorum errorem,labem aliquam contraheret.

Preces habitæ in palatio & sacrarum Scripturarum recitatio.

CAPVT XVII.

Domi erecta ecclesia precatur ch alijs.

SEd his quidem multa magnificentiora contemplari potes, si animaduertas, quemadmodum in ipsis regijs Ecclesiæ Dei formam instituerit,populo in Ecclesia congregato ipse studiosè exordiens.Sumptis enim in manus libris,vel Sacrarum literarum cōtemplatione diligenter animum adhibebat,vel constitutas cum vniuerso Ecclesiæ cœtu preces reddebat.

Dominicum diem, & Parasceue diem, colendum esse, lege sancitur. CAP. XVIII.

B

Dominici dieicultus.

IDoneum verò precationi tempus salutarem diem Dominicum constituebat: quippe qui tum verè præcipuus est,tum haud dubiè primus. Iam huius vniuersæ ædis custodes,diaconi & ministri Deo consecrati,& grauitate vitæ omniq; virtute ornati assignabantur.Satellites etiam,fidi corporis custodes,beneuolentia erga principem & fide armati, regem ipsum piorum morum præceptorem sequebantur:cum ipsi perinde salutarem & Dominicum diem venerarentur,& preces ab Imperatore descriptas eodem die persoluerent. Hoc idem vt facerent,omnibus persuasit beatus Princeps: quasi huc preces suas retulisset, vt sensim & pedetentim omnes mortales ad Dei cultum traduceret.Quapropter statuit,vt cuncti Romano Imperio parentes,diebus de Seruatoris nomine nuncupatis,ab omni opere feriarentur:vt etiam dies, qui sabbatum antecederent,venerarentur,ob memoriam(vt mihi videtur)earum rerum,quæ ijs diebus à communi omnium nostrūm Seruatore fuerunt gesta. *coniunge infra hic cap.22.&c. & de laudibus Constant.circa finem. Vide Sozom.lib. 1.cap.8. Socrat.lib. 1.cap.14. Nice.lib.7. cap.18.19. 40.41.44. 46.lib.5. cap.2.3.*

Quemadmodum etiam legiones gentiles in Dominicis precari mandauerit.

CAPVT XIX.

Solis dies antea, qui nunc Dominicus.

CVmque hunc salutarem diem,quem lucis vel Solis diem appellamus, vniuersum exercitum omni studio colere docuisset:his qui diuino instinctu fidem sequuti erant,ocium fecit,vt liberè possent ecclesiam Dei frequentare, quò sine vllo impedimento preces Deo persoluerent.Sed alijs, qui nondum diuinam degustarant doctrinam,alia quadam lege mandauit,vt Dominicis diebus in patētes suburbiorum campos exirent,atque vt ibi eadem precationis forma,dato ab vno aliquo signo,omnes simul ad Deum vterentur.Non enim oportere aiebat hastis vti,& rerum suarum spem in armis aut corporum viribus ponere:sed vniuersitatis Deum, rerum omnium bonarum & ipsius victoriæ authorem agnoscere:cui oporteret pansis in cœlum manib. & sublatis altissimè ad cœlestem regem mentis oculis constitutas preces reddere: vt illum victoriæ largitorem,& conseruatorem,custodem nobis,adiutoremq; precibus imploremus.Formulam verò precandi,ipse omnibus militibus præscripsit: mandauitque vt Romana lingua ita omnes precarentur.

Militibus etiā Dominici dieicultus præstiti piu.

Precā-

Precationis formulæ,legionibus à Constantino datæ.

CAP. XX.

Constantini precatio & militibus fieri diebus Dominicis iussa.

„ TE solum Deum agnoscimus:te Regem profitemur:te adiutorem inuocamus: per
„ te victorias consequuti sumus:per te hostes superauimus:abs te & præsentem feli-
„ citatem consequutos fatemur,& futuram adepturos speramus:tui omnes supplices su-
„ mus:abs te petimus, vt Constantinum Imperatorem nostrum, vnà cum pijs eius libe-
„ ris,quàm diutissimè nobis saluum & victorem conserues. Eiusmodi ferè sanciebat,à militibus solis die fieri,talesq; ab eis voces in diuinis precibus adhiberi.

Legionum arma,consignata signaculo crucis Seruatoris.

CAP. XXI.

Vide supra lib.3. ca. 2.

Crucis trophæum militibus propositum.

PRætereà etiam in ipsis armis,salutaris trophei signum insculpi, armatoq; exercitui præferri fecit:& vt solum hoc salutare trophæum,non vllam(vt ante consueuerant) inauratam statuam sequerentur.Ipse verò tanquam sacrorum mysteriorum particeps intra secretas se regiæ partes statis quotidie temporibus concludens, solus cum solo loquebatur Deo: & supplici voce in genua proiectus, humili vultu,& deiectis oculis à Deo petebat, vt quibus egeret rebus, per illum consequeretur.

Constantini quotidianæ preces.

De oratione & honore adhibito in celebritate Paschæ.

CAP. XXII.

Vide supra hic cap. 18. & infra 57. & de laudibus Constantini circa finem.

Paschæ festi celebritas quanta Constantino obseruata.

SEd hanc religionis exercitationem salutaris festi temporibus augens, omnib. viribus cùm animi tum corporis diuinos sacrorum ritus obibat: quasi qui huius magnæ solennitatis exemplum omnibus præberet.Nocturnam verò in hoc festo peruigilationem tam claram reddidit, quàm diurnam lucem:accensis tota vrbe per certos homines(quibus hoc munus delegatum fuit)quàm celsissimis cereis cādelis, etiam lampadibus igneis omnes latebras collustrantibus, vt illa mystica pernoctatio longè clarior ipsa solis luce redderetur.Iam recipiente se aurora,Seruatoris benignitatem imitatus,omnibus ex quouis plebis populiue genere beneficam & prolixam manū porrigebat,collatis in omnes maximis beneficijs.Ad hunc igitur modum Deo ille suo, B quasi sacerdos quidam,sacra faciebat.

Beneficentia

Quomodo idolorum cultum vetuerit:sed martyres & festorum celebritates honorauerit.

CAPVT XXIII.

Vide Niceph.lib.7. cap.46. Vide supra lib.2.cap. 44.55.

Magistratum idololatriam prohibere debet.

Martyrum festi dies.

OMninò omnibus Romano Imperio subiectis gentibus & legionibus idololatriæ fores clausæ erant,repressumq; quoduis idolis sacrificandi genus. Etiam ad ipsos gētium præfectos Imperatoris nutu & voluntate edictum perlatum est,vt illi perinde Dominicum diem venerarentur.Ijdem consecratos martyribus dies honore prosequebantur,& festorum solennitates in ecclesijs celebrabant,quæ omnia secundum Imperatoris voluntatem gerebantur.

Quòd externarum rerum quasi episcopum quendam se esse professus est.

CAP. XXIIII.

Constantinus episcopum se vocat.

„ EX quo etiam factum est, vt cum episcopos nonnullos conuiuio excepisset,ipse se no-
„ bis audientibus episcopum appellaret,his ferè verbis: Vos, inquit,intra ecclesiam,e-
„ go extra ecclesiam à Deo episcopus constitutus sum.Itaq; cùm quæ loquebatur,eadem mente secum cogitaret,animum in omnes,qui eius suberant Imperio, intentū habuit: hortatus pro virili, vt piam omnes vitam excolerent.

Quòd prohibuerit impia idolis sacrificia & occulta sacra fieri, & gladiatorum singulares pugnas, & Nili accolarum fœdam intemperantiam.

CAP. XXV.

Vide Nicephor. lib. 7.cap.46. Eufeb. lib. 10.cap.5.

Constantinile ge tollunturur
1. Idola.
2. Oracula.
3. Statuarum dedicatio.
4. Occultā sacrificia.
5. Gladiatorū certamina.
6. Nili cultus.
7. Nili sacerdotes.

HAc etiam ratione adductus est, & rectè sanè, vt frequentibus legibus & edictis præciperet omnib.ne idolis immolarent,nec oracula curiosè sectarentur: nec statuas dedicarent,nec occulta sacrificia facerent,nec ciuitates crudeli & impia gladiatorū cæde contaminarent.Cùm verò apud Aegyptios & Alexandriæ patrio more fluuius quidam ab hominibus mulierosis coleretur,ad hos etiam perlata lex est:qua cautum,vt omnis hæc Androgynorum gens tanquam adulterina& spuria è vita tolleretur,neq; cuiquam liceret vel oculis intueri impura hac lasciuia ægrotantes. Sed cum superstitiosi existimarent,minimè deinceps fluuium pro consuetudine sua in agros suos effluxurū: Androgynorum sacerdoti Nili. Deus fauens Imperatoris legi,longè secus quàm illi expectauerant, vberrimum flumen

Universidad de Deusto
Biblioteca

reddidit. Nam cum impura illa fex, qui suis sordibus ciuitatem turpificasset, prorsus esset sublata: fluuius quasi repurgata expiataq; tota regione, maiore quàm antè cursu ferebatur, & magnis ac abundantibus gurgitibus intumescēs omnes agros quaqua versum irrigabat: tanquam reipsa demonstraret, homines impios & sceleratos remouendos esse, & ad Deum solum omnis salutis authorem omnium præclararum rerum causam esse referendam. Sed huius generis cùm penè infinita ab Imperatore singulis in prouincijs gesta sint: magno sanè ocio est ei opus, & vacuo tempore, qui singula literarum monumentis persequi velit.

Quòd legem de effœtis latam correxerit: simul etiam faciendi testamenti formulas emendauerit. CAPVT XXVI.

De effœtis lex correcta.

QVemadmodum etiam si quis recensere cupiat, quòd leges ad maiorem æquitatem traducens, è veteribus nouas fecerit. Quanquam, quemadmodū id fecerit, exempli causa facilè aliquis possit paucis verbis demonstrare. Quibus nulli essent liberi, hos veteres leges fœcundorum successionis ademptione plectebant. Dura sanè contra infœcundos lex: quæ illos tanquam scelus aliquod admisissent, graui supplicio afficiebat. His ille sublatis legibus, sanxit, vt ad propinquos hæreditas deueniret: summam in hoc corrigendo moderationem & æquitatem sequutus: cum ita sentiret, qui voluntario scelere se implicassent, digno supplicio coercendos esse: at multis liberos non voluntatem suam multorum libe

Scelera tantū voluntaria supplicio digna.

rorum cupidam, sed naturæ imbecillitatem denegasse: alios sine liberis vixisse, nō quòd sobolis propagationem successionemq; abhorrerēt, sed quòd acerrimum philosophiæ amorem muliebri connubio anteponerent. Præterea castitatem & inuiolatam virgi-

Continentiæ studium & castitatis votum.

nitatem multas mulieres sacris dicatas constanter retinuisse, cùm omni puritate & sanctitate perfusa vita se totas corporibus & animis Deo consecrarent. Quid ergo? suppliciōne hoc dignum existimari debet, an potiùs admiratione quadam, & approbatione? Etenim propensa in hoc genus vitæ voluntas magni faciēda est: sed eam rectè factis tueri, & vsque ad extremum persequi, longè supra naturam est. Quibus igitur non ipsorum voluntas, sed naturæ imbecillitas liberos denegauit, eos misericordia, non supplicio dignos esse: at diuinioris vitæ amatores, non aliqua pœna afficiendos, verùm incredibili admiratione suspiciendos esse. Atque isto modo legem hanc Imperator summa æquitate emendabat. Præterea, cùm veteribus legibus cautum esset, vt qui è vita excederent, ipso extremo ferè spiritu certis & conceptis verbis testamenta componerent: atque adeò leges ipsæ, quibus ea sententiarum formulis quibusq; verbis scriberentur, definirent: eaque res non minimę esset fraudi testatorum iam morientium voluntati: prudenter hæc animo complectens Imperator, legem ipsam abrogauit: statuitque, vt moriens nudis verbis & fortuita oratione voluntatem suam testaretur, & quouis scripto sententiam suam ederet: aut, si mallet, sine scripto testaretur, adhibitis ad eam rem idoneis testibus, quique fidem sine fallacia seruare possent.

Testamēti faciendi formulæ præscriptæ, emendatæ.

Quòd sanxerit, ne Iudæus vllus Christianus manciparetur: statueritq;, vt Synodorum definitiones & sententiæ ratæ, firmæq; essent: & cætera in hanc sententiam.
CAPVT XXVII.

SAnxit etiam, ne Christianus quisquam seruiret Iudæis. Etenim nefas esse, vt qui prophetas trucidassent, Dominum ipsum crudeliter mactassent, hi Domini Seruatoris sanguine redemptos seruitutis iugo subijcerent. Quòd si quis ea conditione & statu reperiretur, is vt libertate donaretur, Iudæus mulcta pecuniaria coerceretur. Iam quæ ab episcopis in publicis conuentibus editæ erant regulæ, sua confirmabat & confirmabat authoritate: ne reliquarum gentium principibus liceret, quæ ab eis decreta essent, abrogare. Cuiusuis enim iudicis sententiæ, facerdotum Dei iudicium anteponendū esse. Huic generi finitima propè innumerabilia suis exarauit: quæ si quis singula ad propria capita referre voluerit, quo illustrior & notior esse possit etiam in hoc genere Imperatoris prudentia, magnum sanè ocium & liberum ac vacuum tempus habeat necesse est. Præterea quid attinet commemorare, vel quemadmodum se Deo à prima luce vsq; ad extremum diem omnibus in rebus coniunxerit, vel cui hominum generi gratus esse studuerit: vel vt ad infimam se fortunam demiserit, omnibusq; suam munificentiam patefecerit?

Christiani Iudæis ne seruiant.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 20. Vide L. vnica, Cod. ne Christianū mancip. L. Deo nobis, & his ira, & posteris Cod. de epsico, & cler.

Episcoporum decreta confirmata, ne aliis magistratibus seruiant.

De

De donis in Ecclesiam collatis: deq; eius munificentia in virgines & pauperes.
CAPVT XXVIII.

ECclesias verò Dei, incredibile est, & supra omnem opinionem, quot ornamentis locupletauerit: cum alijs agros, alijs annonam, ad pauperes, orphanos, miserasq; mulieres tuendas & alendas donaret. Iam magna cura etiam vestes nudis corporibus prouidebat. Maximis autem eos honoribus prosequebatur, qui vitam suam cœlesti philosophiæ dedicassent. Sanctissimum ergo perpetuarum virginum cœtum constanter colebat: quòd in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant, inhabitare crederet.

Constantini in ecclesias, pauperes item ac virgines, munificentia.

Constantini affectus erga virgines sacras.

Orationes & conciones Constantini. CAP. XXIX.

Vide infra hoc lib. ca. 55.

EQuidem suam ipsius mentem quodam quasi afflatu & instinctu diuinarum rerum exaggerans, totas fæpè noctes sine somno traduxit: & cum per ocium liceret, orationes scribens, frequentes cum suis inibat congressus: quòd suarum esse partium existimaret, rationis freno Imperio suo parentes regere: atque adeò vniuersum regnum rationis Imperio subijcere. Quapropter infinita multitudo solebat ad Imperatoris nutum confluere, vt eum philosophantem audiret. Quod si eo dicente, aliquando aliqua occasio incidisset de Theologia loquendi, erecto corpore consistens, cōtractoque vultu, & depressa voce, adhibita summa prudentia & moderatione, præsentium animos cœlesti disciplina initiare ac deuouere videbatur. Quam rem cum sequeretur populi grata acclamatio: solebat nutu significare, vt cœlum suspicerent, & venerandis laudibus omnium regem Deum admirarentur & colerent. Cùm verò distribute de pluribus rebus loqui vellet: primum refutabat argumenta, quibus magno errore deorum multitudo introducebatur: probans, gentium superstitionem fraudis esse cau-

In noctu meditabatur & scribebat.

Cœtu coacto de Deo & Religione differebat.

Deorum multitudinis cauſa superſtitio.

sam, & huius de Deo erroris propugnaculum. Deinde Deum vnum, vni Imperio præsidentem, eis commendabat. Cuius de prouidentia deinceps & generatim & particulatim disputabat: indeq; ad Seruatoris nostri dispensationem descendens, hanc quoque ostendebat, vt eius ratio postulabat, necessario extitisse. Ab isto loco digrediens, disputationem mouebat de Dei tribunali, quo genere, maximo terrore ferire videbatur audientium animos, cum seuerè reprehēderet raptores, iniuriarum authores, & qui se inexplebili diuitiarum auiditati mancipassent. Familiares verò nonnullos suos oratione quasi verberans & flagellans, cogebat aliquando sua ipsorum conscientia perculsos, humi oculos deflectere: cùm eis clara voce contestaretur & prædicaret, actionum suarum omnium rationem Deo daturos esse. * Nam & se terrenum quoduis imperium illius, Dei imperio subijcere, eiq; rationes singularum rerum redditurum esse. Cunctos enim mortales magno regi aliquando rationem suæ vitæ relaturos. Hæc ille perpetuò contestabatur, hæc suggerebat, horum magister & author fuit. Sed is quidem veram & minimè simulatam fidem peculiari quodam modo retinens, hæc sentiebat: hęc precipiebat: at illi ad hæc percipienda tardi, & ad præclara ista præcepta obsurdescentes, voce & acclamatione applaudebant: sed inexplebili cupiditate occæcati reipsa cōtemnebant. Fertur præterea cuidam ex suis ab se aliquando prehenso, dixisse: Quousq; tandem, ô bone, hanc inexplebilem auaritiam cumulamus?

Vitia insectabatur.

* Vide ānō. pag. 131. lat. 2. lin. 29.

Quòd cuidam auaro sepulchri dimensionem descripserit, ad eius summum pudorem.
CAPVT XXX.

DEinde cum corporis humani perfectæ ætatis circumscriptam mensuram hasta, quā manu tenebat, humi impressisset: Omnes, inquit, vitæ diuitias, & totius orbis opes si domi haberes, tamen plus hoc à me circumscripto agello non possidebis: si & illud fortè possideris. Huiusmodi dictorum & factorum modum sibi nullum statuebat beatus Imperator. Resq; ipsæ persuadebant, Imperatoris hæc quasi diuinitùs edita præcepta non nudis verbis, sed diuinis oraculis similia esse.

Constantini sommania-uum.

Quòd propter eius eximiam humanitatem irrisus sit.
CAPVT XXXI.

Coniunge ea, lib. 4. cod. infra.

SEd cum Imperator se totum ad humanitatem & misericordiam dedisset: & qui singulis prouincijs præerant, nullum prorsus de maleficis supplicium sumerent, res hæc vniuersæ administrationi non minimam reprehensionem peperit. Quæ siue iusta fuerit, siue secus, iudicet quisque pro sua voluntate: mihi liceat, quæ vera sunt, monumentis mandare.

Constantini humanitas et misericordia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Constantini oratione, quam ad sanctorum cœtum scripsit.

CAP. XXXII.

Constantini oratio ad Sanctorum cœtum.

IGitur Romana lingua orationes Imperator conscripsit, quas interpretes quidam (ad quos illud interpretandi munus pertinebat) Græcè fecerunt. Ex his è latinis græcè factis orationibus, exempli causa, postquam institutum opus absoluero, attexam oratio- Hæc oratio immediatè hûc librũ quartum subsequitur.
nem illam quam ipse hoc titulo inscripsit, AD SANCTORVM COETVM ORATIO: quamq; præterea Ecclesiæ Dei dedicauit, ne quis meum de eo testimonium vanam & ostentatoriam prædicationem esse iudicet.

Quemadmodum orationes Eusebij, de monumento Seruatoris, stans audierit.

CAPVT XXXIII.

Eusebij de Christi sepulchro & sepultura oratio.

ACne illud quidem mihi tacitè prætermittendũ videtur, quod nobis ipsis Videinfra hoc lib. cap. 47.
præsentibus summa cum admiratione gesserat. Nam cum eius singulari erga Deum pietate adducti, postularemus, vt de Seruatoris monumento & sepultura disputantes nos audire vellet: libentissimè sanè aures suas sermonibus nostris præbuit, & in ipsa basilica magno auditorum cœtu circũfutus erectusq; stans, communem cum reliquis audiendi operam exhibuit. cumq; flagitaremus vt regali in solio, quod ibi sessionis causa positum erat, se reclinaret: minimè cessit nostris precibus, quin potius contento animo, quæ dicebantur secum dijudicabat: & Theologiæ decretis, veritatis testimonium dabat. Sed cum iam multum temporis fluxisset, & nos longiores essemus, finemq; facere statueremus: hic quidem ille restitit, & vt omnem sermonem absolueremus hortatus est. Rursus verò vt sederet deposcentibus nobis, subtristi & austero vultu respondit: Nefas esse, institutis de Deo disputationibus negligentes aures præbere. Sibi verò hoc esse inprimis vtile, præsertim cum pium sit, de diuinis rebus disserentes, erectos audire. Sed absoluto aliquando tandem omni hoc sermone, nos domum perreximus, & vsitatis nosmetipsos exercitationibus dedimus. B

Diuinarũ rerum concionibus audiendis standum, non sedendum.

Quòd de Pascha & contexendis sacris voluminibus ad Eusebium scripserit.

CAP. XXXIIII.

Eusebij liber de Paschæ mystica ratione.

IS verò magna cura complectens Dei ecclesias, de parandis sacris codicibus ad nos scriptam epistolam misit, quemadmodum etiam de sanctissimo Paschæ festo. Nam cum nos dedicato illi libello arcanam huius festi rationem retexeremus: quemadmodum nos compensarit, honorificeque responderit, quiuis ex eius ad me literis facilè poterit intelligere.

Constantini ad Eusebium epistola, in qua eius de Pascha orationem laudat.

CAP. XXXV.

VICTOR CONSTANTINVS MAXIMVS
Augustus Eusebio S.

Mysterium de Christo difficillimum.

DIfficillimum sanè opus est, & supra omnem orationis facultatem positum, “
mysteria Christi pro dignitate explicare, & institutam de Paschate contro- “
uersiam, vnde orta, & quomodo laboriosè quidem, sed vtiliter ad exitum “
adducta sit, congruenti oratione exponere. Nam numinis magnificentiam “
ne illi quidem, qui eam mente cogitationeque assequi queunt, satis pro di- “
gnitate sua vlla orationis facultate explicare possunt. Veruntamen incredibilis volun- “
tatis & studij tui magnitudinem admirans, cùm ipse libellum tuum libenter legi: tum “
etiam vt is pluribus diuinarum rerum verè studiosis ederetur, quoniam ita voluisti, e- “
dicto mandaui. Quapropter cũ animaduertas, quanta auiditate ista tam præclara mu- “
nera abs tua prudentia accipimus: vide, * vt quibus ipse te præceptionibus educatum es- “
se fateris, his nos, & quidem frequentioribus, alacriores reddas. Te verò, quod vulgo di- “
ci solet, sponte currentem ad vsitata tua curricula adhortor: quando quidem hæc tua fi- “
ducia ostendit, dignum te inuenisse lucubrationum tuarum interpretẽ, qui illas in no- “
strum linguam conuertat, quamuis nulla sanè queat eloquutio tam præclararum rerũ “
consequi dignitatem. Atque hæc quidem hac de re eius epistola fuit. Quòd verò ad nos “
de lectionum diuinarum apparatione scribebat, id ferè eiusmodi est: “

Constantini iudicium de Eusebij oratione de Pascha.

* Videantur Panegyrici latini, li. 10.

Constan-

Constantini ad Eusebium epistola de apparatione sacrorum voluminum.

CAPVT XXXVI.

VICTOR CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS EVSEBIO.

Huc refer cap. 27. li. 3. Nicephor. Theodori. lib. 1. ca. 16. Socrat. li. 1. cap. 6.

VM Dei Seruatoris nostri prouidentia factum sit, vt in hac vrbe nostri cognomine infinita fere multitudo sanctissimæ se ecclesiæ consecrent: æquum sanè in primis esse videtur, vt vniuerso eorum cœtu mirabiliter aucto, ecclesiæ quoque plures in ea instituantur. Quapropter quid nobis videatur accipe. Visum est hoc significare prudentiæ tuæ, vt quinquaginta illarum scripturarum volumina, quarum & apparationem & vsum maximè Ecclesiæ necessarium cognoscis, quæque præterea facilè legi & circumferri queunt, ab artificibus scitè scribendi peritis politiore membrana describi cures. Nostra clementia ad prouinciæ præfectum literas dedimus, penes quẽ totius administrationis summa est, vt quæ ad eas conficiendas necessaria videantur, omnia summa diligentia suppeditari curet. Nam vt codices scripti quàm celerrimè apparentur, tuarum id partium est. Ad eos verò perferendos vehicula duo publica huius nostræ epistolæ authoritate accipies. Ita enim quæ pulchrè descripta sunt, etiam ad nostrum conspectum facillimè perferentur, si ad hoc munus obeundum aliquem ex tua ecclesia ministrum delegeris: qui, vt ad nos venerit, nostram erga ipsum humanitatem sentiet. Deus te conseruet, frater dilecte.

Sacrorum librorũ descriptio curata.

Quomodo hæc volumina apparata sunt. CAPVT XXXVII.

HOc Imp. mandatum res ipsa celeriter consequuta est, cùm in membranis curiosè elaboratis, terniones & quaterniones mitteremus: quod ipsum altera imperatoris responsio declarabit, in qua cùm audisset vrbem apud nos Constantiam, quæ antè quidem incredibili superstitione imbutos ciues habebat, nouo pietatis studio veterem idolatriæ errorem commutasse, cùm gaudere se significauit, tum factum hoc probare.

Cõstantiæ vrbis ad fidẽ cõuersio, & nõminis mutatio

Constantia antea vocata Gaza.

Quomodo Gaza emporium, propter Christianismum ciuitatis nomine donata sit, & Constantia vocitata. CAPVT XXXVIII.

B ITa igitur accidit, vt Constantia Palæstinæ, quæ salutarem Dei cultum sibi asciuerat, maiore cùm apud Deum, tum etiam Imperatorem honore esset. Et quoniã iam eiusmodi extiterat, qualis antea non erat: nomen vetus cum præstantiore sororis Imperatoris nomine commutauit. Hoc idem pluribus in locis factitatum.

Gaza emporium, in vrbẽ Constantiam mutatum.

Quemadmodum in Phœnicia restaurata sit Constantia, & in cæteris omnibus ciuitatibus idola summota, & ecclesiæ coædificatæ sint. CAPVT XXXIX.

QVemadmodum etiam in vrbe quadam Phœniciæ Imperatoris cognomine, in qua ciues statuis penè innumerabilibus in ignem coniectis, salutarem Dei legem surrogarunt. In reliquis etiam prouincijs, cùm sua sponte homines ad salutis cognitionem se adiungerent, passim sanè omnibus locis & vrbibus solennia sacra in omni statuarum varietate posita, tanquam res vanas & futiles delebant: & fana ac delubra mirandam in altitudinem exædificata, nemine præcipiente solo æquabant: eisdemque fundamentis ecclesias inædificantes, superiorem sententiam erroremque deponebant. Sed omnes pij Imperatoris res gestas sigillatim persequi non nostrarum magis partium est, quàm eorum qui perpetuò ad eius congressum sermonemque adhibiti sunt. Nos verò, quoniam breuiter quæ nobis nota fuerunt, literarum monumentis mandauimus, pergemus ad illud tempus, quod ipsius vitæ extremum fuit.

Cõstantia Phœniciæ totaque adeo prouincia Christianismũ amplexa.

Quid de Cõstantino scribere instituerit Eusebius.

Quòd tribus decennijs tres filios regio nomine cùm decorasset, dedicationem τεσσαρακονταετηρίδος, id est, sacræ Martyrum ædis Hierosolymis celebrauit.

CAPVT XL.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 55. Vide infra de laudib. Constantini

IGitur cùm triginta ipse annos in Imperio compleuisset, filij eius numero tres, Cæsares diuersis creabantur temporibus. Primus, qui patris erat cognominis, de cimo paterni Imperij anno honorẽ hunc adeptus est. Secũdus, aui nomine appellatus Cõstantius, vicesimo ferè Imperij paterni anno, quãdo publicus solẽnisq; omniũ hominũ conuẽtus agebatur, renũciatus est. Tertius Cõstans fuit, q ipso nomine & appellatione presens cõstansq; tẽpus perspicuè pręse ferẽs, tricesimo paterni regni anno

Cõstantini filij tres, Cæsares creati. 1. Cõstantinus. 2. Constantius 3. Constans.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad honorem euectus est. Ita cùm triplicem assimilatione ad trinitatem liberorum fœ- A
tum Deo gratum acceptumq́;procreasset,eundemq́; decimo quouis anno regia digni-
tate decorasset:extremum tricesimum annum accommodatissimum tempus sibi obla-
tum esse putauit,in quo omnium regum regi grates persolueret. quo tempore etiam
optimum existimauit, Martyrum domum incredibili & optimo studio ab se Hieroso-
lymis coædificatam consecrare.

Quòd interea Synodum Tyri haberi constituit,ob controuersias quasdam in Aegypto natas.

CAPVT XLI.

Synodus Tyri indicta.

SEd virtutis hostis,inuidia etiam hac in re quasi tenebricosam nebulam cla- Vide Nicephor. lib. 8. cap. 49.
rissimis solis luminibus offundens, per controuersias quasdam turbatis de-
nuò Aegyptijs ecclesijs, institutæ huius celebritatis splendorem obscurare Vide Socrat. lib. 1. cap. 10. Vide Sozom. lib. 2. cap. 24. Theodoritū lib. 1. cap. 29.
conata est.Sed Imperator omni cogitatione & cura in Deum defixa,colle-
git ex omni Aegypto,Africa,Asia,Europa,frequentem episcoporum cœtū:
eumque tanquam Dei exercitum armis contectum,obiecit huic inuido diabolo:man-
dauitque primùm,vt quàm celeriter renouatæ contentionis finem facerent:deinde,vt
Dissidentium sacra Deo ingrata. Martyrum domum de qua dixi,consecrarent:obiterq́;,vt in Phœniciæ metropoli con-
ceptas rixas delerent.Non enim licere sententijs & opinionibus dissentientes, ad diui-
num cultū adesse:quòd in diuina lege disertis verbis editum sit,non debere secū discor-
dantes munera prius sua offerre, quàm amicitia reconciliata,ad mutuam pacem gratiā-
que redierint.His salutaribus præceptis Imperatoris animus intus cùm recrearetur,o-
mni vt consensione concordiaque institutum persequerentur, literis suis in hanc ferè
sententiam significauit.

Constantini ad Tyri synodum oratio. CAPVT XLII.

VICTOR CONSTANTINVS MAXIMVS AVGVSTVS
ad sanctam Synodum congregatam Tyri.

Christi ministros pacis studium ornat.

ERat fortasse consentaneum , & ad præsentis temporis opportunitatem Vide Theodoritum cap. 29. lib. 1.
maximè accommodatum, carere omni contentione Ecclesiam catholi-
cam,& Christi seruos ab omnib.rixis solutos ac liberos esse.Sed quoniam B
nonnulli sceleratæ cuiusdam contentionis furore incitati,ac(ne quid gra- “
uius dicam) vitam sua professione indignam agentes, omnia turbare ac “
miscere conati sunt(quod scelus supra omnem calamitatem mihi sanè positum esse “
Hortatur episcopos vt in concordiam redeant. videtur)propterea vos vestra(vt est in prouerbio)sponte currentes hortor, vt nulla in- “
terposita mora,sed omni qua possitis celeritate,in vnū locū confluentes synodū institua- “
tis,& egentibus opem feratis:in periculo positis fratrib. medicinam adhibeatis: diuul- “
sa membra ad consensionem reuocetis: errata omnia interea emendetis, dum ipsum “
tempus ferat,vt hisce tantis prouincijs,quæ maximè decet, concordiam restituatis:quā “
(ò futiles ineptias)paucorum hominum deleuit arrogantia . Nam hoc & Deo totius “
huius vniuersitatis Domino gratum,& nobis quauis re vel optatissima magis iucundū, “
& vobis ipsis,si concordiam & pacem reuocaueritis, magnæ gloriæ vel omnium mor- “
talium iudicio consensuque futurum,planè arbitror.Nolitote igitur cunctari,sed acer- † Vide annot. pag. 333. lac. 2. lin. 27.
rimo studio his quibus decet terminis præsentes controuersias definite:† vtpote qui cū “
omni puritate & fide coijstis,quam in omni cœtu propè clarissima voce Seruator no- “
ster,cui seruimus,in primis flagitat.Nihil verò, quod est nostrarum partium,nostræque “
prudētiæ,deerit.Nam quæ literis mihi vestris significastis,omnia curaui,scripsi ad quos “
volebatis episcopos,vt vestras curas & solicitudines præsentia & laboribus suis adiuua- “
rent.Misi etiam Dionysium Consularem, vt omnium rerum gerendarum eos admo- “
neat,qui vestræ Synodo adesse debent:maximè verò, vt idem animaduersor sit, & cu- “
Precibusque minas regaliter addit. stos conseruandæ æquabilitatis & ordinis. Quod si quis, quod equidem non futurum “
arbitror,reiecto & spreto mandato nostro adesse noluerit: delegabimus aliquem, qui “
regia illum authoritate in exilium eiectum docebit, hominem minimè decere summi “
Imperatoris præceptionibus ad tuendam veritatem editis repugnare.De cætero vestræ “
sanctitatis partes sunt,non odio,non gratia vlla, sed consentientibus studijs secundum “
ecclesiasticam & Apostolicam regulam omnibus erratis , errore aliquo admissis,pro- “
priam curationem adhibere:vt & omni aliena contumelia ecclesiam liberetis:
& meas curas alleuetis:& rebus turbatis per vos constitutis,maxi
mam vobis ipsis gloriam comparetis.Deus vos con-
seruet,fratres dilecti.

Quòd

Quòd ad encæniorum celebritatem Hierosolymis instituta, ex omnibus prouincijs episcopi confluxerant. CAPVT XLIII.

Vide Theodor. lib. 1. cap. 31.

INterea verò dum hæc ab Imp.demandata gererentur,alter ab eodē nuncius festinans
superuenit, qui Synodū imperatorijs literis cōmonet,vt celeriter & sine procrastina-
tione Hierosolymas proficiscerētur.Cū igitur omnes Phœnicum episcopi publicis ve-
hiculis ad constitutū locum cōtenderent, celeriter totus ille locus frequentissimo Dei
Ad martyrij dedicationis celebritatem, episcoporum conuocatio. cœtu refertus est:cōfluentib. nimirum eodē tempore Hierosolymas cuiusuis prouin-
ciæ episcopis.Nā Macedones suæ metropolis episcopū legabant: Pannonij & Mysi suū
etiam iuuētutis florē tanquā Dei impuberē cœtum miserant.Aderat ex Persię episcopis
diuinū monumentum,vir summus & in Sacris scripturis exercitatissimus.Iam Bithyni
& Thraces synodi frequentiā sua prę̄sentia ornabāt: nec deerāt lectissimi quiq́; Ciliciæ.
Sed & ex Cappadocia, qui doctrina & eruditione præcipui credebātur, medij inter alios
collocati enituerūt. Prę̄terea omnis Syria & Mesopotamia, Phœnicia, Arabia,Palæsti-
na, Aegyptus etiā & Africa,& Thebanæ gētis episcopi, magnificū illum Dei cœtū simul
omnes implebāt:quos innumerabilis penè ex omnibus prouincijs multitudo sequeba-
tur.Hisce verò omnibus præstò fuerunt certi ministri. nam ex ipsa curia delegati erant
spectataprobitate viri,qui imperatorijs sumptibus celebritatem hanc illustrarent.

Quemadmodum eos per Marianum notarium exceperit, & de eius in pauperes munificentia & donis collatis in templa. CAPVT XLIIII.

Marianus notarius.

SEd horum facilè princeps Marianus, fide & prudentia vel ipsi Imperatori per
quàm necessarius:cui quòd Sacrarum scripturarum singularem vsum haberet,
& professione veræ religionis duris illis tyrannorum temporibus clarus euase-
rat,non sine causa rerum istarum dispositio data est. Is verò se Imperatoris voluntati
Munificentia Constantini in episcopos. castissimum & integerrimum ministrū præbens , cùm grata quadam & suaui humani-
tate,tum splendidis conuiuijs & lætis compotationibus cœtum illum honorificè tra-
ctabat. Iam pauperum nudis corporibus , & cæterorum cùm virorum tum fœmina-
B rum infinitæ pene multitudini,in summa victus inopia & reliquarum opportunitatū
egestate positæ, prolixè & abundanter pecunias & vestes largitus est. Templum verò o-
mne magnificis regijsque donis ornauerat Atque hic quidē hoc genere officij perfun-
ctus est.

Episcoporum qui conuenerant orationes,& ipsius etiam Eusebij, qui hæc scripsit.

CAPVT XLV.

†Vide annot. pag. 333. lat. 2. lin. 18.

Martyrij templi Hierosol. consecratio.

INterea sacerdotes & precibus & disputationibus hanc celebritatem ornabant. Iam
alij† diuini regis præclaram in Seruatorem benignitatem prædicabant: simul etiam
oratione persequebantur summam sacræ Martyrum ædis magnificentiam: alij celebri
rerum diuinarum apparatu, qui è sacris monumentis depromebatur, præsentibus con-
uiuium,quo & animos & aures dapibus,& reliquo deliciarum genere pascerēt,instrue-
bant:alij sacras lectiones interpretantes, abditos & occultos sensus in lucem profere-
bant: alij qui horum nihil poterant efficere,incruentis sacrificijs & mysticis consecra-
Missæ sacrificium. tionibus diuinum numen placabant, & supplices Deo preces pro communi pace,pro
ecclesia Dei,ipsoque Imperatore harum præclarissimarum rerum authore, proq́; eius
Deo charis liberis offerebant.Quo etiam in loco nosmetipsi, cui multa supra nostram
Anno Christi 339. Euseb. Chron. in cor. rectis ramē exemplaribus anno 340. dignitatem tributa sunt,publicis, ijsque sanè varijs orationibus celebritatem illam ex-
ornabamus:cùm aliquando quæ magnificè ab Imperatore gesta essent, scriptis edere-
mus: aliquando Propheticos sensus propositis quibusdam euidentibus signis, explica-
remus.Hoc modo huius Martyrij dedicationis consecrationisq́; celebritas, ipso tricesi-
mo imperatorij regni anno,summo omnium gaudio ac lætitia consummata fuit.

Quòd martyrij Seruatoris descriptionem ediderit: & orationem de tricesimo anno Imperij Constantini,postea coram ipso Imperatore recitauerit.

CAPVT XLVI.

Vide ea quæ ad 1. cap. lib. 1. supra ad. notauimus. Vide item hoc lib. supra cap. 33.

Eusebij oratio de martyrio Seruatoris à Constantino constructo. & 30. eiusdem Imperij anno.

QVale verò Seruatoris templū, quale item Seruatoris antrū fuerit, atque etiā quàm
præclari conatus Imperatoris,quanta etiam in ipso templo donorū turba ex au-
ro,argēto,precioso lapide,separatim suo,quoad eius fieri poterit , volumine cōscriptū
Imperatori dedimus,eiusq́; nomini dedicauimus. Quod etiā , cū videbitur,& absoluto
quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

quod in manibus est opere, edemus: simul etiam adiungentes tricesimi Imperij anni laudationem, quam paulò pòst Constantinopolim profecti (secundū scilicet hoc tempus nacti, quo in ipsa regia, regem omnium Deum gloriosè prædicaremus) coram ipso Imperatore recitauimus. Quam is verè amicus Dei cùm audiuisset, nimia lætitia gestienti similis visus est: idque reipsa paulò pòst declarauit, cùm omnes episcopos conuiuio exciperet, maximumque eis honorem deferret. A Hæc iam dicturus illa est, quæ sequitur, eam ob rationem inscribi, quòd Constantinus habuit ad sanctorum coetum. Chronologia actorum Constantini.

Quòd Nicænum concilium vicesimo, encæniorum celebritas Hierosolymis tricesimo eius Imperij anno habita sit. CAPVT XLVII.

Nicænus conuentus 20. Cōstant. anno actus.

HVnc secundum conuentum, quē equidem scimus maximum, post illum Bithyniæ clarissimum Nicænum, ipsis Hierosolymis Imp. collegit. Sed ille Nicænus triumphi nomine, vicesimo Imperij anno constitutus, in ipsa vrbe † Nicæa, vixerat, id est, præclaram de hostibus victoriam reportabat. Hic verò Hierosolymitanus, tricesimum eius Imperij annum decorabat, in quo Imperator martyrium consecrans circa ipsum Seruatoris monumentum, quasi donum quoddam pacis Deo omnium bonorum largitori offerre visus est.

Conuentus Hieros. 30. anno Cōstant. actus.

† Vide annot. pag. 153. lat. 1. lin. 40.

Quomodo non tulerit quendam Constantinus, cùm ab eo immodicè prædicaretur. CAPVT XLVIII.

Constantini modestia.

HIsce † iam rebus omnibus absolutis & confectis, cùm per omnium ora de Maximi Imperatoris virtute fama volitaret, ausus est è sacerdotibus aliquis illum in os beatum dicere: quippe qui tum in hac vita dignus esset, qui summam rerum omnium potestatem haberet, tum verò in futura cum filio Dei vnà regnaret. Sed is cùm se hæc molestè audire significasset, hortatus etiam est, ne auderet aliquando eiusmodi vocem vsurpare: sed à Deo potius precibus contendere, vt & in hac vita & in futura Dei famulatu dignus videretur.

† Vide annot. pag. 154. lat. 1. lin. 2.

Nuptiæ Constantij Cæsaris, filij Constantini. CAPVT XLIX.

Constantij nuptiæ.

COnfecto igitur tricesimo Imperij anno, quoniam iam multo antè grandiorem natu filium in matrimonio collocasset, secundo filio nuptias apparabat: in quibus omnium lætitia celebrata fuêre conuiuia, cùm ipse Imperator sponsum filium manu deduceret, conuiuiumque splendidè & magnificè instrueret: cumque separatim virorum cœtus, separatim etiam mulierum choros, præterea vniuersos populos & ciuitates satis largè & prolixè muneribus afficeret. B

Indorum legationes & munera. CAPVT L.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 35. Socrat. lib. 1. cap. 19. Theodorit. lib. 1. cap. 23. Sozom. lib. 2. cap. 25.

Indorum obseruantia erga Constantinum.

EOdem ferè tempore aderant ab Indis Orientalib. legati, qui dona Imperatori afferebant: in quibus erāt omnia propè clarissimarum & pretiosissimarū gemmarum genera, animantia etiam tota natura ab hisce nostris discrepantia: quæ omnia ad Imperatorem deferebant, vt significarent eius Imperium vsq; ad vltimā Oceani oram pertinere, principesq; Indorū, picturarum & statuarum muneribus declarare, se illum cum summa potestate omnium imperatorem & regem agnoscere & profiteri. Ita accidit, vt ei primùm ad Imperium venienti, initio Britanni ad vltimas ferè Occidentis solis oras Oceano cincti parêrent, nunc verò postremùm, Indi in extremis Orientis partibus siti.

Imperij eius amplitudo.

Quemadmodum dispertito inter tres filios Imperio, illos artibus instruxerit, quæ Imperatoriæ maiestati ornamento forent. CAPVT LI.

Constantini Imperij inter filios partitio.

VT verò vltimis orbis terrarum finibus victorias suas terminasset, vniuersum Imperij statum tribus suis filijs partitus est, quòd tanquam hæreditatem paternam pius pater charissimis liberis assignabat: cū auitam sortem grandiori natu filio: Orientis partes, huic ætate proximo: quod verò inter hæc medium interiacebat, tertio filio tribueret. Sed cū vellet hanc eis fortunam feliciter cedere, & ex animorum salute esse: pietatis etiam in eis semina sparsit, cū suis diuinis præceptionibus, tum magistrorum diligentia, quos omnibus virtutibus insignes eis præfecerat: quemadmodum etiam & in alijs disciplinis eos asciuerat, qui essent in suo genere consummatissimi. nam alij eos bellicis disciplinis exercebant, alij præceptis de Repub. imbuebant, alij legum peritos efficiebant. Iam apparatus & splendor singulis regius tributus est: armati, satellites, stipatores, & omnis generis ac ordinis milites: tum horum antesignani, manipulares, duces, ordinum præfecti, quorum ipse pater & rei militaris vsum, & constantem erga ipsos beneuolentiam expertus esset.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 34. Videatur infra in oratione de laudib. Constantini.

Imperatoria ornamenta.

Quomodo

Quomodo eos iam factos viros, ad religionis cultum traduxerit. CAPVT LII.

Ad veram pietatē filios adultos doctrina & exemplo eximulat Constantinus.

IGitur dum iam Cæsares essent, sed ætate adhuc tenera, dabantur eis, quorū & ope & opera publicas res administrabant. Sed ad virilitatem maturescentibus, paterna institutio satis erat, qui præsentes eos ad paterna studia eximulauit, & ad imitandum pietatē eius instituit: absentes aūt regijs literis cōpellans, salutaria præcepta tradidit. In quib. illud maximū & præcipuum fuit, vt Dei, qui rerū omnium dominus est, cognitionē, & sanctam aduersus illum religionē omnib: opibus, atq; adeò ipsi regno anteponerent. Iam aliquando liberum eis fecit, vt per se aliquid ad Reipub. vtilitatē gererent: inprimis verò hortabatur, vt summa cura afficerentur erga Ecclesiā Dei, præcipiebatq; vt planè & sine fuco Christiani essent. Atq; eos quidem pater sic instituebat. Cæterùm hi maturo iudicio sensuq; præditi cùm essent, non iam eius admontionibus, sed sua ipsorum diligentia nixi, patris exhortationes longè superabant, mentes semper ad pietatem habentes intentas, & Ecclesiæ ritus in ipso palatio cum suis omnibus obseruantes. Sed illud quoq; paterna cura solicitudoq; prouidit, vt tum filijs suis contubernales adhiberentur hi, qui vera religione pietateque pollerent: tum magistratuum primores, quorum fidei rerum publicarum cura delegata foret, eiusmodi generis essent omnes. His igitur eximia erga Deum fide hominibus, eos veluti validis quibusdam propugnaculis muniuit, roborauitq;: vbi verò hæc omnia rectè & ordine gesserat Constantinus, ac res præterea cōmodè constituerat vniuersas, Deus boni cuiuslibet arbiter iam opportunum tempus adesse videns, quo magnificentioribus illum donis remuneraret, præsentis vitæ vinculis eum absoluebat.

Contubernales bonos filijs suis adiungebat Constantinus.

Quòd triginta duos annos cùm imperasset, & plusquàm sexaginta annos vixisset, corpus omni morbo vacuum haberet. CAPVT LIII.

Vide ea quæ adnotauimus lib. 1. cap. 1. ad Chronologiam huius operis.

DVos igitur & triginta annos (extra paucos menses & dies) cum Imperio fuit: eundemque annorum numerum vita duplicabat: quo omni tempore corpus ei præclarè constitit, sine morbo, sine dolore, nulla conspurcatum labe, quouis iuuenili corpore valentius: aspectu pulchrum, & ad omnes functiones obeundas, ad quas viribus esset opus, robustum. Itaque facilè se exercere, equitare, itinera conficere, bellorum periculis se obijcere, trophæa de hostibus constituere, & illas (quibus pluribus vti solebat) sine sanguine, sine cæde de hostibus victorias reportare. B

Constantini bona valetudo perpetua.

De his, qui eius summa humanitate ad auaritiam & hypocrisin abusi sunt.

CAPVT LIIII.

Coniunge cap. 31. supra lib. eodem.

PAri ratione animus ei ad summum omnis humanæ perfectionis fastigium ascēdit: omni virtutum genere exornatus, præcipuè verò humanitate, quæ tamen propter improborum hominum in scelere licentiam à multis reprehensa est, cum in eis peccandi causam Imperatoris lenitati assignarent. Et quidem certè nos meipsi comperimus, duo non ferenda vitia temporibus illis viguisse: primum, corruptelam vafram inexplebilium quorundam & sceleratorum hominum, qui reliqua vita dissoluti erant: deinde aliorum inexplicabilem simulationem, qui specie quadam ficta prætextuq; Christiani nominis in ecclesiam surrepebant. Imperatoris verò humanitas, bonitas, syncera fides, & morū constantia ac veritas, facilè eum adduxerāt, vt fidem haberet huic istorum in speciem fictæ professioni, qui opinione tantum Christiani sunt habiti: maximè quòd ijdem veram erga illum beneuolentiam, sed falsis ac fallacibus animis, conseruare simularent: quibus cū se credidisset, eiusmodi fortasse calumnijs longè aliter quàm par erat, infamabatur: inuidia scilicet hanc labem reliquis eius immiscente virtutibus. Sed hos non multò pòst diuinitùs immissa pœna consumpsit.

Constantini humanitas.

Auaritia & simulatio hominū, Constantino imperāte.

Quòd vsque ad extremum vitæ diem orationes scribebat Constantinus.

Vide supra hoc lib. ca. 29.

CAPVT. LV.

IMperator autem vsque adeò mente rationisq; viribus constabat, vt vsq; ad summam senectutem pro consueto more orationes conscriberet, solitos cum amicis cōgressus faceret, & dignas homine Christiano disciplinas auditorib. suppeditaret. Assidue etiam leges ferebat, aliquando de rebus ciuilib. aliquando de bellicis: omnia verò quæ ad vitā degendam essent necessaria, mente & intelligentia comprehendebat. Iam illud dignū sanè sempiterna memoria est, quòd cū eius extremus propè vitæ dies adesset, recitabat funebrē quandam orationē, eo ipso ferè loco quo dicere cōsueuerat: in qua etiā multa disputabat

Constantini honestiss. exercitatio vsq; ad senectutē.

Funebris oratio Cōstantini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

disputabat perpetua oratione, de animorum immortalitate, deque his qui vitam piè A sanctèque egissent,& de præmijs quæ bonis & gratis acceptisque Deo hominibus apud ipsum Deum reposita essent: ad hæc etiam, quem finem habituri essent, qui contrariam partem sequerentur, copiosa & longa oratione demonstrabat, impiorum euersionem & interitum præsentium auribus obiter inculcans. Hæc ille cùm constanter & grauiter contestaretur, ita visus est domesticos quosdam suos tangere, vt ex eis aliquis, qui sapiens haberi volebat, interrogatus, quid sibi videretur de Imperatoris oratione? licet inuitus, responderet tamen: Vera quidem illum sibi videri dicere, atque adeò vehementer laudare, quæ contra numerosam deorum turbam ab Imperatore disputata essent. Hæc ille cum familiaribus suis paulò antè mortem commentans, visus est genere hoc sermonis viam sibi ad meliorem vitam, mollem atq; æquabilem præstruere.

Quòd contra Persas exercitum educens, adiunxerit sibi episcopos: simulq; tabernaculum, quasi quandam Ecclesiæ effigiem construxerit.

CAPVT LVI.

In Persas expeditio Constantini postrema.

SImul illud etiam memoratu dignum, quòd hoc ipso ferè tempore, cùm de tumultu quodam barbarorum Orientalium audiuisset, hanc sibi postremâ de illis victoriam reliquam esse affirmans, exercitum contra Persas educere properaret. Nam cùm id plenè secum statuisset, militares ordines eduxit: & de expeditione cum episcopis, quos secum habebat, communicabat: existimans, oportere ex his aliquos ad pietatis officia maximè idoneos perpetuò sibi adesse. illi verò libenter quidem sequuturos se, nec vestigium ab eo discessuros, sed vnà militiam obituros, & apud Deum supplicibus votis se pugnaturos recipiebant. Hac ille voluntatum & studiorum professione vehementer delectatus, totius expeditionis qua si vestigia eis expressit: † ac ad bellum illud suscipiendum, [a] tabernaculum interim ad ecclesiæ similitudinem magnificentia faciendum curauit, in quo Deo victoriarum dator, ipse cum episcopis supplicaret.

Epiſcopi vnà cũ Cõſtantino ad bellum cõtra Perſas profecti.

a Tabernaculũ Conſtantini, eccleſiæ inſtar.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 29. Vide ſupra li. 2. c. 12. &c.

† Vide ad not. pag. 155. lat. lin. 7.

Quomodo receptis Persarum legationibus ipsa penè Paschatis celebritate, vnà cum reliquis vigil pernoctatus sit. CAPVT LVII.

Perſarum legati humaniter tractati.

INterea verò Persæ, cùm Imperatoris animum de mouendo bello famâ intellexissent, ac pugna cum illo congredi metuissent, oratores ad eum de petenda pace mittebant. ille vicissim (vt erat semper pacis amantissimus) legatos obuijs vlnis accepit humanissimè: porrectaque dextera, amicitiæ cum illis fœdus lubens iniuit. Magna autem agebatur diei Paschæ eo tempore celebritas: & Imperator cum cæteris pernoctans, vota precesque Deo persoluebat.

B Coniunge ea, quæ dicta ſunt ſupra eo hoc libro, & vide inſra de laudib. Conſtantini circa finem.

De coædificatione martyrij Apostolis dedicati, in Constantinopoli.

CAPVT LVIII.

VBi iam hæc peracta fuerunt omnia, Apostolorum templum in vrbe sui cognomine, ad perpetuam illorum memoriam conseruandam, ædificare cœpit.

Apoſtolorum templi conſtructio Conſtantinopoli.

Deſcriptio templi Apoſtolis dedicati.

Deſcriptio eiusdem martyrij. CAPVT LIX.

ILlud verò cũ in infinitam extruxisset altitudinem, lapidumque omnis generis ac crustarum varietate, ab ipso solo ad superiorem contignationẽ collustrasset, summo artificio factis laquearibus tectum intus complexus est, auroque vniuersum contexit. Supra verò pro tegula inductum es, à toto opere imbrium iniurias arcebat. Quod ipsum etiam multo auro fulgebat, ita vt longè contemplantibus, per reciprocatos solis radios incredibilis splendor offundi videretur. Interiorem ædis partem vndique in ambitum circumductam, reticulari opere ex ære & auro affabrè facto conuestiuit. Ac templum quidem hunc in modum, permagna Imperatoris & cura & studio exornatum est. Huic autem atrium ingens & subdiale, circundatum, in apertum purumque aerem explicabatur. Huius per quatuor latera porticus erant dispositæ, quæ medium atrium cum templo ipso complectebantur. Porticibus accommodabantur regia domus, balnea, deambulatoria, aliæ habitationes plurimæ ad necessitatem illorum qui locum custodirent constructæ. Hęc omnia dedicauit Imperator, vt Seruatoris nostri Apostolorum memoriæ apud omnes gentes æternitatem compararet. Attamen in ipsa coædificatione etiam aliud quiddam spectabat, quod primis temporibus obscurum, ad extremum ab omnibus manifestè deprehensum est.

Quòd

Quòd in eodem martyrio monumentum pro tumulo sibi inædificauerat.

CAP. LX.

HIs igitur in opportunum venturæ mortis diem hic locum sibi prouida dispensatione designauit, incredibili fidei propensione prouidens, cum iam corpus suum communem cum Apostolis appellationem post mortem participaret, fore vt defunctus quoq; precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. Quare cappas illic duodecim, quasi sacras quasdam columnas, ad Apostolici collegij honorem memoriamque attollens, medium inter ipsos conditorium suum locabat, quod vtrinq; seni claudebant Apostoli: sano certè (vt dixi) eo filio prægocitans, quòd mortui corporis tabernaculum ibi dignè decenterque quiesceret. Atq; hæc ille longo antè tempore cogitatione cum depinxisset, ecclesiam Apostolis dedicauit, quamplurimum vtilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans. neque sanè vota eius, expectationẽq; fefellit Deus. * nam vt primas Paschalis celebritatis exercitationes expleſſet, ipsumq; salutarem diem cum sibipsi clarum & illustrem egisset, tum alijs omnibus omni cum lætitia celebrem reddidisset: cùm eodẽ tempore & extremum diem obiret, & has celebritates curaret: Deus, cuius nutu hæc omnia gesta sunt, hoc peraccommodato tempore ad meliorem eum vitæ conditionem diuinitus transferre voluit.

Constantinus viuens adhuc sibi sepulchrũ parat.

Constantini conditorium siue sepulchrũ

*Vide an. pag. 115. lat. lin. 32.

Inæqualis corporis intemperies, cum esset Helenopoli: & preces ab eo, cum baptizaretur adhibitæ. CAPVT LXI.

Vide Nicef. li. 8. ca. 54. Socrat. lib. 1. cap. 26. Theodor. lib. 1. cap. 32. 34. Sozom. lib. 2. c. 32.

NAm cum primùm oboriretur ei quædã corporis inæqualis intemperies, ad eamque iam vehementior dolor accessisset, ad calida ciuitatis balnea profici scitur: & inde ad ciuitatem matris suæ cognominem, vbi in martyrum sacra æde diu versatus, supplices preces & vota publica ad hibuit Deo. Vt verò ei in menten venit extremus eius vitæ dies, existimaretq; hoc tempus opportunum esse ad delenda illa errata, quæ quoniam mortalis erat, admiserat: crederet- B que arcanorum mysteriorum efficacia & salutaris lauacri initiatione mentem expiari: hæc, inquam, cum ei in mentem venirent, humi procumbens genubus, & in ipsa martyrum æde errata sua confessus, supplicem se Deo offerebat. Vbi primùm manuũ per precationem impositione dignus habitus est. inde discedens, ad suburbana Nicomediæ ciuitatis peruenit: & conuocatis episcopis, ita ferè ad eos loquutus est:

Constantinus confessius est Helenopoli.

Hortatur episcopos Constantinus, vt donent eum baptismate.

CAP. LXII.

Vide Nicef. ibidem. Socrat. & cæteros ibid.

Oratio Conſtantini habita ante baptiſmum in ſuburbijs Nicomediæ ad epiſcopos conuocatos.

EQuam ego, fratres, auida mente omnibusque votis à Deo salutem multis hisce annis deprecatus sum, eam nunc hodiernus dies à me vehementer expectatus attulit. Tempus igitur est, vt tandem insigni illo, per quod immortalitatem adipiscemur, perfruamur. Quod ego etsi in illius Iordani gurgitib. in quibus Seruator noster ad nostrum exemplum lauatus esse memoratur, » facere constitueram: tamen Deus, quod mihi maximè accommodatum esset cernens, » hoc in loco eisdem mysterijs dignatur. Omnis igitur amoueatur dubitatio. Quòd si is » in cuius arbitrio mors ac vita consistunt, vitam inter vos longiorem viuere permiserit, » & hæc eius menti sententia steterit, vt posthac aliquando communes cum populi Dei » grege preces in Ecclesia coniungam, viuendi leges mihi, quæ seruo Dei conueniant, po- » nere haud quaquam differam. Atque hæc quidem ille. Illi verò sacrorum religione cõsummata, adhibitisque statis diuinæ institutionis ceremonijs, arcanorum mysteriorũ eum participem faciunt: certa quædam, quæ oportebat, præfinientes. Et sanè ex omni omnium Imperatorum memoria solus Constantinus in Christi martyrijs renatus, & sacris initiatus, diuinoque sigillo donatus, & spiritu lætitiam concipiens, prorsusque nouus redditus, ac diuina oppletus luce, per immensitatem fidei incredibiliter quidem animo gestiebat: sed ad clarissimam & euidentissimã vim diuinæ maiestatis obstupescebat. Confectis verò omnibus sacris, splendido regioque apparatu, atque adeò luce clariore conuestitus, candidissimo in lecto se reclinauit: reiecta iam purpura, quàm amplius nolebat attingere. Tum verò clarissima voce, cum precatus Deo gratias egisset, hæc ferè addidit:

Conſtantinus in Chriſti martyrio baptizatus Nicomediæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo, postquam baptizatus est, Deum prædicauerit. A

CAPVT LXIII.

Voluntatis vltimæ dispositio Constantini.

NVnc reuera noui me beatum esse, nunc immortali vita dignum esse habitum, nunc diuinę lucis participem esse factum. Simul miserorum reiecit sortem, quos infelices prædicabat, quod hisce diuinis bonis orbati essent. Cùm verò Centuriones & duces militares intromissi, casum suum deplorarent, quòd deinceps se orbos fore lugubri voce testarentur, lõgioremq; ei vitã optarent, etiam his respondit: se nunc veram vitam adeptum esse, seque ipsum solum intelligere cuius felicitatis particeps factus sit: ac propterea festinare, nec migrationem ad Deum suum procrastinare. Deinde, quæ videbantur, extrema quasi voluntate sua disponebat: ac Romanos, qui regiam ciuitatem incolebant, annuis pensionibus honorificè donabat. Liberis verò suis regni hæreditatem tanquam patrimonium relinquebat. Cæteraque omnia, quæ ei videbantur, expressè disertisque verbis describebat. Ibidem.

Constantini mors in ipsa Pentecostes celebritate circa meridiem.

CAPVT LXIIII.

Pentecostes septem hebdomades.

HAEc sigillatim omnia gesta & consummata sunt maxima illa celebritate venerandæ & sacratæ Pentecostes: quæ septem continuas hebdomadas omnibus honorib. decorata, ad extremum vnitatis numero consignata est, quo tempore Sacræ literæ testantur, & communis nostri Seruatoris in cælos ascensum, & sancti ad homines Spiritus descensum accidisse. Huius in celebritatis extremo fere die, (quam si quis omnium celebritatum principem & maximam vocet, haud aberrauerit) omnia ista consequutus Imperator, ipsa meridie ad Deum suum assumptus est, partem sui mortalem mortalibus cognatam reliquens humi, sed animi partem intelligentem & diuinam Deo coniungens suo. Hic Constantini extremus vitæ dies fuit. Sed progrediamur longius. Ibidem.

Constantini mors.

Legionum & ducum lamentationes. CAP. LXV.

Luctus publicus de morte Constantini.

SAtellites igitur & vniuersus stipatorum cœtus, dilaceratis vestibus, corporibusque ad pauimenta proiectis, & collisis ad solum capitibus, lugubres voces cum magno luctu & clamoribus edebant: cum identidem dominum, principem, imperatorem, & tamen non vt dominum & tyrannum, sed vt patrem pij liberi & germani inclamarent: centuriones verò & manipulares seruatorem, custodem, beneficum prædicarent: totus exercitus cum omni reuerentia tanquam ouium greges pastorem suum desiderarent: populus omnis per omnem vrbem volitaret, occultum animi vulnus apertis vociferationibus & clamoribus contestans: reliqui demisso vultu tanquam obstupefacti incederent: singuli eam sibi calamitatem præcipuè accidisse putarent, seque ipsos quasi communi humanæ vitæ salute orbatos miserabiliter affligerent. B Ibid. & cap. 45.

Quomodo funus Nicomedia Constantinopolim in palatium translatum sit.

CAPVT LXVI.

Funus Constantini quale.

HIc milites arreptum cadauer aurea capsula includunt: & vndique purpurea veste contectum, Constantinopolim perducũt. Ibi tum in omnium magnificentissimis imperatorijs ædibus celso atq; edito loco deponunt, luminibusque circum funus aurea super candelabra accensis, admirabile spectaculum intuentibus præbebant, & sanè eiusmodi, quale nunquam in terris vllum à condito mundo sub sole visum est. Nam intus in ipso fere medio regij palatij, excelsa & aurea capsula inclusum Imperatoris corpus, imperiali apparatu, id est, purpura & diademate ornatum, permulti circumfusi vigiles die noctuq; asseruabant. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 45.

Quomodo etiam mortuus, à comitibus & cæteris perinde atq; viuus honorabatur.

CAPVT LXVII.

Constantinus etiam mortuus à suis reuerenter cultus.

IAm totius exercitus duces & comites, omniumque principum cœtus, quibus antea in more fuit Imperatorem venerari: pristinum morem & consuetudinem conseruãtes, statis temporibus introeuntes, Imperatorem in capsula iacentem tanquam viuum etiam post mortem humi procumbentes salutabant. Horum reuerentiam eodem pietatis officio subsequutus est Senatus, & omnes reliqui magistratus. Tum verò cuiusuis ordinis hominum, etiam mulierc̃larum & puerorum infinita turba ad idem spectaculum

A culum confluebat. Hæc per multos dies factitata: quòd exercitus consistere funus eo loco, & per se asseruari constituerat, quoad eius filij reuersi, efferendo paterno per ipsos fu nere patrem suum, honorassent. Solus verò iste beatus Imperator etiam mortuus regnauit: cum ei soli post hominum memoriam, vel ipso Deo authore, omnes qui solebant, honores tanquam superstiti tribuerentur. Nam cum is solus ex omnibus Imperatoribus, Regem omnium Deum, & Christum eius, omnibus vitæ actionibus piè sancteque coluerit: iure sanè etiam hunc honorem solus adeptus est, vt Dei voluntate, quod in eo morte sepultum erat, tamen apud homines regnaret: vt ista scilicet ratione nobis Deus significaret, animorum regnum, his qui non prorsus obduruerunt, nunquam consenescere, nunquam emori. Atque hæc quidem isto modo.

Quomodo exercitus decreuerit, vt eius filij Augusti vocitarentur.

CAPVT LXVIII.

Augustiappellatio, eaq; Constantini filij statim post eius obitũ nuncupati.

INtereà duces selectos quosdam è toto exercitu homines, quorum aliquãdo erga principem fides & beneuolentia perspecta fuit, ad Cæsares mittunt, qui omnem rem gestam eis nunciarent. Id quod illi cum diligenter fecissent, cumq; statim quasi diuiniore quodam afflatu cunctæ per omnes oras sparsæ legiones de Imperatoris morte audiuissent: eodem animo & consensione statuunt, se perinde atque si adhuc sibi magnus Imperator Constantinus viueret, neminem præter eius filios Romani Imperij principem agnituros. Ac non multo pòst, non iam eos Cæsares solum, verùm etiam Augustos omnes nuncupari volebant: quæ vox maximæ cuiusdam dignitatis plena, celsissimi imperij propria nota est. Hæcque omnium copiarum, quocunque loco essent, vna eademque consensio, vel ipso temporis momento ad omnium aures peruenerat: cum ipsi sua decreta & sententias vicissim secum per scripta communicarent.

Romæ quis luctus ob Constantini mortem, & statuarum honos ei post mortem tributus.

CAPVT LXIX.

B Vide infra hic cap. 72.

Luctus ob Imperatoris mortem publicus Romæ qualis.

VT verò Imperatorem vita functum esse Senatus populusque Romanus, ac tota Imperatoria ciuitas accepisset, cum hac fama nihil sibi grauius aut luctuosius accidere posse existimarent, nullum dolori & lamentationi modum statuebãt. Nam balnea clausa, & fora, publica item spectacula summota, & præterea omnia, quæ per vitæ ocium & tranquillitatem facere solebat animus pacatus, & nulla perturbatione impeditus. Nam qui ante omnibus læticijs affluebant, nunc tristi & demisso vultu in publicum procedebant: & omnes tamen beatum Imperatorem, acceptumq; Deo, & verè imperio dignum prædicabant. Neque hæc voce tantum & clamoribus significabant, verumetiam reipsa declarabant: cum eum vita functum pictis tabellis tanquam viuum colerent. Nam cum cœli effigiem in tabella proprijs coloribus expressissent, depingunt eum super cælestes orbes in æthereo cœtu requiescentem. Iam liberos eius hi solos rerum dominos & Augustos nuncupabant: adhibitisq; supplicibus vocibus, funus Imperatoris sui ad ipsos efferre, & in Imperatoria vrbe deponere cupiebant.

Picturæ Constantinum exprimentes.

Quomodo funus à Constantio filio Constantinopoli depositum sit.

CAPVT LXX.

Patris funus à Constantio in Apostolorũ martyrium deductum.

HIc honos ei à legionibus, homini ab ipso Deo honorato, delatus est. Sed minor natu filius ad patris funus accedens, idemque princeps efferendi funeris, in vrbem id deduxit. Præibant turmatim militum cohortes, infinita hominum turba sequebatur, Imperatoris funus hastatis & armatis militib. cingebatur. Vt verò ad Seruatoris nostri Apostolorum ædem ventum est, funus deponunt. Sic adolescens Constantius Imperator, cùm præsentia sua, tum reliquis rebus tanto homine dignis, omnia patri pietatis officia præstabat.

Sacra Synaxis in Apostolorum martyrio celebrata, in mortem Constantini.

CAP. LXXI.

Exequiæ quales Constantino facta.

SEd cum is iam cum reliquis militum cohortibus secessisset, aderant Dei sacerdotes, circumfusi turba ac vniuerso pietatis studioso populo, à quibus diuinus per preces cultus adhibitus est. Hoc igitur loco, excelso solio iacens beatus princeps, glorioseque prædicabatur. Iam populus frequens vnà cum sacerdotibus, non sine lachrymis, & sanè ma

Universidad de Deusto
Biblioteca

Preces pro anima Imperatoris.

gno cum gemitu, preces pro anima imperatoris Deo fundebant: in quo & illi gratum A atq; optatum pio principi officium præstabant, & Deus ipse singularem beneuolentiam erga famulum suum ostendit: quòd post mortem charis eius ac germanis filijs, patris sui successoribus, imperium donasset: † & quem votis expetiuit locum, vnà cum Apostolorum memoria consequutus est. Nam adhuc quidem licet contemplari ter beatæ animæ tumulum Apostolici nominis appellatione decorari, & ad Dei populum aggregari, diuinisq; cęremonijs & mystico sacrificio sanctarumq; precationum societate perfrui, atq; etiam post mortem cum imperio esse: tanquam iam in filijs reuiuiscens, summam imperij administraret, Victor, Maximus, Augustus ipsa appellatione vocitatus.

Sacrificium mysticum.

† Vide annot. pag. 156. lat. 2. lin. 21.

De Phœnice aue. CAP. LXXII.

Phœnicis auis mors & regeneratio.

NEque tamen ita vt Aegyptia illa auis, quam aiunt, cum naturæ prouidentia vnica sit, sibijpsi mortem consciscentem in aromatum aceruo emori, ex cineribus verò eius reuiuiscere & excitari aliam eiusmodi, qualis ipsa fuit: sed Seruatoris sui exemplo, qui pro vno ferè tritici semine, benedicente Deo, spicam multis seminibus refertam exhibuit, suoq; fructu vniuersum orbem compleuit: ita is ter beatus per trium liberorum successionem, pro vno multiplex redditus est: ita vt in imaginibus & picturis apud omnes gentes, vnà cum liberis suis eundem honorem adeptus sit, & Constantini nomen etiam vita functus retineat.

Huius auis descriptionem, elegantem, vide apud Lactantium Firmianũ

Quomodo in nummis Constantinum, tanquam in cœlum ascendentem, sculpserint. CAP. LXXIII.

Effigies Constantini in sculpta nummo.

IAm verò in ipsis nummis exsculptæ formæ, quæ vna parte beatum hunc nostrum obuoluto capite repræsentabant, altera parte quadrigis instar aurigæ insidentem, demissa illi cœlitùs manu dextra exceptum.

Videsupra hoc libro cap. 15. 69. & lib. 3. ca. 2. lib. 1. 63. a.

Quòd Deus ab eo honoratus, iure eum vicissim honoribus affecerit. CAPVT LXXIIII.

Vitæ exitum cuiusq; conuentionis cum Deo argumentum præbere.

HAec exempla cum omnium mortalium Deus in solo Constantino, qui ex B omnibus Christianis maximè tandem aliquando Christianus declaratus est, nostris oculis proponeret, nimirum ostendere voluit, quantum inter eos intersit, qui ipsum, Christumq; suum colere vellent: quiq; contrariam sectam sequerentur, id est, qui Ecclesiæ eius bellum inferentes, ipsum sibi hostem & inimicum redderent, cum cuiusq; vitæ exitus manifestum argumentũ præberet suæ cum Deo inimicitiæ: quemadmodum Constantini extremus dies, quanta pietate Deum coluisset, apertè demonstrabat.

Quòd superioribus omnibus Romanis Imperatoribus pietate præstitit Constantinus. CAP. LXXV.

Constantinus superiores omnes Imperatores pietate superauit.

SOlus enim ex omnibus Romanis Imperatoribus, Deum omnium Regem incredibili pietatis studio honorauit: solus omni cum libertate vocis & linguæ Christi verbum personuit: solus, vt ita dicam, ecclesiam eius præter cæteros ab omni æuo honoribus affecit: solus impium multorum deorum ficticium cultum sustulit, omnesque vias idololatriæ refutauit: solus igitur & dum viueret, & postquam est mortuus, his honoribus cumulatus est, quales neminẽ aliquando nec apud Græcos nec Barbaros, sed ne antiquissimis quidem Romanorum temporibus (cum neminem cum isto conferendum vlla vnquam seculorum memoria nobis profuderit) adeptum esse quisquam commemorare potest.

EVSEBII DE VITA CONSTANTINI FINIS.

CONSTAN-

CONSTANTINI IMPERATORIS ORATIO, QVAM AD SANCTORVM COETVM PERSCRIPSIT.

Ad hanc orationem refer eosdem authores illos, quos supra adnot. diximus ad Eusebij lib. 7. 8. 9. & 10.

*Hanc orationẽ ipsi esse Constantini & ab eo primitus latinè scriptã & posteà per interpretem in Græcum translatã esse, testatur Eusebius supra cap. 32. lib. 4. de vita Constantini. vide annot. * Vide anno. pa. 157. lat. 2. li. 35. † Videibidem lin. 2. * Videibidem lin. 3.*

Proœmium Paschæ mentionem facit, & quòd Deus cum varijs vijs omnium commodis consuluisset, ipsi, ab ijs, qui beneficijs eius affecti erant, insidiæ structæ sunt.

CAPVT I.



Parat sibi attentionem à celebritate Paschatis.

ALVTARIS dies festus Paschatis, qui est velut clarissimum dici & solis lumen, primordium resurrectionis vniuersæ carnis, noua corporum iam olim miserijs afflictatorum coagmentatio, pignus promissionis, & semita ad æternam vitam deducens, nobis (charissimi Ecclesiæ præsides, reliquiq; omnes amici, * vosq; frequentes ac beatæ religiosorum multitudines, qui ipsum Deũ religionis authorem, tum intimis animi cuiusq; sensib. tum expressis vocum præconijs secundum ea, quæ prophetarum oraculis prædicta sunt, sine intermissione celebratis) nobis inquam adest, ad sanctè augusteq; celebrãdum. Tu natura omnium parens, quid vnquam tale ad mundi vtilitatem contuliſti? omninò vero, quod, aut quale tuum est opificium? Siquidem, qui est author omniũ, etiam vt tu † is, author fuit. Iste quoq; te ornauit: quippe naturæ decus est, vita ex naturæ regula instituta. Quæ autẽ contra * naturam fiunt, efficiunt vt nemo Deum omnium fabricatorẽ augustè decenterq; colat: quin potiùs existimet, omnia nõ diuina prouidentia, sed fortuitu, temerè & inconsideratè regi. Et quanquam prophetę (quibus certè fides adhiberi debet) diuini numinis afflatu istas res ita euenturas sigillatim prædixerunt: tamẽ iniquus dæmon impietatis amicus, omnibus (vt dicitur) viribus opibusq; restitit: à quo, tum vt lux veritatis maleuola obtrectatione obscuraretur, tũ errorum tenebræ minimè ab hominũ mentibus dispellerentur, magno studio laboratũ est. Qui quidẽ illius conatus violentia & crudelitate non caruit: præsertim cum repentinũ & improuisum plebeiorũ hominum impetum, potentum consensus non solũ adiuuaret, verumetiam ducem importunæ eorum se præberet amentię. Quare talis vitę ratio multis hominum ætatibus continuata, illis qui ijsdem vixere temporib. grauissima mala inuexit. verùm non multo pòst, cũ Seruator magno cum splendore se hominibus ostendisset, iustitia post turbulentas cuiusq; generis procellas apparuit, & omnia, quæ prædicta erant à prophetis, cumulatè expleta. Proinde vbi fuit sublimis ad patrios lares denuò sublatus, & orbẽ terrarũ præclaris modestiæ & verecundiæ ornamẽtis illustrauerat, sacrosanctũ quoddam virtutis templum æternum & immortale, ecclesiam dico, in terra sibi exædificauit. In quo, quæ sunt Deo, patri suo augustissimo, decora, quæq; sibijpsi conuenientia, piè & religiosè instituit. Sed quid posteà insanorum gentiliũ nequitia molita est? Christi beneficia abijcere, & ecclesiam ad omnium salutem constitutã labefactare studebat illa quidẽ: at impia seditio iterum excitata, bella, pugnę, morositas, nimis exquisitus vitę apparatus, diuitiarũ amor, suam ipsorũ euertit superstitionem: & quod maximè ad improbitatis naturã pertinet, interdum fallaci & fucata spe deliniuit, interdum perterrefecit metu. Verùm sicut recta ratio postulat, iaceat illa humi à virtute profligata, & pœnitentia fracta, dissipataq; succumbat. At nos iam ad ea, quæ ad diuinum sermonem spectant, attendamus.

Prophetæ affatu diuini numinis Religionem docẽt.

Natura prophetis consonans Religionem docet.

Diaboli æstus in Religionis detrimentũ.

Impij potentes ac plebeij Sathanæ ministri contra ecclesiam.

Christi aduentus eiusq; ecclesiæ constitutio.

Ecclesiæ oppugnatio per impios.

Alloquitur ecclesiam, & auditores, vt agnoscant, ac emendent, si quid ab eo inter dicendum peccatum fuerit. CAPVT II.

Apostrophe captandæ beneuolentiæ ergo.

AVdi igitur nauclere, qui castimoniæ & virginitati præes: tuq; ecclesia teneræ ac rudis ætatis nutrix, cui veritas curæ est, curæq; est & clementia, ex cuius perenni fonte salutaris riuus delabitur. Vos etiam, qui Deum integrè syncereq; colitis, atque illi propterea curæ estis, attentè bonaq; cum venia audite, animumq; non tam ad dictionis elegantiam, quàm ad eorum, quæ dicuntur veritatem, non ad me dicẽtem, sed ad sacratissimam pietatem attendite. Verùm, qui ex oratione fructus capi potest, cum dicentis animus non satis qui sit, exploratè perspectus videatur? ac fortasse magna sunt,

Attentio repetitur, addita venia modesta deprecatione.

quæ aggredior, sed amorem erga Deum in mente mea insitum, causam audaciæ affero. A ille enim pudori meo vim facit. Quare vos, qui diuinorum mysteriorum scientia cum primis imbuti estis, mihi adiutores adiungo: vt si quid fortè erroris in dicendo acciderit, vos me dicentem animis quodammodo sequentes, sedulò corrigatis, nec summam quidem requiratis doctrinam, sed instituti potius fidem approbetis. Benignissimus etiã

Absq; Spiritu sancti afflatu nihil recte in vitui, aut absolui.

Dei patris, & filij eius afflatus, mihi adsit ea dicenti, quæ præscripserit ipse, mentiq; iniecerit. Quod si quis vel artem oratoriam, vel aliam quampiam scientiam aggressus, putet se absque Dei auxilio eius munus satis suis quasi numeris posse explere, tum ipse planè imperitus, tum opus, in quo elaboratur, imperfectum deprehenditur. Quapropter diuinus afflatus his, qui res prosperè gerere cupiant, nec præ ignauia est repellendus, nec contemnendus præ negligentia. Nos ergò sedulò præcauentes, ne detineamus vos nimium diu, ad illud, quod in hoc instituto caput est, aggrediamur.

Quòd verbi pater Deus, idem & creaturarum opifex existit: & quòd nullo modo res possent consistere, si diuersæ essent earum causæ. CAPVT III.

Deum & ortu carere, & rerum omnium esse originem.

BOnum, ad quod referuntur omnia, quodq; est essentia æternus Deus, ortum non habet: & propterea nec principium. Deus verò, omnium quæ oriuntur principium est. Qui autem deriuatur ab eo, cum eo denuò vnitate cohæret. quippe disiunctio coniunctioque, quæ in eo cernitur, non loci interuallo, sed intelligentiæ acumine facta est. Nam quod genitum est, non aliquo paternorum viscerum cruciatu edebatur, sicut ea scilicet, quæ nascuntur ex semine: sed diuinæ prouidentiæ præscriptione seruator, qui huic mundo subiecto sensibus, rebusq; in eo fabricatis

Act. 17.

præsidet, in lucem prodijt. At qui omnibus, quæ mundi complexu continentur, vt sint & viuant, inde causa ducta est. Inde anima, inde sensus omnis: inde ea instrumenta, quorũ

Dei vnius dominatu omnia teneri.

adiumento res à sensibus ostẽtatæ plenè perspiciuntur. At quorsum hæc spectat oratio? Vt constet, vnum esse omnium moderatorem, omniaq; illius solum dominatu teneri, siue quæ cælestia sunt corpora, siue quæ terrena sunt, siue quę natura fiunt, siue quę alio instrumentorum genere efficiuntur. Quòd si moderatio istarum rerum, quæ sunt innumerabiles, non ad vnius, sed ad multorum arbitrium conferretur: sortes, elementorũ distributiones, & ea, quæ veteribus fabulis describuntur, vt inuidia & ambitio (quæ res B viribus pro victoria inter se confligunt) consentientem omnium concordiam disturba

Aduersus Epicureos, qui casu omnia fieri nugantur.

rent: quippe cum complures eam partem, quæ sigillatim cuique obuenit, varia ratione administrare contenderent. Atque quod mundus vniuersus semper vno & eodẽ modo se habet: * nec temerè consistit, nec casu fortuito ortus est, hanc rem maximè confirmat. Quòd si demus plures deos esse, quis rei cuiusq; procreandæ authorem & architectum exquisitè poterit cognoscere? Cui tandem preces & obsecrationes offeremus? primóne, an postremò? Quem quæso colere instituam, vt non in reliquos impius videar?

**Vide ad. pag. 15. 8. lin. 15.*

Plures Deos esse non posse.

An fortasse cum aliqua res mihi ad victum necessaria desit, ei qui opem fert, gratiam habeam: qui autem aduersatur, illum insimulem? Quem autem obtester, à quo me putem & calamitatis causam cognoscere, & eadem penitus liberari? fac responsa nobis per oracula dari: ista tamen fieri non propria ac sua vi facultateq;, sed ad Deum aliquem pertinere, quæ igitur misericordia? quæ Dei erga hominem prouidentia? nisi fortè, qui sit inter deos paulò ad benignitatem propensior, in eum, qui nullum confert inter deos discrimen, beneuolè animatus, auxilium etiam alijs inuitis ei afferre voluerit. At odium, seditio, probra inde nascerentur: quandoquidem nec sua negocia quietè gerere possent propter contentionem, nec rebus suis ac proprijs contenti esse propter cupiditatem. Et ad extremum, omnium perturbatio sequeretur, atq; confusio. At quid post ea? Constat planè, cælestium discordia res inferiores ac terrenas omninò labefactatas fore: adeò vt ordo ac vicissitudo temporum, fructuum quoque ex eorum varietate nascentium commoditas è medio tolleretur. Tolleretur etiã dies, & requies, quæ eam sequitur nocturna. verùm de his satis. Redeamus iterum ad eum sermonem, qui à nemine omninò possit refutari.

Quanto in errore versentur, qui simulachra colunt. CAP. IIII.

Gentium deos non esse deos arguunt eorũ ortus.

OMne quod principium habet, habet etiam & finem. Principium, quod in tempore existit, appellatur ortus. Quæ verò oriuntur, intereunt occiduntq; omnia: formam autẽ, temporis delet longinquitas. Quí igitur poterit fieri, vt qui mortali satu eduntur, immortales existant? Verùm talis quædam opinio per animos imperitę multitudinis peruasit, vt putet inter deos nuptias fieri, liberis operã dari. Quòd

Liberi.

A Quòd si qui procreati sunt, immortales sint, semperque de integro noui procreentur: genus illud extra modum propagari necesse est. Et cùm semper sobolis fiat accessio, quod cælum, quæue terra tantum deorum, vt ita dicam, examen in lucem susceptum poterit capere? Quid porrò dicemus de hominibus illis, qui fratrem & sororem cælestes nuptias contrahere volunt, idemque adulterij & intemperantiæ vitia in illis reprehendunt? Dicam audacius, honores eos, & munera ab hominibus illis tributa,

Libidines.

Fabricatores.

Ecclesiast. 41. 42. 43. 44.

flagitiorum & libidinum turpitudine admista redundare. Iam verò, quis arte exquisita præditus statuarius, qui cùm speciem quandam & figuram mente & cogitatione comprehenderit, non perpolitum & artificiosum opus edat: idemque obliuione ex temporis interuallo interiecto obrepente, operi à se effecto blandiatur, idque colit, vt im-

Mortes.

mortalem Deum: cùm tamen facilè fateatur, seipsum, qui mortalis est, eius statuæ architectũ, & tanquam parentem fuisse? Quinetiam sepulchra & tumulos eorum, qui in-

Sepulchra.

teritu deleri nõ possunt, ostẽdunt, & morte extinctos honoribus immortalibus colunt: dum ignorant, illud quod est re ipsa beatum & immortale, non egere veneratione ea

Deus verus figuræ omnis expers, solaq; mente cõprehensibilis.

quæ à mortalibus tribui solet. Nam quod potest intelligentia solum perspici, & comprehendi mente, nec appetit formã qua cognoscatur: nec figurã admittit, vt imaginem & effigiem. Verùm ista omnia ad gratiam mortuorũ referuntur. Dum enim vixerunt, homines erant, corporum compagibus inclusi.

Quòd Christus Dei filius cuncta creauit, ac statutum vitæ tempus singulis constituit. CAPVT V.

Constantinus quo modo Christũ colat.

SEd quid verbis impuris inficio linguam, cũ illius laudes, qui verè Deus est, prędicare instituo? Primùm igitur volo acerbitatem huius potionis, alia pura & liquida potione tanquam eluere: potio autem quæ sincera est, ex perenni fonte virtutum à Deo, cuius laudes prædicamus, proficiscentium, manat & funditur. Illud certè meum proprium munus duco, vt Christum tum recta viuendi institutione, tum gratiarum actione, quę pro multis & maximis eius beneficijs ei debetur, celebrem. Hũc ergo affirmo huius vniuersitatis stabiliuisse primordia, hominumq; procreationẽ ex-

Christus rex omnium conditor.

cogitasse: qui cũ ista verbo constituisset, etiam eos qui modò in lucem suscepti erãt, consestim in locum quendã beatum, florentẽ, variorum fructuum vbertate onustũ transtu

B lisse: quos principiò voluit scientiæ in bonis malisq; rebus internoscendis expertes esse. Tandem autẽ sedem animali rationis capaci aptam, hoc est in terra domicilium tribuisse: & iam tum illis, vtpote animantibus ratione & mente præditis, bonorum patefecisse malorumq; cognitionem. Deinceps verò genus eorum vsq; eò se dilatare præcepit, quoad spacium illud vniuersum quod Oceani ambitu circumscriptum ab hominibus incolitur, penitùs compleret. Itaq; cùm genus humanum ita creuisset, artes & scientiæ ad vsum vitæ accommodatæ, inuentæ erant. Nec minus stirps & semen animalium cuiusq; generis rationis expertium, vi quadã naturali eximiaque, quam Deus ad eã rem excogitasset, propagatum fuit. Animalibus autem cicuribus tribuebatur mansuetudo & obsequiũ, quò homini facilè parèrent: agrestibus verò robur, velocitas, & naturalis quædam seipsam è periculis eripiendi, conseruandique prouidentia. Quin hominibus manſuetorum omnium animalium dominatum commendauit Deus: contra agrestia & immania certamen quoddam instituit. Post ista, volucrum genus creauit, numero propè infinitum, natura & specie diuersum, colorum varietate eximium, musico concentu naturaliter insito imbutũ. Aliaq; omnia quæ mundus intra oras suas coercens cõtinet, vbi ritè dispẽsasset, & his vniuersis certam definitamque vitæ legem descripsisset, hanc vniuersitatem suis quasi numeris & partibus expletam decore illustrauit.

Animantium per qualitates suas in classes distributio.

In quæ animãtia Deus homini dominiũ concesserit.

De fato & casu fortuito, & quòd falsa sint quæ de illis feruntur, probatio, tum ex legibus humanis, tum etiam rebus creatis, quæ non forte fortunà, sed ordine progrediuntur, vel ex eo certè conditoris præscriptum indicantes. CAP. VI.

Natura. Fatum.

VErùm plerique homines qui sunt paulo imprudentiores, huius rerum vniuersarum ornatus causam, naturã asserunt: nonnulli illorũ, fatum, aut casum fortuitũ. Qui autem istarum rerum potestatem fato attribuunt, hi quando fatũ nominant, quid sibi velit ne intelligunt quidem: ac nomen proferunt, cùm nullam illius actionem, neque naturã, quę illi voci subiecta sit, ostendant. Quodnã enim erit ipsum fatum per se, si natura omnia procreet? aut qd putetur esse natura, si fati lex infringi & violari nequeat? Quinetiam legem quandam esse fatalẽ affirmare, perspicuè indicat, omnem illam legẽ opus esse illius qui eã promulgauit. Quod si fatum, cùm lex sit, Dei inuentum sit, omnia profectò Deo subiecta sunt, & eius virtutis nihil est expers. & fatum ex Deo esse, & idẽ eius voluntatem censeri approbamus: verùm quomodo iusticia, tẽperantia, reliquæq;

Aduersus eos, qui naturæ aut fato omnia tribuunt.

virtutes cum fato cohærere possunt? vnde ea quæ sunt his contraria, iniustitia, intemperantia aúc? quod si prauitas libera voluntate, non ex fato nascitur, virtus quoque & recta vitæ morumque institutio. Peccata autem rectéue facta, quæ sunt bonæ rectæque voluntatis propria, cùm aliter aliquando eueniant, num fortunæ aut fato ascribenda sunt? omnia etiam quæ ex æquitate, & ea virtute quæ quicque pro dignitate cuique tribuit, fiunt, quomodo fato fieri dixerimus? leges item, cohortationes ad virtutem, à vitijs auocationes, laus item & vituperatio, supplicia, omnia deniq; quæ ad virtutis studium pelliciant, auertantque à prauitate, quid est cur fortunæ & casus temeritate, non norma iusticiæ, quæ est Dei omnia prouidentia sua gubernantis propria, constare dicãtur? nam propter variam hominum vitæ rationem, quod quisque meretur, illud cuique accidit: interdum pestis & seditio, modò annonæ charitas, modò abundantia sequitur, quæ quidem palàm & apertè, voce propè emissa indicant quid sit, quamobrem ipsa aliaque eius generis vitæ nostræ importentur. Ipsa enim Dei essentia, recta hominum lætatur voluntate, impietatem omnium detestatur: moderationem animi amplectitur, audaciam, & insolentiam plusquam belluinam odit. Quarum rerum demõstrationes, licet perspicuæ in primis existant, & ante oculos cuiusque positæ: tamen quoties cogitationes nostras intra se conuocamus, & mentis acie velut in angustum adducta, causam earum nobiscum conquirimus, toties multò clarius & euidentius elucent.

Fortuna, casus.

Aduersus eos qui fortuito fieri omnia putant.

Quare vitam modestè & placidè instituere oportet, nec animum supra id quod natura patitur, efferre: sed illud cogitatione sedulò complecti, factorum nostrorum nobis semper adesse animaduersorem Deum. Verùm sic porrò exquirendum est, verumne sit quòd dicitur, omnium rerum rectionem in fortunæ & casus arbitrio sitam esse. Nunquid cælestium rerum & astrorum moderationem, nunquid terram, mare, ignem, ventos, aquam, aerem, nunquid temporum commutationem, æstatis & hyemis vicissitudines, nunquid ista omnia temerè potius & fortuitu euenisse, quã ab aliquo architecto

Prouidentiam Dei arguunt ordine, situ, motuque suo res cælestes.

fabricata, credendum est? At nonnulli, qui mente planè capti sunt, affirmant, plurimas ex illis rebus, ab hominibus ad ipsorum vsum vtilitatemque excogitatas esse. Cùm enim natura diuitias cuiusque generis quasi plena manu suppeditet, fit sanè vt ista opinio in rebus terrenis & caducis aliquam habeat rationem. Nunquid igitur ea quæ sunt immortalia, quæque nullo modo mutari possunt, hominum inuenta putanda sunt? Istorum enim & aliorum omnium de genere eodem, quæ à sensibus nostris seiuncta, B mente sola comprehenduntur, non vita hominum, quæ ex concreta materia constat, sed essentia Dei, quæ æterna est, intelligentiaque solum percepta, procreatrix existit. Quinetiam ratio illa quæ in rerum ordine cernitur, est opus certè prouidentiæ: nimirum vt dies solis orientis splendore illustrata eluceat, eoque occidente succedat nox: & cùm successerit, propter astrorum multitudinem, non omnino obscura relinquatur. Quid de luna dicendum est, quæ cùm sit eregionè solis sita, luce completur maxima: cùm autem proximè accedat, tenuissima? Ista nónne perspicacem Dei sapientiã,

Luna.

Sol.

Venti.

solertiamque declarant? Radiorum solis opportunitas, quæ plurimum valet ad fructuum maturitatem: ventorum flatus, qui ad anni salubritatem multum faciunt: imbrium refrigeratio, & apta omnium rerum compages, qua quæque accurata ratione & modo dispensantur, perpetuus ille ordo ad eundem locum recurrens vnà cum opportunis ratisq; planetarum conuersionibus, quid aliud indicant, quã testatã & illustrem Dei præscriptionem & perfectum quendam stellarum cursum, legi diuinæ obtemperantem? Altitudines etiam montium, vallium concaui recessus, camporum latè patentium planicies, nunquid sine Dei prouidentia constare videntur? Quæ res non ad spectandum solùm ornatæ existunt, sed etiam ad vsum iucundæ. Aquæ verò & terræ dimẽsiones, diuortia que fluuiorum interuallis distincta, quæ tum ad agriculturam, tum ad exterarum rerum vitæ necessariarum inuectionem plurimum valent, quid est cur exquisitam & immensam Dei prouidentiam non euidenter ostendant? Quid quòd montes aquam continent? quam cùm humilis & æquata planicies exceperit, eiusque irrigatione terram refecerit, ad vbertatem, quod reliquum est illius, in mare præcipitat, mare autem mandat Oceano: & adhuc tamen ista omnia casu & fortuitò fieri, dicere nõ dubitamus, cùm ne demonstrare quidem libeat, qua specie formaúe illud quod casu fieri dicitur, exprimamus: quippe cùm nihil habeat essentiæ, quod vel intelligentia, vel sensu percipi possit, sed solum est inanis quidam nominis commenticij strepitus, quo aures vndique circumsonent.

Astrorũ situs & motus.

Eandem arguunt montiũ maris q; & aquarum natura: variæque vires.

Ex

A *Ex ijs quæ intellectu comprehendi nequeunt, æstimandam esse creatoris sapientiam: eumq; & non casum temerarium, rerum causam existere.* CAPVT VII.

EST enim vox αὐτόματον, hominum temerè & parum considerate sentientium, & ne suam ipsorum quidem comprehendentium sententiam: sed propter imbecillitatem comprehensionis existimantiũ ea sine ratione administrari, quorum causam ipsi explanare nequeunt. Sunt omnino quædam res, quarum veritatis certa comprehensio in profundo demersa iacet: quæ quidẽ sunt admirabilẽ planè naturã assecutæ. cuius generis est vis illa aquarum calore tepescentium. Causam verò tanti caloris, nemo facilè explicare poterit. Est profectò mirabile, illud quod igneum est, cùm aqua frigida vndique circumfundatur, non insitum & inclusum calorem amittere. Videntur sanè id genus res, & in vniuerso orbe perraræ ad inueniendũ, & in exiguum numerum ad recensendũ redactæ, quo (quẽadmodum mihi persuadeo) diuinæ prouidentiæ vis ab hominib. facilius possit intelligi: quæ duas naturas maximè contrarias, ex vna eademq; tanquã radice elici exprimiq; constituit. Quanquam porrò permulta sunt, & numero ferè infinita, quæ ad hominũ solatium oblectationemq; à Deo Opt. Max. tribuuntur: fructus tamen oleæ, vitisq; in primis. altera enim ad animũ reficiendum, exhilarandumq; vim habet: altera, præterquàm quòd ad corporũ vsum valet, ad curationem præterea est accommodata. plurimũ item habet admirationis iugis & continuus fluuiorum cursus, qui noctu & interdiu fluit, quique speciem præ se fert æternæ vitæ perpetuæque. Noctis item successio eiusdem momenti est & ponderis.

τὸ αὐτόματον, *inane nomen ex ignoratione rerum introductum.*

Insinuat prouidentiam naturæ occultã veritas, vt Thermarum.

Oleæ ac vitis fructus.

Fluuiorũ perpetuus cursus.

Quòd ea quæ ad vsus necessarios conducunt, abundè mortalibus Deus suppeditat: contrà, quæ ad voluptatem faciunt, parcius: vtrunq; videlicet accommodatè ad fructum ex illis percipiendum dispensans. CAPVT VIII.

Prouidentiam arguit rerum aliarum copia, aliarũ inopia.

HAec omnia à nobis dicta sint, vti pro certo constet, nihil temerè, nihil inconsultò fieri, sed consilio & prouidentia Dei omnia: qui quidem & auri, & argenti, & æris, & reliquorum denique metallorũ genus produxit, ea quidem copia, quę ad vitam satis esset. Atq; illa quorum multus & varius vsus existeret, affatim suppeditari mandauit: alia verò quæ ad hominum delectationem & delicias solum spectarent, B sicut splendore magnifica, ita numero pauca esse voluit, quò nec parcè nimis, nec nimis largè suppetere viderentur. Quòd si eadem abundantia ipsarum rerum quæ ad ornatũ fabricata sunt, fuisset concessa: illi qui metallis è terra excidendis dant operam, vsu illarum rerum quæ ad agriculturam, ad extruendas ædes, & ad naues fabricandas aptæ sunt (vt ferri & æris) propter nimiam superiorum rerum cupiditatem neglecto, magnũ harum numerum colligere pro nihilo putarent, & ad eas res comparandas quæ ad delicias & inanem diuitiarum affluentiam pertinent, omni cura & cogitatione incumberent. Quamobrem aurum & argentum elicere, plus ferunt habere & difficultatis & la-

Aliarũ facilitas, aliarũ difficultas.

boris, quàm cætera metalla omnia: vt magnitudini cupiditatis, laboris magnitudo opponeretur. Quot etiam alia diuinæ prouidentiæ opera licet enumerare, quæ in omnibus rebus quas nobis tam copiosè largita est, cernuntur: quibus quidem humanam vitam tum ad modestiã, aliasq; virtutes omnes euidenter impellit, tum à sordida importunaq; auaritia auocat? Quorum vniuersorum rationem causamque peruestigare, maius ac difficilius quiddam est, quàm quod possit consequi & efficere humana mens. Quomodo etenim quisquam ipsam veritatem accuratè assequi, aut qua ratione caduci & imbecilli animantis mens illam sempiternam ac synceram Dei voluntatem cogitatione complecti poterit?

Dei prouidentia & consilio omnia fieri, nihil temerè.

Auri & argenti effossio cur difficilior, quã rerum cæterarum.

De Philosophis, qui nihil non scire cùm voluerint, tum opinionibus lapsi sunt, tum, propter Platonis dogmata, periculis obnoxij. CAPVT IX.

QVapropter res, quas & viribus nostris præstare valeamus, & nostræ naturæ conueniant, moliri oportet. Probabilitas enim quæ in disceptationibus versari solet, magnam partem nostri à rerum veritate abducit, quod non paucis philosophis, qui tum in differẽndi subtilitate, tũ in rerum natura indagãda magnas nugas cõsectantur, profectò cõtingit. Quoties enim, si fortè rerũ conquisitarũ magnitudo eorũ captũ superet, varijs quibusdã & argutis dicẽdi rationib. ipsum verũ obscurant? Itaq; illis accidit, vt & sibi pugnãtia opinentur, & decretis digladiẽtur inter se: idq; cũ se sapientes haberi volũt. vnde populorũ seditiones, potentiumque acerba in eos iudicia: qui dũ patrium morem labefactari putent, suum sibi ipsorum non rarò inde parent exitium.

Probabilitas ad errorẽ proclivis.

Philosophi opinionib. suis ipsis exitiosi.

Socrates

Socrates. Socrates enim differendi scientia elatus, cũ rationes valentiores, infirmiores reddere, A
& in singulis rebus, contradictionis formulis cauillari conaretur, tribulium ac ciuium
Pythagoras. suorum inuidia interfectus est. Quinetiam Pythagoras, qui modestiam admodum ex-
ercere, & silentium egregiè præter cæteros amplecti præ se ferebat, deprehensus est falso
Plato. mentitus esse. Quæ enim iam olim à prophetis prædicta fuissent, tanquam sibi, dum in
Aegypto versabatur, essent separatim à Deo patefacta, Italis tradidit. Plato ipse, qui prę-
ter cæteros erant animo mansueto & leni, quique primus hominum mentes abduxit à
sensibus, & ad res sub intelligentiam cadentes, quæ semper vno eodemque modo se ha-
bent, aciem suam intendere assuefecit, sublimia † denique suspicere edocuit: primum † Videan. not. pag. 180. lat. 2. lin. 18.
Deum, idque rectè, naturæ præfecit essentiæ: secundum huic subiecit, & duas essentias
numero distinxit, cùm eadem esset vtriusque perfectio, & secundi Dei essentia ex primi
essentia profecta: Ipse est summus scilicet opifex, & moderator omnium. Qui verò pro
xi mè & secundum illum, eius præceptis inseruit, ad eum causam omnium rerum con-
dendarum transfert. Sit igitur vnus, sicut recta ratio exquisitaque postulat, qui omnium
Dei sermo, qui & filius curã gerat, iisdemq; prouideat: sitque Deus sermo, qui omnia ordine dispenset: sermo
ipse cũ Deus sit, est ipse Dei filius. Quod tandem nomen potest ei quis imponere, præ-
ter filij nomen, quin errauerit maximè? Nam qui est omnium pater, etiam proprij ser-
monis pater meritò existimari debet. Hactenus Plato rectè prudenterque sensisse vide-
Platonis sententia de Deo eruminatur. tur. Verùm in illis quæ sequuntur, à veritate per errorem deflexit, dum deorum indu-
cebat multitudinem, & singulis singulas formas adijciebat: quæ planè causa extitit, vt
homines imperiti in maiorem errorem delaberentur: qui quidem propterea quod
Dei altissimi prouidentiam minimè perspiciebant, imagines hominum, aliorumq; ani-
malium specie ab ipsis formatas coluerunt. Contigit aũt maximam quandã, & maxima
laude dignam naturã ac disciplinam, eiusmodi erroribus permistam, impura & tetra la
be contaminari. Sed idem ipse Plato se quodammodo redarguens, videtur mihi sermo
ni correctionem adhibuisse: cũ spiritum Dei, animum esse rationis capacem perspicuè
demonstraret, omniaque in duo dispertiret genera: alterum mente comprehensum,
alterum sensu, quod quidem ex corporis coagmentatione constat. atq; illud sub intel-
ligentiam cadere, hoc cũ sensu cohærescens, totum esse opinabile. Quare illud Spiritus
sancti particeps, vtpote ab omni concretione & materia segregatum, vitam perpetuã & B
De beatorum & damnatorum animis. sempiternã obtinere: hoc autẽ sensibus subiectum, æternæ vitæ expers esse, quippe quæ
eadem ratione denuò dissoluitur, qua coagmentatum fuit. Quæ verò deinceps tradit,
habent planè admirationem: nempe illis qui integrè inuiolateq; vitam traduxerint (a-
nimos nimirum piorum & bonorum virorum intelligit) postquam è corporis custo-
dia emigrauerunt, domicilia in pulcherrimis cæli locis tanquam consecrata esse. † Istud † Videan. not. pag. 161. lat. 1. lin. 2.
sanè non modò permultum admirationis, sed vtilitatis etiã non minus continet. Quis
enim est qui huic sermoni fidem habens, hancque expectans felicitatem, vitã non opti-
mè instituere, non iustitiam & temperantiam colere, non prauitatem sedulò vitare vo
luerit? Istis etiam aptè & appositè adiunxit: improborum animos Acherontis & Pyri-
phlegetontis fluctibus, non aliter atque merces naue fracta delatos oberrare.

De ijs quibus despicatui sunt non solum Scripturæ, sed Philosophorum quoq; placita.

CAPVT. X.

SVnt tamen nonnulli catenus acie mentis perstricti, vt cũ hæc ipsa legant, non curent; nec metuant: sed contemnant potius atque irrideant, non aliter ac si fa-
bulas quasdam cõmenticias audirent. At varietatem dicendi & elegantiã laudant illi quidem, sed disciplinæ detestantur seueritatem: poetarumque commentis fidẽ
adiungunt, atq; adeò totã Græciam, totã Barbariam, inanib. & falsis præconijs celebrãt.
Poetarum de dijs fabulæ. Quod autem ad poetas attinet, illi asserunt homines, deorum filios, post mortem ani-
mos iudicare, iudicia eorũ & tribunalia laudib. efferre, mortuis præficere arbitros, quin
etiam pugnas deorũ canere: iura quædã inter eos esse bellica narrare, fata eorũ prædica
re nõ desinunt: & ex illis quosdam natura acerbos, alios ab hominũ curatione alienos,
nõnullos difficiles ac morosos esse affirmant, alios suorũ liberorum cædes lamentan-
tes introducunt: adeò vt ne charissimis quidem, nedum alienis, satis possint afferre præ-
sidij. Inferunt item, illos humanis perturbationibus agitatos: eorum prælia, vulnera,
An sit credendum poetis. gaudiũ, luctum decantant. Quæ cùm dicant, digni videri volunt quibus habeatur fides.
Quòd si, vt aiunt, diuino instinctu pulsi poeticam exerceant, illis credendum obtẽperan
dumq; videtur, in his præsertim reb. de quibus diuino quasi spiritu afflati disserũt. Deo-
rum itẽ & dæmonum calamitates memorant, quæ planè variam variarum rerum ve-
Poeticæ proprium. ritatem videntur attingere. At dixerit aliquis, Poetis liberum esse mentiri. Est enim poe
ticæ propriũ, animos audientium lenocinijs delinire: veritatis autem, vti quæ dicuntur,
non

A non aliter se habeant, quàm dicãtur. Sit etiam hoc poeticæ proprium, veritatis aliquan-
tum interdum sibi surripere. Verùm qui mendacia dicunt, non sine causa illa quidem *Mendacijcau-*
dicunt. aut enim quæstus & vtilitatis gratia, aut improbi cuiusdam facinoris sibi con- *sa.*
scij propter periculum, quod à legibus ipsis impendet, veritatem occultant. Nam fieri
potest, mea quidem sententia, vt qui de optima natura nihil, præterquàm quod veritas
postulet, dicere aggrediatur, tum à mentiendo sese, tum ab impiè aliquid agendo con-
tineat. Atqui si quis vita felici prosperaque indignus existat, sibique conscius sit, se vi-
uendi rationem sceleratam & temerariam traduxisse, redeat in viam, & ad diuinum
numen respiciat, vt oculis mentis illustratus, à deprauata illa vitæ consuetudine, quam
dudum secutus sit, sese penitùs auocet. Quinetiam optabile est, si qui paulò prouectio- *Christiana do-*
res sint, etiam tum sapientiam assequantur. Nobis verò nulla doctrina ex solis homi- *ctrina non ab*
num ingenijs profecta, aliquando profuit: Dei autem dona sunt illa omnia, quæ in ho- *hominibus.*
minum moribus & institutis apud sapientes probantur. Habeo equidem, imò tanquam
contra venenata tela, quæ mihi diabolus ex aduerso parat, non imbecille scutum op-
pono, scientiam earum rerum quæ Deo gratæ sunt, acceptaque. Hæc igitur commodè
ad eum sermonem qui à me institutus est, delegi, quò omnium patrem laudibus ex- *Ab inuocatio-*
tollerem, illo ipso opem huic pio proposito, quod suscepimus, ferente. Tu iam Christe, *ne Christi ce-*
seruator omnium, sermonẽ de tua virtute susceptum exorna, modumque grauiter & *ptat attentio-*
præclarè tuas laudes prædicandi præscribe: nemo voces verbaque eleganti artificio ex- *nem eorũ quæ*
polita, se auditurum existimet. Est enim mihi exploratè cognitum, effluentem, & ad vo- *de ipso dictu-*
luptatem factam quodammodo orationem, prudentiam auribus non parum mole- *rus est.*
stiæ allaturam: cùm qui dicunt, plausum potius quærere, quàm sapienter de rebus pro-
positis disputare contendant. Homines quidam amentes impijque aiunt, Christum ma- *Christi cẽdẽ-*
leficiorum reum, iudicio condemnatum fuisse: & eum qui amantibus author vitæ est, *natio et mors,*
vita priuatum. Nec certè mirum hoc inter eos dici, qui cùm semel pietatis fines transie- *à calumnia*
rint, nec metuunt quicquam, nec suam ipsorum improbitatem occultare instituunt. *vindicata.*
Illud etiam omnem stulticiam longè superat, videri sibi satis persuasum esse, Deum im-
mortalem, hominis violentia compulsum, non sua sola inductum benignitate & cle-
mentia, passum fuisse: nec secum cogitare, Dei magnanimitatem & tolerantiam nullo
B modo vel conuicio euerti, vel contumelia à sua grauitate naturaliter sibi insita depelli
posse: semper eorum immanitatem, qui ipsam inuadunt, ratione, & excelso animi ro-
bore refringere, & à se prorsus arcere. Dei enim clementia secum statuerat, tum iniusti-
ciam delere penitùs, tum modestiam & æquitatem extollere. Quapropter Christus sa-
pientissimis hominibus in vnum conuocatis disciplinam præclarissimam, vitæque vti-
lissimam tradidit: vt qui boni & felices esse vellent, eius prouidentiam in rebus præcla-
rè dispensandis sitam, admirarentur & suspicerent. Quo sanè quid potest præstabilius
à quoquam, aut maius bonum commemorari, quàm Deum iusticiæ administrationi
præesse, eosque qui ipsius doctrina & institutione digni sunt, similes sibi efficere, vt bo-
nitate tandem in omnes propagata, hominibus in perpetuum adsit felicitas? Hæc est il- *Infectatur im-*
lustris planè victoria, hoc verum imperium, hoc opus maximum, & vitæ maximè con- *pios & simula-*
sentaneum, vt vniuersus populus moderatè modesteque se gerat. Te igitur Deus, serua- *te religionem*
tor omnium, collaudantes, ista victoriæ trophæa tibi offerimus. Tu verò, ô improba & *colentes.*
execrabilis blasphemia (quę mendacijs efferri, rumoribus & acclamationibus niti soles)
tu inquam iuuenes in fraudes illicis, adolescentulos & viros, qui moribus paulò rudio-
ribus prædi ti sunt, blanda persuasione delinis, eosque à veri Dei religione abducis: &
statuas effingis, cõstruisque, quibus preces & venerationem impertiant: vt ita per falla-
ciam decepti, sui ipsorum inscitiæ mercedem recipiant. Christum enim Deum, Deiq;
filium, omnium bonorum authorem in crimen vocare non dubitant. An non à mo-
lestissimis prudentissimisque gentibus ac populis hic Deus meritò colitur, qui omnem
vim, virtutemque assecutus, in que suo ac proprio voluntatis proposito perseuerans, ni-
hil de clementia sibi insita imminuerit? Discedite ergo impij, (libera enim vobis facul-
tas est, vos ipsos, propter peccandi impunitatem, ad hostiarum cædes conferendi, con-
uiuia que, festa & ebrietates consectandi) discedite, inquam, & religionem specie simu-
lata colite: conferte vosmet ad voluptatem & intemperantiam explendam: victimas
immolate per fucum & fallaciam, vestris denique ipsorum libidinibus inseruite. Nihil
enim quod bonum est, animo tenetis, ne primum quidem præceptum Dei optimi ma-
ximi, qui & hominum generi normam viuendi præscribit, & vitam eorum gu-
bernandi filio concredit potestatem, vt qui rectè moderateque vitam
præsentem instituerint, ex filij sui sententia ac iudicio, alte-
ra vita beata & felici potiantur.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Domini in carne aduentu, quis & quas ob res extiterit. A

CAPVT XI.

ATq; ipse equidem Dei decretum de hominū vita instituenda sancitum, nō ignoratione, vt multi, neque opinione aut coniectura nixus, persequi aggressus sum. At vt ad propositum redeamus, dixerit forsitan quispiam, vnde filij appellatio, quis eius gignendi modus? Siquidē solus vnus Deus est, idemq; ab omni admistione seiunctus. Verùm intelligendū est, duplicem esse gignendi rationem: alteram ex partu, quæ satis nota est: alteram ex causa sempiterna, cuius rationem Dei perspicit prudentia, eademque hominibus illi charis suppetit. Sapiens enim dispensationis, quę in rebus vniuersis cernitur, causam cognoscet. Cùm igitur nihil sine causa existat, causam res ipsas antegredi necesse est. Accum mundus sit, & quæ in eo continentur, etiam existant, cumque eorum conseruatio constet: fieri non potest, quin is qui eadem conseruat, antè necessariò extiterit: adeò vt & Christus conseruationis author sit, & conseruatio ipsa vt res sint efficiat. Sicut pater filij causa est, sic filius ex causa illa genitus: quem quidem ante omnia extitisse, satis est iam demōstratum. At quomodo ad homines in terram descendit? hoc planè erat ab illo sponte propterea institutum, quia (sicut prophetæ antea prædixerant) generatim omnium curam habebat. Nam necesse est opifici, opera sua curæ esse. Cùm autem esset in mundo corpus susceperus, inque terra (istud enim humanæ salutis poscebat necessitas) nō paruo temporis spacio commoraturus, alienam quandam à communi hominum natura nascendi rationem sibi excogitauit. Nam absque nuptijs est facta conceptio, castæ virginis partus, & Dei mater virgo, æternæ naturæ iam principium in tempore sumptum: essentia, quæ mente sola percipitur, à sensibus comprehensa: & splendor ille, qui corporis expers fuit, cū materia permistus. Cætera etiam quæ in hoc mirabili viso extiterunt, sunt ijs consentanea, quę quidē insignis illa columba ex arca Noe euolans, inq; virginis sinu tandem consîdens, præsignificauit. Alia præterea eiusdem generis, quæ hymenæū illum incomprehensibilem, omni castitate integriorem, ipsaque continentia præstabiliorem sequebantur, † sapientia Dei ab ipsis incunabulis admirabili quadam dispensatione effecit. Eum etiam Iordanis fluuius, qui lauacrum baptismatis ei largitus fuerat, reuerenter coluit. Huc accedit regalis vnctio, quæ est cū omnium mente quasi cognatione coniuncta. Doctrina item & virtus, quæ res admirabiles obijt, quæque morbos curauit insanabiles. Earum verò rerum, quas homines ab eo precibus contendebant, celeris & parata expeditio, omnino vniuersa eius vita ad hominum vtilitatem relata. Disciplinam porrò tradidit, quæ non prudentia imbuit, † sed sapientia discipulos: quò non virtutes illas quæ ciuiles dicuntur, sed vias quæ rectà ad eum mundum, quem sola percipit intelligentia deducunt, perdiscerent: illudq; rerum genus, quod semper vno eodemque modo se habet, attenta animi cogitatione peruestigare laborarent, & diuinam summi patris notionem mente assiduè recolerent. Iam verò beneficia, nō mediocria illa quidem, nobis delata: pro cæcitate visus, pro virium defectione bona corporis habitudo, pro morte ad vitam denuò restitutio, prætereo copiosam illam rerum ad victum necessariarū in solitudine suppeditationem, variam in paucis esculentis ingenti multitudini ad longum temporis spacium affluentiam.

Gignendi ratio duplex.

1. Christi ex patre generatio.

2. Christi in terram descensus, & ex virgine generatio.

Christi natiuitas.

Baptismus, vnctio, doctrina.

Disciplina.

Miracula.

† Videantur pag. 162. lat. 1. lin. 13.

† Videbitur lin. 18.

De ijs qui mysterium non intellexerunt, & quòd volentes illud ignorarunt: tum quanta eos expectent, qui id cognouerunt, præmia: illos in primis, qui propter confessionem, vitam martyrio consummarunt. CAPVT XII.

HAnc tibi gratiarum actionem pro virili offerimus Christe, Deus & seruator, summi patris summa prudentia, qui & è malis nos eximis, & doctrina instruis longè sanctissima. neque ista dico, vt te laudem, sed vt gratias agam. Quis enim mortalium te satis pro dignitate prædicare poterit? Nam constat te ex nihilo res, quæ sunt, procreasse: te lucem illis attulisse: te confusam elementorum molem ordine disposuisse, & modo: tuam singularem clementiam effecisse, vt homines qui probo sint & liberali ingenio, vitam beatam studiosè consectentur, videantque diligenter, vt cum rerum planè bonarum quasi mercaturam ipsi exerceant, de sua sapientia & prospera fortuna aliquid impertiant quàm plurimis: intemperantiaque liberati, benignitatisq; facti participes, sempiternum virtutis fructum percipiant, commiserationem statuant ante oculos, fidei promissum pro certo expectent, verecundiam amplectantur, & virtutem cuiusque generis, quam communis hominum vita & consuetudo antehac ei, qui omnium susceperit prouidentiam, attribuit. Nemo enim satis idoneus repertus est medicus,

Christo gratias agit pro beneficijs in homines collatis.

A dicus, qui illis tam ingentibus malis, illique iniusticiæ, quę illo tempore in hominum vita regnabat, medicari potuerit: verum prouidentia etiam ad has res suam vim extendens, omnia quæ erant contumeliæ, & intemperantiæ prauitate disturbata, in ordinem facillimè redegit: idq; non ex occulto & latenter, sed palàm certè & apertè præstitit. neque ei obscurum erat, quosdam homines esse, qui prudentia & mentis acie suas ipsorum vires satis accuratè possent considerare: alios verò, vtpote animātium rationis expertium naturam adumbrantes, magis ad sensuum subsidia, propterea quòd in promptu sunt, se transferre. Nec quisquam dubitet, siue virtutis studiosus ille sit, siue improbus, quin Deus vitam beatam, eamque admirabilem curationem sub aspectu subiecerit: cùm ijs, qui vita excessissent, vitam secundò restitueret, & sensibus orbatos, denuò integrè sentire iuberet. Mare etiam solidum reddidisse, ex tempestate effecisse tranquillitatem: & ad extremum, vbi opera miranda edidisset, & homines ex infidelitate ad constantem fidem reuocasset, in cœlos ascendisse: cuius tandem opus putandum est, nisi Dei, & potentiæ certè longè excellentissimæ? Quin etiam tempus illud passioni destinatum, spectaculis valdè admirandis non caruit, cùm nocturna caligo diurnæ luci offusa, solem obscuraret. Nam populus vniuersus in omnib. locis magnopere extimuit, ne iā rerum omnium exitus veniisset: & chaos, sicut ante iacta mundi fundamenta, iterum vbique peruaderet. Causa verò tanti mali, & ecquid sceleris esset ab hominibus contra Dei numē admissum, vsq; eo sedulò quærebatur, quoad Deus, impiorū contumeliā cōtrā se admissam præanimi sui magnitudine penitùs contēnens, benignè cœlū omne siderum illustrasset multitudine, & ad pristinum splendorum reduxisset. Itaq; orbis terrę aspectus, quantumuis tristis & horridus, rursus ad suam quasi hilaritatem restitutus est. At dixerit aliquis (cui volupe est blasphemias loqui) Deum potuisse liberam hominum voluntatem, mitiorem, integriorem que effecisse. Quæ melior via, quod institutū plus habebat virium ad malorum animos mansuefaciendos, quàm vt Deus ipse præsens illos compellaret? An non ille hic coràm, oculis hominum conspectus, modestam viuēdi rationem docuit? Quod si Dei præsentis præceptio nihil profuerit, quid absentis, & hominum minimè iam ferientis aures prodesse potuisset? Quid quæso doctrinæ illius sanctissimæ impedimento fuit? Hominum planè peruersitas. Nam cùm ea, quæ nobis
B præclarè & vtiliter præcepta sunt, in odium rapimus, tum pacatus mentis nostræ status & moderatio labefactatur. Quid quòd illis pergratum videbatur, præceptiones contēnere, & legi promulgatæ aures ægrè & cum fastidio admouere? Quod si eam non sprecuissent præincuria, præmia digna, sua in audiendo attentione, tum in præsenti, tum in futura vita, quæ est verè vita putanda, accepissent. Merces enim Deo obsequendi, est immortalis & æterna vita: quam planè, qui Deum norint, & vitam suam eum studiosè imitando traducant, eamque tanquam perpetuum exemplar his qui in hoc vitæ stadio concertare studeant, proponant, possint quodam modo vendicare. Doctrina verò propterea sapientibus tradita est, vt quod illi præcipiant, hoc à suis studio & diligentia conseruetur: pura autem anima veraxq; est illa quidem, in qua inest firma præcepti diuini custodia, ex qua per inuiolatam fidem & synceram erga Deum pietatem nascitur mortis cōtemptio. Seculi etiam huius procellis talis anima se strenuè opponit, & in pugna, diuina virtute, cui nemo potest resistere, munita, fertur ad martyrium: quæ cum grauissimos timores magnanimitate deuicerit, corona ab illo, quifortiter ipse martyrium sustinuit, donatur, nec tamen vlla ex parte insolenter se effert. Nouit enim credo pro certo istud à Deo solo tributum, nempè vt possit præcepta diuina tum alacri animo suscipere, tum studiosè exequi. Hanc vitæ rationem sequitur memoria perpetua, æterna gloria, idque sanè meritissimo. Siquidem cum martyris vita & modestè ac piè instituta sit, & mandatorum Dei memor: mors etiam plena magnanimitatis, plenaque generosæ mentis existit. Posteà igitur hymni, psalmi, præconia & laudes ad honorem illius decorandum, qui omnium contemplator est, decantantur. Ac tali eucharistiæ sacrificium ab hominibus peragitur, vacuum à sanguine, vacuum ab omni violentia. Neque huris odor desideratur, neque ignis incensus: sed puri luminis tantum, quantum sat est, ad mentes eorum, qui preces faciunt, illuminandas suppeditandum. Modestissima etiam multorum conuiuia, tum ad egentes misericorditer & benignè subleuandos, tum ad eos iuuandos, qui patria exciderunt, instituta: quæ certè si quis absurda putet, non sentit ille quidem sicut diuinissimæ sanctissimæque disciplinæ regula postulat.

Exo. 13. 14. Ioan. 6. Marc. 4. Luc. 8.

Miracula in Christi passione edita.

Martyrij corona.

Eucharistiæ sacrificium.

Quòd partium rerum creatarum necessaria sit differentia. A

CAPVT XIII.

Rerum in mũdo conditarũ varietas.

IAm verò nonnulli in Deo incusando nugas consectantur planè pueriles, dum quærunt, quid tandem sibi voluisset, quòd non vnam eandemque eorum naturam fabricatus sit: sed multa genera, varia & naturæ repugnantia in lucem ædi præcepit, vnde dispar morum nostrorum & voluntatum ratio profecta est. Fuisset fortasse melius, tum ad morem Dei præceptis gerendum, tum ad accuratam illius comprehensionem, tum ad fidem cuiusque confirmandam, si omnes homines fuissent ijsdem moribus & vitæ institutione præditi. Verùm vt omnes ijsdem moribus eademq; indole imbuti fuissent, æquum putare, est admodum planè ridiculum. Neque enim considerant, diuersam esse mundi & rerum in eo contentarum constitutionem. Nam quæ ad naturæ rationem pertinent, non eandem vim habent cum his, quæ ad mores: neq; corporis perturbationes, cum his quæ animum commouent, eædem sunt. Neque tamen humanum genus diuinæ bonitatis expers est, neq; omninò omnium, neq; quorumlibet natura illius fit particeps: sed eorum qui diuinam naturam perueſtigant, quiq; illud vitæ genus, quod rerum diuinarum cognitione facilè primas tribuit, sibi delegerunt.

Varietas non ex natura, sed ex moribus hominum est.

Quòd creata natura, immenso ab increata interuallo distet: & quòd propius accedit ad eam homo, si ætatem in excolenda virtute traducat.

CAPVT XIIII.

Aeternorum cum ijs, quæ ortum habent nulla collatio.

EA verò, quæ ortum habent, cum æternis comparare, extremę reuerà insaniæ est. Horum enim neq; principium est, neq; finis: illa, vtpote generata ortaque, cum initium, vt sint & viuant, tempore sumant, necessariò & non sine causa finẽ habent. Ea autem, quæ generantur, cum eo, qui ipsa generari mandarit, quomodo ex æquo comparari possunt? † Ac quanquam hæc cum illo conferre amentia est, mandatum tamen vt procrearentur, ei conuenienter poterit accommodari. Verùm ne cœlestia quidem sunt cum eo conferenda: quemadmodum nec mundus iste sensibus subiectus, cũ illo, qui intelligentia percipitur: nec imagines cum exemplaribus, ad quorum similitudinem effinguntur, comparandæ. Verùm hæc omnium rerum confusio, quid est, cur non videatur esse ridicula, * cum diuini numinis maiestas, ea quæ est cum hominibus & bestijs, comparatione admodum obscuretur? Siquidẽ cupiditas principatus, qui Dei principatum exequet, quomodo non est hominum planè amẽtium, & à modestia præstantiq; vitæ ratione penitùs auersorum? Quod si diuinæ felicitatis amore flagramus, vita ex Dei præcepto instituenda est. Sic enim, fato euicto, in domicilijs immortalibus, æternisq; ætatem degemus, modum viuendi ex lege diuinitùs descripta secuti. Hæc est sola virtus in homine, quæ Dei virtuti respondet, purus videlicet & syncerus in Deum cultus, eiusdemq; diligens obseruantia, & contemplatio cognitioq; eorum, quæ summo omnium moderatori placeant. Nec mens nostra ad res caducas, terrenasq; se inclinet: sed quoad eius fieri potest, ad excelsas sublimesq; se erigat. Isto enim vitæ instituto victoriam consequi, multis bonis (vt inquit ille) pręponi debet. Causa igitur tantæ in rebus tum dignitatis amplitudine, tum dissimilitudine virium discrepantiæ, hãc habet rationem, cui quidem, qui prudentes sunt, libenter obsequuntur, & gratias agunt ingẽtes: ingrati autem & stupidi, debitum suæ arrogantiæ supplicium ferunt.

† Videan. not. pag. 163. lit. z. lin. 22.

* Videibis lin. 26.

Hominis virtus Dei virtuti respondens quæ.

Quæ præcepta Seruator tradiderit, & quàm mirandas patrauerit res: quantumque illis commodi attulerit, qui se regendos illi submiserunt.

CAP. XV.

Præcepta quædam Christi proponit.

PRorsùs Dei filium omnes ad virtutem inuitare, magistrum salutarium præceptorum sapientibus se iam pridem præbuisse, pro certò cognoscimus: nisi fortè nos nostri ipsorum obliti, præ vitiositate ignoramus, illum ad nostrã vtilitatẽ, hoc est ad hominum beatitudinem, terras aliquando perlustrasse: & ex illis, qui id temporis hominum vitæ adiumento fuerunt, longè optimos aduocasse ad se, disciplina modestę vitæ conseruatrice eos erudiuisse, fidem & iusticiam inuidiæ aduersarij diaboli (cui in optatis est simplices & imperitos rerum inescare, & in fraudem inducere) repugnantem perdocuisse. Quapropter morbo vexatos clemens intuitus est: ægrotos malis quibus vexabantur, leuauit: ad extremam paupertatem & inopiam redactis fuit solatio, prudentiæ modum cum ratione coniunctum vehementer approbauit: cuiusque generis contumeliam, cuiusq; generis ignominiam & contemptum strenuè & to-

A & toleranter ferre præcepit: taleque esse patris sui mandatum edocuit, vt casus omnes qui fortè acciderent, magno & excelso animo ferendo vincerent: hoc robur longè præstantissimum esse affirmauit, mentis nempè constantiam coniunctam cum sapientia: quæ nihil aliud est, quàm veri boniq; cognitio, quæ assuefacit homines, qui magnas diuitias habeant, easque iustè partas, vt facultates, quæ ipsis suppetunt, liberali & quasi plena manu egentioribus impertiãt. Ille ipse etiam dominatum vetat: ostenditq;, quod sicut ipse ad modestos & humiles iuuandos accesserit, ita illis, qui modestos & humiles desertos esse patiuntur, deseret & ipse gratificari. Qui cum ad hunc modum periculum de fide populi, quos sibi habebat obsequentes, fecerit, eos non modò arduarum & terribilium rerum contemptores, sed spei in ipso locatæ discipulos maximè ingenuos effecit: & vnum * ex amicis, qui admodum cessit iracundiæ, verbis reprehẽdes coercuit. ille enim gladiatorem quendam adortus, suam ipsius vitam, quo Seruatori opem ferret, profundere statuit: quem Seruator animo quieto expectare, & gladium deponere iussit: grauiterque coarguit, quòd esset ipsius perfugio præsidioq; diffisus: & legem perspicuè sanxit, eum qui violentas manus alteri inferre aggrederetur, aut eum inuaderet, qui iniuriam facere gladióue vti inciperet, violenta morte interiturum. Hæc est cælestis planè & diuina sapientia, vt pati potius velimus iniuriam, quàm facere: & cum necessitas postulet, damnum accipere, quàm inferre parati simus. Cum enim iniuriam facere, grauissimum vitiũ sit: non qui eam patitur, sed qui infert, maximo afficietur supplicio. Verùm ei integrum est, qui Deo præstat obsequium, nec iniuriam facere, nec accipere: modò Dei cõfidat præsidio, qui illi adest, auxiliumq; fert, ne à quoquam, qui ipsi obtemperet, afficiatur incommodo. At quo pacto poterit quis sibi ipsi opitulari, qui in Deo spem ponat? Ostendam equidem. Erat inter duos prælium initum, & victoria anceps. Nemo igitur benè sanus incerta certis anteposuisset. Sed quomodo poterat, qui fuisset tantas molestias & pericula expertus, de Dei præsentia & subsidio dubitare, cum semper rebus arduis Dei nutu & auxilio esset liberatus? qui etiam olim populo traijcienti mare, mandato Domini ac Seruatoris (qui viam solidam per illud præbuerat) firmè ad incedendum constratum, iter fecit. Hæc est planè, vt mea fert opinio, eximia fidei basis, hoc fundamentum fiducię, cum intelligamus istas res admirabiles, incredibilesque, quæ gestæ confectæque B sunt, Dei prouidentis mandato fieri. Hinc enim existit, vt cum quis in malorum discrimen incidat, spemq; in Deo positam firmam teneat, & immutabilem, ob fidem non illum omninò pœniteat. Ac cum talis habitus animo insitus sit, Deus domicilium suum in interiore eius locat cogitatione. Hic nulla ratione expugnari potest: nec certè anima Deum, qui vinci nequit, suæ cogitationis complexu continens, à periculis, quæ fortè circumuallant, omninò vinci poterit. Istud etiam experientia didicimus, nimirum ex Dei ipsius victoria, omnibus sua prouidentia prospicientis: qui cum iniquè ab impijs contumelia esset affectus, nullum ex passione damnũ contraxit, sed illustrissima victoriæ trophæa & coronam æternam contra nequitiam egregiè reportauit: & confracta profligataque impiorum crudelitate, institutum suæ prouidentiæ & amoris, quo iustos complectitur, ad exitum præclarè perduxit.

Sapientia vera quæ.

Petrum intelligit.

Matth. 26. Ioan. 19.

Interim tamen hic magistratus ordinarius nõ exauthorabitur, qui publicam defensionem innocentũ aduersus improbos legitimè exercet. Rom. 13. Exo. 13. 14.

Iniuriam facere quam pati grauius.

Petrus.

Fidei basis prouidentia Dei.

Philip. 2.

Christi prænunciatus est à Prophetis aduentus, ad simulachra scilicet delenda, ciuitatesque, quæ simulachra colebant.

CAPVT XVI.

Gen. 49. Eccl. 33. Psal. 22.

ATqui passio illius iam antè à prophetis prænunciata fuit, prænunciatus etiam eius ortus corporeus: prædictum tempus incarnationis, & quo pacto nefaria iniuriæ & intemperantiæ germina rectè factis & moribus ex iusticia informatis labefactata interirent, mundusq; vniuersus prudẽtiæ & modestię particeps fieret, legisq; à Seruatore sanctæ imperio per omnium ferè animos propagato, & pietas syncera roboraretur, & vana penitùs deleretur superstitio. Cuius gratia non solum animalium rationis expertiũ cædes factæ fuerunt, sed etiam homines exsacrificati, & nefanda plenaq; sceleris altaria excogitata: idque legibus Assyriorum, Aegyptiorumque, qui statuis vel ex ære fusis, vel ex alia materia fabricatis, iustas piasque animas victimarum loco mactarunt. Proinde fructum dignum tali religione tulerunt. vt illud: Memphis vastabitur, & Babylon, & solitariæ desertæque ab incolis vnà cum dijs patrijs relinquentur. Atq; ista non auditione accipiens dico, sed ipse præsens oculis aspexi, miserabilisq; fortunæ istarum ciuitatũ spectator fui. Moyses porrò ex Dei mandato regionẽ Pharaonis, per illud tempus potentissimi, labefactauit. Quem insolẽtia elatũ perfregit, & exercitum eius plurimarum fortissimarumq; gentium victorem præsidijs munitum, armisq; instructum, non coniectione telorum, non iaculorum ictu, sed sola precatione & obtestatione supplici deleuit.

A Prophetis prædicta Christi passio.

Incarnatio.

Idolorum euersio.

Apud Egiam.

Exodi Historia.

Moysis victoria de Pharaone.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Moysis sapientia, quam extranei quoq; sapientes tum admirati, tum imitati sunt: & de Daniele, & de tribus pueris. CAPVT XVII. A

Moysis sapientia.

NVllus autem illo populo beatior vel fuit aliquando, vel iam esset, si non animos suos à Spiritu sancto, tāquam abdicatiōe quadam abalienauisset. At quid de Moyse pro dignitate satis dici potest? Qui populū confusione quadam turbatum, in ordinem redegit: qui leui persuasione & modestia eorū animos tranquillauit: qui illis pro seruitute libertatē reddidit, qui pro mœstitia lætitiam attulit: qui eò vsq; eorum sensim prouexit animos, vt illi ipsi graui admodum in contrariam partem facta mutatione, & prospero rerum præclarè gestarum euentu, superbè & insolenter se efferrent: qui etiam tantum illis, qui ipsum ætate anteirent, sapientia præstitit, vt sapientes & Philosophi à Gentilibus plurimùm prædicati, eius sapientiæ æmuli & imitatores existerent. Pythagoras enim eius sapientiam imitatus, vsq; eò propter modestiam omnium sermone celebrabatur, vt Platoni homini planè modestissimo eius continentia, tanquam exemplar ad imitationem proponeretur. Daniel porrò, qui futura vaticinatus est, eximiæ in primis magnanimitatis officium sedulò obiens, moribus & totius vitæ præstantia excellens, quantum & quàm asperum laborem exantlauerit, iussu tyranni (cui nomen erat Nabuchodonosor) tum Syriæ imperium obtinentis? Cuius quidē stirpe deleta, augusta illa & ingens potestas ditioq; ad Persas delapsa peruenit. Tyranni illius opes, & importunum nefariæ religionis studium, vsque ad hoc tempus famę celebritate peruagata sunt. Adde huc metallorum cuiusq; generis ad deos ornandos magnificentiam, templorum fastigia ad immensam altitudinē erecta, detestabiles religionis leges ad crudelitatem institutas. Quæ omnia Daniel, propter integram & inuiolatam erga verum Deum pietatem, contemnens, importunū tyranni studium, grauis cuiusdam cladis causam fore diuinauit. Verùm neutiquā tyranno persuasit. ingens enim diuitiarum affluentia erat impedimēto, quo minus ad meliorem mentem rediret. Quippe princeps iste tādem ferā illius mētis immanitatem, dum iustum virum bestijs ferocibus dilaniandum tradi iubebat, perspicuè patefecit. Quid itē degenerosa fratrum, quos posteri imitati, fidem Christi Seruatoris ad summā gloriam extulerunt, in martyrio subeundo consensione dicā? Qui in ignis incendio, in fornace ardente, inq; suppliciis alijs ad membra exedenda paratis, illæsi extiterunt, castoq; corporum obiectu rogi flammas in fornace circumiectas ab se depulerunt. Daniel autē, postquam Assyriorum regnum fulminū iactu excisum ad nihilum venerat, diuina prouidentia ad Cambysem Persarum regem delatus est. At inuidia illic etiam eum est insecta, cui accesserunt pernicioſę magorum insidię. Quinetiam pericula magna multaq; secuta sunt, ex quibus omnib. Christi prouidentia opem ferente liberatus, propter spectatam cuiusq; generis virtutem, facilè primas obtinuit. Nam magi cum ter in dies singulos preces fundentē, magnaq;, egregia & memorabilia edentē facinora, ꝓpter crebrā precationum exercitationem in crimen vocare. Tantam eius vim virtutemq; admodū periculosam esse, apud principem calumniari, eiq; persuadere cœperunt, vt idē ille, qui in commune Persis tot tantorumq; bonorum author fuisset, feris leonibus pro pastu obijciendus condemnaretur. Quare Daniel non ad interitū condemnatus, sed ad perpetuam famæ ac nominis sui celebritatem, in lacum conclusus fuit: qui cum inter medias bestias versaretur, eas leniores mansuetioresq;, quàm qui illum ibi cōclusissent, cōperit. Nam omnes illas natura sua rabidas, precatione, quæ mansuetudini & modestiæ suę subsidio fuit, cicures ac mites effecit. De quibus cum Cambyses certior factus esset (non enim poterat fieri, vt tantæ tamq; diuinæ virtutis præclarè res gestæ in obscuro laterent) eorum, quæ nunciabantur, sicut admiratione planè obstupuit: ita eum pœnituit, maleuolis magorum calumnijs tam facilè persuasum. Veruntamen illud spectaculum ipse suis oculis conspicari voluit, qui cum virum, vtraq; manu cœlum versus subla ta, Christum laude celebrare, & leones substratos, hominis vestigia quodam modo venerari cerneret: * confestim magos, qui ipsi persuasissent, eidem addixit supplicio, & in spelunc am leonum compegit. Bestiæ autem, quæ paulò antè Danieli blanditæ fuissent, magos adortæ, eos totos, sicut earum natura fert, deuorarunt.

Graeci sapientes Moysis doctrinam æmulati.

Pythagoras.

Danielis virtus.

Tres pueri fornaci ardenti inclusi.

Magorum insidiæ in Daniclem.

Daniel denuò leonibus obiectus.

Vide Philonem in vita Moysis & historia Exodi & Danielis.

B

* Vide anno. pag. 155. lat. 1. lin. 9.

De Sybilla Erythræa, quæ in fatidicorum carminum suorum Acrostichide, hoc est primis cuiusq; carminis elementis, Christi passionem exprimit. est autem Acrostichis, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX. CAPVT XVIII.

De hac Acrostichide, vide Cicer. li. 2. de diuinatione. Vide eiusdem de diuinatione.

OCcurrit etiam in hoc loco ad commemorandum, testimonium quoddam de Christi diuinitate, ab illis, qui à fide nostra alieni sunt, petitum. Nam illi, qui ei tam contume-

A tumelioſe obtrectant, si vel suis ipsorum testimonijs fidem tribuere voluerint, ex ijsdē satis poterunt intelligere, illum & Deum, & Dei filium esse. Sibylla enim Erythræa, quę se sexta post diluuium ætate fuisse affirmat, quæq; sacerdos erat Apollinis, corona similiter cum Deo illo, quem colebat redimita: quæ etiam tripodem serpentis amplexu circumplicatum obseruans, ijs qui quicquam ab ipsa scisitabantur, respondit, se parentū inscitia illi cultui dicatam fuisse: quem cultum nihil in se complecti, quod ad honestatem faceret, sed hominum animos pudore spoliare, non aliter atque historici de Daphne prodiderunt: hæc inquam Sibylla quodam tempore intra adyta illa, in quibus tam absurda & planè inepta superstitio vsurpari solet, conclusa, & diuino quodam instinctu afflata, versibus ea, quæ erant de Deo futura prædixit, notisq; & ordine primarum literarum (quæ ἀκροστιχὶς dicitur) historiam de Iesu aduentu declarauit. ἀκροστιχὶς hæc quidē est, IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SERVATOR CRVX. Eius autem carmina infrà scripsimus.

Sibyllæ Erythrææ de Christi aduentu Acrostichis.

Cic. lib. 2. de diuinatione.

lationem apud D. Augustinū, lib. 18 c. 23. de ciuitate Dei: extat autē & Græce quoq; inter cætera oracula Sibyllina & translata est à Castalione & alijs.

I udicis aduentu magni sudore videbis
E manare solum. Tunc rex æternus ab arce
S yderea præsens carni ius dicet, & orbi,
V t spectare Deum pia gens, atque impia possit,
S ublimem carne humana sanctaq; caterua
C inctum, supremoq; homines qui iudicis æuo,
H æc erit omnis humus vepres & tristis arena,
R escindent simulachra homines aurumq; repellent,
*I ncendentq; auidè terram, mare, sydera, flammæ.**
S tabunt functorum sub apertum corpora lumen,
T etraq; mens, & sancta illo splendore patebit.
V oce latens facinus, quod gessit quisq; loquetur,
S ubdolaq; humani pandentur pectoris antra.
D ira mali facies, pauor vndiq; & vndiq; luctus:
E t iubar inuoluent solis, stellasq; tenebræ.
I am vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther.
F erre caput valles, disiectis alpibus, imas
I usserit: humanum culmen fastusq; iacebit,
L ataq; planities montes æquabit, & altum
I nactum rate stabit, & vrent fulmina terras.
V nà deficiet flagrans cum fontibus amnis.
S tridula de cælo tuba fundet lugubre murmur,
S upremumq; orbi canet exitiabile carmen,
E t subito Stygium chaos apparebit hiatu.
R egnantumq; Dei celebrabit turba tribunal.
V ndaq; sulphureæ fluet alto ex æthere flammæ,
A fflabit mortale genus insigne coruscans,
T rabs sancta in rectis animis optabile robur,
O mnibus vna pijs vitæ melioris origo:
R ursus vesani dolor, atq; offensio mundi,
C ollustrans vndis duodeno in fonte fideles.
R egnabit latè pascentis ferrea virga,
V nus & æternus Deus hic seruator & idem,
X hristus pro nobis passus quem carmina signant.

* Vide anno. pag. 164. lat. 2. lin. 23.

Atq; ista in virginis animum diuinitùs planè illabebantur, ad prædicendum. Eam igitur ego beatam puto, quam Seruator vatem, ad diuinandum de sua in nos prouidentia, delegit.

Quòd vaticinatio de Christo, à nullo illorum, qui in ecclesiasticorum numero censentur, conficta sit: sed Erythrææ Sibyllæ reuera existat, cuius libros Cicero ante aduentum Christi, in Romanam linguam conuertit: cuius etiam Virgilius meminit, & partus virginei: sub ænigmate arcanis q; verbis, propter principum metum, mysterium celebrans. CAP. XIX.

VErùm multi sunt, qui nullam fidem ei adiungunt: idque cum fateantur Sibyllam vatem Erythræam extitisse: Imò verò suspicantur quendam nostræ religionis professorem, poëticę non ignarum, ista carmina contexuisse: falsoque inscripta esse, & in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ter Sibyllæ oracula numerata: quæ sanè sententiasperquam vtiles, cum ad nimiam vo- A luptatum licentiam circuncidendam, tum ad adytum rectà ad temperantem modestiã- que vitam perducentem, aperiendum continēt. Verùm de huius rei veritate satis constat. quippe nostri homines, tempora adeò accuratè & magno studio collegerunt, vt nemo possit suspicari, hoc poema post Christi in terras descensum editum fuisse: atque illi propterea mendacij perspicuè conuincuntur, qui ista carmina non olim à Sibylla cõdita esse prædicãt. Perspicuum enim est, Ciceronem, istud poema cùm fortè perlegisset, in Latinum conuertisse sermonem, suisq; scriptis attexuisse, quem ab Antonio rerum summa potito interfectum constat: Antonium autem ab Augusto, qui quinquaginta sex annos regnauit, superatum: Augusto item successisse Tyberium, cuius temporibus Seruatoris aduentus mundo illuxit, & sanctissimæ religionis mysterium vigere cœpit, & noua secuta est populi propagatio. De qua arbitror eum, qui ex poëtis Italorum est facilè præstantissimus, ita ceciniſſe.

Acrostichidē illam verè à Sibylla esse proditam.

Cicero acrostichidem Sibyllinam interpretatus.

Virgilij Maronis alia de Christo carmina, in quibus ostenditur, per inuolucra quædam ac integumenta (vt poëtis mos est) mysterium enodatum.

CAPVT XX.

Virgilij Sibyllinorum oraculorum interpretatio.

I*Am noua progenies cælo dimittitur alto.*

Videtelogam quatam Virgilij.

Et iterum in alio Bucolicorum libro:

Sicelides Musæ paulò maiora canamus.

Quid isto apertius? Addit enim:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Cumæam vult planè Sibyllam esse. Neque his contentus erat ille quidem: sed progressus est longius, adeò vt eius vti testimonio necessitas postulare videatur. Quid igitur dicit?

Magnus ab integro seclorum nascitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.

Quid ergo? Quæ est illa virgo quæ redijt? Annon quæ plena & grauida facta est è Spiritu sancto? Et quid obstat? quo minus puella hæc grauida è spiritu Dei, virgo maneat perpetuò? Reuertetur etiã Dominus ipse, qui virgo est. Secundò, & orbem afflictum ad- B uentu suo leuabit. Adiungit item poeta:

Tu modò nascenti puero, quo ferrea primùm
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta Lucina fave.
Hoc duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras.

Cur Poetæ tractãdis mysterijs adhibeant ænigmata.

Perspicuè igitur possumus intelligere, etiam hæc, quæ dicta sunt, per allegoriam occultè, his qui vim verborum altius perquirunt, Christi diuinitatem sub aspectu subijcere: ac poëtam, ne quis princeps in ciuitate, quæ caput Imperij est, ipsi, quòd contra patrias leges scripsisset, quodq; maiorum instituta olim de dijs sancita reiecisset, crimini dare posset, veritatem tanquam inuolucris quibusdam texisse. Vidit enim credo, beatum & eximium aduentus Seruatoris mysterium: verùm vt immanem euitaret crudelitatem, mentes audientium ad suam ipsorũ consuetudinem traduxit: aitq;, nouæ proli aras extruendas esse, templa apparanda, sacrificia obeunda. Ea igitur, quæ sequuntur, aptè ad prudentum intelligentiam inducit. ait enim:

Ille deũm vitam accipiet, diuisq; videbit
Permistos heroas, & ipse videbitur illis: *Vez, iustis.*
Pacatumq; reget patrijs virtutibus orbem.
At tibi prima puer nullo munuscula cultu
Errantes hederas passim cum baccare tellus,
Mistaq; ridenti colocasia fundet acantho.

Vir admirabilis, & omni doctrina eximiè ornatus, accuratè illorum temporum perspiciens crudelitatem,

Ipsæ lacte domum (inquit) referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones.

Vera planè sunt, quæ dicit. nam regiæ aulæ principes fides non extimescet:

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores,
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet: Assyrium vulgo nascetur amomum.

His

A His certè nec verius quicquã, nec ad Seruatoris virtutẽ aptius dici poterit. Ipsa enim Dei cunabula, Spiritus sancti virtute fragrantes flores nouæ soboli extulerunt. [a] Serpẽs verò, à quo primi nostri parentes primũ in fraudem impulsi, & mentes eorum à temperantia naturaliter ipsis insita ad voluptatum blanditias traductæ erant, vt interitum ipsorum ceruicibus impendentẽ planè perspicerent, omnino perijt, & venenum eius pariter sublatum est. Quippe vt ante Seruatoris descensum, ignoratio immortalitatis, quę iustis tribuitur, animos hominũ nulla spe bona adhuc cõfirmatos penitùs fregit: sic cũ ille passus fuisset, & corpus quo circũdabatur, esset à Spiritus sancti cõmunione ad tempus separatũ, resurrectionis vis hominib. patefacta fuit: & si quæ labes humanorum scelerum residebat, illa vniuersa sacro baptismatis lauacro abstersa. Tunc igitur illos qui ipsi parebant, bono animo esse iussit: & veneranda sua, eximiaque resurrectione admonitos, similia sperare mandauit. Itaq; nõ sine causa fallax herba veneni óccidit: óccidit etiã & mors: resurrectio aũt tanquã sigillo cõfirmata est. Cũ autẽ dicit † Assyrium amomum vbiq; nasci: Assyriorũ genus, quod fidei diuinæ causa fuit, multitudinemque hominum Deum religiosè colẽtium innuit. Quæ planè non aliter quã densa ramorum velut multitudo ex vna radice odoriferis floribus pollulat, ex æquabili roris temperatione rigata efflorescit. Eruditè igitur, ô sapientissime poeta Maro, dixisti, & quæ sequũtur omnia his aptè respondent:

Christi cunabula.

[a] Serpens.

Herba venenũ, Mors.

† Vide annot. pag. 166. lat. 1. hn. 24.

At simul Heroum laudes, & facta parentis
Iam legere, & quæ sit, poterit cognoscere virtus.

Per Heroum laudes, iustorum hominum rectè facta significat: per virtutẽ patris, mundi fabricam, & molitionem Dei ad æternum tempus duraturam intelligit. Fortasse etiam leges, quibus sacrosancta Ecclesia vtitur, dum vitã humanam ex iustitiæ & temperãtiæ regula instruit. Est præterea illud summè mirandum, quo pacto homines, quorũ vita quasi media inter bonorum malorumque vitã interiecta est, quæque subitam repentinamque mutationẽ neutiquã admittit, ab eo rudi mediocriq́ue vitæ genere ad cæleste ac diuinum, quod in rebus mente sola comprehensis positum est, ascenderint.

Heroes.

Molli paulatim flauescet campus arista,
Hoc est, fructus diuinæ legis ad hominum vsum producetur.
Incultisq; rubens pendebit sentibus vua.
B Id est, mores qui non erant impia viuendi ratione deprauati.
Et duræ quercus sudabunt roscida mella.

Inscitiam hominum illius temporis, & rudes impolitosque mores describit. Ac fortasse etiam eos qui labores à Deo exantlatos audiant, suauem quendam fructum ex sua ipsorum in arduis rebus tolerantia percepturos demonstrat.

Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis,
Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ iubeant telluri infindere sulcos,
Alter erit Typhis, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt etiam altera bella,
Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Scitè quidẽ ô poeta sapientissime, poeticã enim facultatẽ, non extra decori fines proiecisti. Nã tibi, cùm non esses propheta, vaticinari nõ erat propositum. Obstabat etiam, credo, periculum quoddã, quod ipsorum capitibus imminet, qui patria instituta coarguũt. Prouidè igitur & absque periculo, quoad eius fieri poterat, his q intelligentiæ acumine valent, veritatẽ aperuit, ac turres & bella criminatus (quæ certè iam in hominũ vita cernuntur) Seruatorẽ ad bellum Troianum proficiscentẽ depingit: per Troiã, mundum vniuersum intelligit. Nã & prouidentia propria, & patris iussu in terrã demissus, ex aduerso cum improba hostium manu dimicauit. Sed quid postea dicit Poeta?

Per Troiam allegoricè mũdum notat.

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas,

Hoc est, vbi adoleuerit, malis quæ vitam humanam occupant, radicitùs extirpatis, totam terram pacis ornamentis decorabit.

Cedet & ipse mari victor, nec nautica pinus
Mutabit merces, omnis feret omnia tellus:
Non rastros patietur humus, non vinea falcem,
Nec varios discet mentiri lana colores.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Aggredere ô magnos, aderit iam tempus, honores,
Cara Deum soboles, magnum Iouis incrementum.

Aspice conuexo nutantem pondere mundum,
Terrasq́; tractusq́; maris, cælumq́; profundum:
Aspice, venturo lætentur vt omnia seclo.
O mihi tam longè maneat pars vltima vitæ,
Spiritus & quantum sat erit, tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus, huic mater quamuis, at que huic pater adsit.
Pan etiam Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.

Aspice, inquit, immensi orbis, & omnium elementorum hilaritatem. Ista aliquis fortè parum prudens, de hominum ortu ac stirpe dici existimauerit. Verùm quàm rationem habere, potuerit, vt prole hominis satu edita, terra non rastros, non aratra passura esset,† nec vitem falcis aciem, nec alium cultum desideratura? Aut quo pacto hoc quod dicitur, in humana sobole ac stirpe intelligitur? Est enim natura diuini scilicet mandati quasi famula, non humani præcepti ministra. Quinetiam hilaris elementorũ aspectus, Dei descensum, non hominis alicuius conceptionem indicat. Quòd autẽ poeta vitæ exitum sibi longius propagari optet, est diuini planè aduẽtus inuocatio. A Deo enim, non ab homine vitam, conseruationemq́ue petere consueuimus. Erythræa etiã cum Deo sic loquitur: Quid mihi, Domine, diuinandi necessitudinem imponis, ac nõ potius è terra in sublime sublatam, ad diem vsque sanctissimi aduentus tui reseruas? Maro item, præter illa quæ sunt iam citata, hæc affert:

Natura diuini mãdati famula.

† Videan. not. pag. 166. lat. 1. lin. 40.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem,
Matri longa decem tulerint fastidia menses.
Incipe parue puer: cui non risere parentes,
Nec Deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est &c.

Quòd ista dici nequaquam poterant ab eo qui tantummodo homo esset: & quòd infideles, ob diuini cultus ignorantiam, ne suum ipsorum quidem ortum intelligunt.

CAPVT XXI.

QVomodo † enim huic non risere parentes? Quia ille qui est eius parens, est vis quædam expers qualitatis: & licet figuræ sit expers, in aliarum tamẽ rerum descriptione cernitur: idq́; humano corpore vacans. Vacare etiã cubili Spiritum sanctum, quis ignorat? Quæ tandem cupiditas, quod desiderium ei in bono expetendo B adest, cuius amore inflammantur omnia? At quid sapiẽtiæ cum voluptate commune? Verùm ista illis ad loquendum permittantur,† qui humanã quandam Dei procreationem inducunt, quiq́; animũ suum omni turpis facinoris & cõuicij macula purgare minimè elaborant. Te ô pietas inuoco, tuũ auxilium in his quæ dicuntur imploro: quæ quidẽ & legem quandam sacrã castamq́; præscribis, & optatissimã omnium bonorum spem (quæ est sanctissimæ immortalitatis magistra, & vera certaq́; promissio) ostentas. Te ô pietas, vnà cũ clementia, adoro. Tibi, pro tuis subsidijs, nos, qui his eguimus, gratias debemus immortales. Temeraria multitudo tui auxilij ignara, propter odiũ innatũ, quo incenditur aduersum te, etiã Deum ipsum detestatur. Omnino enim nec vitæ suæ causam, nec se, nec reliquos impios, ex officio & cultu Deo Opt. Max. debito pẽdere agnoscit. Totus enim orbis, & omnia quæ eius ambitu continentur, sunt illius possessio.

† Videan. not. pag. 167. lat. 2. lin. 13.

Ad pietatem facta apostrophe ipsam laudat.

† Videantur dem lin. 17.

Gratias agit Deo, victorias, & prosperam in reliquis rebus Imperatoris fortunam commemorans: inuehensq́; in Maximinum tunc temporis tyrannum, qui per persecutionis atrocitatem, maiorem gloriam pietatem illustrauerat. CAP. XXII.

EGo certè & prosperã meam fortunã, & meas res oẽs pietati acceptas refero. Testis est etiã, rerum omniũ exanimi sentẽtia euentus: testes sunt præclara facinora, testes victoriæ cõtra hostes, & trophæa. Iuxtà mecũ hęc nouit, & cũ laude propterea Deum celebrat illustris & eximia ciuitas Roma. Assentitur itẽ populus vrbis mihi clarissimę, licet falsa spe deceptus, principẽ se indignũ delegerit: qui quidẽ extemplò ,p scelerib. ab ipso admissis, iustas debitasq́; pœnas persoluit. Quæ certè cõmemorare nõ est integrũ, mihi præsertim, q apud te (ô pietas) dissero, omniq́; studio & industria incũbo, quo pacto te verbis castis decorisq́; affari queã. Dicam tamen fortassis aliquid (ô pietas) quod nec turpitudinis, nec indecori quicquã in se cõplectitur, furore tamẽ & crudelitate redundãs. Cùm bellũ pestiferum contra oẽs sanctissimas tuas ecclesias à tyrãnis excitaretur, & nõ nullj in vrbe Roma se tãtis malis & tam insigniter improbis oblectare non desisterent, campusq́; esset ad pugnã præstitutus: tu in mediũ progressa, teipsam fide in Deũ roborata munitãq́;, aduersarijs opposuisti. Mortaliũ verò impietate nobilitatorũ crudelitas, velut

Felices successus suos pietati tribuit Imperator.

Maximini Tyranni historiam vide in Eusebio lib. 8. ca. 26. 27. & 28. 29. item lib. 9. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & de vita Cõstantini lib. 1. cap. 30. 31. 32.

Interitus tyrannorũ qui ecclesias persecuti sunt.

A velut ignis rapideq́; omnia absque intermissione depascens, admirabile gloriæ decus & omnino eximium tibi apportauit. Ac propterea ipsos spectatores permagna cœpit admiratio, cũ videret liceret lictores, & eos qui piorum corpora torquebant, in irrogandis supplicijs fessos languere, grauiterq́ue diuexari, vincula etiam resolui, cruciatus ipsos retundi, & incendiorũ flammas circũiectas restingui: & constantem ac liberã fidei confessionẽ, ne vel ad exiguum tẽporis spaciũ, à sanctis remitti. Quid ergo, cùm ista molieris ô scelestissime, profecisti? Quæ causa, quæso, te ex mentis statu deturbauit? Dixeris fortasse, propter deorum honorẽ: at quorũ quæso? aut quã cogitationem dignã diuina natura suscepisti? deósne more tuo iracundos putabas? Quod si tales fuissent, oportuerat potius eorũ institutum admirari, quã impudentib. importunisq́; mandatis illorum, qui iustorum hominum cædes iniustè fieri suadebant, morem gerere. At dixeris forsitan, te ob maiorũ instituta, hominumq́; existimationẽ hæc aggressum. Assentior equidem: nam instituta illa & similia sunt illis qui ea sanciuerunt, & vnam eandemq́ue declarant insciti ã. At forsan singularem quandam vim in statuis ad humanam effigiẽ à fabris & architectis fabricatis inesse censebas: ac propterea istas res accurabas, omni studio adhibito, ne simulachra deorum maximorum, præstantissimorumq́ue, humana ope & curatione egentium, turpi labe aliquando contaminarentur.

In Maximinũ inuehitur.

De institutione vitæ Christianorum: & quòd Deus delectatur ijs qui viuendo virtutem exprimunt: quodq́; iudicium & retributionem expectari oportet. CAP. XXIII.



IT nostrã religionem, amabo te, cum vestris institutis accuratè cõparando expende. An non hic vera & germana concordia? annon perpetua benignitas? annon errati reprehensio, quæ admonitionem adhibet non ad perniciem, sed ad curationem: non ad crudelitatem, sed ad salutem, synceramq́ue fidem, primum erga Deum, deinde erga hominum, quam natura deuincit, societatem? Huc accèdit misericordia in eos, quos aduersus fortunæ casus oppugnauerit: vita simplex synceraq́ue, nullo versutiæ fuco improbitatem obtegens. Veri etiam Dei, & vnius principatus agnitio, annon hic satis apparet? hæc est vera pietas, hæc integra inuiolataq́ue omnino religio: hæc vita modesta, quam qui sequuntur, tanquam regiam quandam B & frequentatam viam insistentes, ad æternam vitam rectà proficiscuntur.

Collatio Christianismi & Ethnicismi.

Vita more sq. Christianorũ.

Nemo enim omnino moritur, qui talem instet viuendi viam: sed animum corporis contagione ac sordibus exuens, potius munus obit à Deo sibi impositum, quàm mortẽ oppetit. Qui namq́ue Deum ingenuè confitetur, non contumeliæ, non iracundiæ sponte succumbit: sed generoso animo necessitatem subiens, tolerantiæ suæ periclitationẽ habet, tanquam subsidium sui ipsius erga Deum amoris & beneuolentiæ. Neq; enim dubium est id quidẽ, quin Deus hominum virtutem probitatemq́; lubens amplexetur. Etenim videretur planè absurdissimũ, si qui omnib. præstet, princepsq́; omnium, atq́ue adeò bonũ ipsum sit, reddere beneficium negligeret, cũ homines, quib. non satis suppetant facultatum, quiq́; paulo egentiores sint, grato & beneuolo animo gratiã referre, beneficiaq́ue cõpensare velint: etiamsi illi qui ipsis gratificati sunt, de ea re minimè laborare videantur. Atque illud quod dixi bonũ, nos per totum vitæ cursum comitatur: nobisq́; tum præstò est, cũ aliquid boni agimus. Et quãquam Deus nos fortitudinis & propensæ voluntatis causa approbans, extemplò quidem nos aliquo compensat beneficio: tamen cumulatam illam nostri remunerationem in aliud tempus differt. tunc enim de vniuerso vitæ modo ratio erit inita, subductaq́;. Quòd si vitæ modus, rectè se habuerit, æterna vitæ merces consequitur: improbos autem, debitum supplicium exagitat.

Confessio Dei vera qualis.

Præmia vitæ quando Deus conferat.

De Decij, Valeriani & Aureliani contra Christianos insultatione, qui se in miserrimum vitæ finem coniecerunt, propter Ecclesiæ persequutionem.

CAPVT XXIIII.

Vide de his Euseb. supra li. 6. cap. 33. li. 7. 9. 10. 23. 24. & † Videantur pag. 167. lat. 2. lin. 35.

ABs te iam, † Deci, scisciatari volo, qui aliquando iustorum laborem insectatus es, qui Ecclesiam odio habuisti, qui pœnam piè sancteq́ue vitam degentibus irrogasti, quid crudelitatis iam post hanc vitam patras? imò verò quibus & quàm acerbis calamitatibus ipse quasi irretitus teneris? Tuam porrò infelicem & miseram conditionẽ satis declarauit illud temporis interuallum, tanquam inter vitam & mortem interpositum, cũ ipse in agris Scythicis vnà cum omnib. copijs prostratus, Imperium Romanũ omnium ore celebratũ Getis ludibrio & despectui obiecisti. Quin tu Valeriane, eandẽ crudelitatẽ in Dei famulos ostendens, iustũ sanctũq́; Dei iudiciũ quasi ante oculos omniũ statuisti: dũ captiuꝰ prehẽsus eras, & vinctus ducebaris, purpura & reliquo

Decij clades.

Valeriani interitus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

reliquo apparatu regio indutus. tandem à Sapore rege Persarum iussus excoriari, saleq; A conditus, sempiternum tui infortunij trophæum ante omnium oculos statuisti. Tu etiam Aureliane, omnium scelerum incendium, cùm in Thraciam quasi aperto marte & insanæ mentis impetu ferebaris, in media via cęsus, orbitas in via impressas impio cruore compleuisti.

Aureliani cædes.

De Diocletiano, cuius regia, postquam Imperium cum dedecore deposuisset, propter Ecclesiæ diuexationem, ab ictu fulminis conflagrauit. CAPVT XXV.

Diocletianus quoque, cùm post cruentā cædem in persecutione factam, ipse contra se quodammodo † propter vitium amentiæ & delirationis, suffragium tulisset, se vnius abiectæ & humilis mansionis munitioni ac præsidio concredēs, pœnas dedit. Quid ergo huic profuit, bellum contra Deum nostrum concitasse? Vt certè, mea quidem sententia, reliquam vitæ partem miserè transigeret, dum sibi semper metueret malè, ne fulminis ictu cōcideret. Ista loquitur Nicomedia: non tacent etiam qui eadē oculis viderunt: ex quorū numero ipse equidē sum. Palatium eius & domus sanè, fulmine eam depascēte, faceq; cælesti exedente vastata fuit. Quas res ita euenturas, sapientes planè prædixerāt: neq; enim siluerunt, neque mœrorē pro scelerib. tam iniquè contra Christianos admissis, susceptū simulatione occultarunt: sed perspicuè ac palàm ipsi inter se liberè de issdem disseruerunt. Quis talis furor, quæ planè principatus insolētia, vt homines cū sint, audeant tamen Deum bello lacessere, inque religionē sanctissimam iustissimamq; vesano animo insultare, & tam infinitæ populi hominumque istorum multitudini, nulla causa antecedēte, exitium moliri? O præclarū modestię, qua omnes subiecti erudiantur, præceptorē: ô magistrum prouidentiæ, quā exercitus erga cives suos habere debeat: pectora tribulium suorum vulnerarunt hi, qui ne terga quidem hostium vnquam in acie aspexissent. Ad extremum igitur impiorū facinorum scelus, non tamen absque damno publico, diuina vlta est prouidētia. Tot planè factæ sunt cædes, quot quidem si in Barbaros factæ fuissent, satis multæ ad æternam pacem constituendam videri potuissent. Totus Imperatoris, quem suprà dixi, exercitus cum ditioni cuiusdā ignobilis & abiecti hominis, imperium Romanum vi rapientis subiectus esset, multis & varijs prælijs cuiusque generis, diuina prouidentia vrbem præclarissimam in libertatem vindicāte, penitùs dissipatus & exhaustus est. Atqui voces oppressorum, & libertatem naturaliter insitam appetentium, quinetiam laudes in gratijs Deo pro libertate & communione vitæ, coniuncta cum iustitia, illis reddita agendis, quid est cur nō omnibus modis Dei prouidentiam & singularem eius erga homines amorem insigniter ob oculos omnium ponant?

Diocletiani meritum infortunium.

† Videan. nor. pag. 168. lat. 1. lin. 3.

Palatium Diocletiani fulmine tactum.

Quòd Imperatori pietatis causa Deus fuerit: quodq;, vt rectè res administremus, ad eum confugere oporteat, easq; ipsi acceptas ferre: quicquid autem peccatum fuerit, id omne nostræ cessationi imputare. CAPVT XXVI.

QVando autem meam administrationem, quæ diuino afflatu sumpsit initium, laudant, an non Deum meorum rectè præclareque factorum authorem confirmant? Maximè certè. Est enim proprium Dei munus, obire quæ optima sunt: hominum autē, Deo obtemperare. Est præterea, credo, ministerium pulcherrimum præstantissimumque, vt quis antequā res aggrediatur, ita se præparet, vti res agendas possit cum securitate transigere. Ac nemini porrò obscurum est, sanctissimum manuū ad cælos sublatarū cultum cum fide pura & syncera coniunctum, Deo deberi, & precib. obseruationibusque, quæ manibus eleuatis fiunt, omnia quæ ad hominum cōmoda efficiuntur, rectè geri: tantumque emolumentum inde & ad priuatum & ad communem vsum apportari, quantū quisq; sibi suisque charissimis optauerit. Pugnas viderunt Gentiles, bellū conspicati sunt, prouidentia Dei victoriā populo suo largiente: animaduerterunt etiā, Deū precationū nostrarum virtute, nobis opē tulisse. Est enim iusta precatio, res planè inexpugnabilis: ac nemo sanctè religioseque precatur, qui nō id quod est in optatis, assequatur. Nec mundus aliquādo repulsam fert, nisi solum cū fidei vacillet constantia. Deus enim hominum probitatē amplectens, semper illi præstò largitur misericordiā. Humanum videtur aliquando errare: at in humanis errorib. Deus est omnino expers culpæ. Quare par est, omnes qui pietatē sectamur, nostræ ipsorum salutis, & rerum publicarum prosperitatis causa, Seruatori gratias agere, & Christum sanctis precib. atq; orationibus crebris nobis placatum efficere, vt beneficia eius in nos conferre non desinat. Iste enim est iustorum defensor inuictus, iste propugnator fortissimus: iste opt. iudex: iste denique immortalitatis dux, & vitæ æternæ largitor.

Dei & hominum munus propriū quodnam.

Precū piarum vis.

Iacob. 1.

Errores hominib. non Deo tribuendi.

FINIS. *Sit Deo gloria.* PRÆFA-

PRAEFATIO IN ORATIONEM DE LAVDIBVS CONSTANTINI MAGNI.

CAVSA mihi in hunc locum veniendi, amici & sacerdotes Dei, non fuit illa quidem, vt fabularum commentis, aut sermonis elegantia ad auras capiendas conquisita, tanquam suaui Syrenum cantu vestros animos permulcerē: aut vt aureis poculis, vti poeticè loquar, id est, nitidis orationis flosculis concinna verborum structura collustratis, voluptatis lenocinia his qui eiusmodi rebus oblectantur, proponerem: sed partim, vti vos qui sapientum cōsilio inducti, sancti Dei verbi ministri estis, commonefacerem in concionando, vt tum à tritis illis rhetorum vijs defectatis, declinetisque: tum sedulò caueatis, ne vestrum sermonem ad imperitæ multitudinis accommodetis arbitrium: partim, vt nouo orationis genere apud vos Imperatoris laudes percelebrarem. Et quanquam infiniti ferè alij idem ipsum iter ad eius virtutes prædicandas mecum ire contendunt: ego tamen hominum vestigia vitans, viam inusitatam ac minimè tritam insistam, quam quidem illotis pedibus ingredi nefas est: vt alij populare dicendi genus, & puerilibus argutijs confertum consectantes, lepidamque orationis amplectentes concinnitatem, mortalium aures narrationibus de rebus mortalibus & caducis institutis deliniant, primasque deferant voluptati: ipsius tamen sapiētiæ quæ per omnia manat ac funditur, professores, vtpote diuinarum humanarumque rerum scientiam consecuti, quoniam rei præstantioris delectum in boni loco numerant, idcirco diuinas Imperatoris virtutes, & pia eius in Deum officia, longè illis quæ erga homines præstitit, anteponunt, resque eas quæ secundas obtinent in bonis, secundæ classis rhetoribus prædicandi faciunt potestatem. Itaque cum sapientia quæ in Imperatoris animo insita est, in rerum tam diuinarum quàm humanarum cognitione certatur, atque illæ videantur ad Deum, hæ autem ad homines spectare: hi qui extra Sacrarum literarum quasi ambitus consistunt, rerum humanarum ad Imperatoris laudes pertinentium prædicationem, modò sint ad illud munus idonei, sibi tractandam B sumant: quæ quanquam & splendoris excellentiæque plurimum, & fructus vtilitatisque non minus (omnia enim quæ in Imperatore cernuntur, sunt planè eximia) in se complectuntur: tamen diuinis illis virtutibus, quibus mens eius imbuta est, sunt longè inferiores. Qui autem in sacrosanctos diuini eloquij cancellos intrarint, eiusdemque adyta fuerint & inaccessa penetralia ingressi, hi quasi portas illius profanis auribus occludentes, arcanas Imperatoris initiationes istarum rerum duntaxat professoribus explicare aggrediantur. Qui porrò aures pietatis riuulis perpurgatas, & intelligentiam aerijs (vt ita dicam) ipsius animi alis habent in sublimi defixam, in laudibus summi omnium regis & moderatoris celebrandis insistant, tacitique diuina mysteria obeant. Nos verò ex vatum oraculis, quæ diuini Spiritus sancti luminis edita sunt, non autem ex illis quæ à diuinatione, ne dicam dementi insania, profecta sunt, perfectorum mysteriorum, quæ traduntur de ipso cælesti regno, de Imperatore omnium summo, de diuino satellitum agmine, quo summus ille Imperator stipatus est, de vero & perfecto, deque falso & specie solum adumbrato imperandi modo qui in terris existit, denique de his quæ vtrunque ordinem consequuntur, explicationem de promamus. Hæc igitur ad istarum rerum decus illustrandum piè sanctèque præfati, deinceps ad diuina mysteria explicanda aggrediamur.

Hæc quæ sequitur oratio neque Græcè hactenus neq; Latinè edita est.

Videtur theologi res intelligere, qui in studio solū humanitatis versantur.

Ministros verbi & sacræ Scripturæ professores intelligit.

EVSEBII

Universidad de Deusto
Biblioteca

EVSEBII PAMPHILI A

DE LAVDIBVS CONSTANTINI IMPERATORIS ORATIO, QVAM AD TRIGESIMVM annum Imperij eiusdem Constantini habuit.

Ad hanc orationem refer eosdem authores istos quos adnotauimus supra ad Eusebij lib. 7. 8. 9. & 10.

Huius orationis suæ mentionē facit ipse Eusebius de vita Constantini li. 1. cap. 6. & li. 4. ca. 47.

Captat beneuolentiam. à loco. à persona sua. à persona Imperatoris. Personam Imperatoris honesta diuinæ Maiestatis amphibologia cōdiuam amplificat per collationem.

EST quidem hic conuentus ad præpotentem Imperatorem laudibus ornandum celebratus, in quo nos, q̄ Imperatoris illius ministri sumus, Sacrarum literarum disciplinis diuinitùs afflati, gaudio & lætitia exultemus. Atq; ab illo ipso magno & præpotenti Imperatore nostri festi ducamus exordium. Magnum illum equidem Imperatorem voco, qui reuera magnus est, eumque intelligo (mihi ista dicenti, Imperator, qui præstò adest, minimè (certò scio) vertet vitio, imò verò etiam sermonem de Deo institutum collaudabit plurimum) eum, inquam, intelligo, qui vniuersitati præest, qui omnium summus est, qui celsissimus est, qui longe maximus est: cuius Imperij sedes sunt cælestes globi, & terra scabellum pedum eius: quem nemo plenè cogitatione propterea complecti poterit, quòd lumen inexplicabili radiorum splendore, ei circumfusum, quemque aciem mentis intendentem ab eius diuinitatis contemplatione depellit. Hunc cælestes exercitus circumdant: hunc stipant supremæ potestates, hunc moderatorem Dominum & Imperatorem agnoscunt. Quinetiam angelorum infinitæ multitudinēs, turbæ archangelorum & sanctorum spirituum chori, ex illius charitatis radijs tanquā ex perennibus luminis fontibus splendorem haurientes, collustrantur. Etiam luminaria omnia, quæ corporea sunt, diuina præterea & sacra luminarium corpore vacantium genera, quæ locum supra cæli verticem situm obtinēt, magnum hunc Imperatorem eximijs & diuinis hymnis extollunt. Istum immensum cælum, tanquam aulæum ambit cœruleum, eosque qui sunt extrà, ab interiore illius palatio secludit. Circa hoc tanquam in palatij vestibulis faces gestantia, voluuntur sol, luna, & cætera luminaria cælestia, quæ vniuersitatis moderatori honorem impertiunt: ipsiusque nutu & præcepto, rebus, quæ locum tenebricosum occupant, extra cælum collocatum, assiduam lucem porrigunt. Istum magnum nostrū Imperatorem. Christumque, & ipsum etiam victorijs inclytum Imperatorem nostrum, laudibus efferre cùm constituam, videor mihi eum prædicando præclarè admodum facere: quippe cùm illum solum authorem esse Imperij, cui nos subiecti sumus, explorate cognitum & perspectum habeam. Istum quoque pij Cæsares, Imperatoris filij, fontē omnium bonorum (hoc namque à patre didicerunt) ingenuè agnoscunt. Istum frequentes exercituum turbæ, ingentes populorum multitudines, in singulis regionibus vrbibusque, prouinciarumque etiam præsides conuentus celebrantes, sanctè venerantur, ad eam rem à præclaro Reipub. conseruatore & magno Constantino perdocti. Porrò autem vniuersum simul hominum genus, gentes cuiusque generis, tribus & linguæ, licet de alijs rebus in varias & discrepantes sententias distrahantur, in huius tamen laudis confessione vno ore tum communiter, tum singulatim consentiunt: huncque vnū & solum cogitationibus naturaliter insitis, & notionibus quibusdam, quas sua sponte hauserint, didicerintque impulsi, gloria & prædicatione extollunt. Quid? an non hunc tota terræ moles dominum confitetur, germinibusq; & animalibus ex se editis obediētiam, quam ei ad maximam rerum in ipsa procreatarum commoditatem præstare debet, perspicuè declarat? Hunc rapidi fluminum decursus inundantes torrentibus, hunc fontium perennium riuuli ex infinitis iugibusque abyssis emanantes, diuinæ & admirabilis fabricæ authorem profitentur. Hunc profundi maris gurgites immensa altitudine concluſi, abruptique fluctus in sublime elati, nutuq; legis colligati diuinę, qui cùm ad ipsa littora conuoluuntur, terræ velut formidinem incutiunt, magnopere exhorrescunt. Quin etiam modificata hybernorum imbrium fluenta, sonori tonitruum fragores, ardentes fulminum coruscationes, volubiles item ventorum impetus, vagi per aerem nubium gressus, hunc illis qui eum ipsum aspicere non possunt, quodammodo contemplandum proponunt. Sol præterea, cuius luce complentur vniuersa, quiq; diuturna seculorum spacia dimetitur, hunc solum dominum nouit, eiusque voluntati inseruiens, nunquam extra cursus sui terminos vestigium flectere audet. Luna quoque, cuius

Ad Dei laudes oēs creaturæ intentæ.

A cuius lumen multò obscurius est quam solis, quæque temporum conuersionibus crescit, decrescitque, diuinis legibus morem gerit. Adde his ornatum cæli cursibus astrorū illuminatum, ordineque & concentu progredientem, suosq; obeuntem circulos, qui etiam quasi voce emissa Deum lucis cuiusque modi largitorem prędicat. Itemq; omnia cœlestia luminaria, quæ eius nutu & voluntate vnum gignunt concentum, diurnorūque seculorum conuersionibus per longum cursum conficiunt, & in stadijs ætherijs obeunt certamina, noctium etiam & dierum vicissitudines, temporumq; anniuersariorū mutationes, denique numerosi concentus & ordines vniuersi, variam eius & multiplicem sapientiam celebrant. Illi porrò potestates ab oculis secluſæ, perque liberā & patentem aeris planiciem peruolitantes, debitam & decoram tribuunt venerationem. Illum igitur magnum Imperatorem mundus pariter vniuersus laudibus exornat: illum cæli sublimes, excelsiq; cœlestium globorum chori honorant, illum collaudant exercitus angelorum arcano hymnorum concentu. Spiritus ex diuino eius lumine sati, illum genitorem suum diuinis præconijs efferunt. Illum secula infinita, quæ hoc cœlum, hūcque mundum sunt antegressa, aliaq; interminata secula, perenni istorum seculorum serie continuata, quæ antè rerum sub aspectum cadentium ortum extiterunt, solum ac præpotentem moderatorem & dominum agnoscunt. Illum etiam ipse æternus vnigenitus eius sermo, qui in omnibus ante omnes, & post omnes existit, magnus magni Dei pōtifex, omni tempore, omnibusq; seculis antiquior, dignitatis paternæ particeps, primus ac solus pro omnium salute placauit. Qui tum primo honore in imperio huius vniuersitatis, tum æquali cum patre in regno paterno dignatus est. Nam ille lux est supra hanc rerum vniuersarum compagem sita, quæ & circa patrem meat, eiusq; speciē principio & ortu carentem à rerum mortalium essentia diuidit, discluditque: & cælitùs etiam ex diuinitate illa, quæ tum finis tum initij expers est, emanans, extrà profundit seſe, atque locum supra positum, aliaq; omnia, quæ cœli complexus continet, multò excellentiore claritate, quàm quæ à sole porrigitur, collustrat. Ille Dei sermo hunc mūdum suo nutu regit vniuersum: ille super omnes res, & per omnes, & in omnibus, siue oculis cernuntur illæ quidem, siue aspectum fugiunt, incedit. A quo, & per quē, hic noster Deo charus Imperator, cœlestis imperij effigiem gerens, ad similitudinem Dei Opt. Max. o-
B mnium regionum in terra sitarum clauum tenet, easq; gubernat. Ille vnigenitus Dei sermo, à sempiternis seculis ad secula infinita interminataq; regni cum patre particeps est: hic noster perpetua amicitia illi coniunctus, imperij gubernaculis cœlitùs demissis donatus, diuinaq; confirmatus appellatione, multis annorum curriculis orbi terrarū præfuit. quinetiam ille huius vniuersitatis conseruator totum cœlum, mundumq;, regnūque cæleste, vt sit conueniens & decorum patri suo efficit: hic eius amicus, quotquot ex terræ incolis ipsius subijciuntur imperio, ad vnigenitum Dei sermonem & Seruatorem nostrum agnoscendum adducit, ad regnumque illius reddit idoneos. Ille communis omnium rerum propugnator, potestates rebelles, quotquot altius à terra per aerem oberrantes hominum animos vitiorum laqueis aliquādo solent irretire, diuina quadam virtute, quæ oculorum consensu percipi non potest, veluti feras agrestes à suo grege, instar boni pastoris longissimè fugat: hic cum illo necessitudine iunctus, cœlesti illius ope trophæis contra hostes statutis nobilitatus, apertos veritatis inimicos belli iure subigit, eosq; ad sanam mentem deducit. Ille sempiternus Dei sermo, & patronus omnium, semina salutaria, rationisq; participia eius fidei initiatis suppeditans, eos & sapientia cœlesti & regni paterni scientia imbuit: hic eius necessarius, tanquam Dei verbi vates, vniuersum hominum genus ad Dei cognitionem vocat, eam omnium inculcat aurib. claraque voce cunctis terræ incolis synceræ religionis veritatisque leges palàm prædicat. Ille omnium defensor, cœlestes regni paterni portas his, qui hinc in illum locum demigrant, patefacit: hic ardenti erga Deum amore accensus, omnibus impij erroris sordib. ex hoc terrestri regno perpurgatis, sanctorum piorumque virorum choros in suum patrium accersit: vniuersam hominum frequentiam à se gubernatorum incolumem seruare studiosè laborat: hunc conuentum hic solus ex omnibus, qui imperio Romano aliquando præfuerint, à Deo summo omnium Imperatore ad triginta iam annorū spacium honore decoratus, non inferis manibus (veterum more) neq; spectris dæmonum, homines in fraudem inducentium, neque falsis dijs aut simulachris in locis excelsis collocatis, quæ homines colebant impij, celebrat: sed vt ei, qui cum ad hunc honorem extulerit, quemque authorem agnoscat bonorum ipsi suppeditatorum, gratias agat: neque tamen exemplo veterum regiam suam sanguine polluit & cruore, neque fumo, igni, aut hostijs animalium flammis penitùs absumptorum, dæmones inferos placat, sed ipsi huius vniuersitatis moderatori gratam acceptamque victimam, suum ipsius videlicet re-

Alterū membrum collationis quo fit Cōstantini Imp. ad Imperatorem Deum collatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Victima Deo gratissima quæ.

giu manimum,& mentem sanctissimam consecrat. Nam illa sola victima Deo chara iucundaq; est,quam noster hic Imp.synceris interioris mētis cogitationibus,ignis sanguinisq; expertibus,immolare didicerit: hoc est, vt veris opinionibus in animo insitis veram religionem propugnet,eximia prædicatione Dei gloriam illustret,regijs officijs Dei imitetur benignitatem, seque totum ei adijciat:& seipsum primitias mundi, cuius imperium ipsi concreditum est,tanquam amplum quoddam munus offerat. Hoc igitur sacrificium omnium præstantissimum offert Imperator:& tanquam bonus pastor, non celebres illas victimas ex agnis primogenitis confectas immolat, sed animas gregis rationis compotis,quem ipse pascit, ad Dei cognitionem verumque eius cultum ducit. Deus tali oblectatus hostia,& munus lubens amplexus,& sacerdotem tam venerandi tamque illustris sacrificij largitorem honore prosecutus, diuturna imperij ei cōcessit curricula:& quo eius sanctimoniam remuneraretur,pluribus amplioribusque beneficijs illum affecit,deditq; potestatem varia festa celebrandi cum prospero & felici monarchiæ suæ successu. In singulis festis & conuentibus ad decimum quemque annum vertentem celebratis, vnus ex filijs illius ad sedem imperij participādam à Deo designatus est,& velut plantæ florenti virentiq; temporum incrementa donata. Itaque filius eius natu maximus,qui patris nomine est appellatus,primò regni decennio confecto,socius Imperij cum patre renunciatus est. Qui autem ei proximè accedebat ætate, anno vigesimo imperij ad eundem honoris gradum sublatus. Tertius deinceps hoc trigesimo anno,quo iam festum celebratur,eadem dignitate potitur. Nunc verò si imperium eius ad annum quadragesimum propagetur,vt Dei nutu temporis spacium crescit,sic numerosa sobole imperium erit amplificatum: Cæsarumq; declaratione, prophetarum vaticinationes expletæ, quæ & iam pridem,& olim sic palàm prædicabant: Et susципient regnum sancti Dei altissimi. Ad hunc modum igitur,& temporum & liberorum incrementa Deus summus omnium imperator huic nostro sanctissimo Imperatori est largitus: statumq; eius imperij,cui gentes totius orbis terrarum obsequuntur, perinde prosperum & florentem reddidit,ac si modò florere inciperet. Quinetiam hūc conuentum eius causa curauit celebrandum, eumque victorem hostium& inimicorum omnium effecit: deniq; illum vtpote egregium veræ pietatis exemplar,cunctis terræ incolis proposuit ad imitandum. Hic claro Cæsarum filiorum suorum fulgore, velut radijs quibusdam ex se longissimè profusis,non aliter atque lumen solis suo splendore solet,homines ingenti locorum interuallo disiunctos illustrat. Itaque & nobis, qui Orientem accolimus, suam ipsius præsentiam non sine maximo omnium cōmodo largitus est,& alteri hominum generi versus Occidentem vnum ex filijs præfecit,& alios duos in alijs locis,tanquā faces ac luminaria ex sua ipsius claritate diffusa collocauit. Porrò autem Imperij quadrifariam dispertiti iugum,quasi quatuor equis,id est, sibi & tribus filijs Cæsaribus fortissimis imponens, ipse eos diuini animorum consensus & corcordiæ frænis colligatos,cœlitùs moderatur: pariterq; vniuersum terræ orbē, quem sol videt, peragrat,& omnibus hominib. tanquā præstò adest, atq; adeò res cunctas quodāmodo oculis lustrat. Quinetiam cælestis imperij gerit effigiem, oculosq; in sublime tollens,homines in hoc inferiore imperio ad exemplar primariæ illius imperij formæ gubernat,monarchiæq; principatū imitatione & exemplo cælestis cōfirmat imperij. Istam enim imperij formā lex,quæ rex omnium est,humano generi orbem terræ incolenti tribuit: quippe hæc regiæ potestatis compos lex, vnum omnibus præscribit imperiū. Atq; monarchia certè omnes alias rerum pub. species,& administrationis modos longè superat. nam multiplex imperiū,quod ex hominib. honore & sensu paribus constat, quodq; cū monarchia ex aduerso pugnat, confusionis ac seditionis potius quā imperij nomen meretur. Quapropter vt vnus Deus est,non duo,non tres,neq; præterea plures(nam deorum introducere multitudinem, est reuera Deum tollere) sic vnus omnium rex & Imperator, vnum illius verbum,& regia lex vna, quæ non verbis exprimitur & syllabis,neq; qualis in picturis & columellis descripta, temporis longinquitate consumitur,sed viuit & viget perpetuò,vtpotè quæ nihil aliud sit quàm Dei sermo, omnibus hominib. qui & ipsi parent,& post eum nati sunt, patris regnum præparans. Hunc copiæ cælestes,infinitaq; millia angelorū,Dei inseruientium voluntati,& diuini exercitus multitudine infiniti cingunt. Quinetiā hic regius Dei sermo omnibus spiritibus,qui abditè intra cæli ambitum delitescentes,totius mundi gubernationi subseruiunt,velut quidā summi Imperatoris præfectus, præest. Hunc summum ducē,pontificem magnum,patris prophetā,magni consilij angelum,lucis paternæ splendorē, filiū vnigenitum,alijsq; infinitis huius generis nominibus expressæ theologorum voces appellant. Quem quidē,vtpotè vnum Dei sermonē, legem,sapientiā, omnisq; boni plenitudinem

Constantini filij tres in Imperio successores

Vide supra de vita Constantini,lib. 4. cap. 40. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 54.

Monarchiæ cōmendatio.

Legis vitalis virtus.

Christi nomina.

Theologi hoc loco,pro prophetis,Euangelistis,& Apostolis, qui scripturas sacras nobis reliquerunt, capiendi sunt.

Atudinem pater constituens,velut donum salutare omnibus qui ipsius obsequuntur imperio,elargitus est. Hic etiam res tranat vniuersas,vbiq; incedit,patris munera erogat, affatim in omnes exemplar regij dominatus hominibus in terris habitantib. porrigit, animumq; humanum ad ipsius imaginem factum diuinis exornat facultatibus. Hinc aliarū virtutū quasi cōmunio influit in animū,& ex eius diuinitatis fonte manat. Nā sol ille sapiēs,solus Deus,solus essentia bonꝰ,solus deniq; robore valēs:iusticiæ itē procreator,parens rationis & sapiētiæ,fons lucis & vitę, veritatis & virtutis quasi promus & cōdus,veri imperij,omnis principatus ac potestatis moderator. At vnde ista hominibus cognita? quibus auribus mortaliū hæc suppeditauit? Quis lingua carnea,ea quæ sunt carnis corporisq; expertia, exprimere potest? Quis regem ab oculorum aspectu secluſum considerans,istas in eo facultates & virtutes inesse animaduertit? Nam sensibus quidē tum elementa eisdem cognata vnde corpus constat,tum res aliæ ex illis concretæ, percipiuntur. At nemo hactenus est aliquando gloriatus,se vniuersitatis regnum,quod aspectū hominum fugit,oculis corporeis conspicatum esse. Neq; profectò natura mortalis,sapientiæ pulchritudinem comprehendere valet. Quis sensibus corporeis iusticiæ quasi vultum aspexit? Vnde notio imperij verè legitimi,potestatisq; planè regiæ hominibus succurrit? Vnde principatus qui suopte nutu regit omnia, et qui est carne & sanguine circundatus,cognosci poterat? Quis species illas abstrusas figuraq; carentes, quis essentiam corporis & figuræ expertem,hominibus in terris prædicasset,si non vnus fuisset istarum interpres Dei sermo,qui per res permeat vniuersas,quiq; essentiæ, quæ ratione solum & intelligentia ab hominibus cōprehenditur, parens & procurator est? Qui solus cum diuina patris essentia cohærens,suorum quasi liberorum animos diuinitatis paternæ fluentis rigat. Ex hoc fonte prudentes cogitationes,quę sunt naturaliter in nostris mentibus insitæ,ad omnes homines,tam Græcos quàm Barbaros permanarunt. Hinc rationis & sapientiæ notiones: hinc prudētiæ & iusticię semina: hinc artium præceptiones: hinc virtutis cognitio,gratumq; & iucundū nomen sapientię: hinc veneрādus philosophiæ amor: hinc ipsius Dei visio,& vita præclarè ad pietatē instituta: hinc omnis boni & honesti noticia: hinc humani regni firmitas & imperium omnium orbem terrę incolētium inexpugnabile. Hic Porrò Dei sermo,qui est animantium rationis particeps parens,effigiē ad imaginē & similitudinē Dei hominis impressit in animo: hocq; animal verè regium,solum eorum,quæ in terris gignuntur,ad imperādum & parendum aptum effecit. Cui etiā scientiā ingenerauit futura præmeditandi: hincq; de spe regni cęlestis, quæ nobis ostentata est,præiudicandi: propter quā ille ipse,qui nostri omnium filiorum suorum pater est,in mundum ingredi,& cum mortalibus in cōgressum & colloquium venire est minimè grauatus. Qui & semina in animos nostros sparsa,instar agricolæ colere,& dona nobis cælitùs demissa renouare,& omnibus cælestis regni participationē annunciare non dedignatus est. Quinetiā omnes vocauit,imò verò sedulò hortatus est, vt ad iter cæleste suscipiendum essent instructi,stolamq; dignā sua vocatione præpararēt. Porrò autem facultate quadam inexplicabili mundum vniuersum,quem sol lustrat,sua doctrina compleuit: hacq; adumbrata regni terrestris specie,regni cælestis expressit effigiem,ad quod vniuersum hominum genus vti studiosè contendat,impellit,præclaramq; illius consequendi spem eorum animis injicit. Cuius quidem noster hic Deo charus Imperator, etiam iam in hac vita fit particeps, tum virtutibus à Deo in eius animo insitis ornatus sit,tum quòd inde diuinæ facultates in eius mentē delapsæ. Etenim Dei sermonis beneficio,qui per omnes res pertinet,disertus & prudens factus est,& diuinæ sapientiæ cōmunione sapiens: bonus etiā bonitatē participando,iusticiam acquirendo iustus: temperans,speciem induendo temperantiæ: deniq; cælestę robur assequendo fortis. Quinetiam hic verè Imperator appellari poterit, qui animo suo,propter Imperatoris virtutes in illo insitas,supremi illius Imperij exemplar repræsentat: qui autē ab his penitùs relegatus sit,quiq; summum totius vniuersitatis Imperatorē denegarit,neque cælestem animorum agnouerit procreatorē,& parentem,neque debitum decus illi tribuerit,sed turpitudinis labe animum deformarit, regiam mansuetudinem cum immanis & aggrestis beluæ furore,liberalem & honestam animi affectionē cum lætifero vitiositatis veneno,cum stulticia prudentiam, cum ratione & sapiētia temeritatē,rem omnium planè maximè deformem cōmutarit, ex qua tanquam ex amara stirpe,germina pernicioſa ac pestifera nascuntur,vita in omnem intemperantiā effusa,auaritia,cædes,bellum cum Deo,deniq; impietas: qui,inquā, his se totum dediderit,etiamsi violentia tyrannica imperium occuper, nunquam verè Imperator,dici nuncupariq; poterit. Quí enim monarchiæ effigiem gerere potest ille,qui infinitas dæmonum imagines adumbratas,eas quidē in animo impressas habeat? Quēad-

Dei similitudo in homine.

Christi doctrina regni cælestis effigies.

Imperator quis verè appellandus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Princeps aut seruus quis.

modum princeps vocari,& rerum ſumma potiri ille quidem, qui infinitos dominos A eoſq; valdè acerbos ſuis ipſius ceruicibus impoſuerit? Nam ſeruus eſt obſcœnæ voluptatis, ſeruus intemperantis & inſanæ libidinis cum mulieribus explendæ: ſeruus pecuniæ iniuſtè partæ: ſeruus excandeſcentiæ & iræ: ſeruus timoris & formidinis: ſeruus dæmonum cruentorum: ſeruus deniq; ſpirituum animum corrumpentiũ. Quapropter ſolus hic noſter Conſtantinus, ipſius veritatis teſtimonio Imperator prædicetur, qui quidem cum Deo ſummo omnium Imperatore amoris vinculis iunctus eſt: qui ſolus liber eſt: imò verò etiam, qui verè dominus eſt: qui nec pecuniarum, nec mulierum cupiditate vincitur, ſed voluptatum etiam, quæ ſunt ſecundum naturam victor eſt. Qui excandeſcentiam & iram expugnat, non autem ab illis expugnatur: hic reuera Imperator eſt, cuius res geſtæ nomini, quo nuncupatur, reſpondent. Hic planè victor, qui victoriã à perturbationibus mortalium genus deuincentibus reportat. Hic etiam Imperator, qui ad primariam illam magni Imperatoris ſpeciem quodammodo figuratus eſt, & virtutum ſplendore ex ea profuſo in mente, velut in ſpeculo, formam illius expreſſam habet, eiſdemq; cumulatè exornatus, temperans, bonus, iuſtus, fortis, pius, Deo charus effi-

Conſtantinus verè Imperator dicendus.

Imperator verè quis.

Victor.

citur. Hic reipſa Imperator, & ſolus philoſophus, qui ſeipſum noſcit, qui cuiuſque bo-

Philoſophus.

ni adiumenta extrinſecus, imò verò è cœlo ipſo in animum infuſa pro certo perſuaſum habet, qui venerandum regij principatus nomen eximio veſtitus ornatu circumiecto inſigniter illuſtrat, qui denique ſolus regia purpura ipſius dignitati accõmodata optimo iure induitur. Hic certè Imperator, qui noctes diesq; cæleſtẽ patrẽ inuocat, qui precibus eius opem implorat, qui ardenti regni cælorum deſiderio incenditur. Nam cum res huius mundi, vtpote mortales, fragiles, & inſtar fluminis delabentes, recidentesq; in nihilum, indignas eſſe ſummo omnium Imperatore Deo intelligat: regni Dei, quod neq; habet interitũ, neq; temporis diuturnitate tabeſcit, mira cupiditate inflammatur: & prudenti admodum cogitatione conſilioq; inductus, illud ſolum aſſequi exoptat, mentemque in ſublimi ſupra illum eximium cæli globum defixã habet, atq; adeò perpetuò luminum ibi ſplendeſcentium deſiderio eius pectus exardeſcit: cum quib. ſi quæ in hac vita eximia videantur, & illuſtria, cõparentur, nihil à tenebris differre exiſtimat.

Principatus mundani moleſtia, & apparatus vanitas.

nã hunc humanum principatũ, qui propter mortalem & caducam huius vitæ rationẽ ad breue & exiguum tempus durat, cõſiderans, capratiorum, paſtorum ac bubulcorum B imperio non multo præſtantiorem eſſe, imò verò multo plus laboris & moleſtiarum habere arbitratur. Populi acclamationes, & voces aſſentatorum (quæ ad inanem vulgi oblectationem potiùs, quàm ad morum grauitatem, & ingenuã animi diſciplinam fundi ſolent) quinetiam turbã ſubiectorum ſe ſtipantem, infinitas copias armatorum tã peditum quàm equitum, deniq; ſeruilem & dicto audiẽtem multitudinem cum videt, non admiratur, non magni æſtimat, neque adeò iſtorum ſe inſolenter effert imperio: ſed ad ſuã ipſius mentem ſe conuertens, in ſeipſo cõmunem omnium naturã contemplatur. Veſtem præterea auro intertextã, varijsq; florib. depictam, purpurã quoq; impenariam cum ipſo diademate, habet pro ridiculis. Et quanquam vulgus hominum iſtas res admirari, & inſtar infantium puerorum earum viſu velut larua quadã obſtupeſcere animaduertit: illi tamen nihil tale accidit, ſed quia Deum verè cognoſcit, ob eã cauſam ornatum Imperatori conſentaneum animo ſuo, veſtitus loco, circundat, tempe-

Pecuniæ vera eſtimatio.

rantia, iuſticia, pietate, & cæteris virtutibus illuſtratum. Porrò autẽ pecuniam, aurum dico & argentum, quæ vulgò maximè expetuntur, genera lapidum, quæ ſunt in admiratione, qualia ſunt natura, talia etiam ea eſſe conſiderat: hoc eſt, materiam planè inutilẽ, quippe, quæ nihil ad malorum curationem adferat adiumenti. Ecquid enim iſta vel ad morbos ſanandos, vel ad deuitandam mortem habent momenti? At licet eadem ita ſe habere accuratè intelligat: illis tamen, quò ſubiecti ſui eum reuerentes, melius in officio contineantur, moderata ratione vtitur: eoſq; deridet, qui propter inſcitiam ea ipſa ſuſcipiunt ac venerãtur. Accedit his, quòd crapula, ebrietate, ſuperuacaneisq; ciborum

Luxus enitatio.

condimentis, vtpotè hominum abdomini deditorum proprijs, ſe abſtinet: quippe qui alijs, non ſibi eas res conuenire exiſtimet. Nam exploratum habet eiuſmodi res & corpori nocere plurimùm, & animi intelligentiam obſcurare, obruereq;. His igitur de cauſis Imperator noſter diuinis præceptis inſtitutus, & ad res præclaras animum applicans, cupiditate ducitur earum rerum, quæ ſunt huius vitæ commodis longè anteponendæ: patremque cæleſtem aſſiduè inuocat, eius regni flagrat deſiderio, omnia vitæ officia piè religioſeque obit: & illis, qui ipſius parent imperio, tanquam ab egregio præceptore eruditis, diuinam ſummi Imperatoris Dei cognitionem proponit. Itaque Deus ei,

Conſtantini annus 30.

anno hoc Imperij trigeſimo, eximios honores diuturnis iam temporum conuerſionibus perfectos, expletosque, tanquam authoramenta futuræ remunerationis, velut ſtipula-

A ſtipulatione facta tribuit: atq; decennij ſpacio iam tertio vertente, vniuerſum hominũ genus ad feſta popularia, imò verò inſignia, ad eius gloriam illuſtrandam celebranda impellit. Nec certè à ratione alienum eſt, vt cœlitum chori naturæ legibus impulſi, cũ his, qui in terris pulchris diuinæ cognitionis quaſi floribus decorati ſunt, pariter lætentur: ipſeq; adeò ſummus omnium moderator Deus, non aliter atq; bonus pater, de filijs ſuis pietatem colentibus permagnam capiat oblectationẽ: idq; adeò maximè, quòd omnium gubernatorem, authoremq; bonorum ad longinquum temporis ſpaciũ ſunt honore proſecuturi, ita vt regnum illud tribus decennij curriculis non ſit contentum, ſed diuturnum maneat, & in æuum immenſum perpetuetur. Nam vniuerſum æuum *Æeuum.* nec ſenectute confici poteſt, nec diuturnitate temporis occidere: nec principio finéue, vt mortalium ratio fert, conſiderari ſolet: neq; puncto, quo quaſi medium inciditur: imò ne illud quidem, quod νῦν, id eſt, præſens tempus dicitur, ab his, qui illius cognoſcendi ſtudio incenduntur, comprehendi poteſt: nedum futurum tempus, aut præteritum. Quippe illud non eſt, hoc iam abijt. Præſens aũt, ſic enim appellatur, tum cogitando, tũ exprimendo multo celeriùs quàm verbum præteruolat. Neq; certè fieri poteſt, vt illud tanquam inſtans capiatur. nam aut futura expectare, aut conſiderare præterita neceſſe eſt: quandoquidem vnà cum cogitatione præterlabens fugit. Quocirca vniuerſum æuum ſe ſub mortalium cogitationẽ ſubijci non patitur: verùm quanquam eorum nutũ ſeruili more obſeruare prorſus renuit, Deum tamen ſuum ipſius regem & dominum agnoſcit lubens, eumq; tanquam dorſo inſidentem circumfert, ſeq; tam præclaro eximioq; onere onuſtum gloriatur. Ille iſtud regit cœlitùs, non aurea catena, vt eſt apud Poëtam, conſtringens, ſed diuinæ arcanæq; ſapientiæ vinculis, tanquam habenis quibuſdam coercens moderatur: menſeſq; & tempora, mutationes temporum & annos, noctium & dierum viciſſitudines, in ipſum illud perfecto abſolutoq; illigauit concentu: varijs quoq; terminis & modis deuinxit. Hoc autẽ, vtpotè in rectum ſua natura, & in immenſum productum, ἀεὶ ὤν, id eſt, æui nomen tanquam ἀεὶ ὤν, id eſt, ſemper exiſtens, *ἀεύμ.* obtinet: ipſumq; ſuis partibus par ac ſimile eſt, imò verò partium & interuallorum expers, in ſolam (vt ita dicam) rectitudinem protractum augeſcit. Ille idem ipſum inciſionibus interiectis diuidens, & tanquã rectã lineã in longitudinẽ extenſam punctis diſtin-

B guens, ingentem multitudinem in id concluſit: & licet vnum ſit, vnitatisq; exprimat effigiem, ille tamen in varios cuiuſq; generis numeros idipſum diſpertiuit, & ex eo, quod forma vacabat, multiplicem formarum varietatem, quæ in eo cernitur, effecit. Nã primò omnium materiã formæ expertem velut eſſentiã ad omnes formas capiendas aptã in eo collocauit. Deinde qualitatẽ binarij numeri vi & facultate materiæ adiunxit, ſpeciemq; effinxit ex illo, quod ſpecie carebat. Tum ternarij numeri ſubſidio, corpus ex materia & forma concretum, tripliciq; diſtinctum diuiſione fabricauit, latitudine, longitudine, & craſſitudine. Quinetiã ex gemino binario quaternionem elementorũ terræ, aquæ, aëris & ignis excogitauit: fontesque perennes ad neceſſarium huius vniuerſitatis vſum & vtilitatem inde produxit. Hic quaternio procreat denarium: nam vnum, duo, *Hæc ſunt ex ſchola Pythagoræ* tria, quatuor, denarium numerum conficiunt. Denarius aũt per ternarium replicatus, menſem conſtituit: menſis verò duodecim conuerſionibus ſolis orbem & curſum explet. Hinc annorum circuli, quinetiã mutationes ac viciſſitudines temporum, æuum, quod forma ac ſpecie caret, tanquã in pictura floribus permultis variata exprimunt: eæque ad requietẽ relaxationemq; eorum, qui in illo curſum vitæ conficiunt, referuntur. Nã vt his, qui in certamine ſpe præmiorum adducti, curſus peragunt, ſpacia quædã ſtadijs terminata ſunt: & illis, qui lõga itinera ingrediuntur, via quibuſdã preſtitutis quaſi diuerſorijs & certis ſpacijs circumſcripta, ne cuiuſquã alacritas, dum expectatio in infinitum ducitur, omninò defatigata ſuccumbat: eodẽ modo ſummus ille omnium Imperator Deus, æuum vniuerſum ſapientiæ vinculis circumdans, ducit, agitatq;, ipſumq; varijs motibus gubernat, quatenus ei commodum viſum ſit. Porrò autẽ rector ille vniuerſi, idem ipſum æuum, quod antè figuræ expers fuit, coloribus ſpecioſis, & virentibus floribus circumueſtiuit: diemq; ſolis ſplendore candidam effecit: noctem autem atro conſperſit colore, eamq; ſtellarum luminibus, velut aureis ramentis colluſtrauit. Quin etiam totum cœlum tanquàm velamen ingens claris luciferi radijs accenſis, lucisq; lunæ varietate, & ſplendida aſtrorum frequentia, velut varijs cuiuſque modi picturæ exornauit inſignibus. Aërem item de ſublimi in profundum porrectum, qui ſua vi latitudinem, longitudinemque totius mundi refrigerat, temperatque, volucribus omnis generis pulchrè conformauit. His accedit immenſum pelagus, quod piſcibus per ipſum gradientibus, quorum pars ab oculis hominum penitùs remouetur, pars in conſpectum prodit, longè lateque diffudit ad permeandum. Poſtremò terram in medio mundi in-

Numerorum myſtica proportio in æui partibus ad rerum generationem.

Temporũ proportiones ex numeris.

Æeuum à Deo ſolo gubernari, in eoq; omnia ab eodem condita.

Cœlum.

Aer.

Mare.

Terra.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stat puncti sitam, paribus libratam ponderibus, Oceano circumdedit: qua quidem cœ- A
ruleo cæli colore eam ambientis decorata, pontus circumclusus murmurat. Hanc quasi Vestam, matrem & nutricem omnium animantium in ipsa editorum constituit, imbribusq; & fluentis à fontibus deriuatis irrigauit, inq; ea vim facultatemq; inseuit, vt varijs cuiusq; generis plantis, & floribus decoris, ad iucundum vitæ vsum & oblectationē viueret. Vbi verò hominem, qui mente & scientia præditus est, qui rationis & sapientię quasi proles rationalis est, animal omnium, quæ in terra nascuntur prętantissimum, sibiq; charissimum, ad imaginem suam fabricasset, ei cæterorum animantium, quæ gradiuntur in terris, victumq; quæritant, principatum tribuit. Nam homo erat, quem præcæteris animalibus vitam in terra degentibus summo amore cōplexus sit, & velut pater reliquis animantium generibus præfecerit. Homo erat, cuius gratia mare aptum effecerit ad traijciendum, terramq; plantis cuiusq; modi decorarit. Homo erat, cui & belluas, in profundis cauernis serpentes, & volucres meantes in sublimi, obsequentes reddiderit. Homo erat, cui cognoscendi facultates aptas ad cuiusq; disciplinę perceptionem largitus sit. Homo erat, cui rerum cælestium cōtemplationem patefecerit: cuiq; cursus solis, lunæ conuersiones, ratos stellarum tum errantium, tum fixarum circuitus commōstrarit. Homo deniq; erat, cui soli omnium, quæ in terra sunt, mandatum dederit, vt patrem agnosceret, cælestem præpotentemq; omnis æui moderatorem laudibus celebraret. Quinetiam præter ista omnia, mundi fabricator Deus, æuum, quod mutari non potest, quatuor anni circumligauit mutationib. tempusq; hybernum vere terminauit, & ver anniuersariorū temporum initium paribus librauit ponderibus. Deinde æuum vniuersum multiplicibus veris fructibus exornauit: tum illud ipsum florenti ætatis tempori tradidit: deinceps velut à laboris contentione illud ipsum remittēs, spacio recreauit autumnali: ad extremum tanquam equum regium & insignem, humido hybernorum imbrium lapsu abluens, & fluentis inde promanantibus pulchrū reddens ac splendidum, rursus in ipsius veris quasi vestibulis collocauit. Postea igitur, vbi summus ille omnium imperator Deus pater æuum suum eiusmodi sapientiæ habenis in hoc totius anni circulo colligauerat, eximio & præstanti gubernatori, suo vnigenito verbo illud moderandum tradidit, eiq; vtpotè cōmuni omnium seruatori habenas huius commisit vniuersitatis. Ille igitur à patre benigno hanc hęreditatem consecutus, non modò o- B
mnia, quæ cæli ambitus intra se, extráue complectitur, vna compage cōstricta, quasi ad normam dirigit, gregiq; suo rationis participi, qui in terris versatur, ea quæ sunt accommodata vtiliaq;, summa cum æquitate prouidet: verùm etiam certos viuendi fines his, qui vitam transigunt mortalem, præscribit, omnibus hominibus facultatē quandā dat ea in hoc vitæ curriculo præmeditandi, quæ sunt quasi procœmia vitę illius, quę est hoc præsenti æuo multo præstabilior. Nam post ætatem quam in hoc mundo degimus, vitā diuinam & beatam illis, qui bonorum spe inducti, præclarè in hac vita concertent, reconditam esse docet: atq; vt omnibus, qui vitam modestè & piè agant, discessum hinc & migrationem ad loca multò præstabiliora fore: sic illis, qui sunt ob scelera in hac vita admissa reprobati, locum accommodatum tributum iri. Quinetiam cunctis tanquam in stadio certaminis collocatis, varias cuiusq; generis coronas, si vicerint, polliceri, aliosque post alios virtutum præmijs remunerari non desistit. Bono autem Imperatori, qui se pietatis ornamentis decorauerit, præmia eius certaminibus longè præstabiliora præparata esse denunciat: quorum quasi procœmia hic iam, crebro hominum cōuentu, celebrandi potestatem fecit, idque festo ex numeris perfectis compositio, ternario scilicet, & vnitate triplicata. Quorum ternarius, vnitatis velut proles est: vnitas autem mater numerorum est, omniumque mensium, mutationum temporis, annorum, vniuersique temporis circuitus cursusque varietates distinguit: & præterea multitudinis principium, fundamentum etiam, & quasi elementum μόνας, id est, vnitas meritò dicitur: παρὰ τὸ μένειν, id est, à manendo appellatum: propterea, quòd cum omnis multitudo accessione & discessione numerorū crescat & diminuatur, sola vnitas stabilis & fixa manet, ab omni multitudine, omnibusque numeris ex se procreatis secreta, seiunctaq;: similitudinemque gerit essentiæ, quæ neque partiri potest, & est ab alijs rebus segregata, cuius vi & communione, rerum omnium natura firma consistit. Nam vnitas cuiusque numeri procreatrix est: quippe compositione & accessione vnitatum omnis augetur multitudo. Neque certè potest fieri, vt numerorum essentiam ab vnitate separatam intelligamus. Illa tamen extra omnem multitudinem est, omnique numero longè præstantior: quæ tametsi numerum quemque gignit, efficitque, nunquam tamen ab vllo ipsa augeri potest. Porrò ternarius est illi cognatione cōiunctus, partitionis similiter, diuisionisque expers, primusq; numerus est, qui ex pari imparique constat. Nam binarius vnitate

Homo.

Propter hominem cætera omnia creata.

Anni quadruplex mutatio.

Christus æui moderator à patre constitutus.

Bonis & malis pro meritis idonei ac digni loci destinati sunt.

Vnitas numerorum valet.

μόνας.

Ternarium.

A vnitate adiuncta ternarium generat, qui primus impar numerus est. Ternarius etiā iusticiam repræsentat, quippe q̄ æqualitatis dux sit, initiū, medium, & finē æqualem assecutus. Quæ quidē mysticæ sacrosanctæ & venerandæ Trinitatis imaginē præ se ferunt, quæ ex natura principio ortuq; carēte constans, essentiæ rerū omnium ortū habentium semina, rationes, causasq; cōplectitur. Quinetiā ternarij vis, principium vniuersi iurè existimari potest. Nā numerus denarius est extremitas numerorum omniū: quippe in alios ipsum antegredientes cōplexus, eos oēs terminat. Idemq; plenus & omnibus suis partibus expletus numerus rectè appellatur: vtpote qui omnes species, omnesq; omniū numerorum, rationum, cōcentuum, harmoniarum modos cōtineat. Vnitates igitur compositione auctæ denario terminātur: huncq; velut parentē & circumscriptionem ratā cōsecutæ, tanquā in gyrum voluuntur. Deinde circulum secundum, tertium, & quartū vsque ad denarium cōficientes, ex decies decem centum cōplent. Tum ad primos quasi carceres, vnde incœperunt, recurrunt. Inde rursus initium capientes, & ad decē progressæ, deciesq; centum peragrantes, perque eosdem flexus retro gradientes, longos illos numerorum circuitus cōficiunt, tum ex se ordientes, tum in se denuò reuolutæ. Nā decimum in numero denario vnitas est, decemque vnitates vnū efficiunt denarium. Denarius aūt vnitatum extremitas. Est etiam terminus & flexus certus, ratusq;: flexus infinitatis, quæ in numeris cernitur: terminus autē ac finis vnitatum. Ternarius verò cum denario cōiunctus, & tertiā circuli denarij conuersionem cōficiens, triginta qui est numerus maximè naturalis, gignit. Nam eadē est ratio numeri triginta in denarijs, quæ est ternarij in vnitatib. Quinetiā numerus triginta, terminus fixus est cursus illius luminaris, quod proximè & secundum solē clarissimum est. Quippe lunæ circuitus ab vno cursu ad alterum, pgressæ, mensis circulum cōficit: quo cōfecto, rursus initium quasi ortus sui consecuta, nouum lumen diesque nouos inchoat. Quocirca vnitas numero triginta decorata, tribus exornata denarijs & decem ternarijs illustrata, totum opus regni Imperatoris Cōstantini victoris, cui orbis terræ paret vniuersus, quique à Deo omnium bonorum largitore honore affectus est, & author nobis est bonorum quib. nuper potiti sumus, intra istorum numerum ambitum cōplectitur: quod quidem regni tempus, quanB cia orditur longiora, & spem certam ostentat, bonorum futurorum in cælesti regno repositorum: vbi nō solis modò, sed aliorum luminarium infinitorum multitudines, quę omnia ex se profundunt splendorē luce solis multo clariorē, quæque fulgore radiorum ex perenni æterni luminis fonte profluentium collustrantur atque splendescunt, circa illum summum omnium Imperatorem gradiuntur: vbi animus in præclarorum perfectorumque bonorum abundantia ætatem degit: vbi vita ab omni molestia & angore vacua, vbi moderatæ & syncerę voluptatis perceptio, vbi tempus perpetuum, æternum, infinitum, nulla extremitate terminatum, nullis dierum, noctiumque interuallis, nullis annorum circulis, nullis temporum conuersionibus dimensum, sed vnum quasi vitę circulum in immensum spacium continuatum: quod quidem non solis illuminatur radijs, nō siderum multitudine, non lunæ splendore collucet, sed ipso vero luminari, Dei verbo, vnigenito summi moderatoris filio perfruitur. Et ob eā causam illum, solem iusticiæ, lumenque omnium luminum prestātissimum esse, arcana & sacra diuinæ Scripturæ eloquia docent: eumque ipsum illas beatissimas potestates iusticiæ radijs, sapientiæque claritate illustrare, animosque pietate imbutos nō cæli ambitu, sed suo ipsi⁹ gremio cōplectentem: suorum promissorum fidē re ipsa confirmare credimus. Neque certè oculus mortalis vidit, neque auris vlla percepit, neq; mens carne circūuestita poterit perspicere, ea quæ sunt his q animos suos pietatis ornamētis decorauerint præparata: ex quorum numero tu es, Imperator sanctissime, cui soli ex omnibus qui ab initio hactenus regnauerint, ille summus totius vniuersitatis Imperator potestatem largit⁹ est vniuersum hominum genus labe superstitionis perpurgādi: cui suum ipsius salutare signū demonstrauit, quo quidem morte profligata, euictaque, triumphum cōtra hostes egit: quo etiam victoriæ trophæo & propugnaculo ad arcendos dæmones, impij erroris simulachris ex aduerso opposito, victoriam contra omnes impios, hostesque barbaros, quinetiam contra dæmones, quod est aliud barbarorum genus, reportauit. Etenim cùm duplex in nobis insita sit natura, altera animi, altera corporis, & hoc ab omnibus visum, ille ab oculis penitùs remotus: in his duo contraria barbarorum genera, eaque nobis admodum infesta, posita sunt: quorum alterum ex occulto, alterū apertè nos oppugnat: atque alterum corpora corporibus obiectat, alterum armis omnis generis, corporis expertib. animum hominis nudum & inermem obsidet. Porrò aūt barbari illi qui oculis cernuntur, velut pastores quidam feri & agrestes, qui nihil à belluis differunt,

Trinitas.

Denarius.

Triginta.

Regnum Constantini omnibus numeris absolutum.

Regni cælestis bona.

Piorum præmia.

Natura in nobis duplex & duo hostes.

Affectuum impetus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in cicures hominum greges impetum faciunt, vastant agros: & tanquam immanes lupi, è solitudine in ciues cuiusque ciuitatis irruentes, ciuitates in seruitutem redigunt. ad extremum omnia quæ possunt, labefactant, perimuntque. Infesti autem & animorum corruptores dæmones, qui sub aspectu minimè subijciuntur, quique omnibus barbaris sunt multo crudeliores, per aerem peruolitantes, vniuersum mortalium genus machinis peruersæ & deprauatæ opinionis in multis dijs colendis positæ subiugarunt: adeò vt deinceps nõ verum Deum venerarentur, sed multiplici & impio vagarentur errore. Nam deis quibusdam, qui nequaquam Dei sunt, in humanam vitam (vnde, haud equidem scio) introductis, eum qui solus & verus Deus est, perinde ac si non sit, penitùs neglexerunt. Vnde corporum ortus ab illis habebatur pro deo: & rursus alium deum huic contrarium colebant, corporum videlicet interitum & dissolutionem. Ac prior, quem ducem ortus putabant, Veneris nomen obtinebat: posterior autem, vtpote qui multum possit, & mortale genus deuincit, Pluto & Mors appellatur. Etenim homines id temporis, quoniam non aliam vitam quàm quę ortu constet, cognoscebãt, idcirco illius causam & ortum Deum esse asseruerunt: & quia homines post mortem esse & manere non censebant, ob eam causam Mortem victricem omnium, & deum omnium maximum nuncuparunt. Quinetiam, quoniam persuasum habebãt se propterea nullis pœnis obnoxios esse, quòd animus simul cum corpore morte extinguitur: idcirco sceleribus infinitas mortes promerentibus, se, dum viuerent, ipsi obstrinxerunt, vitamq; haud vitalẽ degerunt: quippe neq; de Deo cogitabant, neq; tribunal diuini expectabant iudicij, neq; essentiã animi sui in memoriam reuocabant: sed vni acerbæ dominæ parentes, Morti scilicet, atq; istorum corporum interitum totius hominis dissolutionem internecionemq; esse sibi persuadentes, Mortẽ præpotentem deum, & πλουσιον, id est, locupletem, ob eamq; causam Plutonem nominabant. Ac non Mors solum deus habebatur, verumetiam res illa multo præstabiliores, quæ miseræ & calamitosæ corum vitæ nonnihil conducebant. Nam illis deus existimabatur voluptas corporis, deus alimentum, deus huius propago, deus fructuum origo, deus ebrietatis deliciæ, deus carnis desideria, deus deniq; earum rerum oblectatio. Hinc Cereris & Proserpinæ mysteria: hinc Proserpinæ raptus à Plutone, eiusdemq; restitutio: hinc Bacchi initiationes: hinc Hercules ab ebrietate, tanquam à potentiore dea, victus: hinc Amoris & Veneris mysteria adulterij plena. Hinc Iupiter ipse mulierem cupiditate insaniens, & flagrans amore Ganymedis. Hinc lasciua fabularum commenta, de dijs voluptatis illecebris & perturbationibus deditis. Itaque crudeles illi barbari, dæmones dico, summo omnium Imperatori inimici, tam diris erroris Deo penitùs aduersantis telis obruerunt in terris humanum genus: sicque sibi subegerunt, vt vbiq; locorũ impietatis erigerent columellas, templaq; & delubra falsæ & cõmenticiæ diuinitatis in quibusque angulis construerent. Quinetiam qui tum dominari putabantur, adeò inseruiebant errori, vt tribulium & cognatorum cæde illos ipsos deos placarent, & contra veritatis propugnatores gladios acuerent, bella pestifera cierent: & impias manus non contra hostes alienos & peregrinos, sed cõtra familiares & amicos, contra fratres, cognatos & chariſſimos, qui vitæ grauitate, temperantia, veræ pietatis institutis, Deum colere & venerari sedulò studuerunt, sceleratè armarent. Quinetiam eò insaniæ ac dementiæ sunt prolapsi, vt eos qui erant Deo vniuersitatis gubernatori consecrati, suis dæmonibus pro victimis mactarent. Hi autem, vtpote generosi & magnanimi synceræ pietatis & veræ vitæ testes, glorioſam mortem pro veritate longè huic vitæ anteponendam animo complexi, eiusmodi tyrannidem contra ipsos vsurpatam pro nihilo putauerunt: imò verò seipsos, vt Dei milites decebat, tolerantiæ armis obsepientes, omnia mortis genera habuerunt pro ludibrio: quippe ignem, ferrum, clauorum confixus, immanes bestias, profundos maris gurgites, membrorum amputationes, exustionesque, effossiones oculorum, extremarũ totius corporis partium præcisiones, famem præterea, metalla, vincula propter amorẽ & desiderium, quo erga suum regem Deum flagrabant, multo plus quàm vllam rem in hac vita vel præstantissimam, quàm vllam etiam voluptatem habere iucunditatis existimarunt. Quinetiam mulierum, quæ non minus quàm viri, animis excelsis & constantibus erant roboratæ, nonnullæ eadem subiere certamina quæ viri, pariaque virtutis præmia reportauere: aliæ ad flagitia corporum attractæ, maluere mortis discrimini vitam, quàm corpus turpitudini obijcere. Aliæ etiam fermè infinitæ, quæ ne extremis quidẽ, vt aiunt, aurib. stupri minas audire tolerabant, à prouinciarũ præsidibus quodq; tormentorum genus, & quãq; mortis latam sententiã forti & virili animo sustinuerũt. Itaq; hi dei summi Imperatoris quasi antesignani cõtra exercitũ multos deos colentẽ firma animorum cõstantia dimicabant. Illi aũt dæmones, Dei aduersarij, & humanæ salutis

Dæmonũ insidiæ.

Deorum cultus.
Veneris.
Plutonis, & Mortis.

Plutonis appellatio.
Deorum multitudo vnde.

Ceres.
Proserpina.
Bacchus
Hercules.
Venus.
Cupido.
Iupiter.
Ganymedes.

Dæmonib. homines mactãdi insania vnde orta.

Martyrum Christi constãtia.

Vide Plutarchũ de placitis philosophorũ lib. 1.

A lutis oppugnatores, quouis feroci barbarorũ genere crudeliores, eiusmodi humani sanguinis libamẽtis fuere vehementer delectati. Illorũ igitur administri talia poculẽta ex iniusta cæde hausta illis propinarunt, istudq; tam acerbũ, tamque impiũ epulum eis ad humani generis appararunt internecionẽ. His reb. ita constitutis, quid tandẽ Deus, istorum afflictorum oppressorumque rex, facere debebat? nũquid hominũ sibi charissimo rum salutẽ negligere? nunquid familiares suos ira ab hostib. oppugnatos contemnere? At eo pacto neq; sapiens gubernator dici potuisset, si nauem profundis & vastis fluctib. cũ ipsis viris submergendam remisisset, nihilque opis ad nauigantium attulisset conseruationem: neque dux acer & fortis, cũ suos necessarios ab hostibus opprimi impunè pateretur: quinetiã neque pastor bonus, si sui gregis ouem vnam errore vagari inclementer sciuisset, & non potius cæteris ouibus, quibus erat rectè prospectum, in loco tuto relictis, nihil non laboris & molestiarum quò errantem conseruaret, subijsset, atque adeò, si fuisset opus, cũ immanibus belluis quasi manu conflixisset. Verũ vt summus omnium moderator Deus ouis rationis expertis nullam duxit curam: sic omne suum studium eò contulit, vt suum exercitum, & eos qui erant propter ipsius amorem oppugnati, benignè subleuaret: quorum certamina & dimicationes pro pietate susceptas beneuolo animo amplexatus, non paucos ex illis qui iter ad ipsum per martyrium faciebant, eximijs victoriæ decorauit coronis, inque cælestẽ angelorum chorum ascripsit, alios in terra tanquam viua pietatis semina reseruauit ad posteritatem, vt tum supplicij impijs meritò irrogati spectatores, tum rerum gestarum quas oculis aspexissent, narratores existerent. Deinde dextera sua ad hostes vlciscendos porrecta, suo ipsius nutu illos ex improuiso, plagis cœlitus inflictis insectatus, penitùs è medio sustulit: eosdemque palinodiam scelerum ab se admissorum suo ipsorum ore canere etiam inuitos coegit. Hos verò qui admodum abiecti, & ab omnibus erant pro desperatis habiti, è terra in sublime extulit. Istud magnus ille Imperator Deus cœlitùs transegit, Constantinumque seruũ suum (sic namque Imperator ob singularẽ & eximiam pietatem appellari gaudet) velut armatum satellitem planè inexpugnabilem hostib. opposuit, eumque effecit inimicorum omnium victorem, atque adeò vnum contra multos excitauit. Nã illi ferè infiniti erant, & multi eorum cum multis malignis dæmonibus amicitia conBiuncti: imò verò non reuera erant, quia neque amplius existunt. Hic ex vno Deo vnus Imperator designatus, effigies & imago vnius summi omniũ Imperatoris est. Illi animo impio præditi, pios viros cruẽtis cædib. è medio sustulerunt: hic seruatoris sui exemplũ imitatus, & hominib. solum seruandis deditus, etiã impios seruauit, eosque pietatem & verum Dei cultũ perd ocuit. Quinetiã hic vtpote reipsa & veritate victor, duplex illud barbarorũ genus profligauit: quippe genus hominũ agresti feritate imbutum, prudentibus cõsilijs & hortationib. ad eos per legatos missis mansuefecit, principes ipsis potẽtiores coegit agnoscere, & à vita scelerata ac fera ad modestam ciuilemque traduxit: genus aũt dæmonum qui oculorũ sensu minimè percipi possunt, crudele illud quidẽ, & immanitate efferatũ, re ipsa coarguit repressitque, vtpote quod iã olim fuisset ab ipso Deo superatum. Cõmunis enim totius vniuersitatis cõseruator, spiritus illos q; oculis cerni nequeunt, vi quadã abstrusa & recondita deuicerat. Cõstantinus aũt, velut summi Imperatoris legatus, illos deuictos occupauit: & statuas mortuorũ, qui iam pridẽ perierant, expoliauit, prædãque victoris Dei satellitib. largè liberaliterq; distribuit. Nã cùm videret multitudinẽ, instar stultorũ infantium, laruas plenas erroris ex aurea argẽteaque materia effictas frustra extimescentẽ, eas tanquã quosdam lapides hominib. in tenebris incedentib. ante pedes proiectos ad impingendũ, è medio tollendas, regiamque viã quæ plana & æquabilis est, omnib. in posterũ patefaciendã existimauit. Ista igitur animo cõplexus, non armata manu, aut ingentib. copijs ad has res corrigendas sibi opus esse, sed vnum & alterũ ex illis quos habebat spectatos, ad hoc munus obeundum satis habere virium arbitratus est: quos quidẽ vna eademq; autoritate dignatos, ad singulas natiões misit. Illi tũ singulari regis sanctimonia, tum sua ipsorum in Deũ pietate freti, per mediam plebẽ, perq; medium populum multitudine infinitum proficiscẽtes, in singulis vrbib. regionibusq; errorẽ longinquo tempore inueteratum omnino deleuerunt. Ac primũ ipsos idolorum sacerdotes magna cum irrisione ac turpitudine suos ipsorum deos ex tenebricosis recessib. in lucẽ proferre mãdarunt: deinde exteriore illorum effigie detecta, etiam interioris formæ colore obductæ deformitatẽ ante oculos omnium statuerunt. Tum illis abrasis, materiæ pars quæ videbatur aliquid habere bonitatis, fornace ignique probarunt, eamq; reseruarunt in tuto collocatã: quæ autẽ inanis erat, & ad nullã rem vtilis, superstitiosis ad memoriã suę turpitudinis largiti sunt. Porrò autẽ hoc q; sequitur, nõ multũ sanè ab illo dissimile, istius Imperatoris admirabilis opera gestũ est.

Postquam

Maximinum, Diocletianũ, Licinium, inuit.

Constantinus Dei seruus appellari gaudet.

Tyranni dæmonum sunt amici.

Constantini in dæmonibus etiã expugnãdis virtus.

Constantinus offendicula tollit.

Idolorum ac statuarum euersio.

Vide Eusebiũ lib. 8. cap. 29.

Vide supra de vita Cõstantin. lib. 3 cap. 50. 51. 52. 53. Nicephor. li. 8. cap. 31. Sozom. li. 2. cap. 4. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Postquam simulachra mortua ex preciosa materia conflata dispoliauerat, reliquas statuas ad perpetuandã hominum memoriã erectas, quæ erant ex ære fabricatæ, aggressus est. Quinetiam deos quos veteres fabulæ celebrant, capillorum texturis constrictos colligatosque, abripiendos curauit. Præterea regio suo obtutu tanquam clara face accensa, sedulò perlustrauit, ne vllæ erroris reliquiæ vspiam delitescerent. Quemadmodum enim aquila in superiora aeris loca subuolans, res in terra longissimo interuallo ab se distantes acutissimè cernit: sic iste, dum in regali palatio, quod est in præclara illa vrbe ab ipso ædificata situm, versabatur, inde velut è specula periculosum quoddam rete, quo animæ hominum illaqueabantur, in gente Phœnicum latitare dispexit: nemus videlicet & delubrum, non in media aliqua ciuitate, non in foro, non in plateis, vt multa quæ in vrbibus ornatus gratia magno splendore decorantur: sed extra semitam, extra triuia, extra viam publicam, turpi & flagitioso Veneris dæmoni, in summo vertice montis Libani inter arbusta locatum erat, tanquam schola nequitiæ ijs qui erant libidini dediti, quique nimia licentia corpora sua infecerant, corruperantque. Nam viri quidam molles & effœminati, non viri reuera, pudore prorsus exuto, instar mulierum, turpissima contagione se inficientes, dæmonem placabant. Quietiam scelerati & nefarij mulierum congressus, clandestinæ connubiorum corruptelæ, alia denique infanda & turpia facinora in eo delubro, vtpote in loco impuro fœdoque, admissa erant. Nec quisquam fuit qui in hæc scelera animaduerteret, propterea quòd ex viris grauibus honestisque nemo illuc auderet accedere. Verùm hunc nostrum eximium Imperatorem, turpia facinora illic edita latêre non poterant. Quæ quidem cùm regia sua prouidentia dispexisset, indignum censuit, vti solis splendor eiusmodi delubrum intueretur. Proinde illud vniuersum cum ipsis statuis & monumentis funditùs deleri mandauit. Extemplò igitur Imperatoris mandato machinamenta, quibus petulans & lasciuus ille error propugnabatur, penitùs euersa fuerunt. Quippe militum manus loco purgando operam nauauit. Qui autem ad hoc vsque tempus luxuria desluxissent, Imperatoris minis perterriti, continentiam modestiamque didicerunt. Ad hunc modum igitur Imperator, tum spectra illa improbitatis & nequitiæ, qua hominum animi occæcati fuerãt, palàm sub omnium oculis subiecit, tum suum Seruatorem omnibus liberè prædicauit. Neque quisquam erat vel dæmon, vel ariolus, vel vates, qui aut subsidio aliquo efficere, aut vi obsistere potuit, quo minus errores ab illo perspicuè deprehenderentur. Neque mentes hominum in obscura insciti caligine amplius volutabantur: sed sinceræ pietatis radijs illuminatæ maiorum suorum ignorationem condemnare, illorum cæcitatem commisereri, seque ipsas beatas propterea affirmare cœperunt, quòd erant tam graui errore liberatæ. Itaq; hoc pacto Dei præpotẽtis consilio, & Imperatoris opera vniuersum hostiũ inimicorumq; genus tum cadentiũ sub aspectum, tum eundẽ fugientium, exiguo temporis momento omnino fuit extinctũ, tandemq; tranquilla placidaque pax vniuersum orbẽ terrarum occupauit. Neq; amplius bella, neque multi dij, neq; pugnæ in agris, vrbibusq; extiterunt, sicut antè, cũ dæmonũ cultus vigeret: neq; sanguinis inter homines effusio, sicut quãdo insana illa in multis dijs colẽdis amentia floruit.

Veneris fanũ in Libani vertice, à Constantino deletum.

Topographia Libani.

Causa tantæ Licentiæ in delubro Veneris.

Tyrannis cõcidit sublata idololatria.

Collatio noui status Reip. cum veteri.

Iam verò tẽpus se offert noua cum veterib. conferendi, & statum rerum ex deteriore in meliorẽ conditionem cõmutatum considerandi, sedulòq; expendẽdi peruidendiq;, quo pacto olim porticus, fana, nemora & tẽpla, in singulis vrbib. artificiosè extructa elaborataque essent: delubra multis admodũ monumẽtis decorata, creber & celebris de dijs sermo apud tyrannos qui id tẽporis regnabãt. Gentes quoque ac populi statuis in singulis agris locisq;, atque adeò in ædibus, in ipsis penetralib. & thalamis erectis, patrios ritus & ceremonias cũ summa obseruãtia executi sunt. Quibus quidẽ non is pietatis fructus qui iã nobis obtigit, nimirũ pax mutua, quã modò vigere quisq; oculis cernere potest: sed omnia cõtraria, vt bella, pugnæ, seditiones, quib. quidem per totã vitam cõquassati sanguine & cædib. intestinis suas ipsorũ regiones compleuerunt. Dij aũt quos colebant, quãuis vaticinia, oracula, rerũ quoq; futurarum præsensionẽ & scientiam illis penes quos tũ erat imperiũ, multis blanditijs adhibitis pollicerentur: suum ipsorum tamẽ exitũ nec præcognoscere, nec sibi ipsi vaticinari norant. Quod quidẽ ad errorem & fraudem illorũ perspicuè coarguendã, est argumentũ planè maximum. Neq; præterea quisquam eorum qui quondã propter oracula in magna habebãtur admiratione, Seruatoris nostri in mundum aduentũ, neque nouã diuinæ cognitionis ab eo hominib. propositæ prædicationẽ aliquãdo prædixit: imò verò neq; Pythius ipse intellexit, neque quisq; alius ex præpotentiũ dæmonũ numero, aut suã euersionẽ & vastitatẽ, aut quis eos esset expugnaturꝰ præsignificauit, quisue funditùs cos è medio sublaturus esset vaticinatꝰ est. Quis porrò ariolus, aut vates, eorũ deorũ honores & cultus tũ omnino extinctos fore, cùm

Deorum & oraculorũ gẽtium vanitas.

Dæmones futurorum ignari.

A cùm puer quidam in mundo editus esset, cognitionemque & synceram venerationem summi omnium Imperatoris omnib. hominibus traditam fore prænunciauit? Quis hoc augustum imperium pietate eximium, quis istum ipsum victorem, quis trophæa ab eo contra dæmones vbique terrarum erecta, quis superborum simulachrorum, quæ in locis excelsis colebantur, vastationem præsciuit? Quis mortua illa veterum Heroum idola, conflata fore, & ex forma planè inutili in vsus necessarios commutata aliquãdo prænonstrauit? Quis ex deorum numero aliquando mentionem fecit statuarum suarum, quæ iam sunt cõflatæ, quæq; cũ omnium irrisione euanuerunt? Quò se contulerũt istorum propugnatores, vt suis sacris monumentis ab hominibus expugnatis, subsidio esse non possint? Vbinam, inquam sunt, qui antea bellum gererent, nunc verò suos expugnatores in tranquillissima pace vitam degentes conspicentur? Quò tandem se receperunt, qui his tanquam dijs confisi, inaniq; adducti persuasione, animos ita sustulerunt, vt non solũ niterentur errorem ad summum perducere, verumetiã bellum minimè denunciatum indictúmue contra veritatis defensores susciperent? Certè miseri misere & infeliciter perierunt. Quem locum iam occupat turba Gigantum qui cum Deo bellum gerebant? vbi draconum sibila, qui linguas exacuentes, impias voces in summũ rerum omnium gubernatorẽ iaciebant? Illi profectò multitudine deorũ confisi, & effigies mortuorum in statuis inanimis expressas, in bello tanquam propugnacula profe-
rentes, ipsi cum ingentib. copijs à Deo totius vniuersitatis moderatore profligati cõciderunt. Hic noster lorica pietatis septus munitusq;, salutari & vitali signo crucis, veluti terriculo propugnaculoq; malorũ aduersariorum multitudini opposito, ab hostibus, à dæmonibusq; victoriã reportauit. Deindè grata animi voluntate inductus, preces ad gratias agendas, Deo authori victoriæ impertijt, claraq; voce, atque adeò columellis erectis, omnibus hominibus hoc signum triumphale prædicauit: inq; media vrbe quæ omnium princeps est, hoc insigne trophæũ contra omnes hostes erexit: edixitq; palã, vt omnes hoc salutare signum, quod nulla vetustate confici deleriq; potest, cùm Romani, tum totius orbis terrarum imperij munimentum agnoscerent. Quod quidem cùm omnes homines scire, tum milites in primis docuit: eosque debere non in hastis, alijsue armis, cuiuscunque generis illa essent, neque in corporum robore spem ponere:
B sed Deum omnium rectorem cũ boni cuiusque, tum ipsius victoriæ largitorem confiteri. Quare ad hunc modum Imperator(ô res auditu propè incredibilis) suo exercitui precandi disciplinæ magister factus est, piaque orandi præcepta Sacrarum literarum institutis consentanea congruentiaque tradidit. Primùm, vt in sublime ad cælum manus tenderent: deinde, vt sursum ad regem cælestem oculos mentis subleuarent, eumque, vtpote victoriæ datorem, omnium conseruatorem, custodem & adiutorem, precibus inuocarent: tumvt diem Dominicam precibus conuenientem, præcipuam reuera, primam & maximè salutarem, denique nomen ab eo duxisse, qui est lucis, vitæ, immortalitatis & omnis boni author, existimarent. Quinetiam ille ipse sibi præceptionum salutarium doctor factus, in ipsius regiæ penetralibus Seruatorem suum veneratur, & interdum precibus diuinos cultus exequitur, interdum Sacris literis audiendis mentem suam erudit. Qui autem illi ministrant, inseruiuntque, sunt homines Deo cõsecrati: qui verò custodes totius palatij, sunt viri vitæ grauitate & virtute eximij: qui denique stipatores satellitesq; ad corporis defensionem designati, firmis singularis beneuolentiæ armis sepți, Imperatorem sibi piè religioseque viuendi magistrum existere profitentur. Imperator autem triumphale signum honorat, diuinitatem quæ in eo est, re ipsa expertus. Nam isto, hostium multitudines in fugam versæ: isto Dei aduersariorum inanis ostentatio compressa: isto, petulantes maledicorum impiorumque linguæ ad silendum compulsæ: isto barbara hominum genera subiugata: isto, potestates dæmonum aspectum fugientium abactæ: isto, superstitiosæ astutiæ & erroris ludibria refutata. Isti denique cumulatam omnium bonorum quibus fruimur, expletionem acceptam referẽs Imperator, columellas triumphales, quibus illius decus illustretur, vbique terrarum collocauit. Quinetiam ecclesias, templa, ædes sacras, sumptibus ad eam rem liberali & regia manu suppeditatis, extruendas mandauit. Itaq; extemplò magnifica Imperatoriæ magnificẽtiæ opera in medijs, puincijs vrbibusq; sunt, exiguoq; tẽporis spacio in luce & oculis omnium gentium collocata: quæ quidem tyrannidem impiorum perspicuè coarguerunt. Nam hi paulò antè mentis quadam insania ad bellum cum Deo gerendũ impulsi, virus acerbitatis & maleuolentiæ suæ contra inanima ecclesiarũ ædificia (contra Deum enim non poterant) instar canũ rabie furentes euomuerant: in quib. è sublimi ad solũ deturbatis, ex ipsisq; fundamẽtis cõuulsis, species vrbis ab hostibus captæ euidenter expressa est. Hæc ab illis scelerum peracta fabula, in qua

In exercitu Licinij.

Constantini de hostibus Christi, & de monibus victoria.

Crucis trophæum à Constantino erectum.

Precandi Deũ disciplina à Const. tradita.

Constantini ministri, custodes, satellites qui.

Crucis signũ virtus.

Templorum extructiones.

Tyrannorũ rabies & insanitas.

Deum

Vide Eusebiũ lib. 4. cap. 19. 20. de vita Cõstantini.

Vide Eusebium lib. 4. capit. de vita Constantini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum oppugnare aggredientes, confestim amentiæ suæ pœnas dederunt. Nam vix dum A breue temporis curriculum præterierat, cùm procella cælitus importata vno momento obruti, extincti; fuêre: adeò vt neq; genus, neq; semen, neq; vel minima memoriæ eorũ significatio inter homines remaneret, sed omnes (licet permulti essent) plagis diuinitùs inflictis excruciati, oppressiq; interirent. Atq; illi ob rabiem contra Deum accensam, talem habebant exitum. Hic verò noster Constantinus, solus salutari Crucis trophæo nixus, neque tamen solus (aderat namque illi, opemq; ferebat, qui solus & verus Rex est) templa noua, illis quæ antè diruta erant multo præclariora exædificauit, posteriorq; prioribus longè illustriora reddidit. Ac primum Constantinopolim varijs Dei

Constantini structuræ, præsertimque templorum.

exornauit ecclesijs: deinde vrbem totius Bithyniæ facilè principem amplissimo pulcherrimoque templo decorauit: tum primarias cæterarum gentium ciuitates illustrauit ornamentis non dissimilibus, duoque monumenta præ cæteris eximia in Oriente cõstruere aggressus est: alterum in Palæstina, propterea quòd inde tanquam ex fonte salutaris fidei Christianæ riuus ad omnes gentes promanauit: alterum in metropoli Orientis quæ nomen traxit ab Antiocho, in qua tanquam in vrbe illius gentis ac regionis præcipua, ecclesiam tum egregiam propter magnitudinem, tum propter pulchritudinẽ cũ primis eximiam, Deo dicauit. Vniuersum templum longis porticibus extrinsecus adiectis circumdedit: sanctuarium autem interius ad infinitam erexit altitudinem, illudque forma solij octangularis variauit: multis ædiculis, exedrisque vndique constructis circumsepsit: varijs denique cuiusque generis decorauit ornamentis. Ista quidem ad hunc modum erant à nostro Imperatore confecta. Quæ autem sequuntur, in Palæstina ab eo etiam gesta fuêre. In media vrbe quæ apud Hebræos primas obtinet, nõ modò ecclesiam amplissimam, quę ad memoriam salutaris Christi passionis ædificata fuit: verumetiam templum sanctum salutari signo Crucis dedicatum, magnificis & sumptuosis insignibus exornauit. Quinetiam monumentum Seruatoris, quod sempiternæ memoriæ commendandum est, illiusque trophæa contra mortem statuta, ornamentis quę dicendo exprimi non possunt, cohonestauit. Tria præterea loca tribus mysticis notræ salutis antris nobilitata, amplis & eximijs illustrauit ædificijs. Primùm illi antro in quo Christus mundo primùm apparebat, debitum decus impertijt. Deinde, ad illius antri memoriam, vbi postremò assumptus est, in montis iugo monumentum præclarum extruxit. Ad ex tremum, antrum illud inter hæc duo interiectum, vbi Seruator B totius suæ passionis quasi certamen obibat, victoriamque mundo salutarem ab hostibus reportabat, templo extructo illustre reddidit. Ista omnia antra Imperatoris opera & labore magnificum splendorem sunt consecuta. Qui & salutare Crucis signum omnibus prædicat: & Deum, qui eius pietatem largè remuneratus est, omnem suam familiam, suamque sedem imperatoriam amplificare, imperij tempus longo annorum curriculo stabilire, suisque probis liberis, ipsi generi, & successione eiusdem, fructus virtutis apud se reconditos habere, ingenuè agnoscit. Porrò autem hoc potentiam Dei, qui omnium censor est, quem Constantinus colit, manifestò declarauit, quòd iusticiæ quasi talenta ex æquo distribuens, debita cõpensatione vtrumq; hominum genus remunera tus est. Nam illis qui ecclesias expugnauerant, euerterantque, iusta merces impietatis euestigiò inflicta: quippe stirpe generis, ædibus, laribus familiaribus, hac luce denique ex templò priuati fuere. Hic autem, qui suum dominum varijs pietatis honorarit officijs, & interdum ædes planè regias ad eius gloriam illustrandam erexerit, interdum sacris monumentis vbique terrarum collocatis, suis illum commonstrarit subiectis, Deum reuera & familiæ & regni & generis conseruatorem ac custodem reperit. Hoc pacto igitur præclara Dei facta per diuinam salutaris signi Crucis virtutem omnibus proposita sunt ad intuendum. De cuius laudibus, his qui se Sacrarum literarum professioni consecrauerint, amplius dicendi campus suppetit. Nam hoc salutare signum reuera fuit (est quidem istud & incredibile dictu, & cogitatu planè admirabile) quod solum simulac in terris visum fuit, omnes commentitias fabulas quæ ab initio de dijs confictæ fuissent, omnium oculis subiecit: & sicut errorem tenebris obruit, & obliuione, sic lumen mente sola perceptum, quo hominum animi illustrantur, vnum videlicet ac verum Deum omnibus patefecit. Quocirca quisquê ad Deum Opt. Max. totus conuersus, in mortuorum simulachrorum vultus expuit, execrabiles ritus quibus dæmones coli solebant, pedibus conculcat, inueteratum errorem à maioribus traditum irridet. Qui autem Sacrarum literarum quasi scholas vbique hominibus aperiunt, hi illos perquam salutaribus præceptis erudiunt, vt deinceps neque creaturam quæ oculis corporis cernitur, suspiciant ac venerentur: neque obtutu sursum ad solem, lunam & stellas sublato, in eorum admiratione hærerent: sed qui supra has res domicilium habet, quique sub aspectum non

Templi Antiocheni structura.

Item Hierosolymitani.

Tria antra mystica templis à Constantino decorata.

Crucis signum salutare.

Vide supra de vita Constantini li. 3. ca. 47. 49. 50. Niceph. lib. 8. ca. 31.

Vide supra lib. 3. ca. 31. de vita Constant. Nicephor. lib. 8. cap. 28.

Vide supra lib. 3. cod. ca. 40. vbi diuersa antra memorata.

Videlicet notatas ad 2. ca. lib. 3. de vita Constant.

A non cadit, eum conditorem vniuersi fateantur, eum solum cultu & veneratione prosequi discant. Istud igitur eximium & admirabile Crucis signum tot tantorumque bonorum hominibus causa extitit, cuius vi & facultate, quę praua erant, sublata sunt: quę autem antè non erant, iam apud omnes claris pietatis radijs elucent. Nam præcepta, monita, hortationes ad vitam modestè pieq; degendam, omnium gentium auribus inculcantur, ipseq; Imperator idem ipsum prædicat. Atque hoc certè cum primis admirandũ videtur, quòd tantus ac tam præpotens princeps, velut summi Imperatoris Dei propheta clarissima voce vniuerso mundo clamat: omnesq; qui sunt in ipsius ditione, quiq; ipsius cura operaq; assiduè pascuntur, ad veri Dei cognitionem inuitat. Quinetiã in media regia, non vt antè fieri solet, stultæ ac vanæ impiorum hominum turbę, sed sacerdotes & administri Dei pietatis insignibus egregiè ornati, præclaris hymnis decantatis conuentus celebrant: vnus Deus moderator vniuersitatis, omnibus annunciatur. Euangelicus sermo, qui omnia bona nobis pollicetur, humanum genus Deo omnium rectori coniungit: Patrem cælestem filijs suis, qui sunt in terra, propitiũ & benuolum esse ostendit. Eum chori triumphalibus cantilenis cuiusq; generis celebrant: eũ vniuersum mortalium genus vnà cum cœlestibus angelorum turmis resonat: ei animi rationis compotes, corporibus, quibus circumcluśi sunt, tanquam instrumentis musicis, hymnos decoros & eximios, diuinasq; laudes concinunt. Quinetiam qui Occidentem incolunt, pariter cum his, qui in locis versus Orientem habitant, ad eũ eodem tempore momento collaudandum, ipsius præceptis perdocti sunt. Et qui versus Boreã domicilia rerum suarum collocarunt, simul cum illis, qui regiones versus meridiem accolunt, vno concentu eum prædicant: pium viuendi genus consectantur, ijsdem moribus & institutis instructum: vnum Deum patrem omnium gubernatorem prædicatione efferunt: vnigenitum eius filium, Seruatorem nostrum, omnium bonorum authorem profitentur: vnum etiam Imperatorem, orbem terrarum moderantem, piosque eius filios Cæsares agnoscunt. Iste verò, non aliter atque sapiens gubernator in alto loco constitutus, sublimis tranat, æuumque nostrum regit: ac recto cursu incedens, clauũ tenet: & omnes qui ipsius parent imperio, secundo vento ad tutum & tranquillũ portum perducit. Atque Deus ipse, qui summus omnium imperator est, vt in hac vita dextera sua ad opem illi ferendam cœlitùs demissa, omnium inimicorum aduersariorũq; B effecit victorem, imperijq; principatum longinquo annorum circuitu amplificauit: sic post discessum è vita, illum bonorum multo præstabiliorum participem facturus est, req; ipsa promissa sua ei cumulatè præstaturus: de quibus accuratè differere præsens tẽpus non sinit, sed vsq; eò expectandum, quoad illò fuerimus profecti: quandoquidem cœlestia præmia, neque mortalibus oculis possunt, neque auribus corporeis omninò comprehendi.

Regiæ Constãtini disciplinæ

Totius orbis animis in Religione consensus.

Sequitur iam vt tibi, (Constantine victor illustrissime) in hac tua regia, diuinarum arcanarumque literarum mysteria de summo omnium Imperatore Deo tradita, ex scripto recitemus: non quò te rebus sacris instruamus, qui sapientiam à Deo didiceris: neque quò tibi secreta Dei aperiamus consilia, cui Deus ipse multò antè quàm nos verba apud te facere aggressi sumus, non ab hominibus, neq; per hominem sed per ipsum Christum communem omnium Seruatorem, perq; diuinam suam visionem, quæ sępenumero tibi illuxerit, occultas inuolutasque sacrorum mysteriorum notiones patefecerit, reseraritq;: sed quò imperitos homines ad lucem cognitionis deducamus, tuorumque piè & sanctè factorum rationes causasque ignaris & insćijs perspicuè proponamus ad contemplandum. Nam tametsi, quæ ad summi huius vniuersitatis moderatoris Dei cultum & honorem illustrandum in dies per totum orbem terrarum à tua virtute præclarè geruntur, omnium mortalium celebrantur sermonibus: tamen monumenta, quæ in nostra patria, Palæstinam dico, inque ea ciuitate * vnde salutaris Dei sermo velut ex fonte ad omnes homines profluxit, sunt tuo propugnatori ac seruatori ad gratias illi agendas collocata: trophæaque victoriæ contra mortem partæ in ecclesijs & templis Deo consecratis erecta: excelsa denique, eximia, magnifica, & verè regalia opera ex tua regali mente profecta, & ad salutarem immortalitatis memoriam extructa, causam, quæ te ad veram pietatem colendam impulerit, in luce atque in oculis omnium defigunt. Atque vt alij virtute & instinctu sacri Spiritus illuminati, res verè diuinas intelligunt, agnoscuntque, reque iurè propterea & admirantur, & beatum prædicant, quòd mens tua & appetitio ad has res gerendas diuinitùs incitata fuit: sic nonnulli, qui sunt rerum diuinarum penitùs ignari, institutum tuum pro insćitia, ludibrio & cachinno ducunt. quippe indecorum, & minimè omninò consentaneum putant, vt tam potens Imperator suum studium & operam ad monumenta ac sepulchra corporũ mortuorum

De diuinorũ mysteriorum contemplatione.

** Hierusalem*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuorum constituenda conferat. Quinetiam dixerit aliquis, Annon satius esset patrios ri A
tus & instituta seruare, & heroas ac deos, qui à singulis gentibus coluntur venerari, eos-
que minimè illarum calamitatum causa, quas nuper acceperint, aut detestari, aut fu- *Quid differat Christi cultus à cultu mortuorum Heroum.*
gere? Aut enim illos perinde atque hunc * præsertim, cum earundem calamitatum cũ
illis sit particeps, in deos reponere debemus: aut si illi propterea sint abijciendi, quòd *& Christum intelligit.*
rebus incommodis & aduersis, vt captus hominum fert, obnoxij sunt, eadem de isto sen-
tentia meritò ferenda est. Ista fortasse aliquis eorum, supercilijs admodum contractis,
dixerit: qui quidem & sua opinione sibi videtur sapiens, & suam inanem insolentiam
arroganter ostentat. Atque benignus clementissimi patris filius, Dei sermo, non huic
solum, sed alijs omnibus, qui per errorem lapsi sunt, insciti am condonat: à quo etiam
piæ exercitationis & doctrinæ præcepta, per vniuersum orbem dissem inata: à quo ho-
mines in regionibus quibusque, in vicis, agris, solitudinibus & ciuitatibus habitantes,
vndique ad diuinarum rerum disciplinam perdiscendam enixè accersiti: à quo tanquã
à misericordi seruatore & medico animorum, Græci simul & Barbari, sapientes & insi-
pientes, pauperes & diuites, serui & domini, principes & subiecti, impij, iniusti, imperi-
ti, flagitiosi, blasphemi ad Dei cultum accedere, maturareque iussi. Nam scelerum, quæ
Matth. 11. & Matth. 9. iam antè admiserint, se obliturum denuncians, clara voce sic clamat: Venite ad me om-
nes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Et rursus: Non veni vocare iustos,
Ezech. 18. sed peccatores ad pœnitentiam. Causamque adiungit: Non enim est opus valentibus
medico, sed malè habentibus. Et alibi: Nolo mortem peccatoris, sed vt se pœniteat.
Hinc verò ei, qui causas rerum suprapositarum peruidet, cogitatio subit tum ad assen-
tiendum solum Imperatorem nostrum instinctu quodam, qui supra hominem putan-
dus est, res diuinas didicisse: tum ad modum pietatis eius vehementer admirandum:
tum ad credendum, illum non sine impulsu diuino, imò verò Dei optimi maximi re-
uera afflatu, cuius spectatum famulum, bonorumque ministrum se esse gloriatur, in
monumento illo salutis & immortalitatis extruendo operam & laborem suum col-
locasse. Hæc tibi, Imperator potentissime, grata in primis & iucunda esse pro certo per-
suasus, rerum piè & religiosè abs te gestarum rationes causasque hoc præsenti sermone
omnibus explicare constitui. quippe optaui me esse & mentis tuæ interpretem, & qua-
si nuntium animi tui sanctissimi, quo omnia illa, quæ discenda sunt, impertiam cui- B
que desiderio flagranti cognoscendi verba ac promissa virtutis Dei, & Seruatoris no-
stri, propter quæ ille, qui erat ante omnia secula, vniuersitatisque curam & moderatio-
nem habebat, tandem è cœlo ad nos descendit: propter quę naturam humanam induit,
propter quæ denique morti se obtulit: atque non solum vitę immortalis, quæ deinceps
futura est, & à mortuis resurrectionis, causas, verumetiam certas demonstrationes,
perspicuaque documenta illis, qui adhuc earum rerum cognitione egeant, common-
strauit. Verùm tempus postulare videtur, vt hoc loco de his disserere ingrediamur. Il-
li quidem, qui cultum fabricatoris mundi & vniuersarum rerum moderatoris Dei, ad
res ab eo procreatas transtulerint, & solem, lunam, cæterasque mundi partes, atque
adeò prima elementa, terram, aquam, aërem, ignem pari veneratione cum eorum effe-
ctore & opifice obseruarint, resque istas appellarint deos, quæ neque extitissent vnquã,
neque essentiam nomenue habuissent, nisi verbo Dei, quo mundus conditus est, in lu-
cem editæ fuissent, perinde fecisse mihi videntur, atque hi, qui architectum magnifico-
rum operum, quæ in regia cernuntur, contemnunt, & tecta, muros, picturas quoque in
eisdem magna colorum & artificij varietate collustratas, inaurata etiam opera, lapidũ-
que cælaturas admirantur: illisque ipsis tum honorem artificis, tum nomen attribuũt,
cum æquum & consentaneum sit, non rebus illis sub aspectu subiectis, sed soli earum
architecto causam admirabilitatis ascribere, & multiplicia esse sapientiæ opera confi-
teri, eumque solum sapientem, qui tam multis operibus, vt talia sint, causa & author
existat. Quinetiam illi nihil à pueris admodum infantibus differre videntur, qui lyram
septem chordarum instrumentum, suauem planè concentum fundens, admirantur:
compositionis autem, quæ in eo cernitur, inuentorem & artificem minimè propter sa-
pientiam suspiciunt. aut qui neglecto duce, qui in bello gerendo victoriæ author fuit,
hastam & scutum triumphalibus coronis decorare studeant: aut qui in ciuitate forum,
plateas, ædificia, templa inanima, & gymnasia pari honore afficiunt, cum potente rege,
qui tã illustrem & regalem ciuitatẽ condiderit: præsertim cum non columnas, neq; la-
pides, sed sapientem conditorẽ, qui tale opus construendum, & præclaris instituẽdum
legibus curauerit, suspicere venerariq; oporteat. Eodem modo illi, qui hoc vniuersum
oculis corporeis contemplantur, non soli, neq; lunæ, neq; vlli alij corpori cœlesti cau-
sam illius debent attribuere, sed hæc omnia sapientiæ opera confiteri: horum effectorẽ
& opi-

A & opificem celebrare, eum honore & cultu prosequi, alijs rebus vniuersis præponere, &
ex istarum rerum aspectu summum omnium moderatorem Dei sermonem, qui non
amplius oculis corporis cerni potest, sed sola mente sincera ac pura percipitur, cum o-
mni animi affectione ac studio diuinis laudibus ornare, sanctèq; & augustè colere. Nã
nemo aliquando sapientis & periti vel oculos, vel caput, vel manus, vel pedes, vel reli-
quas partes, quæ in humano corpore hærent, sapientes dixerit: tantum abest vt palliũ,
quo circumuestitur, aut domus supellectilem, aut alias res ad vsum necessarias, sapien-
tes appellarit: sed prudens quisq; mentem ab oculis & aspectu seclusam admirari & su-
spicere voluerit. Qua ratione inducti, vnigenitum Dei sermonem, quem nullus oculo- *Dei sermo vnigenitus Christus, rerum omnium, totiusque vniuersi gubernator.*
rum sensus & obtutus capere potest, quique hanc vniuersitatem & decora specie exor-
nat, & prouidentia moderatur, præoperibus totius mundi in cernendi sensum incurrẽ-
tibus (quæ quidem corpora sunt, & ex vna eademq; materia concreta) in summa admi-
ratione habere debemus: quem omnium conditor, omnem essentiam longissimè su-
perans, ex seipse genuit: ducem & gubernatorem huic vniuersitati præfecit. Nam cum
fieri non posset, vt hæc fluxa & fragilis corporum essentia, naturaq; animantium ratio-
nis participium ad Deum patrem rectorem vniuersi, propter incredibilem illam excel
lentiam, qua ab eo superatur, appropinquaret: (ille enim ingenitus est, longissimè su-
pra huius vniuersitatis verticẽ situs, qui verbis exprimi, ad quem accedi appropinqua-
riue non potest: qui lucem inhabitat inaccessibilem, vt Sacræ loquuntur literæ: hæc au- *1. Timoth. 6.*
tem ex nihilo concreta est, longissimo & maximo interuallo ab illa natura, quæ mini-
mè genita fuit, distincta diuisaq;) non sine causa Deus pater moderator vniuersi, vt potè
clementissimus, diuinum & potentissimum eius vnigenitũ sermonem, qui proximus
& intimus illi est, qui arcanorum eius consiliorum particeps est, qui se ad nos à summo
illo paradisi fastigio delapsos benignissimè demisit, nostræq; naturæ fuit quodãmodo
conformatus, mediatorem interposuit. Nam neq; piũ sanctúmue reuera fuisset, illum
summum omnium gubernatorem, Deũ patrem, cũ caduca materia, mortalisue corpo-
ris natura copulasse. Qu apropter Dei sermo huius vniuersitatis gubernacula promis-
cuè suscipiens, eusq; quasi habenas manu prehendens, facultate quadã diuina, & ab o-
mni concretione mortali libera regit, ducit, & quatenus ipsi videatur consentaneum,
B summa cũ sapientia moderatur, huius sermonis vis ac potentia hinc liquidò constare
poterit. Nã si illæ mundi partes, quas prima elementa vocare solemus, terrã dico, aquã,
aërem, ignem, quasq; oculis cernimus, eædem per se consistant: si vna omnib. rebus sub-
iecta essentia, quam πανδοχον, id est, omniũ capacem, quam matrẽ, quam deniq; nutricẽ
philosophi in his rebus describendis diserti, appellare cõsueuerunt: si eadã ipsa, forma
ac specie careat, si omninò animę rationisq; expers sit, vnde ornatus, dixerit aliquis, ei
ingeneratur? Vnde elementorũ in ea distributio? vnde rerũ contrariarũ cõcursus & co-
harentia? Quis grauẽ terræ molẽ in humida natura natare vehiq; præcepit? Quis natu-
ram aquarũ deorsum labentẽ, retrò contrario motu cieri, & sublimem in nubibus fer-
ri cõpulit? Quis ignis naturam & vim sic cõpressit, vt in lapidibus delitesceret? quisue eã
cum rebus natura contrarijs cõmiscuit? Quis frigidum aërem cum vi ignea copulauit,
pugnaq; mutua dirempta, eas res quasi reduxit in gratiam? Quis mortale genus succes-
sionis serie excogitata, ad immensum æuum instar vitæ immortalis propagauit? Quis i-
ta marem & fœminã formauit, quisue ambos sic vno consensus colligauit vinculo, vt
omnia animalia ab illis principium sui ortus ducerent? Quis semen, cuius natura cadu-
ca, fœda & fluxa est, ita immutauit, vt animans ab eo ederetur? Quis has res omnes, ali-
asq; infinitas, quæ multo plus habent admirationis, etiã adhuc efficit? Quis singulis die-
bus, atq; adeò horis, harum rerum ortus maturitatesq; occulta & recondita vi perficit?
Certè istarum vniuersarum admirabilis Dei sermo est author, & causa reuera existimã
dus. Nam hic omnipotens & verus Dei sermo per omnia se diffundens, & sursum in
sublime, deorsum aũt in profundum se facultate quadam corporis experte porrigens,
& in latum longumq; per hanc vniuersitatem pertinens, eam quasi larga manu cõpre-
hensam continet, constringitq;: seq; ipse velut instrumentum, quo vndiq; in vnum cõ-
pingitur, in eo defigens, essentiã corporum, ratione, forma ac specie carentem, vi quadã
solertissima, exquisitissimaq; torquet, versatq;: & ea, quæ sunt admodum disiuncta, tan-
quam lapidibus frontatis ex vna parte operis ad alteram pertinentibus in vnum cogit.
Ipsum etiam solem, lunam, & cætera cælestia luminaria ratione quadam inexplicabili
gubernans, ad totius vniuersitatis commodum quasi manu ducit. Idemq; ipse Dei ser- *Sermo Dei rerum omnium creator.*
mo in terram se demittens, varia cuiusq; generis animalia, multiplices quoq; & ad aspe-
ctum præclaras plantarum formas procreat. Quinetiam in profundos maris recessus
penetrans, natantium belluarum genus effinxit: ibique infinitas & innumerabiles ani-

mantium omnis generis formas ac differentias progignit. Idem etiam ea quæ sunt in A
vtero concepta, intus tanquam in officina naturæ perficit, animalisq; formam illis impertit. Idem porrò fluitantem & grauem humidæ essentiæ naturam, primùm in sublime tollit, deinde mutatione quadam dulcem efficiens, in terram moderato lapsu demittit temporibusq; certis ac definitis eam subministrat: atque velut optimus agricola, agros commodè rigat: & humido cum sicco temperato, eos rebus cuiusq; generis æquabili distributione concinnat, modò venustis floribus vestiendo, modò herbarum formis cuiusque modi illustrando, modò suauibus odoribus condiendo, modò variis fructuum generibus decorando, modò denique sapores ex illis ad gustum hominum oblectandum largiendo. Sed quid est quamobrem ipse sermonis Dei virtutes persequi audeam, præsertim cum earum vis omnem mortalem cogitationē longè superet: remque, quam nemo efficere aut consequi possit, aggrediar? Hunc quidem alij naturā vniuersi, alij totius mundi animam, alij fatum, alij ipsum summum omnium moderatorē Deum nominare solent: resq; inter se diuersissimas longissimeq; distantes, nescio quo pacto permiscendo, ipsam summam patris virtutem, quæ cuncta moderatur, quæque ingenita est, è sublimi in terram depressam, cum corporibus ac caduca materia commixtam, & inter res mortales & immortales mediam interiectam volutari asseuerant. Atque hæc quidem isti ad hunc modum.

Dei sermo omnium bonorum author & causa.

Diuina autem Sacrarum litterarum doctrina, eum summum omnium bonorū authorem & causam esse, omnem humanam comprehensionem superare asserit: & propterea neq; verbis describi, neq; oratione exprimi, neq; nomine appellari, neque voce proferri, neque vlla cogitatione percipi posse, neque corporibus, neque cœlo, neq; æthere, neq; vlla parte vniuersi circumscriptum esse, sed vbique & extra omnia in arcanum & inexplicabilem quendam cognitionis recessum abditum & abstrusum. Hunc solum verum Deum agnoscendū diuina tradunt eloquia, qui & ab omni essentia corporea secretus est, & ab omni seruili ministerio alienus. Quapropter ex ipso omnia, non autem per ipsum extitisse dicuntur: sed ipse velut imperator intus in reconditis & inaccessis adytis, lucem inhabitans perpetuò inaccessibilem, sola libera & voluntaria sua potentia omnia moderatur ac regit. Nam eo volente existit, quicquid existit: & eo nolente nō existit. Vult autem omnia bona, quoniā ipsum bonum reuera ille ipse est: B
Deus autem sermo, per quem omnia, ab omni æternitate à benigno patre, tanquam à perenni, & immēso fonte instar fluuij erumpēs, fluit, omninoque ad communem rerum vniuersarum salutem & conseruationem dimanat. Atque vt exemplo in cōmuni vita posito rem ante oculos statuam: mens nostra (quæ in cernendi sensum minimè cadit, quāq; quęnam & qualis essentia sit, nemo homo vnquam nouit) velut rex, qui intus in secreto suo cubiculo se continet, sola quæ agenda sint, consilio prouidet: oratio, quæ ex ea sata egreditur, & ex eius recessu non aliter quàm ex parentis gremio ratione planè ineffabili, & vi quadam, quæ verbo explanari nequit, edita est, prima paterna sē sa & cogitationes omnibus denunciat, eaq; quæ erāt in paternis penetralibus deliberata palàm prædicat, réque ipsa efficit vt consilia parentis ad omnium aures perueniant. deinde qui orationis sunt facti participes, vtilitatē & fructum inde percipiunt. Et tamen mentem quæ est in occulto abdita abstrusaq;, quæ quidem orationis parens est, nemo vnquam oculis aspexit. Eodem modo (imò verò nulla imagine aut exemplari describi potest) perfectus Dei omnium regis sermo, vtpote vnigenitus patris filius, qui neq; ex prolatione constat, neq; ex syllabis, nominibus, aut verbis efficitur, neque voce aeris adiumento efficta formataq; exprimitur: sed Dei omnium rectoris viuus & efficax sermo est, & cum eo essentia subsistit, tanquam virtus Dei, & Dei sapientia ex patris diuinitate & regno egreditur: quiq; bonum boni patris germen, & communis omnium seruator est, omnia quæ sunt vitæ participia suæ gratiæ fluentis perfundit, & ratiocens, non modò ea quæ ipsum quodammodo contingunt, inq; proximo sunt posita, rigat: verumetiam quæ longo interuallo distant, inq; terra, mari, aut si quæ alia sedes domiciliumúe rerum vsquam sit, versantur. Quibus vniuersis fines, regiones, leges, & certas velut hæreditates præscribit: suaq; regia potestate, ea quæ apta conuenientiaque sunt, singulis tribuit, suppeditatq; : & nonnullis orbes illos, qui mundi verticem superant, alijs ipsum cœlum, quibusdam sedes æthereas, multis aërem, non paucis terrā ad incolendum assignat: deinde hinc in alia loca rursus transfert: singulas animantiū vitas accuratè distinguit, indoles & consuetudines morum alias alijs impertit. Victum & alimentum non modò quibus insit ratio, sed his etiam quæ eadem careant, quæque ad vsum eorum quæ habent rationem procreata sint, præparat: & his vitæ mortalis & caducæ

Mens.

Oratio mentis filia.

Dei sermo qui & vnigenitus filius.

A caducæ largitur vsuram, illa immortalis vitæ participia reddit: omniaq; pro suo arbitratu, vtpote Dei sermo, efficit: omnibus præstò adest, omnia diuina vi tranat: & obtutu in sublime ad patrē sublato, pro illius voluntate ac nutu res inferiores, & quæ ipsi substratæ sunt, aptè & conuenienter, velut cōmunis omniū conseruator, gubernat: seq; mediū quodammodo interponit, & essentiam quæ ortū habet, cum ea quæ æterna est, coniungit. Quippe idem ipse Dei sermo est tanquam firmum vinculum interiectum, quo ea quæ intercapedine distant, tū colligantur, tum impediuntur, quo minus lōgius alterum ab altero dilabantur. Hic prouidentia est, qua res cunctæ administrantur: hic curator & rector vniuersi, hic vnigenitus Dei filius ex Deo patre genitus, Deus verbū. *Ioan. 1.*
Nam in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbū: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factū est nihil quod factum est, sicut sacrę Diuinarum scripturarum voces docent. Hic cōmunis omnium sator, cuius vi res vniuersę oriūtur, pubescunt, & imbribus ab eo demissis, in omne tempus irrigatæ, recentem ac nouam in dies viriditatem & pulchritudinē insignem vniuersitati afferunt. Hic vniuersitatis quasi habenis manu prehensis, eā paterno nutu recto cursu ducit, ingensq; totius mundi velut nauigium gubernat, regitq;. Igitur summus omnium moderator, filium vnigenitū, talē tamq; præclarum artificem, tanquam fœtum excellentē ex se vtpote pater progignens, eum mundo, bonum planè maximum, largitus est: eumq; ipsius dico sermonem velut animum in corpus inanimum, naturamq; corporeā rationis expertem quodāmodo incluſit, & essentiā forma, specie, anima & figura carentē diuina eius vi illuminauit, in eaq; vitā inseuit. Quem quidē & intelligere, & mente complecti debemus, in materia & elementis, ex quib. corpora concreta sunt, perpetuò insidere, & vitam omnibus impartiri: eumq; ipsum, germen & lumen esse à lumine ineffabili profusum: & licet vnum essentia, vtpote ex vno patre genitum, multas tamen facultates in se continere. Neq; tamen, quanquā multę partes mundi sunt, propterea putandū multas esse facultates quibus regitur: neq; quoniam multę sunt creaturę, idcirco multos deos statuere conuenit. *Deorum multitudo perperā instituta.*
Nam liberi ac posteri eorum, qui multitudinem deorum inuexerunt, tanquā infantes animis, graui errore se implicabant, dum partes mundi in numerum deorum referrēt, atq; adeò vnum mundum in multos non aliter dispertirent, ac si quis homine vno posito constitutoq;, oculos separatim hominē esse diceret, aures itidem alium hominē, caput etiam alium: collum, pectus, humeros, pedes, & manus similiter: cætera præterea membra minutatim distributa: sensuum quoq; facultates ratione distinctas, ad summā vnum hominem esse complures affirmaret: sicque nihil aliud efficeret, quàm vt ipsius à sapientibus egregiè irrideretur insciti a. Atq; idē de eo dici poterit, qui ex vnius mundi partibus infinitos sibi deos constituat: aut qui hunc mundum ortum habentē, & ex multis partibus conflatum effectumq;, ipsum Deum esse arbitretur, quiq; non intelligat diuinā naturam ex partibus nō posse constare. Nam si concreta sit, & coagmentata, altero à quo coagmentetur egere necesse est: atq; diuina certè esse non potest, si ex multis constet partibus. Etenim qua tandē ratione, cum ex diuersis disparibusq; rebus, quarum hæ meliores sunt, illæ deteriores, cōpacta sit, simplex esse, partibusq; & coagmentatione carere, mundi deniq; descriptioni sub aspectum cadenti antecellere queat? Quapro- *Coloss. 1.*
pter ille veritatis præco, clara voce sic quodāmodo clamat: Dei sermo, qui est ante om- *Non citat locū Pauli ad verbum, sed attingit solum.*
nia, solus omniū hominum seruator est. Deus autē generationis author, qui dicēdo exprimi nequit, cum solus omnium causa sit, ipsius sermonis, vtpote vnigeniti filij propriè pater dici potest: qui nullam causam seipso superiorem agnoscit. Quare solus ille Deus est: vnigenitusq; eius filius omnium seruator ex eo editus, vnicus Dei sermo, qui per omnia permeat. Quemadmodum lyra ex multis chordis constat, eijsdemq; dissimilib. quarum hæ acutæ sunt, illæ graues, & hæ cōtentę, remissæ illæ, aliæ autē intermediæ, omnesq; ad artem musicā aptè admodum & cōcinnè directæ: sic mundus iste sub sensum cadens, ex multis partib. cōficitur, coagmētaturque, quarum natura partim frigida est, partim calida: humida partim, partim sicca, quæ inter se pugnant maximè: ex quarum æquabili tēperatione, cum mundus affabrè cōstructus sit, fit quasi instrumentū & opus præpotente Deo dignissimum. At diuinus sermo neque ex partib. constat, neq; ex rebus contrarijs concretus est: quippe qui & partibus caret, & à coagmentatione alienus, quiq; scienter & peritè hoc vniuersitatis, vt ita dicam, instrumentum pulsans, suo patri, moderatori omnium, cōuenientem concentum, tum sibi decorum fundit. Sicut in vnum corpus multa membra viscera & intestina ferè infinita compacta sunt, vnusq; solum animus, qui per omnia diffunditur, mensq; vna partib. & corpore vacans: sicque in hac vniuersitate mundus vnus, ex multis partibus cōstans, sermoque Dei itidē vnus, qui non multa solum, sed omnia potest, perque omnia pertinet, & reuera dimanat, om-

Universidad de Deusto
Biblioteca

In vnitate perfectio est.

nium deniq; author & causa est. Cum oculos ad vniuersum mundum intuendum ad- A
ijcis, an non vides vnum cælum infinitas astrorum multitudines, quæ in orbem torquē
tur, in se complecti? Et rursus vnum esse solem, qui alia sydera, eorumq; omniū splen
dores sua larga immensaq; luce obscurat obtegitq; ? Eodem modo vnius patris vnū
esse verbum, benignique patris benignum filium necesse est. Quod si quis queratur, cp
plures non sint: talis etiam queri poterit, quòd non sint plures soles, plures lunæ, plures
mundi, & de alijs rebus infinitis eodē modo: idque insanientis more, qui res rectè præ-
clareque natura constitutas conatur peruertere. Quinetiam vt in rebus sub aspectū ca-
dentibus, sol vnus vniuersum mundum sensibus comprehensum colluſtrat: sic in reb.
mente & intelligentia perceptis vnus Dei sermo, qui oculis neutiquā aspici potest, qui-
que omnipotens est, res illuminat vniuersas. Quippe in homine etiam vnus animus, &
vna eius facultas particeps rationis, multarum quidem rerum artifex est. nam is multi-
plici cognitione imbutus, & agrum colere, & fabricari nauem, & eandem gubernare, &
ædificare domum aggreditur. Vnaque in homine mens & ratio infinitas propè scienti-
as capit. Etenim & geometriā & astronomiam tenet, & grāmaticæ, rhetoricæ & medi-
cinæ præcepta tradit: inque illis artib. quoque, quæ manuum opera perficiuntur, versa-
tur. Atque nemo hactenus plures animos in vno corpore inesse aliquādo existimauit:
neque multas in homine essentias propterea insitas esse censuit, quòd multarum scien-
tiarum capax sit. si quisquam fortè massam luti reperit, inque ea deinde manu molita
& subacta animalis effigiem imprimit, & caput alia figura, alia autem manus & pedes,
oculos rursus alia, & genas similiter alia, alia etiā aures, os, nares, pectus & humeros fin-
gēdi arte exprimat, formetq;, tametsi multæ figuræ, partes, membraq; in vno corpore arti-
ficiose fabricata sint: nō tamen propterea totidē effectores, quot sunt figuræ, extitisse
censere, sed vnū omninō totius operis artificē agnoscere, eumque laude & prædicatio-
ne necessariò efferre debemus, qui vnius rationis vi, vnaque facultate opus vniuersum
cōstruxerit. Idem etiā de toto mundo dici potest, qui cum vnus sit, licet ex multis cōstet
partibus, nō tamen multas habuisse facultates, à quibus sit architectatus, putandus est:
neq; multi dij nominandi, sed vna solertissima Dei potentia, vnaq; Dei sapiētia, qua cū-
cta coagmentantur, continenturq;, quæq; vna vi ac virtute per omnes res peruadit, per
mundum vniuersum tranat, cuncta procreat, eis vitā largitur, vniuersis deniq; ac singu- B
lis corporibus elementisq; varia subsidia adiumentaq; ex seipsa suppeditat, existimāda.
Pari ratione vna etiā eademq; lucis ac solis impressio censenda est, quæ simul & aërem
illustrat, & lumen porrigit oculis, & tactionē calefacit, & terrā fertilem feracemq; red-
dit, & affert plantis incrementum, & temporis efficit vicissitudines, & siderum cursus
regit, & cælum in gyrum torquet, & splendore exornat mundum, & immensam deni-
que Dei potentiā omnibus planā facit. Ista omnia vna naturę vi perficit. Quinetiā natu-
Ignis natura. ra ignis eandē habet rationem. nā eius ardore aurum purgatur, liquefit plumbum, cera
mollitur, durescit lutum, humida arescit materia: tot tamque diuersæ res vi ignea con-
Sermonis Dei vis. ficiuntur. Eodē modo de Dei sermone rectore omnium dicere possumus. Ille namque
per omnia permeat, in omnibus inest, per res cunctas, tā cælestes quàm terrestres perua-
gatur, res abstrusas & à sensu oculorum remotas gubernat, ipsum solem, cælum, mun-
dum vniuersum, arcana quadam & inexplicabili vi regit, facultateque efficaci omnib.
præstò adest, per omnia denique incedit. Quinetiam solem, lunam & stellas, luce ex suo
æterni luminis fonte hausta colluſtrat. Cælum velut effigiem suæ ipsius magnitudini
similimam maximeque cohærentem formauit, idemq; in perpetuum moderatur. Por-
ro angelorum, spirituum, essentiarum mente & ratione sola perceptarum, vitæ &
lucis, sapientiæ & omnis virtutis, honesti & boni cuiusque potestates, supra cæli & mū-
di fastigium sitas, suis ipsius sapientiæ & diuitiarum thesauris complet. Itemque vna ea-
demque quasi architectandi arte, tum elementis essentias suas, tum cæteris corporibus
mixtiones temperationesque suppeditare nunquam desinit. Iam verò formas, figuras,
qualitatesque, tum in animalibus, tum in plantis, tum in animabus ipsis, siue rationis
participes sunt illæ quidem, siue expertes, alias alio modo infinita varietate distinguit,
omnibusque omnia vna vi submini strat, & perspicuè ante oculos cuiusque proponit,
vnum hunc mundum, tam aptè & concinnè compactum constructumque, opus esse
sermonis Dei, qui mundi opifex dicitur: non autem lyram, quæ vel ex septem chordis,
vel ex pluribus constat.

Sermō Dei cur ad homines descenderit. Deinceps causam, cur Dei sermo, qui tam potens est, ad homines descenderit, oratio-
ne explicare aggrediamur. Humanum genus quoniam præ mentis insciti minimè se-
cum considerabat, istum Dei sermonem cælo & terræ præsidere, eum ex ipsa patris diui
nitate tanquam ex fonte editum esse, huic mundo præstò adesse, inq; eo versari, claraq;
suæ

A suæ prouidentiæ & curæ erga homines indicia præbere: idcirco venerandum Dei no-
men soli, lunæ, cælo, & sideribus tribuerunt. Neque hic gradum sistebāt, sed terram etiā,
fructus ex ea editos, alimēta corporum cuiusque modi in deorum numero habuerunt:
quippe Cereri, Proserpinæ, Baccho, & alijs his similibus simulachra fabricabant. Neque
porrò his contenti acquieuere, sed suæ ipsorum mentis cogitationes, & ipsam adeò ista-
rum interpretem, orationem, deos appellare non sunt veriti: ac mentem Mineruam,
orationem autem Mercurium vocarunt, eiusque facultates, quibus scientiæ percipiun-
tur, Mnemosynem, & cæterarum musarum nominibus nuncuparunt. Neque hic certè
finem suæ stultitiæ statuerunt, sed extra modum impietate progressi, absurdæ ipsorum
peruersitati in dies quasi accessionem adiungere, & suas animorū perturbationes (quas
auersari rectaque ratione sanare oportuerat) in deos reponere: ac non cupiditatem so-
lum, & grauē illum intemperantemq; animorum morbum, sed partes & membra cor-
poris, quæ homines ad turpia flagitia pertrahunt, nimirum Amorē, Priapum, & Vene-
rem, qui sunt ad obscœnas voluptates effusè procliues, res denique alias de genere eodē
deos dicere cœperunt. Neque hic sanè ab illis desitum est, sed ad corporum ortus, & ad
hanc fragilem, mortalemq; vitam prolapsi, homines mortales cōsecrare, eos post mor
tem hanc vsitatam & communem Heroas & deos nominare: quippe immortalem di-
uinamque essentiam, ac vim, circiter eorum monumenta atq; sepulchra obseruari su-
spicati sunt. Neque adhuc eorum amentia exitum habuit: sed procedens longius, tum
alia genera animalium ratione carentium cuiusque modi, tum serpentes maximè ve-
nenatos, sancta Dei appellatione honorare. Neq; hic cessatū est, sed excisis arboribus, &
lapidibus è terra effossis, metallis etiam, vt ære, ferro, aliaque eius generis materia con-
quisitis, primùm effigies fœminarum, masculorum figuras, ferarum etiam & serpen-
tium species formare & effingere, deinde his honores adhibere. Neque in hoc nequi-
tiæ gradu constiterunt, sed simulachris in occulto delitescentibus, recessibus quoq; ob-
scuris, malignis dæmonibus viscera animantium subeuntibus, qui victimarum libamē-
ta & nidores vorant, deorum nomina tribuere. Progredi præterea vlterius, & præstigia-
rum infandarum quasi vinculis, execrandisque & violentis cantibus incantationibus-
que potestates ab oculis secluſas, perque aerem volitātes, sibi velut assessores attrahere.
B Itemque alij alios mortales in deos referre. Nam Græci Bacchum, Herculem, Aescu-
lapium, Apollinem, nonnullosque alios homines Heroum & deorum nominibus
donauerunt. Aegyptij, Horum, Isidem, Osyrim, & homines hisce similes, deos arbi-
trati sunt: qui quidem etsi propter eximiam & singularem suam sapientiam, Geome-
triæ, Astronomiæ, & Arithmeticæ inuentionem sibi vendicabant: non tamen, licet
essent sapientes, nouerunt intellexeruntue vel diuinæ potentiæ mensuram, vel quan-
tum inter illam & naturam mortalem rationisque expertem interfit, expendere ratio-
neque lustrare. Quapropter omnes bestiarum deformium species, omnia animalium
genera, serpentes etiam venenatos, & feras agrestes, deos appellare non sunt veriti. Phœ-
nices, Melcantharum & Vsorum, & alios nonnullos mortales homines, eosq; ignobiles
& abiectos, deos vocauerunt. Arabes itidem, Dusarim quendam, & Obdum: Getæ
Zamolxin: Mopsion, Cilices: Thebani Amphiaraum pro deo colebant. In alijs locis
alij rursus alios, qui à natura mortali nihil differunt, sed reuera homines sunt, ve-
nerabantur. Ad summam igitur Aegyptij, Phœnices, Græci, & vniuersum mortalium
genus quod solis radijs colluſtratur, tametsi partes mundi, elementa, fructus qui è ter-
ra efferuntur, suas ipsorum perturbationes, furores dæmoniacos, visa, & quæ his mul-
to flagitiosiora sunt, deorum adulteria, nefandos cum masculis concubitus, mulie-
rum raptiones satis agnoscebant: nihilominus tamen quamque ciuitatem, pagum & re
gionem delubris, simulachris, & templis his rebus dedicatis compleuerunt, moribusq;
illis dijs similib. animos suos perdiderunt. Itaque tum deos, tum illos qui proximè ad
deorum naturam accedebant, Heroas dico & bonos Genios, verbo quidem apud illos
audire licet, res tamē ipsa penitùs cū his nominibus pugnat. Nam reb. turpibus ac flagi-
tiosis honos ab illis tributus est. Quemadmodum si quisquam cum solem & lumina-
ria cælestia cuiquam demonstrare cœpit, non in sublime oculos tollat: sed manibus
deorsum in terram demissis, & humi in solum proiectis, in luto ac cœno virtutes aë
potestates cæleſtes inuestiget: sic humanum genus mentis insciti a, & nequam dæmo-
num fraude inductum, diuinam essentiam, quæ sola mente comprehenditur, quæ-
que supra cæli mundique verticem sita est, infrà in corporum ortu, in mortalium
perturbationibus, in morte denique inesse sibi persuasum habuit. Ac nonnulli eò
venére dementiæ, vt res sibi charissimas illis sacrificarēt: neq; suæ ipsorū parcerent natu-
ræ, sed vnigenitos & charos suos liberos, furore & mētis alienatione impulsi mactarēt.

Deorū multitudo apud Gētiles vnde.
Mineruā. Mercurius. Mnemosyne. Musæ.
Amor. Priapus. Venus.
Mortui hominēs pro dijs culti.
Animātia bruta pro dijs culta.
Simulachra pro dijs culta.
Dæmones prō dijs culti.
Aegyptiorum dij.
Phœnicū dij. Arabum dij. Getarum dij. Cilicum dij. Thebanorum dij.

Homines sacrificandi mos. *Homines immolarunt Phœnices Saturno.* *Rhodij Saturno.* *Salaminij Mineruæ.* *Proprios liberos mactandi mos.* *a Heliopolitæ.* *b Amosis rex.* *c Chij Baccho Tenedij Baccho.* *Lacedæmonij Cretenses Saturno.* *Laodicæi Mineruæ.* *Carthaginenses Dijs ac dæmonijs.* *d Græci ad bellũ exituri hominem dijs immolabant.* *e Thraces, Scythæ. Athenienses. Megalopolitani Ioui.* *f Diodorus Siculus.* *g Lybies Saturno.* *h Dionysius Halicarnassensis.* *i Itali Ioui et Apollini.* *Deorum multitudo concordiã religionis tollit, vnde intestina dissidia & bella publica.*

Atque quid quæso poterat magis insanum esse ac furiosum, quàm homines sacrificare, A & ciuitates vniuersas, atque adeò suas ipsorum ædes, suorum cæde & sanguine polluere? Annõ Græci harũ rerum testes sunt? annõ historia tota earundẽ cõmemoratione referta est? Phœnices enim quotannis charos & vnicos liberos Saturno immolabant. idẽ à Rhodijs erat factitatum: quippe pridie Non. Maij homines mactabant. In Salamini etiam intra vnum ambitum delubri Mineruę Agraulidis, & Diomedis, vir quidã incedẽs, ter arã curriculo circuiuit: cuius deinde pectus sacerdos cõfixit hasta: pòst in rogo acernato extructoque totũ cremauit. Itemque cædes hominum, quæ in Aegypto fiebãt, vix numerari possunt. Nã [a] Heliopoli tres homines in dies singulos sacrificabãt: pro quib. [b] Amoses eorum rex, cùm rem crudelẽ esse & planè immanem intelligeret, totidẽ homines cereos immolari præcepit. Quinetiã in [c] Chio, Omadio Baccho hominẽ descerptũ offerebant: & in Tenedo eodẽ modo. Porrò Lacedæmone victimã ex hominib. confectam immolarunt. idẽ factum fuit à Cretensib. qui Saturno hominẽ sacrificabant. Laodiceæ quoque, quæ est vrbs Syriæ, virgo quotannis olim Mineruæ immolari solet: iam verò ceruus. His accedunt Lybies & Carthaginenses, qui hominibus sacrificandis deos suos & dæmones placare aggressi sunt. Arabes etiam in annos singulos puerum exfacri ficabant, quem subter aram sepeliuêre. Itemque omnes [d] Græcos ex communi quadam consuetudine hominem prius mactasse, quàm ad bellum exirent, manifestò docet historia. [e] Thraces præterea & Scythas idem fecisse cõstat. Athenienses quoque filias Leonis, & Erethei filiam mactatam fuisse commemorant. Quin adhuc etiam Megalopoli in die festo Iouis Latriarij hominem interfici, nemini obscurum est. Istas res ita se habere, philosophi probatissimi suis testimonijs confirmãt. [f] Diodorus etiã, qui historiam ex varijs bibliothecis collectam breuiter complexus est, memorat, [g] Lybies ducẽtos nobilissimos pueros Saturno palàm sacrificasse, & nihilominus tamen trecentos alios sacrificio addidisse. Porrò [h] Dionysius rerum à Romanis gestarum scriptor, narrat ipsum Iouem & Apollinem (hos enim nominat) in [i] Italia ab originibus petijsse, vt homines ipsis immolarentur. eos autem hanc rem rogatos, omnium quidem fructuum decumas dijs illis sacrificasse: sed quoniam homines sacrificare recusabant, in varias cuiusque generis calamitates incidisse: nec prius illis malis fuisse liberatos, quàm ex suis decimum quemque hominem immolassent. Itaque cùm hoc modo decimum quemque B hominem è medio sustulissent, sacrificassentque, illi regioni authores fuisse, vt hominum cultu & frequentia penitùs priuaretur. Tot miserijs humanum genus olim vexatum, oppressumque constat. Neque his solum grauiter affligi satis erat, sed in seruitutem alijs penè infinitis calamitatibus redactum fuit. Nam gentes totius orbis terrarum, tam Græcæ quàm Barbaræ, velut vi & potestate dæmoniaca ad furorem incitatæ, graui & acerbo seditionis morbo conflictatæ fuerunt: adeò vt nusquam humanum genus vel societatem coire, vel ad concordiã reduci posset. Quippe hic illicque ingens totius humanæ naturæ quasi corpus membratim distractum, homines ab hominibus discordia in singulis terræ angulis disiuncti, ob varias legum & Rerumpub. formas inter ipsos ad dissensionem inflammati: quinetiam immanitate efferati, cre-

Occasio flagitiorũ ex deorũ multitudine.

bris inter ipsos seditionibus exarserunt: sic vt perpetuò per totum vitæ spacium mutuas pugnas & bella exercerent: neque cuiquam integrum ac tutum esset iter aliquò suscipere, nisi armis, sicut inter hostes euenire solet, se firmè obtexisset. Nam agricolæ in agris & vicis gladijs cincti incedere, & arma potius quibus munirent seſe, quàm instrumenta quibus terram colerent, possidere consueuerunt: præterea prædas agere, & vicinos subiugare, virtutis loco ducere. Porrò autem fabulis, quas de suis dijs confinxerant, tanquam ansam ad vitam flagitiosè & nefariè degendam, sibi arreptis omnibus intemperantiæ generibus, non corpora modò, sed etiam animos infecerunt labefactaruntque. Neque satis habebant hæc admisisse, sed extra naturæ fines egressi,

Genitiũ varia scelera. Roman. 1.

longius procedere, infandaque scelera atque adeò auditu incredibilia inter ipsos mutuò, temulentorum more, patrare cœperunt. Masculi enim in masculos (vti Sacræ loquuntur literæ) turpitudinem operati sunt, & mercedem quam oportuit, erroris sui in semetipsis receperunt. Neque ita finem nequitiæ imposuerunt, sed notiones etiam de Deo naturaliter in animis insitas peruertentes, omnia in huius vniuersitatis complexu contenta, nec prouidentia, nec vllius moderatoris nutu regi censuerunt: sed vniuersi coagmentationem constructionemque naturæ cuidam temerariæ & fortuitu agitatæ, atque adeò fatali necessitati attribuerunt. His accedit, quòd animos vnà cũ corporibus flagitiorum maculis inficiendos dedentes, vitã feram, agrestem, & haud vitalẽ degerunt. Nam nec animi naturã perscrutari, nec diuini iudicij sententiã expectare, nec præmia virtutis, nec iniustæ vitę supplicia animo cõplecti aliquando aggressi sunt.

Iam

A Iam verò & integræ nationes multiplicibus vitiorum generibus contaminata, vita belluarum morcacta contabuerunt. In quibus nonnulli complexus nefandos ac scelera-
tos cum matribus commiscere solent, alij sorores in matrimonium ducere, multi suas
ipsorum filias violare: non pauci peregrinos, qui ad ipsos aduentauerant, obtruncare:
quidam humanas carnes comedere: complures eos qui exacta ætate erãt, primùm la-
queo strangulare, deinde eorum carnibus vesci: alij denique suos adhuc viuos canibus
laniandos obijcere. Tempus quidem certè me deficeret, si omnia mala veteris & grauis
illius erroris, quo vniuersum humanum genus implicatum tenebatur, percensere co-
narer: quippe cùm sint alia infinita his planè similia. Quibus benignus Dei sermo com- *Christi in carnẽ aduentus necessitas.*
motus, gregis rationis participis, qui ex hominibus constat, misericordiam capere cœ-
pit: & iam olim per prophetas suos, & longè ante eorum ætatem per alios pios viros, &
pòst etiam per nonnullos qui præ cæteris illustres erant, eos qui desperati fuerunt, ad a-
nimi sanitatem restituendos curauit: ac partim legibus, partim varijs hortationibus,
partim doctrina cuiusque generis, pietatis principia & semina in animis hominum
inseuit. Verùm, cũ mortale genus ita errore huc illucque vagaretur, & sic crudeliter es-
set non à lupis & feris immanibus, sed à dæmonibus & diris spiritibus, qui animum la-
befactant, discerptum, vt non humana ope & facultate curari posset, sed adiutore qui
longè supra hominẽ putandus est, egere videretur: deinceps ille Dei sermo clementissi-
mi patris voluntati obsequẽs, lubẽs admodũ in mundũ venit, & in nostræ naturæ quasi *Christi in terrã descensus causa.*
castra ingressus est. Causa autem cur in orbem terrarum descenderit, fuêre res illæ su-
prà demonstratæ: ob quas quidem cum mortalibus in colloquium & cõgressum veni-
re non est dedignatus. Neque profectò hoc præstitit, quòd ei illud facere in more posi-
tum fuerat (quippe qui & corpore vacet, & per vniuersum mundum occulta quadam
vi peruadat) sed vt non modò operibus cælestibus, verumetiam miraculis in terra edi-
tis suam eximiam potestatem patefaceret, & communem naturæ consuetudinem no-
ua quadam & inusitata immutaret. Nam per corpus mortale sermones cum mortali-
bus & vsum vitæ habuit: eo planè consilio, vt quod erat mortale, per suum simile sa-
uum posset efficere.

Verùm deinceps quid causæ fuerit, cur Dei sermo, qui expers corporis est, corpore *Sermo Dei cur incarnatus.*
B velut instrumento vsus, ad cõgressus & colloquia cum hominibus facienda venerit, ex-
planare aggrediamur. Atq; quia alia ratione diuina essentia, quæ ex nulla materia con-
creta est, neq; sub tangendi cernendiue sensum cadit, his qui Deũ in reb. quæ ortum ha-
bent, quæq; in terra gignuntur, conquirunt, se ipsa poterat ostendere: præsertim cũ aut
noluerint, aut non potuerint omniũ rerum parentẽ & effectorem aliter quã humana
figura ac specie præditũ intueri. Quocirca corpore mortali tanquã instrumento assum-
pto, eoq; ad eam rẽ valdè accommodato, cum mortalibus in congressum venit. Et quo-
niam istud illis gratũ iucundumq; fuit (similia enim, quod aiunt, similibus gaudent) qui
videlicet aspectu rerum sub sensu subiectarũ delectantur, quiq; in simulachris & inani-
marum statuarũ cælaturis deos perscrutantur, inq; concreta materia & corporib. diui-
num numen inesse cogitatione informant, atq; adeò homines mortales deorũ appel-
lant nominibus: idcirco Dei sermo in eiusmodi forma se hominibus ostendit. Quare *Corporis humani templũ diuinũ simulachrum.*
corpus velut tẽplum sanctissimum sibi cõparauit, quod quidẽ & domicilij est sensibus
præditum, in quo ratio inhabitat: & augustũ & sacrosanctum simulachrum est omni
statua inanimata longè præstabilius. nam hæc effigies est ex materia, inanima confla-
ta, sordidorumque artificum manu in speciem quæ ex ære, ferro, aut ex auro eboréue,
aut ex lapide aut ligno constat, fabricata, estq; domicilium dæmonib. planè aptissimũ.
Illud autẽ diuinum simulachrum, eximia diuinæ sapientiæ facultate artificiosè cõstru-
ctum, varijsque distinctum ornamentis, cùm vitæ, tum essentiæ mente sola cõprehen-
sæ particeps est: simulachrum, inquam, omni virtute præditum: simulachrum, in quo
Dei sermo domicilium suum collocauit: sanctum deniq; sancti Dei templum, in quo
Dei sermo inhabitans, cum mortalib. per instrumentum ipsis cognatũ & versatus est, &
se notum reddidit. Neq; animi corporisue affectionibus ab illis discrepauit: neq; cum *Comparatio apposita.*
corpore eo modo quo animus humanus, colligatus fuit: neq; ipse seipso factus deterior,
diuinitatem suã immutauit. Nã vt solis radij, qui omnia sua luce cõplent, quiq; corpo-
ra mortua impuraq; cõtingunt, nihil inde capiũt incõmodi: sic Dei sermonis vis multo *Christus per incarnationẽ suã omnib. se beneficum exhibet.*
magis, quę corpore caret, sua essentia nihil patitur, nihil sentit dãni, imò ne tũ quidem
cùm corpus attingat (quippe quæ corporis expers sit) vlla ex parte aliquando imminui-
tur. Ad hunc modum itaq; communis omnium Seruator per instrumentum huma- *Orpheus.*
ni corporis, quo se circumdedit, se beneficũ omnibus præstitit, & salutarem: nõ aliter
sanè quã musicus, qui suam in arte peritiam per lyram declarat. Orpheus, vt in fabulis

Græco-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Græcorum est, omnia ferarum genera cantu permulcere, & instrumenti fidibus plectro percussis, belluarum immanium furores mitigare potuit. Quæ res à Græcis & passim decantatur, & vera esse creditur: quod scilicet lyræ inanimæ concentu tum feras
Fagi arbores. mansuescere, tum arbores (quæ fagi vocantur) musicæ suauitate delinitæ, situs suos mutare solent. Eodem modo igitur sapientissimus Dei sermo, cuius vi ac potestate omnia continentur, cohærentque, animis hominum, omnibus vitiorum generibus oppressis, varias curationes adhibere, ἁδρωτατον & humana natura, tanquam instrumento musico à sua ipsius sapientia fabricato, in manus arrepta, cantilenas & quasi incantationes animantibus non expertibus rationis, sed eiusdem participibus occinere cœpit: omnesque feros mores tam Græcorum quàm Barbarorum, omnes etiam agrestes & immanes animorum perturbationes, salutaribus cælestis doctrinæ medicamentis sanauit: ægrisque animis, qui diuinum numen in ortu rerum & corporibus peruestigabant, Deus humano corpore conclusus, velut medicus facilè præstantissimus, cõgruenti & appositò remedio opem tulit. Deinde etiam non minus corporum quàm animorum saluti prospiciens, miracula omnium opinione maiora, & virtutes diuinas portentique similes, quę oculis corporeis cerni poterant, edidit: doctrinam quoque & præcepta quæ & ore protulit, & ipse in corpore sedulò excoluit, hominum inculcauit auribus. Omnia denique sumpta humana natura hominum causa executus est, qui non alia ratione quàm ea sola eius diuinitatem percipere intelligereque potuerunt: inque omnibus hisce patris voluntati & consilio inseruiuit, & nihilominus tamen secretus ab omni materia concretioneque mortali mansit, sicut iam antè apud patrẽ fuerat. Neque eius essentia vlla ex parte commutata, neque obscurata natura fuit, neque corporis vinculis constrictus tenebatur: neque ibi solùm versabatur, vbi corpus humanum, quod sumpserat, adfuit, sed eo ipso tempore, quo inter homines vitam degebat, res vniuersas complexit, & cum patre præstò fuit, & in illo fuit: atque adeò rerum omnium, tum quæ in cælo, tum quæ in terra sunt, omnino tum curam gessit: neque quicquam ei obstabat, quod quidem nostræ naturæ accidit, quo minus tum vbique præsens adesset: neque à diuinis muneribus, quæ obire solebat, fuit auocatus: sed quædam humanæ naturæ quam induerat, exequenda tradidit: alia ipse ex se nullo vicissim mortalis naturæ subsidio vsus, perfecit: & licet diuinã facultatem & vim mortali corpori impertijt, ipse tamen ex eo B participando nihil contrà accepit. Nam neque cùm corpus, quod assumpsit, editum esset, quicquam contraxit labis: neque rursus cũ quod mortale erat, esset ab eo diremptũ, quicquam essentia sua (erat enim non patibilis) perpessus est: quandoquidem neque lyra forte fortunà percussa, si chordæ, quæ fragiles sunt, rumpantur, eum qui illã pulsarit, quicquam pati probabile est: neque cũ sapientis alicuius corpus cruciatum subeat, sapiẽtiam quæ in ipso est, aut animum qui in corpore habitat, vel secari, vel vri quisquã profectò dixerit: eodem modo de virtute ac potentia sermonis Dei dici consentaneum est, imò verò multo magis certè, quòd ex corporis affectionibus nihil planè damni cepit. Neque enim (exempli gratia) lucis quæ apud nos est, splendescentes radios, cũ de cælo in terram demissi sunt, & lutum, cœnum ac sordes cuiusque generis contingant, vlla labe inficiaccidit. Nam tametsi nihil prohibet, quo minus has res lucis splendore illustrari verè dicamus: tamen lucem ipsam vicissim ab illis contaminari, aut solem ex corporũ admistione maculam vllam contrahere nõ dicimus. Et tamẽ si in his rebus illud eueniret, non videretur à natura alienum. Verùm quancunque rem Seruator & Dei sermo, qui corpore vacat, qui ipsa vita est, qui ipsa lux est sola mente percepta, sua diuina potẽtia, quæ est corporis expers, attigerit: eam viuere, & luce illa quæ est rationis particeps, ætatem degere necesse est. Itaq; quodcunq; ab incorporeo Dei sermone tactum sit, illud ipsum sanctimonia luceq; completur, atque adeò omni morbo, ægrotatione & perturbatione penitùs liberatur. Rursus ea quæ priuantia dicuntur, eius diuina vi itidem complentur. Quocirca vniuersum suæ vitæ cursum ad hunc modum confectum constat, nonnunquam in corpore se pari ratione nobiscum affectum ostendendo: sæpe etiam se Deum verbũ euidenter declarando, dum magna & incredibilia opera edebat, vt Deus, resque futuras prædicabat: & sermonem Dei, qui à multis non cernebatur, reuera per mirabiles res gestas, per miracula & signa, per virtutes, quæ omnem opinionem longè superabant, per diuinam suam doctrinam, quæ animos hominum impulit, vti se ad domicilium cæleste incolendum pararent, manifestò commonstrabat.

Cur Christus in terram venerit. Quid iã restat, nisi vt causam illius quod caput est omniũ, qualisnam fuerit, finẽ dico vitæ illius, qui est tã crebris hominum sermonibus celebratus, & passionis præterea modum, ingens etiam illud post mortem resurrectionis illius miraculum, deinceps oratio ne prosequamur? Quib. expositis, omnia euidẽtissimis testimonijs certa veraq; esse confirmabi-

A firmabimus. Mortalis quidẽ corporis instrumento, ob eas causas quas antè cõmemorauimus, tanquã diuino simulachro vsus, eo ipso humanæ vitæ rationẽ, non aliter quã prætens rex sua sensa per interpretẽ explicare solet, euidenter expressit: omniaq; prout diuinæ suæ potentiæ decus postulabat, transegit. Quòd si post vitã inter homines traductam, ex occulto & derepentè se hinc subduxisset, suumq; interpretem (corpus dico) clãè medio remouisset, atque adeò dedisset operam, vt simulachrũ suum fuga mortem effugere potuisset: postremò mortale illud quod susceperat, ipse per se, & quasi sua ipsius sentẽtia, internecioni & morti addixisset, spectrũ omnib. certè visus fuisset, etiã tum cũ ea quæ essent sibi cõgruentia & accõmodata, peregisset. Quinetiã si, cũ ipsa vita esset, cũ Dei sermo ac potentia esset, suũ ipse interpretem è medio penitus sustulisset: neq; res ab eo per dimicationem cum morte susceptã contra dæmones gestæ eum exitum, quẽ meruerant, habuissent: neq; exploratè cognitum fuisset, quò se recepisset: neque ipse apud illos qui eũ minimè oculis aspexissent, fidẽ habuisset: neq; natura sua mortẽ superasse visus fuisset: neq; ꝙ mortale erat, à sua in aliam naturam vindicasset: neq; per vniuersum orbem terrarũ sermo de eo percrebuisset, neq; suos docuisset discipulos mortẽ contemnere: neque illorũ animis, qui eius doctrinã consectantur, spẽ vitę post mortẽ apud Deũ futuræ iniecisset: neq; promissa quæ in verbo suo continentur, perfecisset: neq; ea quæ erant à prophetis de eo prædicta, sicut cõsentaneum erat, expleuisset, neq; nouissimũ deniq; omnium certamen, quod contra mortẽ susceptum erat, confecisset. His igitur de causis quia oporteret mortale corpus post ministerium cumulatè expletũ, quod in verbo diuino prædicando obierat, exitum in primis habere gloriosum, mortis perpessio ad hunc modum proinde ab eo administrata fuit. Nam cũ duæ rationes exeundi è vita sibi reliquæ essent, vt vel totum quod in eo mortale erat, internecione & exitio penitus traderet, & ita turpissimum vitæ tanquam totius fabulæ exitũ conficeret: vel vt se mortis victorem, eo ipso quod erat mortale, diuina vi ac virtute in immortale commutato, planè ostenderet: prior quidem certè ab eius promissione fuit omnino aliena. Etenim vti neque ignis propriũ est refrigerare, neq; obscurare lucis: ita neq; vitæ mortẽ inferre, neq; verbi diuini aliquid absurdè & contra rationẽ efficere. Itaq; absurdum planè fuisset, vt qui esset alijs vitã pollicitus, suũ ipsius corpus in nihilũ reijcere sineret, suũq; B simulachrum ad interitum daret: & qui his qui ad ipsum confugiunt, immortalitatem promisisset, suæ diuinitatis interpretẽ morte deleri pateretur. Quare ratio posterior fuit omnino necessaria: nimirũ vt se mortis victorẽ ostenderet. Atqui quo pacto tandẽ erat istud præstandum? Clámne, & ex occulto, an vt omnibus euidenter admodũ & manifestò patẽret? Quod autem ab eo præclarè gestum fuit, quẽadmodum si in occulto ac tenebris latuisset, neminique fuisset cognitũ, nihil certè profuisset cuiquam: sic palàm quasi conclamatum, & omniũ inculcatum auribus, omnib. propter eius admirabilitatẽ multum vtilitatis accõmodi apportauit. Proinde quoniam necessarium erat, vt corporis suo mors euinceretur, idq; nõ abscõditè, sed in hominũ oculis fieret: idcirco meritò mortẽ neutiquã vitauit ille quidẽ (reuerà enim si vitasset, timidus habitus fuisset, & à morte deuictus) sed per conflictionem cum morte velut cum aduersario susceptam, quod erat mortale, immortale reddidit: hocque certamen pro omnium vita, immortalitate & salute subijt. Quemadmodum si quis vas esse quoddam, quod neque incendio cremari, neque igni absumi possit, demonstrare vellet, non aliter eo hominibus excitaret admirationem, quàm vt illud ipsum primùm in ignem conijceret, deinde vt idem ipsum inde eximeret saluum & integrum. Sic omnium rerum conseruator, Dei sermo, cùm corpus mortale, quod ad hominum salutem sumpserat, & morte valentius esse ostendere, & suæ vitæ atque immortalitatis particeps vellet efficere, prouida quadam & percommoda in ea re solertia & ratione vsus est: ac primum illud ad exiguum tempus deseruit, tradiditque morti interimendum, quò eius naturam satis perspecta & explorata esset. deinde, neque id ita multò pòst, illud ipsum à morte eripuit: quò diuinam suam potentiam, qua æternam vitam ab ipso annunciatam omne mortis genus posse vincere monstrarat, omnium oculis subijceret ad contuendum. Quæ quidem causa tam perspicua est, vt neminem possit latere. Nam cùm necessarium esset, vt discipuli manifestam vitæ post mortem regenerationem oculis cernerẽt (in ea enim spem suam firmè reponere docuit, quò eos mortis efficeret victores) hanc rem non sine causa ante illorum oculos statuit ad contemplandum. Nam cum alijs qui sunt vitam piam traducturi, hoc regenerationis specimen primùm omniũ quasi sub aspectum cadere debebat necessariò, tum illis maximè, qui essent quamprimùm eum in vniuerso orbe terrarum prædicaturi: Deiq; cognitionẽ, quam ipse antè in gentes sparsisset, omnibus hominibus annunciaturi: quibus de vita post mortem futura

debebat

Vitæ Christi finis, eiusque causa.

Christus quomodo se mortis victorem necessariò ostenderit.

Resurrectionis fiducia vnde concepta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

debebat esse persuasissimum, vt metu ac formidine mortis prorsus ex animis ejecta, di- A
micationem contra Gentilium errorem in multis dijs colendis positum, alacri ac prō-
pto animo susciperent. Nam nisi mortem contemnere secum fuissent antea commen-
tati, nunquam ad tam graues cruciatus subeundos parati instructique fuissent. Quocir-
ca eos contra mortis vim ac potentiam non præcepto solum verbis ac vocibus tradito
armauit, neque vt humana dicēdi ratio fert, sermonē de animi immortalitate ex proba
bilibus verisimilibusque compositum instituit: sed trophæa contra mortem erecta il-
lis reipsa commonstrauit. Ista igitur præcipua causa fuit dimicationis à Seruatore no-
stro contra mortem susceptæ. Nam mortem, quæ omnibus terrorem solet incutere,
discipulis suis ostendit nullo loco numerandam esse: atque vitam, quam promiserat,
illustri quodam & euidenti viso ante eorum oculos proposuit: quam quidem quasi pri
mitias effecit tū communis nostræ spei, tum vitæ quæ nobis apud Deum recondita est,
vis, quæ in eius corpore erat conclusa, perspicuè declararetur. Nam quoniam homines,
eos qui erant mortales & à morte deuicti, antea in deorum numerum retulerant, & il-
los quos morte superatos constabat, heroas & deos appellauerant: ob eam causam be-
nignus Dei sermo etiam in ea re se quinam esset, ostendit, hominibusq; patefecit, suam
naturam morte longè potentiorem esse. Atque non modò post dissolutionem animi
à corpore, quod mortale erat, ad alteram traduxit vitam, sed trophæum immortalita-
tis contra mortem cunctis ab aspiciendū proposuit: eumq; solum ac verum Deū docuit
agnoscendum, qui per mortem præmia victoriæ etiā contra mortem reportauit. Quin-
etiam tertia causa de morte Seruatoris adiungi poterit. Hostia quidem fuit, pro vniuer
so hominum genere Deo patri omnium moderatori oblata: hostia pro grege ratio-
nis participe immolata: hostia, quæ omnem errorem in dæmonibus colendis constitu-
tum profligauit. Nam vna illa hostia, & egregia victima sacrosancti corporis Seruatoris
nostri pro humano genere mactata, & redēptione pro animis omnium Gentium quæ
antè errore colendorum dæmonum districtæ tenebantur persoluta, omnis in posterū
impurorum & sceleratorum dæmonum vis ac potentia prorsus deleta fuit: omnisque
veteratoria\fraus, quę in terris oberrabat, vi valentiore fracta ac debilitata concidit. Ita-
que istud salutare miraculum in hominum conspectu editum fuit: hoc est, verbi diui-
ni corpus pro vniuerso grege rationis compote oblatum, hæcq; victima morti obiecta,
de qua Sacræ literæ memorant vno in loco his ferè verbis: Ecce agnus Dei, qui tollit
peccata mundi. in alio autem sic loquuntur: Tanquā ouis ad occisionem ductus est: &
sicut agnus coram tondente se sine voce. Quinetiam causam ad hunc modum docent:
Hic peccata nostra tulit, & pro nobis dolores perpessus est: & nos reputauimus eum esse
in labore, & in plaga, & in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra,
& attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius
sanati sumus. Omnes quasi oues errauimus: vnusquisque in viam suam errauit, & Do-
minus tradidit eum peccatis nostris. Mortale igitur diuini verbi corpus his de causis im
molatum constat. Iste magnus pontifex, Deo patri omnium duci & imperatori conse-
cratus: qui prēterquam quod hostia fuit, Dei præterea sermo, Dei virtus, Deique sapien-
tia fuit: quod in eo mortale erat, à morte breui reuocauit: idemque ipsum patri; tanquā
primitias communis omnium salutis obtulit: idem trophæum etiam vere triumphale
contra mortem & dæmonum impetum statuit: eodemque vetera sacrificia, quæ ab ho
minib. offerri solebant, profligauit: idem denique omnium hominum causa excitauit à
mortuis. Verùm cū hæc ita se habeant, tempus eò nos vocat, vt deinceps eadem certis
argumentis confirmemus. Quod si istorum rerum veritas demonstratione egeat, & re
stimonia quæ pro illis allata sunt, argumentis etiam euidentibus roboranda sint, sic ac-
cipite, orationique benignam facite audientiam. Prisce gentes vniuersæ, quæ ætatem de
gebant in terris, erant diuisæ: atque adeò vniuersum humanum genus in prouincias, in
nationum & locorum prefecturas, in tyrānides, & multiplices principatus distributum.
Vnde pugnæ & bella continua, vnde depopulatio & seruitus tam in agris, quàm in vrbi-
bus, nunquam eos affligere desierunt. Vnde infinita ad historias scribendas argumenta,
vnde adulteria & raptiones mulierum, vnde clades Ilij, vnde denique veterum tragœ-
diæ quæ omnium celebrantur sermonibus? Quarum rerum causas si quis errori illi in
multis dijs colendis posito ascribat, non planè aberrauerit. At posteaquam salutare in-
strumētum, hoc est, sanctiss. Christi corpus, quo viso omnis error in colendis dæmoni-
bus, omnisque eorum vis & potestas prostrata iacuit: quod etiam ab omni vitiositate,
quæ vel in factis, vel in verbis cernitur, vacuum fuit & liberum: & quo victoria & tro-
phæum contra vetera mala reportatum, tanquam propugnaculum aduersus dæmones
erectum

Christi à mortuis resurrectionis causa.

Christi mortis causa alia.

Ioan. 1.
Isai. 53.

A erectum fuit, confestim non modo omnes dæmonum molitiones & conatus penitùs
compressi, verumetiam locorum præfecturæ, multiplices principatus, tyrannides, &
populares potestates, depopulationes præterea & obsidiones tam in ciuitatibus quàm
in agris inde ortæ, non amplius dominatæ sunt: sed tum Deus vnus inter omnes prædi-
catus, tum imperium vnum, Romanorum dico, apud omnes viguit. Atq; subito cru-
dele gentium inter ipsas odium, quod à multis seculis durauerat, neq; vnquam placa-
ri potuerat, sublatum fuit. Et sicut vnius Dei cognitio, vnus piæ religionis modus, v-
naq; salutaris Christi doctrina omnibus tradebatur hominibus: sic cum vnus impera-
tor vniuersæ Romanorum ditioni vno eodemq; tēpore esset præfectus, tranquilla pax
vbiq; regnauit. Neq; id solum, verumetiam vno temporis momento, velut vno diuino
mandato, duo bonorum quasi germina ad hominum vtilitatem pullularunt, Imperi-
um Romanum, & doctrina pia. Nam ante illud tēpus, alij regnum Syriæ seperatim oc-
cupabant: alij Asiæ potiebantur imperio: alij Macedonijs præerant: Aegypti alij seorsū
tenebant gubernacula: Arabiam itidē alij regebant: Palæstina in Iudæorum ditione &
potestate fuit. In singulis pagis, ciuitatib. & locis homines furore perciti, cædes mutuas
facere, alius in alium reuera insanire, bella & pugnas assiduè exercere soliti fuerant. Ve-
rùm omnes istæ contentiones duabus eximijs potestatibus, tanquam ex vnis eisdemq;
carcerib. in certamen egressis, pacatæ, & ad concordiam adductæ fuere: quarum altera
fuit imperium Romanum vnius nutu gubernatum, & ex illo cœptum: altera Christi
doctrina, quæ duæ eodem temporis momento vnà efflorescere cœperunt.

Cur imperiū Romanum et doctrina Christi eodem tempore florere debuerunt.

Atq; vt Seruatoris nostri potestas multiplices dæmonum principatus, & cultus mul-
torum deorum è medio sustulit, vnumq; Dei regnum Græcis, Barbaris, alijsq; omnib⁹
ad extremas vsq; terræ oras palàm denunciauit: ita imperium Romanum, causis mul-
tiplicis principatus iam antè sublatis, ea dominia quæ oculis cerni poterant, suæ ditio-
ni subegit: seduloq; dedit operam, vt vniuersum hominum genus consensionis & con-
cordiæ vinculis in vnum colligaret. Ac sicut iam permultas sanè gentes ac varias in v-
num conciliauit: sic non ita multo pòst, reliquas ad vltimos vsq; orbis terrarum fines
illis adiunxit. quippe doctrina salutaris, diuina ope & potentia, omnes illas iam antè
manſuefecerat, & præclarè admodum earum animos ad eam rem prēparauerat. Istud
B certè ab eis qui mentē ad studium veritatis adiecerint, nō autem vt rebus honestis inui-
deant, illustre miraculum existimabitur. Nam nō solum dæmonum versutia refutata
& repressa est, verumetiam inimicitiæ & pugnæ quæ inter gentes à multis seculis exer-
cebantur, prorsus restinctæ. Et rursus tum vnus Deus, & vna eius cognitio omnib. præ-
dicata, tum vnum imperium inter homines stabilitum, tum denique vniuersum hu-
manum genus ad pacem & cōcordiam traductum: adeò vt omnes inter ipsos se fratres
esse faterentur, suamq; ipsorum naturam mutuò agnoscerent. Etenim tanquam liberi
ex vno patre, hoc est, ex vno Deo: & ex vna matre, hoc est, ex vera pietate sati, statim
pacem inter se amplexati sunt, retinueruntq;, vt ex illo tempore orbis terrarū vniuer-
sus nihil à familia & cognatione optimis legib. & institutis tēperata differret: atq; adeò
liceret cuiq; pro arbitratu iter passim facere, & quò libitū erat animo suo absq; difficul-
tate & periculo migrare: & tum eos qui ad Occidentē habitabant, tutò inde ad Orien-
tem contendere: tum contrà, eos qui versus Orientem accolebant, inde ad Occidentē,
tanquam ad patriam suam proficisci, ita vt cùm alia veterum oraculorū responsa, pro-
phetarum vaticinationes ferè infinitæ, ad quas hoc loco recensendas non satis suppetit
ocij, tum istæ vel maximè de salutari Dei verbo expletæ sint, quæ sic de illo prædicant:
» Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à fluminibus vsque ad terminos orbis terrarum. *Psal. 71.*
» & rursus: Orietur in diebus eius iusticia, & abundantia pacis. Et iterum: Conflabunt *Isai. 2.*
» gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gla-
» dium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. Ista quidem sicut olim prædicebantur de
Seruatore, & Hebræorum vocibus ante multa secula prædicabantur: sic nostris iā tem-
poribus re ipsa expleta cernuntur, veterumque vaticiniorum testimonia confirmant.
Quod si alia plura argumenta certiora de illis rebus desideres, ea non verbis, sed rebus
ipsis confirmata accipito. Mentis tuæ oculos aperi, rationes quasi fores patefacito: ipse
tuum ipsius assensum admodum sustinens, tecum ratiocinare: tu teipsum interroga, &
rerum naturam animo accuratè peruestigans, tanquam ab altero ita scisciture: Quis
vnquam ab omni sæculorum memoria aut rex, aut princeps, aut philosophus, aut le-
gislator, aut propheta, seu Græcus, seu Barbarus ille fuerit, tantū virtutis decus est con-
secutus, non dicam pòst mortem, sed dum adhuc viueret, spiritúmque duceret, mul-
túmque valeret potentia: vt ipsius nomen ad omnium hominum aures, qui in terris
degebāt ætatem, permanaret, inque omnium ore ac sermone versaretur? Nemo certè

Universidad de Deusto
Biblioteca

istud, nisi vnus & solus Seruator noster post victoriam à morte reportatam præstitit? A
qui quidem & discipulis suis hoc verbum dixerat, & idem reuera expleuit: nimirum,
Matth. 28. Euntes docete omnes gentes in nomine meo. quique etiam prædixerat, proque certo
præstituerat, suum Euangelium prædicandum fore in vniuerso mundo, in testimoniũ
omnibus gentibus: quod vt verbis prædixerat, sic reipsa perfecit. Nam haud ita multò
post, totus orbis terrarum eius verbo & doctrina completus fuit. Quid igitur habes tu,
qui in initio orationis nos insectari videbaris, quod huic respondeas? præsertim cum
testimonium, quod oculis cernitur, omni alia ratione, quæ poterit afferri, facilè præpõ-
deret? Verùm à priore argumento ad posterius te transferas velim, & tecum ipse consi-
deres, quis post homines natos noxium & pernicioſum dæmonum genus, quod vniuer
sam humanam olim depascebatur naturam, & quadam commotione, quæ in statuis
cernebatur, multas inter homines edebat præstigias, manu potenti, quæ sub oculorum
aspectum non cadebat, velut immanes feras ex hominum grege fugarit auerteritque:
quisue alius præter nostrum solum Seruatorem, dum inuocaretur, sanctissimis precib.
per ipsum Deo patri omnium gubernatori oblatis, his qui vitam integrè sincereque ad
pietatis regulam ab ipso traditam sectantur, malignorum spirituum reliquias ab homi
nibus arcendi repellendiq; potestatem dederit: aut quis alius, solo nostro Seruatore ex-
cepto, sacrificia rationalia, sanguinisq; expertia, precibus & arcana quadam diuinæ lau-
dis celebrandæ ratione suis discipulis obeunda tradiderit? Qua de causa tum altaria in
toto orbe terrarum constructa sunt, tum augustæ sanctæque ecclesiæ ædificatæ, tum di-
uina sacrificiorum sola mente & ratione perceptorum ministeria soli Deo omnium
moderatori ab omnibus gentibus destinata, tributaq;. Sacrificia autem sanguine, cruo-
re & fumo peracta, crudeles etiam illas & furiosas hominum cædes, victimasque quis
vi ac virtute abstrusa illa quidem & ab oculorum sensu remota extinguere, adeoq; fun
ditùs delere potuit, vt gentilium etiam historijs confirmatum sit, omnem vbique ho-
minum sacrificandorum consuetudinem non ante, sed post diuinam Seruatoris nostri
doctrinam in orbe terrarum diuulgatam, ipsis Adriani temporibus penitùs profligatã
fuisse. Itaque cum virtus ac potentia Seruatoris nostri post eius mortem ostentata, tam
Christi virtus & potentia post eius mortem ostentata. certis & euidentibus argumentis cõfirmata sit: quis adeò ferreo animo est, qui non ve-
ritati tribuat testimonium, diuinamque ac cælestem Seruatoris vitam ingenuè fatea- B
tur? Nam rectè & præclarè facta non mortuorum, sed viuentium sunt: & res incertę ob- crificando
scuræque ex euentis percipi & cognosci solent. Nam heri propè & nudiustertius, genus rum con-
quoddam tyrannorum bellum cum Deo gerentium orbem terrarum grauiter contur fuetudo
bauit, omnia pro arbitratu fixit refixitque, multum opibus valuit & potentia: at simul concidit.
vt ex hac luce excesserat, deinceps terra obrutũ iacuit, ipsis ruderibus abiectius, spiritu,
motu & voce carens: nulla illius habita ratio, nulla mentio facta. Ea enim est verè mor
tuorũ natura: & qui amplius nõ est, nullus est: qui aũt nullo est, ecquid potest agere? Qui
autẽ in moliendo agendoq; versatur, & plura potest efficere quã illi quibus adhuc vita
suppeditat, quãuis sit ab oculorũ corporeorũ obtutu discluſus, quid est, cur eũ esse de-
sisse existimemus? At neque eam iudicandi vim, quæ in sensibus insidet, neq; rationes
arte constructas, neq; scientiarum præceptiones sensibus corporis percipimus: Neque
mentem, quæ in hominibus inest, nedum Dei virtutem ac potentiam quisquã aliquan
do oculis aspexit: sed res eiusmodi ex ipsarum effectibus solent intelligi. Quapropter
vim illam & facultatem abstrusam, quæ in Seruatore nostro est, ex rebus inde effectis
considerandа expendẽdaq;: & vtrum ea præclarè facta, quæ etiã adhuc ab illo geruntur,
viuentis esse confitendum sit: an dicendum illius esse, qui non est: an stulta omninò &
temeraria hæc quæstio habenda? Nam ei, qui non sit, quí possunt conuenienter & cum
ratione attribui? Quandoquidem omnium consensu & sententijs constat, illud, quod
non sit, nihil posse moliri, ageréue. Ea enim natura penitùs extinctorum est, viuentum
contraria.

Cæterùm hoc loco tempus opportunum se offert, eas res persequendi, quæ nostris tẽ
poribus à Seruatore nostro gestæ sunt: Deiq; viuentis facta, quæ propter recentem ipso-
rum memoriam quodammodo viuunt, accuratè cognoscendi. Nunquid non viuen-
tis ea esse statuemus? At talia tamq; egregia facta, & ipsa viua sunt: & Dei, qui reuera vita
Christi res mirabiles, Constantini et Eusebij tempore gestæ. viuit, existimanda. Verùm rogas fortasse, quænam ista sint? Sic igitur accipito. Tyranni
quidam cum Deo bellum susc ipere minimè veriti, non ita pridem templa precibus di-
cata, impetu animi ardentissimo, maximis viribus & copijs, concussis illorum funda-
mentis, diruerunt: ecclesiasque prorsus delere cogitantes, omnibus machinis Deum,
qui oculis cerni nequit, oppugnare, infinitaque verba plena blasphemiæ in eum iacere
intorquereque cœperunt. Verùm ille, qui in occulto latet, occulta quadam vi & recon
dita,

A dita eorum conatus vindicauit. Nam nonnulli, qui antè delicatè ac molliter vixerant,
putabanturq; beatissimi, quiq; semidei omnium sermone & prædicatione celebraban-
tur, solo Dei nutu & potentia extincti fuerunt. Alij, qui multis annorum conuersioni- Tyrannorũ et Christi aduersarior um interitus.
bus præclarè omnia, & ex animi sententia propterea gesserant, quòd erga Deum, con-
tra quem posteà dimicabant, amicitiam & pacem colebant: postquam mutata senten-
tia cum Deo bellum gerere temerè aggressi sunt, suosq; Deos propugnatores & defen-
sores nostro Deo ex aduerso opposuerunt, extemplò vno temporis momento, Dei nu-
tu ac potentia, qui cum prælium iniuerant, omnes scelerum suorum pœnas debitas
persoluerunt: adeò vt inuiti ei cogerentur, quem oppugnauerant, cedere, terga dare, di-
uinam eius virtutem agnoscere, & admodum maturare, vt ipsorum permissu contra-
ria illis, quæ antè admiserant, decernerentur. Seruator igitur confestim trophæa victo-
riæ vbique terrarum erigenda, mundum vniuersum sacrosanctis templis, augustisque
ecclesiarum ædificijs adornandum in singulis vrbibus, pagis, regionibusq; omnibus, at- Templa Christianorum cur Dominicasive κυριακὰ dicta, quæ & Germani deprauata voce Græca Kyrchen vocant.
que adeò in desertis Barbarorum locis, ædes sacras & templa vni omnium Deo, atq; v-
niuersarum rerum Domino dedicanda consecrandaque curauit. Vnde etiam templa,
quæ erant ei consecrata, Domini nomen obtinuerunt: quod nomen non ex hominib.
sed ex ipso omnium Domino illis fuit impositum, & propterea Dominica sunt appel-
lata. Iam verò aliquis prodeat in medium, atque nos doceat, quis post tantam ruinam
vastationemque, sacra ædificia à solo in sublime erexerit: aut quis templa, quorum refi
ciendorum nulla spes reliqua fuit, posteriore structura multo illustriora magnificen-
tioraque, quàm antea fuissent, reddiderit, eaq; denuò ædificauerit, non post mortem ty-
rannorum illorum, qui cum Deo bellum fecerãt, sed quod dictu propè incredibile est,
dum adhuc illis suppetebat vita, qui eadem ipsa diruissent: adeò vt iidem tyranni rum
Vide Euseb. lib. 8. hist. c. 2. & de vita Cõstant. lib. 2. cap. 50, 52. sermone coràm habito, tum scriptis facinorũ tam impiè ab ipsis admissorum palino-
diam canerent: idq; adeò præstarent, non cum lætitia fruerentur, & voluptate animo-
rum (sic namq; fortasse aliquis existimare posset, eos benignitate & clementia inductos
illud ipsum fecisse) sed cum plagis & cruciatibus cœlitùs infli ctis, ad id faciendum coge
rentur. Aut quis post tantas & tam graues persecutionis procellas, atque adeò in maxi-
mis turbulentarum tempestatum fluctibus effecerit, vt in toto orbe terrarum non viri
B solum ferè infiniti se totos in studio pietatis ponerent, diuinoq; numini assiduè inserui
rent: sed etiam sacræ mulierum, quæ virgines permanebant perpetuò, frequentiæ, cho-
ríque totum vitæ suæ tempus perfectissimę castitati dicarent, ipsiusque diuinæ doctrinę
præceptis institutæ, à cibis & à vino abstinentiam atque adeò inediam ad multos dies
lubentissimis animis tolerarent: temperantiæq; disciplina instructæ, continenti, seuero
& aspero vitæ genere corpus suum coercerent? Aut quis mulieres, & innumerabiles vi-
rorum multitudines impulerit, vti corporis alimenta cum rationalibus alimentis, quę
ex Sacris literis perlegendis deprompta, animis rationis participibus admodum conue
niunt, commutarent: quisue viros Barbaros & planè agrestes, mulieres quoque, pueros,
& seruorum genera, infinitas etiam infinitarum gentium multitudines docuerit, vt nõ
modò mortem contemnerent, verumetiam animum immortalem esse crederent: v-
numq; qui res humanas quasi oculorum obtutu contempletur existere, Dei iudicium,
in quo de pijs & impijs lata erit sententia, expectandum, & propterea vitam iustè & tẽ-
peratè traducendam esse. Nam qui aliter animo affecti sint, non posse vlla ratione pie-
tatis iugum subire: quæ res à nemine hactenus, præterquam à solo Seruatore nostro ple
nè cumulateq; expleta est. Cæterùm ista missa faciamus.

Sequitur, vt eum cuius mens contra veritatem obduruerit, etiam eiusmodi interro- Veritas Christianæ religionis, certis argumentis contra eiusdẽ aduersarios asserta.
gationibus ad eam agnoscendam adducamus, sicq; ab illo sciscitemur. Age tu, vocem
ratione & prudentia formatam profer, sententiasque fructuosas non ex corde stolido
ac stupido, sed ex animo mentis & rationis compote promens dicito, sicq; tecum iterũ
atque iterum cogitans loquere. Quis alius vnquam ex numero sapientum, qui ab om-
nibus seculorum ætatibus in crebro hominum sermone versati fuerint, pari ratione cũ
Seruatore nostro, prophetarum vocibus iam ab initio ante innumerabilia temporum
spacia apud veteres Hebræos celebratus, prædicatusque fuit? Qui quidem & locum quo
nasceretur, tempora aduentus, piam viuendi rationem, virtutes, doctrinam, res præcla-
rè ab eo gestas Sacrorum librorum monumẽtis complexi, posteritati tradiderunt. Aut
quis scelera contra se admissa, tam celeriter, quàm ille, vltus est? Nam non multò post
impium illud facinus in ipsum patratum, vniuersa Iudæorum gens vi quadam & po-
tentia occulta grauiter exagitata fuit: regalis & magnifica eorũ ciuitas deturbata, exci-
saque: & ipsum templum cum omnibus illius ornamentis dirutum, soloque æquatum.
Quis præter Seruatorem nostrum de his rebus, de hominum impiorum exitio, de eccle

Christi prædictiones. Matth.23. Luc.13. Matth.16.

Apostoli,eorumq.docendi vis, & scripta.

sia ab ipso in vniuerso terræ orbe fundata,verèappositeque rerum euentis vaticinatio. A nes edidit,easque re ipsa confirmauit? Qui quidem primùm de impiorum Iudæorum templo ita locutus est: Relinquetur vobis domus vestra deserta,& non relinquetur la- " pis super lapidem in loco isto,qui non destruatur.Deinde de Ecclesia sua: Super hanc " petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. " Quid tam mirādum tibi videri poterit,quàm viros abiectos & imperitos,in initio à pis- catu abducere, cosque legumlatores doctorescque vniuersi orbis terrarum efficere? Quid tam eximium ad eius diuinitatem euidenter declarandam, quàm non solum promittere se eos facturum piscatores hominum,quod vti verbo protulerat,sic reipsa præstitit: verumetiam tantam virtutem,tantamque facultatem illis tribuere,vt monumenta scriptis mandarent,librosque ederent: ijque tam magnam apud omnes haberent & authoritatem & existimationem,vt in omnes tam Barbarorum quàm Græcorum linguas, quæ in toto orbe terrarum existunt,conuerterentur,omnesque gentes,in illis perdiscendis studium & operam ponerent,proque certo crederent, diuina eloquia in illis esse tradita, comprehensaque? Quid tam diuinum, quàm quod esset futurum prædixisse,discipulisque præsignificasse,eos in conspectum regum & præsidum deductos fore, graues cruciatus perpessuros,acerbissima subituros supplicia:idque non propter aliquod turpe & flagitiosum facinus,sed solùm propter ipsius fidei & nominis cōfessionem? Quid tam incredibile dictu,quàm vt illi ad has res perferendas summa animorum alacritate se præpararent: sicque armis pietatis se sepirent, vt in certaminibus contra aduersarios initis,animos ipso adamante duriores robustioresque ostenderēt? Quid tam admirabile,quàm vt non modò illi,qui eum comitabantur invita,sed etiam hi qui eorum erant successores,& rursus qui istorum ætati succrescebant, quique etiam nostris vixere temporibus,ita vires obfirmarent animorum,vt licet nihil dignū morte commisissent, tamen propter egregiam suam erga Deum vniuersitatis moderatorem pietatem,omnia suppliciorum tormentorumque genera libentissimè sustinerēt? Quis vnquam regum tā diuturno temporis spacio cum imperio fuit? Quis post mortem tam egregiè bellum gessit,tam illustria trophæa contra hostes statuit, omnem locum,regionem & ciuitatem tam Græcam, quam barbaram subiugauit, omnes denique aduersarios manu & vi quadam occulta,atque adeò ab aspectu seclusa, in potestatem suam redegit? Et quod caput est eorum omnium,quæ iam sumus oratione prose- B cuti,cui ex calumniatorum numero pax illa,quæ per eius potentiam vbique terrarum dominata est(de qua,quæ nobis videbantur necessaria,suprà disseruimus) os non penitùs obturare possit? Quippe cum eo pacto concordia & consensus animorum inter omnes gentes vnà cum doctrina Seruatoris nostri,& prædicatione per illum in toto mundo disseminata,concurreret,& pax, quæ inter gentes per vniuersum orbem terræ olim à Dei prophetis prædicebatur regnatura,& verbum ab eo gentibus diuulgatum pariter vigeret. Dies me planè deficeret,Imperator illustrissime,si euidentia diuinæ virtutis & potentiæ argumenta,quæ ex rebus gestis,quæ etiam adhuc cernuntur,intelligi poterūt, in vnum colligere conarer. Nam nemo homo ex omni seculorum memoria, vel apud Græcos, vel apud Barbaros,tantam diuinæ virtutis vim,quantam Seruator noster, vnquam declarauit. At quid hominem dico? cum nullum omninò,ne illorum quidem, qui apud omnes gentes pro dijs habebantur, talem vim & naturam habuisse constet: aut si constiterit,aliquis quęso nobis ostendat. Prodeant in medium omnes philosophi nobisque dicant, quis vnquam de Deo aliquo,aut heroe ex omni ætate audiuerit, qui vitæ æternæ, & cælestis regni doctrinam hominibus tradiderit, sicut de Seruatore nostro exploratum est? qui quidem effecit,vt infinitæ hominum multitudines per totum orbem terrarum pijs sapientiæ præceptis institutæ, seueram viuendi disciplinam excolerent: illisque persuasit, vt res cœlestes consectarentur, & mansiones in cœlo diuinis animis reseruatas sperarent. Quisue Deus aut heros extiterit,qui vniuersum mundum ab ipso solis ortu ad occasum vsque peragrans, imò verò parem & æqualem ferè cum sole cursum conficiens, splendidissimis suæ doctrinæ radijs sic eundem collustrarit, illuminaritque,vt omnes gentes vbique terrarum vni Deo, vnum eundemque cultum tribuerent. Aut quis DEVS herosue fuerit, qui omnes deos & heroas, tam Græcos quàm Barbaros, profligarit, legeque sanciuerit neminem eorum Deum existimandum esse: & sancitum populo persuaserit. deinde cum vnus ab omnibus oppugnaretur, omnes hostium copias deleuerit: effeceritque vt ipse solus ex omnibus dijs & inclytis heroibus, qui à primis iactis mundi fundamentis extiterint, passim ab vltimis totius orbis terræ oris Dei filius ab omnibus gentibus appellaretur? Aut quis cunctis totius orbis terrarū incolis, seu terra seu mari illi sint,præscripserit, vt singulis septima-

Videsupra de vita Cōstant.lib. 4.cap.18. 22.57.

Diei Dominici festum solenne singulis septimanis.

A septimanis in vnum conuenientes,diem Dominicum festum celebrarent: institueritque,vt sicut corpora pascerent cibarijs,sic animos diuinis disciplinis reficerēt? Aut quis Deus,siue heros tam vehementer oppugnatus,quàm Seruator noster, tam egregia victoriæ trophæa contra hostes constituerit? Nam & hi nullum tempus intermiserunt eius tum doctrinam, tum populum impugnandi: & ille suos familiares afflictatos, ipsaque pariter templa sacrosancta ab hostibus expugnata,ad maximum gloriæ splendorē perducere non desijt. Sed quid attinet diuinas Seruatoris nostri virtutes, quas nullo dicendi genere quisquam consequi poterit,oratione persequi contendere: præsertim cū res inde effectæ,etiam tacētibus nobis,in intimas hominum cogitationes quasi voce emissa se infundant? Atque hoc profectò peregrinum,inauditum, & admirabile est, & vnum,quod semel solum inter mortales extiterit, vt homo tam egregia facinora ederet: & qui est reuera Dei filius, quiq; fuit ab omni æternitate,in terris cerneretur. Verū ista,quæ à nobis explicantur,tibi Imperator inuictissime,ad audiendum sunt minimè necessaria: qui quidem diuinam Seruatoris vim ac potentiam adeò sæpè expertus es, teque ipse non verbis,sed rebus ipsis veritatis præconem omnibus præbuisti. Tu igitur, cum ocium tibi datum fuerit,si placet,nobis quęso commemores infinitas easque diuinas Seruatoris,vt ita dicam,apparitiones,infinitas etiam secundum quietem visiones, non mysteria illa dico, quæ sunt arcana & à nostra intelligentia remota,sed ea solum, quæ sunt in tuam cogitationem illapsa diuinitùs,quæq; vtilem illam & omnibus fructuosam de prouidentia Dei,qua reguntur vniuersa,doctrinam complectuntur. Neq; certè fuerit à tua dignitate alienum, oratione persequi præclara illa & eximia subsidia tibi in bello à propugnatore & defensore tuo Deo suppeditata, hostium & insidiatorū exitia ab eo facta,grata in periculis solatia,in negocijs arduis & multis obstructis difficultatibus facilem expeditionē,benigna cum esses ab amicis desertus auxilia,præsentia in rebus impeditis & perplexis consilia,rerum futurarum præscientiā, prouidam ad vniuersi Imperij moderationem solertiam,prudentem de rebus incertis & obscuris deliberationem, rerum magnarum arduarumq; susceptionem, ciuiles administrationes, sapientem exercituum gubernationem, consultas rerum singularum emendationes, rectas vniuersarum institutiones,perutiles denique hominum vitæ legum sanctiones. Enumeres etiam continenti oratione eorum singula, quæ nobis obscura,tibi autem vB ni cognita sunt & explorata: eaque in tua verè regia memoria, tanquam in abdito thesauro custodita: quibus reuera impulsus,istisque testatis & illustribus potentiæ Seruatoris indicijs persuasus,templum velut trophæum victoriæ ab illo contra mortem partæ erexisti,omnibus hominibus tam fidelibus quàm infidelibus ad intuendum proposuisti: augustumq; in ea sancti Dei sanctuarium,splēdida etiam egregia & magnifica vitæ immortalis cœlestisque regni monumenta,eaque Imperatoris dignitati admodum conuenientia & consentanea: quinetiam præclara victoriæ summi omnium Imperatoris,Seruatoris nostri insignia fabricanda curasti: quæ omnia in illud templum & monumentum resurrectioni Christi,per quam certam vitæ immortalis spem animis concipimus,dedicatum, conclusisti: eo planè consilio,vt tum cœlestem Dei sermonem, victorem & triumphatorem regalibus & eximijs formis quodammodo designatum expressumq;,omnibus gentibus ostenderet: tum vocibus clarè & apertè tam verbo quàm reipsa editis elatisque, piam & diuinam eius fidei ac nominis confessionem passim prædicaret.

ORATIONIS DE LAVDIBVS CONSTANTINI FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SOCRATIS SCHOLASTICI HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, LIBER PRIMVS.

Tota hæc Socratis Historia in septem libros distributa complectitur annos 133. à primo scilicet anno Constantini Magni, vsque ad 17. Consulatum Theodosij Secundi. hoc est, ab anno Christi 310. vsque ad annum 443. quæ de re vide quæ notata sunt ad calcem libri septimi. Primus autem liber continet acta sub Constantino Magno, annis triginta, ab anno scilicet Christi 310. ad annum vsque 340. inclusiue quo refer authores notatos supra ad Eusebij lib. 9. & 10.

Libri proœmium, & quomodo Constantinus Imperator ad Christianam fidem se contulerit.

CAPVT I.

Continuat suã historiã cum Eusebiana. Euseb. lib. 10. hist Eccles. Euseb. lib. 4. de vita Constant.

RES in Ecclesia gestas, Eusebius cognomento Pamphilus decem omninò libris complexus, historiam ad tempora solum Constantini Imperatoris deduxit: quibus quidem temporibus persecutionis flamma, quam Diocletianus contra Christianos incenderat, restincta est. Vitam etiam Constantini idem author literis mandans, Arij facta leuiter admodum perstrinxit: quandoquidem Imperatoris illius virtutes prædicare, atque adeò orationem qua illum egregiè laudaret, maiestate verborum exquisitè illustratam, componere magis animo connitebatur, quàm res gestas accuratè explicare. Nos igitur, quoniam apud animum proposuimus scriptis prodere ea, quæ ab illo tempore hactenus in ecclesia gesta accepimus, ex illis rebus, à quibus ab eo desitum est scribere, nostri operis exordiũ capiemus: neq; genus dicendi insolens altiúsue exaggeratum consectari, sed solum ea, quæ vel inuenimus literarum monumentis tradita, vel ab illis, qui eadem ipsa oculis viderint, audiuimus, perspicuè exponere animus est. Ac quoniam ad id, quod est nobis propositũ, non parum adiumenti afferre videtur, si qua ratione Constantinus Imperator ad fidẽ Christianam se contulerit, commemoremus: de eo pro virili parte pauca dicemus, indeq; sermonis nostri sumemus initium. Cum Diocletianus, & Maximianus cognomẽto Herculius, consensu quodã animorum inter ipsos, deposuissent Imperium, priuatũque viuendi genus sibi delegissent: & Maximianus, qui Galerius etiam dictus est, vnaq; cum illis regnauerat, profectus in Italiã, duos designasset Cæsares, Maximinum, quem Orienti, & Seuerum, quem Italiæ præfecit: Constantinus, vt patri Cõstantio (qui primo anno ducentesimæ septuagesimæ primæ Olympiadis, octauo Calend. Augusti mortem obijt) succederet, Imperator in Britannia est palàm declaratus. Romæ autẽ militũ prætorianorum suffragijs Maxentius filius Maximiani Herculij, non ad gerendum imperium, sed ad tyrannidẽ potius exercendam elatus est. His rebus ita cõparatis, Herculius dominandi libidine denuò inflãmatus, filium Maxentium è medio tollere aggreditur. Cæterùm milites, quo minus hoc efficeret, illi fuere impedimento. Posteà verò Tarsi, quæ est vrbs Ciliciæ, è vita migrauit. Cæsar autem Seuerus, qui Romam ad capiendum Maxentium erat à Galerio Maximiano missus, proditus à militibus, interfectus est. Ad extremum Maximianus Galerius summã rerum iam administrãs, vt primum Licinium, qui è Dacia oriundus, & societate militari iampridẽ, & magna necessitudine fuerat cũ eo coniunctus, Imperatorem creauisset, morte occubuit. Maxentius interea Romanos miserè affligit, opprimitq;: se tyrannum, non Imperatorem erga illos declarat: lõgè extra verecundiæ fines egrediens, hominum ingenuorũ vxoribus stuprum infert: multos neci dat: alia deniq; flagitia his similia designat. De quibus rebus Constantinus Imperator certior factus, omni cura & cogitatione sibi incumbẽdum statuit, vti Romanos seruitutis iugo oppressos in libertatẽ vindicaret: ac statim secum consilium inire cœpit, quo pacto tyranno vitã adimeret. Et dum in ista cogitatione versabatur, considerauit diligenter, quem Deum sibi adiutorem ad bellum gerendum inuocaret. Venit namq; illi in mentem, Diocletianum, qui toto pectore, vt dicitur, in deorum gentilium cultũ incubuerat, nihil inde cõmodi cepisse: proq; certo comperit, suum ipsius patrẽ Constantium, qui se ab illorũ deorum veneratione auocauerat, vitã multo beatiorem traduxisse. Illi igitur in tam ancipiti deliberatione posito, & fortè vna cum militibus iter nescio quò faciẽti, visio quædã, vt admirabilis spectatu, ita dictu planè incredibilis, sese obtulit.

Propositum Socratis.

Confer cũ Niceph. ca. 1. lib. 8. Vide Sozomen. lib. 1. cap. 3. Euseb. lib. 8. ca. 27. hist. Eccles.

Diocletianus. Maximianus, Herculius & Galerius. Maximinus. Seuerus. Constantius. Constantinus Imp. declaratus. Maxentius tyrannus.

Continuatio Imperij à Diocletiano vsq; ad Constantinum.

Seueri cædes.

Licinius.

Maxentij tyrannis.

Constantini de tyrãno delendo consiliũ.

A tulit. Nam circiter meridiem, die aliquantulum iam in pomeridianum tempus inclinãte, columnã lucis in cælo effigiem Crucis radijs mirè exprimentẽ vidit: in qua literæ inerant ista verba complectentes, IN HOC VINCE. Quod quidẽ signum iam visum sic Imperatorem obstupefecit, vt suis ipsius oculis propemodum diffidens, ab illis qui vnà aderant, sciscitatus sit, num ipsi etiã fuissent eiusdem visionis facti participes. Quod cùm vno ore omnes ad vnum affirmassent, fluctuans Imperatoris mens diuino illo & admirabili viso fuit admodum confirmata. Nocte verò sequenti, secundum quietem vidit Christum, qui sic illum affatur: Crucis effigiem ad exemplar illius signi quod tibi apparuerit, fabricare: eaque tanquam insigni quodam ad victoriam valde accommodato, cõtra hostes vtere. Huic ergo Christi oraculo obsequens, insigne crucis, quod adhuc custoditur in palatio, construendum curat: quo fretus, maiore cum animi alacritate ad res gerendas se confert. Ante portas vrbis Romæ circiter pontem Miluium cũ hoste confligens, victoriam (Maxentius enim in flumen demersus interijt) perfacilè consequitur. Septimus iam imperij sui agebatur annus, cum à Maxentio victoriam reportauit. His confectis rebus, dum Licinius, qui cum illo in imperij administratione coniunctus fuit, & vir sororis suæ Constantiæ factus, in Oriente degeret, Constantinus tam ampla beneficia à Deo adeptus, ea officia, quibus ei qui tam benignus in ipsum extiterat, gratias ageret, sedulò obire cœpit. Quæ huius generis fuere: Liberare à persecutione Christianos: eos qui patria exulauerant, domum reuocare: occlusos in carcere, dimittere liberos: his, quorum bona publicata erant, fortunas restituere: dirutas ecclesias denuò erigere, quæ quidem omnia valde propenso studio & voluntate transegit. Interea temporis Diocletianus, qui imperio se abdicauerat, Saloni, quæ est ciuitas Dalmatiæ, decedit de vita.

Crucis effigies Constantino in aere oblata.

Christi mandatũ de cruce fabricanda ad Constantinum.

Maxentij interitus anno Christi 316.

Constantini pietatis officia.

Diocletiani mors.

Quomodo Christianorum res cùm Constantinus amplificaret, Licinius, qui in Imperio consors erat, Christianos infectatus est: atq; hinc ortum esse inter illos bellum.

CAPVT II.

Vide Sozom lib. 1. cap. 2. Niceph. li. 8. cap. 6. Euseb. li. 10. ca. 8.

CONstantinus verò Imperator, qui suas cogitationes in illis rebus quæ ad Christi gloriam spectabant, penitus defixerat, omnia Christiani hominis officia ex æquo cœpit: ædificare de integro ecclesias, eas magnificis & illustribus monumentis exornare: gentilium delubra occludere, eaque demoliri: statuas in illis erectas publicare. Verùm Licinius, qui consors eius in imperio erat, gentiliumque opinione, B quod ad religionem attinebat, imbutus, graue odium in Christianos exercebat: qui tametsi verebatur eos palàm persequi (metuebat enim Imperatorem Constantinum) tamen ex occulto complures adortus est. Tempore autem progrediente, illos apertè vexare aggreditur: quæ persecutionis procella quibusdam in locis (vbi enim commorabatur Licinius, ibi solum ingruebat) duntaxat excitata est. Cæterùm cùm non in his solum, sed in alijs suis facinoribus tyranni partes ageret Licinius, eaq; Constantinum cũ resciuisse, tum propterea grauiter succensere intelligeret, se de eisdem ei purgare maturat: assentari illi: amicitiam simulatè cum eo iungere: se astringere iureiurando, nunquam quicquam se moliturum, in quo aliqua tyrannidis significatio existeret. Atque certè non iurauit solum, verùm etiam peierauit. nam neque animum deposuit exercendæ tyrannidis, neque in Christianos persecutionis tempestates concitare destitit. Lege enim interdixit episcopis, ne in congressum colloquiumque cum gentilibus aliquãdo venirent: eo videlicet consilio, vt religio Christiana inter eos nulla ex parte propagaretur. Eodem temporis momento de persecutione & creber hominum sermo fuit quodammodo, & mirum silentium. Nam tacita erat verbis, reipsa tamen omnibus patefacta: quandoquidem qui eius impetum subierant, tum corpore cruciatus intolerabiles, tũ fortunis iniuriam non ferendã perpessi sunt. Vnde Constantino Imperatori bilem commouit non mediocrem. Itaque rupto simulatæ inter ipsos amicitiæ vinculo, capitali odio inter se dissiderunt. Non longo tempore pòst, bellum mutuò inter ipsos concitatur: atque multis prælijs terra marique commissis, tandem apud Chrysopolim vrbem Bithyniæ (id est, nauale Chalcedonis) Licinius deuictus, Constantino se dedidit. Eum igitur viuum capit, tractat humanitùs, tantumq; aberat vt illum trucidaret, vt etiam iuberet vrbem incolere Thessalonicam, seque ibi quietè & tranquillè gerere. Qui quanquam ad aliquod temporis spacium conquieuit, tamen non multo pòst Barbaris quibusdam hominibus coactis, infictam sibi cladem iterata pugna sarcire contendit. Constantinus vbi illud intellexit, eum occidi iubet. Cuius mandato homo è medio tollitur. Itaq; rerũ potitus Constantinus, Imperatorq; & rex declaratus, ad religionẽ Christianã deinceps amplificãdam, omnem curã & studium cõtulit. Neq; illud vno modo laborauit, sed varia ac multiplici ratione præstare: cuius opera, rebus

Constantini pietas & erga Christianos benignitas.

Licinij in Christianos odium & tyrannis & persecutio.

Licinij fraudulenta simulatio erga Cõstantinum.

Constantini cũ Licinio dissidiũ, & inde bellum.

Chrysopolis.

Licinij cædes & ea secuta pax ecclesiæ.

Sopito externo bello, intestinum dissidium ecclesiam vexat: excitatur ex hæresi Arij circa annum Christi 321.

Christianorum tranquilla pax allata est. Verùm pacem illam bellum intestinum inter A ipsos Christianos susceptum, extemplò subsequitur. At quale illud fuerit, vndeque ortum, pro viribus deinceps explicabo.

De Arij contra Alexandrum episcopum contentione, & quòd ex ea Ecclesiæ dissensio nata sit: quodq; Alexander Alexandriæ episcopus, Arium cum suis presbyterij gradu abdicauerit.

CAPVT III.

Petrus episcopus et martyr. Achyllas. Alexander

Arius presbyter Alexãdro episcopo se opponit.

Sabellij error.

Arij hæresis initium, vnde, vbi et quãdo.

Eusebij duo

Eusebius Nicomediensis Arianus.

ALexandriæ, post Petrum illius ecclesiæ episcopum, qui Diocletiano regnante martyrio occubuerat, Achyllas capessit episcopatum. Quo mortuo, Alexander tempore pacis suprà commemoratæ, episcopus delectus est: qui animo securo & tranquillo vitam degens, ecclesiam in vnum conuocat. Et quodam tempore præsentibus presbyteris qui sub ipso erant, reliquoque clero, curiosius aliquanto disserit & subtilius de sancta Trinitate, vnitatemq; in Trinitate esse diuinitùs philosophatur. Arius autem vnus ex presbyterorum numero, qui erant sub Alexandro in eo gradu locati, vir dialecticarum argutiarum minimè ignarus, quoniam episcopum suspicabatur errorem Sabellij Afri voluisse de integro in ecclesiam introducere, contentionis studio incensus, „ad opinionem quæ Afri opinioni penitùs erat cõtraria, deflectit: acerbè aspereque, vt videbatur, illis quæ ab episcopo dicta erant, occurrit: affirmatque, si pater genuit filium, eum qui genitus erat, suæ essentiæ habuisse principium: indeque perspicuũ esse, tempus fuisse quando non erat filius: necessarioque sequi, eum ex nihilo essentiã habuisse. Cùm ista noua quadam & inaudita ratione conclusisset, complures ad quærendum de eisdem incitauit: & ex scintilla perexigua ingens flamma incensa est. Nam pestifera ista labes ab ecclesia Alexandrina exorsa, per vniuersam Aegyptum, & Lybiam, & superiorem Thebaidem peruasit: quinetiam per reliquas prouincias & ciuitates est passim peruagata. Et quanquã multi alij peruersa Arij opinione & errore implicati tenebantur: Eusebius tamen (non Cæsarienſis ille, sed alter, qui antea fuerat ecclesiæ Berytiensis episcopus: id temporis autem ad episcopatum Nicomediæ, vrbis Bithyniæ callidè arrepserat) illi cũ primis mordicùs adhæsit. Quæ cùm accepisset Alexander, resque gestas oculis cerneret, iracundia cœpit exardescere: ac concilio multorum episcoporum conuocato, Arium, & eius opinionis fautores, presbyterij gradu abdicat: qua de re ad episcopos cuiusque ciuitatis scripsit ad hunc modum.

Vide Sozom. lib. 1. ca. 14. 19. lib. 2. ca. 25.

Vide Nicephor. ca. 5. lib. 8.

Vide Theodorit. lib. 1. cap. 2. 4.

Vita Constant. lib. 2. cap. 60. li. 3. cap. 4.

Arguta curiositas episcopi Alexandri occasionem Arianismo dedit.

B

Epistola Alexandri episcopi Alexandriæ.

CHARISSIMIS HONORATISSIMISQVE FRATRIBVS, QVI VBIQVE *gentium sunt nobiscum in Ecclesiæ ministerio coniuncti, S.*

Alexandri episcopi ad ecclesiæ ministros, de Ario & Eusebio, &c. epistola.

Defectio in ecclesia Antichristi prænũcia.

Necessitate ecclesiæ vindicandæ scribit ista Alexand.

Cùm in Sacris † literis sit vnum corpus ecclesiæ catholicæ nobis traditum, & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus: consentaneum est, vti per literas colloquamur inter nos, alijque alios mutuò de rebus quæ apud singulos geruntur, certiores faciamus, quò, siue vnum ex membris patitur, siue lætatur, nos inter nos vel patiamur vnà, vel vnà lætemur. In nostra quidem prouincia prodierunt iam viri, qui leges rescindunt, Christum ipsum impugnant, animos hominum ad defectionem (quæ quidem prænuncia & quasi præcursor Antichristi non sine causa & existimari & appellari possit) docere nituntur. Ac mihi certè in animo erat de illo facinore penitùs reticuisse, vt eius labes, si quo modo fieri potuisset, inter illos solum qui ab Ecclesia desciuerant, deleri quiuisset: ne in alia loca euagata, simplicium quorundam aures suis sordibus inficeret. Verùm quoniam Eusebius, qui nunc Nicomediæ episcopus est, quique totum Ecclesiæ statum in sua manu positum arbitratur, cùm à nemine quòd ecclesiam Beryti deseruerit, quodque oculos cupiditatis atque ambitionis suæ ad episcopatum ecclesiæ Nicomedensis obtinendum adiecerit, in se animaduersum esse videat, istorum etiam qui ab ecclesia defecerunt, patrocinium suscipit: & ad omnes qui sunt vbique gentium literas scribere conatur, eosque in eisdem commendat plurimùm, quò imperitos quosdam in grauissimam hæresin, Christoque penitùs aduersariam rapiat: necesse habeo, idque sententia quadam quę in lege scripta est, inductus, silentium rumpere, remque vobis omnibus indicare, quòd non modò eos qui defecerunt à Christo, execrabilia- “ que verba, quæ illorum hæresis vsurpat, cognoscatis: verumetiam, si fortè Eusebius “ literas scripserit, ad eas animos minimè attendatis. Nam inueteratam suam maleuo- “ lentiam, silentio ad tempus obrutam, iam per istos renouare studet: & licet simulatio- “ ne quadam præ se ferat eorum causa literas scribere, re tamen ipsa declarat perspicuè, “ se in rem suam seriò istud ipsum agere. Qui autem defecerunt ab Ecclesia, sunt: “

Vide Nicephor. ca. 3. lib. 8.

Vide Theodorit. lib. 1. cap. 4.

† Vide an. not. pag. 171. lat. 1. lin. 37.

Arius,

Arianismi statores.

Arij errores.

A Arius, Achillas, Aeithales, Carpones, Arius alter, Sarmates, Euzoius, Lucius, Iulianus, „ Menas, Helladius, Gaius, Secundus item, & Theonas, qui dicti sunt olim episcopi. Quæ- „ nam verò isti contra Scripturas excogitarint, temereque effutiuerint, sic accipitote: Deũ „ non semper patrem fuisse: sed tempus aliquando extitisse, cùm Deus non esset pater: „ non ab æterno Dei verbum fuisse, sed ex nihilo ortum esse. nam Deum qui est, eum „ cùm non erat, ex eo quod non est, procreasse: & propterea tempus fuisse aliquando, „ cùm non esset. Creatum enim & factum esse filium: neque essentia patri similem, ne- „ que natura verum patris sermonem, neque veram eius sapientiam esse, sed per abusio- „ nem verbum & sapientiam dici. Ipsum factum esse proprio Dei verbo, & sapientia quæ „ in Deo est, per quam cùm cætera omnia, tum illum ipsum fecit Deus. Et ob eam cau- „ sam natura sua posse conuerti & mutari, sicut animantia omnia ratione vtentia: Ver- „ bum esse peregrinum, alienum & seiunctum à sapientia Dei. Patrem à filio minimè ex- „ plicari posse. nam filium neque patrem plenè & accuratè cognoscere, neque exquisitè „ cernere posse. Etenim suam ipsius essentiam, vt est, filium non percipere: quippe filium „ nostra causa factum esse, vt Deus per ipsum, tanquam per instrumentum nos crearet: „ neque extitisse aliquando, nisi Deus nos creare in animum induxisset. Quæsitum „ est igitur ab illis, vtrum Dei sermo posset mutari, quemadmodum diabolus mutatus Vide Nicen. ca. 11. lib. 8. est? & non veriti sunt respondere: Certè potest. Cùm enim & gigni & mutari possit, „ eius naturam posse mutari. Ario igitur & eius fautoribus qui ista asserunt, & de eisdem „ tam impudenti ore loquuntur, vnà cum illis qui eius opinioni assentiuntur, nos cum „ alijs ferè centum Aegypti & Lybiæ episcopi in vnum conuenientes, anathema denun- „ ciauimus. Cæterùm Eusebius eos ad se admittit, operamque sedulò dat, vt mendaciũ „ cum veritate, & cum pietate impietatem commiscear. Verùm ad hoc præstandum „ non satis habet virium. Nam vincit veritas: & nulla est societas luci cum tenebris, „ nulla consensio Christi cum Belial. quis enim vnquam talia audiuit? aut quis est, qui „ si iam audiret, nõ ea tanquam insolita & peregrina obstupesceret, auresque obturaret, „ ne eiusmodi verborum sordes in audiendi sensum illaberentur? Aut quis est, qui, „ cùm Ioannem audiat dicentẽ, IN PRINCIPIO ERAT VERBVM: nõ istos condẽnaue- „ rit dicentes, Erat tempus aliquando cùm non esset? Aut quis est, qui, cùm audiat in Eu- „ angelio, Vnigenitus filius, &c, Per ipsum facta sunt omnia: non istos odio habuerit, af- „ firmantes filium vnã esse ex creaturis? Aut qui poterit ipse esse similis illarũ rerum quæ „ per ipsum factę sunt? Aut quẽadmodum vnigenitus, si (vt illorũ fert opinio) cũ alijs reb. „ vniuersis numeretur? Aut quomodo ex nihilo factus est, cũ pater dicat: Eructauit cor „ meũ verbum bonũ: &, Ex vtero ante luciferum genui te? Aut qua ratione essentia patri „ dispar ac dissimilis, cũ sit perfecta imago & splendor patris, cumq; ipse dicat: Qui vidit „ me, vidit & patrẽ? Aut quo pacto, si verbum & sapientia sit Dei filius, erat tempus ali- „ quando cũ non esset? Nam perinde est ac si diceret, Deum aliquando & sermone & sa- „ pientia caruisse. Aut quo pacto cõuerti mutarive potest, cũ ita loquatur ipse de se: Ego in „ patre, & pater in me est: &, Ego & pater vnum sumus. & per prophetam etiam: Videte „ me, quòd ego sum Deus, & non mutor? Et quanquã hoc dictum ad ipsum patrem refer- „ ri possit, tamen aptius & magis propriè de filio verbo iam dicitur, quòd, cũ sit homo sa- „ ctus, non mutatus est: sed, vt Apostolus ait, Iesus Christus heri & hodie idem ipse & in „ secula. Quid igitur illos in hanc perduxit sententiam, eum scilicet propter nos factum „ esse: Cũ tamen Paulus scribat, Propter quem omnia, & per quem omnia? Quòd autem „ falsò calumniati sunt, filium non plenè & perfectè patrẽ nouisse, nemini mirum videri „ debet. Nam cùm semel statuissent contra Christum bellum gerere, reiecerunt penitùs „ voces ipsius Domini dicentis: Sicut cognoscit me pater, & ego cognosco patrem. Quòd „ si ex parte pater cognoscit filium, perspicuum est, filium etiam ex parte patrem cogno- „ scere. Verùm si hoc dictu nefas est, & pater plenè filium cognoscit: constat, quòd sicut „ pater cognoscit suum ipsius verbũ, sic & verbum suum ipsius patrem cognoscit, cuius „ est verbum. Cæterùm quanquam ista recensendo, atq; adeò sacras & diuinas Scripturas „ apertè explanando, eos sæpenumero conuicimus: tamen illi rursus, velut chameleon- „ tes, sese mutabant: dictumque illud Sapientis in sua ipsorum capita torquere magno- „ pere conrendebant, videlicet Impium, cùm in profundum malorum venerit, contem- „ nere. Ac tametsi complures certè hæreses ante illorum ætatẽ exortæ erant, quæ quidem „ extra modum audacia euagatæ, ad extremam dementiam sunt tandem prolapsæ: isti „ tamen, qui omni suo sermone Verbi diuinitatem tollere nituntur, vtpote ad Antichri- „ sti tẽpora propius accedentes, illas hæreses præ suorũ errorum impietate iustas esse quo- „ dammodo declarãt. Quapropter illis ecclesia interdictũ est, atq; adeò anathema denũ- „ ciatũ. Et quanquã de eorum exitio permagnum animis dolorem capimus, & maximè

Eusebius hæreticorũ receptator.

Arij confutatio ex illustribus S. Scripturæ locis.

cap. 1.

Ioan. 14.

Ioan. 10.

Malach. 3.

Hebr. 13.

1. Cor. 8.

An filius plenè cognoscat patrem.

Ioan. 10.

Hæreticorum cõiunctorum mos.

Prou. 18.

quòd

Universidad de Deusto Biblioteca

Dolendū quidem est, sed non mirandū esse hæreticos, cūctos futuros esse prædictū. Matth. 24. 2. Timoth. 4.

quòd Ecclesiæ instituta aliquando agnouerant, iamq; ab illis exciderunt: de illis tamen non magnopere miramur. Idem namq; non Hymenæo solum & Phileto contigerat, sed Iudæ etiam ante illos, qui Seruatoris discipulus fuit, postea autē proditor & desertor illius factus. Atq; istarum rerum neutiquam ignari extitimus. Dominus enim prædixerat: Videte, ne quis vos seducat. nam multi venient in nomine meo, dicentes, Ego sum. &, Tempus appropinquauit: &, Multos seducēt, ne eatis post illos. Paulus etiam cū ista à Seruatore didicisset, scripsit, Quòd nouissimis temporibus quidam deficerent à fide sana, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum veritatem auersantium. Iam verò, cùm & Seruator noster Iesus Christus hoc præceperit, & per Apostolum de eiusmodi hominib. significarit: nos certè, quoniam illorum impietatē nostris ipsorum auribus accepimus, non sine causa eius generis hominibus, sicut ante diximus, anathema denunciauimus, eosq; ab ecclesia catholica, fideq; alienos palàm declarauimus. Vestramq; pietatem fecimus certiorem, charissimi & honoratissimi fratres, qui estis nobiscum in Ecclesiæ ministerio coniuncti, vt si fortè quidā ex illis temeritate impulsi, ad vos venire non vereantur, ne eos admittatis: néue Eusebio, vel alteri cuipiam qui eorum causa ad vos scribat, omnino attendatis. Nam par est, vt nos qui sumus Christiani, omnes qui contra Christum loquantur, animoq; sint ab eo alienato, tanquam Dei hostes & corruptores animorum deuitemus: neque id genus hominibus, sicut præcepit B. Ioannes, vel Aue dicamus, ne quando illorum peccatis communicemus. Salutate, qui apud vos sunt, fratres: qui mecum sunt, vos itidem salutant.

Hæretici deuitandi.

Ioan. 1.

Alexander suis literis Arianos non sedauit, sed excitauit.

Cùm Alexander literas eiusmodi ad episcopos passim in singulis ciuitatibus scripsisset, latius propterea serpebat malum, quòd hi qui erant de illis literis certiores facti, contentionis & discordiæ incendijs inter ipsos conflagrare cœperunt. nam alij literis suffragari, ijsdemq; subscribere: alij penitùs aduersari. Maximè verò omnium Eusebius Nicomedensis episcopus ad dissensionem incitari, quòd Alexander eius nomen suis literis grauius perstrinxerat. Atq; id temporis Eusebius plurimū poterat, quòd tunc Nicomediæ (vbi Diocletianus paulo antè palatium ædificauerat) Imperator versabatur. Ob quam causam multi episcopi Eusebij paruere sententiæ. Is autem tametsi ad Alexandrum literas scribere non destitit, vt controuersiam inter ipsos ortam missam faceret, Ariumq; cum suis in Ecclesiam reciperet: alios tamen, qui alias quasq; ciuitates incolebant, cohortatus est, vt Alexandri voluntati prorsus refragarentur. Vnde tumultus ingens nusquā non cōcitatus est. Nāvidere licebat, non modò ecclesiarū prę sides maledicis & cōtumeliosis verbis aliū ab alio vexatos, verū etiā populi multitudinē in duas partes diremptā: quarum altera in horū, altera in illorum sententiā inclinauit. Itaq; res est eò sceleris & turpitudinis prolapsa, vt Christiana religio palā in ipsis theatris omniū irrisione luderetur. Ab his verò qui Alexandriæ habitabant, de summis religionis nostræ dogmatis iuueniliter, & nō absq; petulātia certatū est: ab eijsdem ad reliquos cuiusque prouinciæ episcopos missa legatio. Isti in alterutrā partem diuisi, non dissimilē contentionē excitarunt. Cōmiscebantur itē Arianis Meletiani: qui nō multo antè fuerant ab ecclesia segregati. Sed cuius generis fuerint isti, dicēdum arbitror. Meletius ciuitatis cuiusdā in Aegypto episcopus, à Petro Alexandriæ episcopo (qui regnāte Diocletiano, mortem obierat martyrio) cū multis alijs de causis, tum maximè, quòd tempore persecutionis fidem inficiatus, idolis immolauerat, munere episcopatus abdicatus est. Qui cùm esset abdicatus, complures q; haberet qui erant ipsius dicto audientes, illis qui ab illo vsque tempore ad hodiernum diem in Aegypto Meletiani vocantur, ducem hæresis se præbuit: & cùm nullam iustam excusationem causā mue afferre posset, cur se ab ecclesia separasset, verbo tantummodo affirmauit sibi esse factam iniuriam: Petrumque maledictis figere, cōuicijsq; lacerare cœpit. Verùm vt primùm Petrus per martyrium, persecutione sæuiente, mortē oppetiuerat, probra sua & contumelias in Achillam, qui Petro in illo episcopatu succedebat, transtulit: ac postea denuò in Alexandrū, qui mortuo Achilla eum dignitatis gradum adeptus est. Ac dum hi in hoc dissidio & dissensione versabantur, interea quæstio de Ario habetur: Meletius cum suis Ario subsidio fuit, cumq; illo vnà contra episcopū conspirauit. Cæterùm quib. Arij opinio absurda videbatur, hi iudiciū Alexandri de Ario datum approbarunt, rectamque & æquā sententiā cōtra eos qui sic sentiebant, esse pronunciatā existimarunt. At Eusebius Nicomedensis, & quotquot Arij opinionē amplexabantur, scripserunt ad Alexandrū, vt abdicationem quæ erat antegressa, abrogaret: cosque quibus erat communione fidelium interdictum, in ecclesiam denuò admitteret. ipsos namque nullam peruersam malámue opinionem tenere. Sic igitur cùm literæ aduersariæ ad Alexandrū Alexandriæ episcopū missæ essent, vtriusq; partis literæ in vnum collectæ sunt. Nam Arius eas quæ pro se faciebāt, Alexander autem contrarias simul congessit. Ex quibus Arianorum, Eunomianorum & Macedonianorum sectæ, quæ hoc tempore vigere videntur, ansam ad suā doctrinam tuendā arripiunt. Etenim singuli propriæ ac suæ sectæ epistolas, testium loco vsurpant.

Meletiani Arianis cōmixti.

Meletius episcopatu cur abdicatus.

Quòd Imperator Constantinus propter Ecclesiarum perturbationem solicitus, Osium Hispanum Alexandriam miserit, episcopum & Arium ad concordiam inuitans.

CAPVT IIII.

Confer Niceph. ca. 11. lib. 8. vide Sozom. li. 1. cap. 15.

DE his rebus cùm certior factus esset Imperator, incredibilem animo hausit dolorem: perturbationemque illam, suam ipsius calamitatem esse censuit. Extemplò igitur illud discordiæ incendium, quo inter ipsos exardescebant, restinguere seriò aggreditur: literasque per virum spectatum & fidelem Osium nomine, episcopum Cordubæ, quæ est ciuitas Hispaniæ (hunc enim Imperator singulari amore complexus est, & honore, summo prosecutus) ad Alexandrum & Arium mittit. Quarum literatum partem aliquam (sunt namque integræ in libros Eusebij de vita Constantini illigatæ) hoc loco citare non incommodum existimaui.

Osius Hispanus episcopus Cordubæ, de quo vide cōpendio multa ac mira apud Ioh. Vasæum.

VICTOR CONSTANTINVS, MAXIMVS, AVGVST. *Alexandro, & Ario, S.*

Vide Euseb. cap. 67. lib. 2. de vita Cōstant.

Inde præsentis controuersiæ fundamentum iactum intelligo, quòd tu Alexander, à presbyteris de loco quodam in Sacris literis scripto quærebas, imò verò de inani quadam quæstionis particula scisciscitabaris, quid quisque illorum sentiret: tuque Ari, istud quod neque initiò animo complecti, aut cùm fuisses complexus, silentio præterijsse debebas, inconsideratè effutiuisti. Vnde discordia inter vos concitata, tum conuentus qui in ecclesia fieri solet, impeditus, tum populus sanctissimus variè in vtramque partem distractus, & ex consentiente totius corporis Ecclesiæ quasi compage diuulsus est. Proinde vterque vestrùm vicissim veniam alteri tribuens, illud approbet, ad quod vester conseruus vos non sine causa cohortatur. At quid istud est? Vt de rebus eiusmodi nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis. Tales enim quæstiones, quales nulla lex cauet ad ingenij acumen exercendum instituantur, tamen interiore mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conuentus temerè efferre, neque vulgi auribus inconsultò concredere. Quotus enim quisque est, qui rerum tam grauium, tamque obscuritate inuolutarum vim, vel satis accuratè peruidere, vel pro dignitate explicare valeat? Quod si quisquam sit qui istud se facilè efficere & consequi posse confidat, quota quæso est illa multitudinis pars, quam possit efficere vt idem ipsum intelligat? Aut quis tandem est, qui in curiosa quæstionum eiusmodi peruestigatione, extra prolapsionis periculum possit consistere? Quocirca in talibus rebus loquacitas coercenda est, ne vel cùm nos præ nostri ingenij imbecillitate, quod propositum est, explanare non possimus, vel cū auditores inter docendum præ intelligentiæ tarditate ad accuratā sermonis instituti comprehensionem peruenire non queant, ex re alterutra populus aut in blasphemiæ, aut in dissensionis necessitatem incurrat: Quare & interrogatio tua, † meraria, & inconsulta responsio, veniam vtrique vestrùm ab altero vicissim impetrare debebet. Neque enim de summo in Sacris literis præcepto vobis ansa ad digladiandum oblata est, neq; nouus vllus de religione diuina introductus error: sed vnā eandemq; de fide tenetis sententiā, ita vt ad ipsum cōmunionis consensum facilè possitis venire. Nā non est profectò consentaneū, vt propter vestram mutuò de adeò paruis exiguisq; reb. concertationem, tanta populi Dei multitudo vestra inscitia ad dissensionē rapiatur. Imò verò nō modò non est consentaneum, sed omnino nefas esse existimatur. Verùm, vt rē breuiter exemplo quodā animis vestris mecum recognoscatis, dicam. Nō vos præterit, opinor, philosophos ipsos vnius quidem disciplinæ professione omnes inter se consentire: sæpe tamen in aliqua parte opinionum, quas asseueratione affirmant, discrepare solere: qui licet disciplinæ causa, quam quisque illorum tuetur, dissentiant, tamē ob professionem qua conspirare videntur, denuò inter ipsos in gratiam redeunt. Quod si ita se res habet, quid est cur non sit multo conuenientius, vt nos, qui famuli præpotentis Dei constituti sumus, propter ipsum religionis institutum, quod profitemur, consentientibus animis inter nos ipsos concordemus. Cæterùm accuratiore cogitatione considerabimus, & mente attentiore, hoc quod iam à me dicetur, circumspiciamus, ne forte se habeat, vt propter leues & inanes verborum contentiones fratres fratribus reluctentur: & eximia concordia, impia simultate per nos, qui de rebus tam exiguis, minime.

† Videantur pag. 1261. lin. 1.

Constantini ad Alexandrū & Arium epistola.

A cuiusmodi quæstionibus abstinendum.

Ab honeste.

Philosophorū dissensiones.

Fratrum cōcordia propter logomachias non discerpenda.

Ariani, Eunomiani, Macedoniani.

Universidad de Deusto
Biblioteca

minimeque necessarijs inter nos confligimus, miserè discerpatur. Popularia quidem A
Ab vtili. sunt ista,& puerili inscitiæ magis quàm sacerdotum & prudentium hominum sapien-
tiæ congruentia. Nostra sponte igitur tentationes diabolicas euitemus. Et quoniã Deus
noster optimus maximus,conseruator omnium,communem suæ gratiæ lucem omni-
bus porrexit:idcirco mihi eius famulo,quæso,per vos liceat, vt illius prouidentiæ sub-
sidio adiutus,meum conatum feliciter ad exitum perducam : atque etiam vt ipsius po-
pulum tum verbis compellando,tum ministerium diligenter erga eum præstando, tũ
acriter admonendo,ad mutuam concordiam traducam. Et cùm,vti dixi,vna sit vobis
fides,vna professionis consensio,vnum deniq; legis ac disciplinæ institutum,quod qui-
dem cum suis partibus vniuersum Ecclesiæ corpus,consentiente animorum concordia
& proposito deuincit:istud,quod inter vos non mediocrem contentionem excitauit,
quoniam nullam rem grauem in totius nostrę religionis quasi ambitu comprehensam
attingit,non est cur disiunctionem aliquam animorum, aut discordiam inter vos pa-
riat. Atque hæc dico,non vt cogam vos in hac leuicula & stulta quæstione qualiscunq;
tandem illa fuerit, penitùs eandem sententiam sequi. Ac tametsi vos inter vos vicissim
de re quapiam minimi momenti dissentitis,(siquidem neque omnes de omnibus reb.
idem sentimus,neque vna eademque in nobis indoles aut mens versatur)nihilominus
Posse inter dissentientes etiã in religionis aliquot capitibus, seruari concordiam. tamen fieri poterit, vt eximia concordia sincerè inter vos integreque seruetur,& vna in
ter omnes communio & consociatio custodiatur. Verùm de diuina prouidentia vna
sit vobis omnino fides,vnus animorum consensus, vna de Deo sententia. At quæ de le-
uissimis istis quæstionibus inter vos argutè & subtiliter exquiritis, licet non in eandem
sententiam tanquam pedibus eatis, ea tamen intra cogitationis vestræ quasi fines con-
tinere debetis,intimo mentis domicilio recondita. Communis autem amicitiæ bonũ,
vera fides,reuerentia erga Deum,& legis obseruationem, stabilis firmaque apud vos
maneat. Redite in gratiam,& mutuam inter vos necessitudinem colite, vniuersoq; po-
pulo suos mutuos complexus reddite:atque vestris ipsorum animis contentionis labe
Epilogus plenus humanitatis. purgatis,iterum amicè ac benevolè ipsi alter alterum excipite. Nam sæpenumero post
inimicitias depositas,amicitia iterum reconciliata plus solet habere iucunditatis. Date
igitur mihi dies tranquillos,& noctes curæ ac molestiarum expertes, vt voluptas,quæ
ex sincera concordiæ luce & vita quieta capi solet,mihi integra in posterum conseruc-
tur. Quod quidem si minus contingat,necesse est ingemiscere,lachrymis & mœrore o-
mnino confici: nec fieri certè potest,vt vitæ cursum de reliquo tranquillè & sedatè trãsi
gam. Nam quamdiu Dei populus(eum dico, qui communi mecum erga Deũ obsequio
fungitur)tam iniqua pernicioſaque contentione ab se mutuo dissidet, quomodo fieri
potest vt ipse deinceps animo tranquillo consistam? Atque vt incredibilem huius do-
loris morsum intelligatis,sic accipite. Non ita pridem ad Nicomedensium ciuitatem
aduentans,extemplò iter versus Orientem maturè facere constituebam. Ac me quidẽ
ad vos citato gradu properantem,cũ maiorem itineris partem confecissem, vt iam pro-
pè vobiscum esse viderer: huius rei nuncius in contrariã cogitationem cõpulit,ne ocu-
lis videre cogerer,quæ ne aurib. quidem tolerare me posse planè existimabã. De reliquo
igitur vestra cõcordia patefacite mihi ad Orientẽ aditum,quẽ vos vestris dissidijs vltrò
citroq; feruentib. intercluſistis:& efficite breui,vt cũ vos pariter,tum reliquum vniuer-
sum populũ lætitia gestientẽ cernam,& omnes vnà pro cõmuni omnium concordia &
libertate consentientibus laudis præconijs debitas gratias Deo Opt. Max. agamus.

De Synodo in Bithynia apud Nicæam habita,ac de fide quæ ibidem edita erat.

CAPVT V.

Irrita legatio & epistola Imp. apud Alexandrinos. QVanquam Imperatoris epistola ad res cùm admirationis,tum sapientiæ plenas Vide Nicephor. ca. 14. lib. 8. Vide Theodorit. lib. 1. ca. 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13. Sozom. lib. 1. cap. 14. Vitam Constantini lib. 1. cap. 6, 7.
eos adhortata est: tamen discordiæ malum adeò se firmauerat, vt nec Impera-
toris solicitudine,nec authoritate illius qui literas attulerat, vlla ex parte fran-
gi reprimique posset. Nam præterquàm quòd literæ Imperatoris neq; Alexandri neq;
Dissensio de festi Paschatis celebrandi tẽpore. Arij animum mitigare ac mollire poterant, in ipso populo præterea ingens contentio
& tumultus erat,quem quidem alia dissidij lues in certa solum loca euagata antecesse-
rat,quæ sanè tranquillum Ecclesiarum statum magnopere perturbauit: dissensio vide-
licet de tempore festi Paschatis celebrandi exorta. quæ per Orientis partes solummodo
peruadebat,dum alij ibi festum illud more Iudæorum celebrandum esse contendebãt: cap. 6, 7.
alij autem, Christianorũ vbique per orbem terrarum diffusorum consuetudinem in ea
re prorsus imitandam censebant. Et dum ita de festo digladiantur, licet communione
inter ipsos vti minimè recusarent, festum tamen acerba animorum dissensione pera-
gunt.

A gunt. Cum igitur Imperator videret his duabus contentionis tempestatibus Ecclesiam
vehementer iactari,generale Concilium conuocat, atque episcopos vndiq; per literas *Concilij Nicæni congregatio.*
accersit,vt Nicæam vrbem Bithyniæ se conferant. Itaq; permulti certè episcopi ex mul-
tis prouincijs & ciuitatibus eò aduentant,de quibus Eusebius cognomento Pamphilus
Videlib. 3. cap. 7. in tertio libro de vita Constantini, ista ad verbum scribit: Ex omnib. ecclesijs,quę frequẽ
tes vniuersam Europam, Libyam & Asiam occupabant,Dei ministri,qui facilè primas
» ferre putabantur, in vnum conuocantur: vna etiam ędes sacra, velut Dei nutu adaucta,
» intra parietes suos Syros pariter & Cilices, Phœnices, Arabes & Palæstinos, Aegyptios
» porrò, Thebanos, Afros,aliosque ex Mesopotamia profectos recipit. Adest item in cõ-
» uentu, Persidis episcopus: nec ab hoc choro abfuit Scytha. Pontus item, Galatia, Pam-
» philia, Cappadocia, Asia & Phrygia, viros apud se lectissimos suppeditarunt. Quinetiã
» Thraces, Macedones, Achæi, Epirotæ,& quorum domicilia longissimo inde locorum
» interuallo aberant,eò aduentarunt. Ex ipsis Hispanis, vnus nominis & famæ celebrita-
» te insignis,cum illis multis in consessu illo adfuit. Vrbis verò illius, penes quam Impe-
» rium est, episcopus,ingrauescente ætate præpeditus,abfuit: sed eius presbyteri, qui ade-
» rant,eius locum suppleuêre. Talem coronam solum,ex omni præteritæ ætatis memo-
» ria vnus Imperator Constantinus, pacis vinculo ad Christi gloriam colligauit: & quò
» Seruatori suo gratias ageret,istud eximium pro victoria ab hostibus parta trophæum
» obtulit, effigie chori Apostolici pulchrè in hoc nostro conuentu expressa. Nam dici-
» tur in Sacris literis,illorum temporibus viros pios ex omni natione,quæ sub cælo est,in *Act. 2.*
» vnum conueniſſe: inter quos erant Parthi, Medi, Elamitæ, & qui incolunt Mesopota-
» miam, Iudæam & Cappadociam, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Aegy-
» ptum,& partes Lybiæ,quæ est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi & proselyti,
» Cretes & Arabes. Verùm illis hoc defuit,quòd omnes,qui eò conuenerant, ex Dei sa-
» cerdotum & ministrorum numero non erant: sed in hoc præsenti choro fuit episco-
» porum multitudo ad numerum trecẽtorum & amplius: presbyterorum autem, diaco-
» norũ, acoluthorũ,& aliorũ,qui istos comitabantur, turba ne enumerari quidẽ potest.
» Atque ex his Dei ministris alij prudenter & disertè dicendo, alij vitæ grauitate, & con-
» stanti rerum arduarum perpessione, nonnulli quasi media inter istos interiecta viuen-
di ratione eximij,præclara laudis insignia adepti sunt. Erant inter hos etiam non pauci,
» qui propter longinquum temporis spacium quo vixerant, multum honoris & gloriæ
» collegerunt: alij qui in ipso ætatis flore propter ingeniorum acumen sunt magnũ splen
» dorem consecuti: quidam modò in ministerij quasi cursum ingressi sunt. Quibus quidẽ
» vniuersis cibaria in singulos dies Imperator largè & liberaliter suppeditari præcepit.
Atque Eusebius de illis,qui ibi in vnum conuenerant, hæc hactenus. Imperator festo,
quod ob victoriam contra Licinium partam celebrabat,peracto, Nicæam concessit. In-
Vide Nicephor. lib. 8. cap. 19. Ruff. lib. 1. ter episcopos,qui aderant, Paphnutius superioris Thebaidis episcopus, & Spyridion e-
piscopus Cypri,plurimùm excelluere. Verùm cur istorum mentionem fecerim,dicam *Paphnutij & Spyridionis excellentia.*
equidem postea. Aderant etiam vnà laici complures, disserendi scientia valde periti:
qui erant ad patrocinium alterutrius partis suscipiẽdum parati. Cæterùm Arij opinio-
Vide Nicephor. lib. 8. cap. 14. nem Eusebius Nicomedensis, vt suprà dixi,& Theognis & Maris propugnarunt: quo- *Arij opinio à quibus propugnata.*
rum Theognis Nicææ episcopus fuit, Maris autem Chalcedonis, vrbis Bithyniæ. Con-
tra istos Athanasius,diaconus ecclesiæ Alexandrinæ,strenuè pugnauit. Istum Alexan- *Athanasius.*
der episcopus in magno admodũ honore habuit: & propterea(sicut pòst à me dicetur)
graui inuidia contra illum conflata est. Paulò antè quàm episcopi in vnum locum cõ
uenerant,dialectici in quibusdam disputandi tanquam prolusionibus aduersus plero-
que se exercuerunt. Ac cum nonnulli quasi illecebris ad disserendum traherentur, lai- *Laici cuiusdã contra Dialecticos verba.*
cus quidam ex confessorum numero,simplici ac sincero animo præditus,cum dialecti-
cis illis congreditur,sicque contra illos verba facit: Christum certè & Apostolos artem
disserendi neutiquam nobis tradidisse,neque inanes fallacias, sed mentem apertam &
simplicem,quæ fide & bonis operibus integra seruari solet. Quæ cùm dixisset, cùm alij
omnes qui aderant, & eum admirati sunt,& illius approbauêre sententiam: tum diale-
ctici,vt primùm sincerum veritatis sermonem audiuerant,æquo animo ac placido cõ-
quieuêre. Sic igitur tumultus ille ex disserendi facultate concitatus, tandem penitùs re-
Vide Nicephor. lib. 8. ca. 16. pressus est, Postridie episcopi omnes in vnum locum conueniunt: post illos accedit Im
perator. Simulatque aduentauit,in media turba erectus constitit: nec prius assidere vo- *Constantini erga episcopos reuerentia.*
luit,quàm episcopi,vt ita faceret,innuissent. tanta enim reuerentia & pudor Imperato-
ris animo erga illos viros insedit. Sed postquam ab omnibus, vt temporis opportuni-
tas postulabat,factum erat silentium, Imperator ibi ex sella orationem hortatoriam
habere cœpit,qua illos ad consensionem animorum & concordiam commoueret: in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

que ea consilium dedit, vt quicquid offensionis menti cuiusquam priuatim contra alterum resideret, prorsus deponeretur. Etenim complures eorum, alter alterum accusauerant: multosq; supplices libellos, pro se singuli, pridie eius diei Imperatori obtulerant. Ipse autem vt ad propositum negocium, quo de conuocati erant, se totos conuerterent, sedulò hortatus est, & libellos illos comburi iussit: istamq; solùm adiecit sententiam, Christum præcepisse, vt qui veniam impetrare contendat, fratri ipse veniam det. De concordia demum & pace vbi vberius disseruerat, deinceps de religionis nostræ dogmatis accuratius disquirendi, illorum arbitrio permisit potestatem: quemadmodum ab eodem Eusebio in tertio libro de Vita Constantini commemoratum est, cuius verba audire non erit nobis incommodũ, sic ergo se habent: Cũ multa essent ex vtraq; parte proposita, magnaq; controuersia in ipso disputationis ingressu concitata, Imperator « toleranter ac placidè omnibus animum attendit: studio acri prolatas sententias sensim « excepit: vicissim vtriq; disceptantium parti opem tulit: eos magna cum contentione di « gladiantes paulatim reconciliauit: cum singulis comiter & benignè sermonem contu- « lit: Græcè (nam ne huius quidem linguæ ignarus fuit) sensa sua dicendo expressit, suauis « erat & dulcis, dum alijs persuadere, alios sermone lenire, alios qui dissertè dixissent, col- « laudare instituebat: omnes denique ad concordiam catenus reducere contendit, quo- « ad eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venissent, tum conspirantes a- « nimis, tum opinionibus consentientes reddidisset: ita vt non modò concors fides inter « eos vigeret, sed etiam idem tempus salutaris festi Paschatis celebrandi ab omnibus con- « cederetur. Iam verò, quæ communi omnium sententia decreta erant, cum cuiusq; manu subscripta essent, rata habebantur, & in commentarios referebantur. itaque sicut de « his rebus ista commemorauit Eusebius, scriptisque prodita posteritati reliquit: sic nos hoc loco non incommodè eadem citauimus, imò verò eius verbis pro testibus vsi sumus, huicq; attexuimus historiæ: vt cum quidam fortè Concilium in Nicæa habitum, perinde ac si in fide lapsum fuisset, condemnauerint, ne illis animum attendamus: néue Sabino Macedoniano credamus, qui viros ibi congregatos, imperitos & rudes appellat. Nam iste Sabinus Macedonianorũ, qui Heracleam ciuitatem Thracię incolunt, episcopus, dum ea, quæ varia episcoporum Concilia scriptis ediderant, in vnum volumen colligit, episcopos, qui Nicææ in vnum conuenerant, velut indoctos & ignaros rerum omnium, probris afficit: oblitus credo, se ipsi Eusebio, qui sua probatione eandem fidem admodum confirmasset, tanquam illiterato obtrectauisse. Quinetiam nonnulla, dedita opera prætermittit: quædam etiam peruertit: quæ autem ad eum exitum, quem sibi proposuerat, facere videbantur, omnia diligenter excerpit. Et quanquam Eusebiũ Pamphilum, tanquam testem cui meritò habeatur fides, laudat: præconijsque effert Imperatorem, vtpote, qui in institutis religionis Christianæ stabiliendis multum præstitisset: fidem tamen exposita in Concilio Nicæno, perinde atq; ab imperitis & omninò insciis traditam, grauiter reprehendit: & quem sapientem nuncupat, & testem veracem, eiusdem testimonia de industria reijcit. Nam est apud Eusebium, ex Dei ministris, qui aderant, alios prudenter & dissertè dicendo, alios vitæ grauitate excelluisse: quinetiam Imperatorem coràm ad concordiam omnes reduxisse, effecisseque, vt non modò animorum, sed etiam opinionum consensione conspirarent. Verùm de Sabino, si quod tempus ad eam rem opportunum inciderit, plura dicemus. Consentiens autem de fide doctrina, quæ Nicęæ ab amplissimo Concilio, quasi clara omnium voce diuulgata erat, † hæc est.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem: & in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, filiũ Dei genitum, ex patre vnigenitum, hoc est, ex substantia patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo sunt, & quæ in terra. qui propter nos homines, & propter nostrã « salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, passus est: resurrexit tertia die: ascendit ad cælos, venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritũ sanctum. Qui verò dicunt, quòd erat aliquando tempus cũ non esset, antequã genitus erat, vel quòd ex nihilo ortus sit, vel quòd ex altera essentia, quàm ex patris substantia genitus, vel quòd filius « Dei creatus sit, quodq; conuerti & mutari possit, istis Catholica & Apostolica Dei Eccle « sia anathema denunciat. Hanc fidem approbarunt trecenti decem & octo episcopi, eiq; omnes assensi sunt: & vti scriptum est apud Eusebium, consentientibus animis opinionibus q; eidem subscripserunt: quinq; solum exceptis, qui hanc vocem ὁμοούσιον, id est, consubstantiale, repudiarunt: Eusebio videlicet Nicomediæ episcopo, Theognide, Nicææ, Mari Chalcedonis, Theona Marmaricæ, Secundo Ptolemaidis. Nam ὁμοούσιον, id est,

Constantinus accusatorios episcoporum libellos tranquillitatis ergo comburit.

Eusebij de Cõstantino locum.

Constantinus peritus Græcè.

Nicæni Concilij doctrina.

Sabinus episcopus Heracleensis Macedonianus acta Concilij Nicæni calumniatur.

Vocẽ ὁμοούσιον qui episcopi repudiarint.

Consubstantiale.

† Vide an. 325. not. pag. 175. lat. 1. lin. 22.

Vide Theodoriũ cap. 12. lib. 1. Nicephori lib. 8. cap. 17.

A est consubstantiale, esse illud affirmarunt, quod est ex aliqua re ortum vel partitione, vel deriuatione, vel productione: productione, vt ex radicibus germen: deriuatione, vt liberi ex parentibus: partitione, vt duo aut tria auri ramenta ex massa aurea. At filium Dei ad nullum istorum posse referri: & propterea se minimè fidei illi in concilio Nicęno confirmatæ velle assentiri, dixerunt. Proinde & vocem illam ὁμοούσιον, id est, consubstantiale, vehementer irriserunt, & abdicationi Arij subscribere noluerunt. Ob quam causam Concilium non solum Ario & omnibus eius opinionis fautoribus anathema denunciauit, verumetiam vetuit, ne Alexandriam ipse Arius omnino aduentaret. Edictum porrò Imperatoris Arium, Eusebium & Theognidem in exilium ire mandauit. Vnde Eusebius & Theognis paulò pòst, quàm exilio erant multati, libellum quo se facti pœnituisse declararent, ediderunt: fideíque de hac voce ὁμοούσιον, id est, consubstantiali, constabilitæ cõsenserunt: sicut deinceps in sermone sequenti ostendemus. Per idem tempus Eusebius cognomento Pamphilus, episcopus Cæsareæ Palæstinæ, in illo Concilio, cum paulisper hæsitauisset, secumq; attenta cogitatione expendisset, num illam de fide decisionem deberet admittere, sic tãdem vnà cum reliquis vniuersis eam & approbauit, & subscriptione ratam fecit: & populo, cui ipse prærat, eandem scriptis proditã misit, vocemq; Consubstantiale illi interpretatus est, ne cuiusquam animo de ipso iniceretur suspicio, quod in eo aliquantum hæsitauisset. Ista igitur ad verbum scripsit ad » hunc modum: Etsi verisimile est, fratres charissimi, ea quæ de fide ecclesiastica in am- » plo & frequenti concilio Nicææ coacto tractata sunt, ad vos antehac prolata esse, præ- » sertim cùm fama ipsa accuratam rerum gestarum narrationem sua celeritate superare » soleat: tamen ne veritas, si auditione solum ea acceperitis, contrà ac se habeat, vobis nũ- » cietur: primùm eam fidei formulam, quæ à nobis concilio proposita est: deinde alterã, » quam episcopi, vbi nostris verbis pauca adiecerant, ediderunt, ad vos mittere necesse pu » tauimus. Nostra verò formula, quæ tum coram Imperatore nostro sanctissimo perle- » cta est, tum rectè se habere pro certò explorata, ad hunc modum se habet. Sicut ab epi- » scopis, qui nos antegressi sunt, accepimus: sicut cum fidei fundamenta in nostris animis » primùm iacta essent, cumq; lauacro baptismatis abluti essemus, audiuimus: sicut à diui- » nis Scripturis didicimus: & sicut, cum fungeremur presbyterio, & cum episcopatũ ob- » tineremus, credidimus & docuimus: sic etiam iam credentes, nostram fidem vobis pa- » tefacimus, quę eiusmodi est.

» Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, visibilium omnium & inuisibi- » lium creatorem: & in vnum Dominum Iesum Christum, Dei verbum, Deum de Deo, » lumen de lumine, vitam de vita, filium vnigenitum, primogenitum omnis creaturæ, » ante omnia secula ex Deo patre genitum, per quem omnia facta sunt: qui propter no- » stram salutem incarnatus est, & inter homines versatus, qui passus est, & resurrexit ter- » tia die: ascendit ad patrem, & iterum venturus est iudicare viuos & mortuos. Credi- » mus etiam in vnum Spiritum sanctum. Et istorum quemq́ue esse, & existere credimus: » Patrem verè patrem esse, Filium verè filium, & Spiritum sanctum verè Spiritum sanctũ: » sicut Dominus noster, cum discipulos suos ad prædicandum mitteret, locutus est: Eun- » tes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. De » quibus confirmamus, nos hoc animo esse, sicq; sentire, & sic etiam sensisse, & ad mortẽ » vsque sic sensuros esse, in hac perseueraturos fide, anathemate impiæ hæresi cuique de- » nunciato. Atque de istis rebus omnibus nos syncerè & ex animo ita sensisse, ex quo nos- » met noscere poteramus, & iam etiam verè tum sentire, tum dicere, Deum omnipoten- » tem, & Dominum nostrum Iesum Christum coràm testamur: certaq́ue demonstra- » tione ostẽdere possumus, vobisq; ratione persuadere, nos tẽporib. præteritis ita credidis- » se: & huic fidei à nobis expositæ cõgruentia prædicasse, neminemq; posse nobis in hac re » contradicere. Quinetiam Imperator noster sanctissimus hanc nostram fidem, veritatem in se complecti primus omnium testificatus est: seq́ue eodem animo esse constan- » ter asseruit: præcepitq́ue, vt omnes eidem assentirentur, decretis eiusdem subscriberent, » congruerent cum eisdem, dummodo vna vox, Consubstantiale videlicet, ascriberetur: » quam quidem ille ipse explicauit ad hunc modum. Consubstantiale de corporis affe- » ctionibus non posse intelligi: neque filium Dei vel diuisione, vel defectione, vt ita di- » cam, ex patre constare. Nam non posse fieri vt natura, quæ materiæ expers est, quæ sola » intelligentia percipitur, quæ corpore vacat, corpoream vllam affectionem in se exci- » piat: sed eiusmodi res nos diuinis & arcanis verbis debere complecti. Sapientissi- » mus quidem & pius noster Imperator de his isto modo philosophatus est.

» Episcopi autem propter hanc vocem Consubstantiale,
istam fidei formulam ediderunt.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 18.

Excommunicatio & deportatio hæreticorum.

Eusebij & Theognidis exilium, & post exilium libellus quo Arianismum abiurant.

Eusebius Pamphilus.

Fidei formula ab Euseb. Pamphil. conscripta.

Consubstantiale.

Matth. 28.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fidei formula in Concilio edita.

A Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem: & in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, filium Dei, genitum ex patre vnigenitum, hoc est, ex substantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum, non factum, consubstantialem patri: per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo, & quæ in terra sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit: incarnatus est: homo factus est: passus est: resurrexit tertia die: ascendit ad cœlos: venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctũ. Qui verò dicunt, quòd erat aliquando tempus cum non esset, antequam genitus erat, vel quòd ex nihilo ortus est: vel quòd ex altera essentia substantiáue, quàm ex patris, genitus: vel quòd filius Dei creatus, quodque conuerti & mutari potest: istis Catholica & Apostolica Dei Ecclesia anathema denunciat. Cùm ista formula ab illis præscripta esset, illud, Ex substantia patris esse: & illud, Patri consubstantialem esse, quo modo essent intelligenda, ab eis diligenter quærere cœpimus. Vnde quæstiones & respõsa nata sunt: rationeque accuratè peruestigatum, quæ illis verbis subiecta esset sententia. Fatebantur illi, ex substantia esse, idem significare, quod, ex patre esse, non tamen partem patris esse. Ista sanè nobis videbantur pulchrè consentire cum piæ illius doctrinæ sententia, quæ docet filium ex patre esse, nõ tamen partem substantię illius esse. Quapropter huic sententiæ etiam à nobis assensum est: neque vocem Consubstantiale reiecimus, propterea quòd pax, tanquam scopus ad intuendum, ante oculos nostros versabatur: & cautio erat à nobis adhibita, ne recta fidei sententia excideremus. Pari ratione, genitum, non factum, approbauimus. Nam FACTVM, verbum, cum cæteris creaturis, quæ per filium facta sunt, commune esse dixerunt: nec filium earum simile quicquam habere: ac propterea eum non esse creaturam illarum similem, quæ ab ipso factæ sunt, sed præstantioris esse substantiæ, quàm qua vlla creatura prædita sit, quam quidem ex patre genitam esse, Sacræ literæ perdocent: quippe cum modus eius generationis à nulla mortali natura, vel verbis exprimi, vel cogitatione comprehendi possit. Eodem modo etiam illud, Filium patri consubstantialem esse, ratione & exquisitum est, & probatum, non more corporeo debere intelligi, neque quicquam habere simile cum mortalibus animantibus. Nam neque diuisione substantiæ, neque defectione, neq; mutatione paternæ essentiæ & facultatis posse constare. Ingenitam enim patris naturam, ab his omnibus prorsus alienam esse. & hoc, Patri consubstantialem esse, nihil aliud ostendere, quàm filium Dei ad reliquas creaturas nullam habere similitudinem: sed vnius patris, qui illum genuit, omninò similem esse: neque ex alia, quàm ex patris substantia & essentia genitum. Quod quidem sic expositum, rectum videbatur assensione approbare. nam nonnullos veteres episcopos & scriptores, viros sanè disertos atque illustres, in patris & filij diuinitate explicanda hoc verbo Consubstantiali vsos fuisse cognouimus. Sed de fide in Concilio Nicæno exposita & diuulgata, hæc hactenus. Cui quidem omnes ad vnum assensi sumus, non temerè & inconsultò, sed secundum sententias coram ipso sanctissimo Imperatore propositas, discussasque, & communi omnium consensu, propter causas, quæ supra commemoratę sunt, approbatas. Quinetiam anathematis formulam, quæ post fidem explanatam ab illis proposita est, approbandã quoque putauimus: propterea quòd vetet, ne quisquam vocibus à Scriptura abhorrentibus (ex quibus in ecclesias omnis ferè confusio & discordia inuecta est) omninò vtatur. Etenim cum nulla Scriptura diuinitùs inspirata his vocibus vsa sit, filium Dei ex nihilo ortum esse, & tempus fuisse aliquando cum non esset, & quæ sequuntur in eandem sententiam: minimè consentaneum videbatur, eas vel proferre, vel docere. Cui sententiæ tam præclarè contra ipsas decretæ, constitutæque, nos consensimus: quando-quidem nunquam antehac eiusmodi verba vsurpare consueuimus. Ista ad vos, fratres charissimi, necessitate coacti misimus, non solum vti vobis decretum, quod nostrã disquisitionem & assensionem secutum est, planum faceremus: verumetiam vt intelligeretis, quòd primò, dum ea, quæ aliter ab alijs scripta erant, animum nostrum offendere videbantur, in vna eademque sententia (sicut ratio postulabat) ad extremam vsque horam perstitimus. Verùm postea, facilè sanè, & sine vlla contentione, ea quæ nullam habebant offensionem, tum demum amplexati sumus, cum nobis verborum sensum & sententiam æquis animis disquirentibus, illa quæ exposita erant, consentire videntur cum his, quæ in fidei formula ante proposita, à nobis concessa & probata fuerant. Ista Eusebius Pamphilus ad Cæsaream, quod est oppidum Palæstinæ, misit.

Ex substantia esse quid significet.

Genitum non factum.

Filium Patri consubstantialem.

Veteres patres vsi verbo ὁμοούσιον quos Nicenum concilium imitatur.

Anathematis forma approbata.

B

Epistola

A *Epistola Synodi, de rebus quas ipsa statuerat, & de Arij & eorum, qui eandem cum eo tuebantur opinionem, abdicatione.*

CAPVT VI.

IPsum verò Concilium, communi consensu ad Ecclesiam Alexandrinam, & ad Aegypti, Libyæ & Pentapolis incolas, hæc quæ sequuntur conscripsit.

*Videan. not. pag. 176. lat. 2. lin 15.

SANCTAE *EXIMIAEQVE DEI GRATIAE ECCLESIAE ALEXANDRINAE ET DILECTIS FRATRIBVS AEGYPTVM, LIBYAM & PENTAPOLIM INCOLENTIBVS, EPISCOPI NICAEAE COACTI, & AD AMPLVM SANCTVMQ; CONCILIVM CONVOCATI IN DOMINO SALVTEM.

Huc refer Nicephor. ca. 24. li. 8. Vide Theodoritũ lib. 1. ca. 7. 9. vitam Cõstant. lib. 3. ca. 24. 25. & deinceps.

QVoniam Deigratia, & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex varijs ciuitatibus & prouincijs in vnum congregauit, magnum & sanctum conciliũ Nicænum coactum est: † necessarium videtur, vt à toto sacro Concilio literæ ad vos mittantur, ex quibus possitis intelligere cùm ea, quæ in controuersiam adducta & exquisitè disceptata sunt, tum quæ decreta & constabilita. Primùm impia & peruersa dogmata Arij, eorumq; qui eius sectam sequuntur, coram sanctissimo imperatore Constantino perquisita sunt: vnde placuit Concilio, communibus suffragijs anathema denunciare eius nefariæ opinioni, & verbis sententijsq; execrabilibus, quibus vsus est ad filium Dei blasphemijs afficiendum: nimirum, eum ex nihilo ortum esse, nec fuisse antequam natus esset: fuisse tempus aliquando, cum non esset: filium Dei libera voluntate & arbitrio, vitij & virtutis capacem esse: creaturã esse: factum esse. Quibus omnibus sanctum Concilium indicit anathema: imò verò ne pati quidem potest, vt vel impia eius opinio, vel insolens amentia, vel verba plena blasphemiæ, ad aures ipsius perueniãt. Quinetiam ea, quæ ad istum pertinent, quem exitum sint consecuta, omninò vos vel audiistis, vel saltem à nobis audietis: ne nos hominem, qui debitam mercedem suæ culpæ acceperit, temerè & sine causa insectari videamur. Eo vsque certè eius prorupit impietas, vt Theonam Marmaricæ episcopum, & Secundum Ptolemaidis, ad exitium secum perduceret. nam eadem cum illo pœnas ipsi luebant. Verùm cum Aegyptus, non modò Billa opinionis peruersitate, nequitia & blasphemia, sed etiam certis hominibus, qui in populo, vitam ante illud tempus pacatè & tranquillè degente, seditionem & discordiã concitare non veriti essent, Dei gratia penitùs liberata esset, tamen adhuc pertinax insci tia tum Melitij, tum eorum quibus honores ecclesiasticos detulerat, restabat. de qua re quid Concilium decreuerit, Fratres charissimi, sic habetote. Concilium clementius aliquanto in Melitium animatum (nam si accuratè in eum inquisitum fuisset, nihil certè commeruisset veniæ) decernit, vt in propria ac sua ciuitate remaneat, nullamq; habeat potestatem vel cuiquam manus imponendi, vel quenquam ad aliquod munus Ecclesiasticum deligendi, vel in aliena regione ciuitatéue eius rei gratia commorandi, sed vt solùm dignitatis & officij nomen retineat: illi autem, qui ab eo presbyteri designati sunt, simulatq; sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Ecclesiæ communionem admittantur, nimirum vt Ecclesiasticæ dignitatis & ministerij gradũ habeant illi quidem: sed tamen omnibus presbyteris in singulis prouincijs & Ecclesijs versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro & collega nostro Alexandro ordinati, sint omninò inferiores. Quinetiam vt nulla illis potestas sit eos ministros Ecclesiæ designãdi, qui ipsorum probentur arbitrio: neq; nominationem penes se habeant eorum, qui ad Ecclesiæ munera obeunda deligendi, neque quicquam absque consensu episcoporum Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ, qui sub ipso Alexandro sunt, omninò transigant. Hi autem, qui Dei gratia, & vestris precibus adiuti, ad nullũ schisma deflexisse cõperti sint, sed se intra Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ fines ab erroris labe vacuos continuerint, authoritatem habeant tum ministros ordinandi, tum eos, qui clero digni fuerint nominandi, tum denique omnia ex lege & instituto Ecclesiastico liberè exequendi. Quòd si quispiam forte eorum, qui ecclesiæ funguntur muneribus, diem suum obierit, tum vnus ex illis, qui nuper in ecclesiam asciti sunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, episcopusque Alexandriæ ei suffragetur, atque adeò populi electionem confirmet, in locum succedat demortui. Atque sit illud alijs quidem omnibus concessum. De Melitio autem nominatim aliter decisum est, vt videlicet cùm propter insolentem audaciam, qua anteà ecclesiæ statum perturbauerit: tum propter temeritatem, & mentis insciriam, quam palam ostenderit, nulla potestas, authoritásue ei tribuatur: quippe cum homo is sit, qui eandem perturbationem in Ecclesiam denuò possit inducere. Atque ista decreta ad Aegyptum, & sanctissimam Ecclesiam Alexandri-

Arij dogmata.

Arij anathematis.

Arij sectatores cum eodẽ damnati.

Theonas.

Secundus.

Melitius.

Concilij decretum in Arij sectatores.

Canon pro sufficiendis in locum demortuorum pijs & idoneis episcopis.

De Melitio quatenus sit decisum.

Universidad de Deusto Biblioteca

nam propriè & seperatim referuntur. Quod si aliud prætereà quippiam, dum honora- A
tissimus dominus & collega & frater noster Alexander vnà adest, sancitum & statutum "
fuerit, ipse (vtpotè, qui rebus decisis cùm prefuerit, tum communicarit) vobis coràm ac- "
De Paschate. curatius renunciabit. Quod autem ad omnium cõsensum de sacratissimo festo Pascha- "
tis celebrando attinet, scitote, quòd vestris precibus controuersia de re susceptа, prudẽ- "
ter & commodè sedata est, ita vt omnes fratres, qui Orientem incolunt, quiq; Iudæorũ "
consuetudinem antè in eo festo seruando imitari solẽt, iam Romanos, nos & omnes "
vos, qui eundem morem quem nos in illo recolendo à primis temporibus tenuistis, "
sunt consentientibus animis in eodem celebrando deinceps sedulò secuturi. Quocirca "
vos cum ex his rebus tam prosperè gestis, tum ex pace & concordia communiter inter "
omnes constituta, tum denique, quòd omnes hæreses quasi fibræ penitùs excisæ sunt, le- "
titiam capientes, maiore honore & amore ardentiore Alexandrum collegam nostrum "
& vestrum episcopum complectimini: qui dum aderat, nobis permagnę voluptati fuit, "
permultumque laboris vt in ea ætate susceperit, quo Ecclesiæ vestræ statum ad tranquil- "
litatem traduceret. Pro nobis omnibus etiam preces ad Deum fundite, vt quæ ritè con- "
stituta & decreta sint, ea rata stabiliaque permaneant, Dei patris omnipotentis & Domi "
ni nostri IESV CHRISTI auxilio, vnà cum Spiritus sancti gratia: cui gloria in secula se- "
culorum, Amen. "

Ex hac Concilij epistola planum fit, eos non solum Ario, & eius sectæ fautoribus, ve-
rumetiam verbis ipsius peruersæ opinionis anathema denunciauisse: quinetiam de Pa-
schate inter ipsos cõsensisse: Melitium hæresis cuiusdam principem recepisse quidem,
cique dignitatis episcopalis retinendæ copiam dedisse: potestatem tamen illius mune-
Melitiani cur ab ecclesia separati. ris exequendi, (vt episcopus solet) prorsus ademisse. Qua de causa arbitror, Melitianos
in Aegypto ad hoc vsque tempus ab Ecclesia propterea separatos fuisse, quòd Concilij
omnem Melitio authoritatem abstulit. Intelligendum est prætereà, Arium, librum de
Thalia Arij liber. sua ipsius opinione confecisse, quem Thaliam inscripsit. Est autem libri stylus & forma
dicendi lasciuior paulo, & dissolutior, Sotadeis cantilenis seu carminibus persimilis.
quem librum id temporis Concilium etiam condemnauit. Neq; Concilium solùm de
pace facta, ista scribenda curauit: verumetiam Imperator ipse per literas suas eadem ec- B
clesiæ Alexandrinæ significauit.

Imperatoris Epistola.

CONSTANTINVS AVGVSTVS CATHOLICAE
Alexandrinorum Ecclesiæ.

Huc refer. Nicephor. lib. 8. ca. 55. vide Theodorit. lib. 1. cap. 10.

Saluete plurimum fratres charissimi. Permagnum certè & singulare beneficium à
Constantini epistola. diuina prouidentia in nos collatum est, quòd omni errore liberati, vnam eandemq; fi-
Exordiur à gratulatione qua exultat cum ecclesia, quod veritas obtinuisset. dem agnoscamus. Non est profectò diaboli insidijs cõtra nos intentatis de cetero quic-
quam loci relictum. nam quicquid est per fraudem in nos molitus, illud funditùs subla-
tum est. Dissensiones autem animorum, schismata, tumultus illos, & lethalia discor- "
diarum (vt ita dicam) venena, veritatis splẽdor (iuxta Christi monitum) penitùs obruit, "
deleuitque. Vnum igitur Deum omnes, & nomine veneramur, & esse credimus. Vt au- "
tem istud Dei admonitione ad exitum perduceretur, magnam episcoporum turbam "
ad vrbem Nicæam accersiui: quibus cum ego (qui vnus ex vestrum numero sum, quiq; "
eidem obsequio vnà vobiscum lubentissimè meipsum totum addico) operam dedi, vt "
veritas diligenter inuestigaretur. Proinde omnia, quæ aut controuersiæ aut dissensio- "
Patrum consensus contra Arij hæresin nis materiam præbere videbantur, accuratè excussa & exagitata sunt. Quanta & quàm "
execrabilia probra (ô bone Deus, sis nobis clemens & misericors) nonnulli in veneran- "
dum nostrum Seruatorem, in spem & vitam nostram sceleratè nefarieque iecerunt, & "
Scripturis diuinitùs inspiratis fideiq; sacrosanctæ contraria non modò impudenter ef- "
futiuerunt, sed se ita credere palàm confessi sunt? Nam cum amplius trecenti episcopi "
viri propter animi modestiam & solertiam admirabiles, vnam eãdemq; fidem (quæ &
veritate & exquisitis legis diuinæ testimonijs vera fides esse confirmatur) constabiliuis- "
Arij à fide defectio. sent, solus Arius inuentus est, qui vi ac fraude diabolica victus, ab ea penitùs descuerit: "
quiq; impia animi impulsione incitatus, hanc erroris labem primùm apud vos, deinde "
apud alios sparserit. Quocirca eam quam Omnipotens pater nobis tradidit doctrinam, "
amplexemur: ad fratres nostros charissimos, à quibus nequam & impudens diaboli mi- "
nister nos segregauit, redeamus: ad commune corpus ecclesiæ, & ingenua nostra mem- "
bra toto pectore (vt dicitur) reuertamur. Istud enim vestræ prudentiæ, fidei & sanctitati "
in primis consentaneum est, vt errore illius, qui se hostem veritatis constituerit, peni- "
tùs depulso, ad Dei gratiam & voluntatem vos denuò recipiatis. Nam quod trecentis "
episcopis

A episcopis visum est, non est aliud putandum quàm Dei sententia: præsertim cùm in ta- "
lium, & tam præclarorum virorum mentibus sacer insideret Spiritus, qui illis diuinam "
voluntatem aperuerit. Quapropter nemo vestrũm hæsitet, nemo moram interponat: "
sed omnes lubentibus animis ad viam veritatis redite, vt simulatque ipse ad vos aduen "
tauero, debitas gratias Deo, qui omnia lustrat, vnà vobiscum agam: quòd non modò "
fidem sinceram nobis patefecerit, verumetiam charitatem, quæ omnibus optanda e- "
rat, benignè largitus sit. Deus vos fratres charissimi, diu seruet incolumes.

Defendit acta Concilij Nicæni aduersus Sabinum.

Ista Imperator ad populum Alexandrinum perscripsit, planeque significauit, illam de fide decisionem non temerè & fortuitò factam esse: sed permagna diligentia in veri- tate indaganda expendendaq; adhibita, Concilium eam edidisse: neq; quædam oratio- ne explicata esse, alia silentio prætermissa: sed quæcunq; ad doctrinam fidei confirmandã dictu videbantur necessaria, omnia fuisse in medium adducta: neque inconsultò esse antè definita, quàm accurata inquisitione excussa fuissent: vsque adeò, vti omnia quæ vel controuersiæ, vel discordiæ materiam suppeditare putabantur, prorsus è medio tol lerentur. Verùm vt summatim dicam, omnium qui ibi conuenerant voluntatem, Dei voluntatem appellat: nec dubitat, quin tanta episcoporum multitudo, diuino Spiritus sancti afflatu, in eadem mente & sententia consenserit. At Sabinus, qui hæresis Mace- donianæ princeps est, dedita opera his refragatur: imò verò eos qui Nicææ coacti erãt, imperitos & insçios vocat: neque veretur ipsi Eusebio Cæsariensi ignorationis vitium falsò obijcere, neque illud secum cogitat, eos qui aderant in Concilio, licet fuissent im- periti (vt ipse prædicat) animis tamen à Deo illustratos, & Spiritus sancti gratia imbu- tos, nullo modo à veritate aberrare potuisse. Verùm audiamus, quid Imperator per al- teras literas contra Arij dogmata, & eos qui opinione cum eo conspirabant, statuerit, atque ad Episcopos populumque cuiusque loci miserit.

Sabinus Macedonianæ hæresis princeps.

Alia epistola Constantini.

VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVGVST.
episcopis, & populo, S.

B

Porphyrius capitalis pietatis hostis.

Cùm Arius sceleſtorum & impiorum hominum consuetudinem imitetur, eandem "
cum illis ignominiæ & turpitudinis notam meritò subire debet. Quemadmodum Por- "
phyrius capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros contra religionem Christianam nu- "
per edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & eiusmodi quidem, vt apud poste- "
riora secula non ipse solum maximis probris vexatus fuerit, & turpissima infamiæ labe "
aspersus, verumetiam impia eius scripta deleta penitùs & extincta: sic iam visum est, "
Arium & eius sectatores, Porphyrianos nuncupare, vt quorum secuti sint mores, eorũ "
etiam nomen habeant. quinetiam si quod opus ab Ario conscriptum reperiatur, illud "
cremandum esse, vti non modò execrabilis eius doctrina funditùs tollatur, sed etiam "
nullum monimentum eiusdem omnino relinquatur ad posteritatem. Illud etiam "
mandamus, vt si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum "
non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctetur. nam mox vt "
comprehensus fuerit, plectatur capite. Deus vos seruet incolumes.

Porphyriani.

Arij scripta cremanda.

CONSTANTINVS, AVGVST. ECCLESIIS S.

Vide supra de vita Constantini lib. 3. ca. 16. Theodorit. lib. 1. ca. 10.

Cùm ex florenti & prospero Reipub. statu, quanta sit diuinę virtutis erga nos benigni- "
tas, compertum haberem: istud omnium maximè mihi propositum putaui, vt in san- "
ctissima catholicæ Ecclesiæ multitudine vna fides, sincera charitas, & consentiens erga "
Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur. Verùm quoniam istud non pote- "
rit aliter in loco tuto firmoque collocari, nisi vel omnes episcopi, vel maxima eorum "
pars in vnum conuenisset, singulique suum iudicium de rebus ad sacratissimam reli- "
gionem pertinentibus interposuissent: eam ob causam cùm cœtus (quantum fieri po- "
terat) maximus coactus esset, ipse tanquã vnus è vestrũ numero, vnà adfui. Neq; enim "
recusabã (ex qua re iam maximam capio lætitiam) me vobiscum in eo ministerio con- "
iungere. Atq; eò vsque de omnibus rebus accurate quæsitum est, quoad sententia Deo "
omnium contemplatori grata acceptaq;, propter concordiã & animorum consensum "
palàm pronunciata esset: sic vt nihil quod vel ad discordiam, vel fidei controuersiam "
spectaret, omnino in posterum reliquum fieret. Ibi cùm de sanctissimo festo die Pascha "
tis disceptaretur, cõmuni omnium sententia rectũ esse videbatur, vt omnes vbiq; vno "
eodemque die illud celebrarent. Quid enim præstabilius, quidue augustius esse pote- "
rat, quàm vt hoc festum, per quod spem immortalitatis nobis ostentatam habemus,

Epistola Constantini ad ecclesias de Nicæno concilio.

Modestia Constantini.

Paschatis celebrandi ratio certa ac rata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vno modo & ratione apud omnes continenter obseruaretur? Ac primùm omnium in- A
dignum planè videbatur, vt sacratissimum illud festum, Iudæorum ritum & consuetu-
dinem imitantes ageremus: qui quidem, quoniam suas ipsorum manus detestabili sce-
lere polluerunt, meritò, vt scelestos decet, cæco animorum errore irretiti tenentur. In
nostra enim situm est potestate, vt illorum more reiecto, veriore & magis sincero insti-
tuto (quod quidem vsque à prima passionis die hactenus recoluimus) huius festi cele-
brationē ad posterorum seculorum memoriā propagemus. Nihil igitur sit nobis com-
mune cum Iudæorum turba, omnium odiosa maximè. aliā enim viam, quā insistamus,
à Seruatore didicimus. Proponitur namq; sanctissimæ nostræ religioni cursus quidam
& legitimus, & decorus. Hunc igitur consentientib. animis mordicus tenentes, fratres
honoratissimi, ab illa nefaria Iudæorum opinione nos ipsos remoueamus. Est enim re-
uera absurdissimum, vt illi insolenter se iactent, nos absq; ipsorū disciplinæ subsidio
istas res nullo modo posse obseruare. Quid tandem est, de quo illi rectè sentire queant,
qui post necem Domino illatā, post parricidium illud nefandū, ex mentis statu detur-
bati, non ratione vlla, sed intolerabili animorū impetu, quocunq; insita ipsis & inna-
ta insania rapiat, feruntur? Hinc etiā existit, quòd ne in hac quidē parte veritatē perspi-
ciant: quippe præ errore, extra exquisitā temporis in hoc festo celebrando obseruationē
longissimè euagati, eodē anno alterum Pascha celebrant. Proinde quid est cur istos imi-
temur, quos graui erroris morbo laborare constat? Eodem namq; anno idem festum de-
nuò recolendo renouari non permittemus, Verùm, quamuis ista nō à me fuissent pro-
posita, tamen vestræ solertiæ esset, cū diligentiam adhibere, tum precibus semper opta-
re, vt nulla de causa vestrorum animorum integritatem nequam hominum moribus
admiscere cogamini. Porrò illud etiam facilè potest intelligi, maximum nefas esse, vti
in tanto & tā solenni religionis nostræ festo regnet dissensio. Vnū enim libertatis no-
strę diē festū, hoc est sanctissimæ passionis, Seruator noster nobis tradidit, vnamq; eccle
siam catholicā esse voluit. cuius quidē membra, tametsi in multa & varia loca dispersa
sint: tamen vno spiritu, hoc est, diuina voluntate & nutu coalescunt. Vestræ igitur san-
ctitatis prudentia accuratè secum cōsideret, quā graue, imò verò quàm indecorum sit,
vt ijsdem dieb. alij ieiunijs vacent, alij agitent conuiuia: ac post dies Paschatis, alijn fe-
stis & animorū remissione versentur, alij præscriptis ieiunijs se dedāt. Quapropter istud B
rectius instituendum est, & ad vnam formā ac modum redigendū. hoc enim (sicut om-
nes vos satis animaduertere existimo) diuina prouidentia vult. Et quoniā istud ita via
& ratione gerendum erat, vt nihil nobis cum consuetudine parricidarū, & eorum qui
necis Domini authores extiterunt, esset commune: & modus ille eximius decorusque
esset seruandus, quem oēs ecclesiæ, totius orbis partes, vel ad Occidentem, vel ad Meri-
diem, vel ad Septentriones incolentes seruant, ac nonnullæ quoq; quæ in locis ad O-
rientē spectantib. habitant: idcirco oēs in præsentia hoc rectè se habere arbitrati sunt. I-
pseq; etiā in me recepi, vestrā sapientiam facilè assensurā, vt quod in vrbe Roma, Italia,
in Africa, in tota Aegypto, Hispania, Gallia, & Britannia, in Libya & vniuersa Græcia,
in diœcesi Asiatica & Pontica, in Cilicia deniq;, vna & cōsentiēte sententia cōseruatur,
hoc etiam à vobis quoq; lubentib. animis approbaretur: illud sedulò reputantibus, non
solum in locis quæ modò citaui, maiorem ecclesiarum numerum existere, sed etiam
sanctissimum institutum esse, vt omnes cōmuni consilio id ratum cupiant, quod accu-
rata & recta ratio postulare videtur, quodq; nihil cum Iudæorum periurio habet com-
mercij. Verùm vt summam rei breuiter complectar, visum est communi omnium iu-
dicio, sacratissimum Paschatis festum vno eodemq; die celebrandum esse. Neque enim
in re tam sancta & solenni vlla dissensio debet existere: imò hanc sequi sententiam, cui
nullus à fide alienus error, nollúmue vitium omnino admistū sit, multò maximam ha-
bet commendationem. Quæ cùm ita se habeant, lubentes hoc decretum, tanquam do-
num Dei, & mandatum reuera cælitus demissum amplexamini. Nam quicquid in san-
ctis episcoporum Concilijs decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui.
Quāobrem vos, vbi omnib. dilectis nostris fratribus, res in hoc concilio gestas, senten-
tiam iā decretam, & sanctissimi festi obseruandi modum denunciaueritis, eadem ipsi
approbare, riteq; disponere debetis, vt simulatq; vestrā rectam omnium rerum dispen-
sationem, iampridem à me desideratam, me planè perspicere contigerit, vno eodem-
que die vobiscum vnà sacrosanctum festum recolere possim, & simul omnium causa
permagnam animo capiam voluptatem: quod quidem fiet, cùm intellexero, non solū
diabolicam crudelitatem per vestra rectè facta, diuina virtute opem ferente, penitùs
profligatam esse: verùm etiam fidem nostram, pace & concordia cōciliata, vbique egre
giè florere. Deus vos, fratres charissimi, seruet incolumes.

Cum Iudeis nihil communicandum.

Iudæorum error in Pascha celebrando

Cur vno die festū Paschasis in omnibus ecclesijs celebrandum sit.

Ieiunia ante festū Paschasis celebrāda.

Conciliorum authoritas.

Alia

Alia epistola ad Eusebium.

VICTOR CONSTANTINVS, MAXIMVS, AVGVSTVS, EVSEBIO S.

Ad hanc & seq. epistolā refert Nicephor. lib. 8. ca. 27. vide etiam supra de vita Constant. li. 2. cap. 45. vide Theodoret. li. 1. cap. 16.

Quemadmodum ad hoc vsque tempus, ob impiæ voluntatis institutum, & grauem tyrannidem seruos Dei ac seruatoris persequentem, pro certo cognoui, & mihipsi satis persuasum habeo, omnium ecclesiarum ædificia vel negligentia corruisse, vel impendentis periculi metu multo minus quàm debuerāt refecta fuisse, frater charissime: sic nunc, cū libertas omnibus restituta sit, & draco ille, Dei Opt. Max. prouidentia, nostroque ministerio de communi Reip. administratione depulsus, virtutē ac potentiā diuinam omnibus satis constare arbitror: & eos qui vel timore, vel infidelitate, vel alijs quibusdam peccatis lapsi sunt, cū illum, qui reuera Deus est, iam agnoscant, in veram & rectam viuendi viam redituros. Quibuscunque igitur ecclesijs vel ipse præsis, vel alijs in locis alij episcopi, presbyteri & diaconi, quos nosti, præficiantur, omnib. per te admo-
» neantur, vt earum ædificia sedulò accurentur: quo vel ea quæ remanent reficiantur,
» laxioraque fiant: vel vbi necessitas postulauerit, noua de integro extruantur. Quæ verò
» res ad ædificationem necessariò requiruntur, eas quidem cùm ipse, tum alij tuo nomi-
» ne, à præfectis & rectoribus prouinciarum petent. His enim per literas à me significatū
» est, vt omni studio & propensione animi, ea quæ fuerint à sanctitate tua præscripta, sub
» ministrent. Deus te, frater charissime, diu florentem seruet. Ista de ecclesijs ædificandis,
» ad episcopos cuiusque prouinciæ perscripsit Imperator: quæ autem de libris Sacris pa-
» randis seorsim ad Eusebium Palestinæ Cæsareæ episcopum scripserit, ex his literis
» quæ sequuntur, facilè potest intelligi.

Ecclesiarum ædificia extrāda.

VICTOR CONSTANTINVS, MAX. AVGVST. EVSEBIO *Cæsareæ Episcopo, S.*

Vide supra de vita Constantini li. 4. ca. 36. vide Theodori. lib. 1. ca. 16.

Cùm in vrbe quæ nomen suum ex nostro nomine traxit, Dei patris ac seruatoris nostri prouidentia iuuante, maxima sit hominum multitudo, quæ se sanctissimæ Ecclesiæ adiunxerit, quo omnia quæ ad religionem pertinēt, indies in eo loco magis magisque crescant: videtur admodum operæprecium, vt plures ecclesiæ ibi extruantur. Proinde B tu, quod nostræ voluntati visum est, alacri animo capesse. Tuæ enim prudentiæ significare consentaneum duximus, vt quinquaginta volumina in membranis parares, quæ
» sint tum ad legendum facilia, tum idonea ad vtendum, tum denique ad portandum
» accommodata: eaque à librarijs, qui & scitè norint scribere, & eam artem accuratè te-
» neant, describi præcipias. Atque eos libros sacræ scripturæ complectantur, quorum
» præparationem ad vsum ad Ecclesiam erudiendam maximè necessarium esse scis. Li-
» teræ verò à nostra Clementia ad generalem quæstorem datæ sunt, vt omnia quæ ad
» istos libros parādos requiruntur, suppeditanda curet. Vt autem quamprimùm hæc de-
» scripta volumina comparentur, tuarum partium erit sedulò prouidere. Etenim duos
» publicos currus accipiendi, quibus cò conuehantur, ex istarum nostrarum literarum
» authoritate, tibi (vt par erat) potestatem fecimus. Nam ita illa quæ concinnè descripta
» sunt maximè, ad nos facillimè comportabuntur: & eo certè facilius commodiusque, si
» vnus ex ecclesiæ tuæ diaconis istud munus exequatur. Qui vbi ad nos accesserit, nostrā
» benignitatem probè experietur. Deus te, frater charissime, seruet incolumem.

Libri scripturandi.

Alia epistola ad Macarium.

VICTOR CONSTANTINVS, MAXIMVS, AVGVST. *Macario Hierosolymorum episcopo, S.*

Huc refer Nicephor. ca. 28. li. 8. Vide etiā supra de vita Constant. lib. 3. cap. 29. vide Theodorit. lib. 1. cap. 17.

Tanta Seruatoris nostri erga nos benignitas declarata est, vt nulla tam accurata dicendi ratio & vis sit, quæ præsens miraculum pro dignitate explicare posse videatur. Nam vt insigne illud, sanctissimæ illius passionis monimentum, quod terræ visceribus iam pridem abditum, tot tamque multis annorum conuersionibus delituisset, tum illuceſceret seruis Dei, cùm illi, communi omnium hoste deuicto, in libertatem essent vindicati, omnem profectò hominum admirationem longè superat. Etenim si omnes qui in vniuersi orbis terrarum ambitu sapientes videantur, in vnum locum cōgregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggrederentur, ne minimæ eius parti oratione
» ex æquo satisfacere possent. Miraculi namq; fides tanto plus vniuersum humanæ ra-
» tionis & naturę captū vincit, quāto res cæleſtes & diuinę humanis sunt valētiores. Qua-
» propter hoc vnum mihi semper in primis propositum sit ad dicendū, quòd sicut vera
fides

Hortatur Macarium Imp. vt templum extruat ad sepulchrum Domini.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fides seipsa quotidie nouis miraculis patefacit: sic nostri omnium animi, omni mode. A
stia & concordi alacritate,ad sanctas Euangelij leges colendas attentiores fieri debent. "
Præterea illud(quod cuique perspicuum esse arbitror)pro certo tibi cum optimis per- "
suasum velimus, hoc nobis præ cæteris rebus omnibus maximè curæ esse, vt locus ille "
sacer,quem Dei iussu turpissima simulachrorum mole, tanquam graui quodam one- "
re impositio,purgauimus: quemq; & primis mundi temporibus ipsius Dei iudicio san- "
ctum habitum esse, & postea etiam,quia fidem passionis Seruatoris tanquam è tenebris "
in lucem euocarit,multo clariorem suæ sanctitatis significationem dedisse cognoui- "
mus,magnifica ædificiorum structura exornetur. Par est igitur, vt tua prudentia ita o- "
pus disponat,& res quasque necessarias prouidè accuret, quo non modò sanctuarium "
templi reliquis omnibus quæ vbique sunt, pulchritudine antecellat: sed etiam cæteræ "
eius partes tales sint, vt omnia templa quæ in singulis ciuitatibus primas tenent,huius "
ædificij dignitate longè superentur. Ac de erigendis parietibus, exquisitoque artificio "
perpoliendis,tum Draciliano amico nostro,qui nonnullas aliarum prouinciarum par- "
tes administrat,tum vestræ etiam prouinciæ præfecto, scito curam à nobis esse impos- "
tam. A nostra enim benignitate illis imperatum est, vt qui artifices, qui operarij, quæ- "
ue res aliæ fuerint ad illud ædificium necessariæ,à tua prudentia discant, ac statim eorũ "
prouisione eò mittantur. Quod autem attinet ad columnas cæterasue partes ex mar- "
more conficiendas,quas ipse existimaueris vel ad decus illustriores, vel accommoda- "
tiores ad diuturnitatem fore: cùm eas summatim tecum consideraueris, fac ad nos di- "
ligenter perscribas: vt cùm ex literis tuis,quibus rebus opus fuerit intellexerimus, vndi- "
que eædem illòc omportari possint. Nam locus ille qui totius orbis terrarum facilè pri- "
mas tenet,omnibus ornamentis meritò illustrandus est. Testudinem verò sanctuarij "
laqueatamne facere, an alio quodam fabricæ genere extruere placeat,abs te certior fie- "
ri velim. Quod si laqueata fiat, scitè quoque inaurari poterit. Restat igitur,vt tua san- "
ctitas illis,quorum iudicio,vt supra dictum est,rem permisimus,quib. operarijs, quibus "
artificibus,quibus denique sumptibus opus fuerit,quàm celerrimè significet: quinetiã "
nos non solum de columnis,alijsque partibus ex marmore conficiendis, verumetiam "
de testudinis laquearibus(si modò illud fabricæ genus pulchrius esse censeas)quampri- "
mùm certiores facias. Deus te,frater charissime,diu seruet incolumem. B

Sanctuarij pulchritudo in primis curanda.

Alias quoque epistolas Imperator contra Arium, & eius opinionis fautores, magis "
populati ac fusa scribendi ratione composuit: quas quidem,quò eius amentiam salsius "
morderet,& lepida dissimulationis specie acrius pungeret, in singulis ciuitatibus pas- "
sim diuulgandas curauit. Literas præterea scripsit ad Nicomedenses, quibus in Eusebiũ "
& Theognidem grauiter inuectus est. Eusebium autem propter versutiam & improbi- "
tatem vehementer reprehendit,nimirum quòd non solum Arianismi sordibus se in- "
fecisset: verùm etiam, tum partibus Licinij tyranni antea fauisset, tum suis conatibus "
per insidias restitisset. Eos igitur hortabatur, vt alium episcopum pro eo deligerent. "
Verùm epistolas eius de hisce perscriptas,quoniam prolixiores sunt, hoc loco ponere "
superuacaneum esse iudicaui: præsertim cùm illis qui earũ desiderio teneantur,pro ar- "
bitratu eas tum conquirendi,tum perlegendi copia sit. Atq; hęc quidem hactenus.

Eusebius et iam à Constãtino reprehensus.

Quòd Acesium Nouatianorum episcopum Imperator ad concilium vocauerat.

CAPVT VII.

Acesius ad cõciliũ vocatus.

IMperatoris verò studium,quo ad pacem tuendã tantopere incũbebat, me
mouet, vt reialterius, eius consilio gestæ, mentionem faciã. Quoniam con
cordiæ ecclesiæ permagnã curam habebat, Acesium sectæ Nouatianorum
episcopum,ad Concilium accersiuit. Ac postquã decisio de fide à Cõcilio,
cùm in cõmentarios relata,tum subscriptionib. cõfirmata erat: Imperator
scisciatur ab Acesio,vtrũ ipse & eidẽ fidei,& decreto quoq; de festi Paschatis obserua-
tione cõstituto assentiretur. Tũ ille: Nihil noui,inquit,ô Imperator,Conciliũ decreuit,
statuitq;. Nã antiquitùs à primis ecclesiæ iactis fundamẽtis, & ab Apostolorũ tempori-
bus,eandẽ fidei decisionem deriuatã fuisse,& idẽ tempus festi Paschatis celebrandi ob-
seruatum,accepi. Rursus cũ Imperator quæreret ,quid causæ esset, cur se à communio-
ne segregasset: Ille,res regnante Decio gestas,& quæ persecutione ingruente acciderant,
pro se citauit,exquisitamque seueri cuiusdam Canonis obseruationem in medium ad-
duxit: nimirum,Eos qui post baptismum in illud peccati genus, quod sacrosanctæ Scri-
pturæ peccatum ad mortem appellant,delapsi fuissent,non debere diuinorũ mysterio-
rum fieri participes: sed ad pœnitentiã cohortandos,& remissionis spem non à sacerdo
tibus,sed à Deo,qui & potest, & authoritatẽ habet peccata remittendi, expectandam.

Canon de re lapsis in peccatũ ad mortẽ.

Huc refer Nicephor. lib. 10. ca. 30. & item eius dem lib. cap. 42. vide Sozom. lib. 1 ca. 22. Theodori. lib. 1. ca. 7.

Quæ

A Quæ cùm dixisset Acesius, Imperator sic illum denuò affatus est: Erigito tibi scalam A-
cesi,& ad cælum solus ascendito. Istud factum neque Eusebius cognomento Pamphi-
lus,neque quisquam alius scriptor aliquando literis prodidit: sed ipse à viro minimè
vano,qui ætate admodum prouecta erat,eaque quæ in Concilio gesta ipse viderat,com
memorabat,equidem accepi. Vnde etiam cõiecturam facio, idem illis contigisse qui
hoc silentio prætermiserunt,quod alijs plerisque qui ad historiam scribendam omne
suum studium & operam conferunt. Nam isti non pauca missa faciunt, vel studio par-
tium quibus nimium fauent,adducti: vel, vt certis hominibus gratificentur. Sed de A-
cesio satis multa.

Dicterijs Constantini in Acesium Eusebij negligentia notata.

Historicorum quorundam vitium.

Socrates infra huius libri cap. 9. hunc virum Auxanonẽ nominat & Nouatianum fuisse ait.

De Paphnutio episcopo, & Spyridione Cypriorum episcopo. CAP. VIII.

Huc refer Nicephor. cap. 19. lib. item eius dem lib. cap. 42. vi. de Sozom. lib. 1 ca. 22. Theodori. lib. 1. ca. 7.

QVoniam antea sum pollicitus,me Paphnutij & Spyridionis mentionem
facturum: hoc loco tempus oportunum se offert de illis pauca dicendi.
Paphnutius,ciuitatis cuiusdam in superiore Thebaide sitæ episcopus fuit:
vir sanè adeò sanctus ac pius,vt eximia cũ primis miracula ab eo ederen-
tur. Huic quidem,persecutionis tempore,oculus effossus est. Imperator i-
gitur hominem in magno honore habuit: sæpissimè illum ad regiam suam accersiuit:
oculum erutum exosculatus est. tanta enim pietas & reuerentia aduersus sanctos viros
in animo Imperatoris Cõstantini insidebat. Verũ de vna re à Paphnutio gesta hactenus.
Alteram etiam narrabo eius consilio cõfectam, quæ & Ecclesiæ vtilitati, & omnibus
qui sacris sunt initiati,ornamento esse possit. Visum erat episcopis legem nouam in
Ecclesiam introducere: vt qui essent sacris initiati(sicut episcopi,presbyteri & diaconi)
cum vxoribus,quas,cùm erant laici,in matrimonium duxissent, minimè dormirent.
Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire, in medio eorum consessu
surrexit Paphnutius: ac vehementer vociferatus est, non graue iugum cerui cibus illo-
rum imponendum esse,qui erant sacris initiati: honorabile esse coniugium inter om-
nes & thorum immaculatum: videndum,ne nimis exquisita præscriptione ecclesiam
graui incommodo afficerent. Omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam,
tamq; ab omni animi perturbatione vacuam: neque à singulorum vxoribus fortasse eã
B castimoniæ normam posse seruari. Viri autem cum vxore legitima concubitum,casti-
moniam appellauit: illud satis esse,vt qui in clerum antè ascripti erant, quàm duxissent
vxores,hi secundum veterem Ecclesiæ traditionem, deinceps à nuptijs se abstinerent:
nõ tamen quenquam ab illa quam iam pridem,cùm laicus erat,vxorem duxisset,seiun-
gi debere. Istam in episcoporum conuentu orationem habuit Paphnutius, cùm ipse nõ
modò nuptias non expertus esset,sed etiam(verè dixerim)mulierem non aliquando at
tigisset. Nam à puero,in monasterio seipsum seuero vitæ disciplinæque generi totum
dedideratqui quidem propter singularem castimoniam, præ cæteris planè in magna
famæ celebritate vixit. Itaque cũ totus episcoporum, presbyterorum & diaconorum cõ
uentus verbis Paphnutij assensisset,controuersia de hac re exorta, penitùs sedata est,po-
testasq; permissa cuiq; pro arbitratu ab vxorum consuetudine abstinendi. Sed abeamus
à Paphnutio,& ad Spyridionem veniamus: qui tam sanctus erat,& religiosus pastor,vt
dignus videretur,qui hominum pastor existeret. Hic ciuitatis cuiusdam in Cypro,no-
mine Trimithuntis, episcopus fuit: qui quidem cùm episcopatus munere fungeretur,
propter singularẽ animi modestiam oues etiam pauit. Et quanquã multa eius facta cõ-
memorata sunt, nos tamen vnum solum & alterum, ne ab eo quod propositum est,
longius aberret oratio,in medio ponemus. Fures quodam tempore, nocte concubia,
clàm in ouilia eius irruunt: ouesque inde surripere moliuntur. Sed Deus,qui pastorem
seruauerat,seruabat & oues. nam fures vi quadam,quæ oculis cerni non poterat,ad oui
lia tenebantur astricti. Cùm autẽ dies illuxisceret, Spyridion ad oues venit. Vbi manus
furum à tergo colligatas animaduertit,quod factum erat,cognouit: Deumq; precatus,
eorum manus soluit: ac magnopere hortatur,admonetq;, vt nõ ex iniquis,sed ex iustis
laboribus victum quærere contenderent. arietẽ illis dat: & cum hoc facetè dicto(Vobis
istum dono,ne frustra vigilasse videamini)liberos dimisit. Sed de vno Spyridionis mi-
raculo dictum sit. Alterum iam accipite. Filiam habuit virginẽ,paterna pietate & san-
ctimoaia præditam,cui nomen erat Irene: apud quam familiaris quidam & necessarius
ornamentum valde pretiosum deponit. Illa depositum quò magis in tuto collocaret,
in terram abdidit. paulò pòst excedit è vita. Postea autem venit qui illud depositum fuerat: &
cùm virginem mortuã offenderet,patrẽ illius cœpit eo implicare negocio: atque in-
terdum eum insimulat,nonnunquã precibus causam agit. Senex, quoniã damnũ illius
qui hoc depositum fuerat, suum ipsius damnum dicebat, ad filiæ sepulchrum se confert:

Paphnutius coniugij sacerdotum patronus.

Sacerdotes vxores ducere non debere.

Spyridiõ opilio & episcopus, eiusque sanctitas.

In fures clementia.

Irene Spyridionis filia ad preces patris è tumulo excitata.

Deum

Universidad de Deusto Biblioteca

Deum obtestatur, vt resurrectionem promissam iam ipsi ante tempus ostendat. Quæ A quidem spes illum neutiquam frustrata est. nam virgo reuiuiscit, inque patris conspectum venit: quæ simulac locum indicasset, vbi ornamentum illud erat occultatum, rursus è vita migrauit. Eius generis homines, temporibus Constantini Imperatoris, in varijs ecclesijs floruerunt. Ista cùm à multis Cyprijs ipse auribus accepi, tum in quodam libro Ruffini presbyteri Latino sermone conscripto legi: ex quo quidem hæc ipsa, aliaque nonnulla, quæ pòst à me commemorabuntur, deprompsi.

Socrates vsus est lucubrationibus Russini.

De Eutychiano monacho. CAPVT IX.

Eutychiani pietas.

EVtychianũ etiam, virum in primis pietatis studiosum, mihi narratũ est, ijsdem temporibus cum laude vixisse: qui tametsi de Nouatianorum ecclesia fuit, multas tamen res, his quas recensuimus persimiles, non sine omnium admiratione gessit. quisnam autem mihi eius facta memorarit, dicã accuratè: neque illud, quanquam in nonnullorum offensionem videbor incurrere, omnino occultabo. Auxanon quidam, ecclesiæ Nouatianæ presbyter, qui vitam longissimè propagauit, ad concilium Nicænum, cùm admodum adolescens esset, accessit vnà cum Acesio: eaq; quæ de Acesio suprà exposui, mihi narrauit. qui vitam ex illis temporibus ad imperium vsque Theodosij iunioris produxit: resque ab Eutychiano gestas mihi iam valde adolescenti percensuit. Et quamuis multa sanè de diuina gratia, quæ in illius mente penitùs insederat, percurreret: vnum tamen memorabile, quod Imperatore Constantino regnante accidisset, narrauit, quod ita se habet.

Huc refer Nicephor. lib.8.ca.41.

Auxanon presbyter de quo supra cap. 7.

Domestici Imperatoris.

Quidam è numero satellitum, quos Imperator domesticos vocat, simulac in suspicionem vocatus erat, scelera quædam tyrannica fuisse molitum, fugæ se mãdauit. Imperator ira in illum inflammatus, præcepit, vt vbicunque reperiretur terrarum, neci daretur. Qui circiter Bithynum Olympum inuentus, in partibus Olympi grauissimis acerbissimisque vinculis constrictus, carcere concluditur. In illis locis Eutychianus vitam exegit solitariam, multorumque corporibus animisque medicinam fecit. Versabatur cum eo iste Auxanon, adhuc admodum adolescens, qui vitam ad longissimum temporis spacium protraxit, monasticamque viuendi rationem sub illo didicit. Ad Eutychianum veniunt multi oratum, vt vinctum liberet, Imperatoremque (nam fama miraculorum ab Eutychiano editorum ad aures Imperatoris permanauerat) pro eo deprecetur. qui prompto & parato animo pollicitus est se ad Imperatorem profecturum. Verùm cũ captiuus ille intolerabiles cruciatus ex vinculis sibi impactis perpeteretur, eius deprecatores Eutychiano dixêre, mortem propter vinculorum acerbitatem imminentem, cùm supplicium ab Imperatore irrogandum, tum deprecationes pro illo faciendas præoccupaturam. Eutychianus igitur ad carceris custodes mittit: orat vthominẽ dimittant. Sed vbi responderant, captiui illius liberationem sibi vitæ periculum creaturam: Eutychianus simul cum Auxanonte ad carcerem rectà se confert. Et cũ custodes carcerem aperire nollent, gratia quæ in animum Eutychiani inclusa erat, multo clariora sui ipsius indicia ostendit. nam fores carceris sua sponte patuerunt: idque cũ claues apud custodes firmè tenerentur. Cùm autẽ Eutychianus vnà cum Auxanonte ingressus esset, & omnes qui tum aderant, incredibilis admiratio cepisset, vincula captiuo sua sponte ceciderunt. Post ista Eutychianus & Auxanon vnà ad vrbem quæ olim Byzantium, postea Constantinopolis appellata est, iter capiunt. Eutychianus in aulam Imperatoris recipitur: hominem morte liberat. nam Imperator, quoniam Eutychianum in magno honore habebat, eius postulatum alacri & prompto animo concessit. Istud paulò pòst factum est. Id temporis episcopi, qui in Concilio aderant, vt primùm cum alia nonnulla, tum ea quæ decreta siue Canones appellare solent, in commentarios retulerant, singuli ad suas ipsorum ciuitates reuerterunt. Verùm arbitror operæpretium, non solum nomina episcoporum Nicææ congregatorum, qui præter cæteros excellebant (ea dico, quæ inuestigando reperire poteramus) sed etiam cuius quisque prouincię & ciuitatis fuerit, tempus quoque in quo conuenerant, hoc loco commemorare. Aderat in hoc concilio Osius, episcopus Cordubæ: Vitus & Vincentius, presbyteri: Alexander, episcopus Aegypti: Eustathius, magnæ Antiochiæ: Ierosolymorũ, Macarius: Harpocration, Cynon, & alij: quorum nomina in libello Athanasij episcopi Alexandriæ, qui Synodicus inscribitur, singillatim & accuratè citantur. Quod autem ad tempus Cõcilij attinet, coactum quidem fuit, sicut ex Annalium commentarijs constat, Paulino & Iuliano Cos. vndecimo Calend. Iunij, anno sexcentesimo trigesimosexto post regnũ Alexandri regis Macedonum. Isto modo concilium ad exitum perductum accepimus: quo confecto, intelligendum est, Imperatorem ad partes versus Orientem perrexisse.

Eutychianus vbi moratus sit.

Byzantium quæ & Constantinopolis.

Nicæni concilij episcopi.

Nicænũ concilium quando coactum. Athanasij liber Synodicus

Quòd

A *Quòd Eusebius Nicomedienſis, & Theognis Nicæus, qui in exilium, propterea quòd in Arij ſententiam diſceſſerant, acti erant, cum tandem libello pœnitentiæ exhibito expoſitioni fidei aſſenſiſſent, ad priſtinas eorum ſedes reſtituti ſunt.*

CAP. X.

Huc refer Nicephor. ca.43.li.8. Vide Theodoritum lib.1.cap. 19.20.21. Sozomen. lib.2.ca.15.

Eusebij & Theognidis reuocatio propter cantatã palinodiam. Libellus pœnitentiæ.

EVsebius verò, & Theognis, libellum, quo se facti pœnituisse ostenderent, præcipuis episcopis miserunt: & propterea Imperatoris mandato nõ modò ab exilio reuocati sunt, sed etiam ad ecclesiarum suarum administrationem restituti: ijque qui in ipsorum loca suffecti erant, ab illo dignitatis gradu dimoti. Amphion scilicet ab Eusebio, & Chræstus à Theognide, cuius libelli exemplar hic subiunximus.

Tametsi, cum antea à vestra sanctitate essemus condemnati, nostrum fuisset, ea, quæ
» erant à vobis sanctè & religiosè iudicata, tacitè & cum silentio tulisse: tamen quoniam
» absurdum erat, vt nos silentio nostro contra nos opinionem alijs afferremus, nos planè
» calumniatores esse: idcirco vobis significauimus, nos fidei decisioni consensisse: atque
» vi & notione verbi Consubstantialis diligenter ponderata, paci nos totos addixisse,
» atque nullum errorem secutos esse: sed tum quò ecclesiarum securitati proinde consu-
» leretur, ea, quæ in nostram cogitationem venerant, vobis suggessisse: tum quò illos, qui
» nostro concilio & sententia acquiescere deberent, certa persuasione confirmaremus,
» fidei illi subscripsisse. Anathemati autem Ario à concilio denunciato, non ob eam cau
» sam non subscripsisse, quòd fidem illam incusaremus: sed quod minimè crederemus,
» eum, qui erat accusatus, hominem eius generis fuisse: præsertim cum ex illis, quæ priua-
» tim ad nos ab eo tum per epistolas relata erant, tum per eius sermonem coràm habitũ
» declarata, pro certo essemus persuasi, ipsum longè alium esse. Quod si sanctum vestrũ
» concilium nostris verbis voluerit fidem adhibere, illa, quæ vestro iudicio decreta sunt,
» non contradicendo impugnare, sed consentientibus animis confirmare decreuimus,
» & hoc libello consensum illum roboramus: non huc inducti, quòd exilium grauiter &
» iniquo animo ferimus: sed, quòd libenter cupimus hæresis vitare suspicionem. Nam si
» nos iam in vestrum conspectum venire permiseritis, comperietis nos vestris decretis o-
B mninò suffragaturos. Et quoniam vestræ reuerentiæ visum est, illum qui rerum istarũ
» reus agitur, humanitùs excipere, & ad vos accersere: est planè à ratione alienum, vt cum
» is, qui crimine tenetur implicatus, accersitus sit, illisque, quæ ipsi obijciuntur respondé-
» rit, nos reticendo nosmetipsos culpæ conuincere videamur. Ne grauemini igitur, sicut
» vestram benignam decet reuerentiam, sanctissimum nostrum Imperatorem de nobis
» in memoriam redigere, nostra postulata illi exponere, & maturè ea, quæ sunt prudẽtiæ
» vestræ consentanea, de nobis statuere. Iste libellus fuit palinodiæ siue retractationis Eusebij & Theognidis. Ex cuius libelli verbis coniecturam facio, tum istos, quanquam fidei in concilio decretæ subscribebant, abdicationi Arij suffragari noluisse: tum Arium, ante istos accersitum fuisse. Verùm licet hoc ita se habere videatur, tamen Ario interdictum esse, ne Alexandriam accederet. Quod planè constat ex illis rebus, quas posteà excogitauit: vt per falsam & commenticiam pœnitentiæ speciem (sicut loco à nobis dicetur idoneo) reditum sibi ad ecclesiam & vrbem Alexandriam patefaceret.

Quòd finita Synodo, cum Alexander mortuus esset, Athanasius delectus est episcopus. CAP. XI.

Vide Nicef. lib.8.cap. 44. Ruffinus. Vide Sozomen. lib.2. cap.16.

Athanasius Alexandri successor. Ludus sacer.

NOn multo pòst, Alexandro Alexandriæ episcopo mortuo, illi ecclesiæ præficitur Athanasius. Ruffinus quidem narrat, istum, cum adhuc puer esset, sacrum quendum ludum cum alijs æqualibus lusisse. Qui ciusmodi fuit. In ipso ludo pueri sacerdotij effigiem exprimere, & delectum eorum, quæ ad sacra obeunda assumuntur, adumbrare conantur: in quo quidem Athanasius, episcopatus gradum ac sedem sortitò capit: ex cæteris autem pueris singuli agunt vel presbyteri partes, vel diaconi. atque ad hunc modum à pueris lusum est, eo ipso die quo memoria Petri episcopi & martyris celebrari solet. Eodem tempore Alexander Alexandriæ episcopus fortè prætergrediens, vniuersum ludendi modum contemplatur. Pueros accersit ad se: rogat, quem quisque locum in eo ludo obtinuisset: ratus, ex eo, quod gestum erat, aliquid singulis præsignificatum esse. Quo facto, eos in ecclesia educari iubet, studijsq; doctrinæ erudiri: & maximè omnium Athanasium. Quem quidem, cum iam adoleuisset, diaconum ordinauit: secum duxit Nicæam, vt cum Concilium in vnum cogeretur, sibi esset in disputando subsidio. Ista Ruffinus de Athanasio

Præsagium futuræ vitæ conceptũ ex lusu puerorum. Athanasius ab Alexãdro diaconus ordinatur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in libris suis commemorat. Neq; certè incredibile est ita accidisse. Nam multa sæpenumero eius generis contigisse, liquidò constat. Sed de Athanasio obiter ista disseruimus. A

Quòd Constantinus Imperator ciuitatem, quæ antiquitùs Byzantium vocabatur, amplians, eam nomine suo insigniuit.

CAP. XII.

Constantinus ad ecclesias extruendas omne studium conuertit.

IMperator post confectum Concilium, in magna lætitia ætatem degit. Et simul vt festum solenne ad vigesimum annum imperij sui (vt assolet) celebrauerat, nulla interposita mora, ad ecclesias extruendas omne suum studium contulit: istud q̃; præstitit cùm in alijs vrbibus, tum ea, cui nomen suũ imposuerat, quam quidem superioribus temporibus Byzantium appellatam constat. Hanc vehementer auxit, amplis circundedit mœnibus, præclaris ædificijs exornauit: parem & æqualem Romæ ciuitati omnium facilè principi, effecit: Constantinopolin nuncupauit: lege denique sanciuit, vt secunda Roma vocaretur. quæ lex est in columna lapidea incisa, atq; adeò publicè apud prætorium propter ipsius Imperatoris statuam equestrem collocata. In ista vrbe binas ecclesias ędificauit: alteram Pacis, alteram Apostolorum nomine appellatam. Et non modò, vt antè dixi, religionem auxit Christianam, sed omnes gẽtilium ritus penitùs deleuit. nam idolorum statuas ex delubris abripuit, & vt vrbi Constantinopoli ornamento esse possent, sub dio in loco publico constituit: tripodas Delphicos in circo palàm locauit. Verùm ista fortasse videntur parum necessaria ad commemorandum, præsertim cum ante hoc tempus ab omnibus vel oculis visa, vel auribus percepta sint. Id temporis religio Christiana maximas sanè fecit progressiones. Etenim temporibus Constantini † Imperatoris, cum alijs rebus quã plurimis, tum fidei in primis amplificandæ, diuina prouidentia prospectum est. Et quãquam eadem de huius Imperatoris laudibus, amplo & graui dicendi genere, ab Eusebio cognomento Pamphilo pertractata sunt: non incommodum tamen est, mea quidem sententia, si nos etiam prò virili nostra parte de eisdẽ pauca dixerimus, ac primùm de eius matre.

Huc refer Nicephor. cap. 47. 48. 49. 50. li. 7. & ca. 4. li. 8. Vide Sozo. lib. 2. ca. 2.

Constantinopolis, noua Roma, Byzantium olim.

Duæ ecclesiæ Constantinopoli.

Tripodes Delphici.

Christianæ religionis progressus.

† Vide annot. pag. 182. lat. 1. lin. 27.

Quomodo mater Imperatoris Helena, Hierosolyma concedens, postquam perquisitam Christi crucem inuenerat, templum construxit. B

CAP. XIII.

Helena Constãtini mater. Helenopolis, Drepane. Psal. 78.

HElena Imperatoris mater (cuius nomine Drepane, Helenopolis vocatur, olim vicus, iam ciuitas ab Imperatore facta) in somnijs diuinitùs admonita, Hierosolymam iter capit. Et cum veterem illam Ierusalem desertam, tanquam pomorum custodiam (vt est apud prophetã) offenderet, Christi monumentum, in quo sepultus est, & ex quo resurrexit, diligẽter perueſtigat: ac tandem, licet valdè ægrè, Deo tamen illi opem ferente, reperit. Causam autem, quæ ei quærenti tantum attulerit difficultatis, breuiter exponam. Quemadmodum illi, qui Christi fidem amplexarentur, post tempus illius passionis illud monumentum in magno honore habuerunt: sic qui ab eius religione abhorrerẽt, loco illo aggere & ingenti terræ mole obruto, delubrũ Veneris in eo extruxerunt: & loci illius memoria suppressa, idoli simulachrum erexerunt. At istud quidem iam olim ad hunc modum processisse accepimus.

Huc refer Nicephor. cap. 49. lib. 8. Vide Theodorũ lib. 1. cap. 18. Sozo. lib. 2. cap. 2. Item de vita Cõstant. lib. 3. cap. 41. & deinceps.

Christi sepulchri prophanatio.

Verùm cum Imperatoris mater de eo certior facta esset, simulachrum deturbat: locum effodit, colluuie purgat ac sordibus: tres cruces in monumento offendit: vnã, beatam illam quidem, in qua Christus expassus fuit: alteras duas, quibus duo latrones suffixi occubuerunt. cum quibus vnà reperta est tabula Pilati: in qua varijs variarum linguarum characteribus scripserat, palamque declarauerat Christum crucifixum, regem fuisse Iudæorum. Sed quoniam incertum erat, quænam esset crux quam quærebant, mater Imperatoris non mediocri dolore affecta est. Quem quidem non longo tempore pòst, Hierosolymorum episcopus nomine Macarius sedauit: & quod erat anceps & ambiguum, fidei vi & virtute dissoluit. nam petijt signum à Deo, cuius compos factus est. Signum autem eiusmodi fuit: Mulieri cuidam indigenæ, quam diuturnus morbus oppresserat, iam imminebat mors. Illi animam agenti singulas cruces apponit, pro certo persuasus eam ad integram valetudinem restitutam fore, si venerandam Seruatoris crucem attingeret. quæ spes illum minimè fefellit. Nam cum duæ illæ cruces, quæ Domini non erant, essent mulieri admotæ, illa nihilominus in mortis articulo constitit. * verùm vt primùm tertia, quæ fuit vera Domini crux, adhibita erat, illa iam fermè moriens, extemplò conualuit, & è morbo penitùs euasit. Ad hunc modum lignum crucis

Macarius episcopus, signum à Deo impetrat.

* Vide annot. pag. 182. lat. 2. lin. 10.

Christi

A Christi inuentum est. Mater Imperatoris ad locum monumenti magnificum & egregium templum, quod nouam Hierusalem nuncupabat, eregionè veteris illius & desertæ Hierusalem exædificat. Vnam crucis partem in theca argentea occlusam, pro monimento ijs, qui illius spectandi cupiditate ducerentur, ibi relinquit: alteram mittit Imperatori. Quam vbi is receperat, ratus ciuitatem in qua illa seruaretur, omninò saluam & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro, quod à Constantino nomen traxit, supra columnam ingentem ex lapide Porphyrite confectam collocata est. Istud, quanquam ipse auditione solũ accipiens, scriptis mando: tamen omnes ferè, qui Constantinopolim incolunt, verum esse affirmant. Quinetiam clauos, quibus Christi manus cruci affixæ erant, Constantinus assecutus (istos enim mater in Seruatoris monumento reperiens, ad eum miserat) in frena curat & galeam fabricandos, illisq; in bello gerendo vtitur. Imperator porrò omnem materiem, quæ erat ad ecclesias extruendas necessaria, suppeditat: scribitq; ad Macarium episcopum, vt ædificia maturet. Mater Imperatoris simulac templum, quod nouam Hierusalem appellauerat, absoluisset, apud Bethlehem, in antro illo, vbi Christus natus erat secundum carnem, alteram Ecclesiam illo non inferiorem extruit: quinetiam alteram in monte, vnde Christus ascenderat. Præterea adeò pia fuit ac modesta, vt in media plebeiarum mulierum turba precaretur: virgines etiam, quæ ecclesiasticæ viuendi regulæ se consecrauerant, ad epulas inuitaret, ipsa illis ministraret, obsonia mensæ apponeret. Multa item ecclesijs & pauperibus donauit: omnem viæ cursum sanctè & religiosè cõfecit: octogesimo suæ ætatis anno mortẽ obijt. Corpus eius ad Cõstãtinopolim, quæ noua Roma appellata erat, deportatũ, regali sepulchro conditũ est.

Crucis Christi inuentio. Noua Hierusalem.

Claui, quibus Christus cruci est affixus, reperti.

Alia duo templa extructa ab Helena.

Helenæ pietas & obitus.

Quonam pacto Imperator Constantinus vastatis gentilium delubris, multas multis in locis Ecclesias erexerit.

CAP. XIIII.

Huc refer Nicephor. cap. 24. 40. 41. 42. 43. lib. 7. item cap. 33. li. 8.

POstea Imperator ad religionem Christianam maiore cura ac studio cœpit incumbere: gentilium ritus & cæremonias profligare: gladiatorum pugnas comprimere: suas ipsius imagines in idolorum templis statuere. Et cum gentiles affirmarent, Serapidem esse, qui Nilum ad agros Aegypti irrigandos introduceret, pro-

Constantini religio.

Serapidis vana.

Vide Theodoritum lib. 4. cap. 15. 16. 17. Sozomen. lib. 2. ca. 2. & 5. 6. Item de vita Cõstant. lib. 3. cap. 24. 47. 52. & lib. 4. c. 38. 39. &c. Euseb. lib. 10. cap. 5.

B pterea quòd vlna quædam, id est mensura aquæ inundantis (quam πῆχυν vocant) in templum Serapidis esset deportata, Imperator vlnam illam ad Ecclesiam Alexandriam trãsferri iubet. Cum autem sermo percrebresceret, Nilum præ Serapidis ira deinceps minimè inundaturum: non modò flumen anno sequenti extra ripas (vt solet) diffluit, inque posterum diffluxit, verumetiam inde reipsa planum factum est, Nilum non propter huiusmodi superstitiosam religionem, sed propter diuinæ prouidentiæ de-

Nili inundatio.

nimentum ijs, qui illius spectandi cupiditate ducerentur, ibi relinquit: alteram mittit Imperatori. Quam vbi is receperat, ratus ciuitatem in qua illa seruaretur, omninò salua

Crucis vexillum.

& incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Constantinopoli in foro, quod à Constantino nomen traxit, supra columnam ingentem ex lapide Porphyrite confectam collocata est. Istud, quanquam ipse auditione solũ accipiens, scriptis mando: tamen omnes ferè, qui Constantinopolim incolunt, verum esse affirmant. Quinetiam clauos, quibus Christi manus cruci affixæ erant, Constantinus assecutus (istos enim mater in Seruatoris monumento reperiens, ad eum miserat) in frena curat & galeam fabricandos, illisq; in bello gerendo vtitur. Imperator porrò omnem materiem, quæ erat ad ecclesias extruendas necessaria, suppeditat: scribitq; ad Macarium episcopum, vt ædificia maturet. Mater Imperatoris simulac templum, quod nouam Hierusalem appellauerat, absoluisset, apud Bethlehem, in antro illo, vbi Christus natus erat secundum carnem, alteram Ecclesiam illo non inferiorem extruit: quinetiam alteram in monte, vnde Christus ascenderat. Præterea adeò pia fuit ac modesta, vt in media plebeiarum mulierum turba precaretur: virgines etiam, quæ ecclesiasticæ viuendi regulæ se consecrauerant, ad epulas inuitaret, ipsa illis ministraret, obsonia mensæ apponeret. Multa item ecclesijs & pauperibus donauit: omnem viæ cursum sanctè & religiosè cõfecit: octogesimo suæ ætatis anno mortẽ obijt. Corpus eius ad Cõstãtinopolim, quæ noua Roma appellata erat, deportatũ, regali sepulchro conditũ est.

Mambre quercus ornata templo.

Eusebius à Cõstantino reprehensus.

Heliopolitanorum institutum obscœna à Cõstantino sublata.

Vxores cõmunes a Heliopolitanos.

In Libano Veneris templũ euersum.

Heliopoli Phœniciæ ædificari mandat, idque tali causa adductus. Heliopolitani quem igitur aras disturbari, & templum prope quercum construi. Alterum verò ecclesiam in

Eusebium Cæsareæ episcopum, quòd eam rem neglexerat, grauiter reprehendit. Iuber

ædificandas se conuertit, atque vnam propter quercum Mambre (subter quam, sacra o

stendunt eloquia, angelos ab Abrahamo hospitio exceptos) fabricauit. Nam cũ certior

factus esset, aras apud illam quercum erectas esse, gentilia sacrificia ibi peragi: per literas

olim habuerint legislatorem, non habeo quidem dicere: sed quomodo moratus ille

fuerit, ipsi mores ciuitatis apertè declarant. Nam vxores apud illos communes esse, lex

patria iubet: & propterea de liberis nihil certi posse sciri. etenim parentum ac liberorũ

nulla distinctio est. Virgines etiam peregrinis, qui cò aduentant, constuprandas tradũt.

Istud institutum iam apud illos inueteratum, Imperator penitùs abrogare laborauit.

nam sublato illo turpitudinis flagitio, lege quadam sacra & seuera sanciuit, vt genera

ac familiæ se inter ipsas agnoscerẽt. Ecclesijs denique extructis, episcopum designandũ,

& sacrum clerum constituendum accurat. Sic ergo Heliopolitanorum status, malis illis perpurgatis, ad modestiam ab eo traductus est. Pari ratione templum Veneris in Aphacis, ad montem Libanum situm, demolitus est: nefandos ritus, qui illic tam impu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Python deturbatus in Cilicia.

denter & inuerecundè gerebantur, radicitùs extirpauit. Quid commemorem, quemad-
modum dæmonem Pythonicum in Cilicia deturbarit, & delubrum, in cuius receſſus
ſe latenter abdidiſſet, funditùs euerti præceperit. Porrò tanto deſiderio ac ſtudio erga
religionem Chriſtianam inflammatus erat, vt cum eſſet bellum contra Perſas geſturus,
tabernaculum, quod Eccleſiæ formã & effigiem exprimeret, ſicut Moyſes in deſerto fe-
cerat, ex velamine variato confecerit: illudque ſecum portandum curârit, quò in locis
etiam deſertiſſimis ædem ſacram ad orandum decorè paratam haberet. Verùm id tem
poris bellum non vlterius proceſſit. nam quia Perſæ Imperatorem extimeſcerent, antè
fuit extinctum. Quòd autem Imperator in condendis vrbibus multum ſtudij poſuerit,
quòd ex nonnullis vicis ciuitates effecerit, vt Drepanem matris nomine appellarit, vt

Socrates quas res Imperatoris Conſtantini conſcribat.

Cõſtantiam ſororis Conſtantiæ nomine nuncupatam in Palæſtina ædificarit, literis in
preſentia mandare minimè opportunum arbitror. nam non eſt nobis propoſitum, alias
Imperatoris res geſtas enumerare, præterquam eas, quæ ad Chriſtianam religionem, i-
mò verò, quæ ad eccleſias ſolum ſpectare videantur. Quapropter cũ præclarè facta Im-
peratoris ſint alterius inſtituti, propriaq; ac ſeparata tractatione egeant, alijs qui de re-
bus eiuſmodi ritè ſcribere norint, omninò perſequenda relinquo. Equidem ipſe quoq;,
ſi Eccleſiæ concordia firma ſtabiliſque manſiſſet, penitùs conticuiſſem. Nam vbi nul-

Quæ occaſione Socrates hiſtoriam aggreſſus ſit.

lum argumentum ſuppetit ad dicendum, inanis ſolet eſſe & ſuperuacanea dicentis ora-
tio. Cæterum quoniam diſſerendi ſubtilitas, & vanæ fallaciarum argutiæ Apoſtolicam
Chriſtianę religionis fidem eodem tempore perturbarunt, & quaſi membratim diſcer-
pſerunt: de illis aliquid ſcriptis prodendum putaui, quò res in eccleſijs geſtæ ab obliuio-
ne vindicarentur. Nam earum noticia cùm apud alios plerosque in magna laude poni-
tur, tum illum, qui eam habet, multo planè efficit cautiorem. etenim cum inanis ali-
qua de verbi ſignificatione inciderit controuerſia, docet eum firmè animo conſiſtere.

Quomodo Conſtantini temporibus, interiores Indorum gentes Chriſtianam fidem amplexatæ ſunt. CAP. XV.

Religionis propagatio ſub Conſtantino.

DEinceps, qua ratione Chriſtiana religio temporibus huius Imperatoris cre-
uerit, latiusq; propagata ſit, à nobis commemorãdum eſt. Nam gentes, quæ
interiorem Indiam & Iberiam incolebant, tunc primùm Chriſti fidem re-
ceperunt. Quid verò cauſæ ſit, cur interiorem Indiam adiunxerim, paucis
explicabo. Cùm Apoſtoli ſortitò iter ad gentes ſuſcepiſſent, Thomas Par-

India interior ſub Conſtantino primùm conuerſa, & quomodo.

thiam, in qua munere Apoſtolico perfungeretur, obtinuit: Matthæus Aethiopiã: Bar-
tholomæus Indiam, quæ huic finitima eſt, ſortitione cepit. India autem interior, quã
permultæ gentes barbarę accolunt, linguis inter ipſas diſcrepantes, non ante tempora
Conſtantini verbo Chriſti, & eius religione illuſtrata eſt. Quæ verò cauſa eos ad Chri-

Meropius & Metrodorus philoſophi.

ſti fidem amplectendam impulerit, iam dicturus venio. Meropius quidã philoſophus,
genere Tyrius, ſtudio Indorum regionem peruidendi incẽſus fuit: exemplo credo Me-
trodori philoſophi ad eam rem prouocatus, qui eandem regionem antè luſtrauerat.
Meropius igitur duobus pueris conſanguineis ſecum deductis, qui linguæ Græcę neuti-
quam ignari erant, conſcenſa naue, in eã regionẽ traijcit. Et cùm ea, quæ videre deſide-
rabat, eſſet contemplatus, domumq; redire cuperet, rerũ ad victum neceſſariarum ino-
pia adductus, ad locum in quo portus tutus & tranquillus erat, appulit. accidit autem,
vt eo ferè momento fœdera inter Romanos & Indos rumperentur. Indi igitur philoſo
phum, & eos, qui cum eo nauigârant, comprehendunt: omnes, duobus illis pueris eius
conſanguineis exceptis, interficiunt. Pueros autem propter ætatem commiſerati, ſeruãt
incolumes: regi Indorum adductos, ei dono dant. Ille puerorũ aſpectu oblectatus, al-

Aedeſius. Frumentius.

terum nomine Aedeſium, pincernam, qui ſuæ ipſius menſæ pocula miniſtraret, conſti-
tuit: alteri, qui Frumentius appellatus eſt, regiorum ſcriniorum curam commiſit. Non
longo tempore pòſt, rex excedit è vita: filio admodum tenero & vxori regni hæredita-
tem relinquit: Aedeſium & Frumentium libertate donat. Regina, cum filiũ valde par-
uulum ſibi relictum haberet, poſtulat ab his duobus, vt vſq; eò curam eius ſuſciperent,
quoad vir factus eſſet. Cui morem gerentes adoleſcentuli, regis fortunis ſedulò proſpi-
ciunt: & quidem Frumentius vel maximè, qui ſummam rerum adminiſtrauit. Iſte ma-
gna cura ac ſtudio à Romanis mercatoribus, qui ad eam regionem commeabant, quæ-
ſiuit, num quis Chriſtianus inter eos eſſet. Cumq; aliquot reperiſſet, ipſiusq; & collegæ
ſtatum eos docuiſſet, orabat, vt loca ſeparatim ſibi ſumerent, in quib. Chriſtianorũ mo
re preces Deo funderent. Tempore pedetentim progrediente, templũ ad orandũ exædi-
ficat Frumentius. Et Chriſtiani illi quoſdã ex Indis fidei principijs inſtituẽtes, ſibi adiũ-
gunt.

Huc refert Nicephor. ca. 34. li. 8. vide Theodorit. lib. 1. cap. 24. Vide Sozomen. lib. 2. cap. 6.

B

Huc refert Nicephor. ca. 35. lib. 8. Vide Theodorit. lib. 1. cap. 23. Vide Sozom. lib. 2. ca. 1. Vitã Conſtant. lib. 4. cap. 50.

Vide Ruffinum ca. 10. lib. 1.

Vide Ruff. lib. 1. ca. 9.

A gunt. Vbi autem filius regis ad perfectam ætatem peruenerat, Frumentius & Aedeſius
fortunas regni à ſe probè adminiſtratas ei tradunt: petunt poteſtatem in patriam reuer-
tendi. Cum autem rex & mater enixè obſecrarent eos, vt manerent, & neutiquam per-
ſuaderi poſſent: illi patriæ reuiſendæ cupiditate incenſi redierunt. Aedeſius Tyrum con
tendit, vt parentes & cognatos viſeret. Frumentius Alexandriam aduentans, Athana-
ſio epiſcopo, qui nuper eum dignitatis gradum acquiſiuerat, omnem rem narrat: docet
ſuæ profectionis euentum: ſpem bonam eſſe, Indos religionem Chriſtianam receptu-
ros oſtendit: orat, vt epiſcopum & clerum vnà eò mittat, & minimè eos, qui ad viam ſa
lutis deduci poſſent, negligat. Athanaſius id, quod ad hoc negocium maximè accõmo-
datum videretur, animo complexus, ipſum Frumentium epiſcopum deſignauit: dixit-
que ſe neminem habere ad illud munus eo aptiorem. Res ergo ſic confecta eſt. Frumen
tius epiſcopatus honorem adeptus, ad Indorum regionem reuertitur, Chriſti fidẽ præ-
dicat, multas eccleſias extruit: atq; diuina gratia donatus, multa miracula edit: multis
hominum cum corporibus medetur, tum animis. Iſta Ruffinus ab ipſo Aedeſio, qui et-
iam poſtea Tyri ſacerdotij dignitatem obtinuit, ſe audiuiſſe narrat.

Frumentium epiſcopus deſignatur.

Quomodo Iberes ad Chriſti fidem conuerſi ſunt. CAP. XVI.

Iberes qua vocatione Chriſti fidem ſint amplexi.

IAm tempus eò me vocat, vt quemadmodum Iberes eodẽ tempore Chri-
ſti fidem amplexari cœperint, commemorem. Mulier quædam, quæ piũ
& caſtum viuendi genus excolebat, diuina prouidentia ab Iberibus capta
eſt. Iberes iſti prope pontũ Euxinum habitant: ſuntq; colonia deducta ab
Iberibus, qui Hiſpaniam incolũt. Mulier iſta captiua cum inter Barbaros
verſaretur, pietatis ſtudio ſe totam dicauit. nam multa erat in caſtimoniæ diſciplina
exercenda: ſeueriſſima ieiunandi ratione vſa eſt: ardentibus precibus ſe totam addixit.
Quod cum barbari animaduerterent, peregrinum & nouum rei geſtæ modũ admiran-
tur. Accidit fortè fortuna, vt regis filius, ætate admodum tenera, in grauẽ morbum de-
laberetur. Vxor autem regis, ad alias mulieres, vt patrius mos illic fert, puerum curan-
dum mittit, ſi quid fortè remedij experientia perdoctæ ad morbum ſanandum ſcirent.

Iberi Regis filius inuocato nomine Chriſti ſanatur per captiuam.

B Vbi autem puer à nutrice circumlatus, à nulla muliere ſanari poterat, tandem ad capti-
uam deducitur. Illa multis mulieribus præſentibus, quanquam nullum remedium ex
materia confectum adhibebat (nullum enim didicerat) puerum tamen capit, cilicio
ſuo ſuperponit: hæc ſolum profert verba: Chriſtus, qui multos ſanauit, etiam hunc ſa-
nabit infantem. Poſt hæc verba, vbi precata eſſet, Deiq́ue opem imploraſſet, confeſtim
conualuit puer, rectèque deinceps ſe habuit. Fama rei geſtæ inde ad omnes mulieres
barbaras, atque adeò ad ipſam reginam permanat: nomenque etiam captiuæ fit illu-
ſtrius. Non longo tempore pòſt, etiam regina ipſa in morbum incidit: mulier captiua
accerſitur. illa ire recuſat, ne quid amplius, quàm ſexus ſineret, inſolenter aggrederetur.

Sanatur & ipſa Regina.

Regina igitur ad eam defertur. Eadem facit, quæ in puero anteà fecerat. Extemplò regi-
na morbo liberata eſt: gratias agit mulieri. at illa: Non eſt, inquit, hoc meum factum,
ſed Chriſti, qui eſt filius Dei, huius mundi fabricatoris. hortatur vt eum inuocet, cum
verum Deum agnoſcat. Iberum rex morbum tam celeriter curatum eſſe miratus, per-
cunctatuſq; quis vxorem ſanauiſſet, captiuam donis remunerari iubet. At illa, ſe diui-
tiarum minimè indigere reſpondit: pietatem namq; ſe habere pro diuitijs aſſerit: regẽ-
que munus ampliſſimum recepturum, ſi Deum, quem illa agnouit, vellet cognoſcere.
Hæc locuta, dona remittit. Rex iſta verba in animo recondit.

Sic Ruffinus: inde Socrates ſumpſit hiſtoriam.

Poſtero autem die illi ad venandum egredienti tale quiddam obtigit. Montium iu
ga & ſaltus, vbi venabatur, obſcura nebula & craſſa caligine circumfunduntur: venatio
incerta & perplexa fit, via obſtructa & impedita. Rex cum incertus eſſet animi quid a-
geret, deorum auxilium, quos colebat, obnixè implorat. Verùm vbi nihil profecit, ca-
ptiuæ mulieris Deus illi in mentem venit: eum adiutorem inuocat. Ac ſimulatq; erat

Rex inuocato Chriſti nomine tenebris eripitur.

precatus, nebula caligoq; penitùs diſcuſſa & diſſipata eſt. Factum admiratus, domum le-
tus redit: quod acciderat, vxori exponit. Illico captiuam accerſit. Illa in eius conſpectũ
venit: ſciſcitatur ab illa, quis ille Deus eſſet, quem coleret? Illa ſic regem Iberum erudit,
vt Chriſti præconem efficiat. Nam huius piæ mulieris hortatu Chriſti fidem amplexus,

Rex Iberum Chriſtianiſmũ amplexus eccleſiam conſtruit.

omnes Iberes, qui ipſius parebant imperio, in vnum conuocat: illis verò ea, quæ de filij
curatione, quæ de vxoris, quæ deniq; inter venandum illi ipſi acciderant, commemo-
rat. Illos hortabatur, vt captiuæ Deum colerent. Vtriq; Chriſtum prædicant: rex viris,
regina mulieribus. Vt primùm formam & effigiem eccleſiarum, quæ apud Romanos

Sic Ruffinus.

ſunt, à captiua didicerat, templum conſtrui mandat: actutùm ea præparari iubet, quæ

ad eius ædificationem spectabant. Domus orationis erigitur. Simulatq; columnas etiã A erigere conabantur, in eo opere diuina prouidentia animas incolarum in fide ædificat, eosq; ad Christum attrahit. Vna ex columnis fortè mansit immobilis, nec vlla machina poterat commoueri: rumpuntur funiculi, & machinamẽta franguntur. Animum igitur despondentes operarij, discedunt. Tunc captiuæ fides sese palam ostendit. Nã noctu, cum nemo animaduerteret, illa ad locum aduentat: tota nocte in precibus defixa, aduigilat: diuina prouidẽtia columna erigitur, in aëre sublimis supra basim, nullo suppositò fundamẽto, quo niteretur, librate suspensa hæret. dies illucescit: rex, qui homo attentus & diligens erat, ad ædificium venit: columnam propria basi libratam, inq; sublimi pendentem, cernit. Factum attonitus miratur: omnes qui aderant, obstupescunt. Paulò pòst, illis inspectantib. columna sua sponte descẽdit, & in propria basi se firmat. Inde clamor ab hominibus excitatur: regis fides vera esse prædicatur: captiuæ Deus laudibus effertur. De cætero verò non hæsitant, sed alacri ac prompto animo reliquas columnas erigunt: exiguo temporis spacio opus absoluunt. Postea ad Constantinum mittuntur legati: postulant ab eo, vt de reliquo fœdera cum Romanis iungant, episcopum & sacrum clerum accipiant. in Christum enim se sincerè & ex animo credere affirmarunt. Hæc Ruffinus à Bacurio se didicisse ait, qui primùm Iberum regulus fuit: deinde ad Romanos aduentans, tribunus militum, quos habebant in Palæstina, constituitur: postea Imperatori Theodosio, in bello contra Maximum tyrannum suscepto, maximo subsidio fuit. Ad hunc modum, temporibus Constantini, Iberes Christianam religionem receperunt.

Columnæ erectio paganos ad amplectendam fidem excitat.

Bacurius, Iberum regulus.

De sancto & magno Antonio monacho, & Manete Manichæorum sectæ anteſignano, & vnde originem traxerit.

CAP. XVII.

Huc refer Nicephor. cap. 39. 40. Euseb. li. 7. ca. 25.

Antonius monachus eremita.

EIsdem temporibus Antonius monachus in solitudine Aegypti vixit: vita ac moribus qualis ille fuerit, quomodo cum dæmonibus palam & apertè dimicarit, illorum astutias & callidas pugnas deprehenderit, multa prodigia & miracula ediderit, quoniam ab Athanasio Alexandriæ episcopo, in libro separato de eius vita cõscripto, iampridem expositum est, nobis planè superuacaneum videtur ad commemorandum. Tempora regni Constantini permagnam copiam virorum sic præclarè ad virtutem institutorum effuderunt: sed in bono tritico zizania etiam nasci solent, & sathanæ inuidia insidias bonis rebus tendere consueuit. Nam paulò ante tempora Constantini, veræ religioni Christianæ, religio commenticia, gentilium ritus adumbrans, admixta est: non aliter atq; inter Prophetas pseudoprophetæ, inter Apostolos pseudoapostoli exoriuntur. Id temporis enim Manichæus, Empedoclis gentilis philosophi dogma in Christianam religionem ficta simulationis specie voluit introducere: de quo quidem Eusebius cognomento Pamphilus, in septimo libro historiæ Ecclesiasticæ mentionẽ facit ille quidẽ, sed tamen non satis accuratè eius res gestas persequitur: quocirca, quod ab eo prætermissum est, à nobis explẽdum arbitror necessariò. ita enim tum, qui fuerit Manichæus, tũ qua ratione adductus res eiusmodi tam temerè aggredi non dubitarit, facillimè intelligetur. Scytianus quidã Saracenus vxorem habuit captiuam, ex superiore Thebaide oriundã, cuius gratia domicilium rerum suarum in Aegypto collocauit: vbi aũt disciplina Aegyptiorum erat institutus, Empedoclis & Pythagoræ opinionem in Christianam religionẽ introducere contendit. Duas esse naturas, vt Empedocles alteram bonã, alteram improbã asseruit: improbam quidem, Discordiã: bonã autem, Amicitiã nominauit. Istius Scythiani discipulus fuit Buddas, qui ante Terebynthus appellatus est: qui ad Babylonicam regionem, à Persis habitatam, profectus, multa prodigia de seipso falsò commentus est: nimirum, quod ex virgine natus esset, quodq; in mõtibus educatus. Post ista quatuor libros conscripsit: quorum primum, De mysterijs: secundum, Euangelium: Thesaurum, tertium: quartum denique, Capita rerũ inscripsit. qui quidem cùm se quosdam ritus sacros exequi simularet, à maligno spiritu è sublimi in præceps deiectus est, sicq; miserè perijt. Mulier quædam, in cuius ædibus diuersabatur, illum sepeliuit: facultates eius apud se retinuit, quibus puerum natum annos septem, nomine* Cubricum, coemit. Illa, vbi istum in libertatem vindicasset, & literis instituisset, non multo pòst è vita migrauit: eiq; cùm omnes Terebynthi fortunas, tum libros quoque, quos à Scythiano edoctus composuerat, post mortem reliquit. Quas res cum acquisiuisset libertus Cubricus, rectà in Persidem se confert: nomen commutat, & pro Cubrico Manetem se vocat: libros Buddæ siue Terebynthi, tanquam à se editos, illis quos errore implicauerat, proponit. Ac librorum argumenta verbo

Cap. 25.

Videcetiã Epiph. & Augustinum ecclę rel.

Ante Constantini tempora religio qualis.

Manichæus Empedoclis imitator.

Scythianus Saracenus.

Buddas Terebynthus, eiusque prodigia, libri, interitus.

Al. Vrbicũ.

Cubricus primum, postea Manes dicitur.

A verbo Christianam religionem complecti præ se ferunt, ipsa tamen disciplina omnino olent gentilitatem. Etenim Manes, vtpote impius, homines ad multos deos colendos hortatur: solẽ adorandum docet: fatũ introducit: quod in nostra situ̇ est potestate, tollit. Animorũ ex vno corpore in aliud migrationem manifestò tradit, Empedoclis, Pythagoræ & Aegyptiorum secutus opiniones. Christum natum esse non vult: illum spectrum fuisse dicit: legem & prophetas abrogat: seipsum nuncupat paracletum. quæ quidem omnia ab orthodoxa Ecclesiæ fide sunt penitus aliena. In epistolis suis se Apostolum appellare nõ veretur. Sed tam impudentis mẽdacij debitas pœnas luit, idq; talẽ ob causam. Filio regis Persarum in morbum delapso, pater omnẽ (vt dicitur) mouebat lapidem, quò filius è morbo recrearetur. Ac de Manete certior factus, & eius præstigias minimè fucatas esse ratus, tanquam Apostolum accersit, spem animo concipiens, filiũ morbo per eum leuatum fore. Accedit ille bonus vir: commenticijs præstigijs filium regis aggreditur. Rex vt viderat puerum in manibus eius occubuisse, hominem in carcerem concludere conatur: debito supplicio afficere parat. Iste fugit in Mesopotamiã: sicq; vitæ consulit. Cùm regi Persarum nunciatum esset, illum in illis partibus versari, inde abripiendum curat: iubet viuum excoriari, pellem eius palea conferciri, ante portas ciuitatis appendi. Atque ista quidem nos neutiquã cõfinximus, sed ex libro disputationis cuiusdam Archelai, Cascharum, vrbis Mesopotamiæ episcopi à nobis perlecto, excerpsimus. Ipse autem Archelaus, ait se cum eo coràm disputasse: atque ea quæ erant antea de eius vita scriptis prodita, narrat. Bonis igitur rebus prospere succedentibus, satanæ inuidia (vt dixi) insidias parare solet. Sed quid sit causæ, cur benignus noster Deus istud fieri permittat, vtrum vt probam spectatamque ecclesiæ doctrinam excutiat, & inanem ostentationem, quæ de fide in nonnullorum hominum animis ingenerari solet, penitùs amputet: vel alia de causa, quæcunque tandem illa fuerit, accidat: sicut perdifficile est ad explicandum, sic certè paucis expediri non potest: atq; tempus opportunum ad illud indagandum nobis in præsentia non suppetit. Neque profectò est nobis propositum, varias doctrinæ & opinionum sententias exquisitè exagitare, neque abstrusam & reconditam de prouidentia & iudicio Dei scientiam elicere: sed historiam rerum in ecclesia gestarum pro virili nostra parte explicare. Quoniam autem B à nobis commemoratum est, qua ratione execrabilis Manichæorum religio paulo ante Constantini tempora exorta sit, deinceps ad temporum ordinem huic historiæ institutæ propositum redeamus.

Manetis doctrina.

Manetis imperitus.

Archelaus episcopus.

De Archelao vide Hieron. in catalogo Scriptorũ.

Quòd Eusebius Nicomedensis & Theognis Nicæus, resumptis animis, omne studium suum ad euertendam fidem quæ Nicææ confirmata erat, conuertebant, excogitato in Athanasium dolo: & de coacta Antiochiæ Synodo, quæ Eustathium Antiochiæ episcopum deposuit, propter quem exorta seditio ferè ciuitatem deleuit.

CAPVT XVIII.

Huc refer Niceph. li. 9. ca. 2. 5. Vide Theodorit. li. 1. cap. 21. 22. Sozom. li. 2. c. 16. 17.

EVsebius & Theognis ab exilio reuersi, ecclesiarum suarum administrationem denuò capessunt, illis (vti dixi) expulsis, qui erant in eorum loca suffecti: atque adeò ab Imperatore, qui illos propterea in magno honore habebat, quòd se à deprauata & peruersa opinione ad rectam sinceramq; recepissent, libertatem non vulgarem illam quidem consequuntur. Isti verò data ipsis libertate abutẽtes, maiorem tumultũ orbi terrarum, quã qui antè excitat Vitam Cõstantini lib. 3. cap. 57. & seq. fuerat, commouerunt, duobus nominib. ad eam rem impulsi: improba videlicet Arij opinione, quæ eorũ animos antè implicatos tenuerat, & capitali odio, quo aduersus Athanasiũ flagrabãt. Nam quoniã ille in Cõcilio, dum erat de controuersijs disceptatũ, strenuè ac fortiter istis restiterat: primũ ordinationem eius quasi ad episcopatum gerendum parũ idonei, & à viris minimè probatis delecti, inuidiosè criminantur. Verùm vbi ille crimẽ sibi illãtũ penitùs ab se depulerat (eius namq; spectata virtus eum in ecclesiæ Alexandrinæ episcopatu firmè continuit) & pro fide in cõcilio Nicæno confirmata acriter decertabat, Eusebius tũ toto pectore (vt dicitur) incubuit, vt Athanasiũ per insidias de eo dignitatis gradu dimoueret, & Ariũ Alexandriã reduceret. nam eo pacto solum ratã de ὁμοουσίῳ, id est, Consubstãtiali fidem se posse ab ecclesia exturbare, & pestiferam Arij doctrinã introducere putauit. Eusebius igitur scripsit ad Athanasiũ, vt Arium & eius fautores in ecclesiã admitteret. Et sicut per literas eum obsecrauit, sic minis aliũde oppositis perterrefacere studuit. Ac cũ Athanasius nullo modo ad id, faciendum adduci posset, Imperatori persuadere conatur, vt Ariũ in eius cõspectum venire permitteret, illiq; faceret potestatẽ Alexandriam reuertendi. Sed quib. modis hanc rem valeret efficere, dicam equidem alio loco. Antequàm istæ res gerebantur, alius in Ecclesia tumultus ortus est. nam tranquillum Ecclesiæ statum sua ipsius membra perturbarunt.

Eusebius & Theognis ab exilio reuersi, tumultum excitant.

Arij doctrina ab Eusebio introducta.

Ingenium hæreticorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaque Eusebius cognomento Pamphilus ait, statim post confectum concilium, Aegyptum seditionem intestinam conflasse: causam tamen non adiungit, vnde in bilinguis opinionem apud plerosque venit. Nam causas reticere propterea putabatur, quòd secũ decreuerat, ea quæ in concilio Nicæno constabilita erant, sua sententia neutiquam cõfirmare. Verùm sicut nos ex varijs epistolis, quas post Concilium episcopi alter ad alterum scripserunt, perspicuè deprehendimus, verbum Consubstantiale nonnullorum animos vehementer conturbauit: in quo quidem excutiendo, dum multum temporis ac studij consumebant, eiusque vim tanquam ad viuum resecare curiose nimium moliebantur, intestinum bellum inter ipsos excitarunt: atq, ea quæ gerebantur, nihil à pugna nocturna discreparunt. Nam minimè omnino ab se mutuò videbatur intelligi, cur se inter ipsos maledictis concidere occœpissent. Etenim qui vocem Consubstantiale repudiabant, illos qui eandem receperant, Sabellij & Montani opinionẽ de integro introducere censuerunt, & ob eam causam eos blasphematores nuncuparunt, tanquã filij Dei essentiam tollere molientes. Qui autem contrà, fidei Consubstantialis firmeã hæresce bant, alios multos deos inuehere arbitrati sunt, eosque tanquam gentilitatem inferentes auersati. Quinetiam Eustathius Antiochiæ episcopus, acriter perstringit Eusebium Pamphilum, vtpote fidem in concilio Nicæno roboratã deprauantem. Eusebius Pamphilus tum se fidem illam non omnino violare asserit: tum Eustathium, vt Sabellij opinionem inducentem, grauiter insimulat. Et propterea singuli episcopi, velut in aduersarios, scriptis orationibus grauiter inuecti sunt. Cùm autem vterque diceret filium Dei cum patre subsistere, & in patre esse, & in tribus personis vnum Deum confiteretur, inter ipsos (qua de causa haud equidem scio) nequaquam consentire, & propterea nullo modo animis acquiescere potuerunt. Concilium igitur Antiochiæ cogitur: Eustathius, vtpote errori Sabellij magis quàm decretis concilij Nicæni assentiens, episcopatu abdicatur. Verùm quidam prædicant, alias causas parum honestas eius abdicationis extitisse: non tamen eas palàm percensent. Est enim hoc episcopis in more positum, vt eos qui abdicantur, accusent, impios pronuncient, causas tamen impietatis minimè adiungant. Quòd autem episcopi Eustathium, vt improbæ Sabellij doctrinæ deditum, dignitatis gradu dimouerant, Cyro Berrœensi episcopo eum in crimen illud vocãte, Georgius Laodiceæ, quæ est in Syria, episcopus, vnus ex eorum numero qui Cõ. B substantiale detestantur, se in laudatione Eusebij Emiseni dixisse scribit. De isto Eusebio Emiseno alius erit mihi locus commemorandi. Georgius scribit, Eustathium, vtpote Sabellij sectæ addictum, à Cyro accusatum: & rursus, Cyrum eiusdem erroris conuictum, de gradu deiectum, narrat. At qui fieri potest, vt Cyrus, cùm labe erroris Sabelliani ipse aspersus esset, Eustathium, vtpote eadem infectum, in iudicium adduceret? Proinde Eustathius, vt videtur, alijs de causis episcopatu abdicatus est. Eodem tempore Antiochiæ grauis seditio de eius abdicatione orta. Ac postea sæpe de episcopo deligendo tanta contentionis flamma incendebatur, vt parum abesset, quin vniuersam ciuitatem euertisset, populo in duas factiones diuiso: quarum altera, Eusebium cognomento Pamphilum Cæsarea Palæstinæ Antiochiam tansferre obnixè contendit: altera, Eustathium denuò reducere magnopere laborauit. Commune ciuitatis cõcilium partim huic, partim illi factioni subsidio fuit. Militum præsidiariorum turba, ipsa contra se, tanquam cõtra hostes cõcitata est, adeò vt gladios in se mutuò distrinxissent, nisi Deus, & metus ab Imperatore illis iniectus, multitudinis impetum repressisset. nam Imperator per literas tumultum exortum, & conflatas seditiones penitùs sedauit. Eusebius autem eorum episcopus fieri renuit: ac propterea Imperator illum magnopere commendauit. Qua de re literas ad illum scripsit, in quibus eius institutum admodum laudauit: beatum appellat, quòd illum non vnius ciuitatis, sed totius ferè orbis terrarum episcopatu dignum, omnes vno ore prædicarant. Octo igitur annos continuos sedes Antiochena dicitur episcopo caruisse. Serò tandem, eorum studio & labore qui fidem in concilio Nicæno confirmatam euertere nitebantur, Euphronius episcopus designatus est. Sed de Concilio Antiochiæ propter Eustathium conuocato, satis multa diximus.

Cõsubstantiale verbũ magni diſsidij materia.

Eustathius Eusebiũ perstringit.

Concilium Antiochenum.

Episcopatu abdicatur.

Eusebius Emisenus Georgius.

Eusebius Pamphilus.

Factiones ortæ Antiochiæ ob Eustathiũ & Eusebium Pamphilum.

Euphronius episcopus.

De presbytero qui Arium reuocare curauit: & quomodo Arius Imperatori libello pœnitentiæ oblato, fidem Nicæni concilij per simulationem calculo suo comprobauerit.

CAPVT XIX.

Arius ab Eusebio Alexandriam reducitur.

STatim pòst Eusebius, qui iampridem episcopatum Beryti reliquerat, id temporis Ecclesiæ Nicomedensi præerat, vnà cũ suis fautoribus pro viribus laborauit, vt Ariũ Alexandriam reduceret. Verùm qua ratione istud effecerint, & quo pacto Imperator persuasus sit, vt Arium & Euzoium pariter in ipsius conspectum venire pateretur, hoc loco dicendum arbitror. Imperator sororem habuit nomine Constantiã. ista vxor fuit Licinij

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 47. vita de Sozom. li. 2. ca. 29. Thodorit. li. 2. ca. 3.

A Licinij, qui primùm cum Constantino Imperij particeps fuit: deinde tyrannidem exercuit, qua de causa ad extremum trucidatus est. Huic Constantiæ cum presbytero quodam sectæ Arianæ dedito magna intercedebat familiaritas: eum sibi intimum habuit. Ille tum Eusebij & necessariorum eius impulsu, sermonem cum muliere de Ario habuit: ei à Synodo iniuriam factam esse dicit: illũ non ita sentire, sicut fama de eo loquebatur. Quæ cùm audiuisset Constantia, presbytero fidem adhibuit illa quidem, sed Imperatori dicere neutiquam ausa est. Constantia fortè fortuna in grauem morbum delabitur. Imperator percrebrò eam ægrotantem inuisit. Cùm aũt mulier morbo tam acer bè affligeretur, vt nihil præter mortem expectaret, Imperatori commendat presbyterum: eius studium, pietatem & beneuolentiam erga Imperium prædicat. Illam paulò pòst mors occupat. Presbyter in intimis Imperatoris habetur. Ae pedetentim plus authoritatis consecutus, eundem sermonem de Ario refert ad Imperatorem, quem cum eius sorore antea contulerat: Arium scilicet non in alia sententia esse, quàm quæ fuisset à Concilio confirmata: & si in eius conspectum venire permitteretur, concilij decretis planè assensurum, atque eum sine causa insimulatum fuisse. Noua admodum & peregrina videbantur Imperatori, quæ erant à presbytero commemorata. Ille igitur: Si (inquit) Arius cum Concilio consentiat, & in eadem sententia sit, non modò eum in conspectum meum venire patiar, verùm etiam honorificè Alexandriam dimittam. Hæc locutus, confestim ad illum scripsit his verbis.

Constantiæ, Imp. soror.

Constantiæ obitus.

Presbyter Arium insinuat Constantino de quo eodem Presbytero vide plura in. li. 2. ca. 2.

Epistola Constantini ad Arium.

VICTOR CONSTANTINVS, MAXIMVS, AVGVSTVS.

Huc refert Nicephor. ca. 47. li. 8.

Iamdudum tuæ grauitati significatum est, vt ad mea castra venires, quò posses nostro aspectu frui, vnde vix satis mirari possumus, cur hoc abs te non extemplò factum
» fuerit. Iam igitur publico curru conscenso, nostra castra adire propera, vt nostram be-
» nignitatem & studium erga te expertus, in patriam redire queas. Deus te conseruet, charissime. Data ad quintum Calend. Decẽbris. Istam quidem Imperator ad Arium scripsit epistolam. Me proinde incredibile studium & amorem, quo aduersus pietatem flagrabat Imperator, intuentem, permagna certè capit admiratio. Nam ex epistola vidétur constare, Arium ab Imperatore sæpissimè admonitum, vti resipisceret: & propterea ab illo iam reprehensum, quòd crebrò per eius literas prouocatus, ad veritatem ilico non redijsset. Arius igitur paulò pòst quàm literas Imperatoris acceperat, Constãtinopolim aduentat. Illum Euzoius (quem Alexander, cùm esset diaconus, eodẽ tempore quo cæteros Arianos abdicauerat, gradu deijciebat) eò comitatus est. Imperator illos suo dignatur aspectu: rogat, vtrum fidei concilij Nicæni assentirent. Cui cùm ab se assensum esse responderent, Imperator iubet, vt absque mora fidem suam scriptis mandarent. Illi libellum conficiunt, afferunt Imperatori: qui quidem scriptus erat ad hunc modum.

Constantini ad Arium li. teræ.

Arium cum Euzoio ad Imp. reditus.

Vide Sozomenum

Libellus presbyterorum Arij & Euzoij.

Religiosissimo, sanctissimoque Domino nostro Imperatori Constantino, Arius & Euzoius. Nos quidem, sicut tua singularis erga Deũ pietas, Domine Imperator, in mandatis dedit, fidem nostram scriptis prodidimus: & de Deo cùm ipsi tum cæteri qui nobiscum sunt, ita credere confitemur, vt sequitur.

Arij & Euzoij confessio.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem: & in Dominum Iesum Christum, filium eius, ex ipso ante omnia secula genitum, Deum verbum, per quem omnia facta sunt, cùm quæ in cælis, tũ quæ in terris: qui descẽdit, & incarnatus est, & passus est & resurrexit, & ascendit ad cælos, & iterum venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum, in carnis resurrectionem, in vitam futuri seculi, in regnum cælorum, in vnam catholicam ecclesiam Dei, ab vna orbis terrarum ora ad alteram vsque se porrigentem. Hanc fidẽ à sacrosanctis Euangelijs accepimus, ipso Domino suis discipulis dicente: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: sicut vniuersa catholica Ecclesia & Scripturæ docent, quibus quidẽ omnino fidem adhibemus. Iudex noster Deus est, & in præsentia, & in futuro iudicio. Qua propter tuam pietatem obsecramus; Imperator sanctissime, vt quum viri Ecclesiastici simus, & fidem, & sensum cũ Ecclesiæ, tum sacrarum Scripturarum teneamus, nos pro tua sanctimonia, quæ & paci sedulò studere, & Deum augustè venerari solet, omnibus controuersijs & inanibus argutijs sublatis, matri nostræ, Ecclesiæ scilicet, adiungas: vti & nos & Ecclesia tranquillè vitam degentes inter nos mutuò, pro pacato & pio regni tui statu, & pro vniuerso hominum genere, omnes communiter consuetas preces peragamus.

Matth. 28.

Ecclesiæ reconciliari cupit Arius.

Arius

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arius Imperatoris mandato Alexandriam reuertitur: qui cùm ab Athanasio non esset admissus, A Eusebius, eiusq; complices, varia contra eum crimina apud Imperatorem contexuerunt: propter quæ, Tyri episcoporum Synodum iussis conuocari.

CAPVT XX.

Athanasius Arium in ecclesiā admittere recusat.

Huc refert Niceph. ca. 48. 49. lib. 8. Vide Theodorit. lib. 1. cap. 30. Sozom. lib. 2. cap. 24 Vitam Constant. lib. 4. cap. 41.

AD eum modum, quem diximus, cùm Arius Imperatori persuasisset, Alexandriam reuertitur: sed tamen hoc commento veritatem, quā tacitus occultauerat, minimè poterat obruere. Nam Athanasius eum Alexandriā reuersum, in ecclesiam recipere noluit: illum enim vt scelus detestatus est. Arius nihilominus errorem suum ex occulto disseminans, Alexandriam ad seditionem concitare molitur. Quo quidem tempore Eusebius, cùm ipse ad Athanasium scripsit, tum Imperatorem ad scribendum impulit, vt Arius cū suis reciperetur. Athanasius tamen eos in ecclesiam admittere omnino recusauit: Imperatoremq; per literas docuit, fieri nō posse, vt illi qui fidem irritam fecissent, quibusq; anathema esset ab ecclesia denunciatū, tanquā postliminiò redeūtes gradum suū recuperarēt. Imperator rē iniquo animo & grauiter ferēs, per literas Athanasio interminatus est his verbis.

Vide Sozomenū.

Constantinus Athanasio per literas cōminatus ni recipiat Ariū cū reliquis pœnitentibus.

Cùm Concilij & voluntatis meæ rationem acceperis, fac omnibus in ecclesiam ingredi cupientibus liberum aditū præbeas. Nam si intellexero, quenquam, qui Ecclesiæ “ particeps fieri cupiat, vel impeditum abs te esse, vel introitu prohibitū, mittā illico ali- “ quem è meis, qui mandato meo te de gradu dimoueat, locumque tuum alteri tribuat. “ Ista scripsit Imperator, cùm vt Ecclesiæ cōmodo inseruiret, tum vt Concilio prouideret, ne eius concordia dirimeretur. Proinde iam tum Eusebius graui odio aduersus Athanasium inflammatus, valde opportunum tempus sibi ad id quod conabatur, oblatū putabat (habuit enim offensum Imperatoris animum, eius instituto admodum inseruientem) & propterea tumultuosè laborabat, vt Athanasium de episcopatus dignitate deturbaret. Sic enim sperabat fore, si Athanasius de medio remoueretur, vt Arij regnaret opinio. Quare cōtra illum pariter quasi aciem instruunt: Eusebius, episcopus Nicomediæ, Theognis, Nicææ: Maris, Chalcedonis: Vrsacius, Singidonis, vrbis superioris Pannoniæ: & Valens Mursorum, ciuitatis etiam Pannoniæ. Isti quosdam è secta Meliana mercede conducunt, & varia crimina Athanasio obijcienda curant. Ac primùm per Eusionem, Eudæmonem & Callinicum, Melitianos, criminationem confingunt, B quòd Athanasius præcepisset Aegyptijs, vt vestem lineam ecclesiæ Alexandrinæ pro tributo pensitarent. Sed hoc falsum crimen in Athanasium coniectum, Alypius & Macarius presbyteri ecclesiæ Alexandrinæ, qui tum fortè fortuna Nicomediæ erant, prorsus restinxerunt, Imperatoremq; docuerunt, ea quæ cōtra Athanasium allata fuissent, perspicuè falsa esse. Quapropter Imperator per literas, eius accusatores grauiter reprehendit: rogat Athanasium, vt ad se veniat. Verùm Eusebius cum suis, † prius quàm aduentarat, alterum crimen priori attexit, idque priore multo grauius: Athanasium scilicet Imperatoris edictis per insidias obsistere molientem, Philumeno cuidam scriniū auro refertum misisse. Sed cū Imperator Psamathiæ (est quidem hoc suburbium Nicomediæ) de isto crimine cognouisset, Athanasiumque innocentem comperisset, honorificè dimittit: atque adeò ecclesiæ Alexandrinæ scribit, eorum episcopum falsò in crimen fuisse vocatum. Cæterùm quæ criminum genera Eusebius cum suis contra Athanasium postea commenti fuerint, honestum, rationique consentaneum arbitror, silentio præterire: ne Christi Ecclesia ab his, quorum animi à Christi fide & religione penitus auersi sunt, vlla labe notetur infamiæ. Nam quæ literis prodita sunt, omnibus perspecta & cognita esse solent: atque ob hanc causam verbis quàm paucissimis ea necessariò complectenda putaui, quæ separatam tractationē desiderant. Sed tamē ex quo fonte falsæ istæ criminationes profluxerint, & vnde initium sumpserint hi qui easdem contexuêre, breuiter à me dicendum censeo. Mareotes est regio Alexandriæ subiecta: sunt in illa pagi permulti, multisque hominibus frequentati: inque eisdem complures sunt ecclesiæ, eæque illustres, quæ quidem episcopo obsequuntur Alexandriæ, & in illius ciuitatis ditione ac potestate sunt. In ista regione Ischyras quidam (sic enim appellatus est) facinus, quod multis mortis generib. mulctandum fuerat, ex occulto aggressus est. Nam cùm nunquam sacris fuisset initiatus, presbyteri nomen ipse sibi imposuit, sacerdotisq; munera obire ausus est. In quo quidē facinore deprehēsus, clàm fugā capessit: & rectà Nicomediā profectus, ad Eusebiū, tanquam ad profugiū se confert. Ille præ odio quo in Athanasiū incendebatur, eum vt presbyterū recipit: ei episcopatus dignitatē, modò crimen Athanasio inferret, pollicetur: ea quæ ab Ischyra falsò confingebantur, tanquam ansam arripit ad Athanasium calumniandum. Nam rumorē dissipauit Ischyras,

Athanasij & aliorū cum Athanasio simultas.

Athanasio varia crimina falsò obiecta. 1. crimen de veste linea.

2. crimen læsæ maiestatis de contemptis Imp. edictis. Psamathia.

Athanasij criminationes vnde profluxerint.

Mareotes regio.

Ischyræ Laici facinus in vsurpando ecclesiastici officio & supplā tando Athanasio: de hoc vide plura infra lib. 2. c. 16

A Ischyras, impetum clàm in se factum esse, & nihil non contumeliarum perpessum: & Macarium in altare insultasse, mensam Domini euertisse, poculum mysticum confregisse, sacrosanctos Scripturæ libros combussisse. Mercedem igitur, vt dixi, accusationis, episcopatum promisit: pro certo persuasus, crimen contra Macarium allatum satis valere, non modò ad Macarium, qui accusabatur, sed etiam ad Athanasium, qui illum eò miserat, gradu penitùs deijciendū. Hæc criminatio paulò pòst illi intentata est. Antea verò alteram, odio & maleuolentia refertissimam, in eum commenta est factio Eusebiana: de qua hoc loco dicam. Manum hominis, vnde haud equidem scio, nacti sunt: hominémne interfecerint, eiusq; amputarint manum, an manū mortui alicuius absciderint, Deus solū nouit, & authores facinoris: hanc tamen Arsenij nomine, episcopi ex secta Melitiana, proferunt, eiusque manum esse prædicant: ipsam adducunt in mediū, Arsenium occultant. Ista manu Athanasium ad magicas præstigias vsum fuisse dicunt. Et quanquam caput criminationis, quam hi calumniatores contra Athanasium confinxerant, eiusmodi fuit: tamen vt in tali causa vsuuenire solet, alij alia illi obiecêre. Nam qui graui odio aduersus illum exardescebant, iam tum vel maximè illum insidiosè adorti sunt. Imperator de ijs rebus certior factus, ad Censorem Dalmatiū, sororis filium, id temporis Antiochiæ Syriæ cōmorantem, literas dedit, vt eos qui in crimē vocati essent, sistendos curaret: causam cognosceret: criminis conuictos, supplicio afficeret. Misit eò Eusebium & Theognidem, vt coram illis de Athanasio iudicium fieret. Iste, vt intellexerat se à Censore accersitum, mittit in Aegyptum, quæsitum Arsenium. Acceperat enim, illum in occulto latitare. Eum verò, locum subinde commutantem, comprehendere non poterat. Interea loci Imperator iudicium, quod de Athanasio coram Censore fieret, tali de causa sustulit. Concilium episcoporum ad templum, quod Ierosolymis ædificauerat, consecrandum conuocat. Episcopis autem, qui erant antea Tyri coacti, mandatum dedit Imperator, vt iudicium de Athanasio obiter exercerent, quò ibi, contentione prorsus iam antè è medio sublata, maiore cū animorum tranquillitate festum consecrandæ ecclesiæ celebrarent, eamq; Deo dedicarent. Trigesimus iam agebatur annus regni Cōstantini. Tyrum episcopi numero sexaginta, Dionysij viri consularis accersitu, aduēnauerant. Macarius presbyter Alexandria, vinculis ferreis constrictus, à militibus eò adductus est. Athanasius autem Tyrum accedere noluit, non tam B crimina obiecta veritus (nonnullis enim eorum quæ ipsi erant illata, conscius fuit) quā admodum reformidans, ne quid illic noui contra concilij Nicæni decreta decideretur. Sed quoniam minaces literæ Imperatoris, eius animo non parum timoris iniecerant (ad illum namque scripserat, si non sua sponte vellet accedere, vi eò deductum iri) ad Concilium aduentat necessariò.

Macarij criminatio de violatis ac profanatis sacris ab Ischyra confictis.

Eusebiana factio.

Arsenius.

Athanasij criminatio alia, de manu Arsenio abscissa, & magia per eam exercita.

Concilium episcoporū templi consecrādi ergò.

Tyrij Concilij episcopi 60.

Macarius vinculis constrictus.

Athanasij ad concilium aduentus metu extortus.

De Arsenio, & brachio eius, quod amputatum ferebatur: & quòd, cùm post accusationem Athanasius innocens inueniretur, accusatores eius in fugam se coniecerunt: quodq; in secunda Athanasij criminatione, cùm defensionem eius episcopi non admitterent, ipse ad Imperatorem recurrebat, cùm tamen Synodus nihilominus de deponendo illo sententiam tulerat.

CAP. XXI.

Vide Nicephor. c. 50. lib. 8. vide Theodrit. lib. 1. ca. 30. Sozom. lib. 2. ca. 21. 22.

FACTŪ est diuina prouidentia, vt Arsenius etiā Tyrum aduentaret. Nā neglectis mandatis, quæ calumniatores, qui ei pecunias largiti fuerant, dedissent, ex occulto ad res quæ ibi gererentur cognoscēdas accedit. Euenit, vt famuli Archelai, viri cōsularis, in templò, omni abiecta cunctatione, hominē conquirit, conquisitū inuenit, inuentum in loco tuto concludit: Athanasio significat, vt bono animo sit. Viuum enim Arsenium eò aduentasse. Arsenius igitur comprehensus, negat se esse, qui erat. Verùm [a] Paulus Tyri episcopus qui eum iam olim cognouerat, perspicuè Arsenium esse conuincit. His rebus diuina prouidentia ritè commodeque constitutis, [b] Athanasius non multò pòst à Concilio accersitur. Quo præsente, calumniatores manum in medium afferunt: criminem illi obiectant. Ille causam suam agit sapienter. nam tum alios, qui aderant, tum ipsos accusatores rogat, si qui eorum fortè Arsenium noscerent. Cùm plerique se eum noscere respondissent, Arsenium manibus subter pallium occultatis introducendum curat. Tum ab illis denuò scisitatur: Estne hic Arsenius, qui manum amiserit? vnde ex illis qui aderant, solum exceptis ijs qui norant vnde manus esset amputata, alij propter incredibilē rei euentum obstupuerunt: alij manum Arsenio reuera deesse putauerunt, expectaruntque aliam rationem ab Athanasio allatum iri, qua se defenderet.

Arsenij Tyrū aduentus & sui abnegatio.

Arsenius negat se esse qui erat.

a Paulus Tyri episcopus.

b Athanasius causam suam sapienter egit.

At

Arsenius vtraque manu præditus exhibetur.

At ille pallio Arsenij retrò paululum depulso, ex altero latere hominis manum osten- A dit. Rursus, cùm quidam adhuc suspicarentur, eum altera manu orbatum: primò Athanasius aliquantulum se retrahens, illorum animos suspensos reddidit: deinde absque mora, altera pallij parte retrò depulsa, alteram Arsenij manum ostendit: sicque eos qui aderant, affatur: Arsenius, vt videtis, duas manus habere cernitur: locum autem vnde tertia amputata sit, accusatores nobis quæso commonstrēt. His rebus hoc modo de Arsenio confectis, qui dolum contexuerant, non habebant quò se verterent. Achaab, qui alio nomine Iannes appellatus erat, accusator Athanasij, foro iudiciali elapsus, in ipso tumultu clàm se fugæ mandauit. Hoc pacto Athanasius istam accusationem, nulla exceptione vsus, euitauit. Nam non dubitauit, quin sola Arsenij vita, ita stupore esset calumniatores oppressura, vt prorsus succumberent. Verùm in calumnijs contra Macarium illatis diluendis, exceptionibus quas leges præscribūt vsus est. Ac primùm, Eusebium cum suis vt hostes reijcit: non debere iudicium ab aduersarijs exerceri ait. Deinde ostendi postulat, vtrum Ischyras accusator, presbyteri gradum ac dignitatem (nam ita in accusatione scriptum erat) verè obtinuisset. At à iudicibus istarum rerum nulla cura ducitur: lis intenditur Macario. Verùm cū accusatorum vires verè languescerent, causæ cognitio differtur: eo quidem cōsilio, vt certi homines in Mareotem proficiscerentur, inq; eo loco de rebus cōtrouersis disceptarēt. Athanasius autem, vt primùm eos quos reiecerat, missos vidit (mittebantur quidem Theognis, Maris, Theodorus, Macedonius, Valens, Vrsacius) clamat, causam fallacijs & dolo malo agi. iniquum enim esse, vt Macarius presbyter in vinculis teneretur cōstrictus, eius autem accusator cum iudicibus illi omnino infestis versaretur: idque non alia de causa, quàm vt ex vna parte solum rerum in iudicio agendarum commentarij conficerentur. Cùm ista vociferatus fuisset Athanasius, & tum Concilium conuocatum, tum Dionysium consularem esset contestatus, nemoque esset qui illi animum attenderet, se clàm inde subduxit. Qui autem in Mareotem missi erant, ex vna parte solum commentarios conficiunt earum rerum quas accusator retulerat, quasi reuera gestæ fuissent. Vbi Athanasius inde profectus, rectà ad Imperatorem se contulerat, primùm à Concilio indicta causa condemnatur. Deinde simulatque ea quæ in Mareote gesta erant, cū his vnà concurrerant, abdicatio illi decernitur: multa probra in causis abdicationis referēdis contumeliosè objicīB tur: de calumniatoribus, quo pacto inuidia adducti, illum falsò accusauissent, turpiterque essent conuicti, penitùs siletur. Arsenius, qui è medio dicebatur sublatus, ab illis recipitur. Qui quidem antea episcopus sectæ Melitianæ fuit: at iam tum Athanasij abdicationi, vt episcopus Hypsepolitanorum, subscripsit. Et quod dictu est propè incredibile, cui ab Athanasio ferebatur illata mors, hic viuus Athanasium abdicat.

Achaab qui & Iannes, Athanasij accusator.

Athanasij exceptiones in defendendo Macario.

Protestatio Athanasij de iudicij iniquitate.

Athanasius absens indicta causa damnatur.

Arsenij in Athanasium iniuria.

Quomodo Synodus relicta Tyro Hierosolyma commigrauerit: vbi nouæ Hierusalem encenijs celebratis, Arij fautores in communionem admiserint: quodque Imperator Synodum ad se accersendam per epistolam curauit, vt ipse, quæ Athanasio obiectarentur, accuratius examinaret. CAPVT XXII.

Huc refert Niceph. lib. 8. cap. 50.

PRost has res gestas, extemplò literæ Imperatoris afferuntur, quæ significabant, vt Concilium maturè se Ieroso lymam reciperet. Itaq; episcopi nulla interposita mora, Tyro Hierosolymam properè iter faciunt. Solenne festum ob locorum illorum consecrationem celebratur: Arius cum suis in ecclesiam recipitur. Nam dicebatur ab episcopis, se in ea re literis Imperatoris obtēperasse, quibus illis significauerat, se fidem Arij & Euzoij penitùs perspectā habere. Quinetiā ab episcopis literæ ecclesiæ Alexandriæ dabātur, vt omni inuidiæ flamma extincta, res suas pacatè & tranquillè administraret. Referebatur item, Ariū erroris sui pœnituisse, veritatem agnouisse, de cætero ecclesiæ velle adhærere: & propterea ab ipsis meritò receptū esse, Athanasium autē communi cōsensu relegatum. De eisdem rebus etiam ipsum Imperatorem certiorem faciunt. Dū hæc ab episcopis geruntur, continuò aliæ literæ ab Imperatore ad illos missæ sunt, quibus significabatur, Athanasium ad ipsum Imperatorem confugisse: illosque eius causa Constantinopolim debere accedere necessariò. Literæ Imperatoris, quæ missæ erant, sic se habent.

Arius cū suis in ecclesiā receptus.

Synodus Ariū Alexandrinis cōmendat.

Synodus vocata Constantinopolim.

Vide Theodoret. li. 1. cap. 31. Sozom. lib. 2. cap. 25. 27.

VICTOR CONSTANTINVS, MAXIMVS, AVGVSTVS,
episcopis qui Tyri conuenerant, S.

Constantini ad Synodum literæ.

Quanquam equidem nescio, cuius generis sint ea quæ à vestro Concilio, non sine tumultu & magna contentionum procella decreta sunt: ipsa tamen veritas, turbulenta “ quadam animorum vestrorum concitatione videtur quodammodo esse labefactata. “ Nam

A Nam vos dum simultatem, quam nullo modo vultis deponere, mutuò inter vos exer- “ cetis: ea, quæ veritatem attingunt, quæq; Deo grata acceptaque sunt, omninò negligitis. “ Verùm diuina prouidentia perfectum iri spero, vt tum huius contentionis lues perspi- “ cuè deprehensa prorsus dissipetur: tum nobis planum fiat, vósne, qui ibi in vnum conue “ nistis, vllam veritatis curam duxeritis: deque rebus in disceptationem vocatis, neque “ gratia alicuius, neque odio adducti, sententiam pronunciaueritis. Quapropter opus est “ vt omnes vos ad me properè accedatis, quo ratio rerum à vobis gestarum per vos ipsos “ accuratè reddatur. Quid verò causæ sit, cur hæc ad vos scribenda putarim, vosque ad “ me per literas accersiuerim, ex illis, quæ sequuntur, intelligetis. Mihi quidem ad locum “ quendam vrbis Constantinopolis, quæ à meo nomine nomen accepit, quæque omni- “ nò beatissima patria est, proficiscenti (contigerat quidem id temporis me in equo vehi) “ Athanasius in media platea, cum quibusdam alijs quos circa se habebat, adeò subitò & “ præter omnem expectationem sit obuiam, vt ipse profectò propterea obstupescerem. “ Ac Deum testor, qui res contuetur vniuersas, me primo aspectu, quisnam esset, neuti- “ quam potuisse cognoscere: nisi quidam ex nostro comitatu, tum quis esset, tum quam “ iniuriam accepisset, nobis (vt par erat) illis rebus quas retulerunt auscultantibus, mani- “ festo declarassent. Ego tamen id temporis neque sum cum illo locutus, neque sermo- “ nem contuli. Et cum ille rogaret vt à me audiretur, egoque non modò recusarem, sed “ etiam parum aberat quin eum acerbius tractatum omninò abigendum præcepissem: “ ille vehemētius à nobis nihil postulabat, quàm vt vos eò accederetis, quò nobis præsen- “ tibus de iniuria, quam passus fuerat, necessitate coactus posset expostulare. Quod quidē “ cum & mihi consentaneum rationi videretur, & tempora idem ipsum postularent: nō “ inuitus equidem ista ad vos perscribenda curaui, vt omnes qui ad concilium Tyri coā- “ ctum conuenistis, cuestigiò ad castra nostra maturaretis, reque ipsa vestrum iudicium “ æquum sincerumq; commonstraretis, me audiente: quem ingenuum Dei famulum es- “ se, vos ipsi non inficias iueritis. Nam mea religiosa erga Deum obseruantia, pax vbique “ viget: & nomen Dei ab ipsis barbaris, qui ad hoc tempus vsque veritatem ignorarunt, “ sanctè ingenueq; extollitur. Ac constat inter omnes, eum, qui veritatem ignorat, ipsum “ Deum quoq; ignorare. Attamen barbari mea opera, qui ingenuus scilicet Dei famulus B sum, sicut ante dictum est, ad Dei noticiam venerunt, eumq; sanctè colere didicerunt: “ quem quidem me in omnibus locis defendere, req; vera mihi benignè prouidere animaduertunt. Qua de causa in primis Deum cognoscere cœperunt: quem etiam nostri Im- “ perij metu inducti, religiosè colunt illi quidem: sed nos, qui sancta ecclesiæ illius myste- “ ria propugnare videri volumus (non enim dicam obseruare) nos inquam, nullas alias “ res molimur, quàm eas, quæ discordiam & odium pariant: & in summa, quæ ad exitiū “ humani generis spectent. Sed facite ad nos celerrimè, vt dixi, accedatis: hoc pro certo “ persuasum habentes, nos omnibus viribus laboraturos, vt quæ sacro Dei eloquio con- “ tineantur, ea in primis integrè incorrupteq; conseruentur, quibus quidem nulla igno- “ miniæ infamiæue nota omninò inuri possit: dissipatis, protritis, ac penitus extinctis re- “ ligionis Christianæ hostibus, qui simulatione sacrosancti Christi nominis, varias ac di- “ uersas blasphemias in Ecclesiam inuexerunt.

Athanasius Constantino obuiā factus.

Constantinus ingenuus Dei famulus.

Deus enim veritas est.

Constantinus pacis studiosus.

Quòd cum Synodus ad Imperatorem non venisset, Eusebius ac reliqui eiusdem farinæ calumniam Athanasio intentarint: quòd ipse frumentum, quod ex vrbe Alexandrina Constantinopoli suppeditari consueuerat, auersum se interminatus sit. hinc ira percitus Imperator, eiectum in exilium Athanasium, Gallias habitare mandauit. CAP. XXIII.

Huc refer Nicephor. cap. 50. li. 8. Videbozo. libr. ca. 29.

ISte literæ eos, qui aderant in concilio, in graue certamen coniecerunt. Qua de re cōplureis ad suas ipsorum ciuitates reuerterunt. Sed Eusebius, Theognis, Maris, Patrophilus, Vrsacius, Valens, Constantinopolim veniunt, neq; de poculo confracto, aut de mensa euersa, aut de Arsenio interfecto amplius queri permittunt, sed ad aliud crimen confugiunt. Imperatorem docent, Athanasium minatum se vetiturum, quo minus frumentum, vt solet, Alexandria Constantinopolim vsq; aduheretur: istaq; Adamantium, Annubionem, Arbathionem & Petrum episcopos, ex ipso Athanasio audiuisse. Verùm tum certè accusatio valere solet, cum accusator talis sit, quali meritò fides tribuatur. Imperator igitur hac re vehementer incitatus, & quasi graui iracundiæ flamma incensus, Athanasium cijcit in exilium: Galliam incolere iubet. Fertur à quibusdā, Imperatorem istud eo consilio effecisse, vti ecclesia ad concordiam reduceretur: quandoquidem Athanasius cum Arianis communicare omninò recusauit, qui exilio mulatus, Treueri, vrbe Galliæ, ætatem ad tempus degit.

Athanasij crīminatio alia de frumento Alexandrino Constantinopolim non aduehendo.

Accusatio quādo valere soleat.

Athanasij exilium apud Treuiros.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Marcello Ancyræ episcopo, & Asterio sophista.

CAP. XXIIII.

Marcellus episcopatu abdicatus. *Asterius sophista.*

EPiscopi, qui id temporis Constantinopoli congregati erant, Marcellum etiam, episcopum Ancyræ, vrbis quæ est in parua Galatia, tali de causa episcopatu abdicarunt. Asterius quidam, qui in Cappadocia literas humaniores docuisset illis derelictis, Christi fidem profiteri cœpit: & libros scribere aggressus est, qui ad hodiernum diem hominum habentur in manibus. illorũ autem testimonijs Arij dogma confirmatur, Christum videlicet eodem modo virtutẽ esse, sicut apud Moysen dicitur, locustam & brucum virtutem Dei esse: & alia his similia. Assiduè cum episcopis, illisq; potissimùm à quibus Arij opinio minimè reiecta erat, versabatur Asterius, atque adeò ad eorum conuentus accedebat: magno desiderio flagrans, ad episcopatum alicuius ciuitatis arrependi. Cæterùm quoniam tempore persecutionis sacrificauerat idolis, nec ad sacerdotis quidem munus obeundum admissus est. Per vrbes Syriæ vndiq; vagatur, libros quos confecerat, ostendit. Marcellus autem de his certior factus, dum Asterio ex aduerso se opponere volebat, in contrarium omninò errorem ipse delapsus est. Nam Christum, sicut Paulus Samosatenus, solùm hominem esse, non dubitauit asserere. Quæ cum episcopi Hierosolymis conuocati intellexissent, Asterij nullam rationem duxerunt, quandoquidem in numerum sacerdotum non erat assciptus: sed à Marcello, vtpote sacris initiato, libri ab eo conscripti rationem poposcerunt. Vt primùm compererant, cum eandem cum Paulo Samosateno opinionem tueri: præceperunt, vt mutaret sententiam. Ille ad pudendum inductus, librum se combusturum promittit: vbi verò concilium cum festinatione dimissum erat (Imperator enim episcopos Constantinopolim accersiuerat) tandem de Marcelli causa Constantinopoli coram Eusebio & alijs episcopis, qui cum eo erant, denuò disceptatum est. Simulatq; verò Marcellus recusauerat, sicut erat antè pollicitus, librum illum tam inconsideratè scriptum comburere: episcopi qui aderant, eum de gradu episcopatus deijciunt: Basilium eius loco Ancyram mittunt. Quinetiam librum eius Eusebius tribus libris confutat, peruersamq; eius coarguit opinionem. Marcellus posteà in concilio Sardicensi, cum librum à se editum neutiquam intellectum esse, & ob eam causam se in suspicionem vocatum, quòd cum Paulo Samosateno sentiret, episcopatum recuperauit. Sed quid nos de isto auguremur, dicemus suo loco.

Marcellus episcopatu gradu deiectus. *Basilius Marcello suffectus.* *Marcellus restituitur.*

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 52. Vide Sozo. lib. 2. ca. 33.

Quòd Arius, missò iam in exilium Athanasio, cùm Alexandria ab Imperatore accerseretur, turbas aduersus Alexandrum Constantinopolis episcopum concitauit: deq; fœdissima Arij morte.

CAP. XXV.

Alexandria ab Ario turbata. *Arius Constãtinopolim euocatus.*

DVm hæc geruntur, trigesimus annus regni Constantini ad exitum venit. Arius cum suis Alexandriam reuersus, eam ciuitatem vniuersam de integro in magnas turbas coniecit. Populus Alexandrinus acerbè & grauiter tulit, eum quòd Arius cum suis redierat: tum quòd significatum erat, Athanasiũ suum episcopum in exilium eiectum esse. Vbi autem Imperator acceperat de peruersa Arij mente & instituto, eum denuò Constantinopolim accersi iubet, rationem de tumultu & seditione, quam cõcitare aggressus erat, redditurũ. Per idem tempus Alexander, qui iam pridem Metrophani in episcopatu Constantinopolitano successerat, illi Ecclesiæ adhuc præfuit. Iste in ea dimicatione tum contra Arium susceptа, se virum valde pium & religiosum ostendit. Nam cum Arius venisset, & populus esset in duas factiones diuisus, tumultusq; in vrbe exortus, dum alij fidem in concilio Nicæno confirmatam, ratam stabilemque manere: alij, Arij opinionem rationi consentaneam congruentemque asseuerabant, Alexander in graue certamen deuenit: idque maximè, quòd Eusebius Nicomediæ episcopus, sæpè & grauiter illi interminatus fuisset, se quamprimùm eum Episcopatu abdicaturum, si non Arium cum suis in communionem reciperet. At Alexander non tantum de abdicatione laborabat, quantum de doctrina Concilij Nicæni, quam omni cura ac studio euertere contendebant. Nam cum se patronum decretorum illius Concilij duceret, omnibus viribus sibi enitendum censuit, ne illius formulæ & præscripta vllo modo labefactarentur. In hac igitur concertatione constitutus, dialecticæ argutias penitùs misas facit, ad DEI auxilium confugit: in ieiunijs assiduis se attentè defigit, nullam precandi formam prætermittit: tale denique obsequij genus studiosè amplexatur. Itaque in Ecclesiam, quæ Pacis nomine nuncupata est, se solum occludens, ca

Alexandri certamen ac pietas.

Vide Sozom. lib. 2. ca. 28. Vide Nicep. lib. 8. ca. 56. Vide Theodorit. lib. 1. cap. 14. Finis anni 30. Constantini.

Alexander Metrophanis successor, qualem se aduersus Arium gesserit.

A ea quæ sibi videbantur conuenientia peregit: ad altare progressus, humi coram sacra mensa se in faciem prostrauit: cum lachrymis Deum orauit: permultas noctes diesque continuas in ijs rebus versatus est. Nam à Deo opem postulauit: postulationis compos factus est. Postulatio autem talis fuit: O Deus (inquit) largire, vt si Arij opinio vera est, ipse diem disceptationi præstitutam neutiquam videam: sin autem fides, quam ego teneo, vera est, Arius omnium istorum malorum author, debitas suæ impietatis pœnas luat. Hoc modo precatus est Alexander. Imperator autem opinionis Arij periculum facere cupiens, illum ad palatium suum accersit: rogat, vtrùm concilij Nicæni decretis consentiret. Ille sine mora alacri & prompto animo coram Imperatore subscribit: cũ tamen ea, quæ in Concilio de fide decisa erant, astutè & veteratoriè ludificatus sit. Imperator hoc admiratus, illum etiam ad iusiurãdum adigit. Ille simulatè & fallaciter istud quoque præstitit. Fucata verò ratio, quã ad fraudem in subscribendo vsus sit, sicut ipse audiui, eiusmodi fuit. Arius suam ipsius opinionem in charta, quam habebat, conscribit: eam sub ala gestat. Iurat se verè & ex animo sentire, quemadmodum scripserat. Istud ita factum esse, fama solum & auditione accipiens, literis mando. Verùm quod iusiurandum subscriptioni adijciebat, perspicuè ex Imperatoris literis colligo. Imperator illi fidem adhibens, dat mandatum Alexandro episcopo Constantinopolis, vt in communionem recipiatur. Erat tum dies sabbathi: postridiè eius diei expectabat Arius se in Ecclesiæ conuentum & communionem receptum iri: cæterùm in eius audaces & perditos conatus est illico vindicatum. Postquam enim aula Imperatoris egressus est, Eusebij fautoribus stipatus, magna cum celebritate & pompa per mediam vrbem incedit. Simulatq; forum Constantini (sic enim est appellatum) appropinquauerat, in quo columna ex porphyrite locata est, timor ex conscientia sceleris exortus Arium oppremit. cuius vi laxatur aluus: rogat vtrum latrinæ essent in proximo, cùm ponè forum Constantini vnas esse didicisset, rectà eò se confert. Hominem igitur animi defectio occupat: ac simul cum excrementis anus subitò delabitur: magna sanguinis copia sequitur: viscera tenuia pariter effluunt, sanguis, cum ipso splene & iecore effunditur: mortem continuò oppetit. Latrinæ illæ ad hoc vsque tempus Constantinopoli, ponè forũ (vt dixi) Constantini, & macellum in porticu, cernuntur: omnesq; qui illac transeunt, digitum ad locum intendunt, quò commemorabilem mortis rationem, qua Arius ibi occubuerit, demonstrent. Hac re gesta, ingens terror & exanimatio Eusebianæ factioni incussa est: fama rei non solum per totam ciuitatem, sed etiam per vniuersum propè dixerim orbem terrarum permanauit. Imperator verò hac ratione fidei Christianæ firmius adhæsit: fidem concilij Nicæni autoritate & nutu diuino reuerà confirmatam asseruit: & propterea illo exitu Arij magnoperè lætatus est.

Constantinus Arium tẽtat. *Arijfucus ac dolus.* *Constantini forum.* *Arij interitus.* *Ario Conscientia metum incutit, metuit, metuit aluum laxat, aluus laxat, alius vitalia effundit.* *Eusebianam factionem metu occupat.* *Imperator Arij interitu lætatus & in fide de concilij Nicæni confirmatus.*

Porrò autem, ex tribus filijs summam animo percepit voluptatem, quos singulos ad decimum quemque Imperij sui annum Cæsares renunciauit. Ac maximum natu, quẽ suo ipsius nomine nũcupauerat Constantinum, decimo anno regni sui, partibus Imperij in Occidente sitis præfecit: secundum, quem aui nomine Constantium appellauerat, vigesimo anno partium Imperij ad Orientem spectantium Cæsarem declarauit: tertiũ, qui minimus natu erat, nomine Constantem, trigesimo anno Cæsarem creauit.

Constantini filij Constantinus. Constantius. Constans.

De Imperatoris Constantini funere. CAP. XXVI.

ANno pòst, Imperator Constantinus sexagesimum quintum ætatis suæ annum ingressus, in morbum incidit: ac Constantinopoli decedens, Helenopolim traijcit, balneis aquarum natura calidarum, quæ ibi sunt in proximo, vsurus. Vbi verò morbo grauius afflictabatur, lauationem balnearum distulit. Helenopoli autem abscedens, Nicomediam rectà proficiscitur. Illic in suburbio commoratus, lauacro Baptismatis, quod est Christianorum proprium, tingitur, quo vehementer exhilaratus, testamentum facit: in quo tres filios, hæredes Imperij instituit: & illis hæreditates, sicut cùm integra esset valetudine, distribuit. multa præclara monimenta cum Romæ, tum Constantinopoli legat. Presbytero illi, per quem Arius erat reuocatus (cuius paulò antè fecimus mentionem) testamentum concredit: cui mandat, vt nulli alij quàm filio suo Constantio, quem Orienti præfecerat, illud in manus daret. Testamento aũt cõposito, & vita ad aliquot dies propagata, mortem oppetit. Nemo ex filijs eius morti interfuit. Proinde nuncius in Orientem Constantio patris mortem significaturus, mittitur. Corpus Imperatoris, necessarij ac familiares in loculo aureo condunt: ad Constantinopolim deportant: ibi in palatio altius à terra collocant: magno prosequuntur honore, vsque eò, quoad vnus ex filijs adueniret. Post Constantij ab Oriente aduentum, regio decoratur funere, inque ecclesia

Vide Nicep. lib. 8. cap. 54. 55. Vide Theodorit. lib. 1. cap. 32. 34. Vide Sozomen. lib. 2. cap. 32. Euseb. de vita Const. lib. 1. cap. 1. Item lib. 4. cap. 61. 62. 63. 64. 65. Vide vitã Constant. lib. 4. cap. 61. &c.

Constantini morbus. *Baptismus, et testamentum.* *Obitus.* *Sepulchrum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Apostolorum (sic enim vocabatur) reponitur: quam quidem ecclesiam ob eam ipsam causam Constantinus ædificauerat, ne Imperatores & sacerdotes Apostolorum reliquijs aliquando destituerentur. Vixit Imperator Constantinus annos sexaginta quinque: triginta vnum regnauit: mortem obijt, Feliciano & Tatiano Coss. ad vndecim. Kalendas Iunij, anno secundo ducentesimæ septuagesimæ octauæ Olympiadis. Iste liber spacium annorum triginta vnius complectitur. Triginta annorum scilicet cõpletorum & vnius non cõpleti, vtpote cui duo menses defuerint.

SOCRATIS SCHOLASTICI HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, LIBER SECVNDVS.

Superiori libro 1. Socrates complexus erat res in Ecclesia gestas, annis 30. quibus imperauit Constantinus Magnus: præsenti hoc libro secundo comprehendit res gestas annis 25. quibus imperarũt eius filij. Huc autem refer S. Aurel. Victorem. Pompon. Lætum, Eutrop. lib. 10. Oros. lib. 7. ca. 29. Ammianum Marcellinum lib. 14. & 15. His adde Concil. & Hæres. Tomos, & ex Scriptoribus supra ad Eusebium dictis vitam Pontif. Rom. Liberij, & eum præcedentis Iulij. Constantinus, Constantius, Constans, Constant. Magni filij, patri succesſerunt anno Christi 340.

Proœmium, in quo declarat, quare quæ in primo & secundo libro tractantur, altius repetiuerit.

CAP. I.

Ruffinus historiæ Ecclesiasticæ scriptor, eiusq; error.

QVANQVAM Ruffinus, qui historiam Ecclesiæ Latinis literis mandabat, in temporum propterea aberrauit ordine, quòd discrimina, in quæ deuenerat Athanasius, post mortem Imperatoris Constantini accidisse arbitratur: ignarus nimirum cùm aliarum rerum complurium quas pertulisset, tum exilij, quod in Gallia perpessus esset: tamen nos eius opinionem & sententiam, quod ad rerum gestarum attinet narrationem, antea secuti, primum & secundum historiæ nostræ librum conscripsimus. A tertio autem ad septimum vsque, nonnulla ex eiusdem Ruffini libris petendo, alia ex alijs diuersis scriptoribus excerpendo, quædam deniq; ex ipsis hominibus, quibus adhuc vita suppetit, audiendo, historiam omnibus suis partibus expleuimus. Posteà tamen cum fortè fortuna incideremus in eos Athanasij libros, in quibus tum de suis ipse miserijs conqueritur, tum qua ratione Eusebianæ factionis calumnia in exilium missus fuisset, exponit, nobis pro certo persuasum videbatur, ei qui istis afflictatus fuisset, alijsq; qui res gestas ipsi corã aspexissent, multo potius fidem adhibendam, quam his, qui nitebantur coniectura, & ob eam causam in errorem incurrebant. Quinetiam varias nonnullorum epistolas, qui id temporis vixerũt, sedulò perlegendo, veritatem (quantum fieri poterat) inuestigamus. Quapropter & res gestas in primo & secundo nostræ historiæ libro commemoratas, altius coacti sumus repetere: & eas in quibus Ruffinus neutiquam à veritate deflexerit, adiecimus. Porrò autem illud intelligendum est, nos in priore istorum librorum editione, neque abdicationem Arij, neque Imperatoris epistolas posuisse: sed ne historiæ longitudo legentium studia vlla ex parte retardaret, res breuiter nullis orationis ornamẽtis adhibitis explicasse. Verum quoniam hoc ob eam causam faciendum fuit, Theodore, sacerdos Dei sanctissime, vt videlicet cognosci possent tum epistolæ, quæ ab Imperatoribus totidem verbis perscriptæ sunt: tum ea, quæ episcopi in varijs Concilijs, dum perfectiora de religione decreta pedetentim sancire laborabant, in lucem ediderunt: idcirco in hanc posteriorẽ nostram editionem, ea quæ ad illud institutum accommodata putabamus, studiosè cõiecimus. Atq; istud quidem & in primo libro præstitimus: & in secundo, quem iam habemus in manibus, sedulò præstare enitemur. Sed iam ad historiam ingrediamur.

Vnde historiã Socrates collegerit.

Quòd Eusebius Nicomediensis cum suis, denuò Arij dogma resuscitare adnixus est, vnde motus in Ecclesia nati sint: & quomodo Athanasius literis Constantini iunioris communitus Alexandriam redierit.

CAP. II.

Euseb. & Theognis Arij dogma resuscitare conati.

MOrtuo Imperatore Constantino, Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicææ episcopus, tempus opportunum se nactos arbitrati, omnes suos neruos contenderunt, vt fidem de Consubstantiali confirmatam exturbarent ab Ecclesia, Arijque opinionem in eius locum introducerẽt. Verùm hoc se minimè consequi & effi-

Huc refer Nicephor. cap. 2. li. 9. Vide Theodorit. lib. 2. ca. 1. & 2. Sozo. lib. 3. ca. 1. 2.

cere

A cere posse intellexerunt, si Athanasius rediret Alexandriam. Ista quidem callidè aggressi sunt, subsidijs illius presbyteri, quem causam fuisse antè diximus, cur Arius esset reuocatus, adiuti: sed quemadmodum res confecta sit, dicendum arbitror. Presbyter iste testamentum & mandata, quæ ab Imperatore iam mortuo acceperat, Constantio Imperatoris filio defert. Ille, vt intellexerat, hoc ipsum in testamento scriptum esse, quod sibi erat maximè in optatis (testamento enim partium Imperij ad Orientem spectantium hæres institutus fuit) presbyterum in magno honore habere, multum illi tribuere cœpit libertatis: liberè & audacter in regiam ingredi iubet. Quæ quidem libertas illi ab Imperatore concessa, tum ad vxoris Imperatoris, tum ad eunuchorum eius familiaritatẽ aditum citò patefecit. Eodem tempore eunuchus quidam, cui nomen erat Eusebius, primarius fuit Imperatoris cubicularius. Hic presbyteri suasu peruersæ Arij opinioni assensit, reliquosq; eunuchos in eandem induxit sentẽtiam. Quinetiam Imperatoris coniunx eunuchorum & presbyteri hortatu & consilio, in Arij errorem prolapsa est. Paulò pòst Imperator ipse rem in quæstionem vocauit: pedetentim passim vagari cœpit, ac primùm inter satellites, qui palatium frequentabant: deinde per multitudinis animos, quæ vrbem incolebat, peruadere. De opinione illa in ipsa regia, cubicularij Imperatoris cum mulierculis digladiantur: in singulis vrbis familijs litigiosa disserendi pugna fuit. Mali igitur illius contagio ad alias prouincias & ciuitates celeriter permanauit: & controuersia, velut scintilla, ex paruis admodum initijs exorta, audientium animos ad discordiam concitauit. Nam cuique causam tumultus sciscitanti, ansa statim disceptãdi oblata est: & quisq; non modo de ea rogare, verumetiam pugnaciter disserere voluit. Ita contentionis procella tranquillus rerum status penitùs labefactatus est & euersus. Atque istæ quidem concertationes, vrbes solum ad Orientem vergentes isto modo exagitarunt. Nam Illyrium & aliæ regiones versus Occidentem, interea temporis pacatæ & quietæ fuerunt: quippe quæ concilij Nicæni decreta nullo modo perfringere voluerint. Postquam igitur contentionis flamma erat accensa, & indies magis magisque exardescebat, factio Eusebiana multitudinis tumultum in lucro deputauit. Sic enim posse fieri sperabat, vt aliquis Alexandriæ episcopus deligeretur, qui eandem tueretur opinionem. Verùm eodem temporis momento Athanasius literis Cæsaris Constantini, B iunioris scilicet, patris nomine nuncupati, quasi communitus Alexandriam reuerti tur. Eas quidem literas Imperator ipse ad populum Alexandrinũ ab vrbe Treueri, quæ est in Gallia, miserat: quarum exemplar infra scriptum est.

De hoc presbytero, vide Socratem supra lib. 1. ca. 19.

Imperatori presbyter cõmendatus.

Eusebius Imperatoris eunuchus.

Imperatoris aula inficitur Arianismo.

Contagium Arianismi.

Athanasius Alexandriam reuertitur.

CONSTANTINVS CAESAR POPVLO ECCLESIAE *Catholicæ Alexandrinæ.*

Vide Nicen. cap. 2. li. 9. Vide Theodorit. lib. 2. cap. 2.

Vestræ prudentiæ minimè obscurum arbitror, quid causæ fuerit, cur sacrosanctæ legis & doctrinæ Euangelicæ interpres Athanasius, à patre meo in Galliam ad tempus relegatus sit: ne scilicet per nefariam improborum quorundam peruersitatem (nam agrestis infestorum & crudelium hostium immanitas eius capiti periculum intenderat) vulnera planè insanabilia sustinere coactus fuisset. Quocirca vt hanc nequam hominum
» maliciam effugeret, ex illorum quasi faucibus, qui ei struebant insidias, ereptus est, iusq; vt sub mea ditione vitam degat: quò non aliter ac si in ea ciuitate versaretur, in
» qua antehac vixerit, omnibus rebus ad vitam necessarijs (licet eius eximia virtus diuina
» ope freta, graues asperioris fortunæ ærumnas pro nihilo putet) abundare circumfluere.
» que possit. Quamobrem cum Dominus noster felicis memoriæ Constantinus Augu-
», stus, pater meus, haberet in animo episcopum illum ad propriã sedem locumq;, quem
», apud vos, viros gratissima erga Deum pietate præstãtes occupauerat, restituere: & mor-
» te (vt fors humana fert) antè occupatus occumberet, quam id, quod erat sibi in optatis,
» explere posset: consentaneum certè existimaui, vt ipse institutum tam pij Imperatoris
» mihi exequendum susciperem. Quanta autem obseruantia & honore hominem com-
», plexus fuerim, ab eo ipso, simulatq; in vestrum conspectum venerit, facilè intelligetis.
» Nec mirum sanè, me istud humanitatis officium erga illum declarasse. Nam cùm quæ-
» dam vestri desiderij quasi effigies, tum grauis hominis persona ante oculos mentis ob-
», uersata, animum meum ad hoc ipsum commouit, vehementerq; cohortata est. Deus
» vos, fratres mei charissimi, sua prouidentia diu seruet incolumes.

Athanasius cur in Gallia relegatus.

Cur nunc Alexandriam remissus.

Istis literis confisus Athanasius Alexandriam reuertitur: quem populus Alexandrinus animis lubentissimis recepit. Verùm qui in ea vrbe labe opinionis Arianæ erant aspersi, contra illum conspirarunt. Inde crebræ seditiones ortæ, quæ factioni Eusebianæ ansam ad Athanasium apud Imperatorem falsò accusandum præbuerunt: eiq; crimini datum est, quòd suo ipsius arbitrio (cum cõmunis episcoporũ conuentus illud minimè

Athanasius Alexandriã reuersus, rursumq; pulsus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

decidisset)ecclesiæ illius administrationem denuò occupasset. Adeò verò creuit calum A nia, vt Imperator ira admodum accensus, eum Alexandria exturbaret. Sed qua ratione hoc factitatum sit, dicam equidem paulò pòst.

Quòd Eusebio Pamphili mortuo, Acacius Cæsariæ episcopus creatus est: & de Constantini iunioris morte. CAP. III.

Eusebij Pamphili mors. Acacius successor eius. Constantini iunioris interitus, anno 343.

EOdem tempore Eusebius cognomento Pamphilus, Cæsariæ Palæstinæ episcopus, mortem obijt: & Acacius, eius discipulus, in illum successit episcopatum: qui quidem cùm alios complures libros, tum librum de vita præceptoris sui Eusebij conscripsit. Non longo tempore pòst, Constantinus iunior, qui nomen à patre traxerat, frater Imperatoris Constantij, in fines Imperij Constantis fratris sui natu minoris irruptionem faciens, cum eius militibus manu confligit, ab eisdemq; interficitur, Acindyno & Proclo Coss.

Vide Niceph. ca. 3. lib. 9.

Acacij liber de vita Eusebij, vide infra cap. 20.

Quòd Alexander cum è vita decederet, duos in episcopatum ipsius degendos proposuit, Paulum & Macedonium. CAP. IIII.

Alexandri episcopi obitus, anno 345.

PEr idem tempus in vrbe Constantinopoli alius tumultus, eas seditiones quas ante posuimus, est continuò insecutus: qui quidem eiusmodi de causa excitatus est. Alexander illius ecclesiæ episcopus, qui strenuè contra Arium dimicauerat, cum viginti tres annos in episcopatus administratione cõtriuisset, annosq; vixisset nonaginta octo, excessit è vita. & quanquã neminem, qui in eius locum succederet, renunciauerat: illis tamen, penes quos erat episcopi deligendi potestas, in mandatis dedit, vt alterum è duobus, quos ille nominaret, diligerent. Atque si vellent hominem cùm ad populum docendum aptum, tum vitæ & morum integritate probatum, ad illud munus assumere, Paulo, quem ipse presbyterum ordinauerat, suffragarentur: qui vt ætate admodum iuuenis, ita prudentia & consilio planè senex erat. Sin eum, quem illustris pietatis significatio solum commendabat, sibi dari optarent, Macedonio eum honoris gradum deferrent: qui & diaconus illius ecclesiæ iampridem fuisset, & nunc ætate valde prouectus. Vnde in episcopo deligendo maior orta contentio, ecclesiaq; grauius exagitata est. Nam populus fuit in duas factiones diuisus: quarum altera dogmati Ariano adhæsit mordicus, altera cum decisione concilij Nicæni penitùs consensit. Ac dum Alexandro vita suppetebat, illi qui fidem de Consubstantiali confirmatam amplexi sunt, ab Arianis, qui pro suo ipsorum dogmate pertinaciter disceptabant, & in dies singulos acriter digladiabantur, superiores partes tulerunt. Verùm vt primũ ille ex hac luce migrauerat, populi dimicatio valde anceps fuit. Ob quam causam, qui fidem Consubstantialis tutabantur, Paulum creauerũt episcopum: qui autem fauebant Arianismo, ad Macedonium deligendum omni studio incubuerunt. Atq; in ecclesia, quæ Pacis nomen habet, quæq; in proximo sita est illi, quæ magna ecclesia dicitur, Sapientiæq; nomine nuncupatur, Paulus deligitur episcopus: inq; eo deligendo demortui suffragium videbatur primas tulisse.

Paulum.

Macedonium.

Schisma in electione episcopi.

Paulus episcopus Constantinopolitanus.

Quòd Constantius Imperator Paulum iam ordinatum episcopum extrudit: ac Eusebio, quem Nicomedia reuocandum curauit, Constantinopolis episcopatum tradit. & quòd Eusebius alteram Synodum Antiochiæ vrbis Syriæ congregari fecit, ac inibi aliam fidei expositionem pronunciari. CAPVT V.

Deturbato per vim Paulo, Eusebius Nicomediensis, Constantinopolis episcopus creatus.

NOn multo pòst Imperatori Constantinopolim aduentanti, electio Pauli episcopi non mediocrem bilem mouit. Atq; concilio episcoporum improbæ Arij opinioni deditorum in vnum conuocato, Paulum episcopatu abdicandum curat: Eusebiumq; Nicomedia eò traductum, Constantinopolis episcopum renunciat. Quibus rebus confectis, Imperator Antiochiam iter capit. Eusebius autem acquiescere non potuit, sed omnem lapidem (vt in prouerbio est) mouit, vti quod animo instituisset, ad exitum perduceret. Concilium igitur Antiochiæ, quæ est in Syria, cogit, ecclesiæ scilicet dedicandæ nomine, quam Cõstantinus, istorum imperatorum Augustorum pater, ibi ædificare cœperat. Post cuius mortem filius eius Constantius, decimo anno post iacta illius fundamenta, eam absoluit: idque, si verum dicere volumus, vt fidem Consubstantialis prorsus labefactaret, euerteretq;. In isto concilio episcopi nonaginta ex diuersis ciuitatibus conuenerunt. Verùm Maximus

Vide Niceph. li. 9. cap. 4. Vide Theodorit. lib. 2. cap. 5. 6. Vide Sozom. lib. 3. cap. 2. 4. 6. Concilium Antiochiæ.

Maximus episcopus cur ad concilium non venerit.

Amus Hierosolymorum episcopus, qui Macario successerat, ad illud neutiquam accessit: ratus, si accessisset, se compulsum iri Athanasij abdicationi subscribere. Quinetiam Iulius Romanus episcopus, neutiquam aderat: neque quenquam, qui eius locum sup- *Iulius episcop. Rom.*
Vide infra hoc lib. ca. 15. Theodo. lib. 2. c. rit. lib. 2. c. 22. lib. 5. ca. 10. Sozom. pleret, eò misit: idq; cùm [a] Canõ ecclesiasticus iubeat, non oportere absque sententia episcopi Romani, decreta ecclesijs sancire. Cogitur itaque concilium Antiochiæ, præsente Imperatore Constantio, Macello & Probino Coss. [b] Quintus iam annus agebatur à morte Constantini, istorum Cæsarum Augustorum patris. Id temporis ecclesiæ Antiochenæ præfuit [c] Placitus, q Euphronio successerat. Factio verò [d] Eusebiana, ad Athanasium falsò accusandum operam suam ac studium potissimùm contulit: ac primùm, quòd decretum, ab illis tum statutum violasset, scilicet quòd absque consensu & sententia communis concilij episcoporum gradum sacerdotij denuò suscepisset. nam illum ab exilio redeuntem, suo ipsius arbitrio ad ecclesiam regendam præcipitem ruisse querebantur. Deinde, quòd in eius reditu, tumultu oborto, multi in seditione interissent: quodque illius opera alij plagis cæsi, alij in iudicium adducti fuissent: quinetiam ea quę Tyri contra Athanasium acta fuêre, in medium proferunt.

a Canon ecclesiasticus pro Rom. episcopi prærogatiua.

b Annus, à morte Constãtini.

c Placitus Euphronij successor.

d Eusebiana factio nouam criminationẽ Athanasio intentat.

De Eusebio Emiseno. CAPVT. VI.

Eusebius Emisenus Alexãdriæ episcop. Georgij de Eusebio liber.

INterea loci, dum ista falsa criminatio Athanasio illata est, Eusebium illũ cognomento Emisenum, episcopum Alexandriæ deligunt. Quisnam iste fuerit, docet Georgius Laodicææ episcopus, qui tum in illo ipso concilio aderat. Etenim in libro illo quẽ de eius vita ediderat, narrat primũ, Eusebium ex viris primarijs Edessæ, quæ est in Mesopotamia, oriundum, & ab ineunte ætate Sacris literis institutũ: deinde humaniori literatura liberaliter à doctore, qui id temporis Edessæ habitabat, instructũ. postremò, sacri eloquij intelligentiã ex Patrophilo & Eusebio, qui illud ei interpretabantur, didicisse: quorũ hic Ecclesiæ Cæsarien sis, ille Scypotholitanæ episcopus fuit. posthæc Antiochiam, vbi Eustathium à Cyro Beroeensi fortefortunà erroris Sabelliani accusatum, gradu deiectum esse contigerat, demigrasse. Deinceps cum Euphronio, qui Eustathio successerat, vnà versatum: & quò sacerdotij munus vitaret, Alexandriam perrexisse: illic philosophiæ operam dedisse. postea Antiochiam reuersum, Placiti, qui successerat Euphronio, familiaritate vsum fuisse. Inde ab Eusebio Constantinopolis episcopo ad Alexandriæ episcopatum gerendum accersitum: verùm propterea quòd Athanasius à populo Alexandrino plurimum diligeretur, non eò profectum, sed missum ad vrbem Emisenorum. vbi de eius electione magna apud populum Emisenũ excitata discordia (insimulabatur enim, disciplinam Mathematicam exercuisse) fugam cœpisse: Laodiceam ad Georgium, qui de eo multa prædicarat, se contulisse. Georgius verò illum Antiochiam deduxit, & per Placitum & Narcissum Emisam reducendum curauit: eum denuò in crimen erroris Sabelliani vocatum. atque ista de eius electione Georgius fusius disseruit. Ad extremum adiungit, tum Imperatorem ad Barbaros fortè profectum, Eusebium inde abduxisse: tum pro certo compertum esse, portentosas quasdam præstigias ab eo editas fuisse: sed de illis quæ sunt à Georgio de Eusebio Emiseno commemorata, hactenus.

Præstigiæ Eusebij Emiseni.

Quòd, qui conuenerant Antiochiæ episcopi, cùm Eusebius Emisenus Alexandriam recusaret, Gregorio pro eo suffecto, fidei Nicææ confirmatæ mutationem fieri curabant. CAPVT VII.

Vide Niceph. ca. 5. lib. 9. Theodori. li. 2. ca. 12

Gregorio episcopatus Alexãdriæ defertur.

EOdem tempore, cùm Eusebius Antiochiæ esset episcopus Alexandriæ delectus, & eò proficisci extimesceret, Gregorio illum episcopatus gradum deferunt. Quæ re cõfecta, fidem commutare laborant: qui tametsi nihil eorum quæ in concilio Nicæno acta sunt, reprehendere volebant: reuera tamen fidem Consubstantialis per crebra concilia labefactare & euertere, & aliàs aliter de fide decidere aggressi sunt, vti paulatim homines ad Arij opinionem impellerent. Cæterùm qua ratione ista acta sint, sequenti sermone ostendemus.

Epistola de fide.

Epistola ab illis de fide literis prodita, hæc quidem est.

Prima Antiochenæ Synodi confessio. Symbolũ hypocritarũ quorũdam, qui cùm essent Ariani, videri tamen nolebant.

„ Nos neque sumus Arij sectatores (quí namq; fieri potest vt cùm simus episcopi, Ario
„ presbytero auscultemus?) neq; aliã fidem quã quæ ab initio diuulgata sit, recipimus: sed
„ cùm in fidẽ eius studiosè inquirere, eamq; accuratè expẽdere miteremur, Arium potius
„ ad nos reuertentẽ admisimus, quàm eius opinioni sumus ipsi obsecuti: idque ex ijs quæ
„ dicentur, facilè cognoscetis. Nã nos ab initio didicimus, in vnum Deum totius vniuer-
„ sitatis, omnium rerum quæ tum mente tum sensu percipiuntur, opificẽ & curatorem

Universidad de Deusto
Biblioteca

credere: & in vnum filium Dei vnigenitum, qui fuit ante omnia secula, & vnà cum patre, qui eum genuerat, extitit: per quem omnia visibilia & inuisibilia facta sunt. Qui in nouissimis diebus secundum patris beneplacitum descendit, & carnem de sancta virgine assumpsit. Qui omnē patris sui voluntatē expleuit: qui passus est, resurrexit, & ad cælos ascendit, & ad dexteram patris sedet. Et venturus est iudicare viuos & mortuos, & rex ac Deus in secula permansurus. Credimus etiam in Spiritum sanctum. Et si quid amplius adiungendum est: Credimus carnis resurrectionem, & vitam æternam. Ista cū in prima epistola scripsissent, Ecclesiæ ministris cuiusq; ciuitatis miserunt. At vbi palò amplius Antiochiæ fuerant commorati, hanc fidei formulam quodammodo condemnantes, aliam de integro conscribendam curarunt, his ferè verbis.

Altera fidei confessio Synodi Antiochenæ.

Credimus, secundum Euangelicam & Apostolicam traditionem, in vnum Deum patrem omnipotentem, rerum vniuersarum opificem & fabricatorem. Et in vnum Dominum Iesum Christum, filium eius vnigenitum, Deum, per quem omnia facta sunt: genitum ante omnia secula ex patre, Deum de Deo, totum ex toto, solum ex solo, perfectum ex perfecto, regem ex rege, dominum ex domino, verbum viuum, sapientiā, vitam, lucem veram, viam veritatis, resurrectionem, pastorem, ostium: eumq; nec conuerti, nec mutari posse: expressam diuinitatis, essentiæ, virtutis, consilij, gloriæ patris imaginem, primogenitum omnis creaturę: qui fuit in initio apud Deum, Deus verbum (sicut in Euangelio dictum est: Et Deus erat verbum) per quem omnia facta sunt, & in quo omnia consistunt. Qui in nouissimis diebus descendit de cælis, & natus est ex virgine secundum Scripturas, & homo factus, mediatorque Dei & hominum, apostolus

Alia fidei formula de Deo patre, de filio Dei.

Ioan. 6.

fidei nostræ, dux vitæ. & sicut ait ipse de se: Descendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Qui passus est pro nobis, & resurrexit pro nobis tertia die, & ascendit ad cælos, & sedet ad dexteram patris: & iterum venturus est cum gloria & virtute, iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum, qui credentibus ad consolationem, sanctificationem, & perfectionem donatus est. Sicut et-

De Spiritu sancto.

Matth. 28.

iam Dominus noster Iesus Christus præceperat discipulis suis, dicens: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: hoc est, Patris, qui verè pater est: & Filij, qui verè filius est: & Spiritus sancti, qui verè Spiritus sanctus est. quæ nomina non sunt temerè aut ociosè posita: sed accuratè exprimunt propriam personam, ordinem & gloriam cuiusque eorum qui nominantur, vt sint personis tres, consensu autem vnus. Istam igitur fidem coram Deo patre, & filio suo Iesu Christo tenentes, omni hæreticæ prauitati anathema denunciamus. Et si quis contra rectam ac sanam Scripturarum fidem docuerit, vel tempus vel seculum esse vel fuisse, & antè filiū Dei factum esse, anathema esto. Si quis dixerit filium creaturam, tanquā vnam ex creaturis, aut germen, tanquam vnum ex germinibus & non sicut sacræ Scripturæ singula eorum quæ suprà diximus, tradiderūt: aut si quis aliud aut docuerit aut euāgelizauerit, præter id quod accepimus, anathema esto. Nos enim omnibus quæ à Scripturis diuinis, à Prophetis & Apostolis tradita sunt, verè & ingenuè credimus, eaque diligenter sequimur. Eiusmodi fuēre fidei formulæ episcoporum, qui tum Antiochiæ conuenerant: quibus Gregorius, quanquam nondum Alexandriam aduentauerat, vt Alexandriæ tamen episcopus subscripsit. Concilium autem iam tum ibi congregatum, cùm istas res

Reipub. status perturbatio.

transegisset, aliasq; nonnullas sanxisset, dimissum est. Eodem tempore Rerumpub. status fortè fortuna magnopere perturbatus fuit. Nam gens Francorum (sic enim appellantur) in Romanorum fines, qui Galliæ finitimi sunt, incursionem fecit. Per idem tempus etiam in Oriente terræmotus grauissimi facti sunt, idque Antiochiæ vel maximè, vbi ad annum integrum terra concussa & exagitata fuit.

Terræmotus.

Quomodo, cùm Gregorius deducentibus eum militibus Alexandriam veniret, Athanasius salutem sibi fuga quæsierit.

CAPVT VIII.

Gregorius Alexādriam deducitur armata manu.

HIs rebus constitutis, Syrianus dux, & milites armati vnà ad quinque milia, Gregorium Alexandriam deduxêre. Ariani autem ibi illis venêre subsidio. At qua ratione Athanasius ecclesia exturbatus, eorum manus effugerit, dicendū arbitror. Iam aduesperascebat: populus per totā noctem, quia cōmunio futura erat, aduigilat. Accedit dux, militib. per phalanges dispositis, ecclesiam circumdat. Quæ cū animad-

Athanasius qua ratione manus aduersariorum effugerit.

uertisset Athanasius, omnem suā curam & cogitationem eò contulit, vt populus nihil damni ipsius causa caperet. Dat mandatū diacono, vt preces populo prędicaret. Psalmū recitare iubet. Cū Psalmus suauiter & cū concentu decantaretur, vniuersus populus per vnam portā ecclesiæ egreditur. Dū istud gerebatur, milites absq; tumultu acquiescunt: Athanasius

A Athanasius autem in media canentium turba euadit incolumis. Isto pacto, è periculo ereptus, Romam properè contendit. Tum Gregorius ecclesiam illam occupat. Populus Alexandrinus, quod factum erat iniquo animo ferens, ecclesiam quæ est Dionysij nomine appellata, incendit. Sed de his satis multa.

Alexandrini tumultuantur.

Quomodo post mortem Eusebij populus Constantinopolitanus Paulum rursus in episcopali sede locauerit, & Ariani contrà Macedonium delegerint.

CAPVT IX.

Vide Socrat. infra hoc lib. ca. 22. 30. 31. 35. Vide Sozom. lib. 3. cap. 16. Vide Nicephor. ca. 7. lib. 9.

EVsebius simulatque ea quæ volebat confecerat, legatum ad Iulium episcopum Romanum oratum misit, vt ipse in causa Athanasij iudex esse vellet, litisque dijudicationem ad se transferret. Verùm ea quæ erant à Iulio de Athanasio iudicata, ad aures Eusebij neutiquam peruenerunt. nam paulo post dimissum Concilium, exiuit è vita. Quapropter populus Constantinopolitanus Paulum in ecclesiam denuò introducunt. Eodem temporis momento Ariani in ecclesia diuo Paulo dicata, a Macedonium deligunt episcopum. Istud quidem ab illis actum est, qui iampridem Eusebio vniuersum ecclesiæ statum perturbanti opem tulerant. Qui autem id temporis authoritate multū valebant, fuêre isti: Theognis Nicææ episcopus, Maris Chalcedonis, Theodorus Heracleæ, quæ est in Thracia, Vrsacius Singidonis superioris Mysiæ, Valens Murforum superioris Pannoniæ. Verùm Vrsacius & Valens postea resipiscere, libelloque pœnitentiæ Iulio episcopo donato, fidei Consubstantiali assentiri, cumq; ecclesia communicare cœperunt. Per idem tempus, qui sectam Arianam ardenter tuebantur, bella valde grauia contra ecclesias commouent: ex quibus vnum Constantinopoli per Macedonij fautores excitatur. Atque ex isto intestino bello Christianorum, crebræ in ea ciuitate seditiones conflantur, multique earum violentia protriti intereunt.

Eusebius causam Athanasij cōpromittit in Iulium Rom. episcopum.

Paulus denuò in ecclesiā introducitur.

a Macedonius deligitur episcopus.

Ariani grauia bella contra ecclesias commouent.

De Hermogenis ductoris exercitus nece, & quomodo secundò ob hanc causam Paulus ecclesia pulsus sit: & quòd Ariani translato Alexandria Gregorio, Georgium pro illo substituerint.

CAPVT X.

Vide Nicephor. cap. 7. lib. 9. Vide Theodori. li. 2. ca. 14. Sozom. li. 3. cap. 6.

B FAma istarum rerū ad aures Imperatoris Constantij, qui tum Antiochiæ commorabatur, permanauit. Mandatum igitur dat Hermogeni duci, qui erat in partes Thraciæ missus, vt ab instituto itinere paululum digressus, Paulum ecclesia expelleret. Ille Constantinopolim profectus, vniuersam vrbem, dum episcopum vi conatur cijcere, vehementer conturbat. Statim namque populi tumultus insecutus est, paratique erant episcopum defendere: vt verò instabat Hermogenes, copijsque militaribus Paulum exigere acriter nitebatur, multitudo bile percita, temerè & inconsultò (vt in huiusmodi seditionibus fieri solet) impetum in illum facit: ædes, in quibus erat, incendit: illum ipsum inde extractum interimit. Ista acta sunt duobus Augustis Coss. ad tertium scilicet consulatum Constantij, ad secundum Constantis. Quo quidem tempore Constans gentem deuicit Francorum, eosque fœderatos ac socios Romanis fecit. Constantius autem Imperator de cæde Hermogenis certior factus, equo conscenso Antiochia decedens, Constantinopolim rectà iter capit: Paulum eijcit è ciuitate: ipsam ciuitatem, ablato frumenti congiario super quadragies centena millia medimnorum, quod illi ab eius patre in dies singulos donatum erat, multauit. Nam ante illud tempus circiter octuagies centena millia medimnorum frumenti, quod Alexandria eò aduehi solet, illi vrbi erant suppeditata. Macedonium verò Imperator episcopum eius ciuitatis renunciare distulit. Etenim in illū non solum quòd de eius sententia & consilio neutiquam delectus fuisset, verùm etiam quòd propter graues tumultus inter ipsum & Paulum excitatos, cùm alij multi, tum dux eius Hermogenes trucidatus fuisset, iracundia admodum exarsit. Itaque potestate Macedonio conuentus in ea solum ecclesia celebrandi, in qua electus erat episcopus, permissa, Antiochiam reuertit. Interea temporis Ariani Gregorium, vtpotè a populo magnopere inuisum, Alexandria transferunt: idque non ea de causa solum, sed etiam cùm propter templi incendium, tum propterea quòd non satis videbatur ipsorum opinioni patrocinari. Georgium igitur accersunt, qui & ex Cappadocia oriundus, & opinione de religione, quam illi tuebantur, imbutus fuit.

Hermogenes Constantinopolim cōturbat.

Eius interitus anno 345.

Georgij reuocatio.

Vide Nicephor. ca. 8. lib. 9. Theodori. lib. 2. ca. 14. Sozom. lib. 3. cap. 5.

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Athanasius & Paulus Romam profecti Iulij Pontificis literis nixi, proprias sedes rursus consequuti sunt. CAPVT XI.

Supra cap. 5.

ATHanasius verò vixdum in Italiam traiecerat. Id temporis Constans, qui inter Cæsares minimus natu fuit, fratre suo Constantino (sicut iam antea diximus) à militibus interfecto, imperij partibus versus Occidentem præfuit. Eodem tempore Paulus episcopus Constantinopolis, Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, vrbis minoris Galatiæ, & Lucius Adrianopolis, alius ob aliam causam, accusati, & ecclesijs suis ejecti, Romæ omnium ciuitatum facilè principis versantes, Iulium episcopum Romanum de suo ipsorum statu certiorem faciunt. Ille verò, quoniam ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtinebat, literis suis ad episcopos Orientis liberius perscriptis, illorum partes tueri studet: in Orientem literas mittit, quò & suus cuique locus restitueretur, & eos qui illos temerè abdicauerant, grauiter reprehenderet. Illi decedunt Roma: literisq; Iulij episcopi confisi, ad suas ipsorum ecclesias redeũt: literas, ad quos scriptæ erant, mittunt. Hi, vbi eas acceperunt, Iulij reprehensionem contumeliæ loco ducunt: Concilium Antiochiæ conuocant. Ibi, simulatq; conuenerant, de communi omnium sententia epistolam conscribunt, per quam Iulium cõtrà acrius insimulant: ostenduntque, si qui eorum arbitrio ecclesia fortè exacti essent, rem ab eo non debere decerni, nam quando ille Nouatum Ecclesia exturbarat, ipsos minimè cõtradixisse. Ista episcopi Orientis Iulio episcopo Romano per literas significarũt. Cæterùm quoniã Athanasio [a] Alexãdriam ingresso, tumultus à Georgio Ariano excitatus est (fertur enim, istius conatu turbas cædesque hominum factas) & Ariani cùm istos tumultus, tum eorum causas in Athanasium, tanquam earum authorem transtulêre, propterea pauca mihi hoc loco de eisdem rebus dicẽda sunt. Veras earum causas, etsi Deus, qui est veritatis iudex, solus quidem intelligit: tamen quòd eiusmodi res, cùm multitudo intestina seditione digladiatur, maxima ex parte accidere soleant, prudentibus viris minimè obscurum est. Quare Athanasij accusatores temerè & sine causa culpã in eum conferunt: & Sabinus vel maximè, erroris Macedoniani patronus: qui si, vel quanta & quàm grauia mala Ariani contra Athanasium, aliosque qui fidei Consubstantialis firmè adhærescebant, machinati fuissent, vel quas expostulationes cõcilia Athanasij causa coacta de illo fecissent, vel quæ facinora hæreticorũ princeps Macedonius contra omnes ecclesias molitus esset, secum diligenter considerasset, aut certè conticuisset: aut si cœpisset loqui, ea loqui debuisset, quæ ad istarum rerum vituperationem spectassent. Iam verò ista omnia silentio præterit: res autem ab Athanasio gestas falsò criminatur. At de Macedonio hæreticorum coryphæo, dum audaces & perditos eius conatus, quos tam tragicè parauerat, penitùs occultare studet, nullam omnino facit mentionem. Et quod multo plus habet admirationis, de Arianis, quos ipse vitabat, non malè loquitur. Quinetiam de electione Macedonij, quem secutus est, planè reticuit. Nam si illius mentionem fecisset, mentionem etiam suorum ipsius scelerum (sicut ea quæ in illa ipsa electione acta sunt, satis perspicuè declarant) omnino facere necesse fuisset. Verùm de illo hactenus.

Vide Nicephor. ca. 8. lib. 9. Sozom. lib. 3. cap. 7. Theodorit. lib. 2. ca. 13. 14.

Orthodoxi episcopi diuersis sedibus ejecti Romam confugiunt.

Romanæ ecclesiæ priuilegia in ecclesiam Orientalem.

Concilium Antiochenum.

Nouatus.

Orientalium episcoporum responsum ad literas Iulij Romani.

[a] Alexandrini tumultus authore Georgio, nomine Athanasius.

Sabinus Macedonianus.

Macedonius hæreticorum princeps.

Quòd Imperator Paulum per Philippum præfectum exturbari, atque in exilium mitti, ac Macedonium in sede eius collocari præceperit.

CAPVT XII.

ONstantius Imperator Antiochiæ commoratus, simulatque acceperat Paulum episcopatus Constantinopolitani sedem denuò occupasse, rem acerbè & grauiter tulit. Philippo igitur præfecto, vtpote maiorem cæteris prouinciarum præsidibus potestatem consecuto (secundus namque ab Imperatore nuncupatus est) mandatum scriptis proditum mittit, vt Paulum eijceret ecclesia, Macedoniumque in eius locum introduceret. Præfectus verò Philippus populi tumultum veritus, Paulum astutè admodum aggreditur: Imperatoris voluntatem tacitus occultat. Atque simulata specie publicis ciuitatis rebus diligenter prouidendi, ad balneum publicum, quod Zeuxippus dicitur, rectà pergit: mittitque inde quendam, qui Paulum honorificè accerseret, diceretque, illum ad præfectum venire debere necessariò. Postquam ille accitus venerat, præfectus absq; mora Imperatoris mandatum ostẽdit. Episcopus sententiam, licet iniquè contra eum pronunciatam, æquo animo fert. Præfectus autem tum eos qui circumsistebant, tum multitudinis impetum ad modũ reformidans (multi namq; rumoris suspicione commoti, ad publicum illud balneum concur-

Vide Nicephor. ca. 9. lib. 9.

Philippus ab Imp. secundus

Zeuxippus balneum.

Vafrũ Philippi consiliũ in ablegãdo Paulo.

A concursarant) vnam fenestram balnei aperire iubet. Paulus per eam in nauigium ad eam rem paratum demissus, cum festinatione in exilium mittitur. Cui in mandatis dedit præfectus, vt Thessalonicam, primariam Macedoniæ ciuitatem, (in ea verò à maioribus suis oriundus erat) proficisceretur: inque illa vitam degeret, libereque & securo animo ciuitates etiam adiret Illyrij: verùm ad partes versus Orientem reuertendi nullam omnino ei facere voluit potestatem. Paulus igitur præter expectationem & Ecclesia pariter & ciuitate ejectus, cum celeritate abducitur. Imperatoris præfectus Philippus, ex balneo publico ad ecclesiam maturat. Cum illo, quasi compositò factum fuisset, aderat Macedonius: inq; rheda pariter assidens, omnium vndiq; oculis ostenditur. Militum manus cum gladijs eos stipat. Inde multitudinis animis terror iniectus est. Omnes itaq; ad ecclesias confluunt, & tam illi qui fidem Consubstantialis, quàm qui Arij dogma tutabantur, ad ecclesiam ire contendunt. Simulac præfectus vnà cum Macedonio ecclesiæ appropinquabat, ingens certè metus tum multitudinem, tum milites etiam ipsos perculit. Nam quoniã tanta aderat turba, vt nullus transitus præfecto Macedonium deducenti patéret, milites multitudinem violenter trudere cœperunt: atq; cũ multitudo ita coarctata esset, vt præ loci angustia secedere non posset, milites illam ex aduerso se illis opposuisse, & sua sponte transitum præfecto intercluisse arbitrati, districtis gladijs in eam impetum facere, † acriterque ad pugnã incumbere cœperunt. Circiter tria millia hominum, & centum quinquaginta occubuisse fertur: quorũ alijà militibus trucidati, alijà multitudine oppressi interierunt. Macedonius verò post tam præclarè facta, perinde ac si nihil admisisset mali, sed istorum scelerum integer & innocens fuisset, arbitrio potius præfecti quàm canone ecclesiastico in sede episcopali collocatur. Ad hunc modum igitur Macedonius & Ariani per tantam hominum cædẽ ad ecclesiæ gubernationem ascenderunt. Per idem tempus Imperator amplam & magnificam ecclesiam, quæ Sapientiæ nomen iam habet, constituxit: eique ecclesiæ illam adiunxit, quæ Pacis dicitur, quæque à patre suo, cũ antea esset angusta, tum amplificata magnitudine, tum ornatu illustrata fuit: iam verò ambæ & vno muro cernuntur circundatæ, & vno nomine appellantur.

Pauli Constantinopolitani episcopi exilium.

† Videantur pag. 296. lat. 1. lin. 6.

Macedonius quomodo ad ecclesiæ gubernationem ascenderit.

Templum Sophiæ.

B *Quòd Athanasius minis Imperatoris exterritus, Romam iterum confugit.*

CAPVT XIII.

EOdem tempore alia falsa criminatio contra Athanasium conficta est ab Arianis, qui ad eum accusandum hanc causam conquisiuerant. Iampridẽ Constantinus frumenti congiarium ecclesiæ Alexandrinæ ad pauperes alendos suppeditauerat. Istud aiunt Athanasium vendidisse, & ad suum ipsius quæstum conuertisse. Habet fidem illis Imperator: eum minatur morte mulctaturum. Athanasius, vbi minas Imperatoris resciuerat, se fugæ mandauit: latitauit in obscuro. Tum Iulius episcopus Romanus, cùm de iniurijs Athanasio ab Arianis illatis certior factus esset, & literas Eusebij, qui iam mortem obierat, recepisset, Athanasium, vbi de loco in quo occultabatur audiuerat, ad se accersit. Eodem temporis momento literæ, quas episcopi Antiochiæ paulò antè congregati miserant, afferuntur. Porrò autem aliæ literæ ab episcopis Aegypti ad eum missæ sunt, quæ quidem crimina Athanasio obiecta, perspicuè falsa esse docuerunt. Itaque Iulius literis contrarijs ad ipsum missis, episcopis qui Antiochiæ conuenerant, per literas respondit. Ac primùm docet, quantum molestiæ & acerbitatis eorum epistola ipsi attulisset: deinde eos cõtra Ecclesiæ canones egisse, quòd illum ad Concilium non vocassent: quippe cùm Canon ecclesiasticus vetet, ne decreta absque sententia episcopi Romani Ecclesijs sanciantur. Tum fidem ab illis clàm deprauari: item, quæ erant iampridem Tyri peruersè gesta, ea vi ac dolo, propter commentarios quosdam in Mareote ex vna parte solum malitiosè confectos, omnino transacta esse. Quinetiam quæ de Arsenio commenti fuissent, meras calumnias esse manifestò ostendit. Ista aliaque eius generis, Iulius ad episcopos Antiochiæ conuocatos pluribus verbis perscripsit. Hoc loco & epistolas ad Iulium, & eius ad alios insereremus, si non verbosa earum longitudo nos ab eo faciendo auocaret. Sabinus erroris Macedoniani propugnator, de quo iam antea mentionem feci, quanquã in libro eius, qui rerum in Concilijs gestarum collectio inscribitur, epistolam episcoporum Antiochiæ conuocatorum ad Iulium scriptam minimè prætermisit, epistolas tamen ipsius Iulij in eodem neutiquam intexuit. Verùm istud facere illi in more positum erat. nam quæcunque epistolæ in Concilijs conscriptæ, verbum Consubstantiale vel silentio transiêre, vel penitùs irritum fecêre, eas studiosè & diligenter citauit: contrarias autem de industria missas fecit.

Vide Nicephor. ca. 9. lib. 9.

Athanasij crimination.

Athanasij fuga.

Iulij Romani humanitas.

Iulij Pont. Rom. ad episcop. Antiochiæ literæ.

Canon ecclesiasticus de prærogatiua Episcopi Romani in conciliis, vide supra hoc lib. cap. 5.

Sabinus Macedonij propugnator.

Supra cap. 11.

Sabini in scribendo insyncerit as.

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Occidentalium partium Imperator à fratre petebat, vt ad se mitteret qui de abdicatione Athanasij Paulique rationem redderent: & quòd, qui missi erant, aliam fidei expositionem secum adducebant. CAPVT XIIII.

Paulus episcopus Romam profiscitur.

NOn longo tempore pòst Paulus Thessalonica decedere, & Corinthũ petere se simulans, rectà in Italiam proficiscitur: ibi ille & Athanasius vna, suam ipsorum conditionem Imperatori patefaciunt. Imperator, cuius dictioni partes versus Occidentem subiectæ erant, illorum iniurias suam ipsius calamitatem statuens, literas ad fratrem dat: perque illas ei significat, vt tres episcopi, rationem de Pauli & Athanasij abdicatione reddituri, ad ipsum mittantur. Missi sunt igitur Narcissus Cilix, Theodorus Thrax, Maris Chalcedonius, & Marcus Syrus. Qui, vt accesserant, cum Athanasio noluerunt in colloquium venire: quinetiam fidei decisionem Antiochiæ editam occultantes, aliam quàm episcopi contexuerant, Imperatori exposuerunt, his ferè verbis:

Vide Nicephor. cap. 10. lib. 9. Sozom. li. 3. cap. 9.

Episcopi Orientis Ariani Romam missi, impostoris rem agunt.

Fidei expositio à 4. episcopis Constantinopolitanis oblata.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, conditorem & opificem omniũ, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. Et in vnigenitum filium eius Dominum nostrum Iesum Christum, qui ante omnia secula ex patre genitus est: Deũ de Deo, lumen de lumine, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælis, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia: qui est verbum, sapientia, virtus, vita, lux vera. Qui in nouissimis diebus propter nos incarnatus est, ex sancta virgine natus, crucifixus, mortuus, & sepultus. Qui resurrexit à mortuis tertia die, ascendit ad cælos, sedet ad dexteram patris: & venturus est in fine seculorum iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique secundum opera sua: cuius regni non erit finis, sed manebit in secula seculorum. nam sedebit ad dextram patris, non solum dum hoc seculum manet, sed etiam in futuro. Et in Spiritũ sanctum, hoc est paracletum, quem promiserat Apostolis, & post ascensum in cælos misit, vt doceret & suggereret illis omnia: per quem sanctificabuntur animæ illorum, qui verè in eum credunt. Eos autem qui dicunt, filium ex nihilo constare, aut ex alia substantia quàm ex Dei patris, aut tempus fuisse cùm non esset, Ecclesia catholica à se alienos decernit. Vbi ista Imperatori & multis alijs exposuerant, absque vlla de alijs rebus reddita ratione abscedunt. Porrò autem, dum adhuc tum qui ad Orientem incolebant, absque discrimine ipsi inter se communicant, Sirmij, quæ est ciuitas Illyrij, noua hæresis exoritur. nam Photinus, qui ecclesijs ibi præfuit, ex parua Galatia ortus, Marcelli, qui episcopatu abdicatus erat, discipulus, præceptoris vestigijs insistens, filium Dei, solum hominem esse affirmauit. Verùm de ijs dicam alio loco.

B

Sirmij noua hæresis exorta.

Photini hæresis.

De fidei expositione, longa verborum ambage contexta.

CAPVT XV.

Fidei expositio.

IAmridem interiecto, episcopi versus Orientem concilium denuò conuocant: aliam fidei formulam componunt: episcopis Italiæ per Eudoxiũ Germanicię episcopum, Martyrium, & Macedonium Mopsuestię vrbis Ciliciæ episcopum mittunt. Ista fidei formula pluribus verbis conscripta, multas appendices, præter ea quæ in alijs fidei formulis antea compreheṅa erant, continuit: hisque verbis explicata est. Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, conditorem & opificem omnium, ex quo omnis paternitas in cælis & in terra nominatur. Et in vnigenitum filium eius, Iesum Christum, Dominum nostrũ, qui ante omnia secula ex patre genitus est: Deum de Deo, lumen de lumine: per quem omnia facta sunt, & quæ in cęlis, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia: q est verbũ, sapientia, virtus, vita, lux vera: qui in nouissimis diebus propter nos homo factus est, ex sancta virgine natus, crucifixus, mortuus & sepultus. Et qui resurrexit à mortuis tertia die, ascendit in cælum, sedet ad dexteram patris: qui venturus est in fine seculorum iudicare viuos & mortuos, & reddere vnicuique iuxta opera sua. Cuius regni non erit finis, sed manebit in infinita secula. Sedebit enim ad dexterã patris, nõ solum dum hoc manet seculum, sed etiam in futuro. Credimus etiam in Spiritum sanctum, hoc est in paracletũ, quem Christus promiserat Apostolis post ascensum suum in cælum, & quem misit vt doceret & suggereret illis omnia: per quem animæ eorum qui in eum verè credunt, sanctificantur. Eos autem qui asserunt, filium ex nihilo ortum, aut ex alia substantia quàm ex Dei patris, aut tempus seculumúe fuisse cùm non esset, sancta & catholica ecclesia alienos à se decernit. Pari ratione & ijs qui tres deos esse dicunt, vel Christum nõ esse Deum ante secula, vel eum neque Christum neque filium Dei esse, vel Patrem & Filium

Vide Nicephor. cap. 11. lib. 9. item D. August. & Epiphaniũ de hæresibus. Vide Sozom. lib. 3.

A Filium, & Spiritum sanctum eundem esse, vel Filium ingenitum esse, vel Patrem non proposito & voluntate sua filium genuisse, sancta & Catholica Ecclesia anathema denunciat. Neque enim sine errore dici potest, Filium ex nihilo constare: quãdoquidem istud de eo in literis diuinitùs inspiratis minimè reperitur. Neq; certè illum ex alia substantia præter patrem ante subiecta, sed ex solo Deo patre verè genitum esse didicimus. Etenim verbum Dei docet, patrem Christi vnum ingenitum, & sine principio fuisse. Quinetiam neque tempus fuisse cum nõ esset, tutò absq; scripturæ testimonijs asserere possumus, quasi temporale spacium in eo præcogitandum sit: sed Deum solum, qui sine tempore illum genuit, animo complecti debemus. etenim tempora & secula per illum facta sunt. Neque prætereà quispiam vel Pater, vel Filius simul absque principio, simulque ingenitus esse propriè dicetur: sed vt patrem solum absque principio esse, incomprehensibilem, & filium genuisse ratione quadam, quę nec comprehendi, nec ominò percipi potest, cognoscimus: sic ipsum Filium ante secula genitum, & non simili ratione cum Patre ingenitum intelligimus, sed habuisse principium Patrẽ, qui ipsum genuit. nam caput Christi, Deus. Neque cum confiteamur tres res, & tres personas, Patris nimirum, Filij & Spiritus sancti, secundum Scripturas, tres propterea deos constituimus. nam in se perfectum & ingenitum, absque principio, & inuisibilem Deum, vnũ solum cognoscimus Deũ, & vnigeniti filij patrem, qui solus ex seipso habet vt sit, quiq; solus alijs omnibus rebus abundè largitur vt sint. Et cum vnum Deum Patrem Domini nostri IESV Christi, solum vnigenitum dicimus, non ob eam causam negamus Christum Deum esse ante secula: in quo errore versabantur, qui à Paulo Samosateno hæresis suæ originem duxerunt, affirmantes illum post incarnationem suã ex profectu Deum factum esse, cùm natura homo solum & simpliciter esset. Scimus enim, illum, quãuis Patri & Deo subijciatur, tamen Deum ex Deo secundum naturam genitum fuisse, perfectum & verum esse, & non ex hominibus posteà Deum factum: sed Dei Patris voluntate propter nos incarnatum, & nunquam amisisse, vt Deus esset. Prætereà illos detestamur, anathemateque multandos ducimus, qui eum solum ac simplex verbũ Dei, & substantia carere, sed in altero esse commenticia ratione asserunt: & modò tanquam ex ore prolatum, modò tanquam in mente alicuius inclusum, à quibusdam appellatũ dicunt: ipsum autem Christum & Dominum, & filium Dei, & mediatorem, & imaginẽ Dei non fuisse ante secula statuunt: sed ex eo tempore illum Christum & filium Dei fuisse, * ex quo nostram carnem ex virgine ante quadringentos annos integros assumpsit. nam ab illo tempore regnum Christi principium habuisse volunt, & post mundi consummationem & iudicium finem habiturum. In quo errore sunt Marcelliani, Photiniani, Ancyrogalatiani: qui quidem tum Christi essentiam & diuinitatem, quę fuit antequam ab illo conciperetur & nasceretur, ex Deo patre genitam, tum regnum eius similiter, quod fine caret, propterea improbant, quod monarchiam constituere præ se ferant. Verùm nos, cum non verbum simpliciter prolatum: aut in Dei patris quasi mente insitum: sed verbum viuens, Deum, qui per se ipse exiſſit, & filium Dei & Christum esse: & non simul cum patre suo ante secula per solã præscientiam fuisse, & versatum esse, & ad omne opificium illi inseruisse, rerum siue visibilium siue inuisibilium, sed cum patre verbum verè extitisse, & Deum ex Deo fuisse. Hic enim est, ad quem dixit Pater: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, qui antiquis patribus propria persona apparens, legem dedit: qui etiã per Prophetas locutus est: & ad extremum homo factus, suum ipsius patrem omnibus hominibus patefecit: qui regnat in infinita interminataque secula. Neque enim Christum nuper suam dignitatem accepisse, sed ab omni æternitate ipsum perfectum, & patri per omnia similem esse credimus. Illis autem, qui dicunt, Patrem & Filium & Spiritum sanctum eundem esse, & tria nomina in vna re & persona impiè intelligunt: non sine causa Ecclesia interdicimus, quòd patrem, qui nec comprehendi, nec pati queat, per incarnationem posse & comprehendi & pati statuant. Cuius generis sunt, qui Patropassiani apud Latinos, apud nos autem Sabelliani dicuntur. At nos scimus, Patrem, qui misit Filium suum, in propria immutabilis diuinitatis suæ natura permansisse: Christum autẽ missum, incarnationis œconomiam expleuisse. Pari ratione, eos qui impiè & nefariè dicunt, Christũ neq; consilio neq; voluntate patris genitũ esse, necessitatẽ scilicet & substantiã consilij & liberi arbitrij expertẽ Deo patri attribuentes, sicut Filiũ inuitus genuerit, execrabiles in primis, & à veritate alienissimos iudicamus: tũ q̃ cõtra cõmunes, quæ de Deo extãt, notiones, tũ q̃ contra sententiã ac sensum Scripturæ diuinitùs inspiratæ, eiusmodi dogmata de illo audeant statuere. Nos aũt, Deũ & suijpsius iuris & arbitrij esse cognoscimus: & sanctè religioseq; existimamus, illũ sponte & volũtate sua Filiũ genuisse. Credimus etiã, idq; piè, illud q̃ de eo dicitur: Dominus creauit me initio viarũ suarum,

Vide Nicephor. cap. 11. lib. 9.

Sic lege ex Nicephoro cap. 11. lib. 9.

Marcelliani. Photiniani. Ancyrogalatiani.

λόγος cum patre locutus.

Contra Sabellianos.

Patropassiani. Sabelliani.

Pson. 8.

Pauli Samosateni hæresis.

rum, ad opera sua: non tamen ita creatum esse, vt alias creaturas, & res ab eo fabricatas, A
intelligimus. Nam istud impium est, & à fide Ecclesiastica penitùs auersum, conditorē "
operibus ab eo conditis assimilare: & illum eundem generādi modum habuisse, quem "
res ab eius natura prorsus diuersæ habuerunt, arbitrari. Etenim sacræ Scripturæ, vnum "
& solum filium vnigenitum, ingenuè & verè genitum, nos docent. Quinetiam cum fi- "
lium per se esse, & viuere & existere simili ratione cum patre dicamus: non tamen pro- "
pterea illum à patre separamus, & locos quosdam interuallaque inter illorum coniun- "
ctionem & cohærentiam corporeo more cogitatione informamus. nam credimus, eos "
nulla intercapedine aut spacio interposito cohærere, & à se neutiquam posse separari: "
ita vt pater totum filium suo quasi sinu complectatur, & filius toti patri annectatur, o- "
mninoque adhæreat, inq; solo paterno gremio perpetuò conquiescat. Credimus ergo "
in Trinitatem perfectam, sanctissimamq;: ac cum patrem Deum, & filium Deum dici- "
mus, non tamen duos deos, sed vnum esse confitemur, pari diuinitatis amplitudine, & "
vna perfecta regni coniunctione: & sicut Pater principatum cùm in res vniuersas, tum "
in ipsum Filium obtinet: ita Filium Patri subijci, & extra ipsum Patrem omnia à se fa- "
bricata proximè & secundum illum gubernare: quinetiam Spiritus sancti gratiam pa- "
tris voluntate affatim sanctis tribui. Hoc modo nanq; eloquia sacra nobis tradiderunt, "

Cur tam diffuse sententiam suam explicuerint.

de monarchia, quæ est in Christo, orationem instituendam esse. Post breuem illam & "
compendiariā fidei formulam, ista vberius diffusiusq; explanare coacti sumus, non vt "
inani & arroganti contentione digladiaremur: sed vt omnē suspicionem de nostro iu- "
dicio & opinione animis hominum, qui nos penitùs ignorant, iniectam, tanquam alie- "
nam à nobis remoueremus: quinetiam vt omnes, qui versus Occidentem habitant, nō "
solum impudentes eorum calumnias, qui contrariam opinionem tuentur, verùm etiā "
Ecclesiasticam & Christianam episcoporum Orientem incolentium doctrinam, ex sa- "
cris diuinitusq; inspiratis Scripturis, quas ipsi peruersè interpretantur, ratione facili & "
minimè contorta confirmatam pro certo intelligant. "

Occidentales exhibitam ab Orientalibus confessionem respuunt.

Ista episcopi, qui partes versus Occidentem accolebāt, tum quòd linguæ Græcæ igna-
ri erant, tum quòd ea propter eandem causam non intelligebant, neutiquam recepere:
sed fidem in concilio Nicæno stabilitam satis esse, nihilq; vlterius curiosè vestigandum,
dixere. B

De Sardicensi concilio. CAP. XVI.

Vide Nicæ. ca. 12. li. 9. Vide Theodorit. lib. 2. ca. 7. 8.

CVm Imperator denuò scripsisset, vt Paulo & Athanasio sua ipsorum loca
ac sedes restituerentur, nihilq; proficeret (intestina namq; seditio multi-
tudinem sine intermissione implicatam tenuit) Paulus & Athanasius a-
liud concilium cogi postulant: vt cùm de eorum rebus, tum de fide in Con-
cilio generali cognosceretur: docentq;, se abdicatos fuisse, quo ipsa peni-
tùs labefactaretur fides. Edicitur ergo Concilium generale, vt omnes Sardicam com-
meent (est autem hæc ciuitas Illyrij) idq; de sententia duorum Imperatorum, alterius
per literas illud flagitantis, alterius, qui in Oriente regnabat, alacri & parato animo eis-
dem obtemperantis. Vndecimo anno post mortem patris duorū Augustorum, Ruffi-
no & Eusebio Coss. concilium Sardicense coactū est. Episcopi circiter trecenti, qui ver-
sus Occidentē habitabant, vt ait Athanasius, eò conueniunt. Ex episcopis autem, qui O-
rientem incolebant (vt Sabinus narrat) solū septuaginta sex (in quorum numero fuit
Ischyras Mareotis episcopus: quem illi, qui Athanasium abdicabant, ad episcopatum il-
lius loci delegerant) Sardicā aduentant. Nā alij corporis infirmitatem causantur: alij de
temporis præstituti queruntur angustia, culpamq; illius rei in Iulium episcopū Roma-
num conferunt: cū tamen ex eo tempore, quo tum Concilium editū fuerat, tum Atha-
nasius concilium expectans Romæ commoratus erat, annus & sex menses iam præter-
ijssent. Postquam igitur Sardicæ conuenerant episcopi Orientis, in conspectum episco-
porum Occidentem incolentium venire noluerunt: dixeruntq; se non alia conditio-
ne in colloquium cum illis venturos, nisi Athanasium & Paulum è conuentu expelle-
rent. Verùm vbi Protogenes Sardicensis episcopus, & Osius episcopus Cordubæ (est hęc
quidem, vt suprà dixi, ciuitas Hispaniæ) minimè ferebant vt Paulus & Athanasius abes-
sent; episcopi Orientales confestim decedunt: cumq; ventum esset ad vrbem Philippi,
quæ est in Thracia, priuatum inter ipsos concilium constituêre: de cæterò apertè verbū
Consubstantiale anathemate damnare: opinionem, quòd Filius Patri dissimilis esset,
per literas scriptas vbique disseminare cœperunt. Episcopi autem Sardicæ coacti, pri-
mum istos indicta & deserta causa condemnare: deinde Athanasij accusatores dignita-
tis gradu dimouere: tum fidei Nicenę decisionē constabilire: opinionemq;, quòd Filius
esset Patri dissimilis, prorsus explodere: postremò, verbum Consubstantiale multo no-
tius

Sardica.

Sardicense cōcilium quando coactum.

Annus à morte Cōstantini decimus: anno Christi 1350.

Ischyras episcopus, de quo suprà Socrates lib. 1. c. 20.

Orientales episcopi tergiuersantur.

Corduba.

Philippi vrbs.

A tius & illustrius efficere. nam literas scribunt illi quoq; de ea re, & passim ad omnes mit
tunt. Quare vtriq; se rectè fecisse arbitrati sunt: episcopi Orientis, propterea, quòd Occi-
dentis episcopi eos recepissent, qui ab illis erant abdicati: Occidentis autem episcopi, tū
quia illi, qui eos abdicauerant, ante causæ cognitionem abscesserant: tum quia ipsi fi-
dem Nicænam tenebant, illi verò euertere non dubitarant. Sedes igitur Paulo & Atha-
nasio reddunt: itemq; Marcello, episcopo Ancyrę vrbis paruę Galatiæ, qui quidem iam
pridem (vti in primo libro commemorauimus) abdicatus fuerat, tum autem sententiā
contra se antè pronūciatam pro viribus impugnare laborauit: docuitque, sermonis &
loquendi modum quo liber scriptus erat, non intellectum esse, & propterea se in suspi-
cionem opinionis Pauli Samosateni vocatum. Sed tamen illud à nobis minimè igno-
rari debet, Marcelli librum ab Eusebio Pamphilo, qui contra illum differebat, tribus
libris quos contra Marcellum inscripsit, refutatum esse, verbaque ipsius Marcelli ab eo
citata: quæ quidem & oppugnare contendit, & docet, Marcellum non aliter quàm Sa-
bellium Afrum, & Paulum Samosatenum, Dominum IESVM solum hominem indu-
xisse.

Paulo, Athanasio & Marcello sedes redditæ.

Marcelli liber

Pro Eusebio Pamphili apologia. CAP. XVII.

Vide Nicæ. cap. 13. li. 9.

Porro aūt Zonaras & nonnulli alij Eusebium Arianum insimulant, eosq; arguunt, in quæ ipsius scripta Arianiæ Eccle-

QVoniam autem nonnulli ipsum Eusebium Pamphilum, in libris quos e-
didit, tanquam Arij errori fauentem, contumelijs vexare aggressi sunt: nō
incommodum arbitror, pauca de illo disserere. Primùm enim, concilio
Niceno de Consubstantiali decidenti & interfuit, & assensus est. In tertio
verò libro quem de vita Constantini conscripsit, ista de illo Concilio his
ferè verbis ipse commemorat: Imperator omnes ad concordiam eatenus reducere con-
tendit, quoad eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venissent, tum con-
spirantes animis, tum opinionibus consentientes reddidisset, ita vt concors fides inter
eos vigeret. Quod si igitur Eusebius, dum concilij Nicæni coacti mentionem facit, om-
nia quæ in controuersiam venerant, soluta esse dicat, omnesq; in eadem sententia & o-
pinione fuisse: quid est, cur quidam illum in Arij hæresin propendisse existiment? Quin
etiam Ariani ipsi falluntur opinione, dum eum cum ipsis sentire arbitrantur. At
B dixerit quispiam, illum in libris suis, partibus Arij propterea videre fauere, quòd percre
brò in eisdem hoc modo loquatur, PER CHRISTVM. Cui respondemus, quòd hoc lo-
quendi modo, alijsq; item nonnullis, qui œconomiam humanitatis Seruatoris nostri
exprimunt, sæpenumero tum alij scriptores Ecclesiastici vsi sunt: tum Apostolus ipse,
qui nunquam peruersæ cuiusquam opinionis magister existimatus est, ante istos om-
nes eadem verba vsurpauit. Porrò autem, quæ fuerit Eusebij sententia opinioque, cum
Arius filium creaturam, tāquam vnam ex aliarum creaturarum numero, esse diceret,
hoc loco accipito. qui in primo libro contra Marcellum sic loquitur: Vnigenitus Dei
filius solus ille, & nō alius, & prędicatur, & est. Vnde meritò reprehēdendi sunt hi, quos
» non pudet eum creaturam asserere, & pari ratione cum alijs creaturis ex nihilo ortum
» esse. Quomodo enim filius erit, aut qua ratione vnigenitus Dei, cum eandem cum cæte-
» ris creaturis habeat naturam, vnusq; sit ex plebeiorum mortalium numero: vtpotè, qui
» similiter cum illis ortus sit, & creationis, quæ ex his, quæ non sunt, particeps factus? Ve-
» rùm non ita de illo sacra tradunt eloquia. Paulò pòst etiam adiungit: Quisquis igitur fi-
» lium ex nihilo genitum, & præcipuam creaturam ex nihilo ortam eum statuit: nomen
» solum Filij ille quidem imprudens ei largitur, sed filium reuera esse denegat. Nam qui
» ex his, quæ non sunt, genitus sit, verè filius Dei esse non poterit: quandoquidem neque
» aliud quicquam, quod sit generatum. Verè autem filius Dei ex ipso patre genitus, reue-
» ra vnigenitus & dilectus patris appellandus est. Sic quoq; Deus erit. Quid enim est aliud
» Dei germen, quàm id, quod genitori simile sit. Condit quidem rex vrbem, sed vrbē non
» gignit: atqui filium gignere, nō condere dicitur. Quinetiam operis, quod ab eo fabrica-
» tur, non pater, sed artificiosus opifex: filij autem ab eo geniti, non opifex, sed pater dice-
» tur. Atqui ille, qui vniuersitatis Deus est, filij quidem pater, sed mundi conditor & effe-
» ctor meritò dicetur. Ac licet semel in quodam Scripturæ loco reperiatur dictum esse,
» Dominus creauit me initio viarum suarum ad opera sua: sermonis tamē illius sensum
» (quem quidem paulò pòst explanabo) debemus accuratè expendere, & non (vt Marcel-
» lo placet) vno verbo præcipuum Ecclesiæ dogma conquassare. Ista, aliaque eius generis
» complura, ab Eusebio in primo libro cōtra Marcellum disputata sunt. In tertio autem,
» quo pacto hæc vox CREATVRA sit intelligenda, docet his verbis: Istis quidem hoc mo-
» do constitutis, sequitur etiam, hanc sententiam, DOMINVS CREAVIT ME INITIO
» VIARVM SVARVM AD OPERA SVA, non aliter capiendam esse, atque ea omnia,

Eusebij Pamphili apologia.

Eusebij cōtra Marcellum locus.

Dei germen.

Prouerb. 8.

Creaturæ vox quomodo intelligenda.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ antè expoſuimus. Quòd ſi dicat, ſeipſum creatum eſſe: non iſta dicit perinde ac ſi ex A
eo, quod non eſt, ad id, quod eſt, tranſierit: ipſeque ſimili ratione cum reliquis creaturis, "
ex eo, quod non eſt, factus ſit (ſicut quidam peruersè exiſtimarunt) ſed quòd ſubſtantiã "
habuerit, vixerit, & ante mundi fabricationem fuerit & extiterit, atq; adeò à patre ſuo "
Creare pro conſtituere vel ordinare. omnium Domino huius vniuerſitatis princeps conſtitutus ſit: vti hoc verbũ CREAVIT "
1. Pet. 2. hoc loco pro Conſtituit, vel ordinauit, capiatur. Quin Apoſtolus Petrus, principes ac "
duces, qui hominibus præſunt, creaturam planè nominat, his verbis: Subiecti eſtote om "
ni humanæ creaturæ propter Dominum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tan- "
quam per eum miſſis. Et Propheta etiam: Paratus inquit, eſto ad inuocandum Deum "
tuum Hieruſalem, propterea, quòd ecce firmans tonitruum, & creans ſpiritum, annun- "
ciat hominibus Chriſtum ſuum. hoc verbum CREANS non accipit, perinde ac ſi ſpiri- "
tus ex eo, quod non eſt, factus ſit. non enim tum creauit Deus ſpiritum, quando Chri- "
ſtum ſuum per illum omnibus hominibus annunciauit (non enim tum recens ſub ſole "
Act. 2. edebatur, ſed antè fuerat, extiteratq;) verùm ipſum miſit, quo tempore Apoſtoli erant "
in vnum congregati: quando ſonus inſtar tonitrui de cœlo factus eſt, tanquam aduenti- "
entis ſpiritus vehementis, & repleti ſunt Spiritu ſancto: atq; hoc pacto omnibus homi- "
nibus Chriſtum Dei annunciauit, iuxta prophetiam, quæ dixerat, Propterea, quòd fir- "
Creare pro mittere vel conſtituere mans tonitruum, & creans ſpiritum, annunciat hominibus Chriſtum ſuum: hac voce "
Pſal. 50. Creans, pro hoc verbo, mittens, vel conſtituens, poſita. vox autem Tonitruum, alia qua- "
dam ratione prædicationem Euangelij ſignificat. Dauid item, cum ſic loquitur, Cor "
Creare pro cõiungere. mundum crea in me Deus: non hoc dixit quaſi corde carens, ſed puram mentem in ſe "
ingenerari perficique optat. Eadem ratione dicitur etiam illud, Vt duos in vnum nouũ "
hominem crearet: id eſt, coniungeret. Vide item illud, num ſit eiuſdem generis: Induc- "
re nouum hominem, qui eſt ſecundum Deum creatus. & iſtud, ſi qua igitur in Chriſto "
noua creatura: & ſi quæ alia in Scripturis diuinitùs inſpiratis diligenter perueſtigandis, "
de genere eodem reperire poterimus. Ne mireris igitur, ſi per tranſlationem in hac ſen- "
tentia loquatur Scriptura, Dominus creauit me initio viarum ſuarum: creauit, hoc eſt, "
conſtituit, vel ordinauit. "

Iſta Euſebius in libris contra Marcellum differuit: nos autem eadem citauimus, vt illis, qui ei temerè obtrectare, contumelioſeq; detrahere laborarint, reſponſum ſit. Nã B
Euſebius Origenis æmulus. non poſſunt oſtendere, Euſebium, licet vocabula Diſpenſationis in eius libris vſurpata reperiant, filio Dei initium eſſentiæ tribuiſſe: præſertim cum ſcriptorum Origenis & æ-
mulus & admirator extiterit, in quibus illi, qui abſtruſum & reconditum librorum O-
rigenis ſenſum eruere potuerint, paſſim ſcriptum inuenient, filium à patre genitum fu-
iſſe. Atque ad iſta quidem, noſtra deflexit oratio, quò Euſebij obtrectatoribus reſpon-
deremus.

Quòd concilium Sardicenſe, cum thronum ſuum Athanaſio, itemq; Paulo reddidiſſet, ac Orientalis partis Imperator Conſtantius eos non admitteret, Imperator Occidentis bellum illi interminatus eſt: quod metuens Conſtantius, accerſitum per epiſtolas Athanaſium Alexandriam miſit. CAPVT XVIII.

Schiſma inter Orientalem et Occidentalẽ Eccleſiam. EPiſcopi tum qui Sardicæ, tum qui Philippi vrbis Thraciæ conuenerant, cõ- *Vide Nicephor. lib. 9. cap. 12. lib. cap. 21. lib. eodem. Vide Theodorit. lib. 2. cap. 7. & 9. Videſozo. lib. 3. ca. 18. 20.*
cilijs ſeparatim conuocatis, rebusq;, quæ vtrisque videbantur conſtitutis, ad ſuas ipſorum ciuitates reuerterunt. Eccleſia igitur verſus Occidentem ab eccleſia, quæ erat in Oriente, diſſenſione diſtracta fuit. Terminus autem, *Sufacis apud Nicephorum dicitur, li. 9. c. 13.* quo illorũ erat diſtincta cõmunio, mons inter Illyrium & Thraciam inter-
iectus, qui Tiſucis dicitur, conſtitutus eſt: ad quem quidem vſque, omnes inter ipſos, li-
cet fide diſſentientes, diſcrimine penitùs remoto, communicarunt. vlterius verò nulla
Imp. fratrum contentiones propter Athanaſium & Paulum. inter eos fuit communio. Talis quidem perturbatio atque confuſio ſtatum Eccleſiæ id temporis occupauit. Statim verò pòſt, Imperator qui partium ad Occidentem vergen-
tium dominabatur, ea quæ in Concilio Sardicenſi acta erant, fratri ſuo Conſtantio
ſignificat: hortaturque, vt Paulum & Athanaſium ad proprias ſedes reſtituendos cu-
ret. Vbi autem Conſtantius fratris poſtulata de die in diem differebat, ille (Impera-
torem dico Occidentis) optionem fratri dat, vel Paulum & Athanaſium ad ſuas ipſo-
rum ſedes eccleſiasque reſtituendi, vel ſi hoc minus præſtaret, ipſum ſibi hoſtem red-
dendi, nihilq; aliud quàm bellum expectandi. literæ autem quas ad fratrem ſcripſit, ita
ſe habent.

Cõſtantis Imp. ad fratrẽ Conſtantiũ liter. Sunt hic apud me Athanaſius & Paulus: quos auditione accepi, pietatis cauſa perſe- "
cutionem paſſos eſſe. Quod ſi polliceare te illis ſuas ipſorum ſedes redditurum, inq; eos "
à qui-

A à quibus ſine cauſa iniuria affecti ſunt, animaduerſurũ, viros ipſos ad te mittam: ſin au-
„ tem recuſes iſta hoc modo perficere, pro certo velim cognoſcas, me eò venturum, & te
„ inuito illis ſuas ipſorum ſedes reſtituturũ. Quæ cum intellexiſſet Orientis Imperator,
non mediocrem animo cœpit ægritudinem. Accerſitis igitur non paucis Orientis epi-
ſcopis, optionem ſibi datam illis exponit: rogat, quid faciendum ſit. Illi melius eſſe re-
ſpondent, vt Athanaſio eccleſiæ ſuæ concederet adminiſtrationem, quàm vt bellũ in-
teſtinum ſuſciperet. Vnde Imperator neceſſitate adductus, Athanaſium ad ſe accer- *Conſtans Athanaſium Cõſtantinopolim mittit.*
ſit. Interea temporis Conſtans Occidentis Imperator, Paulum cum duobus epiſcopis,
cum literis, cumq; literis etiam Concilij, quò tutior eſſet, honorificè Conſtantinopo-
lim mittit. Cum Athanaſius adhuc extimeſceret, animoq; ad Conſtantium nécne pro- *Conſtantius Athanaſium ad ſe vocat.*
ficiſceretur hęſitaret (metuebat namque falſas calumniatorum criminationes) Conſtã-
tius Orientis Imperator illum nõ ſemel modò, verùm etiam iterùm ac tertiò ad ſe ac-
ciuit. quemadmodum literæ eius, quas ex Latino ſermone in Græcum conuertimus, ſa
tis declarant, ad hunc modum.

Epiſtola Conſtantij ad Athanaſium.
CONSTANTIVS VICTOR AVGVST.
Athanaſio Epiſcopo S.

„ Diutius te tanquam turbulentis ac ſæuis maris fluctibus iactari agitariq́ue ſingularis *Conſtantij ad Athanaſium epiſtola.*
„ noſtra clementia non patitur. Te patrio lare orbatum, ſpoliatum fortunis, per deuia i-
„ tinera & periculoſa oberrare, pietas, quam nos perpetuò colimus, non ſinit. Quamuis
„ ſenſa mentis meæ diu admodum ad te propterea ſcribere diſtulerim, quòd expectabam
„ te tua ſponte ad nos aduenturum, & rerum aduerſarum quibus afflictabaris, remediũ
„ petiturum: tamen cum metus fortaſſe tuum inſtitutum remoraretur, ob eam cauſam
„ literas benigniſſimas ad tuam grauitatem miſimus, vt quam primùm in noſtrum con-
„ ſpectum venire contenderes: quo tum tuum ipſius deſiderium expleres, tum noſtram
„ expertus clementiam, tuis ſedibus ac fortunis reſtitueris. Nam huius rei gratia domi-
„ num & fratrem meum Conſtãtem Victorem Auguſtum pro te rogaui, vti poteſtatem
„ tibi faceret ad me accedendi, quo vtriuſq; noſtro ſubſidio patriam recuperare, hocque
B tanquam pignus noſtræ in te beneficentiæ habere poſſes.

Alia Epiſtola ad ipſum magnum Athanaſium.
CONSTANTIVS VICTOR AVGVSTVS
Athanaſio Epiſcopo S.

Vide Theodorit. lib. 2. cap. 11. Quanquam per ſuperiores literas tibi apertiſſimè ſignificauimus, vt animo ſecuro ad
noſtrum comitatum accederes, propterea quòd in animo erat te ad tuam ſedem mitte-
„ re: tamen has literas etiam tuæ grauitati dedimus, vti publico vehiculo conſcenſo, ad
„ nos abſque omni diffidentia ac timore aduentare properes, quò rebus, quarum cupidi-
„ tate duceris, maturè potiri queas.

Alia Epiſtola ad eundem magnum Athanaſium.
CONSTANTIVS VICTOR AVGVSTVS,
Athanaſio Epiſcopo S.

„ Dum Edeſſę verſabamur, præſentibus tuis preſbyteris, viſum eſt vnum preſbyterum
„ ad te mittere, vt ad noſtrum comitatum accedere maturares, quò ſimulac venires in
„ noſtrum conſpectum, abſq; mora Alexandriam rectà pergeres. Verum quoniam mul-
„ tum iam temporis præterijt, ex quo noſtras accepiſti literas, ad nos tamen venire diſtu-
„ liſti: propterea te etiam nunc denuò in memoriam redigere decreuimus, vt abſque cun
„ ctatione ad nos accedere feſtines, ſicq; & patriæ reſtitui, & quod tibi in optatis eſt, aſſe-
„ qui poſſis. Et quo pleniſſimè de omnibus rebus certior fias, Achetam diaconum ad te *Acheta diaconus.*
„ miſimus, à quo poteris diſcere, & quid nos animo inſtituerimus: & quòd tu ea, quæ ex-
„ petis, ex animi ſententia conſecuturus ſis.

Iſtas epiſtolas vbi Athanaſius in Aquileia (Sardica enim digreſſus, ibi commoraba- *Iulij epiſcopi, Romani gaudiũ de literis Conſtantij ad B. Athanaſiũ miſſis.*
tur) acceperat, Romam cum feſtinatione contendit: literas oſtendit Iulio epiſcopo: Ro-
manam eccleſiam maxima afficit lætitia. Nam Conſtantius Orientis Imperator
propterea videbatur illorum de fide opinioni aſſenſurus, quòd Athana-
ſium ad ſe accerſiuerat: Iulius verò clero & populo Alexandrino
hæc de Athanaſio per epiſtolam
ſignificauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iulij episcopi Romani ad Clerum & populum Alexandrinum Epistola. A

IVLIVS EPISCOPVS, PRESBYTERIS, DIACONIS,
& populo Alexandriam incolenti, dilectis fratribus,
in Domino salutem.

Iulij episcopi Rom. epistola cõmendatitia ad Alexandrinos pro Athanasio.

Vobis equidem vehementer gratulor, fratres charissimi, quòd fructum fidei vestræ iam deinceps oculis cernere possitis. Istud enim in fratre & collega meo Athanasio vere perspici queat: quem cùm ob sinceram & piam viuẽdi rationem, tum ob vestras preces, Deus vobis restituit. Ex hac re etiam poterit intelligi, quam puras preces, quamque plenas charitatis, semper ad Deum fuderitis. Nam cum promissionum cœlestium, & amoris erga illas ipsas, quem à fratre meo prædicto didiceratis, vobis in mẽtem veniret: verè intellexistis, & per fidem illam rectam, quæ in vestris mentibus penitùs insederat, exploratè cognitum habuistis, Athanasium, quem in vestris pijs animis tanquam præsentem semper continuistis, non in perpetuum à vobis seiunctum iri. Quare mihi ad vos literas præscribenti multis verbis non est opus. nam quæcunq; à me dicuntur, ea vestra fides quasi præoccupauit: & quæ communiter à vobis omnib. optata erant, per Christi gratiam accumulatè expleta sunt. Vobis idcirco gratulor (vt secũdò idem repetam) quòd animos vestros adeò firmè in fide continuistis, vti ab ea nullo modo deturbari potueritis. Quinetiam fratri meo Athanasio non minus gratulor, quòd, quamuis multas res asperas perpessus sit, vestræ tamen charitatis & desiderij nihilominus horas ferè singulas recordatus est. Nam quanquã corpore ad tempus videbatur à vobis abstractus, spiritu tamen semper tanquam vnà vobiscum ætatem degit. Atq; omnes res aduersas, quas expertus est, fratres charissimi, sua laude minimè carere arbitror. Etenim hoc modo cùm vestra, tum ipsius fides apud omnes plenè perspecta, exploratáq; est. Nam si tam grauis casus illum non afflixisset, quis vnquam credidisset, vel tam stabile iudicium in vestris animis insedisse, tantumq; charitatis ardorem erga tam egregium episcopũ incensum esse, vel illum tam præclaris virtutibus præditum, ob quas spei, quæ est nobis in cælis reposita, particeps fiet. Quamobrẽ cùm in præsenti, tũ in futuro seculo, eximiũ confessionis testimonium omninò est consecutus. Nã multas calamitates, varijs modis terra mariq; expertus, omnes Arianæ factionis insidias quasi pedibus conculcauit. Ac sæpenumerò inuidiæ causa in vitæ periculum per aduersarios insidiosè coniectus, mortem contempsit ille quidem: sed tamen Dei omnipotentis, & Domini nostri Iesu Christi auxilio euasit incolumis: vnde spẽ animo concepit, se tum hostiũ insidias deuitaturum, tum vobis ad vestrorum animorum solatium tandem fore restitutum, quo ex vestra rectè factorũ conscientia vnà vobiscũ illustrissima trophæa reportaret, quibus sanè ad extremas vniuersæ terræ oras eximiè nobilitatus est, certissimaq; vitæ præclarè actæ indicia omnium oculis subiecit: quippe qui non modò fidei suæ professionẽ & doctrinam cælestẽ sit liberè tutatus, verùm etiã iudicio certo & quasi immortali vestrũ singulare erga ipsum amorem perspicuè declarauit. Quocirca maiore splendore, quàm cũ à vobis decessit, illustratus ad vos reuertitur. Quòd si eximiæ & precioſæ materiæ puritatem, vt auri argentiue, ignis exquisitè explorat: quid de tam excellenti viro pro dignitate dici poterit, qui post tã ardentia afflictationũ incendia restincta, † post tam grauia pericula superata, iam vobis restitutus sit, innocensque non à nobis solum, sed ab vniuerso concilio declaratus? Athanasium igitur vestrum episcopum, fratres charissimi, vnà cum istis, qui earundem cum eo calamitatũ participes fuere, cum omni diuino honore & lætitia excipite. Lętamini votorum facti cõpotes, qui vestrum pastorem, vestræ pietatis esurientem sitientemq;, vestris literis salutarib. dum aberat, nutriuistis, & quasi potastis. Nã eo pacto, dum in exteris & peregrinis regionibus versabatur, ei permagno fuistis solatio: & dum persecutionis procellis iactatus, insidijsq; appetitus erat, fidelissimis vestris aduersus illũ animis studijsq;, eius dolorẽ magnoperè leniuistis. Mihi autem iam cogitanti menteq; percipienti tum cuiusq; vestrum de eius reditu lętitiam, tũ multitudinis occursationes pietatis plenissimas, tum honorificum hominum confluentiũ quasi festum: tum quis & qualisnam ille dies, quo frater meus ad vos reuertetur, futurus sit: maxima sanè se offert oblectatio, præsertim cũ & dissensiones, quæ antè extitêre conquieuerint, & honorificus eius ex animi sententia reditus omnes incredibili quadã lætitia affecerit: quæ quidem lætitia propter suam ipsius magnitudinem ad nos etiam, quibus cœlitùs donatum est, vt in huiusmodi viri noticiam veniremus, permanauit. Rectum igitur videtur, vt cum precatione finem epistolæ faciamus. Deus omnipotens, & eius filius Dominus & Seruator noster Iesus Christus perpetuam suam gratiam vobis suppeditet, præmiumque vestræ eximiæ fidei, quam tam illustri testimonio aduer-

Gratulatur Alexandrinis ipsiq; Athanasio.

Athanasij encomion.

Benè precatur Alexandrinis

† Videantur not. pag. 200. lat. 2. lin. 34.

A aduersus episcopum vestrum declarastis, benignus largiatur: vt cùm vos, tum posteros „ vestros, tum hic, tum in futuro seculo multo præstabiliora præmia maneant, quæ nec „ oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus „ diligentibus se, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem omnipotenti Deo „ gloria in omnem æternitatem, Amen. Vos, fratres charissimi, opto valere plurimum. *1. Corinth. 2.*

His literis fretus Athanasius, in Orientem proficiscitur. Constantius Imperator quanquam illum tum quidem non inuito animo excepit: tamen callidè ab Arianis submonitus, cum fallaciter ludificari aggreditur. Sic illum affatur: Etsi sedem episcopatus tui, tum Concilij decreto, tum nostra approbatione, recuperasti: tamen quoniam sunt Alexandriæ nonnulli è populo, qui à tua communione disiuncti sunt, vnam ecclesiam in ciuitate illos retinere permittas velim. Ad quod postulatum Athanasius acutè respondet. O` Imperator, inquit, in tua situm est potestate, vti ea quæ lubitum fuerit, cùm imperes, tum exequare. Ipse etiam aliud beneficij loco abs te peto, postuloque, quod mihi largiaris velim. Quod vbi Imperator alacri & prompto animo se daturũ promiserat, adiungit illico Athanasius: Peto, inquit, vt illud ipsum abs te impetrem, quod tu à me impetrare voluisti: nimirum, vt in singulis ciuitatibus, his qui à communione Arianorum se ipsi secreuerunt, vna ecclesia tribuatur. Ariani igitur, vt Athanasij sententiam non incommodam esse intellexerant, tametsi eam rem in aliud tempus differendam dicebant: Imperatori tamen, quo minus ea quæ sibi videbantur, obiret, neutiquam fuerè impedimẽto. Quapropter Imperator Athanasio, Paulo & Marcello, quinetiã Asclepæ Gazæ episcopo, & Lucio episcopo Adrianopolis, proprias ipsorum sedes restituit. Illi duo posteriores, etiã à concilio Sardicensi admissi erãt: Asclepas quidẽ, quòd cõmentarios ostenderat, ex quibus constabat, Eusebium Pamphilum cùm alijs nonnullis, tum eius causam diligenter cognouisse, tum ei proprium dignitatis gradum reddidisse: Lucius autem, quòd eius accusatores aufugerant. Mandata igitur imperatoris ad proprias cuiusque illorum ciuitates exiuerunt, quib. erat imperatum, vt illos prompto ac parato animo reciperẽt. Ancyræ igitur, quoniam Basilius erat exturbatus, Marcellusque in eius locum venerat, non exiguus tumultus concitatus est: qui quidem illis qui aduersariam opinionem tuebantur, ansam præbuit ad Marcello obtrectandum. Ciues Gazæ B Asclepam libenter exceperunt. Constantinopoli autem, Macedonius Paulo ad tempus locum concessit, & in ecclesia quadam ciuitatis separatim conuentus fecit. Pro Athanasio verò Imperator ad episcopos, clericos, & populum Alexandrinum scripsit literas, vt illum lubentibus animis reciperent. Quinetiam per alias literas iussit, vt ea quæ in iudicijs contra eum acta fuissent, penitùs delerentur. Literæ de vtraque re perscriptæ, sunt hæ.

Athanasij in Orientem reditus.

Constantij cũ Athanasio colloquium.

Athanasio, Paulo, Marcello, Asclepæ & Lucio, sedes suæ restitutæ.

Mãdata Imp.

Ancyræ tumultus.

Constantij epistola pro Athanasio episcopo.

VICTOR CONSTANTIVS MAX. AVGVST.
episcopis & presbyteris ecclesiæ catholicæ S.

Constantij ad eccles. Alexandrinã literæ.

Athanasium, episcopum cum primis venerandum, gratia & benignitate Christi neutiquam certè destitutum fuisse constat. sed quanquã ad exiguum temporis spacium hominum iudicia, quibus in eum iniquè inquisitum erat, subijt: tamen à diuina prouidentia, omnium rerum contemplatrice, iustam debitamque reportauit sententiam, Deiq; voluntate & nostro iudicio cùm patriam, tum ecclesiam, cui nutu diuino præfectus fuisset, recuperauit. Cui quidem à nostra clementia, quæ rationi sunt conuenientia, suppeditari debent, vsque adeò, vti omnia quæ antehac contra eos qui cum illo communicarint, decreta decisaque sint, iam obliuione penitùs obruantur: omnisque suspicio, quæ in eum commota sit, deinceps tollatur: & clericis eius, vt par est, confirmetur immunitas, qua iam olim donati fuerint. Quinetiam nostro in illum collato beneficio illud adiungendum putauimus, nimirum vt omnes qui in sacrum cleri numerum cœtumque ascripti sunt, intelligant, securitatem omnibus qui illi adhæresunt, siue episcopi siue clerici illi fuerint, esse donatam. Atque satis magnum rectæ cuiusque voluntatis & instituti indicium fuerit, firma cum isto consensio. A` nobis igitur impetratum est, vt qui meliori iudicio & opinioni addicti, istius communionem amplexantur, omnes eodem modo iam per nostram voluntatem, quo antea per diuinam prouidentiam, Dei beneficẽtia illis delata perfruantur.

Vide Nicephor. c. 25. lib. 9.

Alia Epistola missa ad Alexandrinos.

VICTOR CONSTANTIVS MAX. AVGVST.
populo catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ. S.

Constantij Imp. ad Alexandrinos pro Athanasio litera.

Quoniam rectam vestri gubernationem, nobis tanquam scopum ad intuendum, « semper proponimus, explorateq; perspectum habemus, vos Athanasio episcopo viro cũ « propter rectum animi sui iudicium, tum propter spectatos & commodos mores exi- « mio, diu iam destitutos fuisse, idcirco eum ad vos denuò mittere decreuimus. Istum i- « gitur pro vestro cõsueto more honorificè excipite, inque vestris ad Deum precibus fun « dendis, eum tanquam adiutorem adiungite: concordiam & pacem tum accommo- « datam vobis ipsis, tum nobis gratam exceptamque, perpetuò, sicut sacrosancta Eccle- « siæ instituta postulant, conseruare laborate. Nam non est consentaneum, vt vlla discor « dia seditióue inter vos concitata, prosperum rerum statum, qui nostris iam viget tem- « poribus, aliqua ex parte perturbet. Istud malum à vobis omnino abesse cupimus: horta- « murq; vos, charissimi Alexandrini, vt Athanasio in precationibus vestris, quibus diui- « ni numinis opem (vt vestri moris est) imploratis, semper vt antistite, & (vti suprà dixi- « mus) adiutore vtamini, quò illo vestro instituto ex omnium voto & sententia succe- « dente, gentes, quæ simulachrorum colendorum errore adhuc tenentur irretitæ, ad sa- « crosanctæ nostræ religionis professionem propensa admodum animorum voluntate « contendant. Quinetiam illud vobis suademus, vt in his quæ antè cõmemorauimus, per « seueretis, & episcopum Dei decreto & nostra sententia ad vos missum lubenter excipia- « tis, omnique animi cogitatione studioque complectendum existimetis. Nam certum « est, hoc & vobis aptum, & nostræ benignitati consentaneum esse. Atq; vt illis, quorum « animi sunt maleuolentia suffusi, omnis tergiuersationis & contentionis materia sub- « lata sit, iudicibus qui apud vos sunt, mandauimus, vt omnes quos seditiosos esse ani- « maduerterint, graui supplicio coerceant. Quocirca cùm hæc vtraq; perspiciatis, & no- « stram sententiam cum Dei voluntate consentientem, & curam de vobis vestraq; con- « cordia susceptam, quinetiam supplicium contra turbulentos homines statutum, vos « ea quæ sacrosanctæ religionis instituto consentanea conuenientiaque sunt, sedulò ob- « seruantes, hunc quem diximus Athanasium cum omni reuerentia & honore comple- « ctimini, & preces vnà cum illo tum pro vobis ipsis, tum pro totius orbis terrarum con- B cordia, Deo patri omnium moderatori fundere laborate.

Epistola, de ijs, quæ contra Athanasium acta erant, penitùs delendis.

VICTOR CONSTANTIVS AVGVST. NESTORIO S.

Est etiam epistola eadem formula præfectis Augustonicæ, Thebaidis & Libyæ perscripta.

Sic legit Nicephor. lib 9. cap. 26.

Si quid ad incommodum iniuriamque eorum qui cum Athanasio episcopo com- « municant, antehac aliquando actum reperiatur, istud iam volumus omnino abrogari « tollique. Quinetiam volumus, vt clerici eius eandem denuò immunitatem obtineant, « quam prius habuerunt: istudque mandatum nostrum obseruari volumus, vt Atha- « nasio episcopo ecclesiæ suæ restituto, omnes clerici qui cum illo communicant, can- « dem quam cæteri clerici, habeant immunitatem, eaq; perfruentes, vitam læti transi- « gant.

Quòd Athanasius, cùm Alexandriam per Hierosolymam proficisceretur, à Maximo in communionem receptus, episcoporum Synodum coegit, quæ ea quæ Nicææ decreta erant, confirmauit.

CAPVT XIX.

Athanasius etiam à Maximo receptus Hierosolymis.

HIsce epistolis confisus episcopus Athanasius, per Syriam iter faciens, in Palæstinam proficiscitur. Ac Hierosolymam aduentans, vbi episcopo Maximo cùm ea quæ in concilio Sardicensi decreta erant, tum quo modo Imperator Constantius illorum e- piscoporum decisioni consensisset, perspicuè significaueraṭ, efficit vt concilium epi- scoporum ibi etiam conuocaretur. Nam Maximus abiecta omni cunctatione, quos- dam episcopos è Syria & Palæstina accersit. Conuentu autem coacto, Athanasio & communionem defert, & dignitatem tribuit. Illud etiam concilium Alexandrinis, & omnibus Aegypti & Libyæ episcopis, ea quæ erãt de Athanasio decisa statutaq; perscri- bit. †Qua de causa oẽs qui in Athanasium odiũ conceperant, vehementer contra Maxi- mum vociferabãtur, quòd antea Athanasiũ suo suffragio abdicauerat: denuò aũt pœni- tentia adductus, quasi nõ rectè fecisset, illi iã erat suffragatus, & cõmunionem dignita- temq; simul detulerat. Quæ cũ [a] Vrsacius & Valens, qui antea permagno desiderio erga Arij

Vide Nicephor. c. 29. lib. 9. item ca. 29. lib. cod. Sozom. lib. 4. cap. 21.

† *Videantur not pag. 202. lat. lin. 22.*

a Vrsacius & Valens Consubstantiali assentiuntur Arianismo abiurato.

A Arij dogma exarserant, intellexissent, priore suo studio ab se ipsis condemnato, Romã veniunt: pœnitentiæ libello episcopo Iulio tradito, Consubstantiali assentiuntur: ac literis ad Athanasium missis, de cætero cum illo se communicaturos fatentur. Ad hunc modum igitur Vrsacius & Valens rebus Athanasij tam prosperè cadentibus deuicti, Consubstantiali, vti dixi, assensi sunt. Athanasius autem per Pelusium rectà Alexandriam iter capit: & in singulis ciuitatibus, ad quas aduentabat, docuit: hortatusq; est, vt Arianos deuitarent, eosque amplexarentur qui fidem confiterentur Consubstãtialis. In quibusdam ecclesijs ministros etiam creat. Atque ista origo erat alterius illi obiectæ criminationis, quòd in alienis ecclesijs ministros ordinauerat. Verùm de ijs quæ id temporis Athanasio acciderunt, ista hactenus.

Nouæ calumniæ occasio in Athanasium.

De Magnentio & Britanione tyrannis, & cæde Constantis.

CAPVT XX.

Vide Nicephor. c. 28. lib. 9. & Orosium ca. 29. li. 7. Sozom. lib. 4. cap. 1. Theodoret lib. 2. cap. 15. Vide supra cap. 3. lib. hoc 2.

Lib. 1. ca. 25. Constãtini F. interitus anno 343.

ENterea Reip. statum non leuis exiguúsue tumultus occupauit: de quo quę summatim percurrẽda duximus, complectar breui. Constantino, qui Cõstantinopolim condiderat, morte extincto, tres eius filij (sicut in primo libro commemoratum est) in imperium succedunt. Ex quorum numero Constantinum, qui à patre nomen accepit, vnum fuisse, vnaq; regnasse intelligendum est. Quem, vbi ad exiguum tempus regnauerat, milites interfecerunt. Atq; vt Constantius eum trucidare non iusserat, sic cædem certè non vetuit. Quòd autem ille Constantinus iunior, dum in fines Imperij fratris sui irruptionem faceret, dumque ipse cum militibus manu cõfligeret, interemptus sit, sæpius iam antè dictum est. Post cuius interitum, bellum à Persis contra Romanos est excitatum: in quo Constantius nihil feliciter prospereue gessit. Nam noctu prælio circiter terminos inter Romanorum & Persarum imperium interiectos commisso, Persarum copiæ tum videbantur ad tempus superiores fuisse. Eodem tempore res Christianorum neutiquam erant pacatæ & tranquillæ: sed propter Athanasium, & verbum Consubstantiale, acris fuit in ecclesijs dimicatio. Quibus ad hũc modum constitutis, Magnentius in partibus versus Occidẽtem tyrannus exoritur. hic Constantem partium ad Occidentem spectantium imperatorem, iam tum in Gallia commorantem, per insidias è medio sustulit. Qua re gesta, bellum intestinum grauissimum concitatur. Magnentius tyrannus tota Italia potitur: Africam & Libyam suo imperio subijcit: ipsam Galliam occupat. Porrò autem Sirmij vrbis Illyrij alter tyrannus à militibus excitatur, cui nomen erat Britanio. Quinetiã Romæ similiter tumultus cietur. nam Nepotianus, sororis Constantij filius, gladiatorum manu stipatus Imperium affectat. Hunc Magnentij duces trucidant. Magnentius incursione facta, omnes Occidentis partes subegit.

Persarum cõtra Romanos bellum.

Magnentij tyrannis.

Constantis interitus anno Christi 353.

Britanio. Nepotianus.

Quòd, vbi partium Occidentalium Imperator vita functus esset, iterum sedibus suis Paulus & Athanasius exturbantur: ille in exilium eiectus, è medio sublatus est: hic verò fugæ sibi consuluit.

CAPVT XXI.

Vide Nicephor. c. 29. lib. 9. vide Theodori. lib. 2. ca. 13. Sozom. ca. 4. libra.

ISTorum malorum omnium concursatio, exiguo temporis momento facta est. quarto nãque anno post concilium Sardicense acciderunt, Sergio & Nigriano Coss. Quibus Constantio nunciatis, totius Imperij gubernacula putauit ad se peruenisse. Imperator igitur in partib. Orientis declaratus, bellũ cõtra tyrannos cum omni apparatu mouere instituit. Athanasij aũt aduersarij tẽpus opportunum sibi oblatũ arbitrati, contra illum, cũ non lum Alexandriam adductauerat, grauissima crimina de integro cõfingunt: Imperatoremq; Constantiũ docent, eũ vniuersam Aegyptum & Libyã peruertisse. Delectus ministrorũ, quem in alienis ecclesijs fecerat, calumniã aduersus eum maximè auxit. Athanasius interea Alexandriam reuersus, varia episcoporũ Aegypti cõcilia congregauit. Illi tum decretis episcoporum qui Sardicæ conuenerant, tum concilio Hierosolymis à Maximo coacto, cõgruentia sanciunt. Imperator verò, qui iampridẽ Ariano errore implicatus tenebatur, omnia quæ antea decreuerat, in cõtrariã partẽ detorsit, ac primũ, [a] Paulum episcopum Constantinopolitanũ [b] in exiliũ eijci iubet: quem quidẽ illi qui eum abducebant, cucusi, vrbe Cappadociæ, nequiter strãgularunt. [c] Macello etiam Ancyra expulso, Basilius rursum illi ecclesiæ præficitur. [d] Lucius item episcopus Adrianopolis, in vincula cõiectus, carceris cruciatu interijt. Quinetiam ea quæ de Athanasio erant ad Imperatorem relata, tam ingenti iracundiæ æstu illum incenderunt, vt è medio tolli, vbicunque terrarum reperiretur, mãdaret. Porrò autẽ [e] Theodulũ & Olympium ecclesiarũ Thraciæ præsules, similiter neci dare iubet. Verùm quæ Imperator statuerat, non clam Athanasio fuêre: sed maturè præsentiens, capessit fugam: sicque Imperatoris minas deuitat.

Contra Athanasium de integro crimina confinguntur. Constantij secutia.

a Paulus in exilio strangulatus.

b De corpore Pauli per Theodosiũ Imp. Cõstantinopolim postea reuecto vide Socrat. in fra li. 5. cap. 9.

c Marcellus se de sua pulsus.

d Lucij episcopi interitus.

e Theodulus, Olympius, episcopi. Athanasij fuga.

Huic

Universidad de Deusto
Biblioteca

Huic eius obtrectant Ariani: & maximè Narcissus Neroniadis, ciuitatis Ciliciæ, episco. Apus, Georgius Laodiceæ, & Leontius, qui tum ecclesiæ Antiochenæ præfuit. Qui cùm esset presbyter, eo dignitatis gradu propterea deiectus est, quòd mulieris, nomine Eusto liæ consuetudine vtens, & turpem suspicionem, in quam eius causa venerat, occultare laborans, membra genitalia sibi execuissent, vti deinceps liberius cùm ea vitam degeret, neque quicquam committeret, quamobrem eius gratia in crimen vocaretur. Iste, Imperatoris Constantij voluntate ac studio, Antiochenæ ecclesiæ episcopus, post Stephanum, qui Placito successerat, creatus est. Sed de illo satis.

Leontius cur dignitatis gradu deiectus. Eustalia.

Quòd Macedonius episcopatum Constantinopolitanum adeptus, eos qui ab eo dissentiebant, plurimis malis affecit. CAPVT XXII.

PEr idem tempus Macedonius, Paulo, eo modo quo dictum est, è medio sublato, ecclesijs Constantinopolitanis præficitur: libertatemq; maximam apud Imperatorem adeptus, bellum inter Christianos mouit, nihilo inferius eo quod erat eodem tempore à tyrannis concitatum: persuasitque Imperatori, vt ei ecclesiarum vastationem molienti subsidio esset: atque adeò effecit, vt quæcunque maleficia aggredi vellet, lege rata fierent. Vnde lex fuit in singulis ciuitatib. peruulgata. Copijs militaribus imperatum est, vt Imperatoris edictis exequendis sedulò inseruirent. Exturbantur itaque non ecclesijs solum, verùm etiam ex ipsis vrbibus, omnes qui fidei Consubstantialis assentiebant. Ac primùm de illis solum exigendis laboratum est. Cùm autem mali contagio longius serperet, illi qui exiguam, aut ferè nullam curam habebant ecclesiarum, eos vt cum ipsis cõmunicarent, cogere instituerunt. Erat certè violentia non minor ea, quam illi olim adhibuerant, qui Christianos ad simulachra colenda compulissent. Etenim multi cruciatus cuiusque generis, varias membrorum distortiones, bonorum publicationes, perpessi sunt: alij patriæ finibus expulsi, alij tormentis enecti: nõnulli cùm essent abducti in exilium, interierunt. Et cùm ista in omnibus Orientis ciuitatibus gerebantur, tum Constantinopoli vel maximè. Hanc intestinæ persecutionis procellam, quæ antè non adeò magna fuerat, Macedonius, vt primùm ad episcopatum illum euolauerat, vehementer adauxit. Ciuitates autem Græciæ, Illyrij, & cæterarum orbis partium ad Occidentem vergentium, tumultu & perturbatione propterea caruêre, quòd inter se ipsæ concordarunt, decisioque de fide in concilio Nicæno tradita apud ipsas semper dominata est.

Macedonius bellum inter Christianos mouet.

Vide Nicephor. c. 30. lib. 9. Vide Sozom. lib. 4. ca. 2.

Occidentales ecclesiæ ex eo dia pacem obtinuerunt.

Athanasij testimonium, de flagitijs à Georgio Ariano Alexandriæ designatis.

CAPVT XXIII.

DE illis verò quæ Alexandriæ eodem tempore à Georgio acta sunt, ipsum Athanasium, qui eisdem cùm exagitatus est, tum interfuit, commemorantem audiamus. Nam in Apologetico, quem de fuga sua conscripsit, de rebus ibidem gestis narrat ad hunc modum: Aduentant quidam Alexandriam, nos vt neci darent, denuò quæsituri: & facta sunt posteriora, peiora prioribus. Nam milites ecclesiã exim prouiso circumsident: fit pro precibus pugna. Tum Georgius, qui ab illis ex Cappadocia missus erat, tẽpore quadragesimæ accedẽs, perditos illos conatus, quos ab eis didicerat, ipse adauxit. Nã post hebdomadã Paschatis transactam, virgines in carcerẽ conijci cœptæ sunt: episcopi cõstricti vinculis, à militib. abduci, ædes viduis & orphanis adimi: † in familias direptiones fieri: noctu ex ædib. vi exportari Christiani, ædes obsignari: fratres clericorũ, pro clericis, in vitæ periculũ vocari. Permultũ acerbitatis habuêre ista quidẽ, sed multo plus ea quæ sunt postea tentata. Hebdomada namq; sacrosanctã Pentecostẽ subseqẽti, populus ieiunauerat, in cœmiteriũ propterea precatum egreditur, quòd oẽs Georgij detestarẽtur communionẽ. Verùm vt primũ ille insignitè improbus hoc intellexit, præfectũ ordinum militariũ Sebastianum, qui Manichæus fuit, contra illos incitat. Ille deinceps cũ militum turba, qui arma, gladios districtos, arcus & tela gestabãt, ipso die Dominico in populũ impetum facit. Cũ verò paucos admodũ orantes offenderet (nam maxima pars, quia hora præterijsset, decesserat) talia admisit facinora, qualia ab illo admitti consentaneum erat. Rogum enim incendere: virgines propter ignẽ stare: eas vt fidẽ Arianam profiteri se dicerent, cogere cœpit. Vbi eas victrices esse, ignisque flãmas prorsus cõtemnere, animaduertit, detractis vestib. sic eas in ora ac vultus verberare, vt diu post ægrè à suis noscerẽtur. Quinetiam viros quadraginta prehendere: eos nouo more ac modo verberibus cædere. Nam palmarũ viminibus recens ex arboribus excisis, quæ suos adhuc habebãt aculeos, ita terga illorum dilacerauit, vt nonnulli propter aculeos in ipsorum dorsa penitùs infixos, sæpius chirurgos adire cogerentur: alij, qui

Vide Sozom. lib. 3. cap. 1.

Athanasij Apologeticus ex quo hæc sunt excerpta.

Vide Nicephor. ca. 2. lib. 9. Sozom. lib. 4. cap. 5.

Georgij Ariani in Christianos Alexandriæ sæuitia.

Carnificina quã exercuit Georgius.

A qui tam acerba cruciamenta ferre nequibant, mortem oppeterent. Omnes aũt viri, qui„ bus adhuc suppetebat vita, vnà cum virginib. ad magnã Oasim à militibus relegati: cor„ pora mortuorum facinore iam recens edito, suis reddi minimè permissa, sed pro„ iecta inhumataq; (sic enim ipsis libitum est) occultabant ijdem ipsi milites, quò populo „ afferrent opinionem, se tam crudelis facinoris minimè conscios fuisse. Istud illi in„ sani errore mentis obcæcati patrarunt. Ac cum mortuorũ necessarij & familiares pro„ pter confessionem quidem suorum læticiam animis caperent, propter corpora tamen „ insepulta in mœrore & luctu versarentur, istorum militũ impietas crudelitasq; maio„ recum infamia & turpitudine patefacta est. Porrò autem episcopos Aegypti & Libyę, † Videibi. lat. a. lin 13. Ammonium videlicet, Thmuim, Caium, Philonem, Hermem, Plinium, Psenosirim, Nilammonem, †* Agathonẽ, Anagamphum, Marcum, Dracontium, Adelphiũ, Am„ monium alterum, alterum etiam Marcum, Athenodorum: presbyteros autem Hiera„ cem & Dioscorum, actutùm in exilium misere. Atq; istos è patrijs sedib. exturbatos, a„ deò acerbè & crudeliter tractauêre, vt nonnulli eorum inter vias, alij in exilio, morte „ occumberent. Episcopos amplius triginta trucidarunt. Nam exemplum Achaab imitati, ad veritatem è medio tollendã omni cura & cogitatione incubuerunt. De rebus à Georgio Alexandriæ gestis ista Athanasius totidem verbis differuit. Imperator exercitum deducit in Illyrium. nam eò illum ire compulit necessariò, cùm Reip. status, tum Britanionis imperatoris à militibus declaratio. Qui vt Sirmium aduentauerat, pactis inducijs, cum Britanione in colloquium venit. Interea militũ animos, qui eum Imperatorem renunciauerant, ab eo ad se traducendos curat. Qui cùm essent traducti, Constantium solum Augustum, regem atq; Imperatorem prædicant. Dum ita ab illis proclamatum est, Britanionis nulla fit mentio: qui, vbi se proditum intellexerat, ad pedes Imperatoris supplex se prouoluit. Cõstantius, regio ei diademate & purpura detractis, humanitùs & benignè excipit: hortatur vt more priuati, vitam quietè & tranquillè exigeret. Nam homini seni multo commodius esse, viuendi genus negocij & molestiarũ expers suscipere, quàm inane nomen dignitatis, plenum curarum & solicitudinis retinere. Res Britanionis hunc habuêre exitum. Imperator omnes eius sumptus ex tributis publicis illi suppeditari mandat. Postea verò ad eum Prousæ, vrbe Bithiniæ ætatem degentem literas sæpenumero scribit: ostenditq;ue, tum se, quòd curis & angoribus illũ liberarat, maximorum bonorum ei authorem fuisse, tum quibus miserijs regnum districtum teneretur: seque parum considerate fecisse, quòd bonis quæ illi concessisset, ille ipse non frueretur. Verùm de his hactenus dictum sit.

Britanio à militibus Imp. proclamatus.

Stratagema Constantij ad uersus Britanionem.

Constantij in Britanionem clementia & præmia.

Ex Photino hæresiarcha. CAPVT XXIIII.

Vide Nicephor. ca. 31. lib. 9. Sozom. lib. 4. cap. 5.

IMperator nunc Gallum, consobrinum suum, Cæsarem constituit, & suo ipsius nomine illi imposito, Antiochiam, quæ est in Syria, misit, vt partes Imperij ad Orientem iacentes per illum defenderentur. Vbi Antiochiam aduentauerat, signum Seruatoris in Oriente apparuit. nam columna crucis effigiem exprimens in cælo visa, maximã intuentibus excitauit admirationẽ. Alios suos duces cum maximis copijs contra Magnentium dimicaturos mittit. Ipse Sirmij commoratur, rerum euentum expectaturus. Interea temporis Photinus illius ecclesiæ antistes, dogma quoddam, quod ille ipse separatim excogitauerat, palàm diuulgare conatur. & quoniam tumultus ex hoc oriebatur, Imperator concilium episcoporum Sirmij conuocari iubet. Eò igitur conuenêre ex episcopis Orientis, Marcus Arethusius, Georgius episcopus Alexandriæ, quem Ariani, Gregorio sede illa episcopali (vt ante dixi) deturbato, illuc miserant: Basilius, q ecclesiæ Ancyræ, Marcello expulso, præfuit: Pancratius Pelusij, Hypatianus Heracleæ: ex episcopis autem Occidentis, Valens Murforum: & Osius episcopus Cordubę, quæ est vrbs Hispaniæ, qui id temporis permagna celebritate fuit, inuitus accessit. Isti post consulatum Sergij & Nigriani, quo anno propter belli tumultus & seditiones nullus consul consueta consulatus munera obire poterat, Sirmij congregantur: Photinum, dogma Sabellij Afri & Pauli Samosateni tuentem deprehensum, illico episcopatu abdicant. Quod quidem omnes & iam tum, & postea vt probè recteque factum, magnopere approbarunt.

Gallus Cæsar constituitur.

Seruatoris signum in Oriente apparet.

Photinij hæresis.

Concilium Sirmianũ, in quo damnatur Photini hæresis.

Episcopi ad cõcilium cõgregati.

Circa annũ Domini 345. Sirmianũ concilium fuit.

De fidei formulis Sirmij expositis, Imperatore Constantio præsente.

CAPVT XXV.

ISti episcopi Sirmij ad tempus commorati, alia acta sanciuêre. Nam vetera sua de fide decreta condẽnare, nouasq; fidei formulas condere cœperunt: vnã, quã Marcus Arethusæ episcopus Græco sermone conscripsit: duas autem alias, Latino sermone, quæ

Sirmiani concilij acta.

nec

Universidad de Deusto
Biblioteca

nec verbis, nec compositione ac sensu vel ipsę secum, vel cum illa quam episcopus Are- A
thusius Græcè scripserat, congruerunt. Alteram tamen earum quæ Latinè conscriptæ
erant, formulæ illi à Marco Græcè editæ hoc loco subiungam: alteram, quam postea
Sirmij etiam recitarant, suo loco, cùm ea quę Arimini gesta sunt, à nobis exponētur, in-
texam. Intelligendum est vtramque in Græcum sermonē conuersam fuisse. Fidei for-
Fidei formula Sirmij exposita à Marco primum Græcè scripta. mula à Marco conscripta, ista quidem est. Credimus in vnum Deum, patrem omnipo-
tentem, conditorem & fabricatorem omnium: ex quo omnis paternitas in cælis & in
terra nominatur. Et in vnigenitum filium eius, Dominum nostrum Iesum Christum,
ante omnia secula ex patre genitum, Deum de Deo, lumen de lumine: per quem om-
nia facta sunt, & quę in cęlis, & quę in terra, visibilia & inuisibilia: qui est verbum, sapiē-
tia, lux vera, & vita: qui in nouissimis diebus propter nos homo factus est, natus ex san-
cta virgine, crucifixus, mortuus: qui resurrexit à mortuis tertia die, ascendit in cælum,
sedet ad dexteram patris, & venturus est in fine seculi iudicare viuos & mortuos, & red
dere cuique secundū opera sua: cuius regni non est finis, sed manet in infinita secula. E-
Actor. 2. rit enim sedens ad dexteram patris, non solum dum hoc seculum manet, sed etiam in
futuro. Et in Spiritum sanctum, hoc est paracletum: quem Dominus pollicitus est se
post ascēsionem suam discipulis missurum, vt illos doceret & suggereret omnia, eum-
que misit: per quem sanctificantur animæ eorum qui verè sincereque in eum credunt.
Eos autem qui dicant, filium ex his quæ non sunt, constare, aut ex alia quàm ex Dei pa-
tris substantia, aut tempus seculumúe fuisse cùm non esset, sancta & catholica Ecclesia
tanquam alienos à se execratur. Rursus verò dicimus: Si quis patrem & filium duos
deos dixerit, anathema esto. Si quis, cū dicat Christum Deum fuisse ante secula, non si-
mul cōfiteatur filium Dei patri ad vniuersarum rerum fabricationem inseruisse, ana-
thema esto. Si quis eum ingenitum, aut partem ipsius ex Maria genitam dicere audeat,
anathema esto. Si quis filium secundum præscientiam ex Maria natum, & non ante se-
cula ex patre genitum apud Deum fuisse, & per ipsum omnia facta esse, anathema esto.
Si quis substantiam Dei posse dilatari, aut contrahi asseruerit, anathema esto. Si quis es-
sentiam Dei dilatatam filium dixerit effecisse, aut eius essentiæ dilatationem, vt ita di-
cam, filium nominauerit, anathema esto. Si quis filium Dei verbum in mente patris
quasi insitum, aut verbum prolatum, anathema esto. Si quis filium ex Maria natum ho B
minem solum dixerit, anathema esto. Si quis, cū Deum & hominem ex Maria natum
dicat, Deum ingenitum ipsum intelligat, anathema esto. Si quis hoc, Ego Deus primus,
Esaiæ. 43. 44. & ego postea, & præter me non est Deus, quod quidem ad simulachra tollenda, & eos
qui dij non sunt, dictum est) ad vnigenitum tollendum, qui Deus est ante secula, more
Iudaico intelligendum putet, anathema esto. Si quis, cùm audiat istud, Verbum caro
factum est, verbum in carnem mutatum existimet, aut conuersionem subeundo car-
nem sumpsisse, anathema esto. Si quis, cùm audiat vnigenitum Dei filium crucifixum,
dixerit eum interitum, aut passionem, aut mutationem, aut diminutionem, aut inter-
Genes. 1. 2. necionem subijsse, anathema esto. Si quis hoc, Faciamus hominem, non patrem ad fi-
Genes. 35. lium dixisse, sed ipsum Deum patrē ad se ipsum locutum cēseat, anathema esto. Si quis
cū Iacob non filium tanquam hominem luctatum esse, sed Deum ingenitum, aut pa-
trem ipsius affirmarit, anathema esto. Si quis illud, Pluit Dominus, à Domino, non de
Genes. 19. patre & filio accipiat, sed ipsum patrem à se pluisse dicat, anathema esto. Pluit namque
Dominus filius à Domino patre. Si quis cùm audiat, Dominum patrem, & Dominum
Sic legit Nicephor. lib. 9. cap. 31. filium, & Dominum patrem, & Dominum & filium dixerit: & cùm dicat Dominus ex
Domino, duos deos asseruerit, anathema esto. Non enim filium in eodem gradu cum
patre locamus, sed patri subiectum facimus. Neque descendit in corpus absque patris
consilio: neque pluit ipse ex se, sed ex Domino, qui à seipso habet autoritatem, videli-
cet ex patre: † neque sedit à dextris ex se, sed audit patrem dicentem, Sede à dextris meis.
Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnam personam dixerit, anthema esto.
Psal. 109. Si quis, cū Spiritum sanctum paracletum dicat, Deum ingenitum dixerit, anathema e-
sto. Si quis non alium paracletum præter filium dixerit, sicut ipse filius nos docuit (di-
Ioh. 15. 16. xerat enim, Alium paracletum mittet vobis pater, quem ego rogabo) anathema esto. Si
quis Spiritum sanctum partem dixerit patris, & filij, anathema esto. Si Patrem, & Filiū,
& Spiritum S. tres deos esse affirmauerit, anathema esto. Si quis filium Dei, tanquam v-
nam ex creaturis voluntate patris factum dixerit, anathema esto. Si quis filium inuito
patre genitum dixerit, anathema esto. Nam pater non contra suam ipsius voluntatem,
naturali necessitate coactus, perinde ac si ipse noluisset, filium genuit: sed cùm voluit,
tum sine tempore, sine passione ex se illum genuit. Si quis filiū ingenitum & sine prin-
cipio dixerit, & ita duo principio carentia, duoque ingenita dicat, & duos deos con-
stituat,

† Videas hoc. pag. 20. lat. 23 lin.

A stituat, anathema esto. caput enim & principium omnium creaturarum filius est: caput
„ autem Christi, Deus. Sic enim ad vnum vniuersi principium principio vacans, omnia
„ per filium piè referimus. Rursum veram illam Christianæ professionis notionem ac-
„ curatè expendentes dicimus: Quòd si quis Christum Iesum, Dei filium, qui patri ad vni-
„ uersarum rerum fabricationem inseruiuit, non antè secula fuisse dixerit: sed ab eo tem
„ pore solum, quo ex Maria natus fuit, filium & Christum fuisse, & tum incepisse Deum
„ esse, sicut Paulus Samosatenus asserebat, anathema esto.

Alia fidei formula, Latino sermone primùm scripta, pòstea in Græcum conuersa.

Quoniam visum erat, vt accurata aliqua de fide haberetur consideratio: omnia quæ *Alia fidei formula, Latine primùm edita.*
ad eam rem pertinent, Sirmij exquisitè indagata explicataq; fuēre: & Valente, Vrsacio,
Germanio, & cæteris episcopis præsentibus, consensum est, vnum Deum esse, patrem
omnipotentem, sicut in toto orbe terrarum prædicatur: & vnum vnigenitum eius fili-
um Iesum Christum, & seruatorem nostrum ex eo ante secula genitum. Duos deos nō
oportere dicere, quandoquidem ipse Dominus dixit: Vado ad patrem meum, & patrē
Rom. 3. vestrum, & Deum meum, & Deum vestrum. Propter hoc & omnium Deus est, sicut A-
postolus docuit: Nunquid Iudæorum Deus solùm? an non etiā & gentium? imò & gen-
tium, quoniam vnus est Deus, qui iustificabit circuncisionem ex fide; & cætera omnia
consentiunt, nullamq; habent dubitationem. Et quoniam de hac voce, quæ à Latinis
substantia dicitur, à Græcis οὐσία, à multis grauiter certatum est, hoc est, vt accuratius in- ὁμοούσιον ἢ τὸ ὁμοιούσιον. *Sic legit Nicephor. lib. 9. cap. 31.*
telligatur, de æquisubstantiali, vel potius (quod dicitur) consubstantiale, à nemine dein
ceps mentionem de illis faciendam esse, neq; de his rebus vllam in Ecclesia explicatio-
nem instituendam: id adeò ob hanc causam rationemque, quòd de ijs in Sacris literis
nihil scriptum extat, quodque humanam intelligentiam mentemque longè superant:
& quòd generationem Filij nemo potest explanare, sicut in Sacris literis proditum
est, Generationem eius quis enarrabit? Nam constat, patrem solum scire, quo- *Esai. 53.*
modo genuerit filium: & rursus filium solum scire, quomodo à patre genitus sit.
Nemini autem dubium esse, patrem maiorem esse honore, dignitate & diuinitate,
& ipso nomine paterno etiam maiorem esse: idque filij ipsius testimonio dicentis,
B Qui me misit pater, maior me est. Quinetiam istud catholicum esse, nemini esse ob-
scurum: duas scilicet personas esse, patris & filij: & patrem maiorem, filium subiectum
cum ceteris omnibus, quæ pater illi subiecerit: Patrem principium non habere, inuisi-
bilem & immortalem esse, non posse pati: Filium genitum à patre Deum de Deo, lumē
de lumine: & huius generationem (sicut antè dictum est) neminem nisi solum patrem
cognoscere. Ipsum filium Dominum & Deum nostrum, carnem seu corpus, hoc est
hominem sumpsisse: quemadmodum tum angelis nunciauit, tum omnes Scripturæ
docent, & maximè Apostolus ipse, doctor gentium: Christum ex Maria Virgine homi-
nem sumpsisse, per quem passus est. Caput autem esse & firmamentum totius fidei, vt
Trinitas semper conseruetur, sicut in Euangelio legimus: Euntes docete omnes gentes, *Matth. 28.*
baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Simplex verò & perfectus
est Trinitatis numerus. Paracletus, Spiritus sanctus per filium missus, venit secundum
promissionem, vt Apostolos & omnes credentes sanctificaret & doceret. Photino per- *Photini pertinacia.*
suadere nituntur, post eius abdicationem, vt istis rebus assentiret, subscriberetq;: & pol-
liciti sunt episcopatum se illi reddituros, si modò resipisceret, dogmaque seorsum ab i-
pso excogitatum damnaret anathemate, atque adeo ipsorum opinioni accederet. Ille
repudiat conditionem, eosq; ad disputandum prouocat. Ac die ad eam rem præstituta,
de sententia Imperatoris conueniunt, tum episcopi, qui ibi aderant, tum non pauci se-
natores, quos Imperator rogauerat vt disputationi vellent interesse. In quorum con- *Basilius Photino se opponit.*
sessu Basilius, qui tum Ancyrę episcopus fuit, se Photino opposuit: notarij, qui scriben- *Photini eruditio & scripta.*
di celeritate multum valebant, eorum verba exceperunt. Dum inter se acriter disserūt,
maxima oritur concertatio. In qua disputatione Photinus euictus, condemnatur. De
reliquo vitam in exilio degens, librum tum Græca, tum Latina lingua (nam ne huius
quidem linguæ ignarus fuit) composuit. Scripsit autem contra omnes hæreses, dum su- *Photini damnatio & exilium.*
um ipsius dogma diuulgare laborauit. Verùm de Photino sit dictum satis. Intelligen-
dum est autem, episcopos, qui Sirmij conuenerant, se illius fidei formulæ Latino ser- *Editam in Sirmio latinè confessionem authores cur reuocare studuerint.*
mone conscriptæ pœnituisse. Nam postquam edita fuit, visa est illis pugnantia comple
cti. Ob quam causam dederunt operam, vt ex illorum manibus, qui eam descripserant,
eximeretur: vbi autem à multis occultabatur, Imperator per edictum mandauit, vt eius
quæ exiuerant exemplaria conquirerentur: supplicium q; est cuiq; minatus, qui illa oc-
cultasse deprehenderetur. At nullæ minæ ea, cum semel edita essent, delere poterant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

propterea quòd in tam multorum manus incidissent. Verùm hæc quidem hactenus.

De Hosio Cordubensi. CAPVT XXVI.

Hosius cur in ultimis ad concilium accesserit.

VOniam autem de Hosio Cordubæ episcopo, quòd animo inuito ad conciliũ Sirmij habitum accesserit, mentionem fecimus, de hac re pauca iam dicemus. Quanquam iste paulò ante per fraudulẽtum Arianorũ conatum erat in exiliũ missus: id temporis tamẽ studio & labore episcoporum, qui Sirmij conuenerant, factũ est, vt Imperator illum accerseret, habens in animo vel persuadendo, vel cogendo eum inducere, vt cum episcopis ibi coactis consentiret. Nam si istud factum esset, illorum fides perillustri testimonio cõfirmata videretur. Hac de causa inuitus, vt dixi, accessit ad concilium. Simulatque verò senex ille eorum fidei assentire abnuebat, plagæ illi erant inflictæ, membraq; machinis distorta. Quapropter fidei formulis eo tempore editis, vi & necessitate compulsus consensit, subscripsitq;. Atq; res tum Sirmij gestæ hunc exitum habuere.

Hosius vi coactus subscribit

Vide Sozo. lib. 4. ca. 5.

De Magnentio Tyranno deuicto, & Iudæis, qui Diocæsaream vrbem Palæstinæ incolebant, & Gallo Cæsare. CAP. XXVII.

Magnentij sæuitia in Romanos.

IMperator Constantius Sirmij commoratur, expectans euentum belli contra Magnentium suscepti. Magnentius autem, simul vt Romam, vrbem omnium facilè principem, occupauit, trucidat ex ordine senatorio complures: non paucos etiam ex populi multitudine è medio tollit. Verùm vbi duces Cõstantij, Romanorum copijs collectis, contra illum ire contẽdunt: Roma decedens, in Galliam proficiscitur. Ibi crebra prælia fiunt: & modò hæc, modò illa pars superior fuit. Tandem apud Mursam (est autem hoc castellum Galliæ) Magnentius deuictus, se in illud castellum concluſit: in quo quidem tale miraculum fertur editum esse. Magnentius animos suorum militum præclade accepta fractos debilitatosque recreare laborans, altum suggestum cõscendit. Illi, quod de more imperatoribus fieri solet, Magnentio faustè acclamare cupientes, quasi præter animi voluntatem, acclamationem ad Constantium transferunt. nam non Magnentium, sed Constãtium omnes vno ore Augustum prædicant. Quod quidem velut omen infortunij Magnẽtius arbitratus, cõfestim se ex illo castello subducit, ad vlteriores Galliæ partes trãsfugit. Constantij duces acriter insequuntur. Denuò pugnatum est in loco quodam, qui Miltoseleucus dicitur, in quo Magnentius vi superatus, fugam solus capessit. Lugdunum vrbem Galliæ contendit, quæ Mursa castello abest trium dierum iter. Magnentius vt Lugdunum venit, primùm matrem suam interimit: deinde fratrem, quem Cæsarem constituerat, trucidat: ad extremum sibijpsi necem consciscit. Hæc res gesta est ad sextum consulatum Constantij: secundum autem Constantij Galli, decimooctauo Calendas Septembris. Non longo tempore pòst, Decennius, alter frater Magnentij, vitam sibijpsi laqueo eripuit. Et quanquam hoc modo Magnentij tyrannis ad exitum venit, Respub. tamen non adhuc satis tranquilla & quieta fuit. Nam statim pòst alter tyrannus, Syluanus nomine, exoritur: verùm hunc statum Reip. in Gallia turbantem, duces Constantij actutùm profligarunt. His rebus confectis, mox aliud bellum intestinũ in Oriente excitatur. Nam Iudæi, qui Diocæsaream Palæstinæ incolebant, arma contra Romanos sumere, in loca finitima incursionem facere cœperunt. Verùm Gallus, qui & Constantius vocabatur, quem Imperator Constantius Cæsarem constituerat, in quæ Orientem miserat, copijs eò traductis, illos bello subegit: ciuitatem Diocæsaream solo æquari mandauit. Vbi istas res gesserat Gallus, secundum fortunæ flatum moderatè ferrè non potuit: sed statim cõtra ipsum Constantiũ, qui eũ Cæsarem creauerat, nouas res moliri aggreditur, studio tyrannidis occupandæ inflammatus: adeò vt non multo pòst à Constantio, quid apud animum proposuisset, perspicuè deprehensus sit. Domitianũ namq; tum Orientis præfectum, & magnum quæstorem de sua ipsius occidit authoritate: nec Imperatori quid animo instituerat significauit. Qua de causa Constantius grauiter commotus, Gallum ad se accersit. Ille metu supra modum perculsus, inuitus ad eum perrexit. Quem quidem, vbi partes versus Occidentẽ occupauerat, & iam in insula Flauone versabatur, Constantius è medio tolli iussit. Pòst exiguum temporis spacium, Iulianum Galli fratrem Cæsarem constituit, inque Galliam contra Barbaros misit. Gallus, qui etiam Constantius appellabatur, ad septimum Consulatum Constantij: ad tertium autem suijpsius, interfectus est. Iulianus verò sequenti anno, Arbitione & Lolliano Coss.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 32. Vide Sozo. lib. 4. ca. 6. item supra Socr. lib. 2. cap. 20.

Mursa castellum.

Omen infausti Magnentio ditum.

Magnentij fuga, & interitus, anno 358.

Decennij interitus. Syluanus tyrannus.

Iudæi tumultuantur. Bellum intestinum in Oriente

Gallus Constãtius aduersus Imp. Constantium insurgit.

Iulianus Cæsar constituitur.

Galli interitus.

Ano Coss. Cæsar creatur: sept. Id. Nouembris. Cæterùm de Iuliano proximo Libro disseremus. Constantius his præsentibus malis liberatus, ad bellum cum Ecclesia gerendum animum suum cõuertit. Nam Sirmio Romam, vrbem primariam, profectus, concilium episcoporum de integro conuocat, & quosdam ex episcopis Orientis in Italiam maturè contendere, eò etiã accedere episcopos Occidentis iubet. Interea tempo-ris, dum hi in Italiam iter parant, accidit vt Iulius episcopus Romanus, qui quindecim annos ibi ecclesiam rexerat, è vita migraret: Liberiusq; in illius episcopatus administrationem succederet.

Constantius Ecclesiæ bellũ molitur, & Romæ concilium cogit.

Liberius Iulij successor.

De Aetio Syro, Eunomij præceptore. CAP. XXVIII.

Vide Nicep. c. 17. 26. li. 9. Vide Theodoritũ lib. 2. cap. 28. Sozo. lib. 4. cap. 11. lib. 3. cap. 14.

ANtiochiæ, quæ est in Syria, Aetius cognomento Atheus, aliûs hæresis author exoritur. Iste, quamuis eadem cum Ario sentiret, eandemq; tueretur opinionem, tamen ab Arianis, quòd Arium in communionem recepe-rant, se segregauit. Nam Arius (vti antè dixi) alia cõplexus animo, alia ore confessus, cum esset Niceæ, fidei formulam ibi in concilio editam admisit, eique subscripsit: & Imperatorem, qui tum regnabat, per fraudem ludificatus est. Ob quam causam Aetius se ab Arianis penitùs seiũxit. Etiam ante illud tempus Aetius fuerat hæreticus, & Arij dogmati patrocinari ardendi studio contenderat. Nã cum Alexãdriæ aliquantum profecisset in literis, decessit: Antiochiam autem Syriæ profectus (in ea namque ciuitate natus fuit) à Leontio, qui tum episcopus erat Antiochiæ, diaconus constitutus est. Paulò pòst, eos qui fortè in eius venêre colloquium, suis obstupefecit argutijs. Istud autem effecit, fretus elenchis sophisticis Aristotelicis (sic enim liber est ab authore inscriptus) quarum subsidio cum dissereret, captiosas ratiocinationes, quas ipse non poterat dissoluere, imprudens contexuit: quippe Aristotelis institutum à peritis minimè didicerat. Nam Aristoteles propter sophistas, qui tum philosophiam irrisere, hanc differendi rationem pro adolescentibus conscripsit, & ita sophisticis & fallacibus quibusdam argutijs sophistis restitit. Itaque Academici, qui Platonis & Plotini scripta explanant, ea quæ sunt tam argutè, & subtiliter ab Aristotele disputata, admodum reprehendunt. At Aetius, vtpote magistrum Academicũ minimè consecutus, in captiosis reprehensionum inhæsit fallacijs. Quapropter mente haud poterat comprehendere, quomodo sit generatio ingenita: & qua ratione, quod genitum est, coæternum sit, cũ eo, quod illud genuerit: adeò autem doctrinæ inops, adeoque Sacrarum literarum rudis & ignarus fuit: ac fallax duntaxat ratiocinandi genus, & certandi studio comparatum (quod quidem ab agresti & indocto facilè fieri possit) sibi acquisiuerat: sic vt in veteribus scriptoribus, qui sacra eloquia ad fidem Christianam spectantia interpretati fuissent, non modò non esset exercitatus, sed Clementem, Aphricanum & Origenem vitros omni doctrinæ sapientiæque genere literatè peritos, prorsus reijceret: atque adeò epistolas, quas nugis litigiosis fallacibusque concluſiunculis dedita opera referserat, ad Imperatorem Constantium & alios nonnullos conscriberet. Ob quam causam Atheus nuncupatus est. Et quanquam eadem cum Arianis asserebat, tamen à suis, qui inuolutã & captiosam ratiocinandi viam ab eo traditam, minimè intelligere poterant, pro hæretico, vtpote cum Arianis consentiente, est habitus. Quare cum esset eorum ecclesia exturbatus: voluit tamen videri, quòd se sua sponte ab illorum communione seiunxisset. Ab illo autem qui erroris suiinitium duxissent, id temporis Aetiani, iam verò Eunomiani appellantur. Nam paulò pòst Eunomius, qui eius scriba fuit, & ab eo peruersam deprauatamque doctrinam didicerat, huic hæreticorum sectę præfuit. Sed de Eunomio suo loco dicemus.

Aetij hæresis quo ab Arianis differat.

Aetius à Leõtio diaconus constituitur.

Aristotelis Elenchorum institutum.

Aetius Sacrarum literarũ rudis.

Aetius Atheus dictus.

Aetiani, qui & Eunomiani.

Eunomius Aetij scriba.

Anno Christi 358.

De Mediolanensi Synodo, & Ariminensi, & fide, quæ illic exposita est. CAP. XXIX.

Vide Nicep. ca. 33. lib. 9. Vide Theodoritũ lib. 2. capit. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. li. 4. cap. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. li.

ERid tempus in Italia non multi ex Episcopis Orientis conuenerunt: quandoquidem plerisq; illorum ingraueſcens ætas, & itineris longitudo impedimento fuit, quo minus illò aduentarent: ex episcopis verò Occidentis accessere amplius trecenti. Exibat edictum Imperatoris, vt concilium Mediolani cogeretur. Quò cũ episcopi Orientis venissent, primum omnium postulabant, vti contra Athanasium cõmunis pronũciaretur sententia: quo quidem confecto, putabant fore vt reditus Alexãdriam illi penitùs præcluderetur. Postquam intellexêre Paulinus Treueris, quæ est in Gallia, episcopus, Dionysius & Eusebius (quorum ille Albæ primariæ vrbis Italiæ episcopus fuit, hic Vercellarum ciuitatis Liguriæ) episcopos Orientis omnes neruos contendere

Mediolanense concilium circa annũ Christi 359.

Paulinus, Dionysius, Eusebius, episcopi, Athanasio patrocinati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tendere ad decretum contra Athanasium faciendum, non alia de causa, quàm vt fi- A
des labefactaretur: consurgentes grauiter vociferabantur, religionem Christianam per
dolosos & fraudulentos illorum conatus expugnatam fore: dicebantque criminatio-
nem Athanasio obiectam perspicuè falsam esse: illosque eas res excogitasse, vti fidem
prorsus euerterent. Dum hæc isti vociferabantur, episcoporum concilium dimissum
est. Quod vbi intellexit Imperator, illos actutùm in exilium ire mandat: generaleque
concilium conuocare in animo habet, vt cunctis episcopis Orientis in partes Occiden-
tis accersitis, omnes (si fieri possit) ad concordiam reducat. Ei verò istam rem animo
Concilij in duas partes diuisio. agitanti, videbatur perdifficilis ad præstandum, propter itineris longitudinem: & ob
cam causam Concilium in duas partes diuidi iubet: atque episcopos, qui tum aderant,
Frustra tentat Imp. dissidentes conciliare. Arimini, quæ est vrbs Italiæ, conuenire: episcopos autem Orientis, Nicomediam vrbẽ
Bithyniæ petere, per literas imperat. Verùm eius institutum non successit prosperè. nã
neutrum Concilium secum consensit, sed vtrumque fuit in varias partes distractum.
Etenim neque episcopi, qui Arimini conuenerant, concordare poterant: & qui in O-
riente coacti erant, Seleuciæ vrbis Isauriæ nouum schisma conflarunt. Qua ratione au
tem singula istorum acta fuerint, deinceps in sermonis nostri progressione exponemus,
Leontij obitus. si modò de Eudoxio prius pauca dixerimus. Eodem ferè tempore Leontio, qui Aetium
hæreticum ad gradum diaconatus extulerat, morte extincto, Eudoxius Germaniciæ,
Eudoxius Episcopus. vrbis Syriæ, episcopus, qui tum Romæ aderat, maturè sibi in Orientem reuertendum
putat: agitque veteratorie cum Imperatore, vt sibi potestas ocyus redeundi propterea
fieret, quòd Germanicia ciuitas ipsius consolatione & subsidio magnopere egere vi-
deretur. Imperator verò, qui minus, quid esset illi in animo, præuiderat, hominem di-
Eiusdẽ dolus. mittit. Iste cubiculariorum Imperatoris operam & auxilium nactus, sua ipsius ciuitate
derelicta, per dolum ad episcopatum Antiochiæ subrepsit: moliturq; vt Aetium in ec-
clesiam denuò reducat: contenditque vt Concilio episcoporum conuocato, illum ad
diaconatus gradum restituat. Verùm istud propterea neutiquam confici poterat, quòd
odium contra Aetium conceptum, plus ad illum repellendum, quam studium Eudo-
xij ad restituendum valeret. Sed de ijs rebus non opus est pluribus. Ex illis, qui erant A-
rimini congregati, episcopi quidem Orientis, causa Athanasij silentio prætermissa, dixe
Vrsacius & Valẽs polypi. runt se alijs de causis conuenisse. Quorum opera ac studio Vrsacius & Valens (qui ini- B
tio Arij dogma propugnauerant, postea tamen ob libellum quem episcopo Romano
obtulerant, fidei consubstantialis, sicut antè dixi, assentiebantur) magno fuêre adiumen
to. nam isti duo ad nutum eorum, qui plus valebant, se semper accommodabant. His
etiam venêre subsidio, Germanius, Auxentius, Demophilus, & Caius. In conuentu igi-
tur, vbi episcoporum, qui aderant, alius aliud statuendum censeret, Vrsacius & Valẽs,
omnia quæ erant olim de fide tradita, dixerũt irrita debere esse: & nouã fidei formulã,
quam episcopi Sirmij coacti paulò antè ediderant, approbari. Quæ cum dixissent, sche-
dam, quam habebant in manibus, legendã curauêre. Aliam aũt fidei formulam, quam
Sirmij anteà conscripserant, ibiq; (vti supra commemoraui) suppresserant, tum Arimi-
ni in medium protulerunt: † quæ etiam erat ex Latino sermone in Græcum conuersa, †Videan. nor. pag. lat. 207. lin. 29.
hisq; ferè verbis explicata fuit. Fides ista catholica coram domino nostro Constantio,
Flauio Eusebio, & Hypatio Coss. Sirmij ad 11. Calend. Iunij, edita fuit.

Fidei formula ab Vrsacio & Valente exhibita. Credimus in vnum solum & verum Deum, patrem omnipotentem, conditorem & "
opificem omnium. Et in vnum vnigenitum filium Dei, qui fuit ante secula, ante omne "
principium, & ante omne tempus, quod mente percipi potest, & ante omnem notionẽ "
comprehensibilem à Deo patre sine passione vlla genitus: per quem tum secula condi- "
ta, tum omnia facta sunt: vnigenitum solum, ex solo patre genitum, Deum de Deo, si- "
milem patri, qui illum genuit, secundum Scripturas. cuius generationem nemo nouit, "
nisi solus pater, qui genuit illum. Hunc scimus, vnigenitum eius filiũ, nutu paterno de "
cælis, ad delendum peccatum descendisse: natum esse ex Maria virgine, versatum cum "
discipulis, paterna voluntate omnem œconomiam expleuisse: crucifixũ, passum, mor- "
tuum: descendisse ad inferos, omnia illic dispensasse: quem inferorum ianitores intuẽ- "
tes cohorruerunt. tertia die resurrexisse: iterum cum discipulis versatum: & quadragin "
ta diebus expletis, ascendisse ad cælos, sedere ad dexteram patris: & venturum in nouis- "
simo die cum gloria paterna, vt reddat vnicuiq; iuxta opera sua. Et in Spiritum S. quem "
Ioan. 20. & 14. ipse vnigenitus Dei filius IESVS Christus promisit se missurum generi humano, para- "
cletum, sicut scriptum est: Vado ad patrem meum, &, Orabo patrem meum, & alium "
paracletum mittet vobis, spiritum veritatis: illeà me sumet, & docebit & suggeret vobis "
Substantiæ nomen cur mul. omnia. Nomen Substantiæ quoniam à patribus simpliciter positum, à populo autem i- "
gnoratum, offensionem propterea multis concitat, quòd Scripturis minimè sit compre "
hensum:

A hensum: visum est ipsum tollere, & omninò nullam mentionem huius verbi Substan- *tis offensionẽ concitet.*
" tia, cum de Deo loquimur, dereliquò fieri: quia literæ Sacræ omninò substantiæ vel fi-
" lij vel Spiritus S. neutiquam meminerint. Filium tamen patri per omnia similem dici- *Filius patri per omnia similis.*
" mus: quippe cum Sacræ Scripturæ illud asserant, doceantque. Istis perlectis, illi, quibus
parum videbantur arridere, consurgentes dixerunt: Nos minimè huc propterea conue-
nimus, quòd essemus fide destituti (nam eam integram seruamus, quam ab initio acce-
pimus) sed vti, si quid noui quisquam de ea moliretur, ei obsisteremus. Quòd si igitur i-
sta, quæ perlecta sunt, non ad res nouandas omninò spectent: vos iam errori Ariano, eo
modo quo vetus Ecclesiæ canon alios errores tanquam blasphemia refertos reiecit, a-
nathema denunciate. Quòd autem Arij dogma tam plenum blasphemiæ, tumultus &
turbas in Ecclesia ad hoc vsque tempus excitarit, vniuerso orbi terrarum palàm est.
Quod quidem propositum cum ab Vrsacio, Valente, Germanio, Auxentio, Demophi-
lo & Caio non reciperetur, Ecclesiæ concordiam planè diremit. Nam isti, illis quæ in
concilio Arimini habito perlecta erant, adhæserunt: alij, fidem Concilij Niceni de in-
tegro ratam fecêre: irrisereque fidei formulam, in illis, quæ erant perlecta, comprehen-
sam. & maximè Athanasius: qua quidem inductus, literas ad suos scripsit, his ferè ver-
bis.

Pag. 475. edit. nel. ta Athanasij. Quid, quæso, desiderabatur Ecclesiæ catholicæ ad pietatis doctrinam, vt iam de fide *Athanasij ad suos literæ, De Synodis Arimini & Seleuciæ.*
quærant: & Consules, qui in hoc præsenti tempore fuerint, verbis, quæ de fide scilicet
ipsi posuerint, nominatim præfigant? Nam Vrsacius, Valens, Germanius fecerunt,
" quod nunquam vel factum vel auditum apud Christianos fuit. Etenim vbi ea scripse- *Vrsatij & Valentis confessio fidei impugnata.*
" rant, quæ ipsi credenda putauêre: Consules, mensem, diem denique præscripserunt: vt
" omnibus prudentibus viris constaret, eorum fidem nõ ante regnum Constantij initiũ
" habuisse. Quinetiam omnes illi ad propriam hæresim respicientes, sententiam suam
" scriptis mandarũt. Porrò autem cum de Domino scribere præ se ferrẽt, alium quidem
" suum Dominum nominauêre, nempe Constantium. iste enim fenestram illis ad impie- *Curiosa ac stultanulenta temporum notatio.*
" tatem aperuerat. Atque dum filium Dei ęternum denegabant (adeò namque illi hostes
" Christi erant ad nequitiam proiecti) imperatorem æternum dixerunt. Sed fortassis ex
" sanctis prophetis, qui tempora, quibus vixerint, tradunt, ansam ad Consules notandos
B arripuêre. Verùm si istud audeant affirmare, suam ipsorum valde produnt insciti am.
" Nam quanquam in sanctorum prophetijs temporum facta est mentio, vt in Esaiæ & *Prophetarum tempora.*
" Oseæ, qui in diebus Oziæ & Ioathan, & Achaz & Ezechiæ fuerunt: vt in Hieremiæ, qui
" vixit in diebus Iosiæ: vt in Ezechielis & Danielis, qui regnante Cyro & Dario floruc-
" runt: vt in aliorum denique prophetijs, qui alijs temporibus prophetarunt: non tamen
" illi primùm fundamenta iecêre pietatis, & religionis diuinæ. nam ante illorum tem-
" pora, & semper, & ante mundi fabricationem fuit: quam quidem Deus per Christum
" nobis præparauit. Atque tempora quibus illorum fides inchoata fuerit (ante illa nam-
" que tempora fuêre illi ipsi fideles) minimè designarunt: sed tempora erant illa quidem
" promissionis per illos prænunciatæ. Ac promissio quidem, incarnationem Seruato- *Nouã esse Arianorum per fidiam ipsorũ verbis docet.*
" ris nostri potissimùm attigit: quod autem ei erat adiunctum, ea quæ cùm Iudæis, tum
" gentibus obuenirent, perspicuè commonstrauit. Quinetiam in temporibus illis nota-
" tis, fides quidem (vti suprà dixi) non habuit originem, sed ipsi prophetæ: in quibus
" quidem cum viuerent, istas res vaticinati sunt. At isti nostri sapientes, cum nec res ge-
" stas literis produnt, nec futura prædicunt, sed scribunt, *Edita est fides Catholica:* statim
" attexunt & Coss. & mẽsem, & diem. Quemadmodum sancti viri, tempora cùm rerum
" gestarum, tum sui ipsorum ministerij perscribunt: sic isti tempus, quo cœpta sit ipso-
" rum fides, annotãt. Atq; vtinã certè suam ipsorum fidem solũ scriptis mandassent: iam
" verò fidei initium faciunt, & non quasi antè extiterit, de ea disputare aggrediuntur.
" Non enim scribunt, Sic credimus: sed hoc modo, Edita est fides catholica. Itaque au-
" dax instituti huius susceptio illorum insciti am arguit manifestò: atque recens illius
" conscriptæ formulæ institutа ratio, Ariani hæresim planè exæquat. Sic namque scriptis
" docuerunt, tum cœperunt ipsi credere, deinceps illorum fidem annunciare constitu-
" unt: non aliter atque apud Lucam Euãgelistam est, Editum est edictum de censu. Istud *Luc. 2. cap.*
" edictum ante quidem nõ erat, sed ab illis diebus cœpit esse: & ab eo, qui illud scripserat,
" editum fuit. Ita, cum isti scribunt, Edita est iam fides: ostendunt, errorem suum nuper
" excogitatum esse, & antea non extitisse. Quod si verbum, CATHOLICA, addant, in im-
" piam Cataphrygum peruersitatẽ imprudentes ruunt: vt illorũ more ipsi etiam dicant,
" Nobis reuelata est fides Christiana, & à nobis incœpta. Et vt illi Maximillam & Mon-
" tanum, sic isti pro Christo Constantium Dominum nuncupant. Quod si illorum tem-
" poribus, atque illis Coss. fides habuerit initium, quid de patribus & beatis martyribus

Universidad de Deusto
Biblioteca

fiet? quid de illis, quos isti ipsi in fide instituerant, & ante istos Coss. mortui sunt? Quara Atione illos à mortuis excitabunt, vt quæ tum illos docuissent, penitùs ex illorum animis euellant: & quę iam excogitarint, scripserintque, inserãt? Adeò sunt insulsi, vt simulatas causas solum confingere norint: quæ vt ineptæ sunt & improbabiles, ita facilè coargui & refelli poterunt. Istas res Athanasij epistola missa ad suos familiares complexa est: quam quidem studiosi pro arbitratu possunt peruestigare, eaque quæ sunt in illa ipsa acutè & grauiter disputata, penitùs cognoscere. Nos enim partẽ dũtaxat eiusdẽ hoc loco posuimus, quo breues esse possemus. Est porrò intelligendum, Valentem, Vrsacium, Auxentium, Germanium, Caium, Demophilum, à concilio propterea abdicatos fuisse, quòd recusabant, quo minus opinioni Arianæ indiceretur anathema. Ob quam causam, cum isti suam abdicationem iniquo ferrent animo, ad Imperatorem properè contendere cœperunt, & fidei formulam in concilio perlectam ad eum deferre. Concilium sua decreta Imperatori per epistolam exponit, ex Latino sermone in Græcum conuersam: cuius hæc quidem est sententia.

Ariani quidã abdicati ad Constantium confugiunt.

Concilij Arimini habiti ad Imperatorem Epistola.

Concilij Arimini ad Imperatorem epistola.

Quoniam tum mandatum Dei, tum tuæ pietatis edictum ita postulat: idcirco ea, quæ olim de fide fuêre decreta, nostris suffragijs stabilienda iudicamus. Nam cuncti episcopi ex omnibus ciuitatibus ad Occidentem sitis, Arimini in vnum conuenimus, vt & fides ecclesiæ catholicæ fieret illustrior, & illius aduersarij perspicuè deprehenderentur.

Profitentur se doctrinã prophetarum & Apostolorum & Symbolũ Nicænũ probare, & abhorrere à perfidia Ariana.

Postquam igitur diu deliberatum est, placuit eam fidem, quæ ex antiquis ducta temporibus hactenus permansit, quæque à Prophetis, ab Euangelistis, ab Apostolis deniq; per gratiam Domini nostri IESV Christi, tui imperij defensoris, conseruatorisque valetudinis tuæ, prædicata est, firmè retinere, retentamque perpetuò conseruare. Absurdum enim, imò nefas certè videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè vereq; definita essent, quæque fuissent ab omnibus in concilio Nicæno, tui patris Constantini Imperatoris illustrissimi subsidio accuratè exquisita, excussaque: quorum doctrina & sententia per omnium hominum aures mentesque peruasisset, palamque esset prædicata: cuius vnius vi Arij hæresis expugnata est, prorsusque extincta: cuius etiam adiumento B non hæc solum, sed aliæ quoque hæreses sunt extirpatæ. Cui profectò aliquid adijcere, tutum non est: & ab ea quicquam detrahere periculosum: Quod si alterutrum istorum eueniat, erit tanta aduersarijs impunitas proposita, & quod libeat, licenter exquantur. Itaque Vrsacius & Valens quoniam iampridem animos suos Ariano dogmate implicauerant, & nostra erant propterea communione segregati, non modò illos, vt eiusdem communionis denuò fierent participes, pœnituit delictorum, quæ se admisisse sua ipsorum conscientia planè arguebat: verum etiam vt ipsorum scripta testantur, veniam obnixè postulauêre. Quibus de causis omnia eis crimina remissa, condonataque fuerunt. Ista quidem eo tempore gerebantur, quo concilium Mediolani habitum est, præsentibus Ecclesiæ Romanæ presbyteris. Cum igitur intelligamus, Constantinum, principem omnium posterorum memoria post mortem celebrandum, diligenter elaborasse, vt fides illa Nicææ literis prodita, accuratissimè perquisita exploratáque esset: absurdum planè videretur, eo iam post acceptum baptismum vita defuncto, & ad tranquillitatem sibi debitam profecto, aliquid in ea nouare: & tot sanctos confessores & martyres, qui huius doctrinæ authores inuentores fuerunt, quique, vt vetus Ecclesiæ Catholicæ institutum poscebat, omninò seruerunt, inque eo perstiterunt perpetuò, prorsus contemnere. Quorum fidem ad tui imperij tempora Deus per Dominum nostrum IESVM Christum perduxit: cuius auxilio sic tuum creuit Imperium, vt vniuersa nostri orbis gubernacula teneas. At contrà miserabiles illi, & animo deplorato præditi, nefario impetu incitati, sc impiæ doctrinæ præcones denunciare, & totum veritatis institutum euertere studuerunt. Nam vt primum Concilium ex tuo edicto in vnum coiuerat, ij suæ fraudis in uolucrum aperuerunt: & simulatque Germanium, Auxentium & Caium, qui seditionem & discordiam in Ecclesiam induxissent, pari ab Ecclesia doctrinæ dissensione neirretitos animaduertebant, tentauerunt per dolum & tumultum aliquid noui decidere. Quorum doctrina, quanquam vna erat, tamen omnem blasphemiarum acerbum longè superauit. Verùm vbi intellexêre eos neque eiusdem opinionis esse, neque in perditis ipsorum conatibus cum illis conspirare: ad nostrum confessum se transtulerunt, perinde ac si iam contrarium dogma scriptis mandare in animo haberent. At non longo tempore pòst, eorum mentes sunt facilè patefactę. Quocirca vt

Quid actum sit in causa Vrsacij & Valentis.

Cur tantum deferendum sit Symbolo Nicæno.

De fraudibus Arianorum.

A ca vt status Ecclesiæ non eiusmodi iactaretur fluctibus, & omnia turba ac tumultu vo-
» lutata miscerentur, percommodum videbatur, vt tum vetera decreta firma stabiliaque
» conseruarent, tum isti à nostra communione excluderẽtur. Atque ob hanc causam le-
» gatos ad tuam humanitatem cum literis misimus, qui te doceant mentem & senten-
» tiam Concilij, quibus mandatum dedimus, vt in primis authoritate testimonioq; legũ
» olim rectè sancitarum veritatem confirmarent: atque adeò tuæ significarent æquita-
» ti, non vt Vrsacius & Valens dixerint, pacem futuram esse, si instituta ritè & legitimè
» facta euertantur (qui enim fieri potest, vt pacis authores sint hi, qui pacis vincula rupe-
» rint?) sed dissidium & seditionem inde cũ in alijs ciuitatibus, tum in ipsa ecclesia Roma
» na excitatam fore. Quamobrem tuam Clementiam obtestamur, vt benignis auribus &
» vultu placido nostram legationem excipias, neq; permittas quicquam nouari ad eorũ
» contumeliam, qui vita excesserint: sed nobis facias potestatem in his quæ sunt à maio-
» ribus (quos quidem ingeniosè & prudenter, Spiritu sancto illis opẽ ferente, omnia trãs-
» egisse constat) decreta sancitaque, firmè perseuerandi. Nam ea quæ ab istis nouata sunt,
» in animis fidelium incredulitatẽ inserunt: in infidelium autem crudelitatem. Obsecra-
» mus etiã, vt episcopis qui in exteris regionib. vitã degunt, quiq; & ætatis ingraueſcentis
» molestia, & paupertatis onere grauiter afflictantur, tuo mandato copia fiat domum tu-
» tò reuertendi, quo ecclesiæ episcopis suis ab ipsis disiunctis minimè destitutæ maneant.
» Porrò aũt istud præter cætera flagitamus, ne quid veterib. decretis vel detrahatur, vel
» adijciatur omnino: sed omnia quæ patris tui pietate vsq; ad hoc tẽpus obseruata fue-
» runt, rata firmaq; permaneant: neq; de cæterò nobis quicquã de ijs rebus facessas mole-
» stiæ, aut à nostris ipsorum ecclesijs nos abesse sinas: sed episcopi versentur cũ suis ipsorũ
» gregib. vti precibus & Deo sanctè colẽdo tranquillis animis vacent, orentq; sedulò pro
» tua salute, regno & pace quã Deus tibi benignus sempiternam largiatur. Legati nostri
» cùm subscriptiones, tum nomina episcoporum ad te deferunt: qui etiam Sacrarum li-
» terarum testimonijs tuam benignitatem, ea quæ ad decreta pertinent, satis accuratè do
» cere possint.

Petunt à Cæsare vt fides Nicænæ patrũque decreta maneant immota.

Recens hæreticorũ doctrina quid operetur.

Petunt & se ad suas ecclesias remitti.

Ista à Concilio conscripta fuêre, & per episcopos missa. Verùm Vrsacius & Valens, qui illorum aduentum præuerterant, Concilio apud Imperatorem obtrectare, & fidei formulã, quam illi secum adduxerant, ostendere: Imperator verò, quoniã eius animus B antè Ariana opinione fuerat occupatus, contra Conciliũ ira exardescere, Vrsacium & Valentem permagno in honore habere cœpit. Quapropter episcopi à concilio missi, diu quidem apud illum commorati, nullum responsum auferre poterant. Tandem per alios qui aderant, ad Concilium scripsit Imperator, ad hunc modum.

Constantius Arianizans infensus est Arimine Synodo.

Epistola Constantij ad Concilium.

CONSTANTIVS VICTOR ET TRIVMPHATOR AVGVST.
omnibus episcopis qui sunt Arimini coacti. S.

Constantij ad episcopos Arimini congregatos, epistola.

» Quanquam vestræ sanctitati minimè obscurum est, nos maximam curam diuinæ &
» venerandæ religionis Christi semper habuisse: tamen viginti episcopos, quos vestra pru
» dentia ad legationem vestram obeundam misistis, hoc tempore ad nostrum conspe-
» ctum admittendi ocium non erat. nam expeditio quam contra Barbaros in præsentia
» suscipimus, nos districtos tenet. Et par est, vti nostis, vt ei qui sit sacrosanctæ religionis
» negocia tractaturus, animus ab omni cura & perturbatione liber sit. Proinde episcopis
» mandauimus, vt Adrianopoli nostrum reditum expectent, vti cùm ea quæ ad Remp.
» pertinent, ritè procurata fuerint: illa quæ deinceps sint nobis proposituri, diligenter au-
» dire expendereq; possimus. Vestræ autẽ grauitati interea ne molestum sit eorum reuer
» sionẽ expectare, vt cũ redierint, nostraq; retulerint ad vos responsa, illa quæ sint ex vsu
» Ecclesiæ catholicæ futura, possitis ad exitũ perducere. Has literas vbi episcopi acceperãt,
» hoc modo ad Imperatorẽ rescripsere.

Causatur occupationes seculares, quo minus ecclesiasticis vacare possit.

Episcoporũ ad Imperatorem rescriptum.

» Tuæ Clementiæ literas accepimus, Imperator sanctissime: ex quibus didicimus,
» tibi propter necessaria Reipub. negocia, eo tempore non satis suppetiuisse ocij, lega-
» tos nostros in conspectum tuum admittendi: nobisque in mandatis dare, vt illorum
» reditum vsque eò expectemus, quoad tua prudentia intellexerit ea, quæ sunt à nobis
» conuenienter maiorum nostrorum institutis decisa, decretaque. Cæterùm iam per
» hasce literas confitemur, tibique confirmamus, nos à nostro proposito & sententia
» nequaquam discessuros. Legatis etiam nostris idem imperauimus. Quamobrem
» rogamus te, vt placido vultu literas hasce à nostra modestia ad te perscriptas, legendas
» cures: quinetiam ea quæ nostris legatis obeunda imposuimus, æqui bonique consulas.

Constantia episcoporum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Illud præterea tua benignitas iuxtà nobiscum intelligit,quàm tristis & acerba res sit,tot A ecclesias in tuis istis beatissimis temporib.episcopis suis destitutas esse. Et propterea tuã " clementiã iterum atq; iterũ obtestamur,Imperator Augustissime,vt ante hyemis aspe- " ritatem(modò tuæ pietati ita visum fuerit)nobis ad nostras ecclesias reuertendi facias " potestatem,quo possimus Deo patri omnipotẽti,& Domino ac seruatori nostro Chri- " sto,filio eius vnigenito,pro tuo regno consuetas preces cũ populo fundere:sicut & antè " semper fecimus,& adhuc facere nõ desistimus.Ista vbi scripsissent,& paululũ temporis " essent cõmorati,cùm Imperator illis respondere dedignaretur,singuli ad suas ipsorum ciuitates reuerterunt.Imperator verò quoniã iam antea in animo habebat Arianam o- pinionẽ per singulas ecclesias disseminare,& toto animo cõnitebatur vt illa passim do- minaretur,episcoporum reuersionẽ tanquam ansam ad hoc facinus obeundũ arripuit: dixitq; se ab illis propterea penitùs contemptũ,quòd contra eius voluntatẽ Concilium dimiserant.Quocirca Vrsacio potestatẽ permisit,liberè contra ecclesias omnia pro ar- bitratu admittendi:præcepitq;,vt fidei formula,quæ in concilio Ariminensi perlege- batur, ad ecclesias Italiæ mitteretur: & illi qui ei subscribere nollent, expellerentur ab ecclesijs,alijq; in eorum loca sufficerentur. Principio igitur Liberius episcopus Ro- manus,simulac se illi fidei assentire denegauerat,ab Vrsacio in exilium eiectus est: & Fe lix ecclesiæ Romanæ diaconus,Arianæq; sectæ addictus,per vim & violentiã ab eodem Vrsacio ad eũ dignitatis gradum delectus. Proinde omnes partes versus Occidentem, propter nouas res quæ ibi gerebantur,permagna perturbatione redundarunt, dum alij vi exturbati sunt,missiq́ue in exilium:alij in eorum loca surrogati. Atq; ista quidẽ edi- ctorum Imperatoris vi,quæ in partes Occidentis miserat,confecta sunt.Liberius autem non multò pòst ab exilio reuocatus,sedem episcopatus prõterea recuperauit,quòd po pulus Romanus seditione conflata,Felicẽ ecclesia illa eiecerat, Imperatorq́ue ipse etiã inuito animo illis consenserat.Vrsacius Italia relicta,iter in partes Orientis capit,& Ni cam vrbem Thraciæ contendit. Ac longo tempore ibi commoratus, aliud concilium in ea vrbe conuocat:fideiq́ue formulam,quæ Arimini prælecta erat, in Græcum ser- monem(sicut antè scripsimus) conuersam,cœpit ratam facere, publicare,tanquam ex Concilio generali editam præconijs celebrare,& fidem Nicæ stabilitam appellare,eo planè animo,vt homines imperitos ac simplices nominis similitudine in errorem ra- B peret.Nam illi eam putabant fidem fuisse,quæ Nicæ vrbis Bithyniæ erat olim confir- mata.Verùm istud commentum illis non magno adiumento fuit.Nã non longo pòst tempore patefactum est,illiq́ue ipsi ludibrio habiti. Sed de rebus in partibus Occiden- tis gestis, hacte nus differuimus.

Petunt sibi copiam fieri domum redeundi.cùm nihil sinistri constituti quod à fide Nicæna disceperet.

Imp.Arianam sectam promouere cõtendit.

Liberij episcopi Rom.exilium. Felix diaconus ad Rom. sedẽ euectus, & brevi reiectus.

Liberius sedẽ recuperat.

Vrsacius Nicæ concilium cogit:idq́ue dolo malo,vt Arimini fidẽ vendicet pro Nicæna.

De Macedonij sæuitia,& tumultibus ab eo concitatis.

CAPVT XXX.

VEniamus iam ad eas res explicãdas,quæ fuerunt eodẽ tempore in Oriente confectę, hinćq; nostri sermonis capiamus exordium.Episcopi factionis Arianæ edictis Im- peratoris elati,multo audacius res moliri cœpêre. Qua autẽ ratione concilium cogere aggressi sint,dicã equidem paulò pòst,vbi illa quæ sunt ante Conciliũ ab illis factitata, à me percursa fuerint. Acacius & Patrophilus,simulatq; Maximũ episcopũ Hierosoly- mitanũ exturbarant,Cyrillum in eius locum substituerũt. Macedonius aũt prouincias & vrbes Constantinopoli finitimas,ministris sui instituti contra ecclesias suffectis,pror sus euertere conatus est.Nam ecclesiæ Cyzicensis Eleusium creauit episcopum: Nico- medensis Marathonium,qui antea diaconus sub ipso Macedonio constitutus, multũ operæ ac studij in rebus ad virorum & mulierum monasteria spectantibus,sedulò pro- curandis collocauerat.Cæterùm quo pacto Macedonius prouincias & vrbes Constan- tinopoli vicinas euertere studuerit, iam dicemus. Iste, vt suprà dixi, cùm episcopa- tum acquisiuisset, eos qui ipsius opinionem sequi non in animum inducerent, infini- tis ferè affecit incommodis.Et non solum eos qui in Concilio ab eo dissentire existima bantur,expulit: verùm etiam Nouatianos(hos namq́ue fidem Consubstãtialis ample- xari, pro certo cognouit)eiecit,cruciatusq́ue illis inflixit intolerabiles.Agelius autem illorum episcopus, salutem fuga quæsiuit. Multi præterea viri pietate eximij prehen- si, tormentisq́ue propterea grauiter afflicti, quòd cum illo communicare recusa- uerant: quin etiam isti postquam tormenta illis inflixerant, per vim mysteria cum i- psis participare coegerunt.nam illorũ ora ligno distendunt,mysteriaq́ue ingerunt:qui aũt hunc cruciatũ subibant, ipsum alijs tormẽtis multo putauerũt acerbiorem. Mulie- res porrò & pueros abripiunt, mysteriorumq́ue cum illis participes fieri compellunt.

Vide Nicephor.lib.9. Sozom.lib.4.cap.9.

Cyrillus in Maximi locũ substituitur.

Eleusius Cyzici.

Marathonius Nicomediæ.

Vide Sozomenum de eodẽ.

Macedonij sæuitia in orthodoxos & Nouatianos.

Agelij fuga.

Quod

A Quod si renueret quisquã,aut illis cõtradiceret,statim verberib.cęsus fuit,& pòst verbe- ra in vincula & carcerẽ coniectus,coactusq́; alia acerba cruciamentorũ genera sustine- re.Ex quib.vnum & alterũ,quòd sæuitia & crudelitas tum Macedonij,tum aliorũ qui id tẽporis fuerunt propter eam rẽ nobilitati,apud oẽs liquidò constet, in medio ponã. V- bera mulierũ,mysteria cũ illis participare renuentium, inter arcularum labra intrusa ferris absciderunt.Easdẽ item partes alijs mulierib.partim ferro candente,partim ouis in igne quã maximè fieri poterat calefactis exusserunt.Nouum hoc quidẽ cruciatus ge- nus,etiã apud ipsos gentiles non aliquando auditũ, isti qui se Christianos profitebãtur excogitarunt. Ista ab Auxanonte(cuius etiã in primo lib.à me facta est mentio)vitam ad longissimum tempus protrahente, ipse equidem audiui: qui quanquam presbyter Nouatianæ erat ecclesiæ, tamen non exigua mala ab Arianis, cùm nondum ad gradũ presbyteri ascendisset,se perpessum memorauit. Nam vnà cũ Alexandro Paphlagone, qui religiosum & seuerum vitæ genus cum eo exercebat, in carcerem coniectum esse, multas plagas sustinuisse, tormenta tolerasse: Alexandrum autem propter plagarum acerbitatem in carcere occubuisse,qui quidem ad dextram homini iam in sinum By- zantium(quod Ceras,id est Cornu vocatur)nauiganti, prope fluminum ripas sepultus est, vbi etiam ecclesia est Nouatianorum, Alexandri nomine nuncupata. Diruerunt autem,Macedonij mandato, cùm alias ecclesias in alijs ciuitatibus,tum eam etiam No uatianorum in vrbe Constantinopoli sitã, quæ nõ multum abest Pelargo. At cur istius separatim mentionem fecerim,iam,sicut ab Auxanonte, viro qui vitam longissimè propagauit,ipse accepi,dicturus venio. Lege Imperatoris, & Macedonij violentia,man datum est, vt ecclesiæ illorum, qui fidem complectebantur Consubstantialis, prorsus vastarentur.Ista lex vnà cum violentia Macedonij iuncta, etiã ad istius ecclesiæ euersio- nem impellebat. Qui aũt ad hoc facinus obeundũ erant cõparati, illud properè aggre- diuntur. Atq; me quidẽ de populo Nouatianorũ cogitantem, quantã animi propensio nem ac studium erga suã ipsorum ecclesiam declararint,quantã etiam beneuolentiam illi qui tum Arianorum maleuolentia erant ecclesijs exturbati,iamq́; easdem cum pa- ce occupant,aduersum eos ostenderint, permagna certè incessit admiratio.Nam vt pri mùm illi,quibus datum erat ecclesiæ demoliendæ negocium, facinus aggrediuntur, B ingens turba Nouatianorum,aliorumq́ue nonnullorum qui doctrinam Consubstan- tialis cum illis tenebant, eam Ecclesiam diruit,inq́ue alium locum ædificium trans- fert.Locus autem eregionè ciuitatis iacet, Sycæq́ue dicitur:atque XIII. regio est vrbis Constantinopolis.exiguo admodum temporis spacio ecclesia translata fuit:quippe cũ tam frequens populi multitudo,maxima cum animorum alacritate ad eam transferẽ- dam se contulisset.Nam vnus tegulas,lapides alter,tertius ligna,alius aliã materiam Sy cas deportauit.Mulieres quoq; & pueri operi illi subsidio fuêre:vtpote q se precãdi mu- nere ritè perfuncturos,magnumq; facturos lucrũ propterea arbitrabantur, quòd ad æ- dificia Deo consecrata suam operam & laborẽ assiduè conferrent.Eo pacto igitur No- uatianorum ecclesia tum Sycas translata fuit. Postea verò,mortuo Constantio,Iulia- nus Imperator,locum vbi primùm fuerat extructa, Nouatianis dari iussit. Populus au- tem in ecclesia de integro ædificanda,eodem modo quo prius, laborare,materiã trans- ferre, in loco quo initiò steterat, constructe aggreditur. Et cùm eam multo illustriorẽ quàm antea effecissent, Anastasiæ,id est resurrectionis donauit nomine. Illa igitur eccle sia pòst,regnante Iuliano(vt modò dixi)denuò erecta est.Per id tempus,cùm qui Eccle siæ catholicæ fidem tuebantur,tum Nouatiani,erant pariter exacti.Et quoniam Catho lici in templis,in quibus coibant Ariani,versari abhorrebant: idcirco in tribus alijs ec- clesijs(totidem enim Nouatiani in illa vrbe habebant ecclesias)vnà cum Nouatianis conuenientes,mutuò inter ipsos preces peragunt: parumq́ue aberat quin fuissent vni- tatis concordiæq́; vinculo inter se colligati,si Nouatiani,quò vetus suũ institutũ serua- rent,nõ penitùs recusassent.Sed tamen in alijs reb. tam singulari beneuolentia & amo- re se inter ipsos cõplectebantur,vt alter pro altero lubens mortem vellet oppetere.Ex- De Eleusio vide infra lib.5.cap.9. agitabantur igitur pariter non Constantinopoli solum, sed in alijs etiã prouincijs & ci- uitatib.Etenim paulò pòst Cyzici Eleusius, qui erat illius ecclesiæ episcopus, Macedo- nij exemplum imitatus, se contra Christianos armare, eos vbique affligere,tormentis vexare cœpit:ecclesiamq́ue Nouatianorum,quæ erant Cyzici,solo æquare: Macedo- nius aũt sceleribus ab eo patratis colophonem, vt aiunt,addidit. Nã vbi auditione ac- cepit, cùm apud Paphlagones, tum Mantinij in primis, multos esse sectæ Nouatianę deditos,intellexitq́ue tantam hominum multitudinem per viros ecclesiasticos nõ pos- se commodè sedibus suis expelli:de sententia Imperatoris quatuor militũ cohortes in Paphlagoniam mittendas curauit,quo illi armatis hominib.perterrefacti, opinionem

Auxanon Nouatianæ ecclesiæ presbyter, Socrati author est huius histo- rię. Alexandri Paphlagonis obitus.

Supplicio- rum noua tyrãnis.

Imperatoris lex contra cõsubstãtialis cõfessores. Nouatianorũ & Consub- stan. cõfessorũ bar studium.

Sycæ.

Ecclesiæ diru- tæ subitæ aliò translatio.

Anastasiæ ve- tus templum.

Nouatianorũ & Catholico- rum cõcordia.

Eleusij tyran- nis.

Macedonij tu- multus.

Arianam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arianam admitterent. Qui verò Mantinium incolebant, ardenti religionis suæ studio A incitati, fidenter & animo contumaci contra milites gradi, & ingenti agmine coacto, pars falces longas prendere, pars ascias arripere, pars arma quæ erant fortuitu oblata sumere, omnes pariter in aciē procedere cœperunt. Cùm ad manus ventū esset, Paphlagonum cōplures cadunt: milites, paucis exceptis, omnes intereunt. Quanquam multi sunt Paphlagones, qui ista commemorant: tamen ab rustico Paphlagone, qui se prælio illi interfuisse dicebat, ipse equidem accepi. Ac tametsi multæ fuēre res eiusmodi à Macedonio Christianæ religionis ergò præclarè gestæ, in quibus cædes, pugnæ, seruitus, bella denique intestina acciderant: istud tamen facinus non solum apud eos qui erant ab eo læsi, verùm etiam apud suos ingentem odij flammam meritissimò contra ipsum incendit, Imperatorisque animus partim hac de re ab eo fuit abalienatus, partim alia de causa, quæ eius generis fuit. Templum vbi loculus in quo corpus Imperatoris Constantini erat conditum, ruinā minari: populus, qui intus versabatur, seq; precibus dicauerat, propterea in magno metu esse cœpit. Macedonius igitur habebat in animo Impe-
Imperatoris ossa transferre, nefas. ratoris ossa transferre, ne rempli ruina loculus ille penitùs obrueretur. Populus re intellecta, eius conatum prohibere aggreditur: inquiens, nefas esse Imperatoris ossa transferre. nam perinde esse, ac si è sepulchro effoderentur. Populus in duas dispertitur factiones: quarum altera corpus mortuum translatione illa minime læsum iri: altera facinus impium facto affirmabat. Qui autem Consubstantialis fidē amplexabantur, communi consensu facto restiterunt. At Macedonius, eos qui reluctabantur parui ducens, corpus in ecclesiam, in qua corpus Acacij martyris erat repositum, transfert. Quo facto à multitudine dissentiente properè in eam ecclesiam concurritur. Factio aduersatur factioni,
Cædes ob Imperat ossa translata. & absque mora manu grauiter confligitur. Tanta hominum cædes facta est, vt tota ecclesiæ pars inferior sanguine redundaret. Idemque ab ipsa porticu ecclesiæ adiuncta, ad ipsam plateam, factum esse cernebatur. Quod facinus miserabile & calamitosum, vbi ad aures Imperatoris peruenit, illum contra Macedonium ad iracundiam prouocauit: tum quòd tanta hominum occidisset multitudo, tum quòd patris corpus absq; ipsius consilio transferre ausus esset. Administratione igitur partium imperij versus Occidentem Iuliano Cæsari tradita, in Orientem ipse proficiscitur. Sed quo modo Macedonius postea breuì episcopatu abdicatus sit, tamque exiguas pœnas pro tantis scele- B
ribus dederit, dicam equidem paulò pòst.

De concilio Seleuciæ vrbis Cæsareæ coacto. CAPVT XXXI.

DE altero Concilio quod effigiem concilij Ariminensis pulchrè expressit, quod- *Vide Nicephor. c. 44. lib. 9.*
que Imperatoris edicto fuit in Oriente conuocatum, iam narraturus accedo. Tametsi illi antè visum erat, vt episcopi Nicomediæ vrbis Bithyniæ cogeren-
Nicomediæ ruina. tur: tamen terræmotus maximus qui illic accidebat (cuius impetu Nicomedia corruit) impedimento fuit, quo minus in eo loco cōuenirēt. Istud factū est Tatiano & Cerealio Coss. quinto Calend. Septembris. Consilium igitur inibant de Concilio ad vrbē *videl. hoc. dom. lib. 2. ca. 27. 28. Sozom. lib. 4. ca. 17. 18.*
Nicæam, quæ finitima est, transferendo. At mutata sententia, cōstituerunt Tarsi, ciuitatis Ciliciæ, cōuenire. Verùm neq; istud omnibus placuit: & propterea Seleuciæ, vrbis Isauriæ quæ Aspera dicitur, conueniunt. Ista vno eodemque anno, Eusebio & Hypatio *Anno Christi*
Leonas. Coss. confecta sunt. Episcopi, qui ibi conuenerunt, erant numero centum & sexaginta. *363.*
Lauricius. Aderat vnà cū illis Leonas, vir in aula Imperatoris perquàm illustris: quo præsente, erat Imperatoris edicto mandatum, vt de fide quæreretur. Lauricio etiam, militum qui in Isauria versabantur, duci, erat imperatum, vt episcopis, si quod opus esset, suppeditaret. In eo loco igitur ad quintū Cal. Octob. congregati, disputauêre: resq; disputatæ per-
Sabini, rerum in Conciliis gestarum collectio. scribas in publicos cōmentarios relatæ fuêre. Nam aderant scribæ manu celeri & exercitata, qui ea quæ dicebantur, notarent. Quæ quidem in libro Sabini, qui Collectio rerum in concilijs gestarū inscribitur, vberius fusiusq; explanata, studiosus quisq; poterit pro arbitratu euoluere: nos autem capita rerū duntaxat breuiter perstringemus. Primo die, quo cōueniebant, Leonas iussit, vt quod cuique videretur, id liberè quisq; proponeret. Verùm qui aderant, dicebant non prius debere quicquā in quæstionē vocari, quàm
Absentiū tergiuersationes. illi qui in Concilio desiderabantur, aduētarent. Desiderabantur enim Macedonius episcopus Constantinopolis, Basilius Ancyræ, & alij nonnulli: qui suspicantes se in crimen adductum iri, dedita opera abfuerunt. Macedonius autem morbum causam absentiæ suæ attulit: Patrophilus lippitudinem. Et ob hanc causam sibi in suburbijs Seleuciæ necessariò commorandum dixerunt. Singuli alij alias causas, cur abessent, affe-
runt. Cùm verò Leonas diceret, etiam illis absentibus quæstiones oportere poni: respondérunt

A responderunt episcopi, nihil antè in disputationem vocandum, quàm in eorum vitam & mores, qui accusabantur, esset diligenter inquisitum. Fuerant enim iam antè in crimen vocati, Cyrillus Hierosolymorum episcopus, Eustathius Sebastiæ vrbis Armenię, & quidā alij. Ex qua regrauis contentio inter eos qui aderant, orta est, dum pars vi- *Seleuciani cōcilij cōtentio, & dissidium.*
tam eorū qui insimulabantur, antè excutiendam esse dicebat: pars, nihil prius quærendum, quā de fide disceptaretur. Contentionē illam anceps & ambigua Imperatoris sententia excitauit. Nā literæ ab eo ad Concilium afferebantur, quæ nunc hoc, nunc illud primū quærendum præceperunt. De qua re cōtentio exorta, eos qui aderant, variè distraxit. quæ res origo & causa fuit, vt illud conciliū Seleuciæ in duas partes diuideretur: quarum alteri Acacius Cæsareæ Palæstinæ episcopus, Georgius Alexandriæ, Vrsacius Tyri, & Eudoxius Antiochiæ, cum quibus triginta alij solum conspirabant, præfuêre: alteri Georgius Laodiceæ vrbis Syriæ episcopus, Sophronius Pompeiopolis, quæ est in Paphlagonia, & Eleusius Cyzici: cū quibus alij etiam complures cōsentiebant. Postquam illa vicerat sententia, quæ primùm de fide quæri noluit: qui à partibus Acacij stabant, fidem Nicænam planè abrogandam, aliam nouam describendam significarunt: qui autem alteri parti adhærescebant (ac plures hi quidem numero fuêre) alia omnia in concilio Nicæno confirmata approbarunt, verbo Consubstantiali solo reiecto. Quare cū multum ipsi inter se vsque ad vesperum digladiati fuissent, tandem Syluanus ecclesiæ Tarsensis antistes magnopere vociferabatur, nullam nouam fidei formulā describendam esse: sed eam quæ Antiochiæ in dedicatione ecclesiæ descripta erat, debere integram seruari. Quod cùm dixisset, qui partibus fauebant Acacij, se inde subducunt: qui autem in alteram partem propendebant, fidei formulam Antiochiæ editam *Approbant illam fidei formulam quæ est Antiochiæ edita.*
in medium proferunt: atque illa perlecta, Concilium illo die dimissum est. Postridie verò in ecclesiam quæ est Seleuciæ conuenientes, foribus occlusis, fidei formulam perlectam subscriptionibus suis ratam fecêre. Pro illis autem, qui desiderabantur, eorum lectores & diaconi ibi tum præsentes (nam qui aberant, per illos se fidei decisionem approbaturos significauerant) illi formulæ subscripserunt.

Quòd in Seleucensi concilio Acacius Cæsariensis alium fidei libellum recitauit: quodque Acacius & illius sententiæ sectatores, vbi ab Occidente rediit Imperator, Constantinopoli conuenientes, concilium Arminense ratum habuerunt, atq; illi addiderunt nonnulla.

CAPVT XXXII.

B Vide Nicephor. c. 44. lib. 9.

B ACacio aūt, & eius factione, ea quæ in illo Concilio confecta erant, propterea admodū reprehendebantur, quòd occlusis ecclesiæ ianuis, illis subscripserāt. *Acacius cum acta Seleuciæ improbauerit.*
Nam ea (inquit Acacius) quæ in occulto geruntur, vt neutiquā probari debent, ita sunt plena admodum suspicionis. Ista verò dicebat, quòd esset illi in animo alteram fidei formulam, quam habebat ibi paratam, introducere. Eam igitur coram prin- *Suspicionis plena esse, quæ in occulto gerun-*
cipibus Lauricio & Leona perlegit: ad quam solam stabiliendam omni cura & cogi- *tur.*
tatione incubuit. Secundo die Concilij hæc acta sunt, præterea nihil. Tertio autem, Leonas dedit operam, vt pars vtraque in vnum conueniret: quo quidem die tum Macedonius episcopus Constantinopolis, tum Basilius Ancyræ aderat. Et cùm vtrique isti in vnam eandemque partem, Acacio videlicet aduersariam, conuenissent, Acaciana factio ad concilium accedere noluit: oportere, inquiens, eos antè è conuentu eijci, qui & iamdudum abdicati fuerant, & in præsentia erant insimulati. Vbi verò post multam contentionem hæc pars fuit superior, decedunt è concilio hi qui erant accusati: in quorum locum Acacius cum suis succedit. Tum Leonas ait, libellum quidem sibi ab Acacio datum: sed quòd fidei formula esset, quæ eorum sententiam qui partes cōtrarias tuebantur, partim clàm, partim palàm & apertè oppugnabat, eos prorsus celauit. Postquam illi, qui aderant, conquieuêre, pro certo persuasi, libellum nihil minus quàm fidei formulam in se complecti: tandem fidei formula ab Acacio
» composita, cum procœmio perlecta est, quæ se habet ad hunc modum. A` nobis
» quidem, qui heri, hoc est, ad quintum Calend. Octobris, ex Imperatoris edicto Se-
» leuciæ, vrbis Isauriæ conuenimus, summo studio laboratum est, vt pax in Ecclesia *Quo fine sit indicta Synodus*
» ritè conseruaretur: deque fide, sicut Propheticæ Euangelicæque voces nos docent,
» (ita enim à sanctissimo Imperatore Constantio imperatum est) tranquillis sedatis-
» que animis disceptaretur: atque adeò nihil contra sacras Scripturas in fidem induce-
» retur Ecclesiasticam. Verùm cùm essent in Concilio nonnulli, qui hos contumelijs
» vexare, illis ora obturare, loquique prohibere, alios inuitos excludere: quosdam
» ex varijs prouincijs, qui erant abdicati, sibi adiungere, eosq; contra veterem Ecclesiæ ca-
» nonem secum habere cœperint: ipsum concilium (sicut Lauricius illustrissimus pro-
» uinciæ præfectus suis ipsius oculis coràm aspexit) grauissimo tumultu sanè redundauit.

Sed

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fides Antiochiæ in ecclesijs tradita.

Sed quorsum ista? vt intelligatis, nos fidem in dedicatione ecclesiæ Antiochiæ celebratā expositam, confirmatamque, minimè reijcere: sed eam hic in mediū adducere: quandoquidem constat, patres nostros id temporis in hac proposita de fide controuersia inter ipsos consensisse. Verùm quoniam hæ voces, Consubstantiale & Aequiconsubstantiale, cū superioribus temporibus, tum adhuc nōnullorum animos magnopere conturbant, atque adeò fides à quibusdam qui Filium patri dissimilem asserunt, nouari dicitur: idcirco tū Consubstantiale, tū Aequiconsubstantiale, tanquam verba à Scripturis abhorrentia reijcimus: tum verbum Dissimile, anathema iudicamus: omnesque qui illius verbi patrocinium suscipiunt, ab ecclesia ducimus penitùs alienos. Similitudinem autem filij cum patre fatemur manifestò, Apostolum secuti, de filio sic loquētem: Qui est imago Dei inuisibilis. Confitemur igitur, & credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, effectorem cælorum & terræ, visibilium & inuisibilium. Credimus quoq; in Dominum nostrum Iesum Christum, filiū eius, ab eo sine affectione ante omnia seculā genitum, Deum verbum, de Deo vnigenitum, lumen, vitam, veritatem, sapientiā: per quem omnia facta sunt, tum quæ in cælis, tum quæ in terris, siue visibilia illa sunt, siue inuisibilia. Hunc credimus in fine seculorum carnem ex sancta virgine Maria sumpsisse, quò peccata deleret: hominem factum, passum pro peccatis nostris: resurrexisse, ascendisse in cælos, sedere ad dextram patris: & iterum venturum cum gloria, iudicare viuos & mortuos. Credimus etiam in Spiritum sanctum, quem & paracletum nominauit Seruator & Dominus noster, promittens se eum post discessum suum discipulis suis missurum, quem quidem misit: per quem credentes in Ecclesia, & baptizatos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti sanctificat. Eos autem qui præter hanc fidem, aliam vllam prædicauerint, alienos ab Ecclesia catholica decernimus. Ista quidem fidei formula fuit ab Acacio edita. Cui tum Acacius, tū eius factionis fautores, qui totidem erant numero, quot paulò antè commemoraui, subscripsere. Contra quam, cùm erat perlecta, Sophronius Pompeiopolis, quæ est in Paphlagonia, episcopus, ad hunc modum (eius enim verbis vtar) vociferatus est: Si noua in dies singulos nostræ ipsorū voluntatis & sententiæ prolatio, sit formula fidei: fieri non potest, quin accuratā veritatis perceptionē simus breui prorsus amissuri. Sic Sophronium locutum accepimus. Ac meo quidem iudicio, si qui eum ætate anteirent, quique eodem tempore cum illo viuerent, eadem semper de fide concilij Nicæni in animos induxissent, omnis seditiosa & turbulenta concertatio prorsus extincta fuisset, hicque temerarius & inconsultus in ecclesijs tumultus minimè dominatus esset. Verùm quemadmodum istæ res se habeāt, viderint illi qui plus intelligentia pollent, & solertia. Vbi multa de hac re, deque illis qui essent in crimē vocati, ipsi inter se vltrò citroq; agitassent, tandem cōcilium dimissum est. Quarto die in vnum conueniunt omnes: iterū verbis digladiantur. Inter quos Acacius talem profert sententiam: Si fides Nicæna erat olim semel mutata, & postea sæpius, quid obstat, quo minus iam etiam noua fidei formula describatur? Ad quæ respondet Eleusius: Concilium in præsentia conuocatum, non vt discat, quæ didicerit: neque vt fidem accipiat, quam non habuerit: sed vt in fide patrum incedens, ab ea ad extremum vitæ diem non aliquando deflectat. Eiusmodi verbis Acacij sententiæ occurrit Eleusius, fidem patrum, fidem Antiochiæ expositam appellans. At huic etiam poterit occurri: Quo modo, Eleusi, eos qui Antiochiæ conuenerunt, patres nominas: illorum autem maiores, patres esse inficiaris? Nam qui fuêre Nicææ coacti, fideiq; Consubstantialis consenserunt, magis propriè Patres vocari poterunt, tum quòd tempore antecesserint: tum quòd qui conuenerunt Antiochiæ, ab illis fuerint ad sacerdotij dignitatem delecti. Quod si qui Antiochiæ erant congregati, suos ipsorum patres è medio sustulerunt, isti illorum posteri parricidas imprudentes sequuntur. Et qua ratione, amabò, eorum delectum & ordinationem tanquam probam & spectatam amplectuntur, fidem autem tanquam parum sinceram & exploratam irritam faciunt? Nam si illi Spiritum sanctum non habebant, qui per ordinationem in quemque descendit: ista sacerdotij functionem non acceperunt. Quî enim accipere potuerunt, cùm daretur ab iis qui eum nō habuêre? Ista certè contra Eleusij sententiā non inscitè dici possunt. Rursus alia inter ipsos orta est quæstio. Cùm enim factio Acaciana in fidei formula perlecta, filium Dei patri similem assereret: quæsitum est, qua in re filius similis esset patri? Respondet Acacius: Filium non substantia, sed sola voluntate patri similem esse. At pars aduersaria, eum substantia patri similem constanter affirmauit. De hac controuersia toto illo die certatum est: Acaciusque probè refutatus, cùm quæreretur ab illo qua ratione in libris, quos ediderat, filium omnibus in rebus patri similem affirmasset: iam tamen similitudinem quæ est filij cum patre, per substantiam omnino denegaret? Tum ille: Nemo,

Fidei formula ab Acacio cōposita.

De Deo patre, Filio & Spiritu sancto.

Sophronius e piscopo ei se opponit.

Acacij sententia.

Fides patrum

Quæ in re filius patri sit similis.

Amo, inquit, vel qui olim, vel qui recentiore memoria fuit, ex libris quos scripserit, dijudicari solet. Cum multa essent de hac controuersia in vtramque partem accuratè disputa, nec tamen posset de illa inter eos conuenire, Leonas consurgens concilium dimisit. Hunc igitur exitum habuit concilium Seleuciæ congregatum. Postridiè eius diei, cum de eo continuando rogaretur, noluit denuò cum illis in vnum locum conuenire: sed dixit, se ab Imperatore missum, vt concilio concordi interesset: verùm cum nonnulli inter se dissentiant, non posse m, inquit adesse. Abite ergo, & in Ecclesia nugas agite. Qua re confecta, Acaciana factio occasionem, quam optabat, sibi oblatam existimans, ad Concilium denuò accedere recusauit. Qui autem alterius partis erant, in ecclesiam conuenientes, accersunt Acacium cum suis, quò de Cyrillo Hierosolymorum episcopo decideretur. Hoc loco intelligamus oportet, Cyrillum iam antea accusatum fuisse (qua de re certè non habeo dicere) & ab episcopatu summotum, quòd sæpenumero, vt de eo decerneretur, accersitus, iam per duos annos continuos, vti eo pacto criminatione elaberetur, non omninò comparuerit. Qui simulatque de gradu esset deiectus, appellationis libello ad eos, qui eum deiecerant, misso, ad maiores iudices prouocauit. Cui quidem appellationi Constantius Imperator suffragatus est. Atq; à Cyrillo solo ac primo, perinde ac si res apud laicos iudices ageretur, contra canonis Ecclesiastici consuetudinem prouocatum est. Tandem Seleuciam, vti de eo iudicium fieret, aduētauit: & ob eam causam episcopi Acacium cum suis, vt paulò antè dixi, accersiuêre: quo non solum de Cyrillo, verumetiam de illis reis, qui ad partes Acacij confugissent, decideretur. At vbi sæpius accersiti non venerunt, illum ipsum Acacium, Georgium etiam episcopum Alexādriæ, Vrsacium Tyri, Theodorum Cheretaporum vrbis Phrygiæ, Theodosium Philadelphiæ, quæ est in Lydia, Euagrium † Mitylenes insulæ, Leontium Tripolis Lydiæ, & Eudoxium, qui primùm Germaniciæ episcopus fuit, postea episcopatū Antiochiæ, quæ est in Syria, callidè adeptus est, abdicarunt: quinetiam Patrophilum, quòd à Dorotheo presbytero accusatus, & ab ipsis accersitus, non morem gessisset. Atque istos solùm abdicarunt. Asterium autem, Eusebium, Abgarum, Basilicum, Philū, Philedium, Eutychium, Magnum, & Eustathium excommunicarunt: decreueruntque vt vsque eò in illo manerent statu, quoad ipsi pro se respōdentes sua crimina diluerent.

B Quibus rebus confectis, literisque ad abdicatorum Ecclesias, quæ illas de ipsis certiores facerent, datis, Anianum loco Eudoxij episcopum Antiochię constituunt: quem factio Acaciana comprendens, Leonæ & Lauricio tradit. Illi eum in exilium eijciunt. Quo facto, episcopi qui Anianum ordinauerant, contestatione apud Leonam & Lauricium contra factionem Acacianam vsi sunt: qua significabant, iudicium concilij violatum esse. Cæterùm vbi nihil profecêre, Constantinopolim, quò de rebus à se in concilio iudicatis Imperatorem docerent, rectà contendunt. Imperator enim à partibus ad Occidentem spectantibus eò reuerterat: & per idem tempus proconsulū magistratu penitus sublato, Honoratum præfectum Constantinopolis creauerat: at Acacius eos præuertens, calumniari apud Imperatorem, eumque docere cœpit, fidei formulam ab illis editam non admittendam esse. Itaque Imperator rem indignè & grauiter ferens, cōstituit eorum societatem diuellere: legeque sanciuit, eos qui publica munera obirent (etenim nonnulli eorum ad publicam administrationem acciti, pars ex senatorū numero fuerunt, pars magistratus gesserunt in prouincijs) ad priuatam vitæ conditionem redigerē. Dum ita turbatum est, Acacius & eius fautores mansere Constantinopoli, & episcopis Bithyniæ accersitis aliud concilium constituêre. Erant omnes numero quinquaginta (quibus accessit Maris episcopus Chalcedonis) fidei formulam Arimini perlectam, ante cuius initium Consules scripti erant, confirmant. Quam quidem hoc loco citare esset superuacaneum, si modò illi ipsi nihil adiecissent: sed quoniam quædā verba sunt ab illis adiuncta, necessum est denuò eandem hic ascribere, quæ ita se habet:

» Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, ex quo omnia. Et in vnigenitum
» filium Dei, ante omnia secula, & ante omne principium ex Deo genitum: per quem o-
» mnia facta sunt, visibilia & inuisibilia: vnigenitum solum, ex solo patre genitum: Deū
» de Deo, similem patri qui eum genuit, secundum Scripturas: cuius generationem, vt li-
» teræ Sacræ testantur, nemo nouit nisi solus pater qui genuit illum. Hunc nouimus vnigenitum Dei filium à patre missum, descendisse de cælis, sicut scriptum est: † & cum discipulis versatum esse: & vniuersa œconomia plenè iuxta patris voluntatem expleta, crucifixum, mortuum, & sepultum: descendisse ad inferos, quem infernus ipse exhorruit: resurrexisse à mortuis tertia die, versatum denuò cum discipulis: & diebus quadraginta completis, assumptum ad cælos, sedere ad dexteram patris: venturum in extremo
» resurrectionis die, cum gloria patris, vt reddat vnicuique iuxta opera sua. Et in Spiritū

Seleuciani cōcilij exitus.

Differitū Leonæ in contentionē episcoporum.

Cyrilli accusatio & condēnatio.

Primum prouocationis exemplū in causis Ecclesiasticis à Cyrillo.

Acacius cum suis abdicatus

Mitylene iā dicitur, quæ olim Lesbos.

Anianus Eudoxij loco cōstituitur episc. in exiliū mittitur.

Proconsulum magistratus sublatus.

Acacij apud Imperatorem calumniæ.

Lex Constantij.

Constantinopolitanum concilium anno 364. in quo confirmatur per factiosos Acacianos Arimenensis confessio, paucis additis, vt sequitur.

Fidei formula Arimini perlecta.

† Vide annotat. pag. 2. lib. 2. lin. 22.

sanctum, quem ipse vnigenitus Dei filius, Christus Dominus & Deus noster promisit A se missurum generi humano paracletum, sicut scriptum est, Spiritum veritatis: quem " ipse misit, quando assumptus erat ad cœlos. Nomen autem Substantiæ, quod à pluribus " simpliciter ponebatur, quia erat ignoratum à populo, offendiculum peperit. Visum est " igitur, quoniam in Scripturis nusquam reperitur, illud omninò tollere: & quia diuina " eloquia de patris & filij substantia non meminerunt, nullam deinceps illius facere mē- " tionem. Nam subsistentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ne nominari quidem debet. " Nos ergo, sicut literæ Sacræ nos docent, filiū similem patri dicimus. Omnes autem hæ- " reses, & quæ iam antea condemnatæ sunt, & quæ nuper exortæ, si huic fidei formulæ " modò expositæ repugnent, anathema sunto. Ista Constantinopoli eo tempore fuêre " perlecta. Nos verò tanquam labyrintho formularum tandem aliquando percurso, earum numerum iam breuiter colligamus. Post fidei formulam in Concilio Nicæno editam, duas alias Antiochiæ tempore dedicationis Ecclesiæ descripserūt episcopi: ter- tia ab Episcopis, qui cum Narcisso erant, in Gallia facta est, Imperatoriq́ue Constanti- no donata: quarta, per Eudoxium episcopis Italiæ missa. Tres item Sirmij scriptis pro- ditæ: quarum vna cum Cossi: ascriptis Arimini perlecta est. Octaua Seleuciæ diuulgata, quam factio Acaciana legendam curauerat. Nona & vltima, Constantinopoli cum accessione exposita: erat namque huic adiunctum, vt nulla mentio vel substantiæ, vel subsistentiæ diuinæ fieret. Cui Vlphilas Gotthorum episcopus tum primùm assentie- batur. nam ante illud tempus Theophili vestigia, qui episcopus Gotthorum erat, qui- que cum Concilio Nicæno interesset, ei subscripserat, sedulò persecutus, fidem Nicææ stabilitam amplexatus est. Sed de istis hoc modo.

Substantiæ nomen cur omittendum.

Fidei formulæ diuersæ quot & à quibus, & vbi conscriptæ.

Vlphilas Gothorum episcopus.

Clarius has formulas distinxit Nicephorus lib. 9. cap. 44. sub finem.

Quòd abdicato Macedonio, Eudoxius episcopatum Constantinopolitanum capessebat: & de Eustathio Sebastiæ episcopo.

CAP. XXXIII.

Factiosi Acaciani aduersarijs suis talionem meditantur.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 34.

AB Acacio etiam, Eudoxio, & illorum fautoribus, Constantinopoli maximo studio & contentione animi laboratum est, vt per ipsos vicissim alij quot partium aduersariarum gradu episcopali mouerentur. Atque illud B nos minimè præterire debet, vtramque partem non propter religionem, sed propter alias causas, istas abdicationes decreuisse. Nam tametsi fide dissentiebant, tamen in se ipsis mutuò abdicandis, fidem alter alterius neutiquam insimularunt: sed qui stabant ab Acacio, iram Imperatoris, quam cùm contra alios, tum contra Macedonium in primis animo conceptam explere nitebatur, tanquam ansam opportunè arripientes, primum Macedonium episcopatus dignitate deiciunt, tū quòd multiplicis cædis author fuisset: tum, quòd diaconum in stupro deprehensum, recepis- set in communionem. Eleusium deinde, Cizyci episcopum, quòd Heraclium quendā, Herculis Tyrij sacerdotem, in præstigijs magicis compertum baptizauerat, & ad gradū diaconatus extulerat: tum Basiliū, qui & Basilas nominabatur, quiq; Marcelli loco ad episcopatum Ancyræ delectus erat, quod certum hominem tormentis vexauerat, vin- culisque constrictum in carcerem concluserat, quòd calumnias quibusdam contexue- rat: denique quòd per epistolas Africæ Ecclesias perturbauerat. deinceps Dracontium, quòd relicta Galatia in Pergamum secessérat. Abdicarunt præterea Neonam episcopū Seleuciæ, vbi concilium habitum fuerat: Sophronium etiam Pompeiopolis, quæ est in Paphlagonia, episcopum: Elpidium, Satalorum vrbis Macedoniæ episcopum: Cyrillū, Hierosolymorum: & alios deniq; ob alias causas. Eustathio autem episcopo Sebastiæ, quæ est in Armenia, ne sui quidem purgandi dabatur potestas, quòd ab Eulalio, suo i- psius patre, & episcopo Cæsareæ Cappadociæ, iam pridem propterea abdicatus fuerat, quòd se habitu sacerdotij dignitati parum decoro congruenteque vestiuerat. In locum verò Eustathij, Meletium episcopum, de quo dicam paulò pòst, suffectum, intelligendū est. Eustathius porrò in concilio Gangrensi, propter illum conuocato, posteà etiam cō- demnatus est: quòd post abdicationem suam in concilio Cęsareæ habito factam, præ- ter ritus & consuetudines ecclesiasticas multa tentasset. Nam nuptias fieri prohibuit: à cibis astinendum docuit. Vnde nonnullos, qui nuptias contraxerant, à connubio segre- gauit: & illis, qui ecclesias detestabantur, persuasit, vt in ædibus suis communionem fa cerent. Seruos simulatione pietatis dominis abstraxit: ipse philosophi habitum gesta- uit, suosque sectatores peregrino vestitus genere vti compulit: mulieres tondendas cu- rauit: ieiunia præscripta auersanda, Dominicisque diebus ieiunandum docuit: in ædi- bus coniugatorum precationes fieri vetuit: benedictionem & communionem presby- teri

Episcopatu deiecti.

Macedonius.

Eleusius.

Basilius.

Dracontius.

Abdicati qui.

Neonas.

Sophronius.

Elpidius.

Cyrillus.

Eustathio sui purgandi potestas negata.

De Cyrillo vide memorabilia rem infra apud Theodoritū lib. 2. cap. 27.

Eustathij condemnatio, & absurda eius dogmata.

A teri habentis vxorem, quam lege, cum esset laicus, duxisset, tanquam scelus declinandam præcepit. Quem quidem, cum alia complura his similia fecisset, docuisseq́ue, concilium (vt dixi) Gangris in Paphlagonia coactum, gradu episcopali dimouit, eiusque dogmata anathemate damnauit. Verùm hæc posteà gesta sunt. Id temporis verò exturbato Macedonio, Eudoxius sedem Antiochiæ, Constantinopolis sede posteriorem ducens, episcopus Constantinopolis per Acacium & eius familiares renunciatus est: qui quidem contraria suis ipsorum decretis imprudentes sanciebant. Nam Dracontio abdicato, Eudoxium, qui iam secundò ab vno ad alterum episcopatum se transtulerat, in sede Episcopali Constantinopolis collocauerunt, inque ea re suis ipsorum dogmatis sunt magnoperè aduersati. His rebus confectis, fidei formulam Arimini perlectam cum sua accessione tanquam ritè descriptam stabiliuerunt, & palàm emiserunt: dederuntque in mandatis, vt qui illi subscribere renuerent, per Imperatoris edictum exilio multarentur. Et cùm multis alijs in Oriente, qui eandem cum illis tuebantur opinionem: tum Patrophilo, episcopo Scythopolis (hic namque Seleucia ad suam ipsius ciuitatem rectà contenderat) res à se constitutas significarunt. Vbi Eudoxius eximiæ vrbis Constantinopolis episcopus erat declaratus, ampla illa Ecclesia, quæ sapientiæ nomine nuncupatur, dedicata fuit, ad decimum consulatum Constantij, ad tertium autem Iuliani Cæsaris, quinto Cal. Martij. Eudoxius in illius Episcopatus sede collocatus, hanc primam emisit sententiam, quæ est multis in ore, *Patrem impium esse, Filium autem pium.* Vnde cum tumultus & seditio orta esset: Nihil, inquit, hoc vestros animos conturbet. Nam pater impius est, quia colit neminem: Filius verò pius, qui patrem colit. Quæ cum dixisset Eudoxius, tumultus repressus est: ingensq́; risus, tumultus loco, ecclesiæ obortus. Atque hoc eius dictum ad hodiernum diem habetur pro ridiculo. Eiusmodi igitur nugas errorum authores astutè commenti, inque verbis tam friuolis occupati, Ecclesiæ concordiam diremerunt. Concilium autem Constantinopoli congregatum, ad hunc exitum venit.

Eudoxius Constantinopolitanum episcopatum capessit relicta sede Antiochena.

Acacianorū tyrannis.

Eudoxij impia nuncupatio: de qua vide Nicephor. c. 46. lib. 9.

Sapientiæ ecclesiæ dedicatio.

Eudoxij ridicula sententia.

Pater est ἀγέννητος, Filius est γεννητός.

De Meletio Antiochiæ Episcopo. *CAP. XXXIIII.*

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 44. Theodoret. lib. 2. cap. 31.

BEquitur iam vt de Meletio dicamus. Hic namque Eustathio abdicato, vti paulò antè dixi, primum episcopus Sebastiæ, quę est in Armenia, delectus est: deinde Sebastia ad episcopatum Berœæ vrbis Syriæ translatus. Qui cū concilio Seleuciæ habito interfuisset, fideiq́ue formulæ à factione Acaciana compositæ subscripsisset, extemplò Berœam repetijt. Mox Cōcilio Constantinopoli conuocato, Antiocheni, cum pro certo intellexissent, Eudoxiū ipsorum ecclesiam contempsisse, & Constantinopolim diuitiarum causa se contulisse. Meletium Berœa accersitum, in sede Episcopali Ecclesiæ Antiochenæ collocant. Ille quanquam primò de fidei dogmatis concionari supersedit, suisque auditoribus ea solum, quæ ad mores rectè informandos spectabant, proposuit: tamen tempore progrediente, fidem illis explanauit, verbumque Consubstantiale docuit. Quæ cum accepisset Imperator, eum iubet exterminari: Euzoiumque, qui anteà simul cum Ario fuisset abdicatus, episcopum Antiochiæ designari mandat. Verùm, qui erant probè erga Meletium affecti, derelicta prorsus Ariana factione, conuentus separatim facere cœperunt: cum illi, qui fidei Consubstantialis perpetuò adhæsissent, duplici nomine cum illis cōmunicare recusarent, tum quòd Meletius ipse Arianorum suffragijs fuisset ad sacerdotij functionem delectus, tum quòd eius sectatores ab illis baptismi lauacrum recepissent. Itaque ecclesia etiam Antiochena ad eam partem, quæ secum ipsa consentiebat, ad hunc modum deflexit. Imperator verò vt intellexerat, Persas contra Romanos bellum de integro commouisse, Antiochiam properè contendit.

Meletij ad diuersos episcopatus translatio.

In populo docendo studiū.

Exauthoratio Euzoius Antiochiæ episc.

Schisma Antiochiæ propter Episcopos

De hæresi Macedonij. *CAP. XXXV.*

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 34. Sozom. lib. 4. cap. 19.

MAcedonius verò cum esset vrbe Constantinopoli eiectus, sententiam contra ipsum pronunciatam iniquo animo ferens, acquiescere nullo modo potuit: sed ad eos, qui alterius partis erant, quiq; Seleuciæ Acacium cum suis fautoribus abdicauerant, se transtulit: egitque cum Sophronio & Eleusio per internuncios, vt fidei formulæ primùm Antiochiæ editæ, deinde Seleuciæ confirmatæ firmè adhæresceren: sedulòque est hortatus, vt eam fidem Consubstantialis, insigni illo & præclaro nomine appellarent. Itaque ad eum frequentes confluxerunt, tum non pauci ex ipsius familiaribus, qui iam ex eius nomine Macedoniani dicuntur: tum alij complures, qui in Concilio Seleucienſi, à factione Acacia-

Macedoniani

Universidad de Deusto
Biblioteca

Macedonij hæresis.

Marathonius.

Marathoniani

Πνευματομάχοι.

Antiochenũ concilium eo actum anno Christi 365.

Anomœani, id est, inæquales.

Exoucontiani, id est, non existentiales.

Absurda & impia elusio ac responsio Arianorũ antesignano Gregorio Laodicæ episcopo.

Georgius absente Athanasio sæuit in ecclesiam Alexandrinam.

Erenius episcopus.

Heraclius, Hilarius, Cyrillus.

proficiebantur, nonnetamen eam ipsam supprimunt. Iste Macedonius, tametsi filium Deum † esse, & cùm alijs rebus omnibus, tum substantia patri similem asserebat: tamen Spiritũ sanctum istis honoris quasi insignibus carere affirmauit, eumque ministrum illis inferuientem vocauit. Fama autem apud multos percrebrescit, hunc errorem non à Macedonio, sed à Marathonio potius, qui antea Nicomediæ delectus fuit episcopus, primũ excogitatum esse: & propterea eos, qui hunc tuentur errorem, Marathonianos nuncupatos. Ad istorum societatem Eustathius etiam, qui Sebastia erat eam ob causam quam paulò ante posui, extrusus, se adiunxit. Vbi verò à Macedonio denegatum erat, Spiritũ sanctum diuinitatis, quę est in trinitate, participem esse: tum Eustathius, Ego (inquit) Spiritum sanctum neque Deum nominare in animum induco, neque creaturam appellare audeo. Quamobrem, qui fidem Consubstantialis tenent, illos πνευματομάχους, id est, Spiritus sancti oppugnatores vocant. Quid verò causæ sit, cur Hellespontus Macedonianis abũdet, dicam idoneo loco. Factio autem Acacianorum studium & operam nauauit, vt rursus concilium Antiochiæ cogeretur. nam eos pœnituerat, Filium Patri omninò similem affirmasse. Quapropter anno sequenti, Tauro & Florentio Coss. Antiochiæ, quæ est in Syria, conueniunt: id temporis & Euzoio illam gubernante Ecclesiam, & Imperatore ibi commorante. Nonnulli illorum, ea, quæ ab ipsis fuissent antè decreta, in quæstionem denuò vocant: aiunt hoc verbum, Simile, ex fidei formula tum Arimini, tum Constantinopoli edita prorsus eximendum esse: neque amplius suam ipsorum occultant opinionem, sed palàm asserunt filium omninò patri dissimilem esse: neque id substantia solum, sed etiam voluntate: ex his item, quæ non sunt, sicut Ario videbatur, eũ cõstare affirmant. Hoc errore irretiebantur etiam illi, qui Antiochiæ tum sectã Aetianam secuti sunt. Quocirca præterquam, quòd Ariani vocabantur, Anomœani præterea, hoc est, qui filium patri dissimilem putant: & Exoucontiani, id est, qui filiũ ex his, quæ non sunt, constare dicunt, ab Antiochenis, qui Consubstantiale defendebãt, quique eodem tempore ob Meletij causam (vt suprà docui) diuisi erant, appellabantur. At cum ab illis quæreretur, quid esset, cur cũ in sua ipsorum fidei formula asseueranter dixissent, filium, Deum ex Deo esse, iam patri dissimilem vocare, & ex his, quæ nõ sunt, constare auderent asserere, eiusmodi captiosa fallacia, quod obiectum erat, elude- re conabantur. Quod autem dictum est, inquiunt, Deum ex Deo, perinde dictum est, atque apud Apostolum, Omnia ex Deo esse. Proinde filius ex Deo est, quia in hac voce Omnia, comprehenditur. Itaque in formulis nostris adiecta est illa particula, Secundum scripturas. Huius commenti author erat Gregorius Laodiceæ episcopus, qui quidem cùm huiusmodi loquendi modorum imperitus fuit & rudis: tum prorsus ignorauit, qua ratione Origenes superioribus temporibus tales sermonis proprietates, quæ sunt apud Apostolum, vberius fusiusque explanauisset. Acacij autem sectatores, quamuis fallaces captiones consectari manifestò arguerentur: tamen tum probra, tum sententiam contra eos pronunciatam pro nihilo ducentes, eam fidei formulam quam Constantinopoli recitauerant, ibi etiam perlegerunt: quo facto, singuli ad suas ipsorum ciuitates se receperunt. Georgius itaque Alexandriam contendens (illi namque ecclesiæ, Athanasio interea in obscuro delitescente, adhuc præfuit) omnes, qui ab eius opinione & sententia dissentiebant, grauiter afflixit, populumque Alexandrinum (erat enim multis odiosus & inuisus) grauibus affecit molestijs. Hierosolymis verò Cyrilli loco Erenius episcopus designatus est. Cui Heraclium successisse constat: huic rursus Hilarium: posteà Cyrillus reuertit Hierosolyma, illiusque ecclesiæ episcopatum recuperauit.

† Vide an. 215. lat. 1. fin. 11.

not. pag.

De Apollinaristis, & eorum hæresi.
CAP. XXXVI.

Apollinariæ hæresis origo.

Apud Niceph. vterq; Apollinaris dicitur.

Epiphanius sophista.

SVB idem tempus nouus quidam error ex tali ortus est causa. Laodiceæ, quæ est vrbs Syriæ, duo erant viri, pater & filius, eodem nomine nuncupati (vterque enim Apollinarius est appellatus) quorum alter, patrem dico, presbyterij gradum in ea Ecclesia acquisiuerat: alter, nempe filius, lectoris fungebatur munere. Ambo humanioris literaturæ doctores erant: Grammaticæ pater, filius autem Rhetoricæ. Pater Alexandrinus genere, primùm Beryti ludum aperuit: deinde Laodiceam commigrans, vbi duxit vxorem, ex qua Apollinarium suscepit. Vterque eodem tempore Laodiceæ floruit, quo Epiphanius sophista. In cuius

Vide Euseb. lib. 4. c. 26. vbi agitur de Apollinario episcopo Hierapolitano.

amicitiam vbi penitùs intrauerant, cum eo multum versari cœperunt. Theodotus autem, episcopus illius Ecclesiæ, veritus admodum ne crebra eius consuetudine ad gentilitatem deflecterent, vetuit ne illum adirent. Illi spreto episcopi consilio, Epiphanij amicitiam assiduè amplexabantur. Posteà Georgius successor Theodoti, cum eos ab Epiphanij consuetudine auocare obnixè contenderet, & nullo modo posset illis persuadere, vtrumque à communione, quò eos coerceret, segregauit. Adolescens Apollinarius factum illud contumeliæ loco ducens, & dicendi facultate (quæ sophistæ propria est) admodum confisus, nouam hæresim excogitat, quæ hoc tempore etiam ab inuentoris nomine hæresis Apollinariana dicitur. Sunt quidam, qui affirmant, illos non tantum ob causam quam modò citauimus, à Georgio dissensisse: sed quòd animaduerterent, illum peregrina, eaque inter se pugnantia docentem: & interdum asserentem, filium patri similem esse, sicut in Seleuciano Concilio conuentum est, interdum ad Arij hæresim deflectentem. Quocirca illos leui arrepta occasione ab Ecclesia recessisse. Vbi verò nemo illis animum attendit, nouam religionis formam inducere moliebantur: ac primùm dicebant hominem à Deo verbo assumptum in ipsa incarnationis œconomia, sine anima. Deinde tanquam pœnitentia adducti, illum animam suscepisse concedunt illi quidem, eam tamen non esse mente prædi- tam: sed Deum verbum in hominem, quem sumpserat, mentis loco inclusum. In hac re solum ab Ecclesię fide dissidere se aiunt, qui ab illis nomen duxerunt: quippe trinitatem ὁμοούσιον, id est, Consubstantialem esse asseuerant. Verùm de Apollinarijs alius mihi deinceps plura dicendi locus erit.

Theodotus episcopus.

Georgius episcopus.

Apollinaris adolescens patre suo ad vindictam prompior.

Trinitas ὁμοούσιος.

De Constantij Cæsaris morte.
CAP XXXVII.

Vide Nicet. l. 9. c. vlt. Vide Theodorit. lib. 3. cap. 1.

Sozo. lib. 5. cap. 1.

Chronologia Imperij & huius libr. Eutropius in hac Chronologia quantum ad Imperatorem attinet Socratico sentit & Hiero. ad Chron. Euseb.

DVM Imperator Constantius Antiochiæ versabatur, Iulianus Cæsar in Gallia cum multis Barbaris hominibus confligit. Quibus deuictis, militibus propterea adeò charus habebatur, vt ab illis Imperator renunciaretur. Quo audito, Constantius in grauem mentis angorem & ægritudinem coniectus est. Itaque baptismo ab Euzoio accepto, ad bellum cum eo gerendum rectà proficiscitur. Qui cum ad Mopsi fontes, qui sunt inter Cappadociam & Ciliciam, peruenisset, præ nimia solicitudine in apoplexiam delapsus, mortem oppetijt, Tauro & Florentio Coss. tertio Nonas Nouembris, anno primo ducentesimæ octuagesimæ quintæ Olympiadis. Vixit Constantius annos 45. Regnauit annos 38. 13. videlicet vnà cum patre: post patris mortem, 25. Totidem annos hic Liber comprehendit.

Iulianus à militibus Imp. appellatus.

Mopsi fontes.

Constantij mors, anno Christi 365.

FINIS SECVNDI LIBRI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SOCRATIS SCHOLASTICI HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, LIBER TERTIVS.

A Iulianus Imperator anno Christi 365.

Hic liber continet Historiam duorum annorum & quinque mensium quibus imperarunt Iulianus, & successor eius Iouianus. Huc refer Eutrop. lib. 10. Oros. lib. 7. cap. 30. 31. Amon. Marcell. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Rerum Rom. lib. 11. 12. S. Aurel. Victorē his ad vicam Pontif. Rom. Damasi. & præcedentis eum Iulij.

De Iuliano, & genere eius, & eruditione: & quòd, postquam ad imperium peruenit, ad gentilium religionem se conuerterit. CAP. I.

Hoc caput est velut epitome 5. priorum capitū, 10. Niceph.

VM Imperator Constantius ad tertium Nonas Nouem. Tauro & Florentino Coss. in Ciliciæ confinijs extremum vitæ diem obijsset, Iulianus, ijsdem Coss. 3. Idus Decemb. de partibus versus Occidentē decedens, Constātinopolim aduentauit, inq; ea ciuitate Imperator declaratus est. Iam verò, quoniam mihi propositum est de Imperatore Iuliano, viro cum primis diserto, pauca disserere, nemo ex eius familiaribus altum & exaggeratum dicēdi genus à me postulet: perinde ac si oratio eius, de quo instituitur, præstantiam exæquare debeat. Sed cū Christianorū res gestæ nobis scriptis mandandæ sint, summissam & humilem dicēdi rationem (vti initio polliciti sumus) sequemur, quo facilius res quæ narrantur, sub cuiusque cadant intelligentiam. Hoc modo igitur de illo aggrediamur dicere: eiusq; genus educationem, & qua ratione ad Imperium peruenerit, persequamur, exordio sermonis nostri paulò altius repetito. Constantinus Imperator, qui Byzantiū suo ipsius appellauit nomine, duos fratres habuit ex patre eodem, non aūt ex eadem matre editos: quorum alteri Dalmatius, alteri Constantius nomen fuit. Dalmatius filium habuit suo ipsius nomine nuncupatum. Constantio autem nati filij duo, Gallus & Iulianus. Itaque cum post mortem conditoris vrbis Constantinopolis Dalmatius iunior à militibus interemptus esset: eodem tempore isti patre suo orbati, parum aberat quin in idem discrimen, in quod Dalmatius, deuenissent: nisi Gallum grauis quidam morbus, quo pro certo expectabatur illū fore confectum, è periculo eripuisset: Iulianum autem tenera ætas (octo enim annos solum compleuerat) omninò seruasset incolumem. At vbi Imperatoris ira contra eos deferbuerat, Gallus Ephesi, quæ est in Ionia, à præceptoribus institutus est: vbi opes permagnæ erant vtriq; à maioribus suis relictæ. Iulianus autem, vbi adoleuit, Constantinopoli in basilica (ibi enim tum ludus erat literarius) honestis discipli nis se excolendum tradidit: ac vestitu tenui inopiq; incedens, à Mardonio eunucho eruditus fuit. Grammaticæ præcepta à Nicocle Lacone didicit: Rhetoricam autem ab Ecebolio sophista, qui tum Christianus fuit. Prudenter quidem præcauebat Imperator Cōstantius, ne si doctorem audiret gentilem (Christianus namq; ab ineunte ætate erat Iulianus) ad gentilium superstitionē deflecteret. Cùm verò in bonis literis permagnos faceret progressus, fama apud populū percrebuit, eum ad Remp. Romanam gubernandā idoneum habilemq; esse. Quod quidem deinceps, vbi in omnium ore versabatur, animum Imperatoris vehementer conturbauit. Quapropter illum Constantinopoli, vrbe primaria, Nicomediam transferendum curauit, præcepitq; ne scholā Libanij Syri sophistæ aliquando adiret. Libanius enim id temporis, à pædagogis Constantinopoli eiectus, Nicomediæ ludum aperuerat: qui quidem virus acerbitatis suæ contra pædagogos conceptæ, in librum quendam aduersum illos editum effudit. Et quanquam Iulianus propterea erat prohibitus Libanium adire, quòd gentilium religionem profiteretur: tamē tanto erga eius scripta flagrauit amore, vti ea conquisita comparataq;, ex occulto, summo studio diligentiaq;, euoluerit. Vbi in Rhetorica permultum profecisset, fortè fortuna Maximus philos. non Byzantius ille, Euclidis pater, sed Ephesius Nicomediā aduentat: quem Imperator Valentinianus magicas præstigias exercentem, postea è medio tolli mandauit. Verùm istud posteà, vti dixi, cōtigit. Id temporis verò nulla alia re, quam Iuliani fama impulsus, eò iter fecit. Apud hunc Iulianus primùm philosophiæ præcepta degustare: mox religionem præceptoris, qui dominandi cupiditatē eius animo inijciebat, imitari cœpit. Postquam ista ad aures peruenêre Imperatoris, Iulianus quasi inter spem



Vide Niceph. lib. 10. ca. 1. Orosiū lib. 7. cap. 30. Eutropiū lib. 10. sub finem. Marcellinū lib. 22. 23. 24. 25. Sextū Aurel. Victorem. Sozo. lib. 5. cap. 2. 2. Theodor. lib. 3. c. 2. 3.

Iulianus Imp. qua ratione ad imperium peruenerit.

Constantini Magni fratres, Dalmatius, Constantius. Gallus. Iulianus.

Galli educatio.

Iuliani institutio. Ecebolius sophista.

Libanius sophista.

Iulianus prohibitus Libanium adire.

Maximus philosophus præceptor Iuliani in philosophia.

Iulianus male nostram vitā simulat.

A spem & metum positus, quòd suspicionem vitaret, quā iamdudum verè Christianus erat, tum specie quā adesse præ se tulit: abrasaque cute, vitam monasticam simulauit. Ac clàm quidem disciplinas philosophorū excoluit: palā autem, sacra Christianorum per legit eloquia, atq; adeò in ecclesia Nicomedensi lector designatus est. Tali igitur simulatione, Imperatoris animū cōtra illū incēsum callidus placauit. Ista tametsi metu adductus obijt, tamen de spe minimè deiectus est: sed apud complures ex familiarib. prædicare non dubitauit, tempora fore beata, si ipse rerum potiretur. Cùm res illius essent hoc loco cōstitutæ, Gallus eius frater Cæsar declaratus, cū iter in Orientē susciperet, il-

Lector in ecclesia designatur.

Gallus Cæsar declaratus.

lius visendi gratia venit Nicomediā. Vbi autem Gallus paulò pòst interfectus est, inde Iulianus illico in grauem suspicionē apud Imperatorē vocatur: & propterea illū custodiri iubet. Ille cū se posse à suis custodibus aufugere videret, locum subinde cōmutans, euasit incolumis. Demum verò Eusebia Imperatoris coniunx, vbi illū in loco quodā delitescentem fortè offendebat, persuadet Imperatori, vt non modò nullo malo illum afficeret: sed potestatem cōcederet Athenas aduētandi, quo philosophiæ studio operā daret. Illum igitur, vt complectar breui, accersit, Cæsarē renunciat: dat illi vxorem, sororem suam Helenam: in Galliam contra barbaros dimicaturum mittit. Nam barbari, quos Imperator Constantius paulò antè ad auxilia contra Magnentium ferenda conduxerat, cùm nihil contra tyrannum proficerent, Romanorum vrbes depopulati sunt: & quoniam Iulianus iuuenis erat, dedit illi in mandatis Imperator, vt nihil sine ducum consilio moliretur. Postquam illi hanc consequuti authoritatem, negligentius rem agere cœperunt, & propterea barbari suêre superiores: Iulianus delicijs & cōpotationibus indulgendi, ducibus permisit potestatem: militum autem animos, certa mercede cuique barbarum interficienti proposita, multo reddidit alacriores. Hinc cœperunt & barbarorum copiæ debilitari, & ipse à suis militibus amari plurimùm. Fertur etiam, cùm oppidum quoddam ingrederetur, vnam ex coronis, quibus ciuitates ornari ad aspectum solent, inter columnas suspensam funiculo, in eius caput delapsam esse, eique aptè insedisse: omnesque qui aderant, ea de re clamorem edidisse. nam putabatur eo ostento imperium illi præsignificatum. Dicitur à nonnullis, Constantium illum contra barbaros hac de re misisse, vt cum illis confligens, ibi interiret.

Iulianus in Galliam cōtra barbaros mittitur.

Iuliani consilium astutum ad libertatem & gloriam.

Omine læto ad Imperium destinatus Iulianus.

Iulianus eodē consilio aduersus hostes mittitur, quo belle rophon ille in fabulis poetarum.

B Sed verum ne dixerint, qui ita prædicant, haud equidem scio. Nam sorore illi in matrimonium collocata, dum ei parabat insidias, nihil aliud egit, quàm vt contra se ipsum periculum crearet. At vtrum hoc, an illo modo se res habeat, singuli pro arbitratu viderint. Vbi Iulianus ducum inertiam & negligentiam apud Imperatorem incusauerat, missus est alius dux, qui erat ad promptum & alacrem Iuliani animum valde accommodatus. Hunc nactus Iulianus, magna cum confidentia contra barbaros dimicauit. Illi legatum ad eum mittere: literas Imperatoris, quæ eos in fines Romanorum ire iusserant, ostendere cœperunt. Iulianus legatum vinculis colligare, cū multitudine bellum gerere, & hostibus vi manuque profligatis, regem barbarorum captiuum ad Constantium mittere. His rebus prospere & feliciter gestis, Imperator à militibus declaratur. Corona Imperatoria non illis tum suppetebat: sed tamen vnus ex stipatorum numero torquem, quem circa ipsius collum habebat, coronæ loco capiti circundedit. Iulianus itaque ad hunc modum regnare cœpit. Quæ autē deinceps gesserit, philosophumne decerent, aliorum, ad quorum aures peruenerint, sit iudiciū. Nā neq; legatos ad Constantium mittere, neq; vt patronū & beneficū colere: sed omnia pro suo ipsius arbitrio agere in animum induxit. Magistratus in singulis prouincijs cōmutare: Constantiū in quaque ciuitate, lectis palàm eius ad barbaros literis, infamia notare conatur. Quocirca illi omnes se dedere, à Constantio deficere cœperunt. Tandem simulationem professionis Christianæ penitùs deposuit. Etenim singulas ciuitates peragrans, delubra aperire, offerre simulachris, se pontificem appellare cœpit: Gentiles autem festa gentilicia celebrare. His rebus cōfectis, bellum intestinum occasione arrepta, contra Constantium mouet: omniaque mala, quæ bellum solet secum afferre, quoad eius fieri poterat, patranda curat. Neque profectò absque multorum cæde & sanguine huius philosophi animus internosci potuisset, si Deus, qui sui ipsius consilij solus iudex est, non alterum aduersarium, sine aliorum calamitate ab instituto repressisset. Nam Iuliano apud Thraces versanti nunciatum est, Constantium è vita exiuisse. Sic igitur imperium Romanum id temporis ciuili bello liberatum fuit. Iulianus Constantinopolim contendit: & statim quo pacto populum sibi deuincire, eiusque conciliare beneuolentiam posset, cogitat. ad quam rem tali vsus est astutia. Nouerat pro certo, Constantium vniuersæ illi populi multitudini, quæ fidem Consubstantialis amplexabatur, maximè inuisum esse, tum quòd illos ecclesijs ipsorum exturbauerat:

Iulianus à militibus Imperator declaratus, superatis barbaris.

Iulianus prouinciales ad defectionem à Constantio solicitat.

Deposito Christianismi fuco se pontificem Ethnicorum profitetur Iulianus.

Iuliani bellū intestinum cōtra Constantiū.

Iuliani astutia, qua sibi omnes deuinciendos statuit.

tum quòd episcopos,qui ad illos spectabant, proscriptos, in exilium eiecerat. Explora- A
tum etiam habebat,gentiles animis contra illum exulceratis esse,quòd erant per illum
à sacrificando prohibiti:optareque, tempus sibi dari,in quo liceret ipsis delubra sua aperire,victimasque simulachris offerre. Sic ergo vtrunque populi genus separatim contra mortuum Constantium inimicitias exercere manifestò cognouit. Denique omnes omnino contra eunuchos,contraque notabiles Eusebij rapinas grauiter offensos comperit: ad omnium igitur voluntatem se callidè format,fingitque, atque nonnullis dissimulanter assentatur: alios,dum inanem gloriam consectarentur, beneficijs allicit. Omnibus passim,quo erga superstitionem animo esset, perspicuè declarat. Ac primùm Constantij erga suos crudelitatem grauiter perstringere: deinde, quo eum apud multitudinem in reprehensionem vocaret, episcopos relegatos per mandatum reuocare,tum bona publicata illis restituere cœpit. Deinceps gentilium templa absque mora suis aperire mandauit: lege sanciuit,vt illis,quibus ab eunuchis facta fuisset iniuria, facultates iniquè abreptæ redderentur. Eusebium porrò, summum Imperatoris cubicularium, morte mulctauit, non solùm quòd multos ab eo iniuria affectos fuisse: verùm etiam quòd suum ipsius fratrem Gallum per eius calumniam è medio sublatum acceperat. Tandem corpus Constantij honorificè sepeliendum curauit. Quo facto eunuchos,tonsores & coquos eiecit è palatio: eunuchos, quòd per eos factum fuisset, vt Constantius repudiata vxore, non aliam postea duceret: coquos, quòd perparca victus ratione vsus fuisset: tonsores denique,quòd vnus(ita enim aiebat) sufficeret pluribus. Has ob causas hoc hominum genus è regia exturbauit. Ex scribis autem complures pristinæ restituit conditioni, alijs mercedem scribis debitã dari iussit. Quinetiam vecturam publicam ad necessarios vsus accommodatam, non amplius per mulos,boues & asinos fieri permisit: sed in publicis eius generis negocijs obeundis,equis solum vtendi concessit facultatem. Ista eius acta qui laudant pauci sunt,plureis autem qui vituperant: quòd sublata illa regiarum opum & magnificentiæ admiratione, quæ multorum animos tenuerat, Imperium abiectum contemptumque reddidisset. Porrò autem noctu conscripsit orationes, easque progressus in Senatum ostendit:† ac solus † Vide ea-
ille inter omnes imperatores, qui à Iulio Cæsare ad ipsius ætatem regnauerant, ora- not. pag.
tiones in Senatu ostendit. Et cùm omnes qui literarum studijs se dediderant, magno- B
pere coluit:tum illos potissimùm, qui philosophiam profitebantur. Quapropter fa- 218. lat. 1
ma eius rei omnes id genus homines,qui se insolenter efferebant, vndique ad Imperatoris palatium attraxit:quorum non pauci pallia gestantes, habitu magis quàm doctrina probabantur. Quippe omnes cùm Christianis permolesti, tum præterea veteratores fuerunt: tum denique religionem,cui fauebat Imperator,semper amplexati sunt. Imperator item,cùm supra modum inanis gloriæ cupiditate flagraret,omnes Imperatores qui essent illum antegressi,libro quodam quem inscripsit Cæsares,grauiter & contumeliosè perstrinxit. Non dissimili quidem indolis prauitate commotus,orationes etiam composuit contra Christianos. Quòd verò coquos & tonsores è regia expulit, a philosophi, non Imperatoris factum putandum est: quòd maiores suos petulanter & maledicè est insectatus, neque philosophi,neque Imperatoris. nam vtriusque persona cùm ab obtrectatione,tum ab inuidia alienissima est. Etenim vt Imperatori ea sola philosophiæ præcepta perdiscenda sunt, quæ ad moderationem animi & modestiam spectant: sic philosophus,si omnia quæ sunt Imperatorum officia imitetur, ab instituto suo omnino aberrabit. Sed de Iuliano Imperatore, de eius genere, de educatione & natura, denique quo pacto ad Imperium aspirauerit, hactenus quasi cursim. Iam verò ad eas res commemorandas, quæ per idem tempus in ecclesijs gestæ sunt, redeamus.

Episcopi relegati reuocantur: bona ablata restituũtur.
Gentilium templa restituuntur.
Eusebius cubicularius mortæ mulctatus.
Constantijus.
Eunuchi, tonsores, coqui, cur palatio eiecti.
Vecturam publicam ad solos equos reuocauit.
Iuliani orationes & lucubrationes nocturnæ.
Pseudophilosophi.
Iuliani Cæsares.
Iuliani orationes cõtra Christianos, quas confutauit Cyrillus.
a Quid Imperatoris, quid item philosophi proprium.

De commotione Alexandriæ orta, & quomodo Georgius fuerit interfectus.

CAPVT II.

ALexandriæ forte fortunà ex eiusmodi principio tumultus exortus est. Locus Vide Nicerat in ea ciuitate iam ab antiquis temporibus desertus & neglectus, multaque phor. ca. 6. lib. 10. item
sordium colluuione redundans: in quo ritibus & ceremonijs in honorem Mi- lib. 9. item
thræ z celebratis, homines pro victimis sacrificare gentilibus mos erat. Istum, vtpote vide Soiam antea nulli vsui inseruientem, ecclesiæ Alexandrinæ addixit Constãtius. Georgius infra lib. 3
autem, habens in animo ecclesiã ibi exædificare, locũ purgari iubet. Quo purgato, ady- cap. 16. vi
tum repertum est ingentis altitudinis,in quo gentilium mysteria recondebantur. Vbi de Sozom. lib. 5. cap. 7.
etiam erant multæ hominum caluæ,cùm adolescẽtum,tum senũ: quos fama est olim, cum gentiles diuinationibus, quæ per exta intestinaque fiebant, vtebantur, magicasque obirent

Mithræ sacra à Georgio patefacta & à Christianis ridenda proposita.

A obirent victimas,quo hominibus aciem animorum præstingerent, mactatos fuisse. Quibus rebus in adytis Mithræ repertis,à Christianis laboratum est, vt gentilium mysteria palàm haberentur ludibrio. Nudas igitur mortuorum caluas quàm mox in apertum proferunt,quò populo exhiberent ad intuendum. Quæ cũ gentiles qui Alexandriæ habitabant,conspicarentur,facinorisque admissi contumeliam iniquo animo ferrent,graui iracundiæ æstu exardescere,& armis quæ fortuitu illis obueniebant,in manus arreptis,impetum in Christianos facere cœperunt, & complures ex illis nullo non mortis genere afficere. Nam hos gladijs,illos fustibus, alios lapidibus vsque ad necem cædere: alios funibus strangulare,quosdam cruci suffigere, hocque necis genus ad probrum crucis illis inferre: plurimos sauciare. Tandem, sicut in eiusmodi tumultu euenire solet,ne ab amicissimis manus abstinere: sed amicus amicum verberare,frater fratrem,parentes liberos: denique alter alteri ad cædem vim afferre. Proinde Christiani,à Mithreio adyto perpurgando desistere: gentiles autem Georgium ab ecclesia raptatũ, ad camelum alligare,discerpere, & ipsum vnà cum bestia comburere.

Alexandriæ tumultus aduersus Christianos.
Georgij episcopi interitus.

z Mithras Persicum vocabulum est,& mediatorem significat, vt Plutarchus in Iside testatur cap. 14. prout nos istud opusculum interpretatione nostra distinximus,vbi idem author tradit, Zoroastrem magum, quem ille bello Troiano quinque annorum milibus antiquiorem scribis,& nos proinde ex tribus zoroastribus primũ,& ipsum Cham filium Noæ fuisse alibi non dubijs coniecturis asserimus,duo principia cõstituisse: alterum boni,& alterum mali: ac boni quidem autherem Horomazen,mali verò Arimanium appellasse, qui inter se vicissim pugnent. Inter hos autem tertium esse Mithram,qui quasi mediator intercedat,eorumque excessus temperet. Hanc igitur doctrinam eum Persse per manus à Zoroastre accepernnt. Manetem Hæreticum, vpote educatione Persam,eius contagione infectum itidem Deos duos introduxisse,alterum boni,alterum mali authorem satis loquples testis est Agathias. Videtur autem hanc opinionem de Mithra concepisse Cham ex male intellecta promissione Patri Noæ reliquisque maioribus eius facta de Messia, qui genus humanum Diaboli fraudibus abalienatum verus mediator Patri suo reconciliaturus expectabatur. Ideoque cùm non aliunde,quam ex hoc mediatore salus humani generis sperare-tur,ex ipsa beneficij magnitudine Mithram tanquam supremum deum coli voluit,quem Perse tandem ad visibilia delapsi solem esse putarunt,ac proinde solem appellarunt Mithram,teste Hesychio ac Suida. Porrò autem Martianus, in Persidis,inquit, monitb. Zoroaster primus antrum floridum Mithræ dicasse fertur prope fontes,ex quo postea manstt religio,vt vbicunque coleretur Mithras, antrum vel specus similiter eius templi loco statueretur. Hoc itaque Mithrium illud est, de quo infra dicitur,quod Alexandriæ successu temporis consecratũ fuisse apparet,imitatione Vetustiorum,quæ ab ipso Cham in Aegypto fuisse constituta dubitari non debet, cùm Aegyptus illi propria dicta fuerit,quæ etiam in Sacris literis terra Cham appellatur. Memphide certè Mithram fuisse cultum satis liquido testatur Martianus. Mithræ porrò simulachrum teste Lactantio Grammatico,fingebatur Leonis vultus,habitu Persico,cũ Tiara,ambabus manibus reluctantis bouis cornua retentare. Suidas affirmat huic diuersas ac multas hostias solere consecrari. D. Greg. Nazianzenus seu potius is,qui Græcas eius historias collegit,affirmat eos,qui Mithræ initiarentur,duodecim contumelijs affici solere,per verbera,calorem,frigus & alia similia,quod ideò fieri Suidas indicat,vt initiandus hac patientia declaret se sanctum,& perturbationibus superiorem,et affectibus inuictum,& Sacris proinde dignum. Ex his igitur Mithræ sacris authore Pythagora Samio deductam ad Græcos, à Græcis ad alias nationes porrò transmissam esse illam cornuum depositionem,quæ in Academijs præcipuè Germanicis hodie solennis est, iustis argumentis alibi demonstrauimus.

Quòd Imperator grauiter ferens Georgij cædem, populum Alexandrinum per epistolam perstrinxerit. CAPVT III.

Vide Nicephor. ca. 7. lib. 10. referãs ad ea præcedens.

IMperator Georgij necem acerbè & grauiter ferens, populum Alexandrinum per epistolam acriter coarguit. Fama autem peruagatur,ista in Georgium ab illis admissa esse, qui Athanasij causa graue odium contra illum conceperant. Verùm mea quidem sententia,etiam qui simultatem inter ipsos gerant, in seditionibus ad nequam & perditorum hominum vires oppugnandas ipsi inter se conspirare volunt. Atque Imperatoris epistola non Christianos separatim, sed populum vniuersum incusat. Georgius verò, vt videtur,semper omnibus multum acerbitatis exhibuerat & molestiæ, & propterea populus ad seditionem incensus est. Quòd autem Imperator populum vniuersum insimularit,ex eius epistola cognoscite.

Causa seditionis ipse Georgius.

Imperator Cæsar Iulianus, Max. August. populo Alexandrino. S.

Epistola hæc sane ponitisice Ethnicorũ dignissima.
Iuliani ad Alexandrinos epistola obnecem Georgij.

» QVòd si ita sit,vt nulla reuerentia vel erga Alexandrum vestræ vrbis conditorem, vel(quod maius est)erga Deum illum magnum sanctissimum Serapidem in vestris » animis resideat: tamen miror vos nullã rationem habuisse communis naturæ humani- » tatis,decori,addo etiam nostræ personæ,cui cùm alij omnes dij, tum magnus ille Sera- » pis in primis orbis terrarũ imperium largiri dignatus est: ad quã quidem vestrarũ par- » tium fuisset,iniuriarũ quibus improbi vos aliquando affecissent,cognitionẽ ac iudiciũ » reseruasse. At iracundia fortassis & feruor mentis, rationis cæcauit oculos,qui quidem » cũ animum de statu suo dimouerit,crudelia facinorà edere solet. Et quamuis pertur- » bationis impetus,qui subitò perperam adhibitus erat,paululum repressus fuerit:postea » tamen in legum contemptum irrupit. Vos igitur cùm in numero populi habeamini, » nullus pudor reprimere poterat,quo minus ea tentaretis, de quibus iustum odium cõ- » tra illos animis concepissetis. Verùm dicite mihi per Serapidem,quæ nã fuerint illæ in- » iuriæ,quæ vos ad iracundiam contra Georgium prouocarunt? Dixeritis fortasse quòd » Constantium, beatissimum Imperatorem, aduersum vos concitauerat: quòd exer- » citum ad sacram vestram vrbem deducendum curauerat: quòd præfectus Aegy- » pti sanctissimum Dei delubrum occupauerat: quòd imagines monumẽta & ornatum » ad sacra spectantem, inde abripuerat: quodque, cùm vos istud facinus ægrè ferretis,

Deumq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deumque vestrum propugnare,imò Dei ornamenta custodire,nõ sine causa'niteremi- A
ni,idem præfectus iniustè,iniquè,impieq; armatos in vos immiserat:qui sanè Georgiũ "
magis,quàm Constantium veritus, eo pacto seipsum conseruare volebat. Nam iam o- "
lim non tyrannico,sed modesto admodum & facili animo erga vos se gesserat. Qui- "
bus de causis in Georgium,deorum inimicum,iracundiæ incẽdio inflammati,vestram "
sacram ciuitatem scelere cõtaminastis:id adeò,cùm liceret illum in iudiciũ adduxisse. "
Nam ea ratione facinus neque ad cædem, neque ad iniquitatem prorupisset: sed fuis- "
set summa transactum æquitate,quæ vos planè insontes seruasset:quæ eum qui scelera "
intoleranda nequiter conscisset,multasset supplicio : quæ denique repressisset alios "
omnes qui non solum deos contemnunt, verùm etiam eiusmodi ciuitates & populos "
tam florentes in nullo numero ducunt, sed crudelitatem aduersum illos vsurpatam "
quasi accessionem suæ potestati adiungunt. Conferte igitur hanc meam epistolam cũ "
illa, quam ad vos iamdudum misi:& quantum inter eas intersit,diligenter considera- "
te.In illa enim priore plurimum laudis vobis tribui: in hac autẽ,per deos immortales, "
cùm vos laudare(vti debeo)aggredior,scelus admissum mihi est planè impedimento. "
Audétne populus,instar canum,hominem discerpere? annon eum pudet tam indigni "
facinoris? Estne hoc,manus adeò puras & integras seruare, vt eas nulla cruoris labe pol- "
lutas ad deos supplices tendatis? At Georgius ista pati commeruerat,Ipse etiam fortasse "
dicerem,eum istis longè grauiora acerbioraque subire debuisse. At etiam propter vos, "
dixeritis:& illud vobis assentior.Sed si dicatur,quòd à vobis pœnas luere debuisset,hoc "
nullo modo possum concedere.Sunt enim vobis leges,quæ sanctè coli,& ab omnibus "
tum priuatim tum publicè amari debent. Verùm enimuero, quanquam vsuenit,vt "
nonnulli sigillatim delinquant:tamẽ communem Reipublicæ statum ritè temperare, "
legibus morem gerere, & ea quæ ab initio præclarè sancita fuerint,minimè violare cõ- "
sentaneum est.Illud putatote,ò Alexandrini,prosperè & feliciter cecidisse,quòd me re- "
gnante,tale facinus à vobis commissum sit:quippe qui tum ob reuerentiam erga Deũ, "
tum ob pietatem erga * auum meum & gentilem(qui Aegypto & vestræ ciuitati præ- "
fuit)vos fraterna quadam beneuolentia complecti non desino.Nam princeps qui se cõ "
temni non vult,& magistratus etiam seuerus accuratusque, non debet eiusmodi faci- "
nus à populo admissum negligere,ne tanquã morbum grauem difficiliore acerbioreq; B
medicina curare opus fuerit.Verùm ego ob eas causas, quas modò citaui, curationem "
facillimam mitissimamque,nempe admonitionem, verbaque benigna vobis sanandis "
adhibeo:quibus,certò equidem scio,si modò sitis, vti audio,ex vetere Græcorum stir- "
pe oriundi,& adhuc eximia illa & egregia nobilitatis nota in vestris mentibus(in ve- "
stris inquam,qui estis Alexandrini ciues mei)inque omnibus vitæ officijs impressa ap- "
pareat,perfacile estis obtemperaturi. Ista Imperator scripsit ad hunc modum.

Georgium nõ immerito sublatum concedit.sed priuata vindicta tollinon debuisse docet.

** Aunculũ legit Niceph. lib.10. cap. 8.*

Quòd interfecto Georgio, reuersus Athanasius, ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula capessebat:deq; Lucifero & Eusebio:& quòd Lucifer Antiochiam profectus, Paulinum ordinarit episcopum. CAPVT IIII.

Athanasij ab exilio reditus Alexandriã.

Vide Nicephor. c. 6. lib.10. Theodori. lib.2. cap.5.

NOn longo tempore pòst,Athanasium ab exilio reuersum populus Alexandrinus lubentibus animis excepit: quo quidem tempore dogmatis Ariani fautores erant ab ecclesijs exturbati,edesque sacræ Athanasij gubernationi redditæ. Ariani autem in domibus quibusdam obscuris coacti,Lucium in locum Georgij suffecerunt.Id temporis hoc in loco res fuêre Alexandriæ.Interea Lucifer & Eusebius Imperatoris mandato ab exilio reuocati sunt. Lucifer Caralorum,vrbis Sardiniæ,fuit episcopus : Eusebius autem Vercellarum,quæ est ciuitas(vt antè dixi)Liguriæ in Italia.Ambo igitur ex superioribus Thebis ab exilio reuersi,cœpêre consilium,qua ratione Ecclesiæ canonem violatum,nõ neglectum cernerẽt. Itaque visum est,vt alter eorum,Luciferum dico, Antiochiam Syriæ contenderet:alter,nimirum Eusebius,peteret Alexãdriam, vti Concilio subsidio Athanasij conuocato, Ecclesiæ dogmata constabiliri possent.Lucifer verò eò mittit diaconum, per quem significat,se rebus quas Cõcilium decerneret,assensurum.Ipse Antiochiam profectus, statum illius ecclesiæ vehementer perturbatum offendit. Nam multitudo inuicem dissidebat,quandoquidem non hæresis solum ab Euzoio excogitata ecclesiam diremerat: verùm etiam(sicut suprà memoraui)sectatores Meletij, qui studio singulari erga doctorem suum affecti erant, ipsi cum suis dissentiebant.Lucifer igitur,Paulino episcopo ibi constituto, inde decedit.

Lucifer et Eusebius episcopi.

Antiochenæ ecclesiæ perturbatio.

Paulinus Antiochiæ sit episcop.

Quòd

Quòd Eusebius sese Athanasio iungens,concilium episcoporum Alexandriæ conuocauit, qui Trinitatem consubstantialem liquidò pronunciauerunt.

CAPVT V.

Concilium Alexandriæ actum,anno 367.

Vide Nicephor.c.34. lib.10. lib.3.c.4.5.

EVsebius vbi venit Alexandriam, diligenter agit cũ Athanasio de cogendo concilio.Conuenire episcopi ex varijs ciuitatibus cœperunt, deq; multis rebus apprimè necessarijs disserere: Spiritussancti diuinitatem stabilire,eumq; in trinitate consubstantiali comprehendere:& filium hominẽ factum,non tamẽ solum,sed etiã animam sumpsisse affirmare,sicut antiquis viris ecclesiasticis visum fuit.Non enim nouã aliquam religionem excogitare, inque ecclesiã introducere:sed quæ ab initio traditio Ecclesiastica præscripserat,& sapientes Christiani certis rationibus conquisiuerant,cõfirmare voluerunt. Atq; ad hunc modum veteres omnes de hac re disputarunt, scriptisque prodiderunt ad posteritatẽ.Nam Irenæus,Clemens Hieratopolitanus,Apolinarius, Serapion Antiochiæ episcopus, filium hominẽ factum anima præditum fuisse,in omnib.libris ab ipsis editis velut communi consensu, stabilitum tradunt. Quinetiã concilium propter * Cyrillum, episcopũ Philadelphiæ, vrbis Arabiæ,coactum,eadẽ per literas Cyrillo ostendit. Origenes item,tametsi passim in omnibus libris suis filium hominẽ factum,anima præditum esse docet:tamen in Tomo nono cõmentariorum in Genesim conscriptorum,huius rei mysterium apertè declarat,vbi Adamum Christi, Euã autem Ecclesiæ effigiem gerere, plurib. verbis discernit.Istarũ rerum etiam testes locupletes sunt, sanctus Pamphilus,& Eusebius qui ab eo nomen traxit.Nam ambo(qui mutuas tradentes operas, vitã Origenis literis consecrare,& velut per anticipationem illius aduersarijs occurrere, atque adeò defensionẽ eius conficere laborabant)asserunt,Origenem non primum huius rei tractationem aggressum fuisse,sed mysticam Ecclesiæ de ea traditionẽ interpretatum.Porrò autem episcopi qui in concilio Alexandrino aderant,hanc de οὐσίᾳ,id est,essentia,& ὑποστάσει,id est subB stantia seu persona controuersiam excusserũt. Nam Osius episcopus Cordubæ,ciuitatis Hispaniæ(cuius antea fecimus mentionem)ab Imperatore Constantino ad tumultum ab Ario concitatum sedandum missus,dum Sabellij Afri dogma explodere cogitaret, de οὐσίᾳ,id est essentia,& ὑποστάσει,id est substantia seu persona,disceptauit:vnde materia alteri contentioni suppeditata est.Verùm id temporis in concilio Nicæno de ea controuersia ne verbum quidem factum est:at postquam nõnulli cœpêre de ea digladiari, ob eam causam in hoc concilio de οὐσίᾳ,id est essentia, & ὑποστάσει,id est substantia seu persona,ista deciderunt: Non oportere,cùm de Deo sermo sit institutus, his verbis vti. Nam οὐσίας,id est essentiæ nomen,in Sacris literis nõ reperiri: & voce ὑποστάσει, id est substantia seu persona,Apostolum dogmatum tradendorum necessitate adductum,vsum fuisse.Cæterùm alia quadam ratione voces istas admittendas decreuerunt , nimirum quòd Sabellij opinionem explodant, ne verborum inopia rem quæ triplici nomine nuncupatur, quasi vnam putare cogamur, sed vt singula nomina trinitatis in propria subsistente persona Deum significent. Ista eo tempore à Concilio decreta fuêre. Quid autem nos de οὐσίᾳ & ὑποστάσει didicerimus, nihil impedit quo minus paucis expediamus.Qui verò Græcam inter Græcos sapientiam & doctrinam explicare nituntur,οὐσίαν,id est essentiam multis modis sumi definiuerunt.de ὑποστάσει,id est substantia seu persona autem nullam fecêre mentionem : imò verò Irenæus Grammaticus, in Atticæ linguæ dictionario, vocem barbaram appellat. Nam apud nullum veterem scriptorem reperiri: quod si cubi fortè reperiatur, non eam rem significare, pro qua iam capitur, asserit. Etenim apud Sophoclem in Phœnice ὑποστάσιν insidias significare,apud Menandrum autem condimenta: posse etiam dici feces vini in dolio.Verùm licet hæc vox à veteribus philosophis non sit vsurpata, tamen intelligendum est, recentiores illa pro οὐσίᾳ,id est substantia,crebrò abusos fuisse, substantiæ autem definitionem , vti diximus, multiplicem tradidisse. Quod si substantia definitione comprehendi possit,quomodo,cùm loquamur de Deo, qui nequit comprehendi, hac voce propriè vti possumus ? Euagrius verò,in libro suo qui Monachus inscribitur, dehortatur nos,à temerè & inconsideratè de numinis diuinitate disputando :a omnino numen diuinum, quoniam res simplex est, definire vetat. Nam definitiones esse rerũ concretarũ cõpositarum q; ait. Hæcq; docet his ferè verbis: Omnis propositio aut genus habet prædicatũ, aut speciẽ,aut differentiã,aut proprium,aut accidẽs, aut q̃ ex his constat. at in sancta trinitate tractãda nihil horũ sumendũ est: imò verò quod verbis exprimi nequit,

** Epiph. Byrillum. Patrum authoritas in cõcilijs.*

Ecclesiæ mysticã traditio à Patribus obseruata.

Osius episcop.

ὁσίας & ὑπὸ. στάσεως vocum in sacris literis nullus vsus.

Vide Basil.

ὁσία. ὑπόστασις.

Irenæus grammaticus.

Substantia.

Euagrij Monachus. Definitiones quarum rerũ propriæ.

a Periculosa est de Deo definitio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nequit, silentio venerari debemus. Hæc Euagrius: de quo pòst dicemus pluribus. Nos ve A
rò, tametsi ista præter institutum nostrum dixisse videri possimus: tamẽ quoniam sunt
ad historiæ argumentum accommodata, hoc loco non sine causa posuimus.

De Athanasij fuga, ex eius Apologetico. CAPVT VI.

Athanasij Apologeticus.

EOdem tempore Athanasius orationem Apologeticam, quã in suæ ipsius fugæ defensionem iampridem confecerat, coram illis qui aderant perlegit. Ex qua nonnulla, quæ lectoribus non parum fructus vtilitatisque allatura videantur, in præsentia repetere cõsilium est: totam autem orationem, quoniã est paulò prolixior, studiosis inuestigandam euoluendam. Vide Nicephor. c. 10. lib. 10. Vide latinam Athanasij editionem in eius Apologetico Basil. 2. Pud Epist. pag. 324.

Calumniæ improborum aduersus Athanasium.

que relinquo. Ecce, inquit, perditos & audaces impiorum conatus. Tametsi ista scelera consciuêre, nihil tamen eos pudet illarum iniuriarum, quas tam crudeliter & nefariè contra nos iam antea moliti sunt: sed nobis de integro tanquam probrum obijciunt, quòd simus de ipsorum manibus sanguine & cæde respersis elapsi: imò verò grauiter queruntur, quòd nos non prorsus è medio sustulissent. Quinetiam quo nostram lædãt existimationem, timiditatem, velut ansam ad reprehendendum, arripiunt: quod quidem dum admurmurant, ignorant penitùs se crimen in se ipsos deriuare. Nam si fugere sit ponendum in vitio, multo magis homines persequi. Etenim qui fugam capit, occultat se, vt mortem diuitet: qui autem persequitur alterum, cum neci dare contendit.

Fugæ defensio.

Atque vt fugiamus, sacra docet Scriptura: at qui alterum quærat interficere, legem violat, ipseque multo magis author & causa est fugæ. Quòd si fugam cuiquã crimini dent, multo plus ipsi erubescere debent. Nam desistant illi qui homines persequuntur, ab insidijs faciendis: & illi qui fugiunt, statim à fugiendo desistent. Verùm suæ ipsorum nequitiæ nullum finem faciunt, sed omnem (vt dicitur) lapidem mouent, quò alijs affe-rant exitium: idque adeò, cùm exploratum habeant, fugam eorum qui persecutionem sufferunt, ad grauem persequentium reprehensionem redundare. Nemo enim hominem manſuetum & mitem fugit, sed agrestem potius, & moribus nequam. Nam quicunque animo ægro afflictoque fuit, aut grande æs alienum conflauerat, is à Saule aufugere, & ad Dauidem confugere. Qua de re isti eos qui ab illis se occultauerunt, truci-dare nituntur, ne episcoporum perspicuè conuincatur improbitas. Cæterùm in hac re permagno videntur errore cæcati. nam quo magis fuga in aperto sit, eo tum cædes, quę ab ipsis per insidias fit, tum exiliũ quo homines multant, cuidẽtius omnibus constabit. Etenim si homines occidunt, mors tanquam voce emissa, magis ad illorum crudelitatem significandam personat: sin in exilium denuò eijciunt, vbique sceleris & nequitiæ quasi monimenta contra se ipsi statuunt. Quòd si integra & sana mente fuissent, se his rebus implicatos teneri, suisque ipsorum consilijs lapsos esse, facilè videre potuisſent. Verùm quoniam animi sanitatem & modestiam perdiderunt, ob eam causam ad alios persequendos incitantur: & dum necem alijs moliuntur inferre, suam ipsi impietatem non animaduertunt.† Quod si eos qui se ab illis qui vitam eripere quærunt, hi-

† Curteri. hic deficit vsque ad finem huius pag.

Iacobi et Moysis fuga. Exodi 2.

Itẽ Dauidis, 2. Reg. 22.

abdidêre, contumeliosè reprehendant, & qui persequentes fugerunt insimulent: quid quæso sunt facturi, cũ intellexerint Iacob à fratre suo Ezau fugisse, & Moysen ob metum Pharaonis in Madian secessisse? Sed qui hoc modo cauillantur, quid habent quod respondeant Dauidi, Saulem, qui satellites ex ædibus suis ad illum interficiendum miserat, fugienti, seque in speluncam abdenti, & personam alienã vsque eò sumenti, quoad Abimelech sacerdotem callidè præterijsset, insidiasque sibi paratas vitasset? Quid est quod isti qui omnia adeò temerè effutiunt, dicere possint, cũ magnum illum Eliam, qui Dei nomen tam sanctè inuocabat, excitabatque mortuum, perspicuè videant tum se propter odium Achaab occultasse, tum propter minas Iezabel fugam fecisse? Nam id temporis, filios prophetarum, dum conquirerentur, se abscondisse, inque speluncas Abdiæ subsidio latitasse, scriptis proditũ est. An ista potius, vtpote vetera, nõ legerunt? Quid? eáne quæ in Euangelio tradita sunt, etiam illis penitùs exciderunt? Etenim discipuli à Iudæis metuentes, clàm è medio recessere. Quinetiam Paulus Damasci à præsidijs regionis quæsitus, de muro in sporta demissus est, sicque ex quærentis manibus euasit. Idcirco cùm sacra Scriptura de sanctis viris ista commemoret, quam tandem simulationis latebram, qua suam temeritatem obtegant, isti reperire poterunt? Nam si timiditatẽ illis obijciunt, facinus in ipsorum caput velut insanientium recidit: sin eos contra voluntatem Dei istud fecisse calumniantur, seipsos Sacrarum literarum prorsus ignaros ostendunt. Nam in lege præceptum est, vt illis, qui ad mortem subeundam quærerentur, ciuitates constituerentur perfugij: ad quas quidem aliquando confugientes, vitam in tuto collocarent. Porrò autem ipse sermo patris, qui Moysi olim locutus est

Eliæ & aliorum prophetarũ, 1. Reg. 21. 3. Reg 17. 3. Reg. 19.

Discipulorum Christi, Matt. 26.

Pauli, Act. 9.

Vrbes perfugij Num. 35. Deut. 4.

A est, extremis seculorum temporibus istud mãdatum dedit: Cùm persecuti fuerint vos
„ in hac ciuitate, fugite in aliam. Et paulò pòst: Cùm videritis, inquit, obominationẽ de- *Matth. 10.*
„ solationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) *Matth. 24.*
„ tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat aliquid tolle-
„ re de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere vestimenta sua. Quę cum viri san-
„ cti intelligerent, suam vitæ rationem ad ea tanquam ad normam instituerunt. Nã quæ
„ Dominus iam tum præcipiebat, eadem ipsa ante incarnationem suam in sanctis viris
„ locutus fuerat. Atque hæc est hominibus quasi regula ad perfectionem ducens, vt quod
„ Deus præceperit, illud ipsum faciamus. Qua de causa etiam ipse Dei sermo propter nos *Ioan. 8.*
„ homo factus, cùm quæreretur, se nostro more occultare: & rursus, cum illum Pharisæi *Christi fuga.*
„ persequerentur, fugere insidiasq; sibi collocatas declinare non dedignatus est. Nam sic-
„ ut esuriendo, sitiendo, & id generis molestias perpetiendo: sic ab aduersarijs fugiendo,
„ se hominem factum ostendere voluit. Ex ipsis præterea incunabulis, simulatq; homo fa-
„ ctus erat, ipse cum adhuc puer esset, per Angelum mandauit Ioseph, dicens: Surgens ac- *Matth. 2.*
„ cipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum: Herodes enim est animam pueri *Matth. 12.*
„ quæsiturus. Quinetiam Herode mortuo, visum est illi propter Archelaum, filium He-
„ rodis, secedere in Nazareth. Ad hoc cum posteà se Deum declararet, & aridam manũ
„ sanasset, Pharisæi egressi, consilium contra illum inierunt, vt vitam ei adimerẽt. Qua re
„ cognita, Iesus se inde subduxit. Itemq; cum Lazarum excitaret à mortuis: Ab illa (in- *Ioan. 11.*
„ quit) die consilium cœperunt, vt illum occiderent. Iesus igitur deinceps non inter Iu-
„ dæos propalàm ac liberè versatus est, sed inde in locum solitudini finitimum abscessit.
„ Porrò autem cum Seruator diceret, Antequam Abraham fieret, ego sum: Iudæi sum- *Ioan. 8.*
„ psere lapides, vt in illum conijcerent: Dominus autem abscõdit se, & exiuit de templo:
„ & pertransiens per medium illorum abijt, sicq; euasit. An non isti, cum hæc exempla vi-
„ deant, imò potius cogitatione complectantur (nam videntes, sicut scriptum est, non vi- *Matth. 13.*
„ dent) præangore quodammodo animis exardescent, quòd contrà quàm Dominus &
„ fecerit & docuerit, tum consilium capere, tum verba inconsideratè fundere, non dubi-
„ tarunt? Accedit eôdem, quòd Iesus, cum de Ioannis Baptistæ martyrio, deque corpore *Matth. 13.*
„ eius à discipulis sepulto accepisset, inde conscenso nauigio, in desertum locum seorsim
B decesserit. Ac Dominus quidem certè cùm ista fecit, tum ita docuit. Vtinam igitur isti
„ sic tandem erubescerent, aduersumque homines tantummodo vellent esse temerarij:
„ & non longius insania progressi, ipsi etiam Seruatori timiditatem obiectarent, atq; ad-
„ eò in illum blasphemias intorquere toto animo conniterentur. Verum eos tam ad o-
„ mnem amentiam proiectos, nemo tolerare poterit. Imò perspicuè cõuincentur, Euan-
„ geliorum ignaros esse, & minimè intelligentes. Etenim causa eiusmodi decessionis & *Seruatoris fuga.*
„ fugæ, quam in Seruatore extitisse memorant Euangelistæ, non rationi solum consenta-
„ nea, sed vera etiam fuit: nos propterea eandem fuisse in omnibus sanctis viris existima-
„ re debemus. Nam quæ in Seruatore, humano modo & more accidisse literis proditum
„ est, ea ad commune hominum genus referenda sunt: quippe nostram naturam ille ac-
„ cepit, & nostræ infirmitatis affectiones in se ipse declarauit: quemadmodum apud Io- *Cap. 7.*
„ annem est, Quærebant eum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondũ *Ioan. 2.*
„ venerat hora eius. Quinetiam prius quàm ista venerat, dixit matri: Nondum venit ho- *Ioan. 7.*
„ ra mea. Illos etiam, qui fratres eius appellabantur, sic affatus est: Tempus meum nondũ *Matth. 26.*
„ aduenit. Rursus: Cum tempus aderat, dixit discipulis: Dormite iam, & requiescite. Ecce
„ enim appropinquauit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Quocir-
„ ca neque antè quàm tempus venerat, permisit se comprehendi: neque cum tempus ade-
† Curteri. rat, se occultauit: sed semetipsum illis, qui ei insidias parauerãt, exposuit.† Eodẽ modo
hus: Aduer. beati martyres in persecutionum procellis, quæ varijs temporibus ingruebant, sicut cũ *Martyrum fuga.*
te. rursus homines eos persequebantur, fugam cœperunt, & in locis abditis opertisque delitue-
mittat hic runt: sic, cum erant reperti, certamen martyrij libenter obierunt. Hæc ab Athanasio in
vt superiꝰ oratione Apologetica, quam in fugæ suæ defensionem conscripsit, disputata sunt.
vel præter-
mitti de
industria,
vel desi-
derari pag.
326. 327.

Eusebius post concilium Episcoporum, qui Alexandriæ conuenerant, & qui Consubstantiale propugnauerant, Antiochiam reuersus, ac plebem dissidentem propter Paulini ordinationem comperiens, cum illam ad mutuam concordiam traducere non potuit, inde domum regressus est.

CAP. VII.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 17. Sozom. li. 5. cap. 11.

EVsebius verò Vercellarum episcopus, statim post concilium Alexandria decedens, Antiochiam contendit. Ac cum Paulinum à Lucifero episcopum designatum, po- *Eusebij Vercellensis è concilio reditus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

pulumq; in duas factiones partitum offenderet (nam Meletij fautores seperatim con-
uentus fecêre) vehementer propterea animo conturbatus fuit, quòd electioni Paulini
ab omnibus minimè esset assensum. Nam intra suam ipsius cogitationem factum illud
damnauit ille quidem, sed præ reuerentia aduersus Luciferum rem tacitam habuit: &
vt primùm promiserat, se episcoporum concilio cõuocato, illis rebus rectè prospectu-
rum, inde recessit. Posteà verò, quanquam admodum laborabat vt partes dissentientes
ad concordiam adduceret, tamen illud nullo modo poterat efficere. Nam Meletius ab
exilio reuersus, vbi eos, qui cum illo consentiebant, conuentus seorsum agere reperie-
bat, se illis ipse præfecit. Quin omnibus ferè ecclesijs, quæ ibi erant, Euzoius Arianæ se-
ctæ patronus præfuit. Paulinus autem vnã solam obtinuit ecclesiarum paruarum, quæ
erant intra vrbem: ex qua quidem ipsum Euzoius propter reuerentiam, quam versus il
lum habuit, non eiecerat. Meletius aũt extra portas ciuitatis cõuentus celebrauit. Id tẽ
poris ad hunc modum Antiochia discedit Eusebius. Lucifer verò vbi acceperat suam
electionem ab Eusebio improbari, contumeliæ duxit loco, iniquoq; admodum animo
passus est. Proinde recusauit cum Eusebio cõmunicare: studioq; contentionis inductus,
concilij decreta reiecit. Ista quidem tristibus & afflictis ecclesiæ temporibus obuenien-
tia, multos ad deficiendum ab Ecclesia impulêre: vnde noua secta, quę Luciferiana dice
batur, nata est. Cæterùm Lucifer suam iracundiam propterea saturare nõ poterat: quia
suis ipsius responsis, quibus per diaconum missis pollicitus fuerat, se decretis Concilij
contentum fore, omninò tenebatur astrictus. Quapropter fidei & sententiæ Ecclesiæ as-
sentiens, in Sardiniam ad propriam sedem se recepit. Quorum autem animi non mi-
nus quam illius erant exulcerati, hi adhuc etiam ab Ecclesia segregati manẽt. Eusebius
verò partes Orientis peragrans, infirmos fide, instar præstantis medici, ad integram va-
letudinem restituit, doctrinaq; ecclesiastica instruxit, eruditq;. Inde regressus, in Illy-
riam proficiscitur: & cum intraret in Italiam, idem ipsum docendi munus diligenter
obijt.

Meletius ab exilio reuersus.

Luciferi & Eusebij dissensio.

Luciferiana secta.

De Hilario Pictauorum episcopo. CAP. VIII.

Hilarius Pictauorum episcopus.

HIlarius Pictauorum Episcopus (est autem hæc ciuitas Aquitaniæ vlterioris) VideNice. lib.10.c.17.
ante Eusebium, † episcopos tum in Italia, tum in Gallia, Catholicæ fidei do B
gmatis diligenter erudiuit. Etenim prius ab exilio reuersus, ante illum ad Sozo.lib.
ea aduentauit loca. Vterq; verò fidem strenue propugnauit. Hilarius, vtpo 5.cap.12.
te disertus, libris Latino sermone conscriptis, Consubstantialis dogma ex- †Vide an-
planauit: ijsdemq; tum illud ipsum confirmauit abundè satis, tum opiniones Ariano- not.pag.
rum penitus labefactauit. Verùm ista paulò pòst quàm exules erant in patriam reuoca- 221.lat.4.
ti, contigerunt. Iam verò illud minimè nos præterire debet, sectatores Macedonij, Eleu-
sij, Eustathij & Sophronij (omnes hi vno nomine Macedoniani appellabantur) eodem
tempore crebros conuentus in varijs locis egisse: & cõuocatis illis, qui in Seleucia ipso-
rum fauebant sententiæ, alterius partis fautoribus, Acacianis videlicet, anathema de-
nunciasse, fideq; Arimini exposita prorsus reiecta, eam, quæ in Seleucia recitata erat, ra-
tam fecisse. Illa autem eadem ipsa erat, quæ Antiochiæ, sicut in secundo Libro comme-
moratum est, fuisset iam pridem constabilita. Isti cum à quibusdam hoc modo rogaren
tur, Vos qui Macedoniani nominati estis, si diuersa sit vestra ab Acacianorum opinio,
quid est quamobrem ad hunc vsq; diem cum illis, tanquam vobiscum in eadem opi-
nione consentientibus, communicetis? ista per Sophroniũ Pompeiopolis vrbis Paphla
goniæ episcopum responderunt: episcopos versus Occidentem in opinione Consubstã
tialis propè deliraſſe: Aetium autem in Oriente veritatis doctrinam depraua re conatũ,
dissimilitudinẽ substantię in patre & filio introduxisse: vtriusq; partis sententiã peruer-
sam esse. Illos enim temere & absq; iudicio distinctas separatasq; patris & filij essentias
in vnum coniunxisse, nomineq; Consubstantialis tanquam prauitatis vinculo colli-
gasse: hunc autem proprietatem naturæ, quæ est filij cum patre, dissimilitudinis substan
tiæ nomine disiunxisse. Et quoniam vtriq; in contrarias sententias, easq; extremas inci-
derunt, nobis consultum visum esse, mediam viam inter vtrosq; insistere, veram piam-
que doctrinam tenere, filiumq; patri essentia similem affirmare. Ista sunt, quę Macedo-
niani (sicut Sabinus narrat, in libro quem de collectione rerum in Concilijs gestarum
inscripsit) ad rogatum per Sophronium responderunt. Atque in eo, quod Aetium, tan-
quam dissimilitudinis patris & filij authorem accusant, & non Acacianos, videntur ve-
ritatis lucem fallaciter & captiosè obscurare: & partim Arianorum opinioni, partim
eorum sententiæ, qui fidem consubstantialis tuentur, aduersari. Verùm suis ipsorum
verbis planè coarguuntur, nimirum quòd abiecta vtriusq; partis opinione, ipsi sibi no-
uam doctrinam confinxêre. Sed de his satis multa.

Hilarij de Trinitate libri.

Macedoniani crebros conuentus agũt.

Sophronij responso Macedonianimedij inter Acacianos & cõsubstantialse.

Sabini liber de Concilijs.

Quod

A

Quod Imperator Iulianus Christianos omnes odio persequutus sit, ac in primis Eleusium Nouatianorum episcopum. CAP. IX.

VideNice. li.10.c.20.

IVlianus Imperator, tametsi fuit in initio Imperij erga omnes facilis & per-
humanus, tempore tamen progrediente non similem se omnibus osten-
dit: sed vbi criminatio vlla contra Constantium allata erat, ibi Christia-
norum postulata libentissimo animo concessit: vbi autem nihil eiusmo-
di incidebat, priuatum odium, quod cõtra omnes omninò Christianos a-
Videsupra lib.2.c.30. Sozom.li. 5.cap.5. nimo concepisset, palàm omnibus declarare cœpit. Nam Nouatianorũ ecclesiam quæ erat Cyzici, ab Eleusio episcopo solo æquatam, de integro extrui mãdat: grauissimam-
que multam Eleusio illius vrbis episcopo se irrogaturum minatur, si non intra duorũ
mensium spacium suis ipsius impẽsis eam exædificandam curaret. Porrò autem gen-
lium ritus renouare, templa eorum (vt dixi) aperire, victimas Fortunæ populari, Con-
stantinopoli in ipsa regia, vbi illius deæ statua erat locata, immolare cœpit.

Iuliani in Christianos odium.

Nouatianorũ ecclesia de integro extruitur.

Fortunæ populari statua.

De Mari Chalcedonensi episcopo. CAP. X.

VideNice. ca.10.li.10. Sozo.lib. 6.cap.4.

SVB idem tempus Maris Chalcedonis, vrbis Bithyniæ episcopus, manu
ad Imperatorẽ Iulianum deductus (nam cum iam esset valde exacta æta-
te, oculorum suffusione afflictabatur) illum grauiter reprehendere, impi-
um, desertorem ecclesiæ, Dei hostem appellare cœpit. Ille verba contu-
melioſa contra elocutus, Episcopo par pari referre, cæcum vocare, has vo
Galilæus. ces fundere: Deus tuus Galilæus non est te curaturus. Iulianus enim Christum Galilæũ,
& omnes Christianos eodem nomine nuncupauit. Maris igitur paulò liberius Impera-
toris maledictis occurrere: Gratias, inquiens, ago Deo, qui me orbauit luminibus, ne
tuum vultum, qui tam ad omnem impietatem proiectus es, aliquando aspicerem. Ad
quæ quidem verba nihil omninò respondit Imperator, sed episcopum acerbè persecu-
tus est. Cum videret præterea Christianos magno honore illos prosequi, qui regnante
Diocletiano, martyrio occubuissent: cumque pro certo cognosceret, complureis prom
B pto & alacri animo ad martyrium velle contendere: ille, perinde quasi Christianos ef-
fet ab hoc beneficio repulsurus, alia via ad eos afflictandos aggreditur. Et quanquam
insatiabilem crudelitatem Diocletiani temporibus vsurpatam missam faciebat, non
tamen à persequendo penitùs se continuit. Est enim, mea quidem sententia, persecutio-
nis genus, homines qui quietè & tranquillè se gerunt, vlla ratione conturbare. Iulianus
verò Christianis hoc pacto non parum faceſſebat moleſtiæ. lege enim sanciuit, ne
Christiani literis humanioribus instituerentur. Nam cum sint (inquit) lingua ad di-
cendum exercitata, facilè dialecticorum, qui sunt apud gentiles, argutijs occurrere
poterunt.

Maris & Iuliani cõtentio.

Maris episcopi cæci in Iulianum Imp. libertas.

Iuliani in Christianos persecutio.

Lex, ne literis humanioribus Christiani instituerentur.

De motu quem contra Christianos Iulianus Imperator ciebat, & quòd à Christianis pecuniam exigebat. CAP. XI.

VideNice. c.21.22.23. 24.25.26. lib.10. Theodor. lib.3.cap.7. Sozo.lib.5. cap.4. Vide Baronium ad annum 363. Vide an. not. pag. 222. lat.1. hu. 29.

PRorsùs ab Imperatore Iuliano mandatum est, vt qui nollent Christianam
religionem deserere, in palatio militum prætorianorum munere mini-
mè fungerentur: itemque, vt omnes simulachris sacrificare properarent:
Christiani in prouincijs nullos magistratus gererent. Nam lex illorum
(inquit) vetat gladio vtendum contra eos † qui scelera digna morte admi-
serint: & propterea non sunt ad regendum idonei. Nonnullos autem assentatione &
muneribus ad immolandum allexit. Extemplò igitur tum qui verè erant Christiani,
tum qui speciem Christianorum præ se ferebant, tanquam in theatro locati, se palàm
omnibus patefecerunt. Nam qui recta voluntate Christianam fidem profitebãtur, pro-
penso animo balteum pro fidei defensione deponere, omniaque cruciamentorum ge-
nera subire maluerunt, quàm Christum seruatorem denegare. In quorum numero fuit
Ioannes, Valentinianus & Valens, qui posteà sunt Imperij gubernaculis potiti. Alij, qui
animo parum sincero Christianam amplexabantur religionem, quique diuitias & ho-
norem apud homines veræ beatitudini anteferebant, abiecta cunctatione, ad immolã-
dum se dederunt. Ex quibus vnus erat Ecebolius sophista Constantinopolitanus: qui
Ecebolius Dioceſis quidem se ad Imperatorum ingenia ac naturam conformans, dum Constantius regna-
tabilior. bat, se ardenter fidem Christianam amplecti simulauit: dum Iulianus potiebatur im-
perio, gentilitatem magnopere colere præ se tulit: Iulianoque mortuo, religionẽ Chri-

Iuliani cõtra Christianos edicta.

Ioannes, Valentinianus et Valens, constãtes Christi professores.

Ecebolij sophistæ inconstantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christianam denuò profiteri in animum induxit. Nam ante portam ecclesiæ se pronũ abijciens, sic vociferatus est: Me quasi salem insipidum pedibus conculcate. Ecebolius sicut anteà leuis & inconstans fuit, sic quoq; postea permansit. Per id temporis Imperator, habens in animo Persas, pro iniurijs quas in agro Romano depopulando fecissent, vlciscì, per fines Asiæ ad partes Orientis properè ire perrexit. Et cum exploratum haberet, quot mala bellum secum apportare soleat, quam ingenti pecuniæ vi ad illud administrandum opus esset, & absque ea non posse rectè geri, pecuniam à Christianis veteratoriè extorquere cogitauit. Nam illis, qui sacrificare renuebant, mulctam imposuit pecuniariam, ipsaq́ue exactio in verè Christianos seuera & exquisita fuit. Nam quisque pro facultatum proportione tributa pensitauit, & Imperator ex iniusta iniustè exactæ pecuniæ collectione breui admodum locupletatus est. Ista autem vtebatur lege, nõ solum in locis, quæ ipse peragrauit, sed in illis etiam ad quæ minimè accesserat. Eodem tempore gentiles in Christianos violenter insultare, qui se philosophos prædicabant, frequentes concursare, nefanda quædam mysteria obire: pueros qui nondum ex ephebis excesserant, tum masculos, tum fœminas, quò exta eorum inspicerent, mactare, illorum carnes degustare cœperunt. Atque hæc scelera cùm alijs in vrbibus, tum Athenis & Alexandriæ fuêre edita.

Christiani opibus suis spoliati indictis ex actionibus pœnæ nomine propter Religionem.

Ethnicorum cruentæ victimæ.

De Athanasij fuga. CAP. XII.

IBi tum contra Athanasium falsum crimen comminiscuntur: significantq́ue Imperatori, eum cum Aegyptum, tum vniuersam ciuitatem Alexandriam prorsus labefactasse: oportereq́ue illum à ciuitate amandare. Contra quem etiam Alexandriæ præfectus Imperatoris iussu concitatus est. Athanasius hæc verba apud necessarios locutus (Secedamus ad tempus, amici: est enim nubecula, quæ citò euanescet) illico fugam fecit: atque conscensa naue, actutum traijcit in Aegyptum. Aduersarij illum à tergo insequi, comprehendereq́ue properant. Vbi autem nũciatum erat, eos qui illum persequebantur, non longe abesse, comites itineris illum hortabantur, vt in solitudinem fugeret. Ille prouido vsus cõsilio, persequentium manus effugit. Nam persuasit illis, vt retro conuersi persequentibus obuiam procederent. Quod absq; mora illi faciunt. Simul atque illi, qui paulò ante fugam ceperant, persequentibus appropinquarent: hi qui Athanasium quærebant, nihil præterea ab eius comitibus scisciabantur, quàm vtrum Athanasium vidissent. illi, eum in quodam loco, qui non multum inde aberat, latitare significabant: & si properè contenderent, breui illum comprehensuros. Ita isti ab Athanasio auersi, cito & contento gradu persequuntur: sed frustra. Ille enim ex eorum manibus elapsus, clàm se Alexandriam recepit: ibiq́ue in occulto vitam vsque eò transegit, quoad persecutionis incendium penitùs esset restinctũ. Eiusmodi tempestates post crebras Christianorum persecutiones, postq́ue ærumnas à gentilibus, illis inflictas, in caput episcopi Alexandrini redundarunt. Porrò prouinciarum præsides rati, ex Imperatoris religione illis tempus opportunum oblatum, quo quæstum facerent: vltra quam oportebat, exigere, interdum eorum corporibus supplicia infligere cœperũt. Quæ cum intellexisset Imperator, neglexit: & Christianis, qui de istis iniurijs expostulaturi ad eũ veniissent, ita respondit: Vestrum est, cum estis afflictati, æquo animo tolerare: quippe istud à vestro Deo præceptum accepistis.

Athanasius persecutionẽ vocat nubeculam.

Athanasij fuga, & persecutores astus.

Iuliani in Christianos insultatio.

De ijs, qui regnante Iuliano, Meri ciuitatis Phrygiæ vitam martyrio consummarunt. CAP. XIII.

ERat quidã Meri vrbis Phrygiæ prouinciæ præfectus, nomine Amachius; qui delubrum in ea ciuitate extructum aperire, sordes iam longo tempore in eo coaceruatas expurgari mandauit, simulachraq́; in eo cultu & obseruantia prosecutus est. Quod illius factum Christianorum animis acerbum incussit dolorem. Idcirco Macedonius, Theodulus, Tatianus, zelo pietatis Christianæ inflammati, istam ęgritudinem ferre non poterant: sed flagranti erga virtutem studio præditi, noctu in delubrum irruunt, simulachra confringunt. Quo quidem facinore cum præses grauiter animo esset commotus, & propterea complures in ciuitate, qui criminis omnino erant expertes, nèci dare contenderet, authores facinoris vltrò illi se obtulêre: proq́ue veritate ipsi mortem multò maluêre oppetere, quã ferre vt alij ipsorum causa vitam amitterent. Quibus comprehensis, præses mandatum dat, vt pro facinore ab ipsis admisso, se simulachris immolando purgarent: minaturq́; scil.

Amachius præfectus.

Macedonius, Theodulus, et Tatianus martyres.

A se illos, si istud facere recusarent, acerbo mulctaturum supplicio. Illi, vtpote excelso & magno animo præditi, neglectis eius minis, ad omnem cruciatum sufferendum se paratos ostenderunt: maluerunt́q; multò vitam deserere, quàm se sacrificiorũ labe ipsi polluere. Præses igitur, vbi alijs omnibus tormentorum generibus eos exercuerat, ad extremum craticulis imponit, ignemq́; subdi iubet: quo quidem cruciatu oppressi è vita migrauêre. Et quo rebus tam fortiter pro veritate ab se gestis insigne quasi fastigium imponerent, hæc sunt verba ad præsidem elocuti: Si cupiditate duceris, Amachie, carnes assas degustandi: verte nos in altera latera, ne in ipso gustu tibi semiassi videamur. Hunc isti vitæ habuêre exitum.

Constantia martyrum in contemnenda Religione.

Assantur crãticulis impositi martyres.

Quo pacto, cum Imperator interdixisset Christianis humanioris literaturæ lectionem, Apollinarij ad scribendum animos applicuerunt. CAP. XIIII.

IEX ab Imperatore promulgata, quæ vetabat Christianos humaniore literatura imbui, duos illos Apollinarios, quorum supra à nobis facta est mentio, multo celebriores reddidit. Vterque enim artiũ illarum, quæ ad sermonem formandum pertinent, admodum peritus, pater Grammaticæ, filius autem illius, quæ est sophistarum propria, ea tempestate Christianis non parũ attulere adiumenti. Nam pater, vtpote exquisitus Grammaticus, artem grammaticam ad Christianæ religionis formam contexuit, Moysisq́; libros carmine heroico expressit: quin etiam alios veteris Testamenti libros, qui historico more & modo conscripti sunt, partim heroicis numeris, partim tragœdiæ forma, personis adhibitis, composuit: omniq́; numerorum genere vsus est, vt nulla gentilis eloquentiæ forma Christianis insueta & noua videretur. Filius autem, qui dicendi facultate erat exquisitè eruditus, Euangelia & Apostolorum scripta in formam Dialogorum, Platonis more apud gentiles, redegit. Verùm quamuis religioni Christianæ hoc pacto vtilitati esse viderentur, quòd veteratorius Imperatoris conatus eorum laboribus quodammodo esset retardatus: tamen Dei prouidentia tum istorum vigilias multis partibus superauit, tum conatum penitùs retudit Imperatorium. Nam & lex Imperatoris non multo pòst, vti deinceps dicemus, prorsus rescissa fuit: & illorum labores perinde se habuêre, ac si nũquam fuissent scripti mandati. At aliquis nobis acriter arguteq́; occurrẽs dixerit: Quid est cur ista vtraq; diuinæ prouidentiæ attribuas? Quod ad celerem Imperatoris interitum attinet, cum fidei Christianæ multum profuisse constat: at vt Christiana Apollinariorũ poëmata reiicerentur, Christianiq́ue de integro gentilium disciplinam imbiberent, nemo est, qui Christianæ religioni prodesse concesserit. Nam non est extra periculum, Christianos gẽtilium eruditione instituì: quippe quæ docet multos esse Deos. Ad ista, quæ nobis fortè obijci possunt, pro virili respondebimus: Doctrina gentilium neque à Christo, neq; ab eius discipulis vel approbatur vt inspirata diuinitùs, vel vt periculosa prorsus reijcitur. Atque istud, si quid ego iudico, non absque diuina prouidentia factitatum est. Etenim complures apud gentiles philosophi non multum à Dei cognitione abfuêre: quippe qui Epicureis, alijsq́ue sophistis certandi studio delectatis, qui quidem prouidentiam Dei penitùs tollebant, differendi scientia strenuè restiterunt, illorumq́ue prorsus refutarunt inscitiam. At licet hisce ipsorum libris veræ pietatis fautoribus non parum apportarent commodi, tamen quod caput est religionis & doctrinæ, non sunt consecuti: quippe cum mysterium Christi à generationibus & seculis absconditum omninò ignorarent. Quod quidem ita esse, Apostolus in epistola ad Romanos manifestè declarat, his ferè verbis: Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & iniusticiam hominum, eorum qui veritatem Dei in iniusticia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis reuelauit. Inuisibilia enim ipsius à creatura mũdi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt sint inexcusabiles. Quia cum cognouissent Deum, non vt Deum glorificauerunt. Quibus de causis cognitionem veritatis tenẽtes, quam Deus illis patefecit, rei facti sunt: quod cùm Deum cognouissent, non vt Deum glorificauerunt. Quocirca in eo, quòd Apostolus gentilium disciplinas perdiscere non vetuerit, cuiusque iudicio (modò ipse voluerit) eas imbibendi integram liberamq́; permisit potestatem. Sit itaque hæc vna ratio, ad id, quod nobis propositum est, explicata. Alteram accipitote, quæ ita se habet. Scripturæ diuinitùs inspiratæ admirabilia doctrinæ præcepta, vereq́ue diuina docent: eximiam pietatem, rectamq́; viuendi rationem in auditorum animis inserunt. Sacrosanctam fidem studiosis proponunt, artem autem differendi non tradunt, qua illis, qui

Gentilium eruditio quatenus Christianis periculosa.

Scripturæ sanctæ vtilitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aduersarij qua ratione facillimè expugnentur.

veritatem oppugnare moliuntur, possimus resistere: quandoquidem tum facilimè A expugnantur aduersarij, cum ipsorum armis contra illos vtimur. Verùm hæc facultas ex Apollinariorum scriptis hominibus Christianis minimè suppetebat. Atq; Iulianus Imperator in hanc rem aciem animi intendens, lege prohibuit, ne Christiani gentium doctrina erudirentur. Nam pro certo sciebat, fabulas quę apud gentiles scriptores sunt,

Socratis condemnatio.

eius quam tenebat opinionem reprehensioni facilè exposituras: quas quidem Socrates, philosophorum apud illos facilè princeps, improbans, perinde ac si dæmonia ipsorum delere laboraſſet, à iudicibus condemnatus est. Adde huc, quòd tum Christus, tum eius

2. Thes. 5.

Apostolus præcipit, vt exquisiti numularij simus, quò omnia exploremus: quod autem

Coloss. 2.

bonum sit, retineamus: attendamusque, ne quis nos per philosophiam & inanem fallaciam decipiat. Istud autem nobis neutiquam continget, nisi hostiū arma possideamus: inque possidendo, non eodem modo quo hostes simus affecti: sed reijciamus, quod malum est, quod autem bonum verumq;, teneamus, nihilq; admittamus, quod non sit ex-

Honestum veritatis proprium.

ploratum. Nam honestum, quocunque fuerit loco, est veritatis proprium. Quòd si quis nos ista vehementius vrgere censeat, consideret, Apostolum non modò non vetuisse, ne quis gentilium discat literas: sed illum ipsum videri non eas neglexisse, quo mul-

Gentilū scriptis etiam Paulus vsus. Tim. 1. 2. Cor. 15.

ta quæ à gentilibus dicta sunt cognosceret. Nā vnde quæso hoc sumpsit: Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri: nisi ex Epimenide poeta Cretensi? Aut vnde illud nouerat, Huius genus sumus: nisi Arati astronomi Phænomena perlegisset? Quinetiam illud, Corrumpunt bones mores colloquia praua: ostendit, illum tragœdiarum Euripidis non ignarum fuisse. Sed quid attinet de his sermonem longius producere?

Ecclesiæ doctores in gentilium disciplinis exercitati.

Nam constat doctores Ecclesiæ, velut ex consuetudine quadam minimè prohibita, ab ineunte adolescentia ad extremam vsque senectutem in gentilium disciplinis se exercuisse: idque partim diserti sermonis & mentis exercendę causa: partim vt eos ipsos scriptores doctrinæ, in qua tradenda errore lapsi sunt, penitùs conuincerent. Ista quidem propter Apollinarios hoc loco pro nostra facultate disseruimus.

Quo pacto, cum Imperator facturus contra Persas expeditionem, Antiochiam venisset, ac à populo ludibrio haberetur, orationem quæ Misopogon inscribitur, ad illos miserit.

B

CAP. XV.

Iulianus vrbi venalium precia imminuit.

IMperator, vbi ingentem pecuniæ summam à Christianis collegisset, contra Persas expeditionem maturans, Antiochiam, quæ in Syria est, properè contendit. Quò cum venisset, honoris studium, cuius æstu exardescebat, Antiochenis palàm facere cupiens, precia rerum venalium plus æquo imminuit, neque temporis vllam duxit rationem: neque animo complexus est, ingentem exercitum, vbicunque adsit, cùm prouincialib. damnum necessariò afferre, tum rerum ad vitam necessariarum abundantiam omnino absumere solere. Quamobrem propolæ & cauponæ, qui res vendebant ad victum

Vide Nicephor. li. 10. c. 27. Sozom. lib. 5. cap. 18.

Exercitu præsente verū precia augeri.

necessarias, cum damnum, quod illis ex edicto Imperatorio contingebat, tolerare non possent, à mercatura facienda destiterunt: vnde res ad vitam sustentandam accommodatæ vrbem defecêre. Itaque Antiocheni hanc ipsis inflictam plagam minimè ferentes

Antiochenorū in Iulianum scommata.

(sunt enim homines ad contumeliam faciendam valdè proiecti) nulla interposita mora, aduersus Imperatorem obuiam ire, contra eum grauiter vociferari, in eius barbam (erat enim barba spissa, promissaque) salsè illudere cœperunt: dixeruntque, eum ipsam debere tondere, & funes ex eadem conficere: quinetiam numisma eius taurum contiothers, qui mūdum cornibus expugnarit. Imperatorem enim, vtpote superstitione admodum obligatum, tauros ad simulachrorum aras creberrimè exsacrificasse constat: & ob

Iuliani barba in numisma.

eam ipsam causam iussisse, vt ara & taurus in ipsius numismate inciderētur. His dicterijs Imperator ad iram concitatus, minabatur se vrbem Antiochiā grauissimis affecturum incommodis. Inde Tarsum Ciliciæ se recipit. Vt verò primùm, quæ erant necessaria, ibi parari iusserat, ex ea ciuitate properè decedit. Ex qua re Libanius sophista an-

Libanii sophistæ orationes.

sam ad scribendum arripiens, tum orationem illam, quæ προσφωνητικὸς inscribitur, id est, qua Imperatorem pro Antiochenis exorauit: tum eam, quæ Oratio ad Antiochenos de ira Imperatoris aduersum illos dicitur, composuit. Fertur, Sophistam illum has quidem confecisse orationes, in vulgus tamen minimè protulisse: Imperatorem autem nō reipsa in eos, qui contumelijs ipsum affecerant, vindicando, sed dicteria solum retor-

Misopogon oratio.

quendo, iram suam posuisse. Nam oratione illa, quæ Antiochica, siue Misopogon, id est, odium barbæ inscribitur, ab ipso composita, ciuitati Antiochiæ contumeliæ † notas inusit ad perpetuitatem. Sed de his hactenus.

† Vide annot. pag. 214. fatil. lin. 19.

Quomodo

Quomodo Imperator cùm oraculum accipere voluisset, dæmonium, Babilam martyrem reuerituum, nihil respondit: & de Imperatoris ira, & Theodoro confessore.

CAPVT XVI.

Iulianus quibus iniurijs Antiochenos afficerit.

DEinceps de iniurijs, quibus Imperator id temporis Christianos Antiochiæ affecret, dicamus. Vbi templa gētilium, quæ erant Antiochiæ, aperiri mandauerat, oraculum ab Apolline qui in Daphne colebatur, accipere maturauit. Verùm cū dæmon qui in eo delubro habitabat, vicinum suum, Babilam martyrem videlicet, reformidās, nullum Imperatori responsum daret (loculus enim, quo corpus martyris tegebatur, erat in proximo) Imperator causa intellecta, loculum martyris quàm celerrimè inde transferri iubet. De qua re Christiani Antiochiæ certiores facti, vnà cum mulierib. & pueris exultantes gaudio, Psalmosq; canētes, loculum ex Daphne in vrbem Antiochiā transferunt. Psalmi aūt quos cecinēre, reprehensionē deorum gentiliū, & eorū qui in idola credebāt, cōplexi sunt. Tum quidē malum Imperatoris ingeniū, quod antea tanquā in abstruso delituerat, omnib. patefactū est. Nā qui dudum philosophiæ studiū professus fuerat, amplius se continere non poterat: sed Psalmis ad gentilium probrū decantatis ad iracundiā facilè prouocatus, constituit eadem tormentorū genera Christianis infligere, quæ iampridē Diocletianus illis inflixisset. Verùm cū ob expeditionem contra Persas susceptā tempus ad illud institutum minimè ipsi suppeteret, dat mandatum Sallustio prouinciæ præfecto, vt eos q illorum Psalmorum canendorum authores fuissent, ad supplicia rapiendos curaret. Præfectus verò tametsi erat religione gentilis, mādatum tamen illud exequendum inuito animo suscepit. Verùm cū refragari nō posset, cōplureis Christianos comprehendi, ac nonnullos eorū in carcerem concludi iubet. Vnum aūt adolescentulum, Theodorum nomine, ad eum à gentib. adductū, varijs tormentis supplicijsq; cruciari, totumq; illius corpus dilacerari mandat: illumq; iam tum tormentis eximi, cū non amplius in vita mansurum arbitraretur. Verùm Deus illum in integrum restituit. nam post illā fidei in tormentis confessionem, ad longinquū tempus in regionem reuocauit. Ruffinus, qui Latino sermone ecclesiasticā scripsit historiā, memorat se cū hoc Theodoro lōgo tempore pòst collocutū esse, eumq; rogasse, annon cū verberib. cæsus, tormentisque afflictatus esset, maximū sensisset dolorē: Illū respondisse, nō multum acerbitatis ex tormentis sibi accidisse: quendamque ei astitisse adolescentulum, & sudorem qui ex ea conflictatione exoriebatur, absterſisse: animum confirmasse: ipsumque tempus quo cruciabatur, voluptati potius quàm angori fuisse. Atque de Theodoro, adolescente cum primis admirando, ista dicta sint. Per idem tempus Persarum legati ad Imperatorem aduentauerunt, postulatum vt bellum palàm indiceret, denunciaretque. Ille eos remisit, hæc solum locutus: Me ipsum breui videbitis, & propterea legatos hac de re ad vos mittere non est opus.

Theodori martyris vita ortamentis propagata.

Ruffini testimonium.

Persarum legati ad Iulianum & Iuliani ad eos responsum.

Quòd Iudæos Imperator ad sacrificandum hortabatur, & de extremo Hierosolymorum excidio. CAP. XVII.

Vide Nicephor. li. 10. ca. 32. 33. Sozom. lib. 5. cap. 21.

POrrò autem, dum Christianos alio quodam modo diuexare contēderet, suam ipsius superstitionē quasi in oculis omnium ad intuendum defixit. Nā cum sacrificijs mactandis admodum delectaretur, non solum ipse ex eiusmodi sangui-

Iudæos nō alibi sacrificare quā Hierosolymis.

nis effusione cepit voluptatē: sed alijs, si idem ipsum non efficerent, mulctā irrogauit. At quoniam paucos admodum id genus homines reperiebat, Iudæos accersere, eosque scisciтāri cœpit, Quid esset causæ, cur cùm lex Mosaica eos sacrificare iuberet, à sacrificijs mactandis abstinerent? Cumque illi respondissent, non illis integrā esse potestatem huius obeundi muneris alio loco quàm Hierosolymis: præcepit, vt absque mora templum Salomonis de integro cōstrueretur. Qua re confecta, ad Persas ipse profectus est. Iudæi autem, qui opportunum tempus sibi dari iam diu exoptassent, in quo templum ipsis ad sacrificandum ædificaretur, tum ad illud opus maturandum omni cura & cogitatione incumbere, tum Christianis terrorē incutere, tum contra illos se insolēter efferre: tum denique minari cœperunt, se nō minora illis incōmoda illaturos, quā quæ ipsis olim à Romanis accidissent. Vbi verò Imperatoris mādato impensæ ad ea erant à publico ērario suppeditatę, omnia parabātur: vt ligna, lapides, lateres cocti, argilla, calx, aliaq; ad ædificium necessaria. Quo quidē tempore Cyrillo Hierosolymorū episcopo, illud Danielis prophetæ, quod etiā Christus in sanctis Euāgelijs confirmasset, multisq; prædixisset, venit in mentem, Iam tēpus aduentasse, quo lapis super lapidē nō maneret in templo, sed oraculū Seruatoris penitùs expleretur. Quæ cū episcopus dixisset, noctu ingens terræmotus excitatus, lapides veterū templi fundamentorum cōcussit, omnesq;

Iulianus templum Hierosolymitanum de integro cōstruere mandat.

Matth. 24.

Cyrilli vatici nium terræmotū confirmatū.

Rufinus de terræmotu loquitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prodigium diuinitus Iudæos terret.

vnà cum ædificijs in proximo sitis disturbatit. Ex qua re horror & formido Iudæos oc- A cupauit: famaque eius etiam illos, quorum domicilia inde longo interuallo distabant, ad locum contemplandum attraxit. Itaq; cũ quam plurimi adessent, aliud prodigium contigit. Ignis namque cælitùs demissus, omnia opificum instrumenta absumpsit. Et-

Iudæi etiam timore perculsi Christũ Deũ confessi.

enim licebat videre malleos, scalpra, serras, secures, ascias, denique omnia quæ opifices habebant ad opus perficiendum idonea, flammæ incendio vastata. Totum diem ignis istas res depastus est. Iudæi igitur grauissimo timore perculsi, etiam inuiti Christum Deum confessi sunt: non tamen eius voluntati gesserunt morem, sed opinione Iudaismi mentibus antecepta omnino tenebantur astricti. Nam tertium miraculum, quod pòst editum fuit, neutiquam illos ad fidem veritatis adduxit. Nocte enim sequenti effigies crucis radiorum lumine figuratæ, illorum vestimentis tanquam impressæ videbantur: quas cũ dies illucesceret contemplantes, & eluere delereq; cupiẽtes, nullo modo poterant. Quare obcæcati (vt est apud Apostolum) bonum quod erat illis in manib. abiecêre. Proinde templum eo tempore, pro ædificatione, maximã ruinam passum est.

Templum Salomonis pro ædificatione destructionem patitur.

2. Fabrorũ instrumenta ad ædificationem comparata cælesti ignis consumpta.

3. Crucis signũ Iudæorum vestibus impressum.

De Imperatoris in Persidem profectione, & eiusdem cæde.

CAPVT XVIII.

Persæ & Medi per hyemẽ imbelles.

IMperator quoniã acceperat, Persarum gentẽ tempore hyberno tum corporis virib. maximè imbecillam, tum animo abiectissimo esse (nã quia frigoris impatientes sint, eo tẽpore à bello abstinẽt. Imò Medus (vt est in prouerbio) hyeme ne manũ quidẽ extra pallium ponere audet. cùm etiam exploratũ haberet, Romanos hyeme in bello gerendo plurimum posse: paulo ante ver in Persidem inuadere, inq; eam regionẽ exercitum ducere cœpit. Itaq; primùm agros, vicos, castellaque populari: deinde vrbes occupare. Ac Ctesiphontem vrbẽ Persidis potẽtissimã obsidione cingens, adeò vehementer regem Persarum in ea oppugnare, vt crebros ad ipsum mitteret legatos, eiq; supplicaret, vti eum parte aliqua patriæ mulctaret, belloque restincto discederet. Iulianus neque cõmotus est animo, neq; supplices miseratus: imò ne illud quidem quod in prouerbij abijt consuetudinem (Vincere præclarum esse, ac supra modum vincere, inuidiosum) in memoriã reuocare voluit: sed diuinationum coniecturis, quas Maximus philosophus, qui cum eo versabatur, illi suggessisset, confisus, & inanibus somniorum visis persuasus, se Alexandri gloriam suis rebus gestis vel exæquaturum, vel potius superaturum, supplicum Persarum postulata reiecit: putauitque secundùm Pythagoræ Platonisque opinionem, ex migratione animorum ab vno corpore in alterum, animum Alexandri in ipsius corpus immigrasse: imò verò, se in altero corpore ipsum Alexandrum esse. Quæ quidem opinio illum in grauem induxit errorem, effecitque vt regis Persarum petitionem repudiaret. Rex igitur cùm intelligeret, legationem illam frustra susceptam, in permagnam adductus necessitatem, postridie eius diei quo legatio erat confecta, omnes suas copias cogere, contra exercitum Romanum in aciem prodire cœpit. Romani autem tametsi Imperatorem accusabant, quòd non cum lucro à prælio abstinuisset: tamen cum Persis, qui iam se ex aduerso opposuerant, confligere non recusarunt: hostes in fugam vertunt. Imperator equo insidens, prælio interfuit ille quidem, quo militum animos cõfirmaret: sed felicitatis suæ spe nimium fretus, inermis in aciem processit. Idcirco telum ex improuiso in eum coniectum, brachium traijciens, in latus infigitur: cuius ictu mortem obijt, cædis authore incognito. Nam alij memorant, eum ex Persa transfuga percussum: nõ. nulli, à milite quodam suijpsius exercitus: quæ fama multis in ore est. Verùm Callistus, satelles Imperatoris, qui eius res gestas carmine Heroico conscribit, bellum quoque id tempus confectum narrat, illum à dæmone transfixum interijsse commemorat. Quod quidem fortasse poetarum more confictum est: fortasse autem ita se habet. nam furias in nonnullos vindicasse constat. Verùm vtcunque exitus eius fuit, illud certè nemini obscurum est, eum propter impetum animi, quo præceps ferebatur, periculis expositũ: propter doctrinæ elegantiam, qua imbutus erat, inanis gloriæ sectatorem: propter animi modestiam, quam falsò præ se ferebat, ludibrio habitum. Hoc modo ad quartum eius consulatum, quem cum Sallustio gessit, sexto Calend. Iulij, in Persida, vt dixi, occubuit: m tertio anno sui imperij: septimo autem, posteaquam à Constantio Cæsar renunciatus fuisset: ætatis suæ trigesimoprimo.

Romanos in bello gerendo plurimũ hyeme posse. Ctesiphontis obsidio.

Vincere præclarum: ac supra modum vincere, inuidiosum

Maximus philosophus insti gator Iuliani.

Iulianus se Alexandrũ M. esse persuasus.

Iuliani cædes, deq; ea varium sententiæ. Callisti carmẽ de Iuliani rebus gestis.

Vide Nicephor. c. 34. & 35. lib. 10. Theodoret. lib. 3. c. 21. Sozom. lib. 6. cap. 1.

Eutropius Persicæ expeditioni interfuisse scribit, Ammianus interfectũ: Orosius vide locum dicto capite lib. 7.

m Orosius tribuit Imperio Iuliani annum vnum, menses 7. item Hieron. nisi quod quosdam asserat ei tribuere annos 2. menses 8. Sed hunc locum in Socrate corruptũ esse, cõuincit ipse Socrat. qui hunc lib. tertiũ ita claudit: Liber hic cõplectitur spacium duorum annorũ, mensiũ quinq;. Cùm igitur Iuliani & Iouiani res gestas complectatur: dæ ex hoc spacio septem menses Iouiano, & reliqui erunt Iuliano menses octo & annus vnus. Atque ita ex collisione locorum depravatorum exinnditur veritas, vt hoc loco apud Socratem legendum sit, occubuit secundo anno Imperij sui.

Iouiani Imperatoris creatio, & Libanij rhetoris refutatio. CAP. XIX.

Iouianus Imp. anno Christ. 367. Vide Nicephor. c. 38. lib. 10. Eutrop. ex iisdem lib. 10. Oroſiũ lib. 7. ca. 31. Ammianũ Marcelli. lib. 25. item Sextũ Aurel. Theodori. lib. 4. cap. 1. Sozom. li. 6. cap. 1. 3. † Vide annot. pag. 225. lat. 2. lin. 8.

MIlites verò, vtpote in dubijs reb. & valde perplexis constituti, postridie nulla interposita mora Iouianũ virum magno & excelso animo præditũ, Imperatorẽ declarant. Iste, cùm esset tribunus militũ, cumq; Iulianus militib. lege lata optionẽ daret, vel idolis sacrificandi, vel deserendi militiã: balteum deponere maluit, quã impium & nefandum Imperatoris edictũ exequi. Attamẽ Iulianus belli impendentis necessitate cõpulsus, eũ in ducũ numero retinuit. Iam verò Iouianus ad imperiũ delectus, illud repudiauit. Et cùm à militib. inuitus raperetur, clamauit, se, qui Christianus erat, nolle omnino hominũ gentilitatẽ profitentium imperium suscipere. At vbi oẽs vna voce cõfessi sunt, se esse Christianos, capessit Imperium. Et cũ in Persida derepentè in magnas esset adductus angustias, militesq; fame cõficerentur: pactis cũ rege Persarum inducijs, belli sinẽ fecit. Inducias verò, vt Romani quidẽ putabant, inhonestæ (Nã Syrorũ dominatu multatus, Nisibiq; ciuitate Mesopotamiæ Persis tradita, inde decessit) vt tẽporis autem postulabat opportunitas, necessariæ fuerunt. † Quib. rebus nunciatis, sicut Christianorũ animi Iuliam morte erant recreati: sic exercitus vniuersus improuidã eius & ardentem ferociã grauiter incusauit: causamque multæ, qua fines imperij coarctabantur, illi acceptã retulit. Nam à Persa quodam perfuga in fraudẽ inductus, nauigia, quibus per flumina frumentũ aduchi solebat, exusserat, & propterea fames oppressit exercitum. Eodẽ tempore Libanius sophista oration em, qua mortem defleuit Iuliani, cõposuit: eamq; Iulianum, siue funebrem inscripsit. In qua non modò omnes eius res gestas illo dicendi genere quo hominum laudes celebrantur, persecutus est: sed librorum etiam, quos contra Christianos ediderat, & quòd in illis Christianorũ scripta ridicula, nugisque referta demonstrauerat, mentionem fecit. Quòd si hic sophista alia Imperatoris acta duntaxat laudibus extulisset, tacitus ad reliquam historiam perrexisset: sed quoniam, dum librorum à Iuliano confectorum facit mentionem, vtpote disertus & grauis orator, in religionem Christianam acerbè inuehitur: ob eam causam de his rebus nos pauca dicere instituemus, ac primùm eius ipsius verba ponemus in medio. Hyeme, inquit, cùm noctes sunt paulo longiores, Imperator libros illos, qui hominem à Palæstina oriundum, Deum & Dei filium esse cõfirmant, diligenter euoluens, longa disputatione & firmis argumentis conuincebat esse ridiculos: religionemque ab illis excultam, & magno in honore habitam, nugis redundare: & se in illis * Tyrio illo sene sapientiorem ostendit. Igitur Tyrius ille sit animo placato, & dicẽdi facultate superatus, æquo animo ferat, quod sit in eum dictũ à * filio. Ista sunt verba ipsius sophistæ Libanij. equidẽ eum sophistã facile præstantissimum dico: certoq; scio, si nõ cũ Imperatore in religione cõsensisset, omnia dicturũ fuisse, quę Christiani dicunt: & quæ ab illis dicuntur (vti verisimile est) summis præconijs, vtpote sophistam, illustraturum. † Nã Constantium, dum vixit, suis scriptis laudauit: cùm aũt mortẽ oppetiuisset, in eum contumelias, easq; criminosas iecit. Quare si Porphyrius Imperator fuisset, eum eius libros Iuliani libris antepositum fuisse: & si Iulianus fuisset sophista, malum sophistam (sicut de Ecebolo scripsit in oratione funebri, quam in Iulianum composuit) appellasse. Itaque cùm ille, vt eiusdem religionis cum Imperatore, vt sophista, vt eius amicus, quæ ei videbantur, prosecutus sit: nos etiam ad ea quæ ab illo scriptis prodita sunt, pro virili respõdeamus. Primùm ait, illum hyeme, cùm noctes essent paulò prolixiores, operam in libris Christianorum euoluendis posuisse. Operam posuisse hoc loco significat, laborem in scribendo ad hominum vituperationem suscepisse: sicut sophistis in more positum est, cùm adolescentulos ad suam artem perdiscendam alliciunt. Nam olim libros illos legerat ille quidem, sed tum in ipsos acriter incubuit, & longa disputatione laborauit, non (vt ait Libanius) firmis argumentis, sed infirmis (quippe quæ essent à veritate aliena) ea quæ sua ipsorũ vi satis munita erant, tanquam scurra refellere. Nam quisq; cum altero in certamen descendens, interdum veritatem peruertendo, interdum eandẽ occultando, eũ contra quẽ dimicatio suscipitur, fallere contendit. Et quicunq; odiũ contra alterũ conceperit, omnia instar hostis nõ facere solum, sed etiã dicere summa ope nititur: atq; adeò ea mala, quib. cum ipse conflictatur, in illum contra quẽ exercet inimicitias, deriuare studet. Vtrumq; verò, tum Iulianum, tum Porphyrium (quem senem Tyrium vocat) scurram fuisse, sui ipsorum libri conuincunt. Nam Porphyrius vitã Socratis, philosophorum facilè principis, in libro quẽ de Reb. gestis philosophorum composuit, grauiter perstringit, taliaq; cõuicia in eum iterarum monumentis mandauit ad posteritatẽ, qualia nec Melitus nec Anytus, qui eũdem olim accusauerant, vnquam contra illum dicere aggressi sunt. Illum autem Socratem,

Iouianus Christianus à militibus Imperator declaratur.

Iouianus Imperium repudiat.

Iouiani cum Persarum rege inducię.

Libanij sophistæ Iuliani nus funebris oratio in laudem Iuliani.

Iuliani libri. Libanij calumnię in contumeliam Christi & honorẽ Iuliani apostatæ de huius libris effusæ.

* Porphyrio. * Iuliano.

Libanij leuitas ac vanitas

Ecebolio sic legit Niceph. li. 10. cap. 36.

Libanij calumnijs respondet Socrates.

Operã ponere.

Sophistarum mos.

Iulianus & Porphyrius, vterq; scurra: Porphyrij in Socratem conuicia. Socrates

Universidad de Deusto
Biblioteca

cratem intelligo,quem gentiles propter temperantiam,iusticiam, aliasq; virtutes sum- A
mè admirantur:quem Plato excellentissimus apud illos philosophus, quē Xenophon,
quem reliquus denique philosophorum cœtus, non solum vt pium, se vt vnum qui
supra hominem putandus est,suspicit ac veneratur.Iulianus verò [a] patris vestigijs sedu
lò insistens,vitiosam illam animi sui,qua laborabat,perturbationem(dum omnes Im-
peratores ac Cæsares qui eius ætatem antegrediebantur, maledictis figere non dubita-
ret)omnibus patefecit:adeò, vt ne Marco quidem philosopho omnino pepercerit. Cæ-
terùm vtrunque,& Porphyrium,& Iulianum scurram fuisse,sua ipsorum scripta indi-
cio sunt. Nec mihi ad hanc rem confirmandam multis aut grauibus argumentis opus
est: sed ista satis esse poterunt,ad eorum ingenia omnium oculis subijcienda, quæ qui-
dem coniecturis nixus,literis prodere instituo. At quæ Gregorius Nazianzenus de Iu-
liano memorarit,iam ex ipsius verbis perdiscamus. † In secunda namque oratione cō- "
tra Gentiles,sic ferè scribit: Istarum quidem rerum tametsi cùm experientia,tum prin- "
cipatus authoritatem nactus,alijs fidem fecit:mihi tamen iam olim quodammodo ex "
eo tempore præuidebantur, quo cū homine Athenis versatus sum. Nam Imperatore "
de ipsius profectione exorato,eò tum venit, † cùm iam frater eius Gallus nouas res cō- "
tra Imperatorem molitus fuerat. Duæ causæ eius Athenas profectionis fuêre.altera "
multo honestior:vti Græciam,& scholas quæ ibi erant,peruideret.altera,quæ magis in "
occulto erat,& perpaucis cognita fuit:nimirum,vt cū sacrificis & deceptoribus sermo "
nes de rebus suis conferret: quippe cum eiusmodi impietatis palàm exercendæ nondū "
libera esset potestas concessa. Atqui tum ipse equidem in coniectura de illo facienda "
(tametsi in eorum numero non sum, qui in hoc genere plurimum possunt)non mul- "
tum planè aberraui:sed indolis eius inconstantia,& nimia mentis alienatio,me vatem "
sat bonū reddidit.Nam vt quisq; rectissimè cōijcit,ita optimus vates haberi solet. Nul- "
lum in eo indicium boni viri mihi videbar videre. Nam ceruix instabilis fuit:humeri "
vibrantes & prærupti:oculi volubiles,vagiq;:obtutus insanus: pedes lubrici,& claudi- "
cantis similes: nares contumeliam & contemptū spirantes: habitus oris,vultusq; ridi- "
culus:idē ipsum indicarunt risus profusi,& cachinnus,redūdantes:annuēdi renuendiq; "
absque vlla ratione consuetudo:sermo incitatus, & spiritu interruptus:rogata teme- "
raria,& insulsa:responsa his nihilo meliora,quæ ipsa se crebra insequebantur, quæque B
vt parum sibi constantia,sic nullo doctrinæ ordine fuêre proposita. Sed quid attinet "
singula scribendo persequi? Talem profectò eum ante rerum gerendarū susceptionem "
perspexi fore,qualem in eisdem gerendis postea cognoui. Atque si aliqui eorum qui tū "
mecum versabantur, eademque me loquentem audiebant,iam adessent, non inuiti "
quidem mihi testes huius rei esse vellent: quibus certè, cùm ista præuiderem, statim "
hæc proferebam verba: O`, quale malum Romanum alit Imperium. Quæ cùm præ- "
dixissem, optabam me falsum de eo vatem comperiri. Nam longè melius fuisset,quā "
vt orbis terrarum tot tantisque malis abundaret, taleque monstrum inter homines "
appareret, quale nunquam antea extitisset:idque,cùm multæ aquarum inundationes, "
quæ sunt crebro hominum sermone vsurpatæ, multaque incendia, terræ item con- "
quassationes & hiatus acciderent: quinetiam cùm homines ipsa forma ab alijs homi- "
nibus penitùs dispari, belluina & ex varijs naturis composita nascerentur. Verùm "
eum habuit exitum,quem eius amentia meritò postulauit. Ista à Gregorio,de Iuliano "
sunt commemorata. Quoniam autem multis verbis contra Christianos temere pro-
fusis, Porphyrius & Iulianus, tum nonnulla Sacrarum literarum loca peruertendo,
† tum alia inter se conciliando, tum omnia ad suum institutum accommodando,
vim veritati facere conati sunt: quanquam non pauci se illis ex aduerso opposuerunt,
fallacesque eorum conclusiunculas euertere refutareque laborarunt: præter cæteros
tamen Origenes,qui Iuliani ætatem longo tempore anteiuit, sacræ Scripturæ loca,que
legentium animos videbantur multum conturbare, sibi ipse obijcere, eaque explicare
contendit, & captiosas improborum ineptias inanitatesque diluere. Quæ quidem si Iu-
lianus & Porphyrius diligenter perlegissent, non modò libentibus animis ea appro-
bassent: verùm etiam omnem suam dicendi facultatem omnino ad alias res conuer-
tissent,& nunquam animos ad fallaces captiones blasphemijs contra Deum refertas,
conscribendas appulissent. Imperatorem verò apud rudes & imperitos rerum,nō au-
tem apud eos qui expressam veritatis effigiē ex sacris Scripturis arripuissent, hoc modo
cauillatū esse,hinc perspicuum est. Nam cū multa verba,quæ in Dei œconomia expla-
nanda,cōmuni loquendi consuetudine,& populari,necessariò ponūtur,ex Sacris excer
pisset literis,eaq; in vnū collegisset,ad extremū adiecit ista:Certè locorū istorū singula,
nisi sermo ipse arcanam quandam intelligentiam (quod equidem facilè existimare pos-

[a] Porphyrij Iuliani in Cæsares cōuicia.

Marcus philosophus.

Iulianus scurra.

Gregorij Nazianz. de Iuliano sentētia.

Iulianus cur Athenas profectus.

† Vide an. not. pag. 226. lat. 1. lin. 14.

† Vide ibi. de lin. 17.

† Vide an. not. pag. 226. lat. 1. lin. 13.

Vates optimus quis.

Iuliani physiognomia.

Origenes anci pites Scripturæ Sacræ locos ita direxit & explicuit, vt qui nolit ipse, errare in his non possit.

Greg. Nazianzeni de Iuliano vaticiniū.

A possum)complectantur,quod ad ipsa verba attinet,multas contra Deum blasphemias
» continent.Hæc quidem sunt ab eo in tertio libro Operis sui quod contra Christianos
edidit,totidem verbis disputata.In illo autem libro quem Cynismum inscripsit, dum
docere instituit,quatenus fabulæ sacræ sint effingendæ,ait,veritatem in eiusmodi rebus
» occultandam esse,hisque vtitur verbis: Natura auet in abstruso latêre,occultaque deo-
» rum essentia non patitur se planis & apertis verbis,impuris hominum auribus inculca-
ri.Quare Imperator, vti ex his constare poterit, videtur eam de sacris diuinisque Scri-
pturis habere opinionē: ille quidem,quòd illarum sermones mystici sint,quodque ar-
canam quandam intelligentiam complectantur: sed ægrè propterea fert, quòd non o-
mnes eandem de illis opinionem concipiant:inque eos Christianos insultat, qui sim-
pliciter carum oracula accipiunt. At verò,neque vulgi simplicitatem tantoperè insec-
tari debuisset,neque illius gratia in Sacras literas tanta insolentia inuehi: neque pro-
pterea eas odisse,atque adeò sensus sententiasque præclaras in illis comprehensas dete-
stari,quòd non omnes eas pro eius arbitrio intelligant. Iam verò, vt videtur,idem illi
accidit, quod Porphyrio. Nam iste Cæsareæ Palæstinæ à quibusdam Christianis re-
prehensus, cùm præ graui, qua ardebat, iracundia illud ferre non posset, religionem
Christianam deseruit: & præ odio illorum qui ipsum coarguerant, ad libros conscri-
bendos, quibus Christianos maledicè & contumeliosè perstringeret, præceps ruit:sic-
ut ex illis Eusebij Pamphili scriptis constat,quibus eius libros penitùs refutauit. Impe-
rator verò, apud imperitos insolenter contra Christianos se iactans, eadem animi
perturbatione incitatus, ad Porphyrij blasphemiam deflexit. Quocirca vterque sua
sponte ad impietatem prolapsus,& sibi sui erroris conscius, debitas pœnas persoluit.
Porrò autem,cùm Libanius sophista Christianos falsè irrideat his verbis(Hominem
ex Palæstina oriundum Deum Deiquefilium faciunt)mihi videtur penitùs oblitus,se
in extrema oratione sua, Iulianum in deos retulisse, ad hunc modum: Primùm, in-
quit,mortis illius nuncium,parum aberat quin lapidibus obruissent, tanquam contra
Deum mentitum. Deinde paulò longius progressus: O` dæmonum(inquit) alumne,
dæmonum discipule, dæmonum denique assessor. Quanquam ille aliter ista intelli-
gebat, tamen cùm nomen ambiguum,quo etiam diabolus significatur,non vitaret,ea-
B dem visus est dicere,quæ Christiani in probris obiectandis dicere consueuerunt. Qua-
re si ad quenquam laudibus ornandum omni studio incubuisset, nomen ambiguum
vitare eo modo debuisset,quo aliam vitauit vocem: quam quidem,cùm esset ob eam
reprehensus, à suis libris prorsus deleuit.Quo modo autem homo in Christo Deus sit,
quo modo tum homo in aperto sit, tum Deus in obscuro, quo modo denique hæc v-
traque vera sint, diuini Christianorum libri ostendunt:Gentiles verò,antequā credāt,
Esai. 9. intelligere nō possunt.Nam verū est illud prophetæ oraculū: Si nō crediderit is,nō in-
telligetis.Quocirca illos nō pudet,homines cōplureis in deorū numerū referre. Atq; v-
tinā eos solū qui morū probitate præstant, qui iusti,q temperati sunt: ac nō illos potius
qui impuri,qui iniusti sunt, quiq; ebrietati se totos dedūt: Hercules illos dico, Bacchos,
Aesculapios:per quos Libanius in suis libris creberrimè iurare non erubescit: quorum
amores masculos & fœmineos,si enumerare conarer,lōge ab instituto esset mihi digre
diendum. Verū his qui studio istarum rerum cognoscendarū ducuntur, satisfaciet A-
ristotelis peplus, Dionysij corona,[a] Rhegini polymnemō,& turba poetarū: qui quidem
de istis scribunt,ineptias planè ridiculas & inanitatem theologiæ [b] gentilis, omni-
bus proponunt ad contemplandum. De illo autem, quòd gentilium proprium sit, ho-
mines facilè in deos reponere,libet paucis disserere. Rhodijs,cùm in calamitatem for-
tè incideret, datum est oraculum, vt Attin Phrygium sacerdotē, vesanorum in Phry-
gia mysteriorum cultu & veneratione prosequerentur. Quod quidem ita in se habet:

† *Vuifero Baccho,puroque æquatus Adoni,*
Inclytus æternos sibi vendicet Attis honores.

Oraculum verò Attin, qui præ amore insano se ipse execuerat, Adonin & Bacchum
vocat.Porrò Alexandro Macedonum regi in Asiam proficiscenti, Amphyctiones do-
† Vide ibi de lin. 16. na attulerunt,deque illo Pythia istud edidit oraculum:

† *Thure Iouem placate,sacris ornate Mineruam,*
Atq; potens fragili tectum sub imagine numen:
Numen Alexandrum, tremulis qui missus ab astris
Huc venit,effrenem compescere legibus orbem.

Ista verba dæmon, qui in Pythiæ pectore habitabat, de Alexandro fudit.Idem
oraculum, quò viris præpotentibus assentaretur, eos retulit in deos: & fortasse hoc
etiam de Alexandro adulandi gratia responsum dedit. Quid Cleomedem pugilem
com-

[a] Rhegini Polymnemon.

[b] Gentilium proprium, homines in deos referre.

Iuliani Cynismus.

Iuliani sententia de natura ac Deo.

Aristotelis peplus.

Dionysij corona.

Porphyrius cur aduersus Christianos scripserit.

Libri Eusebij Pamphili aduersus Porphyrium.

Libanius Christianos quibus verbis irrideat.

Dæmonum, vox ambigua, modò in bonā, modò in malā partem accipitur.

Oracula diuina non prius intelligi, quam fuerint credita.

Attis in deos relatus.

De Alexandro oraculum.

commemorem? de quo, vti Deus consecraretur, istud oraculum edidit:

De Cleomede oraculum.

† *Fama Cleomedis viuat Cleomede sepulto,*
Illi thuricremis fument altaria donis.

Oenomaus philosophus.

Ob quod oraculum Diogenes Cynicus, & Oenomaus philosophus, Pythium Apollinem condemnarunt. Cyziceni etiam, Adrianum decimumtertium deum appellarsit:

Antinous Adriani amasio.

Adrianusque ipse Antinoum, suas delicias, in deos reposuit. Atque istas ridiculas ineptias, & meras nugas, ne nominare quidem voluit Libanius. Quinetiam, quamuis cùm

Adriæ libellus de vita Alexandri.

oracula, tum seperatum libellum, quem Adrias de vita Alexandri conscripsit, euoluisset: tamen nihil illum pudebat, ipsum etiam Porphyrium in deorum numerum ascribere. Sit enim, inquit, Tyrius ille senex propitius mihi, qui libros Imperatoris, eius libris

Porphyrius à Libanio in deos relatus.

antepono. Verùm hæc quidem, quo sophistæ conuicijs responderemus, satis prolixo sermone præter institutum sumus prosecuti: quæ quoniã seperata tractatione egent, missa facienda ducimus. Nos igitur ad reliquam pergamus historiam.

Vide Nicephor. Gr. lib. 10.

Quòd ad Iouianum vndique episcopi concurrebant, singuli sperantes eum ad fidem suam se traducturos. CAPVT XX.

Iouianus Constantialis fidei assertor.

IMperatore Iouiano ex Perside reuerso, tumultus in ecclesijs de integro excitatus est. Episcopi autem, dum singuli Imperatorem suæ ipsorum fidei assensurum expectarent, alius alium præuertere contenderunt. Imperator, quoniam perpetuò fidei Constantialis adhæserat, omnibus respondet, se eam prælaturum: perque literas Athanasium Alexandriæ episcopum bono animo esse iubet. Qui statim post occasum Iulia-

Athanasius ecclesia Alexandriæ rursum potitus.

ni, ecclesia Alexandriæ denuò potitus est. Quo quidem tempore literis cõfirmatus Imperatoris, omni penitùs metu liberatus est. Porrò Imperator episcopos à Cõstantio relegatos, & à Iuliano nondum suis ipsorum sedibus restitutos, reuocauit. Sub idem tem-

Episcopi ab exilio reuocati.

pus omnia gentilium delubra occlusa fuêre: gentiles ipsi alij alijs in locis se occultare: qui autem pallia gestabant, pallia deponere, & communi vsitatoque habitu vti cœperunt. Cruenta illa & scelerata sacrificia, quorum labe se palàm contaminabant, & quibus regnante Iuliano se exaturauerant, omnino fuêre sublata.

Gentilium tẽpla clausa, sublata idolorum sacrificia.

Quòd qui Macedonij sententiam propugnabant, & qui Antiochiæ conuenerant, Acacij fautores, Nicænam fidem corroborauerunt. CAP. XXI. B

VErùm Christianorum res non adhuc pacatæ tranquilleque fuerunt. Nam qui diuersæ religionis factionibus præerant, Imperatorem adeunt, rati sibi liberam ab eo potestatem permitti, contra aduersarios pro arbitratu dimicandi. Ac primùm qui

Macedoniani libellum Imperatori offerũt.

Macedoniani appellabantur, libellum illi offerunt, postulantque, vt qui filium patri dissimilem asseuerabant, ij ab Ecclesia eijcerentur, ipsique in eorum sufficerentur loca. Huius verò supplicis libelli authores fuêre, Basilius, Ancyrę episcopus: Syluanus, Tarsi: Sophronius, Pompeiopolis: Pasinicus, Zenorum: Comanorum, Leontius: Callicrates,

Iouiani elegans responsũ contentiosis episcopis datũ.

Claudiopolis: Castabalorum denique, Theophilus. Imperator accepto eorum libello, ipsos absque responso dimisit, hæc verba duntaxat locutus: Ego contentionem odio prosequor: eos qui concordiæ dediti sunt, complector amore, venerorque. Quæ cùm ad aures aliorum peruenirent, ferociam illorum, qui contendendi studio flagrabant,

Acacianorum mores patefacti.

permulsere. Quæ res Imperatoris cessit ex sententia. Præterea eodem tempore cùm Acacianorum mores, qui ad contentionem erant valde procliues, patefacti fuerunt: tum quàm illud ipsum hominum genus ad Imperatorum voluntatibus satisfaciendum se

Acaciani & Macedoniani fidem Nicænã de consubstantiali cur amplectantur.

semper comparasset, satis perspicuè intellectum. Nam hi Antiochiæ, quæ est in Syria, in vnum coacti, cum Meletio, qui paulò antè se ab eorum communione segregauerat, fideique assenserat Consubstantialis, in colloquium veniunt. Quod propterea ab illis factum fuit, quia eum in magno honore esse apud Imperatorem, qui tum ibi erat, animaduerterent. Illi igitur communi consensu libellum componere: Consubstantiali

Macedonianorum & Acacianorum libellus.

assentiri: fidem concilij Nicæni ratam facere: libellum denique Imperatori offerre instituunt, qui his verbis perscriptus fuit.

SANCTISSIMO, DEOQVE CHARISSIMO DOMINO NOSTRO
Iouiano victori, Augusto, Concilium episcoporum Antiochiæ, in vnum ex varijs prouincijs conuocatorum, S.

Acacianorum epistola, ex synodo Antiochena ad Iouianũ missa.

Tuam pietatem, Imperator sanctissime, cum primis laborare, vt Ecclesiæ pax & concordia stabiliatur, nobis exploratum est. Neque sumus nescij, te sapienter considerasse, formam veræ & orthodoxæ fidei ad hanc concordiam confirmandam valere maximè. Idcirco, ne in eorum numero, qui doctrinam veritatis adulterare student, habeamur:

Abeamur; visum est tuæ prudentiæ significare, quod fidem sancti Concilij iam olim Ni-
» cææ congregati & approbemus, & teneamus: quandoquidem vocabulum Consubstan-
» tialis, quod quibusdam videtur parum rectè in ea positum, est probè à patribus, com-
» modaq; interpretatione explanatum: quæ quidem interpretatio ostendit, filium ex pa-
» tris substantia genitum, patri secundum substantiam similem: & neque affectionem vl
» lam in eius inexplicabili generatione debere intelligi: neq; vocabulum Substantię apud
» sanctos patres ad consuetudinem Græci sermonis capi, sed ab illis poni ad euertendum
» illud pestiferum dogma, Christum scilicet ex nihilo ortum esse, ab Ario impiè introdu
» ctum: quod etiam isti Anomiani, id est, qui filium patri dissimilem statuunt, nuper ex-
» orti, multo audacius impudentiusq; ad Ecclesiæ concordiam labefactandam asseuerãt.
» Quamobrem exemplar fidei ab episcopis Nicææ coactis expositæ (quam sanè vehemen
» ter amplectimur) his literis, quibus animorum nostrorum sententiam tibi declaraui-
» mus, subiungere placuit. Est enim plenum eruditionis & doctrinæ, seq; habet ad hunc
» modum: Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, & quæ sequuntur.

Consubstãtialis vox approbata & explicata.

Anomiani.

Fidei Nicanæ exemplar.

Episcoporum subscriptio.

EGO Meletius episcopus Antiochiæ, ea quæ supra scripta sunt, fateor me approbare. Ego Eusebius Samosatæ episcopus, eodem modo. Euagrius item, Siculus: Vranius, Apameæ: Larizeorum, Zoilus: Acacius, Cæsareæ: Antipater, Rossi: Abramius, Vrimorũ: Aristonicus, Seleucobeli: Barlamenus, Pergami: Vranius, Melitinæ: Magnus, Chalcedonis: Eutychius, Eleutezopolis: Isacocis, Armeniæ maioris: Titus, Bostrorum: Sipporum, Petrus: Pelagius, Laodiceæ: Arabianus, Antri: Piso, Adanorum, per Lamydrionẽ presbyterum: Sabinianus, Zeugmatis: Athanasius, Ancyræ, per Orphitum & Atetium presbyteros: Irenio, Gazæ: Piso, Augustæ: Patricius, Palti, per Lamyrionem presbyterũ: Anatolius, Berœensium: Theotimus, Arabum: Lucianus denique, Arcorum episcopus. Hunc libellum in Sabini libro, qui Collectio rerum in Concilijs actarum inscribitur, inuenimus. Imperator verò, qui apud animum suum proposuerat blanditijs & persuasionibus dissentientium lites dirimere, respondit, se nemini quidem, qualemcunq; fidem amplexãti, molestiam exhibiturum: sed eos præter cæteros beneuolentia & honore prosecuturum, qui Ecclesiæ ad concordiam adducendæ authores se ostenderent. Hæcq; ab eo ad hunc modum gesta esse, Themistius philosophus commemorat. nam in ea oratione, quæ Consularis inscribitur, quam de eo conscripsit, eum propterea magnis ornat laudibus, quòd potestate cuique pro arbitratu hãc vel illam religionem profitendi permissa, assentatorum mores prorsus refutasset. Quod hominum genus admodum facetè perstringens, dixit, nemini obscurum esse, eos non Deum, sed purpuram coluisse: eurip oq; admodum similes esse, qui modò in hanc, modò in illam partem præcipitatur.

Sabini liber de Concilijs. Iouianus Religionis libertatem omnib. permittit & pacem promouentibus bene uolentiã promittit. Themistius philosophus. Assentatores Euripo similes

Sabini liber de Concilijs.

Apotheosis Iouiani in assentatores.

De Iouiani Imperatoris morte. CAP. XXII.

IMperator autem, vbi hoc pacto impetum eorum, qui tum contentionis studio incendebantur, penitùs represserat, ocyus Antiochia decedens, Tharsum Ciliciæ petit: ibiq; corpus Iuliani, cum eius funeri iusta soluisset, sepulchro condit. Quo facto, ipse Consul renunciatur. Tum Constantinopolim ire properans, ad locum quendam, qui Dadastana nuncupatur, quiq; inter Galatiam & Bithyniam medius interiectus est, aduentat. Ibi Themistius philosophus, cum alijs ordinis senatorij virisilli obuiam factus, orationem suam Consularem coram illo recitauit. Quam quidẽ posteà etiam Cõstantinopoli pronunciauit coram populi multitudine. Certè prosperè & feliciter cum Imperio Romano actum fuisset, statusq; cùm populi, tum ecclesiarum propter tam bonum principem admodum floruisset, si nõ repentina mors illum à Republica gerenda abstulisset. Nam in loco quem diximus, tempore hyberno, obstructione quadam lethali oppressus exiuit è vita, illo ipso & Varoniano filio suo Coss. decimotertio Kalend. Martij. Septem menses regnauit: vixit autem annos triginta tres. Liber hic complectitur spacium duorum annorum: mensium verò quinque.

Iouianus Tulianum Tharsi sepelit.

Dadastana.

Iouiani obitus

TERTII LIBRI FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SOCRATIS SCHOLASTICI HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, LIBER QVARTVS.

A Valentinianus & Valens Imppan. anno Christi 364.

Hic liber Quartus complectitur Historiam annorum 14. quibus imperarunt Valentinianus & Valens: huc refer vitam Pontif. Roman. Damasi. & tomos Concil. & Hæres. Item Oros. libr. 7. cap. 32. 33. S. Aurel. Victorem, Amm. Marcellinum lib. 26. 27. 28. 29. 30. 31. Rerum Rom. libr. 12.

Quòd mortuo Iouiano Valentinianus Imperator eligitur: qui in Imperij partem, Valentem fratrem assumit: & quòd Valentinianus recta sanâq; fide præditus erat, Valens autem Ariana labe infectus.

CAPVT I.

Valētinianus Imp. declaratur.

CVM Imperator Iouianus in Dadastanis, vti diximus, ad suum ipsius & Varoniani filij sui consulatum, decimotertio Kalend. Martij è vita migrasset: milites ex Galatia decedentes, septimo pòst die Nicæam Bithyniæ veniunt: omnesque vna voce Valentinianum, ad quintum Kalend. Martij, illo ipso Cos. Imperatorem declarant. Hic genere Pannonius fuit, è ciuitate Cibale ortus. Qui rem tractare aggressus militarem, sein ea facilè peritissimum ostendit. Vir magno & excelso animo præditus fuit: amplioremque dignitatis gradum, quàm in quo erat locatus, semper promereri visus est. Qui, simulatque fuit Imperator creatus, Constantinopolim absque mora contendit: ac triginta diebus post suam creationem, fratrem Valentem socium sibi adiungit Imperij. Et quanquam ambo erant Christiani, de fide tamen religionis Christianæ inter ipsos dissensere. nam Valentinianus fidem concilij Nicæni est amplexatus: Valens autē opinione quadam animo præcepta inductus, dogmati Ariano mordicùs adhæsit. Quæ quidem opinio propterea eius animum præoccupauerat, quòd fuerat ab Eudoxio Constantinopoli Arianæ sectæ episcopo baptizatus. Verque fidei, quam coluit, permagno studio exarsit: sed tamen cum Imperatores essent iam creati, moribus & vitæ consuetudine valde fuêre dissimiles. Nam tametsi anteà, regnante Iuliano, cum alter tribunus militum esset, Valentinianum dico: alter ex numero satellitum, qui Imperatori domestici erant, & familiares, nempè Valens, perspicuè declarabant, quàm ardenti religionis studio vterque illorū inflammaretur (cùm enim ad sacrificandum impellerentur, balteos militares deponere maluerunt, quàm fidem Christianam deserere: quorum neutrum Imperator Iulianus, quoniam eos tales homines esse intelligeret, quales Reipub. plurimùm possent commodare, de militaris honoris gradu deiecit: quemadmodum neque Iouianum, qui illi successit in Imperio) tamen postea Imperij gubernacula adepti, licet in initio regni sui in Reipub. commodis diligenter prospiciendo similes ac pares inter se essent, in Religione Christiana (vt dixi) admodum discordare, & disparem modum aduersum Christianos exercere cœperunt. Valentinianus enim vt suæ fidei & opinionis fautores amplexabatur, sic Arianis nihil facessebat molestiæ: Valens autem, non modò Arianorum numerum augere laborauit, verùm etiam doctrinam contrariam amplectentes (sicut postea à nobis dicetur apertius) grauibus affecit supplicijs. Per idem tempus, ecclesiæ Romanæ Liberius fuit episcopus. Alexandriæ quidem Athanasius, illi ecclesiæ parti, quæ fidem tenebat Consubstantialis, præfuit: alteri autem, quæ doctrinæ Arianæ addicta fuit, Lucius, quem post Georgium Ariani suum constituerant episcopum. Arianorum qui Antiochiæ erant, episcopus fuit Euzoius. Qui autem fidem Consubstantialis tuebantur, erant in duas partes diuisi: quarum alteri Paulinus, Meletius alteri præficiebatur. Hierosolymorum Cyrillus fuit episcopus: Constantinopoli Eudoxius ecclesiarum gubernatione potiebatur, Arijque docebat opinionem. Qui autem fidem Consubstantialis propugnabant, in ædicula quadam intra ciuitatem conuentus celebrarunt. Qui verò sectam Macedonianam sequebantur, & in Seleucia cum Acacianis dissentiebant, ecclesias suas in singulis ciuitatibus tenuerunt Hoc in loco res Ecclesiæ id temporis fuêre.

Valētinianus fratrem Valētem socium sibi adiungit Imperij.

Valens, Arianus.

Valētinianus & Valens moribus & vitæ consuetudine dissimiles.

Magistratus virum declarat.

Episcopi ea ætate præcipui. Liberius Ro. episc. Lucius.

Euzoius. Paulinus. Meletius. Cyrillus. Eudoxius.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 3. Oros. lib. 7. cap. 33. Sozo. li. 6. cap. 6. Theodor. lib. 4. cap. 11. 12. 13.

Vide Niceph. lib. 11. cap. 2. Oros. lib. 7. cap. 32. Vide Theodoretū lib. 4. cap. 3. Sozo. lib. 6. cap. 6.

Quòd, dum in Occidente ageret Valentinianus, adeunt Constantinopoli Valentem Macedoniani: quibus, vti concilium fieret, ab eo contendentibus annuit: & quòd Consubstantiale Valens impugnarit.

CAP. II.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 3. Oros. lib. 7. cap. 33. Sozo. li. 6. cap. 6. Theodor. lib. 4. cap. 11. 12. 13.

IMperator Valentinianus ad partes versus Occidentem (cura enim de rebus ibi gerendis susceptā illum eò pertraxit) proficisci maturat. Valentem autem Constantinopoli ad tempus commorantem, episcopi complures sectæ Macedonianæ adeunt, postulantque vt alterum Concilium ad rectā de fide decisionem faciendam conuocaretur. Imperator, quoniam illos cum Acacio & Eudoxio de religione consentire putabat, concilij cogendi illis fecit potestatem. Illi Lampsaci concilium congregare properant. Valens omni festinatione Antiochiam Syriæ contendit: veritus ne Persę ruptis triginta annorum fœderibus, quę regnante Iouiano pacti fuerant, in fines Romanorum irruptionem facerent. Verùm à Persis nihil turbatū est. Imperator igitur in ocio & tranquillitate constitutus, in eos qui fidei Consubstantialis adhærescebant, grauissimam persecutionis procellam excitauit. Et quanquam Paulinum episcopum, propter eximiam eius pietatem, nullo affecit incommodo, Meletiū tamen exilio multauit. Alios verò, qui cum Euzoio communicare renuebant, ecclesijs, quæ erant Antiochiæ, exegit: mulctis, supplicijsque varijs afflictauit. Fertur etiam, illum complures in Orōtem fluuium, qui vrbem illam prę terlabitur, demersisse.

Valētinianus occidentem regit. Valens Orientem.

Lampsaci concilium congregatur.

Consubstantiale à Valēte impugnatum.

Meletij exilium.

Quòd, cum Valens eos, qui Consubstantiale tuebantur, in Oriente persequeretur, Constantinopoli Procopius tyrannus exortus est: eodemq; tempore terræmotus ac maris inundatio superuenerint, quæ multis ciuitatibus magnam cladem intulerunt.

CAP. III.

Vide Nicē. cap. 4. li. 11. Vide Sozo. lib. 6. ca. 8.

B DVM ista à Valente in Syria geruntur, tyrannus cui nomen erat Procopius, exoritur Constantinopoli. Hic magnis copijs in exiguo rēporis spacio coactis, contra Imperatorem ire maturat. Quod cùm Valenti esset nunciatum, illum in maximum conijcit angorem: qui quidem eius ferocitatem in illos quos persequebatur, ad tempus repressit. Interea verò dum hic belli tumultus exardesceret, terræmotus de repentè irruens, multas ciuitates conquassauit. Quinetiam mare terminos, quibus circumcludebatur, commutauit. Nam in quibusdā locis tantoperè inundauit, vt vbi dudum homines pedibus iter facere possent, ibi iam esset nauigio traijciendum: ab alijs autem locis tam longè absessit, vt arida siccaque remanerent. Atque ista euenêre ad primum duorum istorum Imperatorum consulatum.

Procopius tyrannus.

Hæc contigerunt anno Christi 369.

Terræmotus.

Maris inundatio.

Quòd, cùm status tum Reip. tum etiam Ecclesiæ perturbaretur, Macedoniani, qui Lampsaci concilium conuenire fecerant, fide quæ Antiochiæ exposita fuit, iterum corroborata, fidei Ariminensis concilij anathema indixerunt, ac rursus Acacij & Eudoxij abdicationem confirmarunt.

CAP. IIII.

Vide Nicē. li. 11. c. 5. 6. Sozo. lib. 6. cap. 7.

HIs rebus ita comparatis, neque Reip. neque Ecclesiæ status pacatus tranquillusque fuit. Nam qui ab Imperatore concilij cogendi postulauerant potestatem, hi sub eundem consulatum, anno videlicet septimo post conciliū Seleuciæ habitum, Lampsaci in vnum conuenientes, ibi simulac fidei formulam Antiochiæ olim editam, de integro iam cōfirmauerant (eidem etiam Seleuciæ dudum subscripserant) illam quæ Arimini iam pridem ab episcopis, qui consentientem de religione habebant opinionem, exposita fuit, anathemate condemnarunt. Rursusque contra Acacium & Eudoxium, vtpote iure abdicatos, tulêre sentētias. His rebus Eudoxius Cōstantinopolis episcopus nullo modo refragari potuit. nam bellum, quod à populo, duce Procopio, iam concitatum erat, impedimento fuit, quo minus se de illis vsciscceretur. Quapropter Eleusius Cyzici episcopus, vnà cum suis tum superiores partes adeptus, ad aliquod temporis spacium dogma illud, quod à Macedonio eius authore nomen inuenit, quodque nunc paulo antè in concilio Lampsaceno multo euidentius omnibus patefactum fuit, propugnauêre. Istud concilium, causam equidem fuisse arbitror, cur Hellespontus (est enim Lampsacus in angusto Hellesponti sinu posita) tanta Macedonianorum frequentia abundaret. Hoc quidem concilium talem habuit exitum.

Reipub. & ecclesiæ status turbatus.

Lib. 2. supra cap. 31.

Lib 3. cap. 21.

Acta Lampsaceno Synodi Arianis contraria.

Eleusius dogma Macedonianū propugnat.

Lampsacus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Imperator & tyrannus Procopius, cum propter quandam Phrygiæ ciuitatem prælium commisissent, Imperator tyrannum ducum suorum proditione capiens, cum ipsum, tum ipsius duces, supplicijs inusitatis traditos trucidauit. CAP. V.

Procopij cum Imp bellum gestum anno 370.

ANno sequenti, Gratiano & Dagalepho Coss. bellum geri cœptum est. Nam tyrannus Procopius Constantinopoli egressus, parat cum Imperatore dimicare: quo audito, Valens relicta Antiochia, Procopio obuiam ire contendit: cum illo ad Nacoleam, vrbem Phrygiæ, cōserit manus: primo prælio inferior fuit. Paulò pòst Procopium à ducibus suis Angelone & Gomario proditum, viuum cepit: quos quidem peregrinis ac nouis affecit supplicijs. Nam proditores, neglecto iureiurando quo se illis astrinxerat, serris dissectos è medio sustulit. Tyranni autem crura duabus arboribus, quæ non longo interuallo inter se distabant, ad terram inflexis, alligauit, deinde arbores in sublime denuò se tolli permisit: quæ in altum sublatæ, Procopium discerpserunt. Tyrannus igitur eo modo in duas partes diremptus, miserè interijt.

Angelon & Gomarius Procopij duces et proditores.

Eorū supplicia.

Procopij supplicium.

Vide Nicet. lib. 11. c. 4. Sozo. lib. 6. cap. 8.

Tyranni Tyranni Tyrannice tollit.

Quòd post interfectum tyrannum, rursus Imperator eos, qui in Concilio coacti fuerunt, ad Arij opinionem adegerit, itemq; Christianos omnes. CAP. VI.

IMperator rebus tum prosperè & feliciter gestis elatus, rursus in Christianos tumultus propterea ciere cœpit, quòd omnes ad sectam Arianam traducere cupiebat. Atque concilium Lampsaci habitum illi in primis bilem mouerat, non modò quòd episcopos Arianos interdixerat Ecclesia, sed quòd fidei formulæ Arimini editæ anathema denunciauerat. Itaq; cum Nicomediam Bithynię veniisset, Eleusium Cyzici episcopum ad se accersit. Hic opinioni Macedonianæ (vt supra dixi) maximè deditus fuit. Quare Imperator concilio episcoporum Arianorum conuocato, Eleusium illorum fidei assentiri coegit. Qui quāquam antea illud se facturum omninò denegauerat, posteà tamen exilio & publicatione bonorum, quæ ipsi interminatus fuerat Imperator, supra modum exterritus, opinioni Arianæ assensit, statim vt assenserat, in magno dolore fuit: & Cyzicum reuersus, coram vniuerso populo de vi ipsi ab Imperatore illata grauiter conquestus est: docetq; vi se coactum, non sua adductum voluntate, doctrinæ Arianæ assensisse: illisq; alium conquirendum episcopum, propterea quòd ipse necessitate compulsus, suum ipsius dogma denegasset. Cyziceni tamen præ incredibili amore, quo illum complectebantur, neq; alteri episcopo se subijcere voluerunt, neque ecclesiæ suæ administrationem concedere. Quare cum eius semper paruêre gubernationi, tum suam ipsorum hæresim minimè deposuêre.

In Christianos tumultus.

Synodus Nicomediensis.

Eleusius Arianæ opinioni assentiri cogitur

Eleusij dolor de vi, & pœnitentia.

Cyzicenorum erga Eleusiū commiseratio.

Vide Nicet. ca. 10. lib. 11. Sozo. lib. 6 ca. 9. p.

Quòd Eunomius Eleusio Macedoniano ejecto, Cyzici episcopus institutus est, & vnde prodierit: & quod Aetij cognomento Athei, scriba cum esset, illum sibi ad imitandum proposuit. CAP. VII.

HIS rebus auditis, episcopus Constantinopolitanus Eunomium, vtpotè qui dicendi vi, qua præditus erat, posset multitudinis animos in suam sententiam facilè pertrahere, episcopum Cyzici designauit. Quò cum aduentasset Eunomius, ab Imperatore mādatum fuit, vt Eleusio exturbato, Eunomius in sede episcopali collocaretur. † Vnde qui Eleusij fauebant opinioni, extra vrbis mœniæ extruxerunt ecclesiā, conuentusq; separatim egerunt. Sed de Eleusio hæc quidē hactenus: de Eunomio aūtiā pauca dicamus. Eunomius Aetij cognomento Athei, cuius supra mentionē fecimus, scriba fuit. Qui cum eo vitā degens, fallaces ratiocinādi concludendiq; modos, qui sunt sophistarū proprij, ab illo didicit, eosq; que sedulò imitatus est. Quinetiā inanibus ineptisq; vocibus operā dare, sophismataq; quibus ipse irriteretur, contexere, imprudens aggressus, illisque arroganter inflatus, ad blasphemiā præceps ruit. Arij etiā opinionē sectari, veritatis dogmata varijs rationibus impugnare cœpit. At tametsi Sacrarum literarū propè ignarus imperitusq; fuit, neque potuit eas omnino intelligere: tamen verba variare, eademq; semper aliter atque aliter dicere potuit. at quod sibi ad dicendum proponebatur, nunquam attigit: sicut septem tomi ab illo in Apostoli ad Romanos epistolam tam ineptè compositi, satis perspicuè declarant. Nam cum multa verba inaniter de ea epistola profuderit, institutum tamē Apostoli animo capere nullo modo valet. Extant alij eius libri his consimiles: de quib. si cui

Eunomius Eleusio epis. Cyzici designatur.

Eleusius extra vrbem eccle siam Catholicorum cogit.

Eunomius Aetij scriba.

† Vide annot. pag. 411. lin. 30.

Eunomius Sacrarum literarum ignarus.

Eunomij in epistolam ad Rom. Commentarij.

A si cui in animo sit periculum facere, in magna verborum copia miram sententiarum inopiam reperiet. Atqui istum Eunomium Eudoxius ad episcopatus Cyzicensis dignitatem extulit. Cùm verò, vt ipsius mos ferebat, pro concione dialecticis argutijs vteretur, auditores admodum reddidit attonitos: vnde Cyzici tumultus exortus est. Nam cum Cyziceni arrogantem illius in dicendo insolentiam ferre nullo modo possent, è ciuitate exturbarunt. Ille Constantinopolim se recipit, ibi cum Eudoxio ætatem degit: ab episcopatus administratione vacat. Verum ne ista solum obtrectandi caussa dixisse videamur, ipsius Eunomij verba, quæ sophistæ more fallaciter & veteratoriè de Deo non
» veretur dicere, audiamus. sic enim loquitur: Deus de sua ipsius essentia nihilo plus in-
» telligit, quàm nos: neq; ea ipsi magis est perspecta & cognita, quàm nobis: sed quod nos
» de ea scimus, idem omninò & ipse scit: ac rursus quod ille nouit, idem in nobis vicissim
» reperies. Istas aliasq; complures commenticias fallacias imprudens cōtexuit Eunomius. at quia ratione se ab Arianis paulò pòst segregarit, dicemus suo loco.

Eunomius ciuitate exturbatus.

Eunomij de Deo verba.

De inuento oraculo in lapide inciso, quando propter Valentis Imperatoris iracundiam Chalcedonis muros diruebatur. CAP. VIII.

Vide Nicet. ca. 4. lib. 11.

IMperator muros vrbis Chalcedonis, quæ è regione Byzantij sita est, demoliri iubet. Nam iurauerat, se profligato tyranno Procopio, hoc propterea facturū, quòd Chalcedonij Procopij partibus fauentes, ipsum turpibus & maledicis conuicijs vexassent, vrbemque prætergredienti portas occlusissent. Itaque vrbis mœnia mandato Imperatoris diruuntur. Lapides eorum ad balneas publicas Constantinopolis, quæ dicuntur Constantianæ, transportantur. In vno autem ex lapidibus oraculum inciſum reperiū est: quod antiquitùs quidem ibi abstrusum fuisset, atque tum primum in lucem elatū. Ex quo constabat, muros tunc balneis inseruituros, cum magna aquæ copia vrbi suppeteret: cumque infinitæ barbaræ gentes in fines Romanos incursionem facerent, Romanos multis afficerent incommodis, ipsæque ad extremum interirent. Verum nihil obstat, quo minus studiosorum causa illud ipsum oraculum hoc loco ponamus:

Chalcedonis muros cur Imp. demoliri iusserit.

Oraculum.

B
Laurigeram nymphæ dum miscent cantibus vrbem,
Raucaq; multigemens defendit balnea murus,
Gens fera, gens numerum superans, superabit & Istrum,
Quæ Scythicas franget glacies, Misosq; rebelles
Conteret: hostili penetrans sed cuspide Thraces,
Prælia committet, sed committendo peribit.

Oraculum ita se habet. Non longo temporis spacio interposito, aquæductus à Valēte exædificatus, permagnam aquæ abundantiam vrbi Cōstantinopoli suppeditauit: eodemque tempore gentes Barbaræ contra Romanos, vti dicemus posteà, bellum conciuisse ferūtatem deriuato, Clearchus vrbis præfectus ὑδρεῶον, id est, tubum amplissimum in foro circa annū Theodosiano construxit: quod δαψιλὲς ὕδωρ, id est, aqua copiosa appellabatur: vbi lætum festum agitauit ciuitas. Atq; hoc est, quod in oraculo dictum fuit:

Oraculi expositio.

Quod acci circa annū christi 377.

Laurigeram nymphæ dum miscent cantibus vrbem,
Raucaq; multigemens defendit balnea murus.

Verùm ista de Oraculo paulò pòst euenêre. Id temporis verò, cum murus Chalcedonis diruendus esset, Constantinopolitani orabant Imperatorem, vt ab illo demolien-
do abstineret. Idem à ciuibus Bithyniæ, Nicomediæ & Nicææ, qui tum fortè Constantinopoli aderant, rogatum est. At ille ira supra modum accensus, supplicantium postulationem ægrè admodum tulit: & quo iurisiurandi fidem seruaret, non modò murum disturbari, verum etiam ruinas illius alijs minutis lapidibus oppleri iubet: atque adhuc etiam in quibusdam muri partibus licet videre, quo pacto maximis & eximijs fundamentorum muri veteris lapidibus structura pertenuis & nullius ferè precij tum imposita fuerit. Sed de muro vrbis Chalcedonis satis multa.

Valentis ira supplicantiū pro Chalcedonensibus precēs non admittit.

Quòd Imperator Valens, Nouatianos, qui non minori studio quàm Orthodoxi Consubstantiale asseuerabant, infestarit: quodq; Imperator Valentinianus filium, quem suo vocauit nomine, genuerit. nam Gratianus ante aditum imperium natus fuit. CAPVT. IX.

Vide Nicet. c. 14. lib. 11.

POrrò Imperator ab illis persequendis, qui fidem Consubstantialis tuebantur, non destitit, sed eos expulit è Constantinopoli: & cum illis vnà Nouatianos, tanquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Agelij exilium.

cidem opinioni addictos, eorumq; ecclesias occludi iussit: episcopum aũt Agelium, qui A illis præerat, virum qui iam olim à Constantini temporibus rexerat ecclesiã, vitamque planè Apostolicam traduxerat, exilio multari. Iste per vniuersum vitæ tempus nudis pedibus incesserat, vnaque tunica (præceptum Euangelij obseruans) vsus fuerat. Per id

Martianus Imperatoris iram restinguit.

tempus Martianus, qui olim in Palatio satellitis munere perfunctus fuisset, vir valdè pius & eloquentia insignis, Imperatoris iram contra Nouatianos inflammatam restinxit. Qui tum presbyter ecclesiæ Nouatianæ factus, Anastasiam & Carosim Imperatoris filias, Grammaticæ præceptis instituit: quarum nomine balneæ publicè Constantinopoli à Valente extructæ fuêre, & ibi adhuc cernuntur. Itaque præ reuerentia, qua illum Imperator obseruabat, Nouatianorum ecclesiæ ad tempus occlusæ, denuò aperiuntur.

Ariani Nouatianis cur infensi.

Non tamen molestijs, quas illis facessebãt Ariani, penitùs liberati fuerunt. Erant enim illis propterea inuisi, quod eos qui fidem tenebant Consubstantialis, amore & beneuolentia amplexabantur. Atq; illo quidem tempore hic rerum status fuit. Istud nos minimè præterire debet, bellum contra tyrannum Procopium susceptum, sub fine mensis Maij administratum fuisse, Gratiano & Dagalepho Coss. Paulò pòst illud bellum, eisdẽ Coss. Valentiniano Imperatori in partibus versus Occidentem natus est filius, ipsius nomine nuncupatus. nam Gratianum filium antè susceperat, quàm Imperij adiret gubernacula.

Bellum cõtra Procopium.

Valẽtinianus F. Imperatori natus.

De grandine inusitatæ magnitudinis, quæ de cælo decidit: & terræmotibus, qui in Bithynia & Hellesponto acciderunt.

CAP. X.

Grando inusitatæ magnitudinis.

ANno sequenti, Lucino & Iouiano Coss. sexto Nonas Iulij, grando magnitudine inusitata, lapidibus similis, Constantinopoli decidit. Est quidem multis in ore, illam grandinem, Deo irato, quòd multi sacerdotes, qui cum Eudoxio cõmunicare recusauerant, essent ab Imperatore relegati, delapsam fuisse. Non multò pòst, eisdem Coss. Valentinianus filium suum Gratianum Imperatorem creat, Non. Calend. Septembris. Anno proximo, Valentiniano & Valente secundùm Coss. quinto Idus Octobris, terræmotos in Bithynia factus, Nicæam vrbem deturbauit. Iste duodecimus annus fuit post ruinam Nicomediæ. Pòst paulò, multæ partes Germæ, vrbis B Hellesponti, altero terræmotu conquassatæ ceciderunt. Verùm, quamuis ista hoc modo euenirent, nihilo magis tamen Eudoxij episcopi Arianorum & Valentis Imperatoris animi ad pietatem & rectam de religione opinionem commoti fuerunt. nam crudeliter in eos sęuiendi, qui ab ipsis in fide dissentiebant, nullum aliquando finem fecêre. Isti terræmotus videbantur tumultus in Ecclesia certa fuisse indicia. At quanquam complures sacerdotes (vt dixi) erant in exilium eiecti, tamen Basilius & Gregorius soli (quorum ille Cæsareæ Cappadociæ episcopus fuit: hic Nazianzi, vrbis obscuræ & pertenuis, Cæsareæ finitimę) diuina prouidentia propter eximiam pietatem patrijs sedibus minimè pulsi fuêre. De quibus posteà mihi vberius dicendum est.

Gratianus Imp. creatur.

Nicæa terræmotucõcussa, item Germa.

Basilius & Gregorius soli exortes exilij.

Quòd qui Macedonij sententiæ suffragabantur, cum propter Imperatoris violentiam in angustias venissent, missa ad Liberium Pontificem Romanum legatione, subscriptione sua Consubstantiale ratum fecerunt.

CAPVT XI.

EOdem tempore illis, qui fidem Consubstantialis constanter seruabant, grauiter & acerbè exagitatis: deinceps improbi illi, qui eos fuerant persecuti, contra Macedonianos grassari cœperunt. Hi metu, imò potius vi in angustias adducti, de ciuitatibus suis alter ad alterũ legatos mittere, significareq; sibi necessariò confugiendum tum ad fratrem Imperatoris, tum ad Liberium episcopum Romanum: Illorumque fidem potius amplexandam, quàm vt cum Eudoxio communicarent. Itaque Eustathium Sebastiæ episcopum, qui sæpenumero abdicatus fuisset, Siluanum Tarsi Ciliciæ, & Theophilum Castabalorũ vrbis Ciliciæ, mittunt: illisque in mandatis dant, vt cum Liberio neutiquam de fide dissentiant, sed communicent cum Ecclesia Romana, fidemque Consubstantialis ratam faciant. Isti cum literis eorum, qui Seleuciæ de fide dissenserant, ad veterem vrbem Romam se conferunt. Cũ Imperatore minimè colloquũtur (erat enim in Gallia, bello contra Sauromatas gerendo occupatus) sed Liberio literas offerunt. Ille eas recipere noluit. nam eos sectæ Arianæ fautores esse dixit: & propterea ab ecclesia non posse recipi, vtpotè qui fidẽ concilij Niceni abrogassent. Cui illi respondent, se pœnitenita inductos veritatem agno-

Contra Macedonianos grassatio.

Episcopi ad Liberium Pont. Rom. missi.

Vide Nicephor. ca. 7. lib. 11. Sozom. lib. 6. cap. 11. Macedoniani ab Arianis vexati cum orthodoxis sese cõiungunt.

A gnouisse: fidem eorum qui filium patri dissimilem esse docent, iam pridem reiecisse: filium in omnibus patri similem confiteri: atque illam vocem Similẽ, nihil à voce Consubstantiali discrepare. Quæ cũ dixissent, Liberius postulat ab illis, vt opinionis suæ declarationem scriptis mandarent. Illi libellum ei obtulêre: in quo verba in fidei formula Nicææ edita comprehensa fuêre perscripta. Epistolas, quas factis conuentibus, ab vrbe Smyrna quæ est in Asia, à Pisidia, Isauria, Pamphylia & Lycia scripserunt, hoc loco citare, ne sim longus, non est consilium. Libellus autem, quem legati ab Eustathio missi Liberio dederunt, ita se habet.

Macedoniano rũ palinodia.

Domino fratri & collegæ nostro Liberio, Eustathius, Theophilus & Syluanus, in Domino S.

» Vt omnem occasionem insanæ hæreticorum confidentiæ, qui ecclesiæ catholicæ graues afferunt offensiones, omnino adimamus, concilia episcoporũ rectè de religione sentiẽtium, quę Lampsaci, Smyrnę, alijsq; varijs in locis aliquãdo habita fuerint, nostro approbamus consensu. Atq; quo magis constet nos eisdem assentiri, hanc obimus legationem: literasq; ad tuam benignitatẽ & ad omnes alios episcopos Italiæ, aliarumq; regionum ad solem occidentem vergentium attulimus: ex quibus planum fiet, nos fidẽ Catholicam tenere, seruareq;, quæ in sacrosancto concilio Nicæno, temporibus beati Constantini Imperatoris, à trecentis decem & octo episcopis confirmata fuerit, atque adeò inuiolata stabilisq; vsque ad hodiernum diem perpetuo permanserit: in qua vox Consubstantialis, ad peruersam Arij doctrinã expugnandam, sancte pieq; posita est. Nã propriarum manuum subscriptionibus planè confitemur, nos non aliter atque illos Patres, quos diximus, sentire: sed eandem fidem cum illis & antehac seruasse, & iam seruare, & ad extremum vsque spiritum seruaturos esse: Arium autem, impiam eius doctrinã, discipulos, opinionis fautores, quinetiã omnẽ hæresin Sabellij, omnes Patropassianos, Marcionistas, Photinianos. Marcellianos, & Pauli deniq; Samosateni sectatores penitùs condemnare. Istorum doctrinæ, omnibus idem cum illis sentientibus, omnib. etiam hæresibus quæ sacrosanctæ fidei prædictæ, à sanctis patribus pie & catholicè in vrbe Nicæa expositæ aduersantur, itemque fidei formulæ in concilio Ariminẽsi recitatę, vtpote fidei sancti concilij Nicæni, quam diximus, prorsus repugnanti (cui quidam dolo & quorundam periurio propter nomen vrbis Nicææ, quæ est in Thracia, fraudulenter inducti, Constantinopoli subscripserunt) nominatim anathema indicimus. Fides autem cùm nostra, tum eorum quos suprà diximus, quorumque legationem obimus, est hæc quidem: Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium rerum visibilium & inuisibilium effectorem: & in vnum vnigenitum Deum, Dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum ex patre, hoc est ex substãtia patris: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum, non factum: consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, siue quæ in cælo, siue quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit: & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die. Ascendit ad cælos, & venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Illis verò qui asserunt tempus aliquando fuisse cùm non esset, aut non antè fuisse quàm natus esset, aut ex his quæ non sunt constare, aut ex alia quàm ex patris substantia vel essentia constare, aut filium Dei posse conuerti & mutari, anathema indicit Catholica & Apostolica Ecclesia. Ego Eustathius episcopus vrbis Sebastiæ, Theophilus & Syluanus, concilij Lampsaceni, Smyrnensis, & cæterorum legati, huic fidei nostræ declarationi manibus nostris, nostraq; ipsorum voluntate subscripsimus. Quòd si quis pòst hanc fidem à nobis expositam, aut contrà nos, aut contrà illos qui nos miserunt, aliquod crimen adduxerit, cùm tuæ sanctitatis literis ad Orthodoxos episcopos, quos tua pietas probauerit, veniat, & coram illis nobiscum de eo disceptet: & si quid offensum esse constiterit, in authorem illius vindicetur. Isto libello Liberius, legatos tanquam sponsione obstringens, in communionem recepit, datisque illis literis dimisit.

Macedoniana rũ fidei formula.

Subscriptio.

Probant concilium Nicænũ.

Damnant hæreses.

Liberij episcopi Romani ad episcopos Orientis Epistola.

Vide Nicephor. ca. 8. lib. 11.

† Vide annot. pag. 232. lat. 2. lin. 32.

Dilectis fratribus & collegis, Hythio, Cyrillo, Hyperechio, Vranio, Heroni, Elpidio, Maximo, Eusebio, Eucarpio, Heortasio, †Neoni, Seuero, Didymioni, Brettanio, Callicrati, Dalmatio, Acdesio, Eustochio, Ambrosio, Gelonio, Pardalio, Macedõio, Paulo, Marcello, Heraclio, Alexãdro, Adolio, Marciano, Sthenelo, Ioãni, Macari, Charisio, Syluano, Photino, Antonio, Ayto, Celso, Euphranori, Milesio, Patricio, Seueriano, Eusebio

Liberij epistola ad episcopos Orientis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eumolpio, Athanasio, Diophanto, Menodoro, Diocli, Chrysampelo, Neoni, Eugenio, A
Eustathio, Callicrati, Arsenio, Eugenio, Martyrio, Hieracio, Leontio, Philagrio, Lu-
cio, & omnibus in Oriente orthodoxis episcopis: Liberius episcopus Italiæ, & alij Occi-
dentis episcopi in Domino semper S.

Gratulatur quod fidem Nicænam amplectantur.

Vestræ literæ, Fratres dilecti, lumineq; fidei illustrati, de pace & cõcordia ecclesiæ per honoratissimos fratres & episcopos, Eustathium, Syluanũ & Theophilum ad nos perlatæ, nobis maximam maximeq; optatam lætitiã attulerunt: id adeò in primis, quòd vestras sententias & opiniones tum cũ mea, qui infimus omnium sum, tum cũ aliorum episcoporum Italiæ, cæterarumq; omnium regionum versus Occidentem, sententijs consentire concordareque ostenderunt, atq; adeò confirmarunt. Hanc autẽ Catholicã & Apostolicam fidem agnoscimus, quæ vsq; à concilio Nicæno hactenus, integra stabilisque permansit. Hanc illi ipsi patres se habuisse confessi sunt: atque adeò mira alacritate & gaudio completi, omnia absurdæ opinionis vestigia, omnesq; eius quasi scintillas relictas sustulerunt. Hancque fidem non solum apud populum concionando, verũ etiam sedulò scribẽdo omnibus proposuerunt. Cuius quidem exemplar his literis necessariò subiungendum duximus, ne qua hæreticis ad insidias tendendas relicta sit occasio: quã quidem nacti, de integro faces suæ maleuolentiæ in ecclesiam intentent, magnaque dissidiorũ incendia (vt illis in more positum est) exuscitent. Nam & hoc ipsum confitentur honoratissimi fratres nostri, Eustathius, Syluanus & Theophilus, nimirum & seipsos & vestram charitatẽ semper hanc fidem seruasse, & ad extremum vitæ diem seruaturos esse: videlicet quæ fuerit à trecentis decem & octo episcopis orthodoxis in vrbe Nicæa probata, quæque & perfectam complectatur veritatem, & hæreticorũ multitudini ora obturet, eorumque doctrinam penitùs euertat. Neque enim tam ingens episcoporum numerus fortuitu, sed Dei nutu & voluntate, ad furorem Arij comprimẽdum coacta est. Imò verò eodem numero beatus Abraham, tot hominum millia per fidem profligauit. Quæ quidem fides vi & nomine Consubstantialis comprehensa, tanquam propugnaculum firmũ & inexpugnabile, omnes impetus & nefarias pestiferæ opinionis Arij machinas retundit, reprimitque. Et quanquam nequam & scelerati Arimini effecêre, vt omnes episcopi Occidentis Ariminii in vnum cogerentur, quo ibi vel persuasione, vel (vti verius dicam) Imperatoris authoritate illud quod erat ad summam cautionem in fidei formula positum, aut tollerent, aut peruerse inficiarentur: nihil hac fraudulenta molitione omnino profecerunt. Nam omnes illi ferè episcopi qui Arimini conuenerant, quique vel fallacibus inescati illecebris, vel vi compulsi, à fide tum quidem desciuerant: nunc tamen ad sanam mentem reuersi, fidei formulæ abepiscopis Arimini conuocatis editæ anathema denunciarunt, & fidei Catholicæ & Apostolicæ Nicææ confirmatæ subscripserunt, & nobiscum iam vnà communicant: omnes illi, inquam, in præsentia maximo iracundiæ æstu contra dogma Arij, eiusque discipulos exardescunt. Quam rem vestræ charitatis legati cùm exploratè cognitam, planeque perspectam haberent, suæ ipsorum subscriptioni vestra etiam nomina adiunxêre: Ario autem & decretis Arimini contra fidem Nicææ stabilitam sancitis (quibus item vos per versutas blanditias in fraudem inducti, cum iureiurando adhibito subscripsistis) anathema edixêre. Quapropter nobis videbatur consentaneum, literas ad vestram charitatem perscribere, vobisque iusta æquaque petentibus opem ferre: præsertim cùm per confessionem vestrorũ legatorum perspicuè intelligeremus, episcopos Orientis ad sanam sinceramque mentem reuersos, cum orthodoxis Occidentis episcopis in fide concordare. Neque vos ignorare volumus, & blasphemias Arimini contra filium Dei diuulgatas, iam etiam ab illis qui tum videbantur fraudulenter & repentino impetu à veritate tanquam abrepti, anathemate damnari: & fidei concilij Nicæni concordiani. morum voluntate ab omnibus assensum esse. Quinetiam per vestras literas, omnes cerciores fieri debent, vt qui per fraudem à recta fide abducti fuerint, iam tandem ex cæca hæresis caligine ad clarum diuinumque lumen libertatis Catholicæ regrediantur. Qui quidem, si post hoc Concilium lethale pestilentis doctrinæ venenum euomere noluerint, omnesq; Arij blasphemias ex animis suis radicitùs euellere, atque adeò illis anathema indicere: sciant se pariter cũ Ario & eius discipulis, cum alijs serpentibus, vt pote Sabellianis, Patropassianis, & alterius hæreticæ prauitatis cuiuscunque modi sectatoribus, à communione Ecclesiæ, quæ filios adulteros non recipit, tanquam fœderis & societatis expertes, omnino exclusos esse. Deus vos, fratres charissimi, diu seruet incolumes. His acceptis literis, legati Eustathij in Siciliam proficiscuntur. Vbi concilio episcoporum Siculorum conuocato, coram illis similiter fidem Consubstantialis seruare confitentur: fideique formulam in concilio Nicæno confirmatam, ratam fa-

Cur exemplar Symboli sit adiectum literis.

Arimini concilium execratur Liberius.

Scribendi occasio.

Legatis Romam in Siciliã profectis Synodus ibi cõgregata Symbolũ Nicænũ comprobauit.

ciunt.

Aciunt. A` quibus cùm literas in eandem cum epistola Liberij sententiam perscriptas, ad episcopos qui eos miserant, accepissent, rectà reuerterunt. Illi epistola Liberij accepta, legatos ad episcopos cuiusq; ciuitatis, qui fidẽ Consubstantialis defendebant, oratũ mittunt, vt omnes ex vno animorum consensu Tarsum Ciliciæ, tum ad fidem concilij Nicæni confirmandam, tum ad omnem contentionem quæ post illud in Ecclesia oriebatur, dirimendam commearent. Quod quidem fortassis factum fuisset, nisi Eudoxius sectæ Arianæ episcopus, qui tum gratia apud Imperatorem plurimùm poterat, obstitisset: qui propter Concilium edictum permagna iracundiæ flamma incensus, illos grauissimis affecit incommodis. Macedonianos verò per legatos, quos miserunt, cùm Liberio communicasse, fidemque concilij Nicæni ratam fecisse, Sabinus etiam in libro suo de collectione rerum in Concilijs gestarum, perspicuè declarat.

Eudoxius Arianus obstat quo minus vnanimiter per Orientem recipiatur Symbolum Nicænum.

Quòd Eunomius se ab Eudoxio separauerit, propterea quòd ipse Aetij opinioni accesisset, & quòd Alexandriæ, procuratione Eudoxij perturbatione concitata, Athanasius iterum fugit: & cùm ea de causa motus in populo cierentur, metuens id Imperator, animis populi Alexandrini per epistolas lenitis, rursus Athanasium tranquillè ecclesiam obtinere præcepit.

CAPVT XII.

Eunomius eut se ab Eudoxio separarit.

a Eudoxius Alexandriæ ecclesiam conturbat.

b Athanasius postquam metu persecutionis in sepulchro paterno latitasset mensibus 4. edicto Imperatoris restituus ad obitũ parrò suã ecclesiã præsuit pacificè.

c Alexandria ecclesia ad mortem vsq; Athanasij tranquilla.

VIde Nicephor. c. 10. lib. 10. li. 11. cap. 11. Theodori. lib. 2. ca. 29. Sozom. li. 6. cap. 12.

†Vide an sam ab eo doctrinam tenentem, abhorruerunt. Hãc verò causam fuisse, cur Eunomius ab Eudoxio se segregauerit, satis constat. Has etiam res Constantinopoli ad hunc modum gestas accepimus. Alexãdrię autem, edictum opera ac studio [a] Eudoxij à præfectis eò missum, ecclesiam magnopere cõturbauit. [b] Athanasius igitur tèmerarium & vesanum multitudinis impetum verẽs, extimescensque, ne, si quid ab illa ederetur absurdi, in ipsum tanquã authorem illius conferretur: quatuor menses continuos in paterno monumento latitauit. Sed cùm populus propter illius absentiam & desiderium, quo tenebatur, seditionem conflaret, Imperator certior factus, cõtra Alexandrinos grauiter commotus est: perque literas illis significauit, vt liceret Athanasio ecclesiarum administratione animo securo & trãquillo potiri. [c] Vnde factum est, vti ecclesia Alexandrina ad monumento vsq; Athanasij quieta pacataque consisteret. Quam quidem postea ad mortem Arianos denuò occupasse, docebimus paulò pòst.

Quòd Eudoxius, cùm vita functus esset Constantinopoli, Ariani Demophilum, Orthodoxi verò Euagrium, Eustathio Antiochiæ episcopo ordinãte, pro eo sufficiunt: quodq; Euagrius & Eustathius, cùm exturres Imperatore iubente profugissent, Arij sectatores, illos qui Consubstãtiale propugnabant, admodum multis incommodis affecerunt: ac præterea de sanctis presbyteris, qui iussu Valentis in naui gio cremati fuerunt: & de fame, quæ Dei indignatione in Phrygia accidit. CAP. XIII.

Eudoxij obitus.

Demophilus ab Arianis eius in locum suffectus.

Euagrius, ab orthodoxis.

VIde Nicephor. li. 11. ca. 15. 16. Sozom. li. 6. ca. 13. 14. Theodo. lib. 4. c. 22.

IMperator Valens denuò Antiochiam ire maturans, Constantinopoli decedit. Qui cùm venisset Nicomediam Bithyniæ, ibi ad tempus cõmoratus est, ob hanc causam. Eudoxius ecclesiæ Arianæ episcopus, statim post Imperatoris discessum, cũ ecclesiæ Constantinopolitanæ sedem ad decem & nouẽ annos occupasset, abijt è vita, Valentiniano iã & Valente tertium Coss. Quã obrem Ariani in locũ illius, Demophilum sufficiunt. Sed qui fidei Consubstantialis fauebãt, se tempus opportunum nactos arbitrati, Euagrium quendam suæ ipsorum fidei fautorem designant. Quẽ quidem episcopum creat Eustathius ille, qui olim Antiochiæ fuisset episcopus, quique & iamdudum à Iouiano ab exilio esset reuocatus, & tum fortè Cõstantinopoli versaretur, fidei Consubstantialis fautores confirmandi gratia, ibique in occulto delitesceret. Quo facto, alia arrepta occasione Ariani, illos deintegrò acerbè persequi cœperunt: quæ res ad aures Imperatoris celerrimè peruenit. Ille igitur admodum veritus, ne ex populi contentione seditio conflata, ciuitatẽ labefactaret, copias militares ex Nicomedia Constantinopolim misit: præcepitque, vt vterque, tum qui creauerat, tum qui creatus fuerat, alter in alterum locum relegaretur. Quocirca Eustathius Byzam vrbem Thraciæ amandatus est, Euagrius aliò abductus. His reb. ita confectis, Ariani maiores spiritus sumere, & eos qui de ecclesia erant, verberando, contumelijs afficiendo, in carcerem conijciendo, pecunia multando, omnia deniq; incommodo-

Vterque relegatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

incommodorum genera, quæ erant planè intolerabilia illis imponendo, grauissimè A diuexare cœperunt. Illi, cũ hæc ferre non possent, Imperatorẽ deprecatum adeunt, vt si nõ omnino, aliqua ex parte tamen Arianorũ violentia liberarentur. Verũ istud animo agitantes, longè opinione aberrarunt: præsertim cũ ab eo ius suum obtinere sperarent, qui iniuriarum ipsis illatarum author fuisset. Nã cùm viri pij ordinis ecclesiastici, octoginta numero, ad eã rem delecti (inter quos principẽ locum obtinebant Vrbanus, Theodorus & Menedemus) Nicomediam aduentarent, Imperatorem supplices orarent, vim sibi illatam docerent, & incommoda quæ ab Arianis accepissent, ei proponerent: ille, quanquam iracundia erat supra modũ in eos inflammatus, eatenus tamen eam occultauit, quoad Modesto præfecto clàm dedisset mandatum, vt illos cõprehensos morte multaret. Mortis genus, quoniã nouum & peregrinum fuit, operæprecium arbitror literis ad posterorum memoriã commendare. Præfectus admodum extimescens, ne si illos palàm & in oculis omnium trucidaret, multitudo impetu temerario incitata, ipsum seditiosè adoriretur, simulat se in exilium eos missurum. Illi rem excelso & erecto animo ferunt. Præfectus itaq; iubet eos in nauigium imponi, perinde ac si in exiliũ rectà abducerentur: nautis tamen in mandatis dat, vt cũ ad medium pelagus peruentũ foret, nauigium succenderent: vti hoc modo è vita migrantes, non haberent qui eos sepulturæ mandarent. Sic igitur factum est. Nam nautæ ad medium pelagus Astacenũ peruecti, imperata faciunt: ipsiq́ue succenso nauigio scapham quæ sequebatur conscendentes reuertuntur. Forte fortunà ventus Subsolanus grauiter spirat, nauigiumq; succensum tam vehementer pellit, vt celerrimo cursu per mare prolaberetur: & vsque eò duraret, quoad in nauale quod Dacidizus vocatur, appelleret: vbi pariter cum ipsis pijs viris tandem penitùs absumptum est. Creber quidem sermo apud multos vsurpatur, hoc crudele & impium facinus minimè inultũ fuisse. Nam statim pòst fames acerbissima per vniuersam Phrygiã peruasit: ita vt complures incolæ illius regionis exiguo tem poris spacio necessitate adducti, tam Cõstantinopolim quã ad alias prouincias confugerent. Constantinopolis enim, quamuis infinitam hominum multitudinem alat, sustentetq́; tamen partim propter rerum ad vitam necessariarum inuectionem, quæ per mare fit, partim propter pontum Euxinum qui ei finitimus est, quiq́; frumentum cùm opus sit, abundè suppeditat, maxima omnium rerum copia circumfluit. B

Arianorum in orthodoxos seuitia.

Valens orthodoxos reijcit & interficiendos curat.

Modesti præfecti impium facinus, qui 80. viros ecclesiasticos exurit simul & submergit.

Orthodoxorũ miserabilis interitus, anno 375.

Fames in Phrygia.

Vltio diuina. Constantinopolis rerũ omnium abundãtia vnde.

Quòd Imperator Antiochiam profectus, eos qui Consubstantiale astruebãt, insectatus est: & de ijs quæ Edessæ gesta fuerunt, & præfecto contumelia affecto: ac ciuium fide & animi præstantia. & de pia quadam muliercula. CAPVT XIIII.

VAlens Imperator hanc famis asperitatem paruifaciens, Antiochiam petit: ibique commoratus, omnes qui Arianam detestabantur doctrinam, hostiliter expugnare cœpit. Nam eos, vtpote contra Arij opinionem, fidei Consubstantialis firmè adhærescentes, non solum per omnes fere Orientis ciuitates ab ecclesijs expulit: verumetiam hoc supplicio de illis sumpto minimè saturatus, varia cruciatus genera illis irrogauit: ac multo maiorem numerum, quàm qui suprà citatus sit, cùm alijs diuersis mortis generibus, tum potissimum in flumina demergendo, è medio sustulit. Porrò, de facinore ab eo Edessæ Mesopotamiæ edito, hoc loco dicamus. In ea ciuitate egregium & magnificum templum est diuo Thomæ Apostolo dicatum, crebraq́; hominum multitudo eò propter loci sanctitatem confluit. Quod quidem Valens videre cupiens, cùm pro certo cognosceret, ipsius hæresim vniuersæ hominum multitudini, qui ibi conueniebant, inuisam esse: fertur manu præfectum propterea percussisse, quòd illos inde nõ ante abigẽdos curasset. Vbi verò præfectus hac insigni affectus contumelia, se parasset animo valde inuito (noluit enim tantæ hominũ frequentiæ cædem inferre) ad Imperatoris iræ obsequendum, clàm illis significat, vt nemo in eo tẽplo offenderetur: verùm nemo erat qui eius vel consilio, vel minis animũ aduerteret. nam postridie omnes gregatim ad illud templũ conuolant. Ac dum præfectus cum ingenti militum manu ad templum, quo Imperatoris animum bile accensum satiaret, ire maturat: mulier quædã inops cum filio suo manu secum attracto, eò accurrẽs, turmam stipatorum media perrumpit. Quam rem præfectus grauiter & indignè ferens, mulierẽ ad se adduci iubet, eamq́ue sic cõpellat: O infelix mulier, quò tam temerè properas? tum illa: Quò alij, inquit, etiam properant. Et ille: Annon (inquit) audiuisti, præfectum omnes quos ibi repererit, interfecturum? Audiui equidem, inquit, & propterea propero, vt ibi ipsa reperiar. Quæ cùm præfectus audiuisset, inde de reliquorum ad eum locum concursantium confi-

Valentis in orthodoxos sæuitia apud Antiochenses.

Edessæ ad S. Thomæ templum congregatã priorum multitudinem delere voluit.

Mulieris orthodoxæ cõstãtia.

Vide Nicephor. c. 22. lib. 11. Sozom. li. 6. ca. 18. Theodorit. lib. 4. c. 12. 13. 14. 15. 16.

A confidentia coniecturam fecit. Idcirco Imperatorem adit, illumq́ue docet, omnes ad mortem pro fide sua oppetendam esse paratos: adiecitq́ue, facinus temerarium & indignum esse, tantam multitudinem tam exiguo temporis momento neci dare. atq; adeò Imperatori persuasit, vt iracundiæ suæ flammam extingueret. Ad hunc modum itaque Edissẽi effugerunt, ne ab Imperatore prorsus expugnarentur.

Quòd Imperator Valens multos qui TH. primùm nominis sui elementum habuerunt, iugulauit, propter necromantiam quandam, quam fama ad aures eius transmiserat.

CAPVT XV.

SVb idem tempus pessimus quidam dæmon, Imperatoris crudelitate ad suam abutebatur libidinem. Nam quorundam hominum curiosorum animos induxit, vt per νεκυομαντείαν, id est, diuinationem quæsit per mortuorum vmbras excitatas, perscrutarentur, quis post a Valẽtem Imperij gubernacula obtineret. Quibus quidem magicas præstigias exercentibus, dæmon, vti solet, non perspicuum, sed obscurum responsum dat: nimirum literas quatuor esse, TH. E. O. D. ex quibus eius nomen, qui esset post Valentem regnaturus, inciperet: nomenq́ue ei compositum fore. Cuius rei famà ad aures permanat Imperatoris. Ille igitur, neque rerum futurarum scientiam, neque potestatẽ res pro arbitratu gerendi, Deo, cuius nutu omnia præclarè administrantur, permittere voluit: sed religionis Christianæ præceptis (quorum studio magnopere flagrare præ se tulit) penitùs derelictis, complures, quos imperio suspicabatur potituros, trucidat. Itaq; omnes qui erant vel Theodori, vel Theodoti, vel Theodosij, vel Theoduli nomine, vel alijs consimilibus nominibus appellati, interficit. In quorum numero fuit Theodosiolus, vir nobilis, ex genere patricio: qui ab Hispania ad Valentem adductus, morte multatus est. Multi igitur præ metu ipsorum animis iniecto, sua commutarunt nomina: eaq́ue quæ parentes illis in lucem editis imposuerant, tanquam plena periculi denegarunt. Sed de his satis multa dixisse videor.

Dæmon Imperatoris crudelitate ad suam abutitur libidinem.

νεκυομαντεία.

a Oraculum de Valentis successore.

Valens quos imperium occupaturos suspicabatur, trucidat.

Theodosiolus.

Metu mortis multi nomina mutant.

B *De morte Athanasij, & Petro eius successore: & quòd post mortem Athanasij, Ariani mandato Imperatoris Lucium ecclesiæ Alexandrinæ, coniecto in carcerem Petro, præfecerunt. CAPVT XVI.*

Vide Nicephor. c. 26. lib. 11. Sozom. lib. 6. cap. 19. Theodorit. lib. 4. ca. 22. 23.

HOc loco intelligamus oportet, Imperatorem, dum vixit Athanasius episcopus Alexandrinus, diuina quadam prouidentia Alexandriæ & Aegypto perturbandæ temperasse: quippe qui intelligeret, ingentem ibi multitudinem esse, Athanasio penitùs addictam: & propterea formidaret, ne si seditio Alexandriæ excitaretur (est c enim populus ille natura sua paulò feruẽtior) Resp. inde admodum læderetur. d Athanasius verò post multa pro Ecclesia confecta certamina, cùm episcopatum quadraginta sex annos, non absque multis grauibusq́; periculis administrasset, decessit è vita, Gratiano secundùm & Probo consulibus: e Petrumq́ue, virum valde pium & eximium, reliquit successorẽ. Confestim igitur Ariani magnos animos sumere cœperunt, de Imperatoris religione gloriari: & absq; mora Athanasij mortẽ Imperatori, qui tum Antiochiæ cõmorabatur significare. Itemq́ue Euzoius, qui Antiochiæ sectæ Arianæ episcopus fuit, tum etiam occasionem temporis tam commodè oblatam arripiens, iter Alexandriam parare, vti rectionem ecclesiarum quæ ibi sunt, Lucio Ariano impertiret: idem quoq; Imperatori visum est. Quare Alexandriam cum potestate Imperatoria quàm celerrimè proficisci maturat. Quinetiam Magnus, quæstor Imperatoris, illum eò comitatur. Addebatur etiam mãdatum, perscriptum ad Palladium præfectum Alexandriæ, vt copijs militarib. Euzoij institu-
to inseruiretur. Quocirca & Petrum comprehensum, in custodiam tradunt: & alijs clericis, alio in alium amandatis, Lucium in sede episcopali collocant.

Valens cursa persiste Athanasio Alexandriæ persecutionẽ in orthodoxos non mouerit.

c Alexandr. populus feruẽtior.

d Athanasij obitus anno 375.

e Petrus Athanasij successor, carceri mãcipatus.

Lucius Athanasio ab Imp. suffectus.

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd malorum illorum, quæ dum Lucius in solio suo collocaretur euenerunt (quæ sanè quã multa fuere) Sabinus Macedonianus nullam in historia sua mentionem facit: sed Petrus, qui ad Damasum episcopum Romanum fugiens, incolumis seruatus est, in Commentarijs à se relictis ea commemorat: & quòd Ariani & Lucius summam in monachos qui in solitudine vitam agebant, crudelitatem exercuerint.

CAPVT XVII.

ETsi eorum facinorum, quæ in initio episcopatus Lucij, contra eos qui extra vrbem Alexandriæ in reliquis Aegypti partibus habitabant, partim in carceribus, partim extra carceres crudeliter patrata fuerunt, & qua ratione alij varijs tormentis excruciati, alij præterea, exilio præterea multati essent, Sabinus nullam omnino fecit mentionem (quippe qui cũ † Semiarianus esset, amicorum scelera occultauit) tamen Petrus per literas suas, quas posteaquam fuerat ex vinculis elapsus, ad omnes vbique misit ecclesias, eadem omnibus patefecit. Qui vt ex carcere effugerat, ad Damasum pontificem Romanum aduolauit. Proinde Arianis, licet numero pauci, ecclesijs tamen Alexandrinis de integro potiuntur. Non longo temporis interuallo interiecto ex edicto Imperatoris mandatũ est, vt oẽs qui fidẽ Constantialis tenebant, non Alexandria solum, sed ex vniuersa etiam Aegypto penitùs expellerentur. Quinetiam præfecto imperatum, vt cum ingentibus copijs omnes vbiq; persequeretur, quos Lucius indicaret. Eodem tempore monasteria in solitudine directa, diuexata, & crudeliter expugnata fuêre. Nam inermes, qui ne manum quidem ad ictum repellendum extendere volebant, viri armati aggressi, adeò miserandum in modum enecarunt, vt scelera in eos admissa, nullo dicendi genere explicari possint.

Sabinus Semiarianus.

Petrus elapsus carcere ad Damasũ Pont. Romanũ cõfugit.

Edicto Imp. Lucius armatur.

Monasteria diripta Monachi male tractati.

Vide Nicephor. c. 27. lib. 11. lib. 9. cap. 14. Sozom. lib. 5. ca. 12. lib. 6. cap. 19. Theodorit. lib. 4. c. 20. † Quia Macedonia.

De sancto Ammone monacho, & alijs viris sanctis, ex Euagrij historia.

CAPVT XVIII.

B

SEd quoniam in monasteriorum quæ in Aegypto erãt, incidimus mentionem, nihil obstat quo minus de eisdem pauca disseramus. Ea loca quæ dicuntur ἀσκητήρια, id est, in quibus monastica viuendi disciplina excolitur, quanquam fortasse in Aegypto ante longum temporis spacium initium sumpsere: tamen ab Ammone, viro sanctissimo, fuêre multo magis aucta, amplificataque. Qui cùm adolescens esset, à nuptijs abhorruit ille quidem: sed tamen cùm nonnulli amicorum eum hortarentur, vt non ita contumelioſe nuptias insecta-retur, sed vxorem duceret, illis morem gessit, venitque ad nuptias. Ac statim vt virginẽ è thalamo exemerat, & consueta cum pompa in interius deduxerat cubiculum: tandẽ vbi necessarij illius decessissent, arrepto in manum libro epistolas Pauli complectenti, primùm epistolam illius Apostoli ad Corinth. cœpit legere, præceptaque illius de nuptis coniugi exponere: deinde multa aliunde adijcere: docere nuptiarum incommoda, quàm tristis sit inter virum & mulierem vitę consociatio, quàm acerbi dolores mulierem grauidam pungant. Addere etiam molestias, quæ in liberorum educatione inesse solent: postremò virginitatis commoda percensere, & quatenus vita pura, inuiolata, & ab omni labe vacua, sit libera: & quòd virginitas nos ad Deum quàm proximè faciat accedere. Hæc aliaque multa apud vxorẽ virginem elocutus, persuasit illi, vt priusquã congrederentur, eam vitæ rationem, quam humana consuetudo postulat, prorsus abijcerent. Ambo igitur, quasi fœdere de ea re pacto, ad montem, qui Nitria vocatur, rectà se conferunt: ibique ad exiguum tempus in tugurio ætatem degentes, communẽ vitæ monasticæ disciplinam exercuerunt, nullo virilis aut muliebris sexus discrimine habito: sed vnum corpus, vt est apud Apostolum, fuerunt in Christo. Non longo pòst tempore, noua sponsa & virgo incorrupta Ammonem sic affatur: Non te decet, qui temperantiæ & castitati colendæ te totum dedisti, fœminam in tantillo domicilio conspicari. Quare, si videtur, quisque nostrũm seorsim in monastico vitæ genere exercendo se ponat. Hoc itaque de vtriusque sententia pactum est: atque alter ab altera segregatus, quod reliquum erat vitæ, eo pacto contriuit. A` vino & oleo vterque abstinet, & panem siccum aridumque comedit: idque interdum pòst vnum integrum diem, nonnunquam pòst duos, aliquando pòst plures. Huius Ammonis animam pòst mortem ab angelis in cælum sublatam, Antonius, qui eisdem vixit temporibus, vidit: quemadmodum ab Athanasio Alexandriæ episcopo in eius vita commemoratum est. Quapropter permulti Ammonis viuendi modum studiosè imitari cœperunt: ac mons Nitriæ & Scitis,

ἀσκητήρια vnde orta.

Ammonis & eius sponsa perpetuus in coniugio cœlibatus.

Ammon in Nitria monte cũ sponsa monialium vitam agit monasticam.

Ammonis anima ab angelis in cælum sublata.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 34. Sozom. lib. 3. cap. 13. Theodorit. lib. 4. c. 28. Ruffi lib. 2. cap. 4.

A & Scitis, passim monachorum multitudine refertus est: quorum omnium vitas sigillatim persequi, seorsim tractationẽ postulat. Verùm quoniã inter eos viri pij, qui cùm propter disciplinam monasticam, tum propter Apostolicam viuendi rationem, quam colebant, valde fuêre eximij, res nonnullas perutiles & memoratu dignas tum gesserũt, tum locuti sunt: non incommodum erit, mea quidem sententia, si ad vtilitatem legentium ex multis pauca in hanc nostram historiam includamus. Fertur hunc Ammonẽ nunquam seipsum nudum aspexisse: dicereque consueuisse, turpe esse monacho suum ipsius corpus nudum contemplari. Eundemque, cum esset fortè flumen transiturus, vestes exuere magnoperè reuerentem, Deum precatum esse, vt ei à proposito, quod instituerat neutiquam repulso, transitus fieret. Quo facto, angelum in vlteriorem fluminis ripam eum transportasse. Didymus, qui etiam monachus fuit, nonagintaq; confecit annos, per totum vitæ spacium nullius vnquam hominis societate & consuetudine vsus est. Arsenius ex eodem numero, adolescentulos, qui deliquerant, à communione non segregauit, sed eos, qui in disciplina monastica profecerant. nam adolescẽtulus, inquit, si segregetur, contemnit: qui autem profecerit, dolorem, quem ex segregatione capit, citò persentiscit. Pior, inter ambulandum solebat comedere: atque cuidam interroganti, Cur ita faceret? respondit: Se in cibo sumendo non quasi opus facere, sed quasi superuacaneum quiddam. Alteri item de eadem re sciscitanti, dixit: Ne animus, dum comedo, voluptate afficiatur corporea. Isidorus dicebat, quadraginta annos, ex quo peccatũ in animo sensérat, iam præterisse, ac nunquam vel cupiditati vel iræ consensisse. Pambo, vir literarum omninò ignarus & rudis, ad quẽdam accedebat, vt psalmum disceret: & cum primum versum psalmi trigesimioctaui audiuisset, qui ita se habet, Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea: secundum audire noluit, sed decedẽs dixit: Vnus hic versus sat est, si modo eum reipsa & opere discere potuero. Atque illi, qui versum docuisset, ei vitio vertenti, quod sex menses continuos illum non vidisset: respõdit, Se versum psalmi nondum reipsa didicisse. Postea longo ætatis spacio percurso, cuidam ex notis quærenti, Vtrum versum didicisset? respondit, Se decem & nouem annis integris vix didicisse eum opere explere. Idem ipse, cuidã aureũ ad pauperes alendos ei largienti, dicentique, Numera quod dedi: respondit, † non esse opus numero, sed animo sano, rectéque composito. Eundem ferunt, Athanasij episcopi accersitu ex solitudine Alexandriam profectum: & cum ibi videret mulierem in pompa sumptuosius B exquisitiusque ornatam, quo homines ad se spectandam inuitaret, lachrymas profudisse. Atque quibusdam ex illis, qui aderant, rogantibus, Quid esset causæ, cur lachryma ret? respõdisse, se duabus rebus fuisse commotum: vna, quòd mulierem videret sibi exitium parare: altera, quòd ipse non tanta cura ac studio ad placendum Deo, quanto illa ad hominibus flagitioſis blandiendum, incumberet. Alius quidam dixit: Monachum si non laboret, pro fraudatore habendum esse. Petirus, qui in cognitione contemplationeque naturæ plurimum poterat, ad eos, qui in colloquium cum eo venirent, aliud atque aliud semper dicebat: qui inter singula, quę illis tradebat præcepta, preces ad Deum fundere consueuit. In numero monachorum, qui eo tempore vixerunt, duo viri erant pietate & sanctimonia eximij, qui eodem nomine (vterque enim vocabatur Macarius) nuncupati fuerunt: quorum alter ex superiore Aegypto, alter ex vrbe Alexandria oriundus, vterque multarum rerum causa, vt disciplinæ monasticæ, vitæ piè instituræ, morum præstabilium, & miraculorum denique ab ipsis editorum, percelebris & illustris. Aegyptius Macarius morbis tam multos liberauit, tot dæmones ex hominibus, qui eis dem agitabantur, eiecit, vt res ab eo per Dei gratiam gestæ, opus separatum desiderent. Erga illos, qui in ipsius congressum venirent, seueritate cum reuerentia temperata vsus est. Alexandrinus autem, etsi in alijs rebus omnibus ei similis fuit: in hac tamen dispar, quòd aduersus eos, qui cum ipso colloquebantur, se hilarem & iucundum ostendit: atque adeò vrbanitate & facetijs adolescentulos ad monasticam viuendi disciplinã allexit. Istorum discipulus fuit Euagrius: qui studium sapientiæ in initio quidem vertis duntaxat, postea autem factis diligentissimè excoluit. Hic primùm Constantinopoli à Gregorio Nazianzeno est ordinem diaconi consecutus: deinde vnà cum illo in Aegyptum profectus, ibiq; cum illis pijs viris, quos supra dixi, collocutus, illorum viuendi genus ardenti studio imitari cœpit: totque miracula ab eo edita, quot à Macarijs præceptoribus suis. Itemque libri ab illo accuratè cõscripti: quorum vnus Monachus, siue de viuendi ratione, quæ in agendo cernitur: alter Gnosticus, siue scientia prædi tus, dicendus sit, in quo sunt capita quinquaginta: alter Antirrheticus, id est, aduersus dæmones tentantes confutatio, ex Sacris literis collecta, inque octo partes diuisa, numero octo cogitationum mentis nostræ aptè respondentia. Sexcenta præterea problema-

Monachorum aliquot historiæ.

Ammonij.

Didymi.

Isidori. Pambonis.

Pambo.

Psalm. 38.

†Vide an. not. pag. 236. lat. 1. lin. 2.

Euagrij.

Petirij.

Macarij duo.

Eius scripta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ta de rerum præsensione futurarum. His accedunt duo carminum libri: vnus ad mona A
chos, qui in cœnobijs & conuentibus ætatem degunt: alter ad virginem: qui quidem
quàm eximij sint, facilè intelligent hi, qui sunt eos perlecturi. Verum opportunum
tempus, mea quidem sententia, hoc loco se offert, pauca ex illis, quæ sunt ab eo de mo-
Monasticæ vitæ commendatio. nachis commemorata, huic sermoni attexendi. sic enim loquitur: Viæ illæ, quas mo-
nachi ante nos institerũt, sunt nobis necessariò indagandæ, nostraque vitæ ratio ad illas
dirigenda. nam multa ab illis sunt & prudenter dicta, & acta præclarè. Ex quorum nu-
mero vnus dicebat, aridiorem tenuioremq; victus rationem, eamque semper æquabi-
liter obseruatam, modò cũ charitate iungeretur, monachum breui ad portum ἀπαθείας,
id est, vacuitatis ab omnibus animi perturbationibus, perducturam. Idem ipse quen-
dam fratrem noctu spectris grauiter turbatum liberauit, quòd illi in mãdatis dederat,
vt ægrotis ieiunans inseruiret. Causam verò rogatus: Nulla, inquit, re, ciusmodi pertur-
Antonij iusti dictum. bationes tam facilè sedantur, quàm misericordia. Cuidam ex eorum numero, qui id
temporis sapientes sunt habiti, ad Antonium illum iustum accedenti, quærentiq; quo
pacto vitam posset sustentare, solatio illo, quod ex libris capi solet, orbatus: respondit,
Meus liber, ô philosophe, est natura rerum à Deo conditarum: quæ, quotiescunque a-
nimo lubitum sit meo, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat. Aegyptius ille se-
nex Macarius, electionis vas, interrogauit me, quid esset, cur, cum iniuriarum nobis
ab hominibus illatarum recordamur, memoriæ vim & facultatem in animo insitam
labefactemus: cum autem earum quas dæmones nobis faciunt, tenemus memoriam,
eam integram illæsamq; seruemus: ac mihi quid esset respondendum hæsitanti, obscrã-
tiq́ue vt eius rei causam ab eo cognoscerem, dixit: priorem perturbationem contra na-
turam esse, posteriorem autem irę naturaliter congruere. Porrò autem cum ipse ad san
ctum patrem Macarium in ipso meridiei articulo accederem, & siti vehementer oppres
sus, aquam ad bibendum postularem: Vmbra, inquit, contentus esto. Nam multi, qui
vel terra iam iter faciunt, vel nauigio mare transmittunt, sunt ista quidem penitùs de-
stituti. Tum mihi cum illo de continentia sermonem conferenti, Bono animo esto, in-
quit, ô fili: viginti equidem iam annis continuis nec panem, nec aquam, nec somnum
cepi ad satietatem. Nam panẽ comedi pondere, aquam mensura bibi: parieti inclina-
tus, paululum somni surripui. Monachus quidam, cum patris mors ei significaretur, B
illum qui significabat, sic allocutus est: Desine loqui blasphemias. Nam pater meus im
mortalis est. Frater quidam, librum Euangelij, quem solum habebat, vendidit, pecuni-
amq; ad pauperes sustentandos contulit, dictum memoria dignissimum simul elocu-
tus: Eum ipsum librũ vendidi, qui dicit: Vende quæ habes, & da pauperibus. Est quædã
Matth. 19. insula propè Alexandriam, ad Boream vergens, quæ trans lacum Mariam sita est: in ea
A monachis, quæ aguntur, propter quinque causas agi monachus ex secta Gnosticorum, vir spectatissimus, habitauit. hic omnia quæ aguntur
à monachis, propter quinq; causas agi asseruit: propter Deum, propter naturã, propter
consuetudinem, propter necessitatem, & propter manuũ officium. Idem aliàs dicebat,
vnam esse natura virtutem: sed pro animæ facultatibus in quibus insit, varias in spe-
cies distribui. nam solis lumen, inquit, specie & figura caret illud quidem: sed ob fene-
Voluptatũ illecebræ cur amputandæ. stras, per quas penetrat, figurari solet. Alium quendam monachum fertur dixisse: Ob
hanc causam voluptatum illecebras amputo, vt materiam etiam pręcidam iracundię.
Etenim hanc noui pro voluptatibus perpetuò decertare, tranquillum mentis meæ sta-
tum perturbare, intelligentiæ vim afferre. Alter quidem senex dixit, Charitatem depo-
sita vel cibi vel pecuniæ non posse seruare. qui item dixit, Se non bis in eadem re, quan-
tum sciebat, à dæmonibus aliquando fuisse deceptum. Ista sunt ab Euagrio, in libro, qui
Euagrij Gnostici liber. de vita in actione posita inscribitur, totidem verbis commemorata. In libro autem, qui
Gnosticus dicitur, sic loquitur: Quatuor virtutes, & totidem earum præceptiones à Gre-
Prudentiæ munus: item Fortitudinis. gorio iusto didicimus: Prudentiam, fortitudinem, temperãtiam & iusticiam. Ac prudẽ-
tiæ munus esse sanctas illas facultates, quæ sunt mentis propriæ, nullis adhibitis verbis
(has enim à sapientia tradi affirmauit) contemplari: Fortitudinis, in veris firmè persiste-
re: & quamuis is propterea grauiter oppugnatus, ad falsa tamen nunquam deflectere.
Temperãtiæ. Temperantiæ semina à primo ac summo agricola accipere: eum autem, qui alia semi-
na porrigit, repellere. Denique iusticiæ rationem cuiusque rei pro dignitate reddere:
Iusticiæ. hancque virtutem alia obscurè innuere, nonnulla per ænigmata significare, quędam ad
imperitiorum vtilitatem apertius explanare. Veritatis columna Basilius Cappadox
Basilius Cappadox. ait, cognitionem, quæ ab hominibus capitur, crebro vsu & exercitatione fieri perfe-
ctiorem: eam autem, quæ per DEI gratiam animis nostris ingeneratur, iusticia, pla-
cabilitate & misericordia. Ac prioris eos, qui perturbationibus obnoxij sunt, posse
fieri participes: posterioris autem illos solos, qui sunt ab omni animi perturbatione
liberi,

A liberi, vacuique: quique, dum in precibus defixi sunt, propriam mentis lucem, quæ ip-
„ sos illuminat, contemplantur. Itemque sanctus Athanasius, Aegyptiorum luminare, *Athanasij sententia: item*
„ ait Moysi præceptum esse, vt mensam versus Aquilonem statueret: illi igitur, qui sunt
„ in cõtemplatione positi, animaduertant sedulò, quis sit ille aduersarius, qui contra eos
„ spiret, omniaque tentationis genera virili & excelso animo tolerent: & illos, qui ipsos
„ adeant, propenso ac parato animo alant, sustententque. Serapion etiam, Thmuitensis *Serapionis.*
„ ecclesiæ velut angelus, dicebat, Mentem quæ cognitionem spiritualem imbiberit, ple-
„ nè cumulateque purgari: partes animæ iracundia exardescentes, charitate sanari: pra-
„ uas cupiditates, quæ in animi domicilium illabuntur, coerceri continentia. Didymus, *Didymi.*
„ ille doctor maximus, & in rerum diuinarum contemplatione summus, dicere consue-
„ uit: Documenta de prouidentia & iudicio diuino assiduè tecum recolito, eorumque
„ summam (omnes enim ferè in illis labuntur) memoria custodire laborato: quorum
„ altera, de iudicio scilicet, in corporum differentia, inque ea, quæ est mundi, mutatio-
„ ne facilè discernes: altera, de prouidentia, in modis illis, quibus à vitiositate & insci-
„ tia ad virtutem & cognitionem ducimur, facilè animaduertes. Ista ex Euagrij libris
deprompta, in hunc locum contulimus. Alius quidam monachus erat, vir planè ad-
mirabilis, qui Ammonius vocabatur: iste adeò parum curiosus fuit, vt cum Romæ *Ammonius monachus.*
vnà cum Athanasio fortè versaretur, nihil ex magnificis vrbis operibus, præter tem-
plum Petro & Paulo dicatum, videre omninò desideraret. Idem cum ad episcopa-
tum gerendum impelleretur, clam aufugit: dextramque sibi præcidit auriculam, vt
corporis deformitas impedimento esset, quo minus ad illud munus deligeretur.
Postea cum Euagrius ad episcopatum à Theophilo episcopo Alexandrino delectus, ex
occulto aufugeret, nullo corporis membro amputato: Ammonioque fortè fortuna
occurreret, & facetè illum propterea perstringeret, quod auriculam præcidendo, fa-
cinus feciſſet, seque coram Deo reum ipse peregisset: Ammonius illi respondit, At *Euagrius episcopatũ fugit. Ammonij ad Euagrium responsio.*
tu, inquit, Euagri, non putas te pœnas daturum, quòd lingua propter nimium tui i-
psius amorem excisa, gratia, quæ donata est tibi, minimè vsus sis. Erant eodem tem-
pore etiam alij plurimi viri in monasterijs virtute & pietate præstantissimi, quos qui-
dem in hoc præsenti opere commemorare nimis longum esset: præsertim cum no-
Bbis, si illorum vitas & miracula ab ipsis propter singularem, quæ in eorum animis
insita fuit, sanctimoniam edita, singillatim persequeremur, à proposito admodum di-
grediendum esset. Quapropter, si quis studio ducitur accuratè cognoscendi, quas res
gesserint, quo pacto se in vita exercuerint, quæ ad audientium vtilitatem locuti fue-
rint, quo modo bestię illis obtemperarint: legat librum à Palladio monacho (qui *Palladij de monachorum vita liber.*
Euagrij fuit discipulus) separatim de illis editum. Nam omnia, quæ ad eos spectant,
in eo sunt accuratè explicata: in quo etiam de mulieribus, quæ parem viuendi ratio-
nem cum viris suprà dictis excolebant, sermo susceptus est. Euagrius verò & Palladius *Palladius & Euagrius quãdo floruerint.*
paulò post mortem Valentis floruerunt. Sed iam redeamus, vnde digressi sumus.

De sanctis monachis in exilium electis: & quomodo Deus, editis per illos miraculis, omnes ad se attraxerit.

CAP. XIX.

Vide Nicet. c. 27. lib. 11. Vide Theoderit. lib. 2. c. 16. Sozo. lib. 7. cap. 12.

Afflictio catholicorum in Aegypto.

CVM igitur Imperator Valens lege sanciuisset, vt in eos tum qui Ale-
xandriam, tum qui Aegyptum incolebant, persecutio concitaretur:
omnia vastata euersaque fuêre, dum alij in iudicium adducti, alij in
carcerem coniecti, alij alijs tormentis diuexati. nam varia cruciatus
genera illis, qui se quietè gerebant, inflicta. Vbi ista Alexandriæ erãt
pro libidine Lucij confecta, Euzoiusque Antiochiam reuerterat, dux
ei instituto defuit, sed multitudinem sanctorum virorum, quos neutiquam commi-
seratus est, multo acerbius, quam milites ipsi, afflictauit) ad Aegypti monasteria con-
tendunt. Posteaquam ad locum ventum est, viros consueta obeuntes munera, preces
scilicet fundentes, morbis medicantes, eijcientes dæmonia, comprehendunt. Isti, vt-
potè quibus miracula per Dei gratiam factitata non magno æstimarentur, solita preca-
tionum officia in locis ad orandum ipsis destinatis exequendi nullam voluerunt om-
ninò illis facere potestatem, sed inde eos exturbarunt. Neque his solum acquieuerunt.
Ruff. c. 4. lib. 2. quin sed in amentia longius progressi, temerarias populi turbas in eos incitarunt. Hæc Ruf.
scribit: finus se aspexisse, inque calamitatis societatem cum illis venisse se, narrat. Tum certè
ea, quæ ab Apostolo dicta sunt, videbantur in illis renouari. nam multi ludibrio ha-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Orthodoxorũ varia afflictio.

biti, flagris cæsi, vestibus spoliati, vinculis cõstricti, lapidibus obruti, cruentis gladijs obtruncati fuerunt: alij in solitudinem concluſi, ouillis caprinisque pellibus operti, auxilio destituti, grauiter afflictati, rebus asperis incommodisque acerbè admodum vexati, quos mundus suo complexu continere minimè fuerat promeritus: non pauci per varia loca deserta oberrantes, in montes, speluncas, terræque cauernas se abdiderunt. Atque ista afflictationum genera, propter fidem, propter opera, propter curationes deinde, quas diuina gratia adiuti fecissent, perpessi sunt. Verùm diuina prouidentia, vti verisimile fuit, permissum est, vt ista subirent incommoda, quo per illorum ærumnas alijs ad salutem, quæ in Deo est, pateſieret aditus. Quod quidem ita esse, exitus rerum perspicuè declarauit. Postquam igitur eximij illi viri, hasce rerum asperarum inflictas plagas tolerantia repressissent, Lucius de spe deiectus, persuadet militum præfecto, vt pa-

Macarij duo relegati, au thore Lucio.

tres monachorum in exilium mitteret. Patres autem erant, Macarius Aegyptius & Macarius Alexandrinus. Isti igitur in insulam quandam, quæ nullum incolam habebat Christianum, relegati fuêre. In qua insula erat delubrum, & sacerdos quem omnes incolæ pro Deo venerabantur. Cum isti sancti viri in eam essent ingressi, omnia dæmonia quæ ibi versabantur, præ metu & terrore cœpêre exhorrescere. Eodem tempore tale quoddam miraculum dicitur euenisse. Sacerdotis filia à dæmonio ex improuiso occupata, supra modum furere, resque omnes disturbare cœpit, neque eius rabies vlla ratione comprimi sedariue potuit, sed contra eos pios viros grauiter vociferata est ad hunc modum: Cur hic venistis ad nos abigendos? Itaque sancti illi, munus quod diuina gratia ipsis largita fuerat, palàm ibi de integro ostenderunt. nam dæmonem ex virgine ciciunt, eam patri tradunt sanam & valentem, sacerdotem & omnes insulæ habitatores ad fidem Christianam traducunt. Extemplò igitur commutata religionis forma, omnes baptizati sunt, & doctrinam Christianam lubentibus animis didicerunt. Quare diuini illi viri propter fidem Consubstãtialis grauiter & acerbè exagitati, cùm illi ipsi magis probati facti sunt, tum alijs salutem dederunt, tum deniq; fidem illã effecerunt multo firmiorem.

Miraculũ de liberata sacerdotis filia à dæmone.

De Didymo cæco. CAPVT XX.

Didymus cæcus quando floruerit.

EIsdem temporibus alium virum valdè fidelem Deus extulit in lucem, per quẽ suam fidem vehementer testatam & illustrem reddidit. nam Didymus, vir planè admirabilis & insignis, omniq; literarum genere excellens, per id tempus floruit. Qui cum adhuc admodum adolescens esset, & prima literarum elementa solum didicisset, in grauem morbum oculorum incidit: quo quidem grauiter afflictatus, lumina penitùs amisit. At Deus pro oculorum sensu, intelligentiæ aciem illi elemens impertijt. nam quæ oculorum obtutu capere non poterat, ea per sensum audiendi perdidicit: quippe à puero, præclara indole & ingenio valde bono præditus, omnes

Didymi eruditio & scripta.

ingenioſos, etiam acutissimè cernentes, longè superauit. nam grammaticæ præcepta celeriter combibit: rhetoricæ autem multo celerius: ad studium philosophiæ ingressus, mirum quantum breui profecerit. ac primùm Dialecticam, deinde Arithmeticam, tum Musicam didicit: postremò reliquis disciplinis, quæ philosophiæ finibus cõtinentur, ita animum suum imbuit, vt cum illis, qui oculorum subsidio maximas in eisdem progressiones fecissent, congredi potuerit. Quinetiam sacrosancta tum veteris, tum noui Testamenti eloquia adeò accuratè tenuit, vt multos in eadem conficeret commentarios. Itemq; de trinitate tres libros edidit. Libros porrò Origenis de principijs interpretatus est, inque eosdem composuit commentarios, quibus probauit eos optimè perscriptos: illosq; inaniter nugari, qui cum Origenis libros non possent intelligere, & hominem incusare, & libros reprehendere laborarent. Quocirca si quis multiplicem doctrinam, & ardens animi studium Didymi cognoscere desiderat, libros ab eo editos euoluendo facilè, quod volet, consequetur. Fertur præterea, Antonium iampridem Va-

Antonij cum Didymo colloquium.

lentis temporibus, cum propter Arianos ex solitudine Alexandriam accederet, cũ hoc Didymo in colloquium veniſse: eiusque doctrinam & intelligẽtiam cum perspexisset, ei dixisse: nihil te conturbet, Didyme, quòd sensu oculorum corporeorum orbatus sis. nam quamuis tales oculi, quales muscis & culicibus tribuuntur ad seruandum, tibi prorsus desint: tamen lætari plurimum debes, quòd illos habeas oculos quibus angeli aspiciunt, quibus Deus ipse cernitur, quibus denique clarissimum eius lumen comprehenditur. Hæc iampridem sanctum Antonium ad Didymum dixisse ferunt. Didymus eodem tempore maximus sinceræ fidei patronus contra Arianos fuit: illis se opposuit, eorum fallaces captiones dissoluit, denique rationes adulterinas & veteratorias coarguit.

Didymus sinceræ fidei contra Arianos patronus.

De

Vide Hieron. in catalogo illustrium. Ruffin. lib. 2. cap. 7. Theodor. lib. 4. cap. 27.

A

De Basilio Cæsarienſi, & Gregorio Nazianzeno.

CAP. XXI.

Vide Nicephor. lib. 11. ca. 13. 17. 18. 19. Ruffin. ca. 9. lib. 2. Vide Theodorit. lib. 4. cap. 17. Sozom. lib. 6. ca. 15. 16. 17.

QVemadmodum Alexandriæ Didymus diuina prouidentia Arianis oppositus fuit, ita in alijs ciuitatibus Basilius Cæsarienſis, & Gregorius Nazianzenus: de quibus tempus videtur opportunum iam pauca differendi. Quanquam illorum memoria apud omnes sine intermissione vsurpata, & doctrinæ fructus ex eorum libris perceptus, satis valere possunt ad vtriusque commendationem: tamen cum per id tempus multa ecclesijs afferrent adimenta, & tanquam duæ faces ad fidem accendendam à Deo conseruarentur: nostrum institutum videtur postulare, vt de illis cũ primis pauca commemoremus. Quòd si quis Basilium & Gregorium inter ipsos comparare, vitamque, mores & virtutes, quibus vterq; præstabat, oratione prosequi voluerit, hærebit admodum, quem illorũ alteri prætulerit. Nam & recta vitæ institutione, & vtroq; genere literarum, tam gentilium quàm sacrarum, alter alteri par. Qui cum adolescentes essent, Athenis Hymerij & Proeresij, sophistarum eius ætatis perquàm celebriũ, auditores fuêre: posteà Antiochiæ Syriæ à Libanio instituti, in dicendi facultate venêre ad summũ. Ac cum ad philosophiæ præcepta tradenda iudicarentur idonei, rogarenturq; propterea à permultis vt ad docendi munus totos se transferrent, cumq; etiam alij eos hortarentur vt rebus forensibus se dederent, vtroq; illo vitæ genere contempto, abiectaq; etiam sophistarum disciplina, solitariam viuendi rationem sibi delegerunt. Itaq; simulac philosophiæ præceptiones sub

Basilij & Nazianzeni comparatio.

Institutio puerilis, & præceptores.

Hymerius. Proeresius. Libanius.

Vitæ institutum. Origenis libri.

Vide Nicephor. lib. 11. c. 17.

doctore, qui tum philosophiam Antiochiæ docebat, attigissent, non multo pòst libros Origenis (qui tum per vniuersum orbem terrarum in magna gloria fuit) sibi colligere, ex illisq; sacrarum literarum interpretationem perdiscere cœperunt. Quibus admodũ exercitati, contra Arianos strenuè dimicauêre. Cumq; Ariani Origenis libros ad ipsorum dogma confirmandum adducerent, illi eorum coarguerunt inscitiam: perspicueque ostenderunt, eos Origenis mentem & sententiam neutiquam intellexisse. Eunomius enim, eiusdem sectæ fautor, & quotquot ex Arianorum numero, qui tum diserti sunt habiti, quando cum Gregorio & Basilio congrediebantur, seipsos imperitos & planè indoctos prodiderunt. Basilius primùm à Meletio Antiochiæ Episcopo diaconus ordinatus, posteà episcopus suæ ipsius patriæ, Cæsareæ videlicet Cappadociæ, delectus, ad ecclesiarum procurationem omnem suam curam ac studium contulit. Nam cum magno perè extimesceret, ne noua Arianorum doctrina per prouincias Ponti serperet, summa cum celeritate ad eas partes proficiscitur: ibique loca ad monasticam disciplinam exercendam constituere, homines suæ doctrinæ præceptis informare, animos in fide vacillantium corroborare cœpit: Gregorius autem Nazianzi, vrbis Cappadociæ perexiguę (in qua pater eius antè rexerat ecclesiam) episcopus creatus, idem quod Basilius præstare. Vrbes quippe perlustrans, languentes in fide confirmauit: Constantinopolim verò sæpissimè iter faciens, animos eorum, qui vno consensu fidem Consubstantialis tutabantur, sua doctrina institutisque erigere. Quapropter breui tempore pòst, multorum episcoporum suffragijs episcopus Constantinopolis constitutus fuit. Posteaquam igitur res ab vtroque gestæ ad aures peruenerunt Imperatoris Valentis, sine mora Basilium Cæsarea Antiochiam adduci iubet. Itaque quàm primùm eò adducitur, & de Imperatoris sententia ad præsidis tribunal deducitur. Ac cum præses ab eo sciscitaretur, quid causæ esset, cur Imperatoris de religione opinionem non amplexaretur? Basilius ingenuè & liberè admodum Imperatoris insimulauit opinionem, fidemque Consubstantialis commendauit. Cumque præses illi mortem minaretur: Vtinam, inquit Basilius, hoc mihi verè accidat, vt pro veritate ex his corporis vinculis eripiar. Vbi iterum atque iterum repetebat præses, vt rem secum accuratè consideraret, fertur dixisse Basilium: Ego quidem hodie & cras idem sum: atque vtinam tu non mutes sententiam. Tunc itaque Basilius ad diem illum integrum tenebatur in custodia. Non diu pòst, filius Valentis nomine Galates, qui tenera admodum ætate fuit, fortè adeò grauiter ægrotare cœpit, vt medici de eius vita penitùs desperarent. Cuius mater Dominica Imperatrix, retulit ad Imperatorem, se per quietem ab horrendis visis valdè diu exactam fuisse: puerumque propter contumeliam, quam Basilius episcopus fuisset ab eo perpessus, morbo afflictari. Quæ Imperator animo diligenter complectens, accersit Basilium: & quo illius faceret periculum, sic illum alloquitur. Si vera sunt tua de fide dogmata, precare vt filius meus non moriatur. Tum Basilius: Si, inquit, credes, ô Imperator, quemadmodum ego, & efficies vt ecclesia ad concordiam reducatur, viuet puer. Cui cum Imperator minimè consentiret: Idcirco, inquit Basilius, de puero fiat vo-

Basilius Cæsareæ episcopus delectus, vbi primum monastica disciplinã instituit.

Gregorius Nazianzi episcopus, mox Constantinopolis.

Basilij apud præsidem confessio.

Galates Valentis filius. Dominica Imperatrix.

Valentis cum Basilio de filio suo ægrotante colloquium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

luntas Dei. Basilium, cum hæc dixisset, dimitti iubet. Puer statim pòst exit è vita. Sed A
Ruffinus Basilij interpres. de his duobus viris hæc quidem summatim percursa sint. Libros autem vterque per-
multos eximiosque conscripsit atque edidit: è quibus nonnullos Ruffinus in Latinum
Basilij fratres duo. sermonem se conuertisse memorat. Basilius duos habet fratres, Petrum & Gregorium.
Petrus, solitarium vitæ genus Basilij secutus est: Gregorius autem, docendi ratio-
nem: qui librum à Basilio in Hexameron editum, vtpotè imperfectum, post mortem
fratris cumulatè expleuit. Idem funebrem orationem in Meletium episcopum An-
tiochiæ, Constantinopoli recitauit. Extant quoque aliæ diuersæ orationes ab eo con-
scriptæ.

De Gregorio Neocæsariensi. CAP. XXII.

SEd quoniam non pauci partim ex nominis similitudine, partim ex libris, Vide Nicc. c. 19. lib. 11.
qui Gregorio tribuuntur, in errorem incidunt, intelligendum est, alium
fuisse Gregorium Ponticum, qui ex Neocæsarea ciuitate Ponti ortus, illos
Gregorius Pōticus, Origenis discipulus. quos supra citaui (Origenis enim fuit discipulus) ætate longè anteiuit. Iste
Primum Iuris, deinde Theologiæ studiosus. Gregorius crebrò hominum celebratur sermone, non Athenis solùm &
Beryti, verumetiam per totam regionem Ponti, atque adeò per vniuersum (propè dixe-
rim) orbem terrarum. Qui vt primùm à schola Athenensi decesserat, Beryti legib. per-
discendis operam dedit: ac cum accepisset Origenem sacras literas Cæsareæ interpreta-
ri, Cæsaream proficisci maturat. Cumq; sublimem & admirabilem Sacrarum literarū
scientiam audiuisset, leges Romanorum missas fecit, illiq; deinceps perpetuò adhæsit.
Id circo cum veram philosophiam ab illo didicisset, parentum accersitu reuertit in pa-
triam. Vbi primùm, dum adhuc laicus erat, multa edidit miracula: ægrotos curauit: per
Eius miracula. epistolas fugauit dæmones: gentiles non verbis solum, sed factis multò magis ad fidem
Pāphili martyris oratio. attraxit. Illius facit mentionem Pamphilus martyr, in libris quos pro Origene confe-
cit: in quibus posita sua est oratio Gregorij, in Origenis commendationem conscripta.
Quare vt complectar breui, Gregorij quatuor fuere: vetus iste, qui Origenis fuit discipu-
Gregorij quatuor. lus: Gregorius Nazianzenus: Gregorius frater Basilij: & Gregorius Alexandrinus, quem
Ariani, dum exularet Athanasius, episcopum designarunt. Sed de his ista quidem ha-
ctenus. B

De Nouato, & ortis ab eo Nouatianis: & quòd, qui ex illis Phrygiam incolebant, festum Paschatis ad Iudæorum ritum transtulerunt.

CAP. XXIII.

PEr idem tempus Nouatiani, qui Phrygiam incolebant, tempus festi Pascha- Vide Nicc. lib. 11. c. 18. Sozo. lib. 6. cap. 22. Theodor. lib. 4. cap. 23. Euseb. lib. 6. cap. 35. & lib. 7 ca. 7. Item Socr. lib. 5. ca. 20.
tis celebrandi commutauere. Verùm qua ratione istud factum sit, pòst com-
memorabo: vbi prius dixero, qua de causa iste nimis exquisitus & seuerus ec-
clesiæ Nouatianæ canon, apud Phrygum & Paphlagonum gentem potissi-
Nouatus cur se ab ecclesia Rom. segregauerit. mùm dominetur. Nouatus Presbyter propterea ab Romana se segregauit Ecclesia,
quòd Cornelius Episcopus eos fideles, qui tempore persecutionis, quam Decius Impe-
rator contra ecclesiam excitauerat, idolis sacrificauerant, in communionem recepit.
Episcopatum adipiscitur. Ob quam causam cum se ab illa ecclesia seiunxisset, primùm ab episcopis idem cum illo
sentientibus episcopatum adeptus est: deinde omnibus vbique ecclesijs scripsit literas,
vti eos, qui simulachris immolassent, minimè ad mysteria admitterent, sed hortaren-
tur ad pœnitentiam: remissionemque permitterent Deo, qui potest & habet authori-
tatem peccata remittendi. Quibus literis ad prouincias perlatis, singuli pro suopte
ingenio de rebus in illis significatis iudicium fecerunt. Nam quia erat à Nouato signi-
ficatum, eos qui post baptisma peccatum ad mortem commiserant, ad mysteria non
Nouati canon. esse recipiendos: eiusmodi Canonis promulgatio quibusdam acerba & seuera nimis
visa est: à nonnullis probata, vtpote æqua, & ad vitam rectè instituendam multum ad-
Cornelius pōt. Roman. ferens adiumenti. Dum hæc inter eos agitatur controuersia, literæ Cornelij episco-
pi allatæ sunt, quæ significabant, spem veniæ etiam illis esse reliquam, qui post ba-
ptismum deliquissent. Ab vtroque igitur literæ contrariæ missæ fuerunt. Ac cum v-
terque suam sententiam Sacrarum literarum testimonijs confirmare videretur, ad
quam quisque opinionem erat propensior, ad eam (vt moris est) se potissimùm trans-
tulit. Nam qui peccando delectabantur, indulgentiam, quæ tum erat concessa, arri-
Phrygum temperantia. pientes, in posterum tempus ea ad omne peccati genus abusi sunt. Phrygum quidem
Scytharum barbaries. gens alijs gentibus videtur multo esse temperantior: etenim perrarò iurant. Scythæ &
Thraces sunt ad iracundiam procliuiores. Qui propius accolunt ad solem orientem,
concupiscentiæ multo magis seruiunt. Paphlagones & Phryges ad neutram istarum
pertur-

A perturbationum propendent. nam hoc tempore neque equestribus certaminibus, ne-
que spectaculis edendis operam dant. Quocirca hi qui hoc animo sunt, mihi videntur
magis ad sententiam literarum à Nouato perscriptarum inclinare. Stuprū enim apud
illos pro scelere habetur detestabili. Constat namque, Phrygum & Paphlagonum vitæ
rationem alijs cuiuscunque modi hæresis sectatoribus, modestiorem, castioremq; esse.
Eandem causam modestè vitam instituendi, suspicor fuisse illis qui partes incolebant
versus Occidentem, quique Nouati doctrinæ morem gerebant. Nouatus ipse, etsi de se-
Nouatus Pascha festiuitatem non mutat. uero viuendi modo ab ecclesia Romana dissentiebat, tempus tamen festi Paschatis ce-
lebrandi non omnino mutauit. Perpetuò enim illud festum, de more illorum qui in
partibus ad Occidentem spectantibus habitabant, obseruauit, eodemque celebrauit
Nouati martyrium. modo. Qui autem ibi vitam degunt, à primo tempore quo fidem Christianam cœpêre
profiteri, semper post æquinoctium, festum illud celebrarunt. Et quanquam ipse No-
uatus, pòst regnante Valeriano, qui Christianos persequebatur, martyrio occubuit: il-
lis tamen qui in Phrygia nomen ab eo ducebant, licet à fide Ecclesiæ auersis, eius com-
munione vti permissum est. Quo quidē tempore diem festi Paschatis celebrandi com-
mutarunt. nam in Pazo vico, vbi fontes sunt Sangarij fluminis, concilio coacto, pauci
Nouatianorum concilium. quidam episcopi Nouatianorum in Phrygia, ijque obscuri, decidunt, morem Iudæo-
rum qui azyma faciunt, obseruandum: festumque eodem tempore, quo ab illis agitur,
esse celebrandum. Ista fuêre nobis à viro quodam ætate admodum ingraue scente nun-
ciata: qui quidem se filium presbyteri esse dixit, simulque cum patre illi concilio inter-
fuisse: in quo neque Agelius Nouatianorum Constantinopoli episcopus, neque Ma-
ximus Niceæ, neque episcopus Nouatianorum Nicomediæ, neque eiusdem sectæ epi-
scopus Cotuaij aderat: cum tamen ab illis potissimùm Nouatianæ religionis Canones
sanciti sint. Atque istas res ita iam olim gestas esse accepimus. Paulo pòst, propter illud
Nouatianorum ecclesiæ diuisio. concilium (sicut alio loco dicemus) Nouatianorum ecclesia intra se ipsa diuisa est.

De Damaso Romano pontifice, & Vrsino: & quomodo eorum causa perturbatione Romæ exorta, ac seditione, multa inde stragesque subsequuta sit.

B

CAPVT XXIIII.

Vide Nicephor. ca. 30. lib. 11. Sozomen. li. 6. ca. 23.
IAm verò ad res eodem tempore in Occidente gestas veniamus. Cum Imperator *Damasus Liberij successor.*
Valentinianus tranquillè placideque vitam traduceret, nullamque sectæ vlli ex-
hiberet molestiam, Damasus Liberio in episcopatus Romani administratione
successit. Vnde ecclesiæ Romanæ status fortè fortuna magnopere conturbatus fuit: *Vrsinus Damasi competitor.*
cuius rei causam, talem fuisse accepimus. Vrsinus ecclesiæ illius diaconus, cum delectus
haberetur episcopi, ipse Damasi competitor fuit. Qui cum videret Damasum sibi præ-
latum, iniquo animo ferens, se de spe decidisse, separatim ab Ecclesia conuentus agere
laborauit: persuasitque quibusdam obscuris & abiectis episcopis, vt in occulto ipsum
crearent episcopum. Idcirco creatus est non in ecclesia, sed in loco operto basilicæ, quæ
Sicona dicitur. Qua re confecta, populus discordare cœpit. Mutua igitur non de fide,
aut hæresi aliqua, sed solum vter istorum sedem episcopalem obtinere deberet, seditio
Vrsini factio compressa. conflata est. Hinc tam graues erant multitudinis concursationes contentionesque ex-
citatæ, vt præ tumultu inde exorto permulti interirent. Quam ob causam complures
tam laici quàm clerici à Maximino, qui tum præfectus fuit, acerbis afficiebantur suppli-
cijs: ad eumque modum & Vrsini conatus cohibitus est: & qui illi morem gerere in
animum induxerant, penitùs compressi.

Quòd postquam Auxentius Mediolanensis episcopus de hac vita migrasset, & seditio propter futuri præsulis electionem exarde sceret, Ambrosius prouinciæ præfectus, cum illam militari manu restinxisset, communi omnium suffragio, & ipsius Imperatoris Valentiniani consensu, ad præsidendum Ecclesiæ asciscitus est.

CAP. XXV.

Vide Nicephor. c. 31. lib. 11. Sozomen. li. 6. ca. 24.
SVb idem tempus altera res planè memorabilis Mediolani fortè gesta fuit. Cùm *Auxentij obitus, Anno Christi 378. cui suffectus est Ambrosius.*
Auxentius illius vrbis episcopus, qui ab Arianis fuerat designatus, è vita cesserat,
ibi rursus magnopere de episcopo deligendo turbatum fuit: magnaque apud
illos excitata contentio, dum alij alium ad eum dignitatis gradum extollere labora-
rent. Vbi de hac re facta erat seditio, Ambrosius prouinciæ præfectus, dignitateque
ornatus consulari, veritus admodum ne ex illo tumultu aliquid sceleris in ciuitate
ederetur, hoc animo procurrit in ecclesiam, vt seditionem compesceret. Postquam po-
pulus eius aduentu conquieuerat, ipseque populum de multis rebus vtilibus hortatus,

temerarios multitudinis impetus compresserat, derepentè vno omnium consensu & A
Ambrosius ex prouinciæ præfecto episcopus. clamore Ambrosius episcopatu dignus existimatus est, omniumque designatus suffragijs. Nam eo pacto solum spes erat & concordiam inter ipsos conciliatā fore, & omnes eandem de fide sententiam amplexaturos. Nam episcopis qui aderant, videbatur hæc consentiens populi vox diuinitùs sanè emissa. Idcirco sine mora Ambrosium comprehendunt, lauacro baptismatis (erat enim catechumenus) tingunt, ad episcopatus procurationem deligunt. Verùm cum Ambrosius baptisma libēter reciperet ille quidem,
† Vide an. not. pag. 240. lat. lin. 18. † episcopatus tamen dignitatem prorsus repudiaret, Valentinianū de re gesta faciunt
Ambrosio vna nimiter electo pax in ecclesia fuit. certiorem. Qui populi admiratus consensum, opusque Dei ratus, quod factum erat, significat episcopis, vt voluntati Dei inseruirent, qui iusserat vt illum crearent episcopum. Nam Deum potius quàm homines ei ad hunc honoris gradum suffragatum fuisse. Ambrosio itaque ad hunc modum episcopo designato, Mediolani, qui ante inter ipsos discordarant, tum ad pacem & concordiam fuēre reducti.

De morte Valentiniani. CAP. XXVI.

POst hæc, cum Sauromatæ in Romanorum fines incursiones facerent, Imperator cum ingentibus copijs & apparatu contra eos ire maturat. Barbari cum ista accepissent, seque tantas copias tantumque apparatum ferre non posse animad- Vide Nicephor. cap. 33. lib. 11. Sozom. li. 6. ca. 36. li. 7. ca. 22.
uerterent, legatos miserunt, qui pacto fœdere pacem ab eo postularent. Simulatque igitur legati aduentarunt, eique visi sunt abiecti admodùm & sordidi, sciscitabatur, ecquid omnes Sauromatæ essent eiusmodi? Cumque legati respondissent, Sauromatum facilè optimos ad illum aduentasse: Valentinianus iracundia supra modum inflammatus est, ingentique clamore sublato dixit: Malè actum esse cum Imperio Romano, quòd eius administratio ad ipsum deuenisset, quo regnante tam egens ac sordidū barbarorum genus non erat contentum se suis finibus cū salute continere, sed arma sume-
Valentiniani obitus anno 379 vel vt quidam anno Christi 381. re, Romanorū fines populari, ad bellum animo confidēti proficisci maturabat. Atque tantopere suos neruos vociferando distendit, vt omnes venas aperiret, omnesque arterias disrumperet. Vnde tanta sanguinis copia effusa est, vt in castello quod Bergitiō appellatur, extremum vitæ diem obiret: Gratiano iam tertium, & Ecætio consulibus: xv.
Bergition castellum. Cal. Decemb. Vixit annos quinquagintaquatuor, regnauit tredecim. Mortuo igitur
Valentinianus iunior Imp. declaratus. B Valentiniano, milites qui erant in Italia, sexto die post eius mortem, Valentinianum † Vide ann. not. pag. 240. lat. lin. 40. iuniorem, qui nomen à patre habuit, cum esset ætate admodum tenera, † Aconci vrbis Italiæ Imperatorem declararunt. Quod cum cæteris imperatoribus esset nunciatum, ægrè admodum tulerunt, non quòd Valentinianus, qui alterius frater, alterius filius fratris fuit, Imperator erat designatus: sed quòd absque illorum consensu & sententia designatus erat, cum illi ipsi essent ipsum designaturi. Attamē vt Imperator esset, vterque illi suffragatus est: itaque Valentinianus iunior ad hunc modum fuit in sede imperij paterni collocatus. Hunc Valentinianum intelligamus oportet ex Iustina natum
Iustina Seuere superinducta. fuisse, quam pater eius priore coniuge Seuera adhuc viuente, duxerat, idque tali de causa. Iustus pater Iustinæ, qui iampridem, temporibus scilicet Constantij Imperatoris,
Iustus Picenæ præfectus. Picenæ prouinciæ fuit præfectus, in quiete per visum videbatur sibi videre, se purpuram imperatoriam è dextro latere, tanquam partum edidisse. Quod quidē visum cùm alijs plerisque narratum fuit, tum ad aures perlatum Constantij. Ille ex viso ducebatur ad augurandum, Imperatorem ex Iusto satum fore: & propterea misit aliquot, qui Iustum è medio tollerent. Itaque Iustina patre orbata, virgo permansit. Postea tempore progrediente, Seueræ, Imperatoris Valentiniani coniugi, nota esse cœpit: crebroque cum illa venit in colloquium. Postquam verò creuit inter eas consuetudo & familiaritas, ijsdem balneis pariter lauabant. Idcirco Seuera, vbi Iustinam in balneis lautam vidisset, virginis pulchritudine mirè capiebatur, cœpitque de ea apud Imperatorem verba facere: Iusti filiam, virginem esse pulchritudine planè admirabili: seque licet esse mulier, eius forma adeò venusta vehementer oblectari. Imperator vxoris verba mente interiori recondens, consilium de Iustina in vxorem ducenda inijt: Seuera, de qua Gratianum, quem paulo antè Imperatorem declarauerat, suscepit, neutiquam repudiata.
Valentiniani lex de duabus vxoribus ducendis. Quare legem tulit, vt cuique volenti liceret duas vxores habere legitimas: eamque in singulis ciuitatibus diuulgauit. Lege itaque diuulgata, ipse Iustinam duxit vxorem: ex qua Valentinianum iuniorem, & tres filias, Iustam, Gratam & Gallam procreauit.
Galla. Placidia. Quarum duæ vitam in virginitate traduxerunt: Galla autem postea Theodosio Magno in matrimonium collocata fuit: ex qua Placidia filia ei nata est. nam Arcadium & Honorium ex Placida priore suscepit coniuge. Verùm de Theodosio, & liberis, suo loco dicetur.

De

A *De Themistio philosopho: & quòd post habitam ab eo coram Valente orationem, aliquanto moderatius Christianos infectatus est: & ex qua occasione Gothi temporibus Valentis, Christianam fidem susceperint.*

CAPVT XXVII.

Vide Nicephor. c. 42. lib. 11. VAlens, qui Antiochiæ ætatem degebat, quanquam à bello gerendo cum exteris acquieuit (barbari enim vbique se suarum regionum finibus continebant) in eos tamen quos videret in fide Consubstantialis constanter perse-
Valentis in orthodoxos crudelitas. uerare, impetum fecit: inque dies singulos grauiora contra eos vsque eò excogitare supplicia non destitit, quoad ferox eius animus oratione Themistij philosophi, quam apud illum habuit, mansuetior placabiliorque factus esset: in
Themistij pro Christianis oratio, quæ hactenus non extat, cum ea quæ hic dicuntur in neutra earum habeantur quæ publicatæ sunt. qua Themistius Imperatorem admonebat, ne qua ipsum caperet admiratio de Christianorum in religione dissensione: eam enim perexiguam esse, si cum multitudine ac turba opinionum quæ sunt apud gentiles philosophos (sunt enim amplius trecentæ: & dissensio inter eos permagna est propter decreta, quibus quęque secta quasi necessariò tenetur astricta) comparetur: Deumque velle tam diuersa ac dispari opinionum rationē suam gloriam illustrare, quò singuli eius maiestatem propterea magis reuerean-
Gothorum intestinum bellum. tur, quòd non sit cuiquam in promptu eum accuratè cognoscere. His verbis, & alijs eius generis à Philosopho apud illum vsurpatis, quanquam cœpit esse paulò mitior, comiorque, tamen non omnem iracundiæ æstum omnino sedauit: sed viros sacris initiatos loco mortis vsque eò multauit exilio, quoad iste eius conatus tali casu esset fortè compressus. Barbari trans Istrum incolentes, qui appellantur Gothi, bello intestino inter
Phritigernes. Athanarichus ipsos concitato, in duas factiones diuisi fuerunt: quarū alteri Phritigernes, alteri Athanarichus præfuit. Cum autem Athanarichus videretur superiores partes obtinere, Phritigernes ad Romanos auxilij contra aduersarium petendi gratia profugit. De quibus rebus Valens certior factus, dat mandatum militibus qui versabantur in Thracia, vt barbaris contra barbaros dimicantibus subsidio essent. Illi itaque hostibus in fugam conuersis, trans Istrum contra Athanarichum sunt victoriam consecuti. Quæ causa fuit permultis barbaris, fidem Christianam recipiendi. Nam Phritigernes, quò pro beneficio accepto Imperatori gratiam referre posset, eius religionem amplexari cœpit,
B *Gothi cum Ariani, Vlphilas Gothicarum literarum inuentor.* suosque ad idem faciendum hortari. Atque eam ob causam complures Gothi, qui tum, quo Imperatoris voluntati obsecundarent, se sectæ Arianæ addixerant, ad hoc vsq; tempus eidē adhæresc unt. Eodē tempore Vlphilas Gotthorum episcopus, literas Gotthicas inuenit: atque vt primum sacram Scripturam in eorum linguam conuerterat, instituit animo, vti barbari illi sancta Dei eloquia perdiscerent. Simulatque verò
Arij hæresis. Vlphilas eos non solum qui Phritigerni, verùm etiam qui Athanaricho parebant, religionem Christianam docuerat: Athanarichus permultos qui fidem Christi profitebantur, perinde ac si patria sua religionis instituta per eos fuissent adulterata, grauibus affecit supplicijs: ita vt barbari nonnulli ex secta Ariana tum martyres fierent. Verùm Arius cum Sabellij errori non posset resistere, ex recta fide lapsus excidit, & filium Dei nuper genitum esse tradidit: at barbari animo simplici religionem Christianam amplexi, pro fide Christi vitam, qua hic fruebantur, profundere non dubitarunt. Sed de Gotthis ad fidem Christi conuersis, hæc quidem ad hunc modum.

Quòd Gothi ab alijs barbaris sedibus suis eiecti, ad Romanorum fines confugerunt: qui ab Imperatore susceperi, postea subuersionis Romani imperij, & ipsius Imperatoris, causa extiterunt: & quod Imperator, dum totus in cogitatione belli contra Gothos foret, bellum contra Christianos remissiore animo gerebat. CAP. XXVIII.

Vide Nicephor. c. 42. lib. 11. BReui tempore pòst barbari illi, amicitia inter ipsos mutuò conciliata, ab alijs barbaris, vicinis suis, qui Hunni vocabantur, expugnati, suæque regionis finibus exturbati, ad Romanorum ditionem confugere, Imperatori Romano sua
Gothi ab Hunnis pulsi, Romanos fines inuadūt. sponte inseruire, eius mandata exequi statuerunt. Quæ cum Valenti erant nunciata, ille minimè quid inde futurum videretur, animo prospiciens, iubet supplices misericordia complecti: inque hac re vna se clementem ostendit. Itaque quasdam partes Thraciæ illis præscribit ad incolendum, seque ea de re fortunatum esse censet. Sic enim cogitabat, se ex illis exercitum paratum instructumque contra hostes habiturum: quinetiam barbaros custodes multo plus terroris, quàm Romanos, hostibus incussuros. Et ob eam causam de cætero in milite Romano augendo cœpit esse negligentior:

atque

Universidad de Deusto
Biblioteca

Exactionum grauitas multorum malorum causa.

atque adeò veteranos milites, qui in bello viriliter & magno animo dimicare norant, A penitùs contempsit: pro militibus autem qui exprouincijs vicatim colligi solent, pecuniam exegit, iussitque vt pro singulis militibus octoginta aurei exigerentur: idque, cum illos antea tributo leuasset. Hęc quidem origo & causa fuit, cur res Imperij Romani ad aliquod temporis spacium parum prosperè succederent. Nam barbari occupata Thracia, & prouincia Romanorum cum securitate possessa, res adeò secundas ferre nesciuêre: sed contra Romanos, qui tanta beneficia in eos contulerant, arma capere,

Christianorũ persecutio remissior facta.

omniaque loca ad Thraciam spectantia vastare cœpere. Quibus rebus ad hunc modum confectis, Valentique nunciatis, destitit ab illis in exilium mittendis, qui fidem Consubstantialis amplexabantur. Nam in rebus dubijs perplexisque constitutus, confestim Antiochia relicta, Constantinopolim ire perrexit. Ob quam causam persecutionis in-

Euzoij obitus

cendium contra Christianos ibi excitatum, penitus restinctum est. Eodem tempore Euzoius, qui sectæ Arianæ Antiochiæ episcopus fuit, extremum vitæ diem confecit, ad quintum consulatum Valentis, Valentiniani autem iunioris primum: in cuius locum

Dorotheus episcopus ei suffectus.

Dorotheus suffectus est.

Quòd Saraceni sub Mauiæ reginæ ipsorum imperio, Mosen quendam monachum, tum pietatis tum fidei singularis hominem, sortiti episcopum, se Christianæ fidei addixerunt.

CAPVT XXIX.

Mauia regina

VBi Imperator Antiochia decesserat, Saraceni, qui erant antea pop. Romani so- Vide Nicephor. cap. 44. li. 11. Theodo. lib. 4. c. 21. Sozom. li. 6. ca. 38.
cij & fœderati, iam tum deficere: & muliere quadam, nomine Mauia, duce (cuius vir iam è vita discesserat) bellum contra eos gerere cœperunt. Itaque omnes Romanorum prouinciæ versus Orientem, illo tempore fuissent à Saracenis penitùs vastatæ, nisi illorum conatus diuina quadam prouidẽtia compressi fuissent. Cau-

Moses Saracenus sacerdotij dignitatem repudiat.

sa autem talis fuit. Moses quidam gẽnere Saracenus, qui in solitudine monasticum viuendi genus traducebat, propter eximiam pietatem, constantem fidem, & miracula ab eo edita, fama atque omnium sermone celebratus fuit. Istum Mauia Saracenorum regina suæ gentis episcopum designari à Romanis postulauit: atque ea lege bellum restinguere, fœderaque cum illis facere pollicita est. Quibus auditis, duces Romani benè B secum agi putabant, si ea conditione pax constitueretur: abiecta igitur omni cunctatione, illud confici præcipiunt. Moses itaque eductus è solitudine, Alexandriam, vti illic sacerdotij dignitatem capesseret, deductus est. Vbi verò Moses ad Lucium, qui ibi tum præfuit ecclesijs, aduentauit, illius repudiauit designationem, sicque illum est allocutus: Ego quidem meipsum sacerdotij dignitate indignum existimo: sed tamen si hæc

Lucius episcopus à Mose increpatus.

res videatur ex vsu Reipub. fore, tu, Luci, manus mihi nequaquam impones. Tua namque dextera cæde & sanguine redundat. Ac Lucio ad illum vicissim dicenti, non oportere ita contumelijs ipsum afficere, sed discere potius ab ipso religionis dogmata, respondet Moses: At iam non dogmatum ratio quæritur, sed facinora tua contra fratres edita, quæ planè conuincunt, te vera Christianæ fidei dogmata omnino non habere. Nam Christianus non percutit, non obtrectat cuiquam, non pugnat: quippe seruus Domini pugnare non debet. At tua facta per eos, quos in exilium expuleris, quos bestijs obieceris, quos igni cremandos tradideris, tanquam voce emissa contra te loquuntur: certioraque habent indicia quæ oculis cernuntur, quàm quæ accipiuntur auribus. Ista aliaque id genus cum Moses dixisset, eius necessarij illum ad montem quendam deducunt, vt ab illis qui ibi exulabant, crearetur episcopus. Mose itaque hoc modo tum

Mauiæ filia Victori Rom. Duci despensata.

designato episcopo, bellum Saracenorum extinctum est. Mauia autem sic deinceps pacem cum Romanis seruauit, vt filiam suam duci Victori desponderet. Sed de Saracenis hactenus.

Quòd Valente Antiochia digresso, qui in Oriente degebant orthodoxi, & præcipuè Alexandriæ, animis recreati, Lucio reiecto, Petro qui Damasi episcopi Romani literis communitus erat, rursus ecclesias reddiderunt. CAP. XXX.

Petrus Alexandriam redit.

PEr idem tempus, simulatque Valens Imperator Antiochia decesserat, omnes qui vbique persecutionis tempestate iactabantur, & Alexandriæ potissimùm, magnopere recreati fuerunt: propterea quòd Petrus Roma cum literis Damasi episcopi Romani eò reuersus erat. quæ quidem & Mosis fidem confirmabant, & Petri creationem. Populus igitur illis confisus, expellit Lucium: Petrum au-

Vide Socr. lib. 6. cap. 39.

Eius obitus. Timotheus eius frater ac successor.

tem in eius locum introducit. Lucius itaque sine mora Constantinopolim traijcit. Petrus ad exiguum tempus vitam protrahens, moritur: successorem fratrem suum Timotheum relinquit.

Quòd

Quòd Imperator Valens Constantinopolim reuersus, cum populi conuicijs propter Gothos lacessitus esset, de ciuitate contra Barbaros proficiscitur: confligensq́; cum illis Adrianopoli, quæ est vrbs Macedoniæ, interfectus est, expletis ætatis suæ annis quinquaginta, regni sedecim.

CAPVT XXXI.

Vide Nicephor. c. 50. lib. 11. Sozo. li. 6. cap. 39. 40.

IMperator Valens ad sextum suum consulatum, Valentiniani autem secundum, 3. Calend. Iunij aduentans Constantinopolim, populum in magno mœrore constitutum offendit. Nam barbari, qui Thraciam iam populati fuerant, suburbia etiam Constantinopolis vastare propterea aggressi sunt, quòd nullæ essent tum copiæ, quæ illorum impetum propulsarent. At cum barbari mœnibus appropinquare cœperunt, ciuitas eum casum ægrè & grauiter ferre: contra Imperatorem obstrepere, quòd hostes in eorum fines introduxerat, & iam illis nolebat quàm primum resistere, sed bellum contra barbaros ducere. Itaque cum equestria agerentur certamina, omnes vno consensu contra Imperatorem, qui eas res negligebant, vociferati sunt, contenteque clamarunt: Da arma, & nos ipsi hoc bellum geremus. Dum ista vociferãtur, Imperator iracundiæ flamma incendi, tertioque Idus Iunij, ex vrbe egredi cœpit: interminatus, se, si rediret incolumis, supplicium de Cõstantinopolitanis sumpturum, cùm pro contumelijs quibus tum eum vexassent, tum pro illis rebus quas iam antea sub tyranno Procopio contra imperium admisissent. Ac cum dixisset se vrbem vastaturum penitùs, & ita solo æquaturum, vt aratro proscinderetur, contra barbaros ire maturat: illos longè ex ciuitate repellit: persequitur ad Adrianopolim vsq;, vrbem Thraciæ, in confinijs Macedoniæ sitam. Ibique cum illis confligens, moritur 3. Idus Augusti, ipsis dem Coss. quos suprà diximus: quarto anno ducentesimæ octuagesimæ nonæ Olympiadis. Atque nonnulli aiunt, illum, cum in pagum quendam incursione barbarorum incensum confugeret, igne ambustum interijsse. Alij autem dicunt, cum Imperatoris habitu mutato, in medium agmen peditum irruisse: deinde cum equites sẽ non commisso prælio dedidissent, pedites omnes fusos aceruatim occidisse, illumque habitu Imperatorio (qui quisnam esset indicare potuisset) deposito, inter eos iacuisse B incognitum. Abijt è vita, cum annos quinquaginta vixisset, regnasset que cum fratre annos tredecim: post fratris autem mortem, tres. Liber verò spacium sedecim annorum continet.

Constantinopolitani perstringunt Valentem.

Constantinopoli seditio contra Imp.

Valentis interitus. Anno Christi 382.

FINIS QVARTI LIBRI.

SOCRATIS SCHOLASTICI HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, LIBER QVINTVS.

Hic liber quintus complectitur historiam sexdecim annorum & sex mensium: quibus imperarunt Gratianus, Valentinianus iunior, & Theodosius: Huc refer Vitam Pontif. Rom. Syricij, Tomos Concil. & Hæres. Item Orosium cap. 34. 35. S. Aurel. Victorem, Michaelem Ritium: Paulum Diaconum lib. 12. qui supplenit Eutropium. Item Rerum Rom. lib. 13. Ioh. Maiorem lib. 1. & 2. Blondum lib. 1. Decadis 1.

PROOEMIVM.

ANtequam ad res gestas narrandas, quas sumus quinto Libro prosecuturi, ingrediamur, eos qui hoc Opus fortè perlegerint, admonitos volumus, ne nobis vitio vertant, quòd cum sit solum propositum historiam Ecclesiasticam literis mandare, bella etiam varijs administrata temporibus (quantum nobis data est facultas, res in illis gestas verè cognoscendi) eidem admiscuimus. Istud enim à nobis multis de causis factitatum est. Primùm, vt res in bellis confectæ, ad posteritatis noticiam veniant: deinde ne Lectores, si eorum animi inter legendum semper in episcoporum contentione consideranda, & incommodis quæ vltrò citroque alius contra alium moliti sunt, occupati teneantur, fastidium capiant: maximè autem omnium, vt intelligatur, qua ratione cùm

Cur bellicas etiam res Ecclesiasticæ historiæ misceat

Universidad de Deusto
Biblioteca

cùm Respublica turbulentis motibus iactaretur, Ecclesiæ etiam status eiusdem quasi morbi contagione infectus, vehementer conturbatus fuerit. Nam si quis diligenter obseruare notareque voluerit, eisdem temporum articulis & Rempublicam fluctibus calamitatum, & Ecclesiam rerum aduersarum procellis agitatam pro certo comperiet. Aut enim eodem momento vtramque rebus incommodis perturbatam fuisse inuenerit: aut miserias alterius, alterius infortunia proximè insecutas: & nonnunquam tumultus Ecclesiarum antegressos, Reip. autem commotiones consecutas, interdum omnino econtrariò: adeò vt facilè adducar ad credendum, istarum rerum vicissitudinem non ex aliquo casu fortuito, sed ex nostris peccatis initia cœpisse, nobisque supplicij causa, tanta incommoda inflicta esse: siue, vt est apud Apostolum, vti quorundam hominum peccata manifesta sint, præcedentia ad iudicium, quosdam autem & subsequantur. His de causis in hanc historiam Ecclesiasticam nonnullas res etiam in Rep. procuranda gestas inclusimus. Et quanquam res Constantini temporibus in bello administratas, propter longinquum præteriti temporis spacium inuenire nō poteramus: tamen eas quas postea iam ab his qui ad hoc vsque tempus vitam propagarint, accepimus, in transcursu nostri sermonis sumus complexi. Passimque in historia Imperatorum mentionem propterea fecimus, quòd ex illo tempore quo Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negocia ex illorum nutu pendêre visa sunt: atque adeò maxima Concilia de eorundem sententia & conuocata fuerunt, & adhuc conuocantur. Quinetiam †gentilis cultus superstitionisque propterea meminimus, quòd tranquillum Ecclesiæ statum magnopere perturbauit. Atque hæc quidem prooemij loco dixisse sat est. Iam verò historiam aggrediamur.

Ecclesiarum & Reip. calamitatum communio, & vici sibi tudo.

1. Tim. 5.

Plin. 1.

†Vide annot. pag. 242. fac. 1. lin. 23.

Quòd post Valentis interitum, cum Gothi contra Constantinopolim arma ferrent, ciuitas obuiam exiuit: paucis Saracenis fœderatis à Mauia missis, suppetias illis ferentibus.

CAP. I.

Constantinopolis à barbaris vexata.

VBi Imperator Valens mortem (qua ratione, omnino incertum est) oppetierat, barbari denuò ad mœnia Constantinopolis aduentare, illiusque suburbia vastare cœperunt. Vnde populus grauiter commotus, sua sponte barbaris resistere: singuli, quod obuium erat, armorum loco arripere. Imperatoris coniunx Dominica, omnibus qui ad bellum egrediebantur, mercedem ex ærario Imperatorio, sicut militibus decretum fuit, suppeditare. Aliquot etiam è Saracenis fœderatis à Mauia, cuius suprà fecimus mentionem, missi, opem illis ferre. Ad hunc modum itaque cum populus præliatum commisisset, barbari longè ab vrbe pedem retulêre.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 1. Theod. lib. 5. cap. 1. Soz. lib. 6. cap. 1.

Dominica imperatrix. Mauia Saracenorum regina.

Quòd Gratianus Imperator Orthodoxis episcopis ab exilio reuocatis, hæreticos ab ecclesijs exegit: ac eodem tempore Theodosium socium Imperij cooptauit.

CAP. II.

Gratianus imperator episcopos exules reuocat anno 383.

GRatianus simul cum Valentiniano iuniore gubernaculis potitus imperij, crudelitatem Valentis auunculi in Christianos vsurpatam damnauit: illosque qui ab eo erant relegati, reuocauit in patriā: atque adeò lege sanciuit, vt quæque facta (solis Eunomianis, Photinianis & Manichæis exceptis) liberè & audacter, nullo habito discrimine, in ecclesijs conuentus ageret. At cum imperium Romanum iamgruens ægrumque esse, & barbarorum vires indies crescere, & ad remp. gubernādam viro nobili excelsoque animo prædito opus habere animaduerteret: Theodosium ex patricijs Hispaniæ ortum, in bello administrando admodum exercitatum, propterea iampridem ad imperium capessendum valdè idoneum, atque etiam ante ipsius Gratiani creationem, omnium suffragijs ad imperij administrationem delectum, socium imperij sibi adiungit. Illum igitur Sirmij (est hæc quidem ciuitas Illyriæ) declarat imperatorem, Ausonio & Olybrio Coss: XVII. Calend. Februarij: cumque eo certamina belli contra Barbaros gerendi dispartit.

Gratianus omnibus Christianis præstat reditum præterquàm Eunomianis, Photinianis, Macedonianis.

Theodosius Imp. Gratiano adiunctus. Sirmium.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 2. Sozo. lib. 7. cap. 2. Vide etiā supra li. 4. cap. 10. Gratianus Valentiniano & Theodosius impp. no Christi. 382. Vide Nicephor. c. 1. lib. 12. Theodor. lib. 5. c. 5. Sozom. lib. 7. ca. 1. & 4.

Quinam illo tempore episcopi ecclesiarum gubernationi præfuerint.

CAP. III.

Damasus episcopus. Cyrillus. Dorotheus. Paulinus. Meletius. Lucius. Timotheus.

EOdem tempore ecclesiæ Romanæ Damasus, qui Liberio succedebat, præfuit: Hierosolymitanæ autem Cyrillus. Ecclesia Antiochena in tres factiones, vti dixi, diuisa fuit. nam quasdam ecclesias Dorotheus Arianus post Euzoium rexit: alias partim Paulinus, partim Meletius ab exilio reuocatus, gubernauit. Alexandriæ, ecclesias Arianorum Lucius, qui iam exulabat: ecclesias autem eorum qui fidem Consubstantialis tenebant, Timotheus post Petrum administrauit. Constantinopoli ecclesiarum obti-

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 1. Theodor. lib. 5. ca. 2.

A obtinuit procurationem Demophilus, qui post Eudoxium sectæ præfuit Arianæ. Qui verò eius detestabantur doctrinam, separatim inter se conuentus celebrarunt.

Demophilus.

Quòd Macedoniani, qui dudum ad Damasum episcopum Romanum de consubstantiali stabiliendo legatos miserunt, rursus in pristinum errorem reciderunt.

CAP. IIII.

Vide Nicephor. c. 2. lib. 12. Sozo. li. 7. cap. 2. Vide etiā supra li. 4. cap. 10.

MAcedoniani, quanquam post legationem ad Liberium missam, aliquamdiu cum illis qui fidem in cōcilio Nicæno decretam perpetuò amplexati fuissent, in ecclesijs cuiusque ciuitatis absque discrimine communicabant: tamen vbi Gratiani Imperatoris lex libertatem singulis sectis conuentus agendi largita fuerat, se ab ecclesia rursus separare constituerunt. Idcirco Antiochiæ, quæ est in Syria, in vnum coacti, de integro decreuêre, vocem illam Consubstantiale auersandam esse: cum illis qui fidem concilij Nicæni amplexabantur, non omnino communicandum. Verùm eorum conatus minimè ipsis successit ex sententia. nam pleriq; eos, tanquam aliàs alia decernentes, condemnare cœperunt, ab illis desciscere penitùs, & fidei Consubstantialis fautoribus firmè adhærescere.

Macedoniani serucsus ab ecclesia separāt.

De ijs quæ tum temporis Antiochiæ propter Paulinum & Meletium obtigerunt: & quòd Gregorius Nazianzenus communi Orthodoxorum decreto, ecclesiæ Constantinopolitanæ præses institutus est.

CAPVT V.

Vide Nicephor. cap. 7. lib. 12. Sozomen. lib. 7. cap. 3.

PEr idem tempus Antiochiæ Syriæ, propter Meletium grauis contentio. nis flamma incensa est: quæ quidem eius generis fuit. Diximus antea, Paulinum Antiochiæ episcopum propter eximiam pietatem in exilium minimè eiectum fuisse: Meletium primùm à Iuliano in patriam accersitum: deinde cum à Valente denuò esset relegatus, regnante Gratiano reuocatum. Qui cum rediret Antiochiam, Paulinum reperit iam senio propè confectū. Confestim itaque omnes qui fauebant Meletio, operam dederūt, vt cum Paulino sedis episcopalis particeps fieret. Cum autem Paulinus diceret contra Ecclesiæ canones esse, vt B quisquam ab Arianis episcopis designatus, ad sedem episcopalem participandam admitteretur: populus vi rem conficere statuit. Atque in ecclesia quadam in suburbijs sita, illum in sede episcopali collocare parant. Quo facto, permagna excitabatur contentio. Postea verò populus sub eiusmodi conditionibus ad concordiam reductus fuit. Cum omnes qui episcopatum petere videbantur, in vnum coegissent, reperiunt eos esse numero sex, inter quos erat Flauianus. Istos iureiurando astringunt, vt nemo illorū tū episcopatus administrationem capesseret, cum alteruter ex his duobus Episcopis, Paulinum & Meletium dico, è vita exiret: sed ei soli qui supereſſet, demortui locum obtinendi facerent potestatem. Quare iureiurando ad hunc modum dato, populus pacato & tranquillo animo, vnus erga alium esse cœpit, nec deinceps mutuò discordare. Ob quam causam qui à Lucifero stabant, ab Ecclesia recessere, quòd Meletius ab Arianis designatus, ad episcopatus illius dignitatem admissus erat. Eodem tempore, quo & res Antiochenæ in tanta perturbatione versabantur, & Gregorius communi multorum episcoporum consensu ab vrbis Nazianzi episcopatu, ad episcopatum Constantinopolis translatus fuit, Meletius Constantinopoli necessariò contendit. Atque ista quidem hoc modo.

Meletius ab Arianis episcopus designatus.

Gregorius Nazianzenus Constantinopol. episcopus

Quòd Theodosius Imperator post fusos Thessalonicæ barbaros, cum in aduersam valetudinem incidisset, ab Ascholio episcopo baptismi lauacro tinctus est.

CAP. VI.

Vide Nicephor. ca. 6. lib. 12. Sozomen. lib. 7. ca. 4.

PEr illud tempus, vbi Gratianus & Theodosius victoriam contra barbaros reportauerant, Gratianus extemplò propterea in Galliam profectus est, quòd Germani suetinopolim ire maturans, Thessalonicam peruenit. Ibi in morbum incidens, cupiebat baptismo donari: quippe ex maioribus religionem iam olim didicerat Christianam, fideique Consubstantialis se totum addixerat. Et cum propter morbi grauitatem baptizari properaret, & episcopum Thessalonicensium ad istud munus obeundum requireret, primùm scisitabatur ab episcopo, quam fidem amplexaretur? Ac cum episcopus respondisset, opinionem Arij minimè per Illyrium peruasisse, neque nouam illius doctrinam eius regionis ecclesias potuisse occupare, sed omnes qui in illis versabantur, antiquam illam & vetustam fidem ab Apostolis traditam, inque concilio Ni-

Theodosius baptisatus.

Theodosij morbus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ascholius episcopus.

cæno confirmatam semper obseruasse : Imperator ab Ascholio (ita enim vocabatur episcopus) libentissimo animo baptismum recepit. Paucis igitur pòst diebus à morbo recreatus, Constantinopolim contendit, 8. Calend. Decembris, Gratiano iam quintùm Consule, eoque ipso Theodosio primùm.

Quòd, cum Gregorius Constantinopolim, episcopis aliquot stomachantibus ingressus esset, ipse Ecclesiæ gubernationem repudiauit. Imperator autem Demophilo Arianorum episcopo significat, vt aut Consubstantiali assentiretur, aut ciuitati cederet : quod ille melius censuit.

CAPVT VII.

Anastasia templum. Cur templum hoc sit Anastasia vocatum, vide Sozom. lib. 7. cap. 6.

EOdem tempore Gregorius ab vrbe Nazianzo translatus, intra mœnia Constantinopolis in quadam ecclesia perexigua conuentus fecit. Ad quam quidem ecclesiam, Imperatores postea templum amplissimum adiunxêre, vocauereque Anastasiam. Gregorius, vir illustris, & homines ætate coniunctos pietate facilè superans, cum intelligeret quosdam ipsi obstrepere, quòd homo exterus & peregrinus esset, lætus admodum de Imperatoris aduentu, Constantinopoli amplius ætatem degere recusauit. Imperator verò, cum ecclesiam admodum conturbatam offenderet, omni cura & cogitatione incubuit, vti pacem faceret, concordiam constitueret, & ecclesias amplificaret. Itaque sine mora Demophilo, qui sectæ Arianæ episcopus fuit, consilium suum aperit: quæritque ab eo, vtrum concilio Nicæno fidem vellet adhibere, populum ad concordiam traducere, & pacem amplecti. Quo quidem eius postulatum abnuente : Idcirco, inquit Imperator, si pacem & concordiam fugis, te ab ecclesijs fugere mando. Quæ cùm audiuisset Demophilus, & secum considerasset, quàm difficile esset potentioribus resistere, conuocata in ecclesia multitudine, ipse in medio surrexit, verbaque eiusmodi apud suos locutus est : Fratres, scriptum est in Euangelio : Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Igitur quoniam Imperator nos ab ecclesijs segregat, sciatis velim, vobis cras extra ciuitatem conuentus agendos esse. Hæc locutus, egreditur. Neque illud intellexit, quòd qui ex ea vitæ ratione, quam mundus postulat, fugiunt (sic enim dictum Euangelij capiendum est) hi quærunt supernam Hierusalem. sed ipse alium sensum secutus, decæterò extra portas cõuentus fecit. Exijt etiam vnà cum illo Lucius, qui Alexandria (vti prius dixi) eiectus, multatusque exilio, Constantinopoli ætatem egit. Quocirca Ariani, qui annos quadraginta ecclesiarum administratione potiti fuissent, cum concordiam, ad quam Imperator Theodosius illos hortabatur, fugerent, se ex vrbe subduxerunt, ad quintum consulatum Gratiani, Theodosij autem Augusti primum : sexto Cal. Decembris. Qui autem fidem seruabant Consubstantialis, hi in eorum venêre loca, ecclesiasque occupauêre.

Demophilus episcopus eiusque oratio.

Matth. 10.

Euangelij locus explicatus

Ariani ecclesias reliquit.

Vide Nicephor. cap. 7. lib. 12. Vide item Sozom. li. 7. cap. 5.

Fides concilij Nicæni confirmata.

De centum quinquaginta episcopis, qui Constantinopoli conuenerant : & quas fanxerint res Nectario illic creato episcopo.

CAPVT VIII.

Theodosius concilium cõuocat Constantinopoli anno 383.

IMperator, nulla mora interposita, concilium episcoporum, ipsius fidem amplectentium, conuocat : quo tum fides concilij Nicæni corroboraretur, tum Constantinopoli designaretur episcopus. Ac quoniam in spem venerat, se posse Macedonianos ad concordiam cum illis episcopis, qui erant eiusdem cum illo fidei, reducere, episcopos sectæ Macedonianæ accersiuit. Itaque in vnum conueniunt, qui fidem tenebant Consubstantialis : Timotheus, Alexandriæ episcopus : Hierosolymorum Cyrillus, cui id temporis pœnitentia adductus, fidei Consubstantialis se totum addixerat : Meletius autem iampridem aderat, eo scilicet tempore quo erat propter designationem Gregorij illò accersitus : Ascholius etiam Thessalonicæ episcopus, & alij complures : erant omnes numero centum quinquaginta. Partis Macedonianæ primas obtinuerunt Eleusius episcopus Cyzici, & Marcianus Lampsaci. omnes illius sectæ erant ad numerum triginta sex : quorum maior pars ex ciuitatibus Hellesponti fuit. Ad concilium igitur conueniunt, Eucharide & Euagrio Coss. mense Maio. Ab Imperatore itaque & episcopis, qui eandem cum eo fidem amplexabantur, modis omnibus laboratum fuit, vt Eleusium cum suis ad concordiam fidei adducerent. eumque non solum legationis, quam Eustathius & alij cum illo, eorum nomine apud Liberium iamdudum Romanum episcopum obierant, in memoriam redegerunt : verum etiam, quòd non multo antè, nullo habito discrimine, sua sponte cum illis qui fidem Consubstantialis tuebantur, communicarant : eosque nequaquam piè & religiosè facturos, si, cùm antea consentientem cum illis de fide opinionem agnouissent, iam rursus ea quæ præclarè decre-

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 11. Sozom. lib. 7. cap. 7.

Macedoniane partis episcopi.

A decreuerant, penitùs euertere molirentur. Verùm apud illos nec admonitioni, nec reprehensioni locus relictus fuit. Nam se malle opinionem Arianam asseuerare, quàm fidei Consubstantialis assentiri, dixerunt. Quæ cum respondissent, Cõstantinopoli abscesserunt : perque literas populo cuiusque ciuitatis significarunt, vt fidei concilij Nicæni minimè consentirent. Alterius autem partis episcopi, Constantinopoli commorati, de episcopo designando consilium iniuerunt. Nam Gregorius, vt paulò antè demonstrauimus, episcopatu illo repudiato, ad vrbem Nazianzum se recepit. Erat fortè Nectarius quidam, ex genere senatorio, vir moribus admodum modestus, & tota vitæ ratione cõspicuus : qui quanquam prætoris fungebatur officio, à populo tamen inde abreptus, ad Episcopatus honorem delatus fuit : & à centum quinquaginta episcopis, qui tum aderant, ordinatus. Eodem tempore decretũ fuit, vt episcopus Constantinopolitanus proximè & secundum episcopum Romanum primas propterea obtineret, quòd illa ciuitas noua Roma esset appellata. De integro etiam fidem concilij Nicæni stabiliunt : & dispartitis prouincijs, patriarchas constituunt : deciduntque, vt nullus episcopus, relicta sua diœcesi, ad exteras ecclesias demigraret. nam antea, propter persecutionum tempestates, istud facere cuique liberum erat. Nectario igitur ampla illa ciuitas Constantinopolis, & tota Thracia sorte obuenit : Ponticæ autem diœcesis patriarchatus Helladio, Cæsareæ Cappadociæ post Basilium episcopo : Gregorio Nyssæ (hæc est vrbs etiam Cappadociæ) fratri Basilij : & Otreio Melitinæ, quæ est in Armenia, contigit. Patriarchatum item Asianum Amphilochius episcopus Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidiæ fortitò capiunt. Aegypti diœcesis Timotheo Alexandriæ episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versus Orientem diœcesim ijdem episcopi qui antea, Pelagius scilicet episcopus Laodiceę, & Diodorus Tarsi, obtinent : honoris prærogatiua ecclesiæ Antiochenæ reseruata, quam Meletio tum præsenti tribuerunt. Itemque statuerunt, vti si vsus postularet, res cuiusque prouinciæ concilium prouinciale disponeret. His etiam Imperator suffragatus est. Istud itaque concilium talem exitum est consecutum.

Arianorum pertinacia.

Nectarius prætor, episcopus delectus.

Constantinopolis, noua Roma Patriarchæ instituti.

Nyssa.

Conciliorum prouincialium institutio.

Quòd Imperator Theodosius Pauli Constantinopolitani episcopi corpus magno cum honore ab exilio reportauit : quo tempore Meletius Antiochenus episcopus ab hac vita migrauerat.

CAPVT IX.

Vide Nicephor. cap. 14. lib. 12. Sozomen. lib. 8. ca. 10. Item Socr. supra lib. 2. ca. 21. 22.

PER id temporis corpus Pauli episcopi (quem Philippus præfectus Imperatorius propter Macedonium, vti suprà commemorauimus, in exilium eiecit, Cucusiúque, quæ est vrbs Armeniæ, strangulandum curauit) Imperator Ancyra Constantinopolim transtulit : ibique cum magno honore & reuerentia excipiens, in ecclesia, quæ eius nomine nuncupata est, reposuit : quam Ecclesiam antea quidem Macedoniani, ab Arianis segregati, tenuerant : sed tum tamen ab Imperatore propterea expulsi erant, quòd eius fidem amplexari recusauerant. Eodem tempore Meletius episcopus Antiochiæ, in morbum delapsus, decessit de vita. Quo quidem tempore Gregorius frater Basilij funebrem orationem in eius mortem recitauit. Corpus autem Meletij, eius necessarij Antiochiam transportarunt. Rursus qui Meletio erant addicti, à Paulino gubernari noluerunt, sed in locum Meletij Flauianum sufficere constituerunt. Vnde populus de integro dissidere cœpit. Et propterea ecclesia Antiochena denuò non propter fidem, sed propter episcoporum delectum, diuisa fuit.

Pauli corpus per Theodosium Constantinopolim translatum.

Cucusus.

Meletij obitus. Gregorius Basilij frater.

Antiochenæ ecclesiæ diuisio.

Quòd Imperator, cum eodem tempore quo filius eius Arcadius Augustus declaratus est, omnium sectarum concilium indici præceperat : solis Nouatianis, vt qui fidei Consubstantialis astipulabantur, intra ciuitatem conuentus agere permisit, reliqui autem hæretici abigebantur.

CAPVT X.

Vide Nicephor. ca. 10. lib. 11. Theod. li. 5. c. 8. 9. 10. Sozom. li. 7. cap. 12.

TEmque in alijs vrbibus, dum Ariani ab ecclesijs exturbabantur, tumultus exorti sunt. In qua re me quidem imprudentiam Imperatoris intuentem, permagna capit admiratio. Nam non diu passus est ciuitates his tumultuum procellis agitari : sed quantum in ipso situm erat, breui temporis curriculo concilium omnium sectarum cogere laborauit : ratus ex mutuo episcoporum inter ipsos colloquio & congressu, vnam omnibus consentientem de fide opinionem constabilitam fore. Quod quidem Imperatoris institutum causam fuisse arbitror, cur res tam prosperè illi euenirent. Nam eisdem temporibus, diuina quadam prouidentia barbaræ gentes se eius ditioni subiecerunt : inter quas Athanarichus dux Gotthorum se cum omnibus

Concilium omnium sectarum.

Athanarichus

Universidad de Deusto
Biblioteca

Arcadius Imp. declaratus.

suis copijs ei dedidit, ac breui pòst Constantinopoli supremum vitæ diem egit. Imperator filium Arcadium tum Augustum declarauit, ad secundum consulatum Merogandi, Saturnini autem primum decimoquarto Calend. Februarij. Haud diu pòst vndique cuiusque sectæ episcopi eò aduentarunt, eisdem Coss. mense Iunio. Imperator igitur episcopo Nectario accersito, sermonem cum eo contulit, qua tandem ratione Christiana religio posset liberari discordijs, & Ecclesia ad concordiam reduci: dixitque, controuersiam quæ ecclesias diremerat, debere accuratè excuti, vti dissensione penitùs sublata, concordia in ecclesijs constitueretur. Quod cum Nectarius audiisset, anxio & perplexo animo fuit: atque Agelio, qui tum Nouatianorum episcopus fuit, vtpote fide cum ipso consentienti, accito, Imperatoris mentem aperuit. Ille quidem, licet vir in alijs rebus admodum prudens fuerit: tamen quoniam in disceptandis discutiendisque de religione controuersijs non multum potuit, lectorem suæ ecclesiæ Sisinnium nomine, ad differendi munus designauit. Sisinnius ergo, vir in primis disertus, rerum vsu peritus, in literis Sacris explicandis accuratè eruditus, & disciplinis philosophorum eximius, quoniam exploratum habebat, discertationes non solum non reconciliare schismata, sed hæreticos præterea ad contentionem multo magis accendere: idcirco tale consilium (nouerat enim pro certo, veteres præcauisse, ne principium essentiæ filio Dei attribuerent, quippe qui eum patri coæternum esse existimarent) Nectario dedit, vt concertationes dialecticas vitaret, testesque adhiberet formulas fidei à veteribus editas: efficeretque vt hæreticorum principes ab Imperatore rogarentur, vtrum aliquam rationem ducerent illorum doctorum, qui ante diuisionem probè Ecclesiam temperassent, an eos tanquam à religione Christiana alienos reijcerent? Quod si eos reijciunt, eisdem etiam anathema denunciare audacter aggrediantur: ac si illud aggredi audeant, certè à multitudine ipsi expellentur. Quo confecto, veritatem vicisse manifestò constabit. Sin veteres doctores minimè reijciunt, tum nostrum est eorum libros proferre, quorum testimonijs nostra confirmetur opinio. Quæ cum Nectarius à Sisinnio audiuisset, properè ad Imperatoris palatium contendit: consilijque, quod sibi datum erat, Imperatorem facit participem. Ille auidè amplectitur: rem prudenter tractare cœptat. Nam instituto suo tacito & occultato, solum ab illis quærit, vtrum doctorum, qui ante Ecclesiæ diuisionem fuerunt, vllam ducerent rationem, eosque approbarent, nécne? Ac cum illi id ipsum non inficiarentur, sed dicerent, se eos tanquam magistros in permagno honore habere: sciscitatur denuò ab illis Imperator, vtrum illorum, velut fidelium doctrinæ Christianæ testiū, vestigijs insisterent? quibus auditis, sectarum episcopis, & dialecticis quos singuli secum habebant (erant enim cum illis complures ad differendi certamen instructi) incertum erat quid agerent. Et enim singuli in singulas propè distrahebantur sententias, dum alij Imperatoris institutum præclarè se habere, alij illud suo ipsorum proposito susceptoque concilio aduersari, dicebant. Nam diuersa erat cuiusque de veterum libris sententia, & mens inter ipsos discrepans. Ac non solum variarum sectarum varia fuit opinio: sed qui vnam eandemque sectam sequebantur, hi inter ipsos dissenserunt. Quocirca consentiens illorum malicia, velut lingua veterum gigantum, diuisa fuit, & turris perditæ molitionis penitùs euersa. Imperator verò, cum intelligeret multiplicem eorum dissensionem, & quòd non veterum de fide expositione, sed sola differendi subtilitate confidebant, ad aliud consilium confugit: imperatq;, vt singulæ sectæ fidei, quam quæque tenebat, declarationem literis proderent. Idcirco qui ex quaque secta in dicendi facultate erant disertissimi, hi dogma suum scriptis mandarunt. Dies ad hanc rem præstituta fuit. Sectarum episcopi ad palatium accersiti, conueniunt. Aderant itaque Nectarius & Agelius, fidei Consubstantialis episcopi: Arianorum, Demophilus: Eunomianorum, ipse Eunomius: Macedonianorum, Eleusius Cyzicensis. Tum verò Imperator eos qui conuenerant, primùm benignè ad se admittit: capit cuiusque dogma scriptis proditum. Deinde se in locum separatum solum concludit: precatur obnixè, vt Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet. Postremò, dogmate cuiusque perlecto, cętera omnia, vtpote Trinitatis vnitatē dirimentia, damnat, lacerat: solam autem Consubstantialis fidem laudat, approbat. Hæc causa fuit, cur Nouatiani rursus prospere rem gererent, conuentusque intra vrbes agerent. Nam Imperator eorum inter ipsos de fide consensionem admiratus, lege edixit, vt suis ipsorum ecclesijs securi potirentur: ecclesiæque eorum eadem haberent priuilegia, quibus ecclesiæ suæ ipsius fidei adhærescentes fruebātur. Aliarum autem sectarum episcopi, propter mutuam inter ipsos dissensionem, à populo suæ administrationi concredito, despicatui ducebantur. Qui tametsi

Theodosij pro ecclesiarum concordia sollicitudo.

Agelius epis.

Schismata disceptationibus non componi. Sisinnij consilium de concordandis hæreticis.

Sisinnij consilium Imperatoris approbatur.

Theodosius Consubstantialis dogma amplectitur.

Nouatianis ecclesiæ suæ concessæ.

Ametsi decesserunt desperatione debilitati, & tristicia, tamen suos per literas consolari cœperunt: hortati, vti animos minimè propterea contraherent, quòd multi opinione ipsorum derelicta, ad fidem Consubstantialis se transtulissent. Nam multos esse vocatos, paucos verò electos. Quam quidem neutiquam tum protulêre sententiam, cum maxima populi pars ex Imperatorum nutu pendens, mordicus illorum opinioni adhæresceret. Verumenimuero ne illi quidem qui fidem Consubstantialis propugnabant, erant omnino à molestijs vacui, liberiq;ue. Nam controuersia in ecclesia Antiochena oborta, eos qui concilio interfuerunt, in duas factiones diuisit: quippe Aegyptij, Arabes & Cyprij in vnum conspirantes, Flauianum Antiochia exturbandum censebant: Palæstini, Phœnices & Syrij stabant à Flauiano. Sed quis huius controuersiæ fuerit exitus, dicam alio loco.

Antiochenæ ecclesiæ controuersia.

De Maximo tyranno, & Gratiano dolo interempto: quando & Iustina Valentiniani pueri adhuc mater, insidias in Ambrosium Mediolanensem episcopum tendere, propter Maximi metum, inuita destiterit. CAP. XI.

Vide Nicepho. ca. 19. 20. lib. 12. Theod. li. 5 ca. 12. 13. Sozomen. li. 7. ca. 13.

EIsdem temporibus, quibus concilium Constantinopoli habitum fuit, hostes in partibus versus Occidentem confectas accepimus. Maximus, ex partibus Britanniæ oriundus, arma contra imperium Romanū ferre, & Gratiano in bello contra Germanos valde debilitato, insidias tendere parat. In Italia autem, quia Valentinianus admodum erat adolescens, Probus, vir consularis, summam prefecturam gerens, Reip. curam suscepit. Iustina Imperatoris Valentiniani mater Arianæ prauitatis labe infecta: etsi, dum vir eius vixit, eos qui fidei Consubstantialis dediti erant, nullo incōmodo poterat afficere: tamen cum filius eius esset adhuc ætate tenera, Mediolanum proficiscens, grauissimos tumultus contra Ambrosium episcopum concitauit, eumq; in exilium mitti iussit. Vbi autem populus propter incredibilem amorem, quo Ambrosium complectebatur, restitit: eorumq; retardauit conatum, qui illum in exilium abripere laborabant: interea nunciatum est, Gratianum dolo & insidijs tyranni Maximi interfectum. Nam in rheda, quæ lecticæ speciem præ se ferebat, quæq; à mulis gestabatur, Andragathius Maximi dux occultatus, præcepit, vti satellitibus Imperatorijs denunciaretur, Imperatoris Gratiani coniugem in ea vectam esse: Imperatoriq;ue fluuium Rhodanum, qui Lugdunum vrbem Galliæ præterfluit, traijcienti obuiam procedere. Imperator itaque coniugem esse ratus, insidias haudquaquam euitauit: sed in hostis manus, tanquam cæcus in fossam, imprudens incidit. nam Andragathius è rheda desiliens, Gratianum interfecit. Moritur igitur, Merogando & Saturnino Coss. cum annos regnasset quindecim, vixisset autem vigintiquatuor. Quod factum, iram matris Imperatoris contra Ambrosium inflammatam restinxit. Quare Valentinianus temporis necessitati inseruiens, Maximum animo perinuito ad Imperij societatem admittit. Probus verò Maximi potentiam veritus, ad partes versus Orientem tum proficisci constituit, Absque mora igitur decedit ex Italia: atque in Illyriam contendens, Thessalonicæ, quæ est in Macedonia, commoratus est.

Maximi tyranni in Gratianum insidiæ.

Probus.

Iustina Imp.

Ambrosio negocium facessit.

Ambrosij exilium.

Gratiani interitus. Anno 387.

Andragathius Gratiani interfector.

Valentinianus Maximum in Imperij consortium admittit.

Quòd Imperator Theodosius, conscriptis maximis contra Maximum copijs, eodem tempore quo natus est illi ex Placilla Honorius, Arcadium Constantinopoli reliquit, ipse Mediolani cum tyranno conflixit. CAP. XII.

Vide Nicephor. c. 21. 24. lib. 12. Sozomen. li. 7. ca. 13. Theod. li. 5. ca. 12. 13.

THeodosius Imperator ob hanc causam in magnam solicitudinem coniectus, quàm maximas copias contra tyrannum conficit: admodū veritus, ne cędem etiam Valentiniano iuniori moliretur. Eodem momento legati Persarum aduentant, pacem ab Imperatore petituri. Etiā tum filius Honorius Imperatori ex Placilla coniuge natus est, Rhycomeliano & Clearcho Coss. quinto Id. Septembris. Eisdem quoque Coss. Agelius Nouatianorum episcopus, paulo ante natum Honorium è vita migrauerat. Anno sequenti, ad primum consulatum Arcadij Augusti, & Vadonis, cum Timotheus episcopus Alexandriæ extremum diem obierat, Theophilus eum capessit episcopatum. Anno pòst, vbi Demophilus sectæ Arianæ episcopus supremum vitæ diem confecerat, Ariani Marino suæ ipsorum sectæ episcopo ex Thracia accersito, episcopatum eius impartiunt. Marinus autem, cuius temporibus secta Ariana, sicut à me dicetur postea, diuisa erat, non diu vitam propagauit. Dorotheum igitur ex Antiochia Syriæ accitum, suum episcopum designant. Imperator ad bellum contra Maximum gerendum ire pergit, Arcadio filio suo Constantinopoli Imperatore relicto. Qui vbi Thessalonicam venit, offendit milites Valentiniani ægritudine fractos: quòd necessitate inducti, tyrannum Imperatoris loco admisissent. Theodosius autem, se neque in hanc neque in illam partem propen-

Theodosij contra Maximum expeditio. Anno 388.

Honorius F. Imp. natus.

Agelij obitus.

Item Timothei.

Dorotheus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dere propalàm declarauit. Nam legatos Maximi ad se missos, neque reiecit, neque admisit: & tamen Imperium Romanum nominis Imperatorij simulatione, tyrannide oppressum iri, videre iniquo animo tulit. Proinde collecta militum manu, Mediolanum proficisci maturat. nam illò aduentarat Maximus.

Constantinopoli ab Arianis tumultus excitatus.

De tumultu Constantinopoli ab Arianis concitato. CAP. XIII.

EOdem temporis momento, quo Imperator ad hoc bellum faciendum omni studio incumbebat, Constantinopoli ab Arianis tumultus tali de causa commotus est. Solent homines de rebus quas non norunt, fermones nonnunquam confingere: & si quando fuerint occasionem nacti, rumores de rebus, quarum cupiditate ducuntur, multo maximos excitant, vtpote perpetuò rerum nouarum appetentes. Quod quidem in ea ciuitate tum vsu venit. nam de bello quod longè ab illis gerebatur, alius aliud commentus, rumorem de eo dissipauit: spem scilicet animo concipiens, belli euentum Imperatori indies minus prosperè successurum. Etenim quamuis in bello adhuc nihil esset confectum, tamen illi res quas non norunt, iuxtà ac si easdem oculis aspexissent, narrarunt: dixeruntque, tyrannum copias Imperatoris profligasse, hunc & illum militum numerum in pugna cecidisse, atque adeò ipsum Imperatorem à tyranno propemodum captum fuisse. Ariani itaq; graui tum animi perturbatione commoti (discruciabantur enim, ecclesias intra vrbem ab illis quos ipsi antea persecuti fuerant, occupatas) varios rumores disseminarunt. Et quoniam alia quædam diuersa ab illis quæ narrabantur, eos etiam qui rumorum erant authores, ad credendum ita induxerunt, vt ea quæ ipsi confinxerant, non conficta, sed vera esse putarent (nam alij qui ea auditione acceperant, ipsis rumorum authoribus confirmabant, non aliter habere, atque ab illis audiuerant) Ariani idcirco animis de integro confidere, facinus aggredi, ad secundum consulatum Theodosij, Cynegij autem primum.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 12. Sozom. lib. 7. cap. 14.

Mendacium rumorum effectus pernicios.

Nectarij domus ab Arianis vastata. Anno 389.

De Imperatoris Theodosij victoria, & prostrato tyranno. CAP. XIIII.

Maximi cædes.

VIm milites Maximi tyranni de Imperatoris aduentu, deque eius apparatu bellico audiuissent, ne rumoris quidem auram ferre potuerunt: sed graui metu perculsi, tyrannum vinctum in manus Imperatoris tradunt: qui quidem occisus est, sub eisdem Coss. sexto Calend. Septembris. Andragathius autem, qui Gratianum Imperatorem interemerat, Maximi clade intellecta, se in proximum flumen præcipitans, submersus est. Quamobrem Imperatores victoriam consecuti, Romam iter capiunt. Cumque illis vnà erat Honorius, admodum adolescēs. nam post euictum Maximum, pater illum Constantinopoli accersiuerat. Romæ igitur festa celebrauêre triumphalia. Quo quidem tempore Theodosius Imperator, suæ singularis clementiæ in causa Symmachi, viri consularis, illustrem dedit significationem. Iste namque Symmachus, & inter viros ordinis senatorij Romæ principem locum obtinuit, & propter excellentem eius in Latinis literis eruditionem in summa admiratione fuit. nam multos libros Latino sermone conscripsit: inter quos liber de Laudibus Maximi tyranni, dum adhuc viuebat, editus, & coram eo recitatus, eum postea læsæ maiestatis reum fecit. Quapropter mortem veritus, ad ecclesiam confugit. Imperator verò, qui adeò pio & religioso animo erga fidem Christianam affectus erat, vt non sacerdotes modò, qui in eadem cum illo fide consentiebant, supra modum coleret: sed Nouatianos etiam, qui in fide Consubstantialis cum eo conspirabant, amplecteretur humanitùs, quò Leontio Romæ ecclesiæ Nouatianæ episcopo pro Symmacho deprecanti gratificaretur, Symmachum absoluit crimine. Qui veniam consecutus, Apologeticum ad Imperatorem Theodosium scripsit. Bellum itaque quod in initio maximam minari videbatur calamitatem, celeriter extinctum fuit.

Andragathij interitus.

Symmachus in admiratione summa habitus.

Symmachi Apologeticus

Vide Nicephor. lib. 12. Sozom. lib. 7. cap. 14. Theod. lib. 5. cap. 14.

De Flauiano Antiocheno episcopo. CAP. XV.

EOdem ferè tempore, Antiochiæ Syriæ hæc etiam gesta fuisse accepimus. Cum Paulinus morte occubuerat, populus illius ecclesiæ Flauianum detestatus est: & propterea Euagrium suæ ipsius factionis episcopum designari constituit. Quo non longo tempore vitam protrahente, nemo alius in eius locum delectus fuit: sic enim erat res à Flauiano comparata. Quotquot igitur Flauianum propter iusiurandum violatum auersabantur, separatim conuentus fecerunt. Flauianus autem, omnem (vt dicitur) mouebat lapidem, vt eos etiam sibi subijceret: quod quidem haud diu pòst perfecit, odio Theophili, episcopi Alexandriæ, tum versus ipsum placato: cuius subsidijs Dama-

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 4. 24. Theod. lib. 5. cap. 23. Sozom. lib. 7. cap. 24.

Flauianus episcopus. Euagrius episcopus.

A Damasum etiam, episcopum Romanum, sibi reconciliauit. Nam vterq; erga Flauianū offensiore animo fuit, non solum quòd peierauerat: sed etiam, quòd author fuerat eorum consensum dirimendi, qui erant ante concordes. Quare Theophilus odio in illū restīcto, Isidorum presbyterum misit, vti Damasi animum in Flauianum exulceratū mitigaret: doceretq; ex vsu Ecclesiæ esse, si propter populi concordiam peccatum à Flauiano commissum remitteret. Quocirca communione Flauiano ad hunc modum redditā, populus Antiochenus pedetentim tempore progrediente ad concordiam reducitur. Atq; res Antiochię administratę hunc habuere exitum. Ariani verò ab ecclesijs expulsi, in suburbijs conuentus celebrarunt. Interea temporis Cyrillo Hierosolymorum episcopo mortuo, Ioannes succedit.

Flauianus Damasum sibi reconciliat.

Isidorus presb.

Antiochenus pop. ad concordiam reducitur.

De idolorum delubris Alexandriæ dirutis, & inde commissa à gentilibus & Christianis pugna.
CAP XVI.

Vide Nicephor. lib. 12. c. 25. Item lib. 10. cap. 6. Vide Socr. supr. c. 2. l. 3. & quæ ibi notaui. Vide Sozo. lib. 5. ca. 7. De templo Serapidis & ipso Serapide vi. de elegantem descriptionē apud Ruff. lib. 2. ca. 23. Theodor. lib. 5. c. 20.

PEr id temporis Alexandriæ grauissima clades facta est: quæ eius generis fuit. Factum est studio & labore episcopi Theophili, vt edicto Imperatoris iuberet, omnia gentilium delubra Alexandriæ dirui, illudque opera Theophili trantigi. Quam authoritatem nactus Theophilus, nihil prætermisit, quod ad gentilium mysteria contumelia & dedecore afficienda spectaret: sed delubrum Mithræ gentilis superstitionis sordibus perpurgare, Serapidis demoliri, cruenta Mithræ mysteria palā ludibrio exponere, & quàm ridicula essent tū Serapidis tum aliorum, ostendere aggreditur: phallos per medium forum gestari mandat. Quæ cum gentiles, qui Alexandriæ habitabant, & maximè illi, qui inter eos philosophiam profitebantur, factitata cernerent, præ angore se continere non potuerunt: sed sceleribus, quæ olim tam tragicè & crudeliter conscīuerant, noua, eaque multo grauiora accumularunt. Nam ex communi consensu omnes vno impetu in Christianos ruere, cædem cuiusque modi illis inferre cœperunt: Christiani se defendere: malit malo additum: pugna vsque eo creuit, quoad cædis faciendæ satietate tumultus sedaretur. interierunt in ea dimicatione pauci gentilium, Christianorum permulti: ex vtraque parte sauciati propè innumerabiles. Quibus rebus cōfectis, terror inuadit gentiles: metuunt Imperatoris iram. Idcirco cum res quas libido iusserat, patrassent, iræq; suæ flammam cruenta cæde restinxissent, se, alius in alium locum, abdiderunt. Multi Alexādria euolant, per varias ciuitates dispersi vitam degunt: ex quorum numero fuêre Helladius & Ammonius, grammatici duo: apud quos ipse equidem, cum essem admodum adolescens, Constantinopoli operam literis dedi. Helladius sacerdos Iouis esse dicebatur. Ammonius Simiæ. Itaq; cum clades ad hunc modum esset repressa, præfectus Alexandriæ, & dux exercitus, Theophilo ad delubra gentilium vastanda subsidio fuêre. Delubra idcirco euersa: simulachra deorum in lebetes, & res alias ad vitę vsum accommodatas conflata. Nam Imperator deorum imagines ecclesiæ Alexandrinæ, vti ad pauperes subleuandos impenderentur, donauerat. Itaque Theophilus, cum omnes deorum res subleuandos impenderentur, donauerat. Itaque Theophilus, cum omnes deorum statuas confringere aggrederetur, vnam certi alicuius Dei integram seruari iussit, eam que in loco erexit publico: vti gentiles, tempore progrediente, non inficias irent, se eiusmodi deos coluisse. Hac de re noui equidem Ammonium grammaticum valde animi discruciatum fuisse, dixissēq;, religioni Græcorum grauē inflictam plagam, quòd illa vna statua conflata non esset, sed de industria ad ipsorum religionis irrisionem reseruata. Helladius apud quosdam gloriatus est, se in tumultuosa illa pugna nouem homines trucidasse. Ista quidem illo tempore Alexandriæ gesta cognouimus.

Alexandrina clades.

Mithræ & Serapidis delubra.

Gentilium & Christianorū pugna.

Helladius. Ammonius. Vide Niceph. lib. 12. cap. 25.

Delubrorum euersio.

Ammonij dolor peruersus.

Helladij gaudium peruersum.

De erutis in Serapidis templo literis. CAP. XVII.

Vide Nicephor. c. 25. lib. 12. Vide Theodoritus. lib. 5. cap. 22. Sozo. lib. 7. ca. 15. Ruff. lib. 2. cap. 23.

IN delubro Serapidis iam diruto, & fundamentis conuulso, literæ repertæ fuerunt lapidib. incisæ, quas Hieroglyphicas appellant. Erant formæ insculptæ, quæ crucis habebant effigiem. Quas & Christiani & gentiles oculis intuentes, vtrique eas ad suam ipsorum religionem accommodarunt. nam Christiani crucē salutaris Christi passionis signum esse dixerunt, propriamq; suæ religionis notam censuerunt: gētiles aliquid in ea cōmune esse Christo & Serapidi affirmarunt. nam effigiē crucis aliud gentilib. Christianis aliud significare. Dū isti inter se de hac re digladiantur, gentiles quidā ad fidem Christianā conuersi, qui literas Hieroglyphicas accuratè nouerant, formā crucis quid sibi vellet interpretantur: vitā venturam significare docent. Quod quidē Christiani, vtpotè pro sua religione maximè

Hieroglyphicæ literæ.

Crucis symbolum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

faciens, cupidè arripere, & de eo animos efferre cœperunt. Posteaquam etiam per alias literas Hieroglyphicas significatum erat, Serapidis delubrum tum dirutum fore, cum crucis effigies appareret (id enim esse vitam venturam) multò plures ad religionẽ Christianam se transtulerunt, peccataq; confitentes, baptizati sunt. Hæc de crucis effigie ipse equidem accepi. Cæterùm non sum in ea opinione, vt existimem, Aegyptiorum sacerdotes ea, quæ erant de Christo futura, præsentientes, hanc crucis speciem lapidibus incidisse (nam si mysterium aduentus Christi in mundum, erat à seculis & generationibus absconditum, vt ait Apostolus, & à principe nequitiæ diabolo occultatum: multo magis idem ipsum eius ministros sacerdotes Aegyptiorum præterijt) sed in effigiei illius significatione elicienda, diuina prouidentia idem factum esse, quod per Apostolum Paulum antè factum fuit. Nam ille sacrosancti Spiritus instinctu sapientiam consecutus, simili via Athenienses aggressus est, multosq; illorum tum ad fidem attraxit, cùm ea, quę erant in ara scripta, perlegeret, & ad suum institutum sermonem accommodaret: nisi quis fortasse dixerit, verbum Dei vim suam in Aegyptiorum sacerdotibus exercuisse, sicut in Balaam & Caipha. etenim illi etiam inuiti de rebus bonis vaticinati sunt. Verũ de his ista quidem hactenus.

Gentilium ad fidem conuersio.

Coloss. 1.

Athenienſiũ multi à Paulo ad fidem conuersi.

Num. 22. Ioan. 11.

Quòd Imperator Theodosius, dum Romæ ageret, per quàm multum commodi vrbi attulerit, sublatis, quæ mancipes tenuerunt, furum latibulis: & infamibus, quæ in lustris habebantur, tintinnabulis.

CAP. XVIII.

THeodosius Imperator quanquam ad exiguum tempus in Italia commoratus est, vrbi tamen Romæ plurimum apportauit commodi, partim dando, partim auferendo. Nam sicut multa magnificè & liberaliter in eam cõtulit: sic duo, quæ illi magno dedecori fuerunt, ademit. quorum alterum fuit huiusmodi. Erant Romæ ædes peramplæ & vastæ antiquitùs extructę, in quibus panis, qui suppeditabatur ciuitati, confectus fuit. His præfuerunt, quos Romani patrio sermone Mancipes appellant: qui tempore progrediente, ædes illas furum latibula effecerunt. Nam quia pistrina ad ædes spectantia in profundo sita essent, & ad latera singularum ædium ædificatæ cauponæ, inque illis meretrices habitarent: complures idcirco, cùm qui cibi capiendi necessitate adducti, tum qui obscœnæ libidinis intemperantia inflammati, eò veniebant, per insidias dispoliati fuerunt. Nam machina quadam factum est, vt ex caupona in pistrinum præcipitarentur. His dolis delusi erant in primis peregrini, qui Romam incolebant. Qui cum irretiti tenerentur, coacti fuerunt in pistrinis molere: ac complures non exire permissi, ibi vitam ad summam senectutem traduxerunt: suisque attulerunt opinionem, quòd mortem oppetiuerant. In hunc laqueum vnus ex Imperatoris Theodosij militibus fortè incurrit: qui cum in pistrinum conclusus, exeundi potestatem non haberet, districto, quem habebat, pugione, eos qui eum egredi prohibebant, trucidauit: reliqui rei gestæ metu perterriti, militẽ dimiserunt. Imperator igitur re intellecta, mancipes graui supplicio affici: ædes, quæ latronum erant perfugia, penitus disturbari iubet. Atque hoc vno dedecore Romam, ciuitatum omnium facilè principem, ad istum modum liberauit. Alterum tale fuit: Si quæ mulier in adulterio esset deprehensa, eam, cum deliquerat, supplicij genere, non ad tollendum peccatum, sed ad augendum, coercere solent Romani. Nam illam in angustum lupanar conclusam, turpiter impudenterq; scortari coegerunt: quippe effecerunt, vti eo tempore, quo obscœnum illud flagitium admitteret, pulsarentur tintinnabula, vt eos, qui adessent in proximo, facinus minimè latêret: imò verò ex tintinnabulorum sonitu, illud turpe & ignominiosum supplicij genus omnibus liquidò cõstaret. De qua flagitiosa consuetudine Imperator certior factus, eam omninò non ferendam putauit: sed sestra (sic enim lupanaria illa nuncupabantur) demoliri iubet: aliasque leges, quibus mulieres in adulterio deprehensæ coercerentur, sancit. Quapropter Roma Theodosij Imperatoris opera his duobus turpissimis impurissimisq; flagitijs liberata est. Qui cum cæteras etiam res præclarè dispensasset, illius vrbis gubernationem Valentiniano reliquit: ille cum filio Constantiopolim iter capit, eoque aduentat Tatiano & Symmacho Coss. quarto Id. Nouembris.

Vide Nicc. c. 22. lib. 11.

Theodosius Romæ plurimum commodat.

Mancipes. Pistrinũ subterraneum à Theodosio sublatum.

Mancipes affecti supplicio.

Adulteratum pœna per Theodosium sublata.

Sestra. Leges Adulteriorum.

Valentiniano Romæ gubernatio relicta.

De presbyteris, qui pœnitentijs præerant, & quam ob causam amoti fuerint.

CAP. XIX.

PER id tempus visum fuit Ecclesiæ, vt presbyteri, qui in singulis ecclesijs pœnitentiæ præerant, tollerentur: idque hac de causa. Ab illo tempore, quo Nouatiani se ab

Vide Nicc. lib. 12. c. 18. Sozo. lib. 8. cap. 5.

Pœnitentiariorum presbyterorum reiectio.

A Ecclesia sciunxerant, recusauerantque cum his, qui tempore persecutionis regnante Decio concitatæ lapsi erant, communicare, Ecclesiarum episcopi Canoni adiunxerunt, vt in singulis ecclesijs presbyter quidam pœnitentiæ præesset: quò, qui post baptismum lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designato peccata sua confiterentur. Iste ea non adhuc apud alias sectas ratus firmusque manet: soli autem, qui fidem Consubstantialis tenent, cum Nouatianis, qui cum illis in ea fide consentiunt, presbyterum pœnitẽtiarium reiecerunt. Nouatiani verò, ne initio quidem istam quasi appendicem admiserunt: episcopi, qui iam præsunt ecclesijs, quamuis ad longinquum temporis spaciũ hoc tenerent institutum, tamen temporibus Nectarij episcopi immutarũt, propter eiusmodi facinus, quod tum fortè fortuna in ecclesia admissum fuit. Mulier quædam nobilis ad presbyterum pœnitentiarium accedit: peccata, quæ post baptismum commiserat, particulatim confitetur. Presbyter mulieri mandatum dat, vt ieiunijs & continuis precibus se dederet, quo vnà cũ peccatorum confessione opus dignũ pœnitentia ostẽderet. Mulier longius in cõfitendo progressa, alterius culpæ seipsa insimulat: docet, diaconũ Ecclesiæ cum ipsa dormiuisse. Ob quod facinus hoc modo patefactum, diaconus ab ecclesia eiectus est: tumultus inde in populi multitudine excitatus. Nam indignabantur non solum de admisso flagitio, verùmetiam quòd inde grauis infamiæ & contumeliæ nota ecclesiæ inusta esset. Itaq; cum sacerdotibus ob hanc causam esset vehementer obtrectatum, Eudæmon quidam ecclesiæ presbyter, genere Alexandrinus, episcopo Nectario dedit consilium, vt presbyterum pœnitentiarium tolleret: & liberam daret potestatem, vti pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet. Nam eo pacto solum futurum esse, vt ecclesia omni macula careret infamiæ. Ista quoniam ab Eudæmone ego ipse accepi, huic nostræ historiæ mandare neutiquam planè dubitabã. Etenim, vt sæpius iam dixi, omne meum studium & operam eò conferebam, vti res gestas ab illis, qui easdem habebant penitus perspectas, intelligerem, accurateque eas conquirerem, ne inter scribendum extra veritatis quasi terminos aliquando egrederer. Ego Eudæmonem sic iampridem compellabam: Consilium tuum, ò presbyter, Ecclesiæne profuerit, an secus, Deus viderit: illud tamen planè animaduerto, te ansam dedisse, vt alter alterius peccata minimè coarguat, nec obseruet illud præceptum Apostoli: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autẽ redarguite. Sed de his satis superq; dictum est.

Confessio particularis.

Matrona quædam nobilis à pœnitentiario violata.

Eudæmonis presbyteri consilium.

Quòd tum inter Arianos, tum alios etiam hæreticos, multæ erant diuisiones: & quòd Nouatiani quoque mutuò dissidebant.

CAP. XX.

EAs porrò res, quæ etiam apud alios, Arianos dico, Nouatianos, Macedonianos, Eunomianosq; gestæ sunt, commemorare operæpreciũ arbitror. Nam ecclesia cum semel esset diuisa, non vna diuisione acquieuit: sed homines ab se mutuò auersi, alter ab altero denuò secesserunt: atque adeò exiguam leuiculamq; occasionem nacti, mutuæ communionis consociationisque vincula disruperunt. Proinde qua ratione, quando, & quibus de causis ipsi inter se dissenserint, cõsequenti sermone ostendemus. Illud interea intelligamus oportet, Theodosium neminem istorum exagitasse præter Eunomium: quem quoniam Constantinopoli domi suæ conuentus egerat, libros ab se editos palàm ostẽderat, multos denique suæ doctrinæ labe infecerat, in exilium mitti iussit. Reliquis neque molestiæ quicquam exhibuit, neque secum communicare coegit: sed singulis copiam fecit, in locis separatis conuentus agendi, & ita de religione Christiana sentiendi, vt quisque de ea opinionem conceperat. Atque vt alijs omnibus sectis potestatem permisit, ecclesias sibi extra ciuitates construendi: sic Nouatianis, vtpote in fide Consubstantialis cum eo consentientibus, dedit mandatum, vt ecclesias suas (sicut à me supra commemoratũ est) intra vrbes audacter & liberè retinerent. De quibus pauca dissererendi iam opportunum tempus se obtulit: comprehendam igitur breui. Cõstantinopoli Nouatianorum ecclesiæ Agelius ad annos quadraginta præfuit: hoc est, à Constantini temporibus (vt antè declaraui) ad sextum annum Imperij Theodosij. Ad extremum, Sisinnium, suæ ipsius ecclesiæ presbyterum, virum cum in alijs disciplinis disertum, tum in Philosophia à Maximo philosopho pariter cum Iuliano Imperatore præclarè institutum, in ipsius locum Episcopum designat. Cumque Nouatiani Agelium propterea incusarẽt, quòd Sisinnium, & non Marcianum potius, virum pietate eximium (cuius opera illi, regnante Valente, omni tumultu ac perturbatione caruissent) designauerat: ille offensum populi animũ lenire cupiens, Marcianũ etiã designat. Ac paulò infirmiore affectus valetudi-

Vide Nicc. c. 21. 22. 23. 29. 30. lib. 12. Sozo. lib. 7. cap. 14. 15. lib.

Lib. 4. c. 9.

Eunomij exilium.

Agelius Nouatianus.

Sisinnius.

Marcianus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

valetudine,in ecclesiam progreditur,populumq; sic affatur:Proximum post me, Mar. A
cianum episcopum habetote:post Martianum autem, Sysinnium.Hæc elocutus,decessit:ac non diu pòst,moritur. Atqui cum Marcianus episcopus Nouatianorũ esset creatus,ecclesia illorum tali de causa diuisa est.Sabbatius quidam ex Iudæo factus Christianus,& à Marciano ad presbyterij dignitatẽ euectus,nihilominus Iudaicæ religioni, qua animus erat antè occupatus,seruire laborauit.Quinetiam simul episcopatus adipiscendi cupiditate incensus fuit.Itaq; nactus duos presbyteros, Theoctistum & Macarium, Lib.4.c.28.
suæ cupiditatis adiutores,tempus & morem festi Paschatis celebrandi, qui in Pazo vico Phrygiæ,regnante Valente(sicut antè dixi)à Nouatianis decerni tentatus erat, renouare cogitauit.Ac quanquam primùm simulatione monasticæ vitæ excolendæ, ab Ecclesia recessit,sibiq; nonnullos quos mysteriorum cõmunione indignos censebat, permagnæ offensioni fuisse docuit:tamen haud ita multo pòst,dum conuentus separatim agere instituerent,se manifestò aperuit.De quibus rebus certior factus Marcianus,suum ipsius in presbyteris ordinandis errorem & insciti am propterea magnoperè accusauit, quòd homines tam inanis gloriæ appetentes ad munus presbyterij extulerat:atq; grauiter sibi succensens,dixit,Multo fuisse satius manus suas in spinas imposuisse,quàm earũ impositione Sabbatium ad gradum designasse presbyterij.Idcirco Angari (est hoc emporium Bithyniæ,prope Helenopolim situm)cõcilium episcoporum Nouatianorum conuocat.Qui cum essent in vnum coacti,accersunt Sabbatium: eumq; causas animi sui offensi coram concilio proponere iubent.Ac simulatq; ille dissensionẽ de festo Paschatis celebrando,causam attulerat,cur animo esset offenso(illud enim tũ ad consuetudinem à Iudæis in eo seruatã,tum ad præscriptũ normamq; eorum, qui in Pazo conuenerant,celebrandũ esse dicebat)episcopi in concilio congregati, suspicantes illũ sedis episcopalis desiderio eam rem causatum esse,iureiurando hominẽ obstringunt, vt episcopatum nunquam capesseret.Iste ea de re iusurandum dat:illi tum canonem edunt, de festo Paschatis:quem canonem ἀδιάφορον,id est,indifferentem vocabant: docebantq;, dissensionem de festo Paschatis non satis iustam causam esse, cur ecclesia dirimeretur: neq; eos ,qui in Pazo coacti fuissent,præiudicium generali canoni feciss e. Nam veteres, qui proximè à temporibus Apostolorum aberant,quanquã de hoc festo inter se dissidebant:tamen inter ipsos mutuò communicasse, nec aliquando vincula rupisse concordiæ.Quinetiam Nouatianos,qui Romæ,quæ est ciuitas primaria, vitam degebant, tamẽsi nunquam in eo festo morem Iudæorum sequerentur,sed semper post æquinoctium Pascha celebrarent:tamen cum illis,qui eiusdẽ erant fidei, quiq; alium morem in festo illo agendo seruabant,minimè discordiam exercuisse.Vbi hæc aliaq;e permulta eiusdẽ generis disseruerant,canonẽ illũ de Paschate(vt dixi) indifferentẽ sanciuerũt: quo tunc cuiq; licitũ erat,eam consuetudinẽ in hoc festo celebrando pro arbitratu sequi,quã iã pridẽ sequi animo instituisset:tũ cautũ,ne vlla in cõmunione esset dissensio: sed licet nonnulli in varia festi illius celebratione discreparent,in ecclesiæ tamen concordia denuò inter ipsos consentirent.Ista igitur de festi Paschatis decisione iam tum ab illis stabilita. Sabbatius iureiurando astrictus,quoniam varia & discrepans erat festi illius celebrandi ratio,per se solus ieiunia & vigilias peragendo alijs anteuertit,& die Sabbathi festum illud celebrauit. Quinetiam postridie eius diei cum cæteris omnibus in ecclesia conuenit,& mysteria vnà participat.Istud ab eo ad multos annos factitatum fuit:& propterea tantam hominum multitudinem idem ipsum celare non potuit.Vnde nonnulli simplices imperitiq; rerum,& potissimùm in Phrygia & Galatia, rati se ex eo facto iustificatos fore,eum æmulari,Pascha de illius more in occulto celebrare cœperunt.Sabbatius posteà conuentus separatim egit:& neglecto iureiurando,eorum qui eius disciplinæ se dediderant,episcopus,vti post ostendam, constitutus est.

Nouatianorũ ecclesiæ diuisio.
Sabbatius presbyter Iudaizat.
Pazus.
Angari concilium Nouatianorum conuocatur.
Paschatis cum ἀδιάφορος. Ob paschatis celebrandi dissidium,Ecclesiæ concordia non rupta.
Sabbatius die sabbathi pascha celebrare solitus.

De dissensionibus,quæ quibusdam in locis (vt hic scriptor tradit) habentur, quemadmodum de Paschate,ieiunijs,nuptijs,conuentibus & alijs Ecclesiasticis obseruationibus.

CAP. XXI.

HOC loco,mea quidem sententia,opportunum tempus se offert, pauca de Paschate disserendi.Neq; veteres certè,neq; recentes,hi qui Iudæorum consuetudinem imitari contendunt,satis iustam causam,si quid ego iudico,habuerunt, cur tam opere de hoc festo digladiarentur:neque prætereà illud cum animis considerarunt,quando religio Iudaica erat in Christianam commutata,accuratas illas Mosaicæ legis obseruationes,& rerũ futurarum figuras penitùs euanuisse. Cuius rei argumentũ certissimũ inde capi potest,quòd nulla lex à Christo condita,Christianis fecit potestatẽ ritus

De paschate dissensio.
Vide Nicæn. cap.5. & Socr. lib.5. c.22. & lib.7. c.19.

A ritus Iudaicos obseruandi:imò verò contrà Apostolus illud planè vetuit,dum non modò circumcisionem abrogabat:verùm etiam hortabatur,vt de festis nulla fieret dissensio.Quapropter ad Galatas scribens,sic ait: Dicite mihi,qui sub lege vultis esse, legem non auditis? Ac cum pauca de hac re disseruerit,populum Iudaicum seruum esse ostendit:eosq;e in libertatem vocatos,qui ad Christum accesserant: admonetq;e, vt dies, menses & anni minimè obseruentur.Quinetiam ad Collossenses clara voce pronunciat,Obseruationes eorum vmbram esse,& propterea dicit:nemo vos iudicet in cibo,aut in potu,aut in parte festi,aut neomeniæ,aut sabbathi,quæ sunt vmbra futurorum. Itẽq; in epistola ad Hebræos eadem confirmat,dicens:Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat.Itaq; neque Apostolus,neq;Euangelia ipsa iugum seruitutis,his qui ad doctrinam Christi se contulerint, omninò imponunt:sed festum Paschatis, † aliaq; festa libero æquoq;iudicio eorum, qui in illis diebus beneficia acceperant,recolenda reliquerunt.Vnde,quoniam homines festa amplectuntur,quo se à laborum contentione relaxent,idcirco illis diebus singuli in singulis locis pro arbitratu memoriam salutaris passionis ex quadam consuetudine celebrant. Nam neq; Seruator, neq; Apostoli istud obseruandum lege aliqua præceperunt:neq; mulctam, aut supplicium, sicut lex Mosaica Iudæis,vel Euangelia,vel Apostoli nobis minati sunt:sed solum,quo res gestę tum ad grauem reprehensionem Iudæorum, quòd in diebus festis se cæde & sanguine polluerent, tum ad declarandum,quòd Seruator tempore azymorum passus sit, verè narrentur,in Euangelijs de hoc festo mentio facta est. Atq; Apostolis propositum fuit, non vt leges de festis diebus celebrandis sancirent:sed vt rectę viuendi rationis & pietatis nobis authores essent.Mihi quidem certè videtur,sicut aliæ res multæ in locis quibusq; ex more quodam introductæ fuerunt:ita festum Paschatis ex quadam consuetudine apud singulos populos obseruationem priuatam habuisse,propterea quòd nemo ex Apostolis legem de eo,vt dixi,cuiquam edidit. Et quòd ex consuetudine potius, quã ex lege ab antiquis temporibus obseruari cœptum sit,rerum euenta perspicuè declarãt. Pleriq; namq; in Asia minore antiquitùs decimoquarto die mensis, nulla ratione diei sabbathi habita, hoc festum obseruarunt. Quod dum faciebant,cum alijs,qui aliam rationem in eodem festo agendo sequebantur, vsq; eò nequaquam dissenserunt, quoad Victor episcopus Romanus supra modum iracundia inflammatus,omnes in Asia, qui B erant τεσσαρεσκαιδεκατίται appellati,id est,qui decimoquarto die mensis Pascha celebrabant,excommunicauerit.Ob quod factum Irenæus episcopus Lugduni, vrbis Gallię,in Victorem per epistolam grauiter inuectus est,tum æstum iracundiæ illius incusando: tum docendo,quòd veteres,qui in illius festi obseruatione inter ipsos discrepabant,minimè fuêre communione seiuncti:quodq; etiam Polycarpus,episcopus Smyrnæ, qui pòst regnante Gordiano,martyrio occumbebat,cum Aniceto episcopo Romano communicauit:minimeq; cum illo,licet expatria consuetudine Smyrnæ seruata,festum illud 14.die obseruaret(sicut ab Eusebio in quinto libro Ecclesiasticæ historiæ commemoratũ est)omninò dissensit.Nonnulli,vt dixi,in Asia minore, decimoquarto die mensis festum istud peragunt:quidam,qui partes propius ad Orientem sitas incolunt,sabbatho illud celebrãt illi quidem,sed de mense discrepant. Atq; illi Iudæos,quamuis tempus festi non adeo accuratè obseruantes,imitandos asserebant:hi post æquinoctium celebrant,eodemq; tempore cum Iudæis festum agere abhorrent: quippe Pascha semper celebrandum esse,cum sol sit in Ariete,docent,mense(vt Antiocheni vocant)Xanthico:vt Romani,Aprili. Atq; illos istud feciss e,nõ Iudæis recentiorib. qui omninò in magno errore versabantur,sed veterib.vt Iosepho(sicut in tertio libro de antiquitate Iudaica præscribit)obsecutos. Atqui vt isti ad hunc modũ inter se de Paschate dissederũt: sic cæteros vniuersos,qui partes versus Occasum solis & Oceanũ accolebant, ex veteris traditionis præscripto,post æquinoctium idẽ ipsum celebrauisse constat. Attametsi omnes hi,isto pacto in eodẽ festo obseruando discreparunt: nunquã tamen communionẽ Ecclesiæ, quæ inter ipsos intercedebat,dissociarunt. Neq; illud est verũ,quod nõnullis frequens in ore est,conciliũ Constantini temporib.habitum,morem huius festi celebrandi penitùs peruertisse. Nã Constantinus ipse, eos qui de hoc festo ab alijs dissentiebant,per epistolã hortabatur, vt cũ pauciores essent,eorũ consuetudinẽ imitarẽtur, qui erant numero plures:quam quidẽ Imperatoris epistolã in tertio libro Eusebij de Vita Constantini integram reperies. Pars autem illius,quæ est de festo Paschatis conscripta, » ita se habet: Est modus ille eximius,quem omnes ecclesiæ seruant, quæ orbis partes vel » versus Occidentem, vel versus Meridiem, vel versus Boream sitas incolunt:ac nonnul- » læ quoq;,quæ in locis ad Orientẽ spectantibus habitant:& ob eã causam omnes in præ- » sentia hunc rectè se habere arbitrãtur. Ipseq; etiã vestræ sapiẽtiæ illud probatũ iri in me

B

recepi,

Paschatis cum τεσσαρεσκαιδεκατίται. Victor episc. Rom.ab Irenæo reprehensus. Polycarpi cũ Aniceto communicatio.
Paschatis celebrandi tempus,in Asia minore,non idẽ.
Constantini de Paschatis celebratione epistola.

Pauli ad Galatas cap. 4. locus.
Coloss. 2.
Hebr. 7.
Festorum ratio.
† Vide annot. pag. 249. lin. 35.
Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.
Paschatis cum ἀδιάφορος. apud singulos populos priuata obseruatio ex consuetudine, non lege, habita.
Cap. 22. 23. 24.
Cap. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

recepi, nimirum vt quod in vrbe Roma, in Italia, in Africa, in tota Aegypto, Hiſpania, A
Gallia, Britannia, Libya, & vniuerſa Græcia, in dioeceſi Aſiatica & Pontica, in Cilicia "
denique, vna & conſentiente ſententia conſeruatur, hoc etiam veſtra prudentia luben- "
ter approbaretis: illud ſedulò reputantes, non ſolùm, quòd in locis, quæ modò citaui, "
maior eccleſiarum numerus exiſtat, ſed etiam, quòd ſanctiſſimum inſtitutum ſit, vt o- "
mnes communi conſilio id ratum cupiant, quod recta ratio poſtulare videtur, quodq; "
nihil cum Iudæorum periurio habet commercij. Talis fuit Imperatoris epiſtola. Qui "
quartodecimo die menſis Paſcha celebrant, eum morem obſeruandi à Ioanne Apoſto-
lo ipſis traditum dicunt: qui autem Romam & alias partes Occidentis incolunt, Petrũ
& Paulum Apoſtolos, conſuetudinem, quam illi tenent, ipſis reliquiſſe affirmant. Ve-
rùm nemo iſtorum omnium, teſtimonium de his rebus ſcriptis proditum proferre po-
teſt. Et quòd ex conſuetudine potius in ſingulis locis, quàm ex vlla alia cauſa cœpta ſit
feſti Paſchatis celebratio, hinc facio coniecturam. Cuiuſq; religionis & ſectæ varij ſunt
ritus, licet eadem de illis ipſis habeatur opinio. Etenim qui in eadem fide conſentiunt,
ijdem in ritibus & cæremonijs inter ipſos diſcrepant. Proinde pauca de varijs eccleſiarũ
ritibus hoc loco diſſerere non erit incommodum. Ieiuniorum rationem, quæ antè Pa-
ſcha fiunt, aliter ab alijs obſeruatam eſſe, facile eſt reperire. Nam qui ſunt Romæ, tres
ſeptimanas ante Paſcha, Sabbatho & Dominico exceptis, ſimul ieiunant: qui autem in
Illyria, & tota Græcia, quique Alexandriæ habitant, ante ſex ſeptimanas iciunia, quæ
ante Paſcha fiunt, ordiuntur, illudque tempus Quadrageſimã nuncupant. Alij præter
horum conſuetudinem, ſeptem ſeptimanas ante illud feſtum initium ieiunandi faci-
entes, quamuis quindecim dies ſolum, quibuſdam interuallis interpoſitis ieiunent: ni-
hilominus tamen tempus illud Quadrageſimam vocant. Vnde non mediocris me
capit admiratio, qua ratione iſti, licet de numero dierum diſſentiant, omnes eodem no
mine Quadrageſimam appellent. Alij aliam cauſam huius nominis, ſuopte ingenio
excogitatam tradunt. Quinetiam non de numero dierum ſolùm diſcrepant, verumet-
iam de abſtinentia à cibis variam ſequuntur rationem. Nam alij omninò ab omni ani-
mantium genere abſtinent: alij inter animantia piſces ſolos comedunt: alij cum piſcib.
volucres etiam manducant, easq́ue ex aqua (vt eſt apud Moyſen) naſci aſſerunt. Alij à
fructibus, duris integumentis inuolutis, & ab ouis temperant: alij arido pane ſolo veſcũ B
tur: alij ne illo quidem. Sunt, qui cum ad horam nonam ieiunauerint, varijs ciborum
generibus vtuntur. Alia ratione apud alias gentes ieiunatur: cuius rei ſunt cauſæ propè
infinitæ. Ac quoniam nemo de ea præceptum literarum monumẽtis proditum poteſt
oſtendere, perſpicuum eſt, Apoſtolos liberam poteſtatem in eadem cuiuſque menti &
arbitrio permiſiſſe, vt quiſque nec metu, nec neceſſitate inductus, quod bonum ſit, age-
ret. Hanc diſparem ieiuniorum rationem in eccleſijs eſſe cognoſcimus. Porrò de Syna-
xi variæ conſuetudines ſunt. Nam quanquam omnes vbique in orbe terrarum eccle-
ſiæ, ſingulis ſeptimanis vertentibus, die ſabbathi myſteria celebrant: Alexandrini tamẽ
& Romani ex antiqua traditione iſtud facere renuunt. At Aegyptij, qui Alexandrinis
finitimi ſunt, & illi, qui Thebaidem incolunt, ſabbatho Synaxin exequuntur illi qui-
dem: ſed non vt mos fert Chriſtianorum, myſteria participant. Nam vbi epulati ſunt,
& varijs cibarijs ſe ſaturarunt, ſub veſperum oblatione facta, myſterijs communicant.
Rurſus Alexãdriæ, quarta feria, & ea, quæ dicitur Paraſceue, & legũtur Scripturæ, & do
ctores eas interpretãtur: omniaq́; quæ ad Synaxim pertinẽt adminiſtrãtur, præter* my-
ſteriorum celebrationem. Atque hæc quidem eſt vetus apud Alexandrinos conſuetu-
do. Etenim illis diebus conſtat Origenem potiſſimum in eccleſia docuiſſe: qui, vtpotè
doctor valdè ſapiens, cum animaduerteret legis Moſaicæ præcepta non poſſe ad literã
intelligi, præceptum de Paſchate ad altiorem diuinioremq́; ſenſum traduxit: vnumq́;
ſolum verum Paſcha fuiſſe, quod Seruator efficaciter celebrauit contra poteſtates ad-
uerſarias, quando cruci affixus contra diabolum victoriæ trophæa reportauit. Item
Alexandriæ lectores & interpretes, ſiue catechumeni ſunt, ſiue baptizati, nullo diſcri-
mine fiunt: cum aliæ omnes vbiq́ue eccleſiæ baptizatos ſolum ad hoc munus deligant.
Ipſe porrò in Theſſalia aliam conſuetudinem inualuiſſe noui, vt ibi qui clericus ſit, ſi
cum vxore, quam cum eſſet laicus ducebat, poſtquam clericus factus ſit, dormierit, cle-
ricatu abdicatus ſit: id adeò cum omnes illuſtres preſbyteri in Oriente, & epiſcopi etiã,
modò ipſi voluerint, nulla lege coacti ab vxoribus abſtineant. nam non pauci illorum,
dum epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex vxore legitima procreant. Conſuetudinis
autem in Theſſalia obſeruatæ author fuit Heliodorus Tricę, quę eſt vrbs illius regiõis:
cuius feruntur libri amatorij, quos cum eſſet adoleſcens compoſuit, eosq́ue Aethiopi-
ca inſcripſit. Eadem conſuetudo etiam Theſſalonicæ, & in Macedonia, & in Hellade
ſerua-

Paſchatis celebrandi diuerſitas ex conſuetudine, non lege, cœpta.

Rituum in varijs eccleſijs diuerſitas.

Ieiuniorum.

Quadrageſima.

Synaxis variæ cõſuetudines.

** Conſecrationem, vide Auguſt. Origenes.*

Paſcha vnum tantum verũ.

Sacerdotiũ orient aliũ liberam matrimonia.

Heliodori Aethiopica.

ſeruatur. Aliam præterea conſuetudinem in Theſſalia eſſe cognoui: nimirum vt diebus feſti Paſchatis duntaxat baptizent. Ob quam cauſam omnes, paucis admodum exceptis, abſq; baptiſmate moriuntur. Eccleſia Antiochiæ Syrię contrarium ab alijs eccleſijs ſitum habet. nam altare non ad Orientem, ſed ad Occaſum ſpectat. In Hellade, Hierosolymis, & in Theſſalia preces, dum accenduntur lucernæ, fiunt ad conſuetudinem Novatianorum, qui ſunt Conſtantinopoli. Pari ratione & Cæſareæ Cappadociæ, & in Cypro, die ſabbati, & Dominico, ſemper ſub veſperum, accenſis lucernis, preſbyteri & epiſcopi Scripturas interpretantur. Nouatiani qui ſunt in Helleſponto, non eundem penitùs morem in precationibus faciendis obſeruant, quem Nouatiani, qui ſunt Conſtantinopoli: ſed tamen ex multo maiore parte, primariæ apud illos eccleſiæ conſuetudinem ſequuntur. Ad ſummã, apud omnes religionum & ſectarum formas nuſquàm reperire poteris duas quæ in precandi more inter ſe conſentiant. Quinetiã Alexandriæ non concionatur preſbyter: qui mos eo tempore initium habuit, quo Arius perturbauit eccleſiam. Romæ ſingulis ſabbatis ieiunant. Cæſareæ Cappadociæ, eos qui poſt baptiſmum peccauerint, eijciunt à communione, more Nouatianorum. Idem faciunt & in Helleſpõto Macedoniani, & in Aſia qui quartodecimo die menſis Paſcha celebrãt. †Nouatiani, qui ſunt in Phrygia, ſecundas nuptias non recipiunt: † qui Conſtantinopoli habitant, neq; recipiunt omnino, neq; omnino reijciunt: qui partes in Occidente ſitas incolunt, omnino recipiunt. Cauſæ quidem & authores eiuſmodi diſcrepantiæ fuerunt epiſcopi, qui varijs temporibus eccleſijs præerant. Qui autem iſtos ritus accipiunt, eos tanquam legem ad poſteros tranſmittunt. Verùm omnes eccleſiarum ritus, qui in ſingulis vrbibus regionibusq́; vſurpantur, ſcriptis mandare, vt valde laborioſum eſt, ita vix, aut ne vix quidem fieri poteſt. Satis quidem multi ſunt hi quos citauimus, ad declarandum, feſtum Paſchatis ex conſuetudine quadam in ſingulis locis variè celebratũ eſſe. Quocirca inanis eſt illorum oratio, qui prædicant, concilium Nicænum huius feſti celebrandi morem penitùs peruertiſſe. Nam epiſcopi qui ibi cõuenêre, populos pauciores, qui antea à multo pluribus numero diſſenſerant, ad concordiam reducere laborarunt. Quod autem multæ diſſenſiones ipſis Apoſtolorum temporibus ob eiuſmodi res oriebantur, ne ipſos quidem latuit Apoſtolos: ſicut ex libro qui Acta Apoſtolorum B inſcribitur, ſatis conſtat. Nam cum Apoſtoli eſſent de tumultu, ex gentium diſſenſione fidelibus concitato, certiores facti, omnes in vnum conuenerunt: diuinamq́ue legem quandam in modum epiſtolæ ſcriptam, per quam fideles grauiſſima iſtarum rerũ ſeruitute, & inani de eiſdem contentione liberabant, diuinitùs promulgarunt. Certam denique; vitæ rectè inſtituendæ normam, eamq́; ad veram pietatem rectà ducentem doctuerunt, dum ea ſolum quæ ſunt neceſſariò ſeruanda, illis præſcriberent. At licet epiſtola illa in Actis Apoſtolorum literis conſignata ſit: nihil tamen obſtat, quo minus eandem etiam hoc loco proponamus. Apoſtoli & preſbyteri & fratres, his qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex gentibus, ſalutem. Quoniam audiuimus, quòd qui-
» dam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas veſtras, iubentes vos
» circuncidi, & obſeruare legem, quibus non mandauimus: viſum eſt nobis, collectis v-
» nanimiter, eligere viros, & mittere ad vos, cum chariſſmis noſtris Barnaba & Paulo, ho-
» minibus qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri IESV Chriſti. Mi-
» ſimus ergo Iudam & Silam, qui & ipſi vobis verbis referent eadem. Viſum enim eſt
» Spiritui ſancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria: vt
» abſtineatis vos ab his quæ immolantur ſimulachris, & à ſanguine & ſuffocato, & ſcortatione: à quibus cuſtodientes vos, bene agetis. Valete. Iſta viſa fuerunt Deo. nam ſic loquitur epiſtola: Viſum eſt Spiritui ſancto, nihil vltrà imponere oneris, præter ea quæ neceſſariò obſeruari debent. Cæterùm nonnulli iſtis neglectis, omnem ſcortationem, rem quidem indifferentem arbitrantur: ſed tamen de diebus feſtis, tanquam de vita decertant: Dei præcepta euertunt; ipſiq́; ſibi leges ſanciunt: legis promulgationem ab Apoſtolis traditam contemnunt, & pro nihilo putant: ſicq́; contraria illis quæ viſa ſunt Deo imprudentes exequũtur. Porrò, quamuis poſſemus ſermonem de Paſchate ſuſceptum multo longius producere: & tum Iudæos ipſos, neq; tempora illius celebrandi, neq; modum accuratè obſeruare: tum qua ratione Samaritani, qui ſunt ſecta Iudæorũ, ſemper poſt æquinoctium hoc feſtum peragant, planè oſtendere: tamen eiuſmodi opus & ſeparatam, & longè prolixiorem tractationẽ deſiderat. Iſtud igitur ſolum dico, quòd qui tanto ſtudio ducuntur Iudæos imitandi, & ſunt in figuris rerum obſeruandis tam curioſi, non debeant vel tranſuerſum (quod aiunt) digitum ab illis diſcedere. Nam omnino ſi tã accuratè omnia obſeruare in animũ inducant, non dies ſolum & menſes obſeruare debent: verùm etiam alia, quæcunq; Chriſtus factus ſub lege, Iudæorum more

Baptizandi ratio in Theſſalia.

Eccleſiæ ſitus contrarius.

Nouatianorũ in precationibus faciendis obſeruatio.

†Vide annot. pag. 381. lat. 1. lin. 32.

Paſchatis diuerſa celebratio ex conſuetudine tantũ.

Diſſenſiones ob ritus diuerſitatem. Actũ. 15. Galat. 2.

Epiſtola ex Actis Apoſtolorum.

Legati Apoſtolorum.

Samaritani quãdo Paſcha celebrent.

Universidad de Deusto
Biblioteca

obierit, aut quæ à Iudæis iniustè perpessus sit, aut quæ in figuris ad omnibus gratificandū expresserit. verbi gratia: in nauem ingressus docuit, Pascha in cœnaculo parari iussit, asinam alligatam solui mandauit: hominem gestantē lagenam aquæ, signum dedit discipulis, qui ad Pascha parandum maturabant, aliaq; præterea infinita in Euangelijs, eius generis scripta sunt. Atqui nullum istorum omnium, externo & corporeo more, vt litera postulat, obseruare nituntur hi, qui propter festi celebrationem se iustificatos esse putant. nam nemo illorum è naui aliquando apud populū concionatur: nemo omnino in cœnaculo Pascha celebrare aggreditur: nemo cum asinā ligauerit, eam denuò dissoluit: nemo deniq; cuiquam negotium dat lagenam aquæ gestandæ, vt ea quæ sunt rerum symbola expleat. Etenim hæc aliaq; id genus, Iudæorum potius quàm Christianorum propria existimant. Nam Iudæi, eiusmodi instituta corporea potius obseruantia, quàm interioris mentis cultu obseruare contendunt. Quam ob causam sunt execrationi obnoxij, quòd legem Mosaicam in vmbris ac figuris, potius quàm in rebus ipsis & veritate positam intelligunt. Qui aūt Iudæorum fautores sunt, tametsi has res ad altiorē diuinioremq; sensum transferunt, tamen de diebus & mensibus bellum excitant grauissimum: interioremq; & sublimem, quæ in illis est, notionem quasi pedibus proterūt: & propterea hac in parte pari ratione cum Iudæis necessariò condemnātur, sententiamq; execrationis sibi ipsi ascisc unt. Verùm de his satis superq; me dixisse censeo.

Luc. 5. Marci 14. Mat. 21. Marci 14.

De Arianis Constantinopoli, qui & Psathyriani denominabantur.

CAPVT. XXII.

REdeamus iam ad illud propositum, de quo paulo antè mētionem fecimus: nimirum quòd Ecclesia semel diuisa, non in prima illa diuisione constitit: sed illi qui erant in sectas diuisi, rursum singuli se à sua ipsorū secta separarunt, leuiq; & pertenui occasione arrepta, se ab se mutuò abiunxerunt. Nā Nouatiani, vti dixi, propter festum Paschatis diuisi fuerunt, atq; adeo de hac re non est vna solum inter illos diuisio. Nam in varijs prouincijs nō modò de mense, in quo illud festū celebrari debet: sed etiā de diebus septimanæ illius, in qua celebratur, & de alijs rebus non magni momenti dissentientes, partim ab se ipsi segregantur, partim cohæresc unt. Quinetiam Ariani inter ipsos diuisi sunt, ob hanc causam. Quæstiones controuersæ captiosæq; inter eos quotidie agitatæ, illorum disputationes ad absurdas quasdam sententias & opiniones prouexerunt. Nam quoniam in ecclesia creditur, Deum esse patrem filij verbi: quæstio inter eos oborta est, vtrum Deus ante, quàm filius existeret, pater dici posset. Et quia Dei verbum non ex patre generatum, sed ex non essentijs extitisse opinabantur: in primo & summo quæstionis capite lapsi, non sine causa in absurdam contentionem inciderunt. Dorotheus igitur ab illis Antiochia accersitus, dixit, non posse patrem aut esse, aut vocari, si non existat filius. Marinus, quem è Thracia ante Dorotheum, euocauerant, tempus opportunum nactus (ægrè enim ferebat Dorotheum sibi prælatum) contrariæ sententiæ patrocinium suscepit. Qua de causa ipsi inter se diuisi fuēre: ac cum propter inanem illam voculam, quæ erat antè prolata, essent seiuncti, separatim alter ab altero conuentus fecerunt: & qui parebant Dorotheo, in proprijs ac suis locis manserunt: qui autem Marini sententiam sequebantur, extruxerunt sibi ecclesias, conuentus seorsum egerunt: deniq; docuerūt, patrem semper patrem fuisse, etiam cum filius non existeret. Appellabantur isti Psathyriani, propterea quòd Theoctistus quidam psathyropola, id est, placentarum venditor, genere Syrus, ardenti studio huic opinioni patrocinatus est. Cuius sententiam secutus est Selenas Gothorum episcopus, vir genere permixto ortus. nam pater eius Gotthus fuit, mater autem Phryx: & ob eam causam vtroque sermone expeditè in ecclesia docuit. Hæc secta haud diu pòst etiam diuisa fuit: quippe Marinus cum Agapio, quem ipse ad episcopatum Ephesi extulerat, cœpit contendere. Atq; isti duo non de religione, sed de primatu, propter nimium honoris studium, quo animi illorum tenebantur occupati, inter se decertarunt. Gothi ab Agapio potius steterunt. Quamobrem multi clerici, qui erant de istorum episcoporum ecclesijs, odio contra eos ob concertationem illam ex inanis gloriæ cupiditate ortam concepto, ab illis desciuerunt, seq̃ue totos addixerunt fidei Consubstantialis. Ariani igitur ad trigintaquinque annos inter ipsos diuisi, pòst, Theodosio iuniore & prætore Plintho Cos. quotquot Psathyrianorum hæresi fauebant, quorundam hortatu inducti, finē contendendi fecerunt. A quibus, pòst reconciliationem factam, tanquā lege sancitum fuit, vt quæstionis, quæ fuerat quasi contentionis caput, nunquā deinceps fieret mentio. Atq; istud nusquam nisi Constantinopoli præsta-

Vide Nicephor. c. 30. lib. 12. Sozom. lib. 7. cap. 17.

Nouatianorū inter se diuisiones earumq; causæ & authores.

Arianorum schismata.

Dorotheus & Marinus Arianæ diuisionis authores.

Psathyriani, vnde dicti Selenas, Gothorum episcopus.

Agapius, & Marinus Psathyrianos de integro diuidunt.

A præstare potuerunt. nam in alijs ciuitatibus, in quibus fortè sunt Ariani, eadē inter ipsos manet contentio. Verùm de Arianorum diuisione, hactenus sermonem produximus.

Quòd Eunomiani quoque inter se discordarunt, varijs nominibus ex sectarum authoribus appellati. CAPVT. XXIII.

Vide Nicephor. cap. 31. 32. lib. 12. Sozom. lib. 1. ca. 17. 18.



Eunomianorū schismata. Aetius.

ORrò Eunomiani inter ipsos fuēre separati. nam Eunomius ipse ab Eudoxio, qui illum iampridem episcopum Cyzici designauerat, arrepta occasione, quòd Aëtium magistrum suum ab ecclesia eiectum nollet admittere, dissidere cœpit. Quinetiam alij qui ab eo nomen habuerunt, in varias sectas dispertiti sunt. Nam primū Theophronius quidam Cappadox, qui captiosas argutias certandi studio accōmodatas ab Eunomio didicerat, & pingui Minerua (vt aiunt) Aristotelis tū Categorias, tum librum de Interpretatione animo cōplexus erat, libros composuit, eosq; De mentis exercitatione inscripsit. Vnde in odium apud suæ religionis fautores incurrens, ab illis, tanquam sectæ suæ desertor, eiectus fuit: qui conuentus separatim ab illis faciens, hæresim suo ipsius nomine nuncupatam reliquit. Deinde Constantinopoli Eutychius quidam, leui frigidaq; controuersia commotus, se ab Eunomianis seiunxit: ac iam conuentus seorsum agit. Itaq; qui Theophroniū sequebantur, Eunomotheophroniani: qui autem Eutychiū, Eunomieutychiani appellati sunt. Quàm inanes verò ineptæq; res sint, de quibus dissentiunt, nō putaui operæpretium huic nostræ historiæ mandare, ne sermonem ad res ab instituto alienas transferrem. Attamen quòd baptismum deprauarunt, non prætermittendum censui. Nam non in Trinitatem, sed in Christi mortem baptizant. Inter Macedonianos præterea quodam tempore dissensio orta est. quippe Eutropius presbyter Macedonianorum, conuentus egit separatim: à quo Carterius eiusdem sectæ dissensit. quinetiam aliæ sectæ in alijs ciuitatibus fortè ex his ortæ. Verùm ego quoniam ætatem dego Constantinopoli, in qua natus educatusque fui, vberius fusiusque res in hac vrbe gestas narro: quandoquidem & nonnullas earum ipse oculis vidi, & quæ in ea gestæ fuerint, illustriores videntur, hominumq; memoria digniores. Istæ sectarum diuisiones, non vno eodemq;, sed varijs fortè temporibus factitatæ sunt. Quòd si placet nomina variarum sectarum cognoscere, euolue librum Epiphanij episcopi Cypri, qui Ancyrotus inscribitur. Sed de his satis multa.

Theophronij libri. Eutychius. Eunomotheophroniani. Eunomieutychiani. Baptismi deprauatio. Macedonianorum dissensio. Eutropius presb. Socratis patria & fides in historia. Epiphanij Ancyrotus.

De Eugenij tyrannide, & Valentiniani paruuli nece: & de tyranno à Theodosio imperatore superato. CAPVT XXIIII.

Vide Nicephor. ca. 38 39. lib. 12. Theod. lib. 5. cap. 24. Sozom. lib. 7. cap. 22. lib. 7. ca. 24. † Vide an. pag. 252. fac. 1. lin. 33.

REipublicæ etiam status tali de causa admodum perturbatus fuit. In partibus versus Occidentem, grammaticus quidam Eugenius nomine, qui Latinas literas docebat, ludo relicto, primum in regia satellitem agere cœpit: deinde quæstor Imperatoris factus est. Et quia valde erat disertus, & honorem propterea præ cæteris consequebatur, secundum fortunæ flatum moderatè ferre non potuit: sed Arbogastem† virum ex parua Galatia ortum, præfectum exercitus, moribus barbarum, & in primis crudelem, consilij sui socium & adiutorem nactus, tyrannidem occupare molitus est. Ambo igitur Valentiniano Imperatori cædem machinari, eunuchosq; Imperatoris cubicularios de ea re sollicitare aggrediuntur. Hi promissis maioris honoris & dignitatis inducti, Imperatorem dormientem opprimentes, strangulant. Eugenius itaq; in partibus Occidentis rerum potitus, ea gessit, quæ à tyranno geri erat verisimile. De quibus rebus Theodosius Imperator certior factus, in maximam curam & solicitudinem de integrò coniectus est: hocque secundum certamen, post dimicarionem cum Maximo tyranno commissam, sibi prositum ad ingrediendum putauit. Collectis igitur copijs, & filio Honorio Imperatore, ad tertium sui ipsius consulatum, & primum Abundantij, 4 Idus Ianuarij Imperatore declarato, rursus ad partes versus Occidentem properè contendit, duosque filios Imperatores Constantinopoli reliquit. Eum, ad bellum contra Eugenium abeuntem, plurimi barbari trans Istrum incolentes, sua sponte ad auxilium ei contra tyrannum ferendum secuti sunt. Non multo tempore interiecto, in Galliam proficiscitur, cum ingenti exercitu. Nam ibi tyrannus infinitas copias instructas paratasque habuit. Prælium ergo committitur ad fluuium qui * Phrigdus vocatur. † Atque vt in ea parte qua Romani cum Romanis manus conseruerant, ancipiti pugna certatum erat: sic in illa qua barbari, Imperatori Theodosio auxilia ferentes, dimicabant, Eugenius tulit superiores. Imperator cum videret barbaros profligatos, in maximo animi angore positus, humi se prostrauit: Dei implorauit opem: sit voti compos. Nam Bacurius dux illius tantum animorum & roboris sumpsit, vt cum primipilis in ea parte qua barbari funde-

Reip. status perturbatio. Eugenius tyrannus. Arbogastes. Valentiniani strangulatio. Honorius imperator declaratus.

* Frigidus legit Niceph lib. 12. cap. 30. & Claudianus poeta in Panegyrico ad Honorium.

† Hic verba quædam desiderantur in Græco Bacurius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bantur, incursionem faceret, phalangesq; disrumperet. Eos igitur qui alios paulò antè A fugauerant, ipse in fugam vertit. Alia etiam res digna admiratione consecuta est. Ventus enim grauiter spirans, tela ab Eugenij militibus cõiecta, in eos denuò retorsit: quinetiam aduersariorum tela, multo vehementiore impetu in eos detulit. Tantum momenti & ponderis Imperatoris preces habuerunt. Quare cum belli fortuna hoc modo esset commutata, tyrannus ad pedes Imperatoris accurrere, salutemq; petere cœpit. Verùm illi, ad pedes Theodosij prouoluto, caput à militibus amputatum est. Ista gesta fuêre 8. Idus Septembris, ad tertium consulatum Arcadij, Honorijq; autem secundum. Arbogastus, tantæ cladis author, biduo post prælium fugiens, vbi nullam vitæ spem sibi reliquam intellexerat, proprio ense se ipse obtruncauit.

Eugenio supplici caput amputatum, anno 396.

Arbogasti interitus.

Quòd post victoriam, cum Imperator ægrotare cœpisset, filium Honorium Mediolanum accersiuit: & cum paululum à morbo conualuisse existimaretur, equestre certamen instituit, eademque die è vita migrauit.

CAP. XXV.

Theodosij ægrotatio.

THeodosius Imperator ex labore in eo prælio suscepto, corpore malè se habere cœpit. Quem cum ex morbo, qui tum illum occupauerat, finem vitæ sibi impendere expectaret, maior cura Reip. quàm mortis afflictauit: idq;, cũ secum consideraret, quanta mala, Imperatore extincto, homines exagitare soleant. Quocirca filium suum Honorium quamprimùm Constantinopoli accersit, eo consilio, vti per illum partibus ad Occidentem spectantibus pacem & tranquillitatem stabiliret. Illo igitur Mediolanum aduentante, pater morbo recreatus est, equestriaq; certamina ob victoriam partã à tyranno instituit. Atque ante prandium ita morbo releuatus fuit, vt equestria certamina spectare posset. post prandiũ derepentè cœpit adeò grauiter ægrotare, vt ad spectacula accedere nequiret. Filio igitur mandatum dedit, vti certamina illa perficienda curaret: nocteq; sequenti ipse abijt è vita, Olybrio & Probino Coss. decimo sexto Calend. Februarij: anno primo ducentesimę nonagesimæquartæ Olympiadis. Vixit hic Imperator Theodosius annos sexaginta: regnauit annos sedecim. Totidem Liber iste complectitur, & menses octo.

Theodosij obitus, anno 397.

Vide Nicephor. cap. vlt. lib. 12. Theod. lib. 5. cap. 25. Sozom. lib. 8. ca. 1. cap. 28.

B

Finis quinti libri.

SOCRATIS SCHOLASTICI
HISTORIAE ECCLESIASTICAE,
LIBER SEXTVS.

Liber hic Sextus continet historiam annorum 13. quibus imperarunt Arcadius & Honorius. Hic igitur refer vitam Rom. Pontif. Innocentij, Tomos Concil. & Hæres. Orosium lib. 7. cap. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. S. Aurel. Victorem Paul. Diac. lib. 12. Blondum lib. 1. 2. decad. 1. Iohann. Maior. lib. 2. Rerum Rom. lib. 14.

PROOEMIVM.

PRouinciam Ecclesiasticæ historiæ vsq; à temporibus Constantini, pro virili parte accuratè conscribendę, abs te nobis impositam, Theodore sanctissime, in quinq; superioribus libris cumulatè expleuim⁹. Cæterùm hoc intelligas velim, nos in sermone limatius perpoliendo nõ adeò elaborasse: quippe illud mente cõplectebamur, quòd quamuis in verborum elegantia à nobis multum operæ positum esset, fortasse tamen id quod animo institueramus, minimè fuissemus consecuti. Quod si consecuti fuissemus, non tamen illud scribendi genus, à veteribus vsurpatum, quo quidē res pro arbitratu vel amplificare vel diminuere existimantur, omnino consequi poteramus. Eõdem accedit, quòd talis oratio vulgo & imperitis hominibus, qui non verba concinnè & eleganter constructa collocataq; admirari solent, sed rerum solum cognoscendarum auiditate ducuntur, nihil apportat commodi. Proinde ne opus à nobis susceptum vtrisq; incommodum videretur: hoc est, & peritis, quòd cum eleganti veterum scriptorum sermone nulla ex parte posset comparari: & imperitis, quòd res nimis exquisito orationis artificio inuolutas, peneque obrutas, animo assequi non queant: eam scribendi rationem secuti sumus, quæ quamuis demissior humili-

Cur dictionis ornatum non affectet Socrates.

A miliorq; videatur, est tamen ad intelligendum multo facilior. Porrò nobis in sextum Librum iam ingressuris, illud primùm dicendum videtur, quòd res nostra memoria gestas tractaturi, nõnihil pertimescimus, ne ea scriptis prodere videamur, quæ sint nonnullorum animos offensura: vel quia veritas, vt in prouerbio est, hominibus permolesta est, cùm eorum nomina quos diligunt, laude & prædicatione minimè efferamus, vel quia illorum res gestas magnis præconijs neutiquam extollimus. Nam qui personas ecclesiasticas in summo habent honore, nobis crimini dabunt, quòd episcopos non vocamus Deo charissimos, aut sanctissimos, aut alijs id genus nominib. Alij, qui sunt paulo curiosiores, interdum vertent vitio, quòd Imperatores non diuinissimos, aut dominos, aut alijs titulis, quos homines illis tribuere solent, appellamus. Verùm quoniam veterum scriptorum testimonijs perspicuè probare, ostendereq; possum, seruum in eorum libris dominum suum proprio nomine compellasse: ego quò rerum veritati, vti debeo, inseruiam, istos dignitatis titulos penitùs contemnam: & legibus obsequens historiæ, quæ simplicem sinceramq; rerum gestarum narrationem, eamq; omni fuco carentem postulant, deinceps ad ipsam historiam aggrediar: & ea scribam, quæ partim ipse vidi, partim ab his qui illa conspexerũt, perdidici: quæ quidem vera esse inde exploratum habeo, quòd qui eadem mihi narrabant, ipsi narrando minimè inter se discreparunt. Veritatem certè elicere, erat mihi propterea valde laboriosum, quòd tam multi homines, tamq; varij, res mihi significauerant: quorum alij se ipsis rebus gestis interfuisse dicebant, alij easdem cognoscere vel maximè quæsiuerant.

Socrates iam porro tractaturus est res suæ memoriæ gestas.

Veritas hominibus permolesta.

Historiæ lex.

Quòd mortuo Theodosio Imperatore, cum liberi eius Imperium partirentur, ac redeunti ab Italia paulo pòst exercitui Arcadius obuiam veniret, Ruffinus præfectus ad pedes Imperatoris occisus est. CAP. I.

Arcadius & Honorius Imp. Anno Chr. 397.

ITheodosio Imperatore mortuo, Olybrio & Probino Coss. ad decimum sextum Calend. Februarij, eius filij gubernacula imperij Romani susceperũt: atq; Arcadius partium ad Orientem sitarum, Honorius autem earum quæ spectant ad Occidentem, principatum obtinuit. Eisdem temporibus ecclesiæ quæ est Romæ, vrbis primariæ, præfuit Damasus: Alexandrinæ Theophilus, Hierosolymitanæ Ioannes, Flauianus Antiochenæ: Constantinopoli autem, quæ est noua Roma, Nectarius, sicut in Libro superiore à nobis commemoratum est, episcopalem sedem occupauit. Sexto Idus Nouembris, in ipsius cõsulatu corpus Theodosij effertur ad sepulturam, & ab Arcadio filio cõsuetum funus honorificè celebratur. Haud multo pòst, ad quintum Calend. Decembris, exercitus, qui cum Imperatore Theodosio contra tyrannum Eugenium dimicauerat, eò aduentauit. Vbi igitur Imperator Arcadius (vt moris est) ad portas ciuitatis exercitui obuiam processit, ibi tũ Ruffinum legatum Imperatoris obtruncant. nam & in suspicionem venerat occupandæ tyrannidis: & opinio de eo erat concepta, quòd Hunnos gentem barbaram in agrum Romanum aduocauerat. Etenim eodem tempore & Armeniam, & alias quasdam partes Orientis vastauerant. Eodem die, quo Ruffinus erat interfectus, Marcianus Nouatianorum episcopus excessit è vita: in cuius episcopatum Sisinnius, de quo suprà fecimus mentionem, successit.

Ecclesiarum præcipuarum episcopi.

Theodosij Imper. funus.

Ruffini cædes

Sisinnius Marciani successor.

Vide Nicephor. ca. 2. lib. 13. Theod. li. 5. cap. 26. Sozom. lib. 8. cap. 2. 3.

De Nectarij morte, & Ioannis creatione. CAP. II.

NOn longo temporis spacio interposito, Nectarius episcopus Constantinopolitanus obijt mortem, Cæsario & Attico Coss. quinto Calend. Octobris. Itaq; statim de episcopo deligendo vehemẽter laboratum est. Et cũ alij alium ad id muneris quærerent, deq; ea re sæpe consilium iniretur, tandem visum est, Ioannem Antiochiæ presbyterũ, Antiochia accersere. Nam de eo fama percrebuit, quòd & ad docendum aptus, & in dicendi facultate valde peritus erat. Quamobrem haud diu pòst, Imperator Arcadius communibus omnium suffragijs, id est cleri & populi, illum accersit. Et quò eius ordinatio plus haberet authoritatis, aderant de Imperatoris mandato cùm alij complures episcopi, tum Theophilus Alexandriæ: qui omni studio eò incubuit, vt Ioannis famam læderet, & Isidorum suæ ipsius ecclesiæ presbyterum, ad illum episcopatum euecheret. Hunc Isidorum Theophilus propterea charum habuit, quòd ipsius causa prouinciam valde periculosam aliquando suscepisset. Quænam illa fuerit, iam dicemus. Cùm Imperator Theodosius contra Maximum tyrãnum prælio decertaret, Theophilus per Isidorum munera ad Imperatorem cum binis literis misit, præcepitq; vt victori & munera, & alteras literas offerret. Isidorus, quo hoc negotium obiret, Romam contendit, victoriamq; sedulò obseruat. Verùm illud factũ non diu in abstruso

Nectarij obitus, anno 401.

Ioã Chrysostomus Antioch. presbyter.

Isidorus cur Theophilo charus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

latuit. Nam lector illius, qui vnà cum illo aderat, literas clàm surripuit. Vnde Isidorus A metu perculsus, absq; mora Alexandriam profugit. Hæc quidem causa fuit, cur tantopere à Theophilo esset pro Isidoro laboratum. Verùm qui erant ex aula Imperatoris, Ioannem prætulerunt. Ac posteaquam multi crimina Theophilo intentabant, & libellos contra illum, alius ob aliam causam, episcopis, qui tum aderant, offerebant: Eutropius, qui cubiculo Imperatoris præfuit, criminationes aduersus Theophilū illatas scriptisq; proditas nactus, Theophilo ostēdit: docuitq; liberam optionē illi datam esse, vel Ioannem episcopū ordinandi, vel iudicium de criminibus, ei obiectis subeundi. Quibus perterritus Theophilus, Ioānem designat episcopum. Proinde cum esset ad sacrum episcopatus gradum designatus, in sede episcopali collocatus fuit, quarto Calend. Martij, proximis Coss. quibus Imperator Honorius Romæ, Constantinopoli autem Eutychianus tum Imperatorum præfectus, rempublicam administrauit.

Ioannes Chrysost. Constantinopol. episcopus designatur.

De Ioannis Constantinopolitani episcopi genere & educatione.

CAPVT. III.

VErùm quoniam Ioannes vir percelebris fuit, tum propter libros quos reliquit posteritati, tum propter grauia pericula & tempestates, in quas incidit: operæprecium visum est, eius res gestas non silentio præterire, sed ea quæ de eo pluribus dici possent, summatim comprehendere, narrareque vnde sit ortus, ex quibus parentibus, quomodo ad sacerdotij dignitatem vocatus, qua ratione illa abdicatus: deniq; quo pacto post mortem plus consecutus honoris, quàm cum viueret. Ioannes oriundus fuit ab Antiochia, quæ est vrbs Celosyriæ: patre Secundo, matre Anthusa, ex genere patritio: discipulus Libanij sophistæ, auditor etiam Andragathij philosophi. Qui cum ad res forenses animum adijcere institueret, simulq; consideraret eorum vitæ genus, qui in illis rebus versantur, quàm improbum esset, & iniquum, ad viuendi rationem magis pacatam & tranquillam se transtulit. Quod quidem fecit, exemplo Euagrij inductus: qui ab eisdem cum illo præceptoribus & magistris institutus, iampridem quietam viuendi viam ingressus fuerat. Confestim itaq; & habitu mutato, & incessu, ad Sacras literas perlegendas omnem suam curam & cogitationem conuertit: operamq; nauauit assiduè, vt Ecclesiæ Christi prodesset: suadet Theodoro & Maximo condiscipulis suis, qui pariter cum ipso Libanium sophistam audiuerant, vt eo vitæ genere, quod in pecunia facienda versatur, derelicto, hoc, quod paucis contentum est, sequantur. ex quibus duobus, Theodorus Mopsiestię vrbis Ciliciæ postea episcopus fuit: Maximus Seleuciæ, quæ est in Isauria. Isti igitur id tēporis permagno virtutis studio inflammati, monasticam disciplinam didicerunt à Diodoro & Carterio, qui tum quidem monasterio præfuerunt: postea alter illorum, nempe Diodorus, episcopus Tharsi constitutus, multos libros conscripsit: & dum nudę sacrarum scripturarum literæ solum attenderet, à sensu & intelligentia abstrusiore illarum penitùs deflexit. Sed de his satis. Ioannem, qui cum Basilio primùm diacono à Meletio designato, postea episcopo Cæsareæ Cappadociæ ordinato, multum diuq; versabatur, Zeno episcopus Hierosolymis reuersus, lectorem ecclesiæ Antiochenæ constituit. Qui dum lectoris occupabat gradum, librum illum qui contra Iudæos inscribitur, composuit, Post paulò, diaconatus dignitatem assecutus à Meletio, libros de sacerdotio contexuit: itemq; eos, quos contra Stagirium scripsit. Quinetiam quos de incomprehensibili, quosq; de mulieribus asciticijs inscripsit. Postea vbi Meletius Constantinopoli (ibi enim aderat propter Gregorij Nazianzeni ad episcopatum ordinationem) decessit è vita, Ioannes relictis Meletianis, & cōmunione cum Paulino repudiata, tres annos cōtinuos vitam quasi solitariam, & à negotijs vacuam degit. Pòst, Paulino mortuo, ab Euagrio, qui Paulino successit, presbyter designatus est. Eius vitæ consuetudo, antequam episcopus erat delectus, vt paucis complectar, hæc fuit. Erat homo, vt fertur, propter incredibile temperantiæ studium moribus aliquanto seuerior: & vt quidam dixit, qui illo ab ineunte adolescentia familiarissimè vsus fuerat, iracundiæ potius, quàm obseruantiæ indulgens. Ac propter exquisitam vitæ institutionem, rerum futurarum non satis prouidus, sed præ simplici & sincero animo facilis ad decipiendum. Quinetiam libertate loquendi aduersum eos qui cum eo in colloquium veniebant, extra modum vsus est. Atque vt in docendo multum operæ posuit, vti audientium mores emendaret: sic in colloquijs, illis, qui eius mores ignorabant, paulo habebatur insolentior.

Ioannis Chrysostomi ortus, & vitæ cursus.

Theodorus & Maximus Chrysostomi condiscipuli.

Diodorus Tarsi episc.

Zeno.

Ioā. Chrysost. liber contra Iudæos: item alij.

Ioā. Chrysost. presbyter ordinatus.

Ioā. Chrysost. vitæ consuetudo qualis.

Vide Niceph. c. 1. lib. 12. Theod. li. 5. ca. 26. Sozom. lib. 8. c. 2.

A *De Serapione diacono, quo incitante, inimicus & hostis clero effectus est Ioannes.*

CAP. IIII.

IOannes his moribus imbutus, & ad episcopatus honorem sublatus, dum constitueret (sic enim putabat) clericorum suorum viuendi rationem corrigere, maiorem seueritatem, quàm par erat, in eos declarauit. Itaque statim in initio episcopatus, cum aduersus clerum paulò videretur acerbior, ab illo propterea odio habitus est: ac complures erga eum animo offensiore esse, & tanquam nimis iracundum vitare cœperunt. Serapion illius ecclesiæ diaconus, cur in omnium offensionem incurreret, author profectò fuit. Qui præsente vniuerso clero contenta voce sic illum affatus est: Nunquam ô episcope, istos pro arbitrio regere poteris, nisi vna eademque virga omnes coerceas. Quod eius dictum, grauem odij flammam contra episcopum incendit. Episcopus non multo pòst, complures ab ecclesia, alium ob aliam causam, eiecit. Illi, vti in tam violento dominantium impetu vsu solet venire, contra eum conspirare, & apud populum falsò criminari cœperunt. Hæc quæ de illo vulgò dicebantur, nimirum quòd cum nemine cibum capere, & ad conuiuium inuitatus neutiquam accedere volebat, fidem audientibus fecerunt. Vnde calūnia in eum concitata, magis magisque creuit. Qua ratione fuerit inductus, vti cum nullo cibum capesseret, nemo pro certò dicere potuit. Nam alij, qui illud eius factum defendere voluerunt, aiunt illum propterea seorsum per se cibum sumpsisse, quòd valetudine erat imbecilla, & ægrè cibaria apposita admittebat. Alij propter nimis austeram viuendi disciplinam, eum hoc fecisse asserunt. At vtcunq; se res habebat, non parum ad probandum crimen illi ab accusatoribus obiectatum valere videbatur. Sed tamen populus propter conciones ab illo in ecclesia habitas, spretis neglectisq; accusatorum eius calumnijs, permagno erga illum studio affectus fuit, hominemque dilexit plurimum. Conciones verò cum ab eo ipso in lucem editæ, tum à scribis cleri, & exercitata manu, illo eas è suggestu recitante, exceptæ, qualésnam fuerint, quàm illustres, quamque ad persuadendum accommodatæ, non est necesse in præsentia differere: præsertim cum omnibus copia sit eas pro arbitratu euoluendi, multumque fructus & vtilitatis ab eis- B dem percipiendi.

Vide Nicephor. cap. 4. lib. 12. Sozom. li. 8. cap. 7.

Ioā. Chrysost. episc. factus, cur seuerior existimatus.

Serapion Ioā. Chrysost. diaconus importunitate libertatis quæ sua Chrysostomo conflat inuidiam.

Ioā. Chrysost. cur seorsum cibum capere solitus.

Ioā. Chrysost. conciones quæ les.

Quòd non modò illis, qui in clericorum numero censebantur, aduersabatur, sed optimatibus quoque ipsis: & de Eutropio eunucho.

CAP. V.

QVandiu Ioannes in clerum solùm inuectus est, insidiæ contra illum paratæ non multum habuêre ponderis: sed cum magistratus extra modū reprehendere aggrediebatur, tum maiore inuidiæ incendio conflagrare cœpit. Et primùm contra eum multa dicebantur: deinde cum eadem essent indies amplificata, tandem auditoribus fidem fecerunt: quinetiam cōcio in Eutropij reprehensionem ab eo habita, calumniam adauxit. Nam Eutropius eunuchus, qui Imperatoris cubiculo præfuit, & primus ex eunuchis dignitatem cōsularem ab Imperatore obtinuerat, sedulò dabat operam, vt lex ab Imperatoribus promulgaretur, ne quisquam ad ecclesias tanquam ad asylum profugeret: sed vt hi, qui eò profugerant, inde abriperentur. Qua lege confestim ille ipse pœnas dedit. Nam simulatq; promulgata fuit, Eutropius in offensionē apud Imperatorē incurrens, cōfugit ad ecclesiā. Ioannes itaq; episcopus, cum Eutropius ad basim altaris procumberet, & præ metu cōsternatus esset, assidens in suggestu, vnde antea, quo facilius audiretur, concionari solebat, orationem in reprehensionem eius habuit. Qua de causa nōnullorum animos admodum videbatur offendere: quòd hominem acerbè afflictum non modo non commiseratus est, sed contrà vehementer redarguit. Eutropium igitur consulari dignitate exornatum, Imperator ob delicta quædam ab illo admissa, securi percuti mandauit: & propterea eius nomen ex Consulum albo deletum fuit, & dignitatis illius titulus soli Theodoro collegæ suo asscriptus. Fertur præterea, episcopum Ioannem, etiam Gainā tum præconem liberè, vt solebat, & grauiter perstrinxisse: quòd non dubitârat ab Imperatore petere, vti vna ex illis ecclesijs, quę intra vrbem erant, Arianis eiusdē cum illo religionis fautoribus, tribueretur. Porrò alios, qui in Repub. magistratus gerebant, alijs de causis cū magna loquendi libertate, quę illi multorū peperit inimicitias, reprehēdit. Vnde Theophilus Alexandriæ episcopus, statim vt illū ordinauerat episcopū, cœpit animo sedulò agitare, quo pacto insidias illi machinaretur. Atq; vt cū nōnullis corā de re ex occulto egit: sic pleriscq;, qui lōgo locorū interuallo ab eo aberāt, p literas consiliū

Ioā. Chrysost. in magistratibus notandis libertas.

Eutropij eunuchi reprehensio.

Eutropio sua lex asylum ademit, anno 403.

Eutropij cades.

Gainas cur ab Ioanne reprehensus.

Theophilus in Ioannem insidiæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& voluntatem suam significauit. Nam non modo incredibilis Ioannis loquendi libertas illi permultum attulit molestiæ: verùm etiam, quòd efficere non poterat, vt episcopatus Constantinopolis Isidoro ipsius ecclesiæ presbytero tribueretur. Hoc in loco res fuêre Ioannis episcopi: contra quem hominum malcuolentia ab ipso primo episcopatus sui tempore quodammodo parturire cœpit. Sed de illo plura dicemus postea.

De Gainæ Gotthi tyrannide, & mota ab eo Constantinopoli seditione, & eiusdem interitu. CAPVT VI.

IAM verò rem planè memorabilem illis ipsis temporibus gestam commemorabo: ostendamque, quemadmodum & ipsa ciuitas Constantinopolis, & Romanorum fortunæ, admirabili diuinæ prouidentiæ subsidio ex maximo periculo ereptæ fuerint. Sic igitur habetote. Gainas quidam genere barbarus, Romanorũque ditioni subiectus, & militiæ inter illos assuefactus, ita creuit pedetentim, vti tandẽ apud Romanos & equitum & peditum dux declararetur. Qui cùm tantum principatus esset consecutus, nec seipsum noscere, nec insolentiam animi sui moderari potuit: sed omnem (vt dicitur) lapidem mouit, vt Romanos suæ potestati subijceret. Idcirco omnem Gotthorum gentem ex ipsorum regione accersit, eosq; qui ad numerum militum augendum erant idonei, retinere apud se constituit. Et quoniam Tribigildus, cõmunione sanguinis cum eo coniunctus, militum qui versabantur in Phrygia, tribunus erat, & de sententia Gainæ nouis rebus studebat, vniuersam præterea Phrygum gentem subiugauerat: Gainas operam dedit, vt rerum Phrygiarum administrãdarum potestas ab Imperatore ei permitteretur, quam rem Arcadius Imperator, nihil animo prospiciens, prompto & alacri animo illi concessit. Ille igitur extemplò ad bellum, vt ferebatur, contra Tribigildum gerendum, sed, vt res erat, ad occupandam tyrannidem iter capessit: duxit secum Gotthorum barbarorum millia non pauca. Qui in Phrygiam ingressus, eam vniuersam subegit. Itaq; Romani magna tempestate iactati fuerunt, non modò, quòd tanta barbarorũ multitudo se Gainæ adiunxerat: sed etiam, quòd partes Imperij ad Orientẽ spectantes, erant tanto periculo expositæ. Tum Imperator prudens consilium pro temporis ratione secutus, astutia barbarum aggressus est. Nã missis ad illum legatis, modis omnibus eum placare studuit. Ac cũ postularet, vt Imperator Saturninum & Aurelianũ, duos Cõsulares viros, ordinis senatorij facilè principes, quos ipsi. B us conatus retardaturos suspicabatur, ad eum mitteret: Imperator etsi animo inuito, necessitati tamen parens temporis, concessit. Illi vtpote pro Repub. mortẽ oppetere admodum cupientes, excelso & erecto animo Imperatoris mandato obtemperarũt. Proinde in planicie, in qua equos ad cursum exercere solent, longè à Chalcedone, barbaro obuiã facti sunt, ad quemcunq; cruciatũ subeundũ parati. Verùm isti ab illo nihil perpessi sunt mali: atq; ille rem cupitã dissimulans, Chalcedonẽ contendit. Ibi Arcadius ei fit obuiã. Ac cum Imperator & barbarus simul in templo essent, in quo corpus Ephemiæ martyris conditum & sepultũ est: iusiurandum mutuò dant, se reuera alterũ alteri non facturos aliquando insidias. Cæterùm quãuis Imperator, vir qui iurisiurandi religionem, vtpotè pius, permagno æstimabat, iusiurandũ firmè seruauit: tamen Gainas, & fœdera rupit, & ab eo, quod apud animum suum proposuerat, minimè destitit: sed in vrbe Constantinopoli, & in vniuerso imperio Romano, si modo posset, incendia facere, prædasq; agere cogitauit. itaq; Constantinopolis propter infinitas barbarorum copias, quæ illam occupabant, barbara ferè facta est: eiusq; ciues & incolæ captiuorum loco habiti. Tam graue etiã imminebat periculũ ciuitati, vt cometa maximus à cœlo ad terram vsq; peruadens (similẽ verò antea nemo aliquando aspexerat) illud ipsum portenderet. Gainas primùm omni exuto pudore, argentariorum officinas, in quibus argentum publicè vendi solet, diripere in animo habuit. Sed cum fama conatum eius antè patefecisset, quàm rem aggressus sit: & argentarij propterea cauerent, ne argentum in mensis numularijs exponeretur, ille deinde aliud facinus tentare constituit: & cum iam nox esset, barbarorum multitudinem ad palatium incendendum mittit. Quo quidem tempore planè constabat, quàm illa ciuitas Deo curæ esset. Nam multitudo angelorum, qui speciem hominum armatorum, corpora immani magnitudine habentiũ, præ se ferebant, illis qui insidias vastando palatio parauerant, visa fuit: quos barbari ingentem reuera exercitum & strenuum esse suspicati, obstupefacti sunt, indeq; se subduxerũt. Quod postquã Gainę nunciatũ fuit, incredibile videbatur. Nam certo sciebat, tantas copias armatas Romanorum (in singulis enim ciuitatibus separatim collocatæ erant) ibi adesse non potuisse. Nocte igitur sequenti, & post etiã non semel, alios misit. Vbi verò ad eum, sæpius milites eò mittentem, eadem fuêre relata (angeli enim Dei idẽ visum

Vide Nicephor. cap. 5. lib. 12.

Gainas Romanos suæ potestati subijcere conatur.

Tribigildus tribunus militum.

Phrygia Gainæ subacta.

Gainas fœdifragus.

Gainæ nefarij conatus.

Angelorum auxilio seruata Constantinopolis.

Vide Theodorit. lib. 5. cap. 32. Sozo. lib. 8. cap. 4.

A visum semper oculis insidiantium subiecerunt) tandem ille ipse cum ingenti manu illò profectus, de miraculo pericnlum facere voluit. Ac cum pro certo intelligeret, militum multitudinem esse, eamq; interdiu delitescere, noctu autem eius conatui resistere: callidum admodum cepit consilium, quod vt ipse putabat, Romanis magnopere incommodaret: at, vt rei declarabat euentus, vehementer commodauit. Simulat se dæmonio agitari, & ob eam causam ad templum D. Ioannis baptistę (aberat quidem illud à ciuitate ad septimum lapidem) quasi preces ibi facturus, contendit. Proficiscuntur vnà cum illo barbari, qui arma secũ clàm ex vrbe partim dolijs occultata, partim alijs quibusdam machinis contecta extulerant. Ac cum portarum custodes, dolo deprehenso, tela exportari prohiberent: barbari, stricțis gladijs, eos interimerunt. Inde grauis tumultus ciuitatẽ occupat: omnib. mors impẽdere videbatur. Veruntamen ciuitas, portis illius vndiq; firmè occlusis, cõmunitisque, in tuto fuit. Imperator aũt prudenti consilio in tempore vsus, Gainã palàm hostem pronunciat: barbaros, qui in vrbe remanebant, trucidari iubet: vniusq; diei spacio post portarũ custodes occisos interposito, milites cum barbaris intra portas, propè ecclesiã Gotthorum (ibi enim barbari, qui in vrbe remanserant, erant in vnum collecti) manu congligunt, ecclesiã incendunt, permultos illorũ trucidant. Gainas, vbi eos, qui nondum erant è portis egressi, interfectos accepit, animaduertitq; fraudulentos ipsius conatus minimè ex sententia procedere, decedens è templo, in partes Thraciæ contendit. Et cũ Cherronesum aduentaret, inde traijcere, & Lampsacum proficisci maturat: vt partes versus Orientẽ vsque, ex eo loco suæ ditioni subijceret. Vbi verò Imperator copias per terram perq; mare ante eius aduentũ illò misserat, miraculum planè insigne diuina prouidentia illic denuò editũ fuit. Nam cum barbari nauigijs carerent, rates fabricari, inq; illis transmitterec œperunt: Romanorum classis eodem ferè momento adnauigare, zephyrus grauiter spirare. Et vt Romani nauibus facilè traiecerunt: sic barbarorum maxima pars pariter cum equis, in ratibus, tempestatis violentia huc illucq; agitata, ab se mutuò disiecta fuit, marisq; fluctibus obruta perijt: nonnulli aũt à Romanis demersi interierunt. Ad hunc modum itaq; ingens barbarorum multitudo illo tempore è medio sublata est. Gainas verò inde digressus, & per Thraciam fugam faciẽs, in alias Romanorum copias fortè incidit, à quibus ipse simul cum barbaris, qui cum eo erant, interemptus est. Atque ista quidem obiter de Gaina sint à nobis commemorata. Quòd si cuiquam placet res in eo bello gestas accuratè cognoscere, legat Gainiam Eusebij Scholastici: qui eodem tempore Troili sophistæ discipulus fuit. Iste, illius belli spectator factus, res in eo gestas quatuor libris heroico carmine conscriptis narrauit. Et quoniam recens erat rerum gestarum memoria, ideò ob illud poëma magno in honore habitus fuit. Nuper etiam Ammonius poëta, idem argumentum carmine contexuit: & ad vndecimum consulatum Theodosij iunioris, quem cum Fausto gessit, coram illo ipso Imperatore recitauit, indeq; summam laudẽ est consecutus. Bellum hoc finem habuit, Stilicone & Aureliano Coss. Proximo anno consulatum gessit Phraitus, Gotthus quidem genere, sed cum populo Romano magna beneuolentia coniunctus: qui in hoc eodem bello adeò strenuè & fortiter dimicauerat, vt propterea consulatus dignitatem sit assecutus. quo quidem Coss. Imperatori Arcadio filius natus fuit, Theodosius ille bonus, quarto Idus Aprilis. Sed de his satis superque videmur dixisse.

Gainas in fuga interemptus anno 404.

Troilus Sophista.

Eusebij Gamia.

Ammonius poeta.

Phraitus cùm consulatus dignitatem consecutus.

De schismate inter Theophilum Alexandriæ episcopum, & qui degebant in solitudine monachos: & quòd Theophilus Origenis libros anathemate damnauit. CAP. VII.

DVm his procellis iactãtur res Romanorum, illi quibus sacerdotij dignitas tributa fuit, dolos cõtra seipsos mutuò commoliri, ad insigne religionis Christianæ dedecus aggressi sunt. Etenim eodẽ tempore alij eorũ aduersus alios tumultus concitare cœperunt: quæ pestis ab Aegyptijs sumpsit initium. Causa autem talis fuit. Erat paulò antè quæstio posita, Vtrum Deus sit corpus, humanaque sit præditus figura: an corpore vacet, & non humana solùm, sed omni (vt complectar breui) specie careat corporea? Ex hac quæstione contentiones & discordiæ apud complures ortæ sunt, dum alij hunius opinionis, alij illius patrocinium suscipiebant. Ex monachis verò imperitioribus non pauci in primis, Deum corporeum esse, & humana figura imbutum voluerunt: sed maxima pars istos condemnare cœpit, Deumque corporis expertem esse, & omni specie corporea carere asseruit. Quorum sententiæ assensit Theophilus, Alexandriæ episcopus: adeò vt in ecclesia coram populo eos, qui Deo humanam formam tribuebãt, grauiter insectaretur, eumque corpore omninò carere doceret. Quæ cum Aegyptij monachi intellexissent, relictis monasterijs, Alexandriã veniunt, contra Theophilũ tumultuantur;

Vide Nicephor. cap. 10. 17. l. 13. Sozom. li. 8. cap. 11.

Deus an corporeus, quæstio mota circã annum 393.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Monachorum contra Theophilum tumultus.

tuantur: condemnant vt impium, è medio tollere cupiunt. Qua re cognita, Theo-
philus animo anxio & perplexo esse cœpit: rationem, qua mortem, quam illi minaban-
tur, effugeret, excogitauit. Illis in conspectum veniens, blando sermone compellat, hoc
modo apud illos verba facit: Vos cum intueor, ipsius Dei vultum mihi videor intueri.

Theophilus monachorum animos mitigat.

Quibus verbis concitatos monachorum animos mitigauit. Tum illi: Si vera dicis, in-
quiunt, Dei ipsius vultum perinde se habere, vt nostrum, Origenis libros anathemate
damnato. Nam nonnulli ex illis nostram impugnant opinionem. Quod si istud facere
recusaueris, pœnas impijs & Dei hostibus debitas, nobis profectò dabis. Imò ego, inquit

Origenis libri à Theophilo damnantur.

Theophilus, quod vobis visum sit, faciam. Ne igitur mihi succenseatis: ego enim Orige-
nis odi libros: & qui eos probant, illos graui reprehensione dignos censeo. Itaq; ad hūc
modum monachorum ira repressa, eos ab se cum pace dimisit. Ac fortasse quæstio de
hac re agitata, ad hodiernum diem consopita iacuisset, nisi alia de causa deintegrò fuis-
set excitata: quæ eiusmodi fuit. Monasterijs, quæ erant in Aegypto sita, quatuor pij & re-

Monasteriorū in Aegypto præfecti. Longi fratres.

ligiosi viri præfuêre, Dioscorus, Ammonius, Eusebius, & Euthymius. Isti fratres germa-
ni erant, atque ex procera corporum statura Longi appellabantur. Erant & ob singula-
rem doctrinam, & ob piam viuendi rationem valdè eximij: ac propterea Alexandriæ
crebrò hominum sermone celebrati. Theophilus Alexandriæ episcopus, eos amauit

Dioscorus Hermopolis episcopus.

plurimum, mireq; coluit. Proinde vnum illorum, nempe Dioscorum, quasi vi à mo-
nasterio abstrahens, episcopum Hermopolis designauit: alios duos obsecrauit, vt æta-
tem simul cum ipso ageret. & cum verbis ægrè illis persuadere posset, authoritate ta-
men, vtpote episcopus, illud facere compulit: † ac primùm dignitate clericorum eos
cohonestare, deinde administrationem ecclesiæ illis concredere cœpit. Hi tametsi ne-
cessitati parebant, ecclesiæq; munera sedulò procurabant: tamen graui premebantur
ægritudine, quòd non in monastica vitæ disciplina defixi, vt volebant, in verę sapientię
studium incumbere poterant. Posteaquam tempore progrediente animos suos lædi pu-
tabant, animaduertebātq; episcopum vitam in pecunia facienda conterere, & toto pe-
ctore (vt dicitur) in ea quærenda laborare, noluerunt amplius cum eo versari: sed se so-
litudinem amplecti, eamque vitæ vrbanæ longè anteferre dixerunt. Theophilus, quam
diu causæ ignarus fuit, cur reuerà discedere cuperent, eos vti cum ipso manerent, vehe-
menter orauit: sed vt primùm ipsius vitæ modum ab illis condemnatum intellexit, B
graui ira accensus, se illos maximis affecturum incommodis minatus est. Vbi illi eius

Theophili iniuriæ.

minas contemnebant, & se in solitudinem receperant, Theophilus natura, vt videba-
tur, feruentior, non exiguum tumultum contra illos concitauit: imò verò modis om-
nibus operam dedit, vt illis insidias tenderet. Quinetiam illorum fratrem Dioscorum
episcopum Hermopolis, odio habere cœpit. Nam erat illi permolestum, monachos
tantoperè Dioscoro fauere, tantaque illum reuerentia obseruare. Et quoniam intelli-
gebat se non posse illos pios viros vlla ratione lædere, nisi monachorum animos, qui-
bus præerant, ab illis abalienaret: hac via eos aggressus est. Pro certo nouit, eos persæpe
cum illo verba facientes asseruisse, Deum corporis expertem esse, minimeq; figura hu-
mana præditū. Nam si esset humana specie imbutus, necessariò sequi, eum posse huma-

Theophili peruersa inuidia.

no more & modo pati: illudque cùm ab alijs veteribus scriptoribus, tum ab Origene in
primis accuratè disputatum esse. At Theophilus, quanquam eam de Deo opinionem
ipse tenebat: tamen, quò inimicos vlciscereturi, sinceram sanamque eorum doctrinam
oppugnare non dubitauit: imò verò complures monachorum, homines simplices &
sinceros quidem, sed in doctrina rudes, multos etiam literarum omninò expertes in su-
am sententiam rapuit. Misit enim ad monasteria in solitudine sita quosdam, qui mona-
chos docerent, non parendum esse nec Dioscoro, nec eius fratribus, qui tradebant Deū
corpore vacare. Nam Deus, inquit, vti ex sacris literis constat, oculos, aures, manus &
pedes habet, sicut homines. Dioscorus autem, eiusque sectatores, qui Origenem sequū-

Theophilus callida captione monachos in suam sententiam pertrahit.

tur, nepharium dogma inducunt. negant enim Deum oculos, aures, pedes & manus ha
bere. Hac callida & fallaci captione permultos monachos in suam pertraxit sententiā:
& ardēs seditionis flamma inter eos incensa est. Nam qui mentem habebant satis exer-
citatam, illi ea fallacia minimè à veritate abrepti fuerunt, sed Dioscori & Origenis sen-
tentiæ assensi sunt: qui autem erāt simpliciores (atque hi quidem numero fuêre plures)
æmulationis æstu in fratres inflammati, ab illorum opinione protinus desciuerūt. Ita-
que diuisio inter eos facta est: & alij alios tanquam impiè sentientes, contumelioseè ve-
xarunt. Et qui Theophilo adhærescebant, fratres suos Origenistas, impiosque voca-

Origenistæ. Anthropomorphiani.

re: alij contrà, eos qui sententiæ obsequebantur Theophili, Anthropomorphianos, id
est, qui Deo humanam figuram attribuunt, nuncupare cœperunt. Vnde inter Mona-
chos & dissensio non parua, & quasi bellum pestiferum ortum est. Theophilus autem,
vbi

A vbi intellexit, id, quod apud animum proposuerat, ex sententia procedere, cum homi-
num manu Nitriam, vbi monasteria sunt, contendit, monachosque tum contra Diosco-
rum, tum contra eius fratres armat. Illi in graue vitæ discrimen vocati, vix effuge-
runt incolumes.

Theophilus monachos cōtra Dioscorū armat.

De conuentibus & nocturnis Arianorum, & Consubstantiale profitentium, hymnis, & mutuo illorum conflictu: & quòd Antiphonarum concentus à diuo Ignatio institutus fuerit.

CAP. VIII.

Vide Nice. c. 8. lib. 13. Soz. lib. 8 cap. 8.

Ioannes Chrysostomus orationes addit hymnis nocturnis.

IStarum rerum in Aegypto gestarum Ioannes episcopus Constantinopo-
lis omninò ignarus fuit: qui id temporis & doctrina multum excelluit, &
ob eam in magna apud omnes gloria fuit. Ille ipse precationes, quæ noctu
fieri consueuerant, primus amplificauit, tali causa inductus. Ariani extra
vrbem, vti diximus, conuentus fecerunt. Itaque cum festa cuiusq; septima-
næ occurrebant, videlicet Sabbathum, & dies Dominicus, in quibus conuentus in ec-
clesijs fieri solent, illi intra portas ciuitatis circiter porticus in vnum cōgregati, cantus
aptè ad opinionem Arianā respondentes, quos ipsi composuerint, alternatim canunt:
hocq; per maiorē noctis partē faciunt. Primo diluculo, tales cātilenas alternis per me-
diā vrbem recitātes, è portis egrediuntur: & ad loca vbi agunt conuentus, contendunt.
Verùm quia aduersus fidei Consubstantialis fautores, verba contumelioſa, quibus eo-
rum animos irritarent, dicere non desinebant (nam sæpe hanc quasi cantilenam in eos
cecinêre: Vbi sunt hi, qui tria vnam dicant esse potentiam?) Ioannes veritus, ne aliquis
ex simplicioribus, eiusmodi cantibus ab ecclesia abduceretur, quosdam ex suo populo
illis contrà comparauit, qui nocturnis hymnis decantandis similiter operam darent,
Arianorumq; in ea re studium eo pacto reprimerent, deniq; suos in ipsorum fide ad-
modum confirmarent. At quamuis hoc Ioannis institutum valdè commodum vide-
retur, tamen illius euentus tumultu, atque etiam periculo non caruit. Nam vbi hymni
in Consubstantialis laudem decantati, propter concentum illum nocturnum multò

Ariani aduersus Catholicos tumultuantur.

plus dignitatis sunt consecuti (erant enim cruces argenteæ excogitatæ, quibus lucernæ
ceræ imponebantur, sumptu Eudoxiæ Imperatricis suppeditatæ) turba Arianorū co-
B acta, & æmulationis ardore incensa, se vlciſci, & cum aduersarijs confligere instituit.
Etenim principatu illo, quem iampridem obtinuerant, elati, erant ad pugnam multo
ardentiores: defensoresq; fidei Consubstantialis prorsus contemnebant. Quare nulla
interposita mora, nocte quadam tumultum faciunt. Briso Imperatricis eunuchus, qui

Briso eunuchus.

partes canentium hymnos ad commendationem fidei Consubstantialis tuebatur, la-
pide in fronte percutitur. Interierunt etiam vtriusq; partis nonnulli de populo. Quibus
rebus Imperator admodum cōmotus, Arianis interdixit, ne hymnos in publico canta-

Antiphonarū concentus vnde initium ceperit

rent. Atq; hæc quidem hoc modo gesta sunt. Iam verò dicamus, vnde cōsuetudo hym-
norum, qui in ecclesia alternis decantantur, initium cœperit. Ignatius Antiochiæ, quæ
est in Syria, tertius à Petro Apostolo episcopus, qui cum Apostolis ipsis multum versa-

Ignatius epis. antiphona carmina in ecclesia constituit.

tus est, visionem vidit Angelorum sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decanta-
tis collaudantium: & formam canendi in ea visione expressam ecclesiæ Antiochenæ
tradidit. Vnde illa traditio in omnibus ecclesijs recepta est. At de hymnis alterna vice
cantatis, ista hactenus.

De monacho qui Longi nominabantur: & quòd propter eos odio implacabili Theophilus in Ioannem exardescebat, illumq; abdicare conatus est: & quòd Epiphanius Cypri Episcopus, Theophili dolis circumuentus, congregato Cypri concilio, ac libris Origenis ibi condemnatis, Ioannem propter vsum librorum Origenis reprehendit. CAP. IX.

Vide Nicephor. cap. 36. lib. 12. Ii. 13 Soz. lib. 8. cap. 12. Ii. 14. 15.

NOn longo tēporis spacio interposito, monachi vnà cum Dioscoro, & eius
fratribus, ex solitudine Constantinopolim aduentant. Quibus cum acces-
sit etiam Isidorus, Theophilo iam olim amicissimus: tunc tamen inimi-
cissimus factus, idq; ob hanc causam. Theophilus, aduersus Petrum quen-
dam, primarium ecclesiæ Alexandrinæ presbyterum, grauissimo odio in-
flammatus, eum ecclesia expellere cogitauit: eiq; istud obiectauit crimen, quòd mulie-
rem sectæ Manichęæ antè ad sacra mysteria admiserat, quàm illā ab errore Manichęo-
rum auertisset. Verùm vbi Petrus docuerat, se mulierem ab illa secta traduxisse, eamq;
de sententia Theophili in ecclesiam recepisse: Theophilus iniquo animo tulit, perinde
ac si calumnijs à Petro fuisset appetitus. Nam dixit, se facti illius omninò fuisse ignarū.

Theophilus cur Isidoro factus inimicus.

Idcirco

Idcirco Petrus Isidorum testem aduocauit, episcopum Theophilum non ignorasse, A quòd de muliere factum esset. Eodem tempore Isidorus Romæ vrbis primariæ versaba tur, à Theophilo ad Damasum episcopum Romanum missus, vt Flauianum episcopũ Antiochiæ cum illo in gratiam reduceret. Nam omnes, qui fauebant Meletio, cũ Flauiano propter iusiurandum, vt à me suprà declaratum est, discordarunt. Isidorus igitur Roma reuersus, & à Petro ad testimonium dicendum vocatus, affirmauit mulierẽ sectæ Manichææ de sententia episcopi Theophili in ecclesiam receptam fuisse, eumq; ipsum mysteria ei impertiuisse. Itaq; Theophilus iracundia exardescens, præ vesania vtrumq; ab ecclesia exturbauit. Atque hæc causa fuit, cur Isidorus cum Dioscoro Constantinopolim accesserit: vt nimirum coram Imperatore & Ioanne episcopo, insidiæ contra illos à Theophilo paratæ, perspicuè aperirentur. De quibus Ioannes certior factus, viros illos honorificè excepit, precumq; participes esse permisit: sed communionem mysteriorum illis se minimè prius concessurum dixit, quam eorum causa cognita & accuratè disceptata esset. Cùm res in hunc locum erat deducta, falsus rumor ad aures Theophili perlatus est, Ioannem eos ad mysteria admisisse, illisq; auxilium ferre paratum esse. Quapropter Theophilus omnib. vt dicitur, opibus viribusq; conniti cœpit, vt non modo Dioscorũ & Isidorũ vlciscereturi, verumetiam Ioannẽ de sede episcopali dejceret: & propterea literas ad episcopos cuiusq; ciuitatis mittit: atq; illo, quod animo intendebat, occultato, Origenis libros, quorũ testimonijs Athanasius ante eius ætatem in orationibus suis contra Arianos sæpenumero vsus fuerat, solum arguere videri voluit. Quinetiam cum Epiphanio Constantiæ vrbis Cypri episcopo, à quo antè dissenserat, amicitiæ fœdera iunxit. Nam illũ, vtpotè nimis humiliter & abiectè de Deo sentientem, humanamq; figuram ei tribuentem, Theophilus iampridem accusauerat. Et quanquam Theophilus hanc de Deo tenebat opinionẽ, & eos qui Deum humana forma indutum censebãt, insimulabat: tamen propter odium, quod in alios conceperat, palàm quæ sentiebat, verbis denegauit: Epiphaniumque, à quo antè dissenserat, tum, perinde ac si pœnitentia adductus, idem cum illo de Deo sentiret, amicum sibi reddidit, conciliumq; eius subsidio episcoporum in Cypro ad Origenis libros refellẽdos explodendosq; cogere instituit. Epiphanius verò propter pietatẽ eximiam, & sinceram ac simplicem morum ingenuitatem, Theophili literis facilè ad id faciendum inductus fuit. Concilio igitur episcoporum illius insulæ conuocato, sancit, ne quis Origenis libros legat: quinetiam literas ad Ioannem episcopum Cõstantinopolitanum dat, quibus eum hortatur, vti à libris Origenis perlegendis abstineat: congregetque concilium, & eam rem communibus suffragijs confirmet. Itaque Theophilus, vt primùm Epiphanium, virum ob pietatem percelebrem, in suam sententiam rapuerat, intellexeratque institutum suum & conatum ex sententia procedere, animo cõfidenti ipse etiam multos episcopos in vnum cogit: simili ratione cum Epiphanio libros Origenis, qui antea nos circiter ducentos mortuus erat, condemnat: non quòd hoc potissimè sibi erat propositum, sed quòd Dioscorum & fratres eius vlcisci contendebat. Ioannes autem deillis, quæ erant ipsi ab Epiphanio & Theophilo per literas significata, parum laborans, ad ecclesias doctrina instituendas omnes suas cogitationes conuertit, inq; ea re admodum excelluit: insidias verò contra ipsum paratas penitùs contempsit. Simulatq; verò vulgò perspectum & cognitum erat, Theophilum omnes neruos contendere, vt Ioannem de episcopatus gradu deturbaret, nonnulli quibus Ioannes erat inuisus, illi insidiari, falsaq; crimina contra eum confingere aggressi sunt. Ac multi ex clero, complures etiam ex magistratuum numero, qui apud Imperatorem gratia plurimum poterãt, rati se iam tempus idoneum nactos, quo se de Ioanne vindicarent, Cõstantinopoli maximum concilium episcopis, partim per literas, partim per internuncios accersitis, congregare instituerunt.

Isidorus cur cum Dioscoro Constantinopolim accesserit.

Epiphanius Theophili astu deceptus.

Fraus Theophili.

Epiphanius simpliciter pius.

Origenis libri damnati concilio Cyprienſi præſide Epiphanio.

Item per Theophilum in cõcilio Constantinop.

Chrysostomus contemptis tu multuantium decretis, agit negocium Ecclesiæ.

Lib. 5. c. 15.

De Seueriano & Antiocho Syris, & quo pacto quibus q; de causis à Ioanne discesserint.

CAP. X.

ODij porrò flammam contra Ioannem incensam, alius quidam casus vehementer auxit: is fuit eiusmodi. Duo episcopi, genere Syri, Seuerianus scilicet & Antiochus, eodem tempore floruerunt: quorum ille ecclesiæ Gabalorum, quæ est vrbs Syriæ: hic ecclesiæ Ptolemaidis, quæ est in Phœnicia, præfuit. Ambo quidem in dicendi facultate benè educati instructiq;: at Seuerianus, etsi doctus videbatur, tamen linguam Græcam non adeò scitè distincteq; pronunciauit: sed Græcè locutus est vt Græcus, vt Syrus autem pronunciauit. Antiochus primùm Ptolemaide Cõstantinopolim accedens, ibi ad tempus summa cum diligentia in ecclesijs docuit: atque vbi multum quæstus inde fecisset,

Odium contra Ioan. incensum, qui casus auxerit.

Seuerianus' et Antiochus episcopi eloquentes.

Antiochus quæstũ concionando facit.

Vide Nicet. c. 14. lib. 12. Sozom. lib. 8. cap. 14. & infra. hoc lib. ca. 14.

Acisset, ad suã ipsius reuertit ecclesiam. Seuerianus, posteaquam audiuerat, Antiochum Constantinopoli in ecclesijs docendo magnam pecuniæ vim collegisse, permagno eiusdem rei faciendæ studio incendi cœpit. Itaque cum se sedulò exercuerat, multasque contexuerat conciones, Constantinopolim ipse etiam contendit. Ibi à Ioanne amicè & benevolè exceptus, ad aliquod temporis spacium se ad voluntatem Ioannis astutè accommodauit, eique assentatus est. Qui & amari plurimum, & in magno honore haberi cœpit, atque vt in docendo multum laudis acquisiuit, sic & apud optimatum plerosque, & apud ipsum Imperatorem in magna gratia fuit. Interea temporis quoniam episcopus Ephesi fortè è vita migrauerat, Ioannes Ephesum proficisci ad episcopum ibi designandum necessariò coactus fuit. Qui cùm eò aduentaret, & alij alium ad illum dignitatis gradum euehere laborarent, acriterque & acerbè inter ipsos contenderent, dum singuli ei cui fauebant, suffragari nitebantur, vtramque partem graui contentionis ardore accensam, eiusque hortatione minimè velle obsequi animaduertens, operam dedit, vti contentionem sine vtriusque partis offensione sedaret. Itaque Heraclidem quendam, suijpsius diaconum, genere Cyprium, ad episcopatus illius dignitatem extulit. Sic vtraque pars placata, à mutua contentione destitit. Ob hanc causam Ioannes Ephesi diu necessariò commoratus est. Dum ille ibi moram faciebat, Seuerianus Constantinopoli auditorum animos ad maiorem erga ipsum benevolentiam allexit. Istarum rerum Ioannes haud ignarus fuit, quippe illi actutùm denunciatæ fuerunt. Cum autem Serapion, cuius antè feci mentionem, Ioanni suggereret, significaretque ecclesiam à Seueriano admodum perturbari, ille æmulationis æstu flagrare cœpit. Itaque vbi quasi ab eo quod instituerat, paululũ digressus, tum Nouatianis, tum illis qui festum Paschatis decimoquarto die mensis primi celebrandum censebant, multas ecclesias ademerat, Constantinopolim reuertit: seseque ad ecclesiarum procurationem, sicut eius munus postulabat, retulit. Cumque insolens Serapionis fastidium & arrogantiam nemo ferre posset (Ioannis namque episcopi gratia fretus, adeò magnos animos sumpsit, vt extra modum omnes contumelioſe insectaretur) ob eam causam odium contra episcopum inflammatum magis magisque exarsit. Quinetiam cum Seuerianus quodam tempore ad locum, vbi Serapion erat, accederet, Serapion honorem episcopo debitum illi non tribuit, neque ei assurrexit. vnde Seueriani præsentiam se parui facere declarauit. Hunc Serapionis contemptum Seuerianus non tulit: imò verò etiam vehementer in eum vociferatus est, his ferè verbis: Si Serapion moriatur Christianus, Christus certè nunquam homo factus est. Serapion hac arrepta occasione, Seuerianum Ioanni apertè fecit inimicum, dum prius sententiæ membrum supprimeret, nimirum, Si Serapion moriatur Christianus: & posterius, nempe Christus certè non homo factus est, Seuerianum dixisse affirmaret. Itaque sui loci atque ordinis homines testes adducit, illud à Seueriano dictum esse. Quapropter Ioannes abiecta omni cunctatione, Seuerianum è ciuitate exigit. De quibus rebus Eudoxia Augusta certior facta, & Ioannem incusat, & Seuerianum Chalcedone Bithyniæ properè accersendum curat. Ille quàm primum redit. Ioannes se ab eius amicitia remouet: nec cuiquam illum, vt cum Seueriano rediret in gratiam, cohortanti morem gerere voluit. Tandem vbi Imperatrix Eudoxia in ecclesia, quæ Apostolorum nomine nuncupata est, filium suum Theodosium iam tum Imperij statum, quanquam admodum adolescens erat, prosperè & feliciter gubernantem, ad genua Ioannis abiecit, & sanctè illum obtestata est: vix adduci poterat, vt Seueriani amicitiam amplexaretur. Verùm tamen si hoc pacto amicitia inter eos specie quadam externa videbatur reconciliata: nihilominus tamen animum alter versus alterum exulceratum retinuerunt. Causa itaque cur Ioannes Seueriano succenseret, eius generis fuit.

Heraclides episcopus Ephesinæ ecclesiæ.

Cap. 4. hoc libro.

Seuerianus in Serapionem dictum.

Seuerianus vrbe pulsus. Eudoxia Imperatrix, Chrysostomũ cum Seueriano reconciliat.

Quòd Constantinopolim cum venisset Epiphanius, conuentus & ordinationes (vt apud Theophilum gratiam iniret) præter Ioannis voluntatem instituit. CAP. XI.

NOn longo tempore pòst, Epiphanius episcopus, Theophili suasu ex Cypro Constantinopolim venit, eoque secum attulit decretum episcoporum, quod non ipsum excommunicauit Origenem, sed libros eius duntaxat condemnauit. Itaque vbi ad templum diui Ioannis, quod extra ciuitatem ad septimum lapidem situm est, accessit, Synaxi celebrata, & ordinato diacono, exit è templo, & ciuitatem ingreditur. Cumque à Ioanne inuitaretur, vti ad se diuerteret: ille, quo gratificaretur Theophilo, recusauit, & in separato quodam hospitio diuersatus est. Episcopis autem, qui ibi fortè tum versabantur, conuocatis, decretum, quod libros condemnabat Origenis, legit. De illis nihil equidem habeo dicere, sed hoc dico,

Origenis libri decreto damnati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

dico, visum fuisse Epiphanio & Theophilo eos condemnare. Ex episcopis nonnulli qui A Epiphanium reuerebantur, illi decreto subscripserunt: complures verò illud facere renuerunt. Ex quorum numero fuit Theotimus, episcopus Scythiæ, qui Epiphanio ita respondit: Ego, Epiphani, neque hominem iam olim mortuum contumelia afficere volo: neque facinus tam nefandum aggredi audeo, vt eos condemnem libros, quos maiores nostri neutiquam condemnarint, præsertim cum nullam doctrinam in illis comprehensam intelligam. Itaque libro quodam Origenis allato, eum legit, Scripturæque interpretationes fidei Ecclesiæ congruentes, quæ in eo continebantur, ostendit. Deinde adiunxit hæc verba: Qui ista contumelijs afficiunt, illi eas res contumelijs imprudentes afficiunt, de quibus libri ipsi conscripti sunt. Hæc quidē Theotimus, vir ob pietatem & rectam viuendi rationem multorum sermonibus celebratus, Epiphanio respondit.

Theotimi memorabilis sententia.

Cuiusmodi scriptor hic pro defensione Origenis commemoret. CAP. XII.

Origenis defensio.

QVoniam quidem complures obtrectatorum impulsu, tanquam vento repentino ad Origenem contumelijs vexandum præcipites feruntur, non incommodum erit, pauca de illis disserere. Homines obscuri abiectiq;, qui nihil ex se habent, quo nomen suum illustrare possint, ex virorū ipsis longè præstantiorū vituperatione, se nobilitare contendunt. Istud primū Methodio, episcopo Olympi, vrbis Lyciæ, accidit: deinde Eustathio, qui ad tempus ecclesiæ præfuit Antiochenæ: Apolinario postea: ad extremū Theophilo. Hic maledicorū, vt ita dicam, quaternio, Origenē falsò accusare cœpit, non eadē causa omnes impulsi. Nam alius alia de re crimen illi intēdit: vnde singuli separatim omnibus perspicuè declararūt, se illa omnia omnino in eo approbare, quæ ipsi nō nominatim coarguissent. Nam quoniam alius aliud dogma sigillatim reprehendebat, perspicuum est, singulos illud tacitos secum omnino habuisse pro vero, quod minimè insectati sunt: & id ipsum re ipsa approbasse, quod non verbis exagitassent. Methodius, etsi sæpe multumq; in Origenem inuectus erat: postea tamen quasi ad palinodiam se reuocans, illum in dialogo quem Zenonem inscripsit, summis laudibus extulit. Illorum verò vituperatio, mea quidem sententia, Origenis commendationem magnopere amplificauit. Nam B qui ei, sicut ipsi putabant, crimina digna reprehensione inferebant: hi quidem cū eum quasi malè de sancta Trinitate sentientem minimè accusent, euidenter suis ipsorum testimonijs ostendunt, eum rectam sinceramque fidem habuisse. Atque vt isti, quòd eum hac in re accusare non possunt, integræ eius fidei testimonium impertiunt: sic Athanasius, acerrimus Consubstantialis fidei propugnator, in orationibus suis, quas contra Arianos conscripsit, illum suæ fidei testem citat, eius verba in sua ipsius scripta inserit, sicque de eo loquitur: Admirabilis ille, & summæ industrię vir Origenes, nostram de " filio Dei opinionem suo testimonio confirmat: quippe illum patri coæternum esse af- " serit. Quocirca qui Origenem maledictis figere studeant, Athanasium etiam, eius laudatorem, imprudentes contumelioſe insectantur. Sed de Origene hæc quidem hoc loco commemorata sint: deinceps ad historiam redeamus.

Methodij dialogus.

Athanasij de Origene testimonium.

Quòd Ioannes ad se Epiphanium vocauit: qui cum non obsequeretur, imò potius in ecclesia Apostolorum conuenticula celebraret, per iurgium illi significat, multa ab eo contra canones facta esse: vnde Epiphanius metuens sibi, in patriam reuersus est. CAP. XIII.

Epiphanius in Origenē iniquior.

IOannes minimè iniquo animo tulit, Epiphanium contra canonē in eius eccle- Vide Nicephor. c. 13. lib. 13. Sozomen. lib. 8. cap. 15.
sia diaconum ordinasse: sed obsecrauit, vt cum illo in ædibus episcopi diuersari vellet. At ille: Nec tecum, inquit, diuersari, nec simul preces facere volo, nisi Dioscorum cum fratribus è ciuitate expellas: tuque ipse decreto, quo Origenis libri condemnantur, subscribas. Cum Ioannes ista facere tardaret, diceretque, nō oportere ante generalem de ea re disceptationem inquisitionemq; habitam, quicquam temerè & inconsultò statuere: Ioannis aduersarij Epiphanium ad aliud institutum aggrediendum impellunt. Nam cum Synaxis in ecclesia, Apostolorum nomine nuncupata, celebraretur, Epiphanium in medium prodire faciunt, Origenis libros coram vniuerso populo damnare, Dioscorū cum fratribus excōmunicare: Ioannē denique, quòd ex illis stabat, grauiter perstringere. Ioānes, cū hæc illi nunciata essent, postero die Epiphanio in ecclesia iam versanti, ista per Serapionē significat: Multa contra canones agis Epiphani: primùm, quòd ministros Ecclesiæ ordinas in ecclesijs quæ sunt in mea diœcesi: deinde, quod ante quàm erat tibi à me potestas permissa, tua ipsius authoritate sacra mysteria celebrasti: contrà, cum eras à me ad ea inuitatus, renuisti, ac rursus iā tibi ipse facis pote-

Ioā. Chrysost. non consensit in damnationem Origenis librorum.

Epiphanius à Ioanne reprehenditur.

A potestatem. Videigitur, ne si tumultus ob eam causam in populo oboriatur, periculū inde in tuum ipsius caput redundet. Quæ cum Epiphanius audiuisset, perculsus metu, decedit ab ecclesia. Vbi Ioannem grauiter incusauerat, Cyprum nauigare maturauit. Tradunt quidam illum, cum nauem esset iam conscensurus, ista Ioanni prædixisse: Spero te minimè moriturum episcopum. Ioannem illi contrà sic respondisse: Spero te in patriam minimè peruenturum. Ista vtrum verè dixerint, qui ea mihi narrarunt, non habeo quidem dicere: sed tamen vtrique euenit, sicut alter alteri prædixerat. Nam neque Epiphanius ad Cyprum peruenit (in nauigio enim eò proficiscens mortem obijt) & Ioannes paulò pòst de sede episcopali, vti deinceps docebimus, deiectus est.

Mutuum vaticinium inter Epiphanium & Chrysostomum.

Epiphanij obitus.

Quòd post abnauigationem Epiphanij, cum Ioannes orationem aduersus mulieres habuisset, ob quam contra illum in vrbe Chalcedonensi, operatum Imperatoris, tum Imperatricis concilium celebratur, ecclesia expellitur: & quòd populus cum tumultuaretur propter Ioannis discessum, Brisonis Imperatoris eunuchus mittitur, illum rursus Constantinopolim reducturus.

CAP. XIIII.

Vide Nicephor. c. 14. 15. 16. li. 13. Sozomen. lib. 8. cap. 26. 17. 18.

VT primùm Epiphanius abnauigauerat, Ioanni nunciatum fuit, Imperatricem Eudoxiam Epiphanium contra illum armasse. Ille, vtpote natura paulò ardentior, & in dicendo exercitatus promptusque, sine mora apud populum concionem, qua omnes mulieres acerbè exagitabat, pro suggesto habuit. Multitudo eam rapit in deteriorē partem, tanquam ænigma contra Imperatricem elatum. Concio igitur à maleuolis arrepta, ad Imperatorem defertur: de qua Augusta quoque certior facta, cœpit apud Imperatorem conqueri, se contumelia affectam, quam contumeliam ad eius etiam ignominiam recasuram dixit. Proinde per Theophilum parat, vt concilium contra Ioannem cogatur. Idem etiam molitur Seuerianus. adhuc enim versus Ioannem in eius animo resedit offensio. Non longo temporis spacio interposito, eò aduentat Theophilus: multos ex varijs ciuitatibus episcopos accersit, idque ex Imperatoris mandato. Itaque illi eò potissimùm confluxêre, qui contra Ioannem, alius alia de causa simultatem gerebant. Aduentarunt etiam, quos Ioannes episcopatus gradu & honore abdicauerat. Permultos enim episcopos, quādo Ephesum ad Heraclidem episcopnm ibi ordinandum proficiscebatur, in Asia abdicauerat. Quare omnes vno consensu Chalcedonem, vrbem Bithyniæ, commeant. Id temporis Cyrinus Aegyptius genere, Chalcedonis episcopus, Ioannem apud episcopos maledicendo insectatus est, eumque impium, arrogantem & contumacem appellauit. Ex quibus verbis episcopi non parum percepêre voluptatis. Maruthas verò episcopus Mesopotamiæ † inuito sanè animo, pedem Cyrini presso fortè vestigio oblæsit. Vnde Cyrinus acerbè excruciatus, cū cæteris episcopis Cōstantinopolim proficisci nō potuit, sed māsit Chalcedoni: alij Cōstantinopolim traiecerūt. Cùm Theophilo nemo ex cléro Cōstantinopoli obuiam procederet, neq; honorem consuetum deferret (decæterò enim omnibus cœpit inuisus esse) turba nautarum Alexandrinorum (ibi namque nauigia eorum quæ eò aduexerant frumentum, tum fortè fortuna aderant) illi fit obuiam, eumque lætis acclamationibus excipit. Ille in ecclesiam ingredi noluit, sed ad ædes Imperatricis, quæ Placidianæ vocantur, diuertit. Tum quidem Ioannis aduersarij eum multis criminibus circumuenire cœperunt: deque Origenis libris nullam amplius faciunt mentionem, sed ad alias absurdas calumnias se conuertunt. His rebus ita comparatis, episcopi in suburbio Chalcedonis, quod Quercus dicitur, in vnum conueniunt: illo confestim Ioannem, vt criminibus sibi obiectis responderet, accersunt. Serapionem præterea, Tigrim eunuchum presbyterum, & Paulum lectorem (isti enim simul cum eo erant in crimen vocati) vnà accedere iubent. Vbi verò Ioannes eos qui eum accersiuerant, tanquam inimicos à suæ causæ disceptatione exceperat, & ad generale concilium prouocarat, illi absque mora quater illum accersiuerunt. Quem quidem cum accedere nollet, idemque semper responsum daret, communibus suffragijs condemnarunt, abdicaruntque episcopatu: idque, cum nullum aliud crimen illi obiectare possent, præterquam quòd accersitus non obtemperauerat. Quæ res Constantinopoli sub vesperum nunciata, multitudinem ad maximam seditionem concitauit. Atque tota nocte excubantes, illum ab ecclesia abstrahi neutiquam passi sunt: sed sublata voce clamarunt, eius causam debere in maiore episcoporum concilio disceptari. Verùm Imperatoris mandato edictum fuit, vt quamprimùm exturbaretur, abduceturque in exilium. Qua re cognita, Ioannes triduo post eius abdicationem, circiter meridiem, ad-

† Vide Anno. pag. 260. lar. 2. lin. 37.

Cyrinus Ioannem apud episcopos insectatur.

Maruthas episcopus.

Placidianæ ædes.

Quercus suburbium.

Ioā. Chrysost. episcopatu abdicatus indeq; seditio orta.

Ioā chrysost. exilium. eò rursum sedditio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uersariorum manibus clam multitudine (cauebat enim, ne propter ipsum tumultus A concitaretur) seipsum vltrò obtulit: sic igitur abducitur. In populo autem immensa seditionis flamma incenditur: atque (vt in eiusmodi tumultibus vsuenire solet) complures qui erga illum antè infenso & inimico animo fuerant, tum quasi mutata sententia, eum commiserari cœperunt: & qui paulò antè eum abdicatum videre cupiebant, tum falsis criminibus circumuentum prædicarunt. Itaque complures tum contra Imperatorem, tum contra concilium episcoporum vociferati sunt: contraque Theophilum potissimùm, quem criminationis in Ioannem confictæ authorem existimarunt. Nam insidiæ, quas Ioanni parauerat, amplius in obscuro latêre non poterant. Et quanquam multis alijs argumentis perspicuè deprehendebantur, tamen vel maximè ex eo, quòd cum Dioscoro, & eius fratribus, qui Longi dicebantur, statim post Ioannis abdicationem communicauit. Tum Seuerianus in ecclesia docens, tempus sibi oblatum putauit, quo in Ioannem opportunè inueheretur: & ob eam causam palàm dixit, illum, licet nullius alterius criminis esset conuictus, iure propter insolentes & superbos mores abdicatum esse: omnia enim peccata hominibus condonari, sed Deum, vt Sacræ literæ docent, superbis resistere. Quæ cum dixisset, multitudo fuit ad grauiorem seditionem incitata. Qua de causa sine mora Imperator Ioannem Constantinopolim reuocãdum curauit. Idcircò Briso Imperatricis eunuchus eam ob causam missus, in Preneto (est hoc quidem emporium eregionè Nicomediæ situm) eum offendit, reducitque Constantinopolim. Verùm quamuis hoc modo esset reuocatus, non tamè prius in vrbem ingredi, quàm corã maioribus iudicibus innocens probatus esset: sed in suburbio, quod Marianæ dicitur, ad tempus permanere constituit. Cùm autem moram faceret, nec ad ciuitatem vellet redire, multitudo indignè & grauiter ferens, protinus eos penes quos imperium erat, maledictis vexauit. Quapropter necessitate adductus, ad vrbem reuertitur. Multitudo prodit illi obuiam: cumque summa reuerentia ad ecclesiam rectà deducit: orat, vt sedem episcopalem capessat, moreque consueto pacem populo precetur. Cum ille recusaret, diceretque hoc non antè faciendum esse, quàm tum causa eius iudicio esset disceptata, tum hi qui ipsum condemnarant, mutata sententia absoluerent, magis incendi cœpit: tanta enim cupiditas, eum cùm in sede collocatum videndi, tum de integro concionantem audiendi, illam incesserat. Itaque populi impulsu res sic confecta B est. Cùm Ioannes esset in sede episcopali locatus, & de more pacem populo precatus fuisset, coactus necessitate, etiam concionatus est. Quæ res aduersarijs alterius criminationis materiam suppeditauit: verùm ad tempus illam consopitam iacere passi sunt.

Theophili in Ioan. insidiæ.

Seuerianus in Ioan. inuehitur.

Chrysostomus ab exilio reuocatus, circa annum 407. Prenetum.

Quòd Theophilus, cum absentis Heraclidis causam examinari Ioanne reclamante voluisset, concurrentibus ad arma mutuò ciuibus Constantinopolitanis, Alexandrinisque, plures vtrinque ceciderunt: hinc Theophilus, & episcoporum plerique alij timore perculsi, relicta ciuitate aufugerunt.

CAP. XV.

INterim Theophilus callidè molitus est, vt de Heraclidis ordinatione primum quereretur: quò ansam arriperet ad Ioannem denuò, si fieri posset, abdicandum. Heraclides igitur, tametsi non aderat, in iudicium tamen adducitur: quosdam iniustè verberasse, constrinxisse vinculis, denique per mediam vrbem Ephesiorum ad ignominiam ducendos curasse accusatur. Cum igitur Ioannes responderet, non oportere de absentibus iudicium fieri: Alexandrini pertinaciter instabant, accusatores Heraclidis recipiendos esse, etiamsi illum absentem accusarent. Vnde grauis seditio concertatioque inter Constantinopolitanos & Alexandrinos conflata est. Ac dum manu confligitur, multi sauciati, nonnulli etiam interfecti fuêre. Quibus rebus cognitis, Theophilus absque mora Alexandriam profugit. Idem etiam alij episcopi fecerunt, paucis exceptis, qui Ioannis partes tuebantur: omnes ad suas ipsorũ sedes se properè receperunt. His rebus gestis, Theophilus in omnium offensionem incurrit. Odium contra illum inde etiam creuit, quòd libros Origenis studiosè legere non vereretur. Rogatus igitur à quodam, cur libros, quos condemnauerat, de integro amplexaretur? respondit, libros Origenis similes esse prato omnibus florum generibus referto. Idcirco, inquit, si quid reperio in illis boni, illud decerpo: sin spinosi quicquam, hoc, vtpote aculeis pungens, missum facio. Hæc respondit Theophilus, non complexus animo illud Salomonis: quòd verba sapientum sunt tanquam stimuli, & qui præceptis in illis comprehensis punguntur, non debent ex aduerso calcitrare. His de causis Theophilus omnibus inuisus & odiosus fuit. Dioscorus Hermopolis episcopus, vnus è numero monachorum qui Longi vocabantur, breui, postquam Theo-

Heraclides etiam absens accusatus. De absentibus non faciendum iudicium.

Theophili odium vnde: & de Origenis libris iudicium.

Vide Nicephor. cap. 17. lib. 13. Sozomen. lib. 8. cap. 20. 21.

Ecclo. 12.

A Theophilus Alexandriam profugerat, abijt è vita: sepulchroque honorifico in templo quod est apud Quercum, vbi concilium propter Ioannem coactum erat, potitus est. Ioannes in docendo se totum defixit: Serapionemque, cuius causa odium in ipsum fuerat antè incensum, episcopum Heracleæ, vrbis Thraciæ, designauit.

Dioscori obitus.

Serapion episc.

De argentea Eudoxiæ columna: & quòd propter hanc Ioannes rursus ecclesia electus, in exilium abductus est.

CAP. XVI.

Vide Nicephor. cap. 17. lib. 13. Sozomen. lib. 8. cap. 20. 21.

AVd diu pòst, ista etiam sunt consecuta. Statua argentea lęna circumiecta, Eudoxiæ Augustæ, super columnam ex porphyrite factam, erecta fuit. Hæc in edita basi neque valde prope ecclesiam quæ Sapientia dicitur, neque longè admodum collocata, sed inter ecclesiam & statuam platea solum media interiecta fuit. Ibi ludi populares, vt moris est, celebrari cœpti sunt. Ioannes igitur has res ad Ecclesiæ decus redundare arbitratus, pristina sua loquendi libertate recuperata, linguam contra eos, qui earum authores erant, exacuit: & pro hortatione, qua ad principum animos flectendos vti debuisset, falsè eos qui eas res fieri mandauerant, cauillatus est. Imperatrix rursus hęc in seipsam transfert, & illius verba quasi ad eius ignominiam elata existimans, aliud concilium episcoporum contra eum cogendum curat. Qua re intellecta, Ioannes percelebrem illam concionem in ecclesia recitauit, cuius exordium est: Herodias denuò insanire, denuò commoueri, denuò saltare pergit: denuò caput Ioannis in disco accipere quærit. Hæc concio Imperatricis iram contra eum multo magis inflammauit. Post paulò Episcopi aduentarunt, Leontius episcopus Ancyræ, quæ est in parua Galatia: Ammonius Laodiceæ, quę est in Pisidia: Briso Philippi, quæ est in Thracia: Acacius Beroeæ, quæ est in Syria, & alij nonnulli. Coram istis accusatores, qui dudum Ioannem in iudicium vocauerant, de integro producuntur. Ioannes istorum episcoporum æquitate fretus, postulat, vt de criminibus quæratur. Cùm iam natalis dies Seruatoris celebraretur, Imperator ad ecclesiam, vt assolet, non accessit: sed Ioanni significauit, se non prius cum eo communicaturum, quàm crimina ei illata diluisset. Cumque accusatores propter Ioannis confidentiam, animis cadere viderentur: episcopi qui aderant, non de alio crimine quæri, sed hoc solum in iudicium adduci oportere dixerunt, nimirum quòd post abdicationem, absque concilij sententia, se ipse B in sede episcopali collocauerat. Vbi Ioannes respondit, quinquaginta episcopos, qui cum ipso communicauerant, ei in ea re suffragatos fuisse, Leontius contrà: At plures, inquit, tibi in concilio refragati sunt. Rursus cum Ioannes diceret, Hunc canonem non ad illorum ecclesiam, sed ad ecclesiam Arianorum pertinere (nam qui Antiochiæ ad fidem Consubstantialis tollendam conuenerant, præ odio versus Athanasium concepto, hunc canonem ediderant) reiecto illius responso, contra eum sententiam pronunciarunt: illud neutiquam animis complexi, quòd qui hoc canone vsi fuissent, etiam Athanasium abdicauerant. Hæ res gestæ sunt iam festo Paschatis appropinquante. Imperator igitur Ioanni significat, ei non esse iam potestatem in ecclesiam ingrediendi, quòd duobus concilijs erat condemnatus. Proinde Ioannes ab ecclesiastico munere deinceps vacauit, neque ecclesiam adijt. Quam ob causam omnes qui illi fauebant, actutum ab ecclesia egressi, festum Paschatis in balneis publicis, quæ Constantianæ nuncupantur, celebrant: atque vnà cum illis multi episcopi, presbyteri, alijque sacris ordinibus initiati. Qui ex illo tempore, quoniam separatim in varijs locis conuentus agebant, Ioannitæ appellati sunt. Ioannes ad spacium duorum mensium non vnquam prodijt in publicum, donec Imperatoris mandato esset in exilium abductus. Tum ab ecclesia abstractus, patriæ finibus pulsus est. Eodem die quidam ex Ioannitis ecclesiam incenderunt. Qua quidem incensa, ventus subsolanus grauiter spirans, flammam præcipitauit in curiam, sicque ea quoque conflagrauit. Hoc factum est, 12. Calend. Iulij, ad sextum consulatum Honorij, quem cum Aristæneto gessit. Quibus autem incommodis Optatus vrbis Constantinopolis præfectus, religionis professione gentilis, & propterea Christianis infestus, Ioannis amicos affecerit, & quàm grauia supplicia compluribus illorum irrogarit, silentio prætereundum censeo.

Eudoxiæ statua in vicinia templi Sophianæ erecta anno 408.

Ioan. Chrysost. contra Imperatricem oratio.

Ioannes rursum accusatus, & damnatus.

Constantianæ balneæ.

Ioannitæ.

Ioannis exilium.

Ecclesiæ & curiæ conflagratio.

Optatus præfectus.

De Arsacij post Ioannem ordinatione, & Cyrino Chalcedonensi episcopo.

CAP. XVII.

Vide Nicephor. c. 28. 36. li. 13. Sozomen. lib. 8. c. 23. Supra hoc lib. cap. 15.

PAucis interpositis diebus, Arsacius, frater Nectarij, qui ante Ioannem præclarè admodum episcopatum Constantinopolis administrauerat, iam ætate valde ingrauescente (amplius enim octoginta annos confecerat) illius vrbis episcopus ordinatus est. Quo quidem propter incredibilem

Arsacius Nectarij frater, episcopus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Cyrinus pedē à Maruthа læsum abscindit.

suam mansuetudinem episcopatum pacatè tranquilleque procurante, Cyrinus episcopus Chalcedonis, cuius pedem Maruthas Mesopotamię episcopus premendo vestigio inuitus læserat, adeò malè eo infortunio affectus afflictusque fuit, vt pes eius putresceret: & propterea necessitate adductus, eum à corpore abscinderet. Neque sectionem semel passus est, sed sæpius. Nam mali contagio per vniuersum corpus serpsit, adeò vt alter pes ea infectus, similiter amputaretur. Huius rei propterea feci mentionem, quòd erat multis in ore, Cyrinum ista perpessum, quòd Ioannem conuicijs exagitauerat, quodque eum contumacem (vt à me dictum est antè) sæpius vocauerat. Porrò cum grando magnitudine inusitata in suburbijs Constantinopolis fortè decideret (accidit hoc quidem prid. Calend. Octobris, eisdem Coss. quos paulò antè citaui) percrebuit sermo, istud Deo irato, propter Ioannem indicta causa abdicatum, contigisse. Hunc sermonem Imperatricis mors, quæ illico insecuta est, vehementer auxit. nam quatriduo post delapsam grandinem, è vita decessit. Erant alij qui dicebant, Ioannem meritò propterea abdicatum: quòd, quando Ephesum, quò Heraclidem episcopum designaret, iter faciebat, tum Nouatianis, tum illis, qui Pascha ad decimumquartum diem mensis primi celebrant, tum alijs nonnullis in Asia & Lydia, multas ecclesias ademerat. Verùm vtrum iusta fuerit Ioannis abdicatio, vt illi prædicabant, quorum animos offendisset: vtrum Cyrinus debitas conuiciorum pœnas dederit: vtrum denique propter Ioannem tum grando deciderit, tum Imperatrix morte occubuerit: an hæc non istas, sed alias ob causas, an ob vtrasque: Deus ipse viderit, qui occulta intelligit, quique de ipsa veritate iustus iudex est. Ego ea, quæ tum crebro hominum sermone ferebantur, literis prodidi.

Vindicta diuina in Cyrinū.

Grando Constantinopoli.

Eudoxiæ obitus.

Deus iustus occultorum iudex.

Quòd post Arsacium, Atticus in Constantinopolitano throno collocatur.

CAPVT XVIII.

Arsacij obitus, anno 409

ARsacius non diu illum gessit episcopatum. nam sequenti anno, ad secundum consulatum Stiliconis, Anthenij autem primum, tertio Idus Nouemb. mortem obijt. Cum autem de episcopo deligendo à multis vehementer laboratum esset, & ob eam causam multum temporis præteriret, proximo anno, Arcadio iam sextùm Cos. & Probo primùm, Atticus, vir pietate eximius, ex Sebastia Armeniæ oriundus, monasticum vitæ genus ab incunte adolescentia excolens, doctrina sanè mediocri, sed prudentia naturaliter insita magis B valens, episcopus Constantinopolitanus creatus est. Sed de eo plura commemorabo paulo pòst.

Vide Nicephor. cap. 29. lib. 13. Socrat. inf. lib. 7. ca. 2. Sozomen. lib. 8. cap. 27.

Atticus episc. Constantinopoli creatus, anno 410.

lib. 7. cap. 2

De Ioannis, dum in exilio ageret, ad Dominum migratione. CAP. XIX.

Ioannis Chrysost in exilio obitus, anno 412.

IOannes pulsus in exilium, Comanis ad Pontum Euxinum sitis exiuit è vita, decimooctauo Calend. Decembris, ad septimum cōsulatum Honorij & Theodosij secundum: vir, vt antè docui, propter incredibile temperantiæ studium iracundiæ potius quàm obseruantiæ indulgens: qui, cum ad eò acriter temperantiam consectaretur, per omnem vitę suæ cursum ore liberiore fuit. Equidem demiror, quid causæ esset, cur, cum tam ardenti studio ducerentur temperantiæ, in quibusdam concionibus doceret, temperantiam quodammodo contemnendam esse. Nam cùm à concilio episcoporum, illis, qui semel duntaxat post baptismum lapsi fuerant, locus pœnitentiæ concederetur: ille non dubitauit dicere, Si millies lapsus pœnitentiam egeris, in ecclesiam ingredere. Ob quam doctrinam, etsi in aliorum multorum, etiam qui ei familiares erant, offensionem incurrit: tamen à Sisinnio in primis Nouatianorum episcopo, qui librum contra hoc eius dictum conscripsit, grauiter exagitatus est. Cæterùm ista iam pridem acciderant.

Vide Nicephor. cap. 37. lib. 13. Sozomen. lib. 8. c. 22.

Eius temperantia & libertas

Sisinnij cōtra Ioan. liber.

De Sisinnio Nouatianorum episcopo, & verbis inter ipsum & Ioannem vltro citroque habitis. CAP. XX.

Sisinnius episcopus, qualis.

HOc loco tempus opportunum se offert, pauca de Sisinnio differendi. Vir erat, vt sæpe iam dixi, admodum disertus, inque cognitione Philosophiæ venerat ad summum: atque cum in differendi scientia permultum posuerat operæ, tum in Sacris literis explicandis erat apprimè eruditus, adeò vt Eunomius hæreticus propter eius in disserendo acumen cum eo congredi sæpenumero recusasset. In victus ratione non adeò parcus: sed in ea quidem, licet summa vitæ moderatione & temperantia esset, paulò fuit liberalior, sumptuosiorque. Delicijs & mollicie diffluere visus est, tum quòd albo vestitu vteretur, tum quòd bis in dies singulos in balneis publicis se la-

Vide Nicephor. cap. 35. lib. 12.

Sisinnij mollities.

A se lauaret. Qui cum quodam tempore rogaretur, cur, cum esset episcopus, bis quotidiè se lauaret? respondit: Quoniam tertiò non possum. Aliàs cum episcopum Arsacium honoris causa inuiseret, cuidam ex necessarijs Acacij scisitanti, cur veste episcopo insueta indueretur? & vbi scriptum reperiret, presbyterum debere alba veste indui? Tu, inquit, prius dic mihi, vbi sit scriptum, episcopum debere nigra veste vti. Ac cum, qui rogauerat, hæreret, Sisinnius responso hæc præterea adiecit: Tu quidem non poteris mihi ostendere, quòd episcopum oportet nigra veste indui: at me Salomon sic cohortatus est, Sint tibi vestimenta alba: Itemque Seruator, vt ex Euangelijs constat, alba veste vti visus est: quinetiam Moysen & Eliam albis vestibus indutos, Apostolis demonstrauit. His alijsque permultis acutè dictis, eos qui aderant, in maximam traduxit admirationem. Cum Leontius etiam episcopus Ancyræ, quæ est in parua Galatia, ecclesiam Nouatianis abstulisset, & iam fortè Constantinopoli versaretur, Sisinnius ad eum accedit, orat, vt ecclesiam illis reddat. Tum Leontius excandescens, illi respondit: Vos Nouatiani, non debetis ecclesias habere, qui pœnitentiam tollitis, & benignitatem Dei ab hominibus clauditis, Ista aliaque id genus complura Leontio ad Nouatianorum reprehensionem dicenti, Sisinnius respondit: At neminem adeò pœnitet, vt me. Cui rursus Leontius: Quomodo, inquit, te pœnitet? Respondet Sisinnius, Quòd te vidi. Porrò autem, cum episcopus Ioannes illum argueret ac diceret, vnam ciuitatem non posse duos episcopos habere: respondit Sisinnius, Nec habet. Cumque Ioannes responsum ægrè ferret, diceretque: Video igitur, quòd solus vis esse episcopus: tum Sisinnius, Neque hoc dico, inquit: sed quòd apud te solum non sum episcopus, qui alijs tamen sum episcopus. Ioannes, responso grauiter commotus: At ego, inquit, te à concionando reprimā, nā hęreticus es. Huic facetè respōdit Sisinnius: At ego, inquit, tū tibi mercedē dabo, si me tanto labore liberaueris. Quo respōso Ioānes mitigatus: At ego, inquit, minimè à concionādo te reprimā, si te illud munus afficiat molestia. Adeò quidem in respondendo acutus, adeoque facetus erat Sisinnius. At longum esset scriptis persequi, memorareque omnia quæ sunt ab eo commodè dicta. Quapropter contentus sum paucis, qualis fuerit, declarasse. Illud tamen dico, eum ob doctrinam omnium sermone fuisse celebratum ab omnibus episcopis, qui eius ætate ordine alter alteri ibi succedebant, eaque de re & amatum plurimùm, & in summo honore habitum: quinetiam cuncti primarij viri ordinis Senatorij eum amplexati sunt, atque adeò admirati. Ac tametsi libri complures ab eo conscripti sunt, inque illis sermonis elegantiam consectatus est, multaque verba poetica intexuit: dicendo tamen, quàm scribendo, plus laudis est consecutus. Nam in eius vultu, voce, habitu, obtutu, & toto corporis gestu multus lepos inerat. Ob quas res vehementer cùm ab omnibus religionis sectis, tum ab Attico episcopo vel maximè diligebatur. Atque de Sisinnio ista quidem hoc modo.

Sisinnius à primis summo in honore habitus.

Vide Nicephor. cap. vlt. lib. 13.

De Arcadij Imperatoris ab hac vita decessu. CAP. XXI.

NOn longo tempore post mortem Ioannis, Imperator Arcadius excessit è vita, vir mansuetus & pacificus: qui extremo ætatis tempore pietatis opinionem adeptus est, idque ob hanc causam. Est quidem Constantinopoli domus amplissima, quæ Carya dicitur, in cuius atrio est castanea arbor: in qua fertur Acacium martyrem suspensum occubuisse. Qua de causa parua ecclesia apud illam arborem ædificata fuit: quam Imperator Arcadius videre cupiens, in eam ingreditur: cumque preces ibi peregisset, decessit. Omnes, qui circiter illam ecclesiam habitabant, ad Imperatorem conspiciendum confluunt: ac nonnulli extra ędes egressi, transitus platearum anteoccupare contenderunt, vnde putabant, se & Imperatoris vultum, & totam stipatorum turbam planiùs videre posse. Alij Imperatorem ab ecclesia vsque eò sequebantur, quoad omnes viri cum mulieribus & pueris extra illam domum exiuissent. Quo facto, illico domus illa, quæ ecclesiæ adiuncta erat, corruit. Vnde fama cum summa omnium admiratione insecuta est, Imperatoris precibus tantam hominum multitudinem ab internecione fuisse liberatam. Atque huius rei gestæ hic exitus fuit. Arcadius, filio Theodosio octauum annum ætatis agente, post se relicto, moritur, Basso & Philippo coss. Calend. Maij, anno secundo ducentesimę nonagesimæ septimæ Olympiadis. Regnauit vnà cum patre Theodosio annos tredecim: & cum trigesimumprimum ætatis annum compleuisset, post mortem patris, quatuordecim annos regnauit. Liber continet spacium duodecim annorum, & sex mensium.

Sisinnius in respondendo acutus.

Arcadij obitus.

Arcadius quo modo pietatis opinionem adeptus. Carya.

Theodosius filius & successor Arcadij.

Arcadij obitus 412.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ista quæ sequuntur, quoniam in alijs exemplaribus reperta sunt, non quasi desiderata, sed alia quadam ratione conscripta: ideirco non incommodum visum est, hoc loco ponere. Eandem historiam continent, quæ de Ioannis itinere Ephesum ad Heraclidem delignandum episcopum suscepto, suprà decimo capite perscripta est. A

Heraclides episcopus designatus.

Seuerianus.

Serapionis & Seueriani æmulatio.

Serapion diaconi dignitate abdicatus.

Chrysostomi humanitas in Seuerianum.

Serapion diaconatu priuatus.

Seuerianus vrbe pellitur.

Seuerianus Eudoxia Augusta volente reuocatur.

Interea temporis, cum episcopus Ephesi fortè è vita migrasset, Ioannes Ephesum ad episcopum ordinandum necessariò profectus est. Qui cum illò aduenerat, & alij alium ad episcopatus dignitatem efferre laborabant, Heraclidem diaconum suum genere Cyprium, episcopum designauit. Hac de causa cum Ephesi seditio oriretur, propterea quòd Heraclides indignus episcopatu habitus fuit: Ioannes necessitate adductus, ibi diu commoratus est. Itaque dum illic moram faceret, Seuerianus Constantinopoli auditorum animos maiore benevolentia sibi deuinxit. Quæ res Ioanni minimè obscura & incognita fuit: quippe à Serapione, quem summo amore complectebatur, & cui totam curam episcopatus procurandi, tum quòd pius & omnino fidelis erat, tum quòd sobrius in primis, & in partibus episcopi tuendis diligens & perstudiosus, indicata. Proinde Ioannes non diu post reddit Constantinopolim, & ecclesiarum administrationem, sicut eius officium postulabat, denuò capessit. Inter Serapionem diaconum & episcopum Seuerianum, magna intercessit æmulatio, dum ille huic propterea aduersari cœpit, quòd ei erat in animo omnem in concionando laudem Ioanni penitùs præripere: hic contrà illi inuidere, quòd apud Ioannem in maxima gratia erat, totaque prouincia episcopatus administrandi ei concredita. Dum ita animis alter aduersus alterum affecti erant, odij flamma fortefortunà multo magis exardescere cœpit. Causa autem eiusmodi fuit. Cum Seuerianus quodam tempore ad locum vbi Serapion erat, accederet, Serapiõ honorem episcopo debitum minimè illi impertijt, neque ei assurrexit: siue quòd illum non videbat, vti postea in Concilio episcoporum cum iureiurando affirmauit: siue quòd episcopi præsentiam parui æstimabat (sicut Seuerianus asseruit) nõ equidem habeo dicere: Deus solus viderit. Tum Seuerianus, cum Serapionis contemptum ferre non posset, eum, antequam causa in concilio disceptata cognitaque erat, condẽnat: & non modò dignitate diaconi abdicat, verùm etiam expellit ecclesia. De qua re Ioannes certior factus, iniquo animo passus est. Ac cum causa pòst in concilio disceptaretur, & se purgaret Serapion, testibusque adductis probaret, se Seuerianum non vidisse: concilium episcoporum illi condonauit, orauitque Seuerianum vt Serapionis purgationem admitteret. B Quinetiam Ioannes episcopus, quò Seueriano cumulatè esset satisfactum (quamuis in omnibus negocijs administrandis Serapione, vtpote ad respondendum de rebus Ecclesiasticis acutissimo diligentissimoque tanquam manu dextera vteretur) illum ad septimanam tum ab se segregat, tum honore priuat diaconi. At Seuerianus nè hoc quidem contentus acquieuit: sed omnes vias persecutus est, quibus Serapion non solum diaconatu penitùs abdicaretur, verumetiam communione omnino excluderetur. His rebus Ioannes vehementer commotus, surrexit: ac iam è concilio discessurus, relicturúsque cæteris episcopis qui aderant, causę dijudicationem, dixit: Quod vobis visum fuerit, causa disceptata iudicioque discussa, pro arbitratu decidite: ego enim inter eos decernere prorsus recuso. Quæ cum dixisset, decessit: totumque concilium similiter assurgens, causam eo loco reliquit: Seuerianumque grauissimè incusauit, quòd verbis Ioannis episcopi non cessit. Decæterò autem Ioannes Seuerianum ad colloquium non admisit, sed in patriam reuerti iussit, sic illum allocutus: Non est consentaneum, Seueriane, vt tanto temporis spacio administrationi ecclesiæ, quæ est tibi concrèdita, minimè prospectum sit, & episcopo suo careat: Quapropter abito propere, ecclesiam tuam capessito: illudque Dei donum, quod in te est, nolito negligere. Illo iam in iter ingresso, Eudoxia Augusta certior facta, Ioannem vehementer accusat: Seuerianum Chalcedone, vrbe Bithyniæ celeriter accersendum curat. Illeque quamprimùm reuertitur. Ioannes ab eius amicitia sic animum suum abalienauit, vt nullius rogatu in gratiam cum eo reduci posset: quoad Imperatrix Eudoxia in ecclesia, quæ Apostolorum nomine nuncupata est, filium suum Theodosium iuniorem, qui tum valde tenera ætate fuit, ad pedes Ioannis abiecisset: quæ ita illum obtestata, vix adducere potuit, vt Seueriani amicitiam amplexaretur. Verùm tametsi hoc pacto, & quæ sequuntur.

Vide supra cap. 10.

FINIS SEXTI LIBRI.

SOCRA-

A

SOCRATIS SCHOLASTICI HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ, LIBER SEPTIMVS.

Hic septimus liber complectitur historiam triginta duorum annorum: quibus imperarunt Honorius, Theodosius II. & Valentinianus III. Huc igitur refer Vitam Pontif. Rom. Zosimi, Bonifacij, Cælestini, Sixti: Adde Tomos Concil. & Hæres. Annonium de gestis Francorum, Paulum Æmilium de rebus Francorum. Blondum lib. 3. 4. 5. Decad. 1. Rerum Rom. lib. 14. 15. Paul. Diacon. lib. 15.

Quod post Imperatoris Arcadij obitum, relicto annorum octo filio eius Theodosio, Anthemius præfectus Imperij administrationem suscepit.

CAP. I.

Honorius Imp. *Theodosius iunior.* *Anthemius præfectus & gubernator Imperij.* *Troilus Anthemij consiliarius.*

Honorius Occidentis, Theodosius iunior Orientis Impp. Vide Nicephor. c. 1. 2. lib. 14. Sozomen. lib. 9. cap. 1.

MORTVO igitur Imperatore Arcadio, Calend. Maij. Basso & Philippo Coss. Honorius eius frater, partium versus Occidentem suscepit gubernacula: Theodosius iunior Arcadij filius, octo annos natus, partes ad Orientem sitas rexit, per Anthemium præfectum, qui summam rerum pro eo administrabat. Hic Anthemius nepos erat Philippi, qui Paulum episcopum, regnante Constantio, expulit ecclesia, Macedoniumque in eius locum substituit. Idem Constantinopolim firmis mœnibus circumdedit: vir quidem & visus est, & reuera fuit, hominum id temporis facilè prudentissimus, nihilque temerè & inconsultò aggressus est: sed semper de rebus gerendis & cum plerisque alijs necessariorum communicauit, & cum Troilo sophista in primis, qui tum sapientia, quæ in ipsius animo insita erat, tum singulari rerum ciuilium prudentia, Anthemio nihilo fuit inferior: ob eamque causam Anthemius, in omnibus ferè negocijs suscipiendis illo consiliario vsus est.

B

De Attico Constantinopolitano episcopo, & quibus moribus præditus erat.

CAPVT II.

Attici temporibus ecclesiæ magnopere amplificatæ. *Hæreticos quomodo tractarit.* *1. Cor. 9.* *Attici conciones.*

Vide Nicephor. c. 29. lib. 13. & c. 21. 24. li. 14. Vide etiã Socratem supra li. 6. cap. 15. Sozomen. lib. 8. cap. 27.

IMperatore Theodosio octauum iam ætatis suæ annum agente, Atticus trienio episcopatum Constantinopolitanum cum maxima laude procurauerat: vir, vt suprà demonstrauimus, doctrina mediocri, sed pietate & prudentia eximius. quamobrem ecclesiæ eius temporibus magnopere fuerunt amplificatæ. Nam non modò suæ ipsius fidei fautores concordia deuinxit, verùm etiam hæreticos sua obstupefecit prudentia: quibus certè nihil voluit exhibere molestiæ ille quidem, sed vbi eos perterrefecerat, rursus se erga illos mansuetum & facilem declarauit. Quinetiam neque doctrinæ studia neglexit: quippe in veterum scriptorum monumentis euoluendis multum operæ posuit, inque eisdem magnam noctis partem contriuit, & propterea neque philosophorum neque sophistarum argutijs capi & obstupefieri potuit. His qui cum eo in colloquium veniebant, vrbanus & blandus: qui autem erant affecti mœsticia, cum illis condolescere visus est. Ne multis, omnia (vt est apud Apostolum) omnibus factus. Primùm, cum presbyterij gradum obtinuisset, conciones, quas summo studio confecerat, ad verbum edisCens, in ecclesia recitauit. Postea crebro vsu & diligentia maiorem audaciam adeptus, ex tempore concionari cœpit, rationemque docendi magis popularem secutus est. Verùm eius conciones non eius generis fuêre, vt meritò vel ab auditoribus studiosè perdiscerentur, vel monumentis mandarentur literarum ad posteritatem. Sed de eius natura, moribus, doctrina denique, satis superque videmur disseruisse. Iam verò ad res eius temporibus gestas, quæ sunt dignæ hominum memoria, explicandas veniamus.

De Theodosio & Agapeto, qui Synadis episcopatum gerebant.

CAP. III.

Theodosius episcopus hæreticos persequitur.

Vide Nicephor. c. 11. li. 14.

THeodosius quidam Synadorum, vrbis Phrygiæ Pacatianæ episcopus, hæreticos (in ea namque vrbe complures erant ex secta Macedonianorum) graviter persecutus est, eosque non modò è ciuitate, verùm etiam ex agris relegauit. Atque istud aggressus est non de more Orthodoxę ecclesiæ, quæ homines persequi non solet: neque studio rectæ sinceręq; fidei incitatus: sed turpis quæstus auiditati inseruiens, vt ex hære-

Universidad de Deusto
Biblioteca

hæreticis pecuniam cogeret. Itaque nihil reliquum fecit, quod ad Macedonianos vexandos pertineret: manusque clericorum, qui de eius erant ecclesia, contra eos armare, ac infinitis ferè machinis, quibus illos conturbaret, vti cœpit: in iudicio victos sistere non desijt: maximè omnium Agapetum, illorum episcopum, varijs incommodis & molestijs affecit. Ac cum primarij prouinciæ viri non satis habere virium & authoritatis ei viderentur ad supplicium de Macedonianis sumendum, Constantinopolim celeriter contendit, mandatumque præfecti prouinciæ postulat. Dum Theodosius episcopus his de rebus Constantinopoli moram facit, Agapetus, quem sectæ Macedonianæ præsse docui, ad rectam sanamque de fide opinionem redit. Nam consilio cum vniuerso clero inito, & populo ecclesiæ suæ conuocato, persuadet, vt fidem Consubstantialis recipiāt. Quo facto, cum ingenti multitudine, imò verò cum populo vniuerso ad ecclesiam ire maturat. Ac precibus peractis, sedem, in qua Theodosius considere consueuerat, capessit. Simulatque populum concordiæ vinculis in vnum colligauerat, de reliquo fidem Consubstantialis docuit, vnde ecclesiarum administratione ad vrbem Synada spectantium potitus est. His rebus ita constitutis, pòst paulo Theodosius Synada reuertitur, præfecti mandato fretus, quod secum attulerat. Atque ignarus rerum quæ ipso absente acciderant, extemplò ad ecclesiam pergit. Inde ab omnibus qui ibi aderant expulsus, Constantinopolim denuò proficiscitur. Qui, simulatque eò aduentabat, grauiter suum statum coram Attico episcopo deplorare, se iniquè episcopatu eiectum docere cœpit. Atticus autem, vt intellexerat rem feliciter ad ecclesiæ commodum cecidisse, verbis Theodosium lenire: suadere, vti genus vitæ quietum & vacuum à molestijs consectaretur, communemque omnium vtilitatem suis priuatis commodis anteferret. Scribit præterea Agapeto, vt episcopatum teneat, nihilque molestiæ sibi ex offenso Theodosij animo suspicetur euenturum.

Agapetus episcopus ad rectam fidem conuersus.

Theodosius episcopatu pulsus, quiete agit Constantinopoli cum Attico.

De Iudæo, qui per Atticum episcopum in diuino baptismate neruorum resolutione liberatus erat. CAP. IIII.

ATque vt hæc vna res, quam temporibus Attici accidisse modò commemoraui, permultum profuit ecclesiæ: sic eadem tempora & miraculis & donis sanationum nobilitata fuerunt. Nam Iudæus, qui à multis iam annis paralysi conflictatus, in lecto decubuerat, cum omnia curationum & medendi genera, omnesque Iudaicas preces ac vota expertus, nihil planè inueniret remedij, tandem ad baptismum Christianorum confugit: pro certo persuasus, huius tanquam veri medici adiumento se ad integram valetudinem restitutum fore. Quæ res erat quamprimùm Attico significata. Ille igitur Iudæum fidei articulis instituens, & spem in Christum ei annuncians, iubet ad baptisterium in lecto apportari. Iudæus paralysi oppressus, simulac baptismum sincera fide receperat, & ex lauacro baptismatis erat elatus, confestim morbo liberatus est, & ad sanitatem restitutus. Hæc curatio diuina Christi virtute, nostris temporibus, hominibus declarata fuit. Qua quidē re ex gentilibus complures ad credendum inducti, baptismum receperunt. Iudęi autem, quamuis signa & miracula quærerent, signis tamen ad credendum induci non poterant.

Vide Nicephor. c. 12. lib. 12.

Iudæus paralyticus per baptismum sanitati restitutus.

Gentiles miraculis ad suscipiendum Christianismum mouentur, Iudæi non item.

Quónam pacto à Iudæis oriundus Sabbatius, Nouatianorum presbyter opinionis suæ socios deseruerit. CAP. V.

QVanquam eiusmodi beneficia erant à Christo in homines collata, plerique tamen illa pro nihilo ducentes, suæ ipsorum improbitati sedulò deseruierunt. Neque enim Iudæi solum miraculis & prodigijs editis minus obsecundarunt: sed alij etiam, qui eorum solum ritus imitari gaudent, idem cum illis de religione sentire conuincuntur. Sabbatius enim, de quo paulo antè mentionem feci, cum non posset in animum inducere, vti presbyterij gradu contentus acquiesceret, sed studio semper arderet ad episcopatus honorem ascendendi: eisdem temporibus, occasione ex festi Paschatis Iudaici obseruatione arrepta, ab ecclesia Nouatianorum se separauit. Itaq; cum in loco quodam ciuitatis, qui Collis aridus dicitur, vbi nunc est forum Arcadij, separatim ab episcopo suo Sisinio conuentus fortè ageret, facinus facere aggressus est omni suppliciorum genere vindicandum. Nam ipso die quo sacra Synaxis celebrabatur, cum particulam quandam Euangelij legeret, in qua insunt ista verba, Appropinquabat dies festus azymorum, qui dicitur Pascha: addebat de suo, quæ neque vspiam scripta, neque vnquam audita sunt, ista scilicet: Execrabilis quisque, qui absque azymis Pascha celebrat. Quæ cum essent audita, per multorum animos peruaserunt: vsque adeò, vt qui ex laicis Nouatianis essent simpliciores, illi quasi à fide abrepti, ad eum eiusque doctrinam se con-

Vide Nicephor. c. 12. lib. 14.

Sabbatius se ab ecclesia Nouatianorum separat.

Collis aridus.

Sabbatij facinus.

Luc. 22.

A se contulerint: Verùm callidum hoc commentum minimè cessit illi ex sententia: quādoquidem adulterandi verbi Dei audacia exitum habuit planè infelicem. Nam haud ita multo pòst, cum festum Paschatis secundum anteceptam animo de eius obseruationem opinionem celebraret, multique ad eum de more confluerent, & consuetas vigilias per totam noctem agerent, tumultus furiosus & planè dæmoniacus illos occupauit. Videbantur enim sibi videre Sisinium, suum ipsorum episcopum, cum ingenti hominum multitudine in ipsos impetum facere. Vnde cum maxima turba fieret, illi (vt verisimile erat) noctu præsertim, atque adeò in angustum locum concluſi, se mutuò obtriuerunt: in quo tumultu ex illis amplius septuaginta homines periere. Quo facto, complures defecerunt à Sabbatio: nonnulli autem stultæ illi & ineptæ opinioni de Paschatis obseruatione animis anteceptæ mordicùs adhæserunt. Quemadmodum autem Sabbatius iureiurando, quo se iampridem astrinxerat, violato, ad episcopatum ascenderit, dicemus paulo pòst.

Verbi Dei adulterati infelix exitus.

Tumultus nocturnus Nouatianorum.

De ijs qui tunc temporis opinionis Arianæ antesignani fuerunt. CAPVT VI.

DOrotheus sectæ Arianæ episcopus, quem Antiochia Constantinopolim ab Arianis translatum suprà memorauimus, cum ad centum decem & nouem annos vitam protraxisset, mortuus est, Honorio septimùm consule, & Theodosio Augusto secundùm, 8. Idus Nouembris. Pòst cuius mortem sectæ Arianæ episcopatum obtinuit Barbas: cuius temporibus illa secta duos præstantes viros assecuta est, quorum adiumentis denuò florere cœpit, alterum Timotheum, Georgium alterum appellatum, vtrumque presbyteri dignitate exornatum. Georgius in humanioribus literis plurimùm excelluit, Timotheus contrà totum in Sacris Dei se defixit eloquijs. Aristotelis & Platonis libros semper habuit in manibus Georgius, Timotheus totus fuit in Origene: qui cum Sacras literas publicè interpretabatur, se linguæ Hebraicę non ignarū esse declarauit. Timotheus iam antea sectam Psathyrianorum secutus fuit: Georgius à Barba presbyter designatus erat. Ipse equidem cum Timotheo in colloquium veni: vnde satis intelligebam, quam paratus esset ad quibusque aliquid eum rogantibus respondendum, & ad loca quę in Sacris literis reperiuntur obscura, perspicuè aperienda: semper Origenem, tanquam locupletem & verum testem eorū quæ dixerat, citauit. Quam ob causam mirari satis vix possum, cur isti duo viri in Ariana secta perseuerarent, cum alter perpetuò tereret Platonem, alter Origeni euoluendo se totum dicaret. Nam neque Plato secundam & tertiam causam (sic eas appellare solet) principium essentiæ habuisse affirmat: & Origenes filium patri coæternum vbique fatetur. At quanquam in sua ipsorum permanserunt ecclesia, tamen sectæ Arianæ opinionem pedetentim & ex occulto correxerunt: quippe eam sua doctrina multis Arij blasphemijs perpurgarunt. Verùm de his hactenus. Non longo tempore pòst, Sisinio Nouatianorum episcopo mortuo, eisdem Coss. quos suprà posuimus, Chrysanthus, de quo plura postea commemorabo, eorum episcopus ordinatus est.

Vide Nicephor. c. 11. lib. 14. Vide etiā Socratem supra lib. 5. ca. 11. 22.

Dorotheus sectæ Arianæ episcopus moritur anno 412

Barbas episc. Dorothei successor.

Arianorum secta denuò floret.

Georgius presbyter.

Timotheus presbyter.

Sisinij mors. Chrysanthus episcopus eius successor.

Quòd Theophilo Alexandriæ episcopo Cyrillus successit. CAP. VII.

BReui tempore pòst, Theophilus Alexandriæ episcopus in veternum delapsus, abijt è vita, ad nonum consulatum Honorij, Theodosij autem quintum, 15. Calend. Nouemb. Ibi tum de episcopo deligendo orta est controuersia. Alij enim Timotheum archidiaconum: alij Cyrillum, filium fratris Theophili, ad episcopatus illius sedem efferre laborarunt. Qua de re cum à populo certatum esset, quanquā Abundatius præsidiariorum militum prefectus partibus Timothei subsidio fuit, tamen triduo pòst mortem Theophili Cyrillus in sede episcopali collocatus, episcopatu potitus est: maioremque principatum, quàm vnquam Theophilus habuisset, pariter sibi assumpsit. Etenim ex illo tempore episcopus Alexandrinus præter sacri cleri dominatum, rerum præterea secularium principatum acquisiuit. Quapropter Cyrillus statim cùm Nouatianorum ecclesias, quæ erant Alexandriæ, occlusisset, nō modò omnem sacrum thesaurum, qui in illis fuit, penitùs abstulit, verùm etiam Theopemptum, illorum episcopum, omnibus suis fortunis priuauit.

Vide Nicephor. c. 14. lib. 14.

Theophili episcopi obitus anno 418.

Abudatius.

Cyrillus episc.

Theopemptus episcopus.

De Marutha Mesopotamiæ episcopo, & quòd ab eo Christiana fides in Persida propagata est. CAP. VIII.

EOdem tempore Christiana religio fortè in Persida vehementer amplificata est: idque tali de causa. Inter Romanos & Persas crebri legati mittuntur, variæq; incidunt causæ,

Vide Nicephor. cap. 9. lib. 14.

Christiana fides in Persida quomodo amplificata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Maruthas episcopus hæc egit anno 418

causæ,cur tam frequentes alteri ad alteros obeant legationes. Itaque id temporis necessitas postulabat,vt Maruthas episcopus Mesopotamiæ,de quo paulo antè facta est mentio,ab Imperatore Romano ad regem Persarum mitteretur. Rex,quoniam eum virtum pietate singulari præditum esse animaduertebat, in magno honore habuit, & tanquam homini reuera diuino animum cœpit attendere. Quę res animos magorum, qui apud regem Persarum multum valere solent,admodum irritauit. Nam metuerunt nonnihil,ne Maruthæ suasu, rex Christi fidem reciperet. Etenim diuturnum capitis illius dolorem, quem magi curare non poterant, Maruthas precum subsidio curauit. Proinde magi fallaciam,qua regē ludificentur,excogitant. Ac quoniā Persę ignem pro Deo colunt,& rex quidem ipse ignem perpetuò ardentem in domo quadam venerari solet: subter terram hominem abdunt, eumque † tempore,quo rex preces facere consueuerat,has voces emittere faciunt: Regem è regno exturbandum esse: impiè enim propterea agere,quòd sacerdotem Christianorum diuinum existimabat. Quæ cum Isdigerdes audiuisset(hoc enim regi nomen fuit)tametsi Marutham reuerebatur,tamen ob eam causam ab se amandare constituit. Tum Maruthas homo verè diuinus,in precibus se penitùs defixit: vnde fallacia ac dolum magorum planè deprehendit. Itaque sic regem alloquitur: Ne illudaris ò rex, sed domum ingredere: ac cum vocem audieris,terra defossa dolum facilè deprehendes. Nam ignis non loquitur, sed hoc fit machina quadam ab hominibus ad eam rem comparata. Maruthæ rex morem gerit: in domum,vbi ignis perpetuò ardebat, denuò ingreditur. Simulac vocem iterum audit, terram iubet defodi. Ita qui vocem illam quæ à Deo edi putabatur,emiserat,deprehensus est. Quocirca rex ira admodum excandescens, decimum quemque ex genere magorum capite obtruncare mandat. Quo facto,dixit Maruthæ,vt vbi vellet,ecclesias ędificandas curaret. Hac de causa religio Christiana apud Persas vehementer creuit. Tum Maruthas decedens ex Persida,Constantinopolim aduentat. Exiguo tempore pòst, in Persidem legationis obeundæ causa reuertitur. Magi alias de integro fallacias excogitant,quibus regis animum ab eo amplexando auerterent. Malum quendam odorem dedita opera comparatum in loco quodam, ad quem rex solet accedere, diffundi curarant: eumque diffusum esse à Christianis falsò criminantur. Verùm rex, qui magos iamdudum habuerat suspectos,vbi illius facinoris authores diligenter peruestigasset, perspicuè deprehendit,eos ipsos magos illum malum odorem de industria rursus effecisse. quapropter complures illorum rursus graui multauit supplicio: Marutham permagna obseruantia coluit. Ac Romanos amare plurimum,eorumque amicitiam magnopere amplecti cœpit: parumque abfuit, quin cum Maruthas vnà cum Ablaato Persidis episcopo,aliud etiam specimen fidei Christianæ palàm edidisset (vigilijs enim & precibus ambo sedulò vacantes, dæmonem, quo regis filius agitabatur,expulerunt) Christianus factus fuisset. Verùm mors antè eum oppressit, quàm plenè Christianus euaderet: quo mortuo,filius eius† Bararanes (cuius temporibus,sicut à me dicetur paulò inferius,fœdera inter Romanos & Persas violata fuêre) regno potitus est.

Magi Persarum.

Magorum fallacia.

Isdigerdes rex.

Maruthas magorum dolum regi aperit.

Magorum supplicium.

Magorū alia fallacia.

Ablaatus episcopus.

Bararanes rex.

†Varanes legit Nicep. lib. 14. cap. 19.

Porphyrius et Alexander episcopus.

Siricius, Anastasius, Innocentius, Rom. episcopi.

Qui temporibus illis Antiochiæ ac Romæ episcopatum gerebant. CAP. IX.

Vide Nicep. c. 30. lib. 14

infra c. 18.

ISdem ferè temporibus, Antiochiæ mortuo Flauiano, Porphyrius in illum successit episcopatum. Post Porphyrium Alexander illi ecclesiæ præfuit. Romanæ ecclesiæ episcopatum,vbi Damasus decem & octo annos procurasset, Siricius in eius locum suffectus est. Cum Siricius ad annos quindecim eam rexisset ecclesiam, Anastasius postea triennio eandem gubernauit. Quo mortuo, Innocentius, qui primus Nouatianos Roma eijcere cœpit, multasque ecclesias eis adimere, illius ecclesiæ suscepit administrationem.

Quòd Roma hoc tempore ab Alarico deuastata,in barbarorum potestatem venerit. CAPVT X.

Roma à barbaris capta. Anno 414.

Alarichus.

Thessali Alaricho resistūt.

Vide Nicep. c. 37. lib. 14. Sozom. lib. 9. ca. 6. 7. 9.

SVb idem tempus Roma forte fortunà à barbaris capta fuit. Nam Alarichus quidam barbarus,fœdere cum Romanis iunctus,qui Theodosio Imperatori in bello contra tyrannum Eugenium administrato subsidio venerat, & propterea præclaris honoris insignibus à Romanis exornatus erat,cum secundum hunc & prosperum fortunæ flatum moderatè ferre non posset: tametsi ad Imperij gubernacula non aspirare contenderet, relicta tamen Constantinopoli, ad partes versus Occidentem proficisci maturat. Vbi venit in Illyricum,confestim vniuersam sibi subegit. Ei vetro iter longius facienti, Thessali circiter ostia Penei fluminis, vnde Nicopolim, vrbem Epiri,per montem Pindum iter est, restiterunt: factoque prælio, Thessali circiter tria homi-

A hominum milia trucidarunt. Postea barbari qui erant cum Alaricho agris vrbibusque, in quas fortè incidebant, vastatis, tandem Romam occuparunt. Quam etiam populati, multa insignia monumenta spectatu dignissima incendere, pecuniam ciuium vi rapere, cōplures ordinis Senatorij viros varijs supplicij generibus cruciatos interficere cœperunt. Alarichus autem, quò Imperij decus ludibrio exponeret, Imperatorem nomine Attalum declarauit: hunc ad vnum diem, velut Imperatorem satellitibus stipatum incedere, postridie serui habitu in publicum prodire iubet. His rebus confectis, Alarichus ilicò propterea fugam cepit, quòd fama de copijs Imperatoris Theodosij ad ipsum bello profligandum missis dissipata, terrorem eius animo incusserat. Neq; certè fama illa falsa commentitiáue fuit: sed reuera exercitus Imperatoris ad bellum contra eum gerendum maturauit. Ille igitur, cū famam illam ferre non posset, se, vt dixi, in fugam coniecit. Fertur, monachum quendam, virum pietate præstantem, ei Romam proficiscenti obuiam factum, admonuisse, ne ex tam atrocibus maleficijs, néue ex cæde & sanguine læticiam caperet. Cui respondet Alarichus: Ego inuito planè animo eò proficiscor. Sed est quidam, qui mihi quotidie exhibet molestiā, imò verò vi impellit, ficque me alloquitur: Iter capessito, vrbē Romam vastato. Hactenus de Alaricho dictum sit.

Attalus Imp. creatus.

Alarichi fuga.

Romam vastare diuinitus iubetur Alarichus.

De episcopis qui tum temporis Romæ præsidebant. CAP. XI.

Vide Nicc. c. 10. li. 14.

ECclesiæ Romanæ,post Innocentium,Zosimus ad biennium præfuit. Quo vita functo, Bonifacius tribus annis illam rexit ecclesiam: cui Celestinus successit. Hic Nouatianis, qui erant Romæ, ecclesias abstulit, & Rusticulam illorum episcopum clàm in ædibus conuentus agere coegit. Nam ad illud tempus Nouatiani Romæ admodum floruerant, plurimasq; ibi habuerant ecclesias, & ingentem populi multitudinem coegerant. Verùm grauis tum inuidiæ flamma contra eos incensa fuit, cum episcopatus Romanus non aliter atque Alexandrinus, quasi extra sacerdotij fines egressus, ad secularem principatum erat iam antè delapsus. Ac propterea episcopi illi, his, qui in fide Consubstantialis cum ipsis consentiebant, inque conuentus securè celebrandi potestatem minimè fecerunt: sed tametsi eos propter consensum fidei laudabant, tamen omnes suas fortunas illis abstulerunt. At Nouatianis, qui Constantinopoli habitabant, istud minimè contigit. Quippe episcopi Constantinopolitani, prę terquam quòd eos amplexabantur, in ciuitate præterea, † sicut antè pluribus declaraui, potestatem conuentus agendi permiserunt.

Zosimus Rom. episcopus. Celestinus Romæ episcopus. Rusticula.

† Curerius lib. 5. ca. 21. ex quo loco & huius lib. c. 7. item ij. 11. non nulli ij alijs loci conijciās. non frustra Nouatianum à Nicepho. rodici soeratem.

Episcopatus Rom. ad secularem principatum delapsus. Nouatianis Romæ & Constantinopoli non eadem libertas.

Vide Nicephor. cap. 33. lib. 14.

De Chrysantho Constantinopoli in Nouatianorum ecclesia episcopo. CAP. XII.

VBi Sisinius mortem obierat, Chrysanthus, filius Marciani, qui ante Sisinium episcopus Nouatianorum fuit, ad episcopatum illum capessendum vi quodammodo attractus est. Hic ab ineunte ferè ætate, in regia Imperatoris, sa. tellitis munus obijt: deinde Theodosio magno regnante, præfectus Italię designatus: postea vicarius Imperatoris in insulis Britannicis constitutus, in illarum administratione permagnam laudem consecutus est. Atque cum esset ætate paulò prouectior, Constantinopolim contendens, illiusque vrbis prefectus fieri laborans, inuitus ad episcopatus honorem elatus est. Nam quoniam Sisinius in ipso mortis articulo, illius, vtpote ad episcopatum gerendum idonei, mentionem fecerat, populus Nouatianorum vocem Sisinij pro lege ducens, inuitum illum episcopum deligere aggrediuntur. Verùm vbi Chrysanthus, ne illo munere fungeretur, se inde subduxisset: Sabbatius tempus opportunum, in quo ecclesiarum rectione potiretur, se reperisse arbitratus, iureiurando, quo se astrinxerat, penitùs neglecto, quosdam obscuros episcopos, qui ipsi manus imponerent, comparauit. Ex quorum numero fuit Hermogenes: qui ob libros suos plenos blasphemiæ, ab eodem Sabbatio antè excommunicatus fuerat. Verū tamen Sabbatij institutum non successit prosperè. Etenim populus, quoniam vitiosam & turpem eius ambitionem odio habebat (nam nullam non rationem indagasset, qua ad episcopatum posset arrepere) omni studio curaque ad Chrysanthum inuestigandum incubuit: quem cùm in Bithynia latitantem offendisset, vi inde abripuit, inque episcopatus gradu collocauit. Vir erat non prudentia solum, sed modestia præcæteris eximius: eius opera ecclesiæ Nouatianorum Constantinopoli confirmatæ amplificatæque fuerunt. Ille primus pauperibus de suis ipsius fortunis aurū distribuit. Ab ecclesijs nihil omnino accepit, præter duos panes benedictionis, singulis Dominicis diebus. Adeò in ecclesia sua administranda diligens fuit, vt tum Ablabium rhetorem, inter Nouatianos, qui de eius ecclesia erant, facilè disertissimum, ex schola Troili sophistæ prehenderet, presbyterijque gradu & ordine donaret. Huius Chrysanthi conciones

Vide Socr. supra lib. 9. cap. 20.

Chrysanthus Nouat. episc. successor Sisinnij.

Sabbatius dolo malo episcopatum nactus.

Hermogenis excommunicatio.

Chrysanthi virtutes.

Ablabius rhetor presbyter factus, & tandē episcopus. Chrysanthi conciones.

Universidad de Deusto
Biblioteca

extant & elegantes, & acutæ. Ablabius postea ecclesiæ Nouatianorum, quæ est Nicææ, A episcopus fuit creatus, ibique pariter Rhetoricam docuit.

De pugna quæ Alexandriæ inter Christianos & Iudæos suscepta est, & Cyrilli episcopi contra præfectum Orestem altercatione.

CAP. XIII.

Iudæi à Cyrillo Alexandria eiecti. Alexandrini seditionibus dediti.

EOdem tempore Iudæorum gens, à Cyrillo episcopo Alexandria hanc ob causam eiecta est. Populus Alexandrinus, præter cæteros, seditionibus delectatur: in quibus, si quando sit oblata illarum conflandarum occasio, scelera eduntur propè intolerabilia: quippe sine sanguine nunquam populi impetus sedatur. Id temporis tumultus, non de causa aliqua necessaria, sed de studio saltatores spectandi (quod malum per omnes ciuitates serpit) in ipsa multitudine fortè ciebatur. Nam die sabbati ingens turba ad quendam saltatorem spectandum confluxit. Et quoniam Iudæi, qui illo die feriantur, non legi audiendæ, sed spectaculis & ludis scenicis contemplandis totos se dedebant, dies ille populi factionibus inter se mutuò dimicandi causa extitit. Ac quanquam populi discordia à præfecto Alexandriæ quodammodo tum pacificata fuit: nihilominus tamen Iudæi, alteri populi factioni aduersarij esse non destiterunt. Atque tametsi Iudei Christianis erant semper infesti, tum tamen propter saltatores multo in eos infensiores facti sunt. Itaque cum Orestes præfectus Alexandriæ πολιτάρχ (sic enim publica præfecti edicta appellant Alexandrini) in theatro proponendam curaret, aderant etiam Cyrilli episcopi necessarij, vt edicta à præfecto publicata considerarent. Inter quos erat vir quidam nomine Hierax, humilioris literaturæ magister: qui attentissimus auditor episcopi Cyrilli fuit, & in concionibus eius plausum diligentissimè excitare consueuit. Hunc igitur Hieracem, vt primùm Iudæorum multitudo in theatro conspicata est, extemplò vociferari cœpit, eum ob nullam aliam causam ad theatrum accessisse, quàm vt populum ad seditionem concitaret. Orestes autem, etsi antè episcoporum potestas illi odio propterea fuerat, quòd per eos nonnihil de authoritate eorum qui ab Imperatore ad magistratus gerendos designati erant, ad modum detractum fuit: tamen tum vel maximè, quod Cyrillus videbatur in eius edicta curiosè inquirere. Proinde Hieracem palàm in theatro comprehensum, grauibus diuexauit supplicijs. Qua re intellecta, Cyrillus Iudæorum primarios accersit: illis, si non contra Christianos tumultus ciere desistant, debitas pœnas se irrogaturum minatur. At multitudo Iudæorum, cognitis episcopi minis, multo maiore iracundiæ æstu exardescere, machinasque ad Christianis nocendum excogitare cœpit: quas quidem præcipuam causam Iudæos Alexandria exturbandi fuisse, iam ostendam. Iudæi cum tesseram ipsi sibi dedissent, nimirum vt quisque annulum ex cortice palmæ confectum gestaret, nocturnam pugnam contra Christianos instituunt. Itaque nocte quadam per vniuersas vrbis regiones à quibusdam conclamandum curant, totam ecclesiam, Alexandri nomine nuncupatam, igne conflagrare. Quo audito, Christiani, alius aliunde, concurrunt, vt ecclesiam ab incendio liberent. Tum Iudæi protinus impetu in Christianos facto, eos trucidant. Atque vt à suis annulis demonstratis, manus abstinebant: sic Christianos, qui ipsis fortè obuiam facti erant, è medio tollebant. Vbi autem illuxit dies, sceleris auctores minimè obscuri & incogniti fuerunt. Qua de re Cyrillus grauiter commotus, cum ingenti manu ad Iudæorum synagogas (sic enim eorum templa vocantur) rectà pergit: & ex Iudæis nonnullos neci dat: alios expellit è ciuitate, eorumque fortunas à multitudine diripi permittit. Itaque Iudæi, qui vsque ab Alexandri Macedonis temporibus illam vrbem incoluerant, tum vniuersi inde eiecti, alij in alia loca dispersi vixerunt. Adamantius ex numero Iudæorum, qui medicinam docebat, Constantinopolim profectus, ad Atticum episcopum se contulit. Qui posteaquam Christianam religionem professus erat, Alexandriæ denuò habitauit. Orestes, illius vrbis præfectus, illud Cyrilli factum valde iniquo animo tulit: magnumque cepit dolorem, tam præclaram ciuitatem tanta hominum multitudine prorsus orbatam esse. Quamobrem ad Imperatorem de rebus ibi gestis refert. Cyrillus etiam Imperatori Iudæorum scelera per literas significat: & nihilominus tamen de amicitia concilianda (ad illud namque faciendum populus Alexandrinus illum impulerat) cum Oreste agit. Verùm vbi Orestes de amicitia ne audire quidem voluit, Cyrillus librum Euangeliorum (hunc enim illum reueriturum putauit) ei manu porrexit. At cum Orestis animus ne hoc modo quidem deliniri posset, sed inter eum & Cyrillum capitales inimicitiæ semper intercederent, hæc clades, quam deinceps commemorabo, inde consecuta est.

Vide Niceph. cap. 15. lib. 14.

Oreſtes præfectus Alexandriæ. πολιτάρχ

Hierax ludimagiſter.

Iudæorum teſſera, & contra Chriſtianos nocturna pugna.

Synagogæ Iudæorum.

Adamantius medicus.

Inter Oreſtem & Cyrillum capitalis inimicitia.

Quòd

A *Quòd monachi qui Nytræ conueniebant, Alexandriam Cyrilli causa descendentes, turbas contra præfectum Orestem concitarunt.* CAP. XIIII.

Vide Niceph. ca. 15. li. 14. Socrat. supra lib. 6. cap. 7.

NOnnulli ex Monachis qui Nytram montem accolebant, ingenio feruentiore præditi, sicut iampridē idē ipsum declararunt, exorsi à Theophili temporibus, quando erant ab illo contra Dioscorum & eius fratres iniquè armati: sic id temporis quoque æmulationis ardore inflammati, prompto & alacri animo pro Cyrillo dimicare constituerunt. Itaque viri ad quingentos numero ex monasterijs egressi, vrbem Alexandriam contendere, præfectū rheda circumuectum obseruare, eum adire, sacrificum, gentilem, & alijs compluribus contumelijs nominibus appellare cœperunt. Ille suspicatus sibi à Cyrillo insidias collocatas esse, exclamare se Christianum esse, & ab Attico episcopo Constantinopoli baptizatum. Verùm vbi monachi eius verba videbantur contemnere, vnus fortè ex illorum numero, nomine Ammonius, caput præfecti lapide percutere. Præfectus illo vulnere inflicto totus sanguine manare, quapropter præfecti apparitores, exceptis paucis, omnes se clàm inde subducere, aliùs aliò se in multitudinem abdere, præcauentes ne lapidum iactu interimantur. Interim populus Alexandrinus frequens eò confluere, monachos præfecti causa animo prompto vlcisci: quos omnes præter Ammonium in fugam vertunt. Illum ad præfectum deducere. Præfectus palàm, vti leges postulant, de eo quæstionem exercere, tormentis tantisper afflictare, dum extremum spiritum edit. Quæ res non diu post ad Imperatorum aures perlata est. Quinetiam Cyrillus eandem rem illis, sed secus expositam omnino per literas significauit. Corpus quoque Ammonij capit, inque ecclesia quadam recondit: at non Ammonij, sed Thamnasij nomine nuncupauit. Et cum in ecclesia magnitudinem animi illius, vtpote graue certamen pro pietate perpessi, laude & prædicatione extulisset, iussit martyrem appellari. Verùm qui modestiores erant, etiam ex ipsis Christianis, Cyrilli studium erga Ammonium minimè approbarūt. Nam exploratum habebant, Ammonium non in tormentis interijsse, ne Christum denegare cogeretur: sed temeritatis suæ pœnas dedisse. Quocirca Cyrillus ipse illud ipsius facinus silentio in obliuionem pedetentim venire passus est. At ne adhuc quidem acerba illa inter Cyrillum & Orestem suscepta contentio sedata est: quippe alia clades huic non dissimilis, quam sum iam narraturus, eam renouauit.

Monachi pro Cyrillo dimicant, anno 418.

Oreſtes lapide à monachis petitus.

Ammonius.

Ammonij interitus.

Thamnaſius martyr appellatus.

B *De Hypatia, eminentissima in philosophia fœmina.* CAP. XV.

Vide Niceph. cap. 16. lib. 14.

MVlier quædam erat Alexandriæ Hypatia vocata, filia Theonis philosophi. Hæc tantos in literis fecit progressus, vt omnes philosophos sui temporis longè superaret: ac non modò in scholam Platonicā à Plotino deductam succederet, verumetiam omnes philosophorum omnium præceptiones & disciplinas, omnibus qui eam audire volebant, explicaret. Quapropter quotquot philosophiæ studio incendebantur, vndique ad illam confluebant. Quinetiā propter grauem animi fidentiam, quam ex doctrinæ fontibus hauserat, etiam in conspectum principum, summa cum modestia venire non dubitauit. Neque illam pudebat, in mediam hominum frequentiam prodire. Omnes enim eam, ob singularem animi moderationem, cum reuerentia quadam & venerabantur, & suspiciebant. Itaque inuidiæ flamma tum contra eam incensa est. Etenim cum crebrius cum Oreste in colloquium veniret, populus ecclesiæ illam cœpit insimulare, quòd episcopo ad amicitiam Orestis reconciliandam aditum penitùs intercludebat. Proinde certi homines, qui erant naturā paulo feruentiores, quibus Petrus lector in illa ecclesia ducem se præbuit, vno consensu mulierem domum alicunde redeuntem obseruant, decurru quo vehebatur deturbant: ad ecclesiam, quæ Cæsareum dicitur, rapiunt: exutamque vestibus, testis acutis ad necem vsque dilacerant, eius membra discerpunt, discerptaque ad locum qui Cinaron dicitur, comportant, atque igni comburunt. Hoc facinus cùm Cyrillo, tum ecclesiæ Alexandrinæ non exiguam labem aspersit infamiæ. Nam qui religionem Christianam profitentur, à cæde, pugnis, & id genus alijs, omnino alieni esse debent. Hæ res gestæ sunt quarto anno episcopatus Cyrilli, ad decimum consulatum Honorij & Theodosij septimum, mense Martio, cum obseruabantur ieiunia.

Hypatia. Theonis F. philoſopha.

Hypatiæ virtus & eruditio.

Hypatiæ interitus, anno 410.

Chriſtianos à pugnis alienos eſſe debere.

Vide Niceph. cap. 16. lib. 14. Vide ſupra hic cap. 13.

Quòd Iudæi bellum contra Chriſtianos rurſus inſtaurantes, facti ſui pœnas luerent. CAP. XVI.

REui tempore post, Iudæi pro scelere nefario rursus contra Christianos ab ipsis admisso pœnas persoluerunt, in loco quodam Chalcidē & Antiochiam interiacente, qui Inmestar dicitur. Iudæi, cum more suo ludos facerent, & inter ludendum multa absurda admitterent: tandem præ ebrietate è mentis potestate egressi, non Christianos solum, verùm etiam ipsum Christum in ludis suis contumelia affi-

Meſter, ſic leg. Niceph. lib. 14. ca. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cere cœperunt: crucem etiam, eosque qui in crucifixo spem ponunt, habere ludibrio: A
Iudæorum fa cinus, & pœna. & propterea tale quoddam facinus moliri. Puerum scilicet Christianum comprehendere, cruci alligare, in sublime suspendere. Quo facto, primũ irrisione illudere, cachinnos in eum tollere: post paulo, insania correpti, illum vsqueeò verberibus cædere aggrediuntur, quoad præ cruciatu vitam amittat. Hac de causa, grauis inter eos & Christianos concertatio oritur. Quinetiam Imperatores de facinore certiores fiunt: qui per literas prouinciæ illius magistratibus significant, vt facinoris authores & conquirendos curarent, & debitis supplicijs coercendos. Itaque Iudæi qui ibi habitabant, pro scelere quod ioco conscierant, seriò pœnas luerunt.

De Paulo Nouatianorum episcopo, ac incredibili ab eo edito miraculo, quando impostorem Iudæum sacrosancto lauacro tingeret. CAP. XVII.

Chrysanthi obitus anno Christi 423. PEr idem tempus Chrysanthus Nouatianorum episcopus, cum septem annos ecclesias sibi cõcreditas administrasset, excessit è vita, Monaxia & Plintha coss. 13. Calend. Septembris. Quo mortuo, Paulus eum episcopatũ obtinuit, qui iampridem Latinas literas docuisset ille quidem: sed postea illo studij genere penitùs derelicto, se ad vitam monasticã contulisset. Monasterium autem ex viris virtutis studiosis instituit, quòd à monasterijs monachorum in solitudine vitam degẽtium, nihil discrepare videbatur. Talem enim eum fuisse, ipse equidem expertus sum, quales monachos in solitudine abditos debere esse docet Euagrius. Nam illius præcepta omnino imitatus, continuis ieiunijs se dedere, pauca loqui, ab animantium comestura abstinere solet: non rarò etiam à vino & oleo. Porrò autem ad pauperes subleuandos, studio præter cæteros incumbere, homines in carceribus conclusos assiduè inuisere: pro multis eiusmodi calamitatibus afflictatis magistratus obsecrare: qui quidem propter eximiam pietatem, quę in eius animo insidebat, eius postulationi alacri animo morem gesserunt. Verùm quid attinet eius virtutes longo sermone persequi? Vnam rem solum ab eo gestam, dignam planè quæ literarum monumentis commendetur, iam dicturus venio. Iudæus quidam veterator, Christianam fidem simulans, sæpius baptisatus fuit: per quam fallaciã multas corrasit pecunias. Postquam autem multos ex varijs sectis homines (Arianorum enim & Macedonianorũ baptismũ receperat) dolo ludificatus, non habebat amplius quibus imponeret, tandem ad Paulum Nouatianorum episcopum venit: ait se magna cupiditate baptismatis recipiendi flagrare, per eius manum vt illud assequatur orat. Paulus eius probat institutũ: verùm se non prius baptismum illi daturum ait, quàm sit fidei articulis institutus, diesq; complures ieiunijs vacauerit. Iudæus contra voluntatem ieiunare coactus, acriter instare, vti baptismo donetur. Paulus quoniam illum tam obnixè baptismum petentem mora nolebat offendere, parat res ad baptismum necessarias. Cumque vestem splendidã pro illo emisset, & alueum baptisterij aqua impleri iussisset, Iudæum eò deduxit, vt illi baptismum impertiret. Verùm aqua vniuersa, diuina quadam virtute, quæ oculis cerni percipiue non poterat, subitò exhausta est. Ac cum neque episcopus, neque alij qui aderant, accuratè considerarent qua ratione id accidisset: sed aquam per foramen quod in imo alueo fuit (per quod etiam aliàs aquam solebant educere) effluxisse existimarẽt, alueum baptisterij de integro, foraminibus vndique in eo firmè obturatis, diligẽter implent. Ac cum Iudæus esset secundò ad alueum baptisterij deductus, aqua rursus penitus euanuit. Itaque tum Paulus, O homo, inquit, aut veteratoris partes agis, aut baptismum ignorans recepisti. Quare vbi ob miraculum à multis eò concursum erat, fortè quidam Iudæum de facie nouit, eumque ab Attico episcopo baptizatum viderat. Hoc miraculum per Paulum Nouatianorum episcopum editum fuit.

Paulus episc. monasterium instituit.

Pauli virtutes

Iudæus sæpe baptisatus.

Iudæus cõtra voluntatem ieiunare cogitur.

Baptismi aqua disparet

Vide Nicephor. cap. 17. lib. 14.

Quòd Isdigerde Persarum rege defuncto, fœdera inter Romanos & Persas rupta fuerunt, & ciuitas Persis superatis effecta fortis. CAP. XVIII.

Baratanes Christianos acerbè exagitat. ISdigerde rege Persarum, qui Christianos Persidem incolentes minimè fuerat persecutus, mortuo, Baratanes eius filius, susceptis regni gubernaculis, à Magis ad eam rem impulsus, Christianos acerbè exagitare, cruciatus & tormenta varia Persarum more illis infligere. Itaque Christiani, qui inter Persas habitabant, necessitate coacti, ad Romanos confugere: orare, ne illos tam miserè opprimi patiantur. Atticus episcopus, illos supplices benignè excipere: omnem suam curam & cogitationem ad opem illis ferendam conuertere: Imperatori Theodosio rem palàm facere. Eodem tempore aliam etiam ob causam Romani fortè aduersus Persas animo infenso fuerunt. Nam Persæ quidẽ, & fossores quos à Romanis ad auri venas excidẽdas

Romani aduersus Persas animo infenso fuerunt.

Vide Nicephor. ca. 19. 20. 21. lib. 14. Sozom. li. 9. cap. 4. Et Socrat. supra ca. 8.

A mercede conduxerant, noluerunt illis reddere, & merces Romanis mercatoribus abstulerunt. Quam offensionem vehementer auxit Christianorum ad Romanos profugium. Nam rex Persarum ilico mittit legatos, qui illos vt fugitiuos repetant. Romani autem eos qui auxilij causa ad ipsos confugerant, nequaquam reddiderunt: imò verò non solum eos vt supplices conseruare animo instituerunt, verùm etiam omnibus opibus viribusque ad religionem Christianam propugnandam eniti parati fuerunt. Quapropter cum Persis bellum gerere, quàm pati, Christianos tam miserè perire, maluerunt. Ruptis igitur fœderibus bellum grauissimum inter eos cietur: de quo non erit (meà quidem sententia) incommodum, pauca obiter disserere. Imperator Romanus primus exercitum, quem Ardaburius ductabat, contra Persas seorsim mittit: qui per Armeniam in Persidem irruptione facta, prouinciam quæ Azazena dicitur, vastat. Narsæus regis Persarum dux, illi cum copijs Persicis prodit obuiam: prælium committitur: victus Narsæus, fugam capessit. Postea vbi commodum sibi putauit, per Mesopotamiam in fines Romanorum, nullis tum præsidijs munitos, de improuiso incursionem facere, atque eo pacto Romanos vlcisci. Consilium Narsęi, duci Romani exercitus minimè obscurum fuit: & propterea Azazena ocyus direpta, ille etiam in Mesopotamiam ire maturat. Quare Narsæus, etsi ingentem exercitum collegerat, non tamen in fines Romanorum potuit inuadere. Vbi autem Nizibim venit (est hæc quidem sita inter fines Romanorum & Persarum, ditioni tamen Persarum subiecta) inde Ardaburio significat, se velle cum eo de bello gerendo conuenire, locumque & tempus prælio præstituere. Ardaburius illis qui ad hæc significanda venerant, respondit: Hæc meis verbis nunciate Narsæo: Non quando tu voles, Imperatores Romani sunt bellum gesturi. Itaque simulatque Imperator Romanus intellexerat, Persam maximas copias contra ipsum comparasse: spe tota belli administrandi in Deo collocata, maximum exercitum ex aduerso misit. Imperatorem autem summum protinus à Deo beneficium accepisse, quòd eius ope confidebat, ex hoc perspicuum esse poterit. Cum enim Constantinopolitani anxio & solicito animo essent, & propter incertam belli fortunam ancipiti cura distracti: angeli Dei in Bithynia nonnullis, quos negocia necessaria Constantinopolim ire cogebant, apparentes, iubent renunciare Constantinopolitanis, vt bono animo sint, precibus se dedant, & firmam in Deo spem ponant, Romanos victores fore. Se enim administratores belli à Deo missos dicebant. Quo audito, non solum ciuitas confirmata fuit, verùm etiam militum animi multo ad bellum facti alacriores. Vbi bellum, vti docuimus erat ex Armenia in Mesopotamiam translatum, Romani Persas in vrbem Nisebenorum conclusos obsidione cingunt: turresque ex ligno fabricatas, quæ machina quadam voluebantur, mœnibus admouent: multos qui ex mœnibus pugnare, eaque defendere nitebantur, trucidant. Baratanes igitur rex Persarum certior factus, tum regionem Azazenorum vastatam, tum suos milites qui erant in vrbe Nisebenorum conclusi, à Romanis obsessos, ipse cum omnibus suis copijs contra Romanos ire constituit. At quoniam Romanorum exercitum vehementer formidabat, auxilium postulat à Saracenis: quibus id temporis præfuit Alamundarus, vir excelso animo & bellicoso: qui infinita Saracenorum manu secum adducta, regem Persarum confidere iubet. Quinetiam pollicetur, neque id adeò multo post, illi non solum subacturum Romanos, sed Antiochiam, quæ est in Syria, traditurum. Verùm eius promissio non successit ex sententia. nam Deus adeò ingentem Saracenis incussit terrorem, vt Romanorum copias in ipsos derepentè irruisse existimarent: atque cum inter ipsos tumultuarentur, & non haberent quò aufugerent, ipsi se armatos præcipitarunt in fluuium Euphratem, in quo homines circiter centum milia submersi perierunt. Sic cum Saracenorum copijs actum est. Romani, qui Nisibim obsidebant, vbi acceperant, regem Persarum ingentem numerum elephantorum cõtra ipsos ducere, ea re supra modum exterriti, omnibus machinis, quibus in obsidione illa vsi fuissent, incensis, in ipsorum fines regressi sunt. Quæ autem prælia postea commissa: & quemadmodum Areobindus, alter Romanorum dux, Persam quendam longè fortissimum singulari certamine interemerit: & qua ratione Ardaburius septem nobiles Persarum duces per insidias occiderit: & quo pacto Vitianus alius etiam dux Romanorum, reliquas Saracenorum copias profligarit: à me certè, ne nimis longè ab instituto deflectere videar, silentio debere præteriri censeo.

Ardaburius Azazenæ vastatio.

Narsei fuga.

Nizibis.

Angelorum de Constantinopolitanis cura.

Persæ à Romanis obsidione cinguntur.

Alamũdarus.

Saracenorum interitus.

De Palladio cursore, & eius celeritate. CAP. XIX.

Vide Nicephor. c. 21. lib. 14. HAE res gestæ Imperatori Theodosio fuerunt celeriter nunciatæ. Cæterùm, qua ratione res in locis tam longinquis gestas tam citò intellexerit, hoc loco expli-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Palladius cursor.

cabo. Virumquendam habuit nomine Palladium,& animi viribus multum pollen- A tem,& corporis. Hic celeriter equitando tantum poterat,vt ad loca, quibus fines imperij Romanorum & Persarum terminabantur,tridui spacio contenderet, & rursus diebus totidem Constantinopolim reuerteretur. Quinetiam iste vniuersas orbis partes,ad quas Imperator illum aliquando mittebat,celerrimè peragrauit:adeò vt aliquando dissertus quidam vir de eo sic prædicaret: Hic vir Romanum imperium, quod latissimè patet,peranguſtum esse sua celeritate demonstrat. Quæ cum rex Persarum de eo audiuisset,præ admiratione propè obstupuit. At de Palladio hæc dixisse sat est.

Quomodo rursus Persæ à Romanis penitùs protriti fuerunt. CAP. XX.

Helion.

IMperator Romanus Constantinopoli commoratus,certiorq; de victoria tam manifestò sibi oblata factus, adeò bonitate præstabat,vt quãuis ipsius milites tam prosperè ac feliciter rem gessissent,tamen pacem lubens amplexatus sit. Itaque Helione, quem plurimi faciebat,ad Persas misso, cum illis pacem constituere mandat. Helion cum venisset in Mesopotamiã ad eum locum, vbi Romani fossam qua seipsos munirent,fecissent: Maximinum,virum illustrem,ducis Ardaburij collegam,legatum de pace facienda misit. Qui cum ad regẽ Persarum veniret,dixit se non ab imperatore Romano, sed ab illius ducibus, de pacis fœderibus feriendis missum esse. Imperatorem enim illius belli ignarũ esse: quod quidem si fortè illi nunciatum esset,parui momenti æstimaturum. Cum Persa autẽ illam legationem lubens accipere constituisset (eius namque exercitus erat fame propè confectus) milites,qui apud illos Immortales vocantur (numerus istorum ad decem milia hominum fortissimorum fuit) suadent regi, vt non prius pacem amplecteretur, quàm ipsi impetum in Romanos,iam quasi imparatos,fecissent. Quorum consilio rex morẽ gerit,legatumque interim tradit in custodiam: Immortales illos, ad insidias Romanis faciendas mittit. Illi iter capiunt,atque in duo agmina partiti,partem aliquam Romanorum circumfundere statuunt. Romani vnum agmen solum Persarum conspicientes,eos adoriri parant: alterum nondum illis comparuit, quippe ex improuiso in Romanos irruptionem fecit. Verùm cum prælio iam certandum esset, dux quidam Romanus à Procopio duce ad eam rem designatus, diuina prouidentia ex colle despicies, cum videret socios in graue discrimen venturos, Persas à tergo adoritur: & qui paulo antè Romanos circumsederant,illi ipsi iam circumsessi tenebantur. Itaque Romani vt primùm istos omnes exiguo temporis spacio prostrauerant,se conuerterunt ad eos qui ex insidijs ipsos inuasissent, vniuersosque similiter telis cõfecerunt. Quocirca, qui apud Persas appellantur Immortales, ad hunc modum mortales sunt declarati: Christusq; debitum de Persis propterea sumpsit supplicium, quòd multos pios viros,qui eum sanctè coluerant,è medio sustulissent. Rex Persarum hac clade cognita,simulat se rerum gestarum omnino ignarum esse: legationem recipit, legatumque sic affatur: Non Romanis cedens, pacem iam amplector: sed quò tibi, quem omnium Romanorum facilè prudentissimum comperi, rem gratam faciam. Quocirca, hoc pacto nõ modò bellum, quod propter Christianos in Perside gestum erat duobus Augustis,* Honorio decimũ tertiùm,& Theodosio decimùm coss. restinctum: verumetiam persecutionis procella contra Christianos ibidem concitata, penitùs repressa, tranquillataque fuit.

Vide Nicephor. cap. 21. li. 14.

Maximinus Ardaburij collega.

Immortales milites omnes Persi.

Persarum supplicium.

* Anno trecentesimæ olympiadis quarto

Acacij Amidæ episcopi, in Persarum captiuos benignitas. CAP. XXI.

Acacij facinus præclarũ.

ACacius Amidæ episcopus, ob facinus quoddam præclarum, per id tẽpus ab ipso gestum, vehementer ab omnibus celebratus fuit. Cum Romani milites illos Persas quos in depopulanda Azazena captiuos ceperant, nullo modo regi Persarum reddere in animum inducerent: captiui, qui erant numero circiter septem milia (quæ res animum regis Persarum non parum diuexauit) fame propemodum absumti sunt. Acacius igitur, hanc militum miseriam minimè neglexit: sed conuocatis suis clericis, sic eos alloquitur: Deus noster neque lancibus neque poculis eget. Nam nec comedit, nec bibit, quippe qui his rebus minimè opus habeat. Quare cum ecclesia multa monumenta aurea argenteaque ex propensa fidelium in eã benignitate possideat: consentaneum est, hisce rebus milites captiuos & è custodia liberare, & fame propè enectos reficere, sustentareque. Vbi hæc aliaque id genus oratione percurrerat, monumenta ecclesiæ conflanda curauit, vendidit, preciaque partim militibus pro captiuis redimendis dedit, partim ad eorum famem subleuandam impendit, Postremò viatico illis suppeditato, ad suum ipsorum regem remisit. Hæc res ab eximio illo viro Acacio gesta, regi Persarum maximam fecit miratione, quòd Romani his rebus vtrisque & bello & beneficijs hostes vincere laborabant. Fertur præterea, tum regem Persarum magno desiderio

Vide Nicephor. cap. 22. lib. 14.

A derio Acacij videndi flagrasse, quo hominis aspectu frueretur: tum Theodosium Imperatorem Acacio præcepisse, vt regis desiderio satisfaceret. Cùm igitur tam præclara victoria diuinitùs esset donata, multi scriptores admodum eloquentes, laudes Imperatoris, quo eius nomen illustrarent, scriptis mandarunt, & in vulgus easdem ediderunt. Quinetiam ipsa Imperatrix, mulier diserta, filia Leontij sophistæ Athenien sis, à patre erudita, & in omni literarum genere probè instituta, poema de eodem argumento Heroico carmine conscripsit. Hanc cum Imperator vxorem duceret, Atticus episcopus, qui eam Christianam efficiebat, inter baptizandum pro Athenaide Eudociam nominauit.

Panegyricus in Theodosij laudem.

Eudocia Imperatrix.

Vide Nicephor. cap. 23. lib. 14.

Mutatio nominis in baptismo. vide Canonem Concilij Nicen 3o. & ibi Franciscũ Turr. Vide Nice. cap. 24 li. 14.

De Theodosij iunioris virtutibus. CAP. XXII.

QVanquam multi scriptores, vti dixi, Imperatoris laudes orationibus prædicarunt, quorum alij eo pacto in eius noticiam venire studebant: alij cupiebant suam in dicendo facultatem inde vulgo perspectam & cognitam, atque adeò doctrinam, quam multis vigilijs consecuti fuerant, in obscuro latêre nolebant: ego tamen, qui neque Imperatori notus esse laboro, neque doctrinæ meæ specimen vulgo dare cupio, virtutes Imperatoris, omnibus orationis ornamentis detractis, verè commemorare in animum induxi. Nam eas silentio præterire, cum tam eximia, tamque fructuosa ad vitam rectè degendam exempla contineant, non parum, mea quidem sententia, posteritati incommodaret. Primùm, tametsi in ipsa regia natus educatusque erat, nihil tamen ex illa educatione omnino contraxit molliciæ tarditatisve: sed adeò solers & prudens fuit, vt illis qui cum eo sermones cõferebant, multarum rerum experientiam consecutus videretur. Deinde tanta corporis & animi tolerantia fuit, vt tum algorem æstumque forti & virili animo sustineret, tum crebrò ieiunaret, & maximè diebus Mercurij & Veneris, quas Græci τεσσαρας καὶ παρασκευὰς ἡμέρας vocant. Atque hoc ab eo factitum fuit, dum Christianam viuendi rationem cumulatissimè explere contenderet. Eius regia non dissimilis fuit monasterio. Nam primo diluculo ille ipse cũ sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitauit. Quinetiam Sacras literas memoriter pronũciauit. nam cum episcopis, perinde ac si sacerdos iam olim designatus fuisset, de eisdem disseruit. Libros etiam, tum, qui sacra Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorundem interpretibus conscripti erant, multo diligentius quàm Ptolemæus Philàdelphus olim in vnum colligendos curauit. Porrò autem patientia & mãsuetudine omnes longè superauit. Nam Imperator Iulianus, quanquam studium philosophię profitebatur, tamen odium, quod contra eos, qui Antiochiæ eius nomen perstrinxerant, minimè compressit: sed Theodoro vni ex illorum numero grauissima tormenta imposuit. At Theodosius subtilitate ratiocinationum Aristotelicarum penitùs derelicta, philosophiæ studium rectis vitæ officijs sedulò excoluit. Iram cohibere didicit, dolorem toleranter ferre, neminem qui illum iniuria affecerat, vlcisci: imò verò nemo vnquam illum ira incensum aspexit. Itemque cuidam ex necessarijs aliquando scisciranti, cur neminem, qui illi intulisset iniuriam, morte aliquando multasset? sic respondit: Vtinam potius mihi potestas esset, eos qui mortui sunt, ad vitam denuò reuocandi. Alteri etiam de eadem re interroganti, dixit: Non magna res est, neque ardua, vt qui homo fit, mortem oppetat: sed cum qui semel obierit, nemo omnino, licet se de eius morte maximè pœniteat, nisi solus Deus possit ad vitam reuocare. Adeò firmè istud ipsum ab eo obseruatũ fuit, vt si quisquam crimen, quod esset capitis supplicio multandum, aliquando commisisset, ne ad portas vsque ciuitatis, versus locum vbi mortis subiret supplicium, abduci passus est, quin misericordia commotus illum reuocarit. Accedit eò, quòd cum Constantinopoli in amphitheatro pugnas cum bestijs quodam tempore pro spectaculo ederet, populusque sublato clamore postularet, vt aliquis ex eorum numero, quorum insigniter eminebat audacia, cum fera bestia decertaret: respondit, An non exploratè cognitum habetis, nos ita assuefactos esse, vt nulla crudelia spectacula contemplari possimus? Quæ cum populus ex eius ore audiuisset, de reliquo à crudelibus spectaculis abstinere didicit. Quinetiam adeò pius fuit, vt omnes Dei sacerdotes honorificè coleret: eosque potissimùm, quos intellexerat pietate in primis excellere. Fertur præterea saccum, quo episcopus Chebrorum, qui Constantinopoli mortem obijt, indutus erat, quæsiuisse, eumque quantumuis sordidatum induisse: persuasum nimirum, se aliquid ex mortui sanctimonia inde percepturum. Quodam anni tempore procelloso admodum & turbido, consueta statutaq; spectacula, populo ea flagitante, in circo edidit. Vbi autem circus hominibus refertus fuit, tempestas cœpit esse vehemẽtior. Ac cũ magna vis niuis præceps delaberetur, tũ Imperator

Theodosij virtutes.

Theodosij regia monasterio similis.

Theodosij mansuetudo.

Theodosij pietas.

perspicuè declarauit, quo animo erga Deum affectus esset. sic enim populum per præ- A
cones compellauit: Quin multo satius est, vt neglecto spectaculo omnes vno ore Deum precemur, vti ab imminente procella conseruemur incolumes. Vix hæc verba protulerat, cum omnes in circo, vno animorum consensu, summaque cum alacritate Deo preces fundere cœperũt: totaque ciuitas quasi vna ecclesia fuit. Tum Imperator in media populi frequentia, priuati hominis habitu incedens, hymnos recitare exorditur: nec spes certè illum frustrata est. Nam aer serenus factus est: & annonæ charitas, Dei benignitate in omnium rerum affluentiam commutata. Si quando bellum concitabatur, Dauidis exemplum imitatus, ad Deum confugit: pro certo persuasus, eum bellorum administratorem esse: precumque subsidio adiutus, ea prosperè & feliciter gessit.

De Ioanne, qui mortuo Imperatore Honorio, tyrannidem Romæ exercuit: & quo pacto Deus precibus Theodosij inclinatus, illum in exercitus Romani manus tradiderit.

CAP. XXIII.

Honorius Imp. moritur anno 426.

OCloco igitur, qua ratione paulo post bellum cum Persis gestum, Honorio mortuo, Asclepiodoto & Mariano coss. ad decimumoctauum Calend. Septembris, ope diuina nixus * Ioannem tyrannum profligarit, commemorabo. Res namque id temporis gestæ, sunt dignæ (meo quidem iudicio) quę memoriæ posterorum commendentur. Nam quæ res Hebræis, Moyse duce, marę rubrum traijcientibus: eædem etiam Imperatoris ducibus, cum eos contra tyrannum mitteret, acciderũt. quarum quidem summam ego paucis complectar: vberiorem autem earum explicationem, quoniam separata tractatione eget, alijs persequendam relinquam. Quanquam Theodosius Imperator de morte Imperatoris Honorij certior factus erat, eam tamen alios celauit: aliaque causa aliàs cõmemorata, de ea re complures fefellit. Mittit etiam clàm militem Salonas, vrbem Dalmatiæ, vt si quis in partibus versus Occidentem forte nouis rebus studeret, præstò essent qui eius conatus reprimerent. Quibus rebus ita comparatis, tandem mortem auunculi omnibus planam facit. Interea temporis Ioannes, qui inter scribas Imperatoris principem locum obtinuit, cum prosperum suæ fortunæ cursum moderatè ferre non posset, Imperium arripit: legatosque ad Imperatorẽ Theodosium mittit, per quos postulat, vt Imperator declaretur. Theodosius legatis eius in B
custodiam traditis, ducem Ardaburium, qui in bello Persico res planè maximas confecisset, ad Ioannem mittit. Ille cum Salonas venisset, inde transmittit in Aquileiam: casuque aduerso, vti putabatur, vsus est. Casus autem hic fuit, qui deinceps sequitur. Dum nauigabat, vento aduerso flante, in manus tyranni delatus est: qui illo comprehenso, spem concepit, Theodosium necessitate compulsum fore, modò ducem suum Ardaburium saluum vellet, vti ipsum crearet declararetque Imperatorem. His auditis, & Theodosius ipse, & exercitus etiam contra tyrannum missus, anxio & solicito animo fuit, ne quid mali Ardaburius à tyranno perpeteretur. Aspar igitur filius Ardaburij, cum & patrem à tyranno comprehensum, & infinitas barbarorum copias ad auxilia tyranno ferenda accessisse certior factus esset, omnino incertus animi erat, quid ageret. Itaque preces pij Imperatoris illo tempore rursus plurimum momenti habuisse constabat. Nam angelus Dei in habitu & forma pastoris, ducem itineris Aspari se præbuit: & per stagnum Rauennę adiacens (in ea namque ciuitate tyrãnus commoratus, ducem Ardaburium tenuit) copias eius deduxit: qua via nemo vnquam iter fecisse commoratur. Deus igitur, quà transiri non poterat, transitum Aspari patefecit. Ille tum copijs per stagnum, cuius aqua diuina ope penitùs exhausta fuit, traductis, portas ciuitatis, quas apertas offendit, ingressus, tyrannum opprimit. Quo tempore etiam Imperator sanctissimus (cui ludos Circenses peragenti significatum est, tyrannum è medio sublatum esse) suam eximiam erga Deum pietatem perspicuè declarauit. Sic enim populum affatur: Relictis his oblectamentis, huc potius, si videtur, nos referamus: ad ecclesiã profecti, preces Deo, quibus illi pro tyranno ipsius manu occiso agamus gratias, piè fundamus. Quæ cum dixisset, non modò spectaculis finis impositus fuit: verũ etiam omnes, illis neglectis, per medium circum vna voce gratiarum actionem pariter cum Imperatore decantantes iuerunt, rectaque ad Ecclesiam Dei contenderunt: ibiq; totum diem commorati sunt, & ciuitas vniuersa instar vnius fuit ecclesiæ.

Vide Nicephor. cap. 36. lib. 14. Euagrium lib. 1. cap. 5.

Salonæ.

Ioannes imperium affectat

Ardaburij casus.

Aspar Ardaburi F.

Aspari Deus transitum patefecit.

Quòd Ioanne tyranno è medio sublato, Theodosius Imperator Valentinianum, Constantio & Placidiæ matertera sua prognatum, Imperatorem Romæ renunciauit. CAP. XXIIII.

Valentinianus Theodosij consobrinus, Occidentis Imp.

TYranno iam è medio sublato, Theodosius animo agitare cœpit, quem partium versus Occidentem Imperatorem declararet. Erat ei consobrinus nomine Va- Vide Nicephor. cap. 36. lib. 14.

Impp. Anno 427.

lentinianus, admodum adolescens, ex Placidia matertera sua natus, quæ filia fuit magni Theodosij Imperatoris, soror Augustorum Arcadij & Honorij. Constantius autem, qui ab Honorio Imperator declaratus est, cumque illo ad exiguum tempus imperio functus, mortem obijt, pater Valentiniani fuit. Theodosius hunc suum consobrinum Cæsarem renunciatum, ad partes Occidentis misit, rerum administratione matri Placidiæ concredita. Postea dum ille ipse in Italiam iter facere maturabat, vt consobrinum declararet Imperatorem, suaque prudentia Italos, ne tyrannis facile obsecundarent, coràm erudiret, Thessalonicam profectus, morbo, ne longius iret, præpeditus fuit. Per Helionem igitur patricium corona Imperatoria ad consobrinum missa, ille ipse Constantinopolim reuertitur. Sed de his satis multa videmur commemorasse.

Placidiæ.

Constantij obitus.

Helion coronam Imp. Valentiniano adfert.

De Attico, quomodo ecclesias rexerit: & quòd Ioannis nomen ecclesiæ tabulis fecit inscribi: tum autem mortem suam præsciuit.

CAPVT XXV.

Vide Nicephor. cap. 24. 25. 26. 27. 28. lib. 14. Vide Socr. supra hoc lib. cap. 2. & lib. 6. c. 18. Sozomen. lib. 8. ca. 27.

ATticus episcopus mirum quantum rebus ecclesiæ dederit incrementi: quippe tum eas prudentia administrauit, tum populum doctrina ad virtutem studiosè cohortatus est. Qui cum videret ecclesiam propterea diuisam esse, quòd Ioannitæ extra illam conuentus agebant, præcepit vt de Ioanne, sicut de alijs episcopis mortuis solet, in precibus mentio fieret. Nam ea ratione complures eorum ad ecclesiam redituros sperauit. Porrò ad dandum adeò propensus fuit, vt non modò pauperibus, qui in ipsius ecclesijs erant, diligenter prospiceret: verùm etiam vicinis ciuitatibus pecuniam mitteret, qua egentium leuarctur inopia. Nam Calliopio ecclesiæ Nicænæ presbytero misit trecentos aureos, simulque literas dedit in hanc sententiam: Calliopio Atticus in Domino salutem. Certior equidem factus sum, infinitos in vestra vrbe fame opprimi, piorumque egere eleemosyna. Cum infinitos dico, intelligo multitudinem, cuius certum numerum ostendere nequeo. Quoniam igitur numerum pecuniæ ipse ab eo accepi, qui diuitias largè & quasi plena manu, ijs B qui eas probè administrant, suppeditat: vsuque venit, vt nonnulli egestate premantur, quò alij qui opes habent, easque minimè istis largiuntur, penitùs explorati sint: tu frater charissime, istos trecentos aureos à me accipe, eosque in pauperes, vti volueris, impende. Velis autem in eos conferre, non qui ventris causa quasi mercaturam per totum vitæ tempus mendicando exercent, sed qui mendicare erubescunt. Neque in hac officij parte vllam sectæ aut religionis cuiusquam rationem ducas, neque porrò respectum ad eos, qui à nobis in fidei sententia dissentiunt, habeas: sed in illud vnum incumbas, vt qui fame cruciantur, eos alimentis subleues. Hoc modo ab illo egentibus, etiam qui longo locorum interuallo ab eo distabant, sedulò prospectum fuit. Porrò cum audiret aliquando, eos qui se à Nouatianis propter festi Paschatis obseruationem separauerant, corpus Sabbatij ex insula Rhodo (in ea namque exul mortem oppetijt) transportasse, sepultura cohonestauisse, & super tumulum ei preces adhibuisse: quosdam noctu eò misisse, illisque dedit in mandatis, vt corpus Sabbatij in alio sepulchro conderent. Qui autem illuc de more suo venerunt, cum tumulum effossum reperirent, de reliquo sepulchrum Sabbatij colere destiterunt. Eodem accedit, quòd Atticus in nominibus rebus imponendis disertus fuit. Nam stationem, quæ in ostio Ponti Euxini sita est, vetere nomine φαρμακέα, id est veneficam appellatam, ille θεραπείαν, id est, medicinam, vel curationem vocauit: ne, cum ibi fortè conuentus ageret, locum ad eam rem fœdo nomine nuncupatum præscriberet. Quinetiam suburbium quoddam Constantinopolis Argyropolim nominauit, tali causa adductus. Chrysopolis est vetus statio in ipso capite Bosphori. Huius mentionem faciunt complures veteres scriptores: vt Strabo, Nicolaus Damascenus, & admirabilis ille ac disertus Xenophon, qui tum in sexto libro de Ascensu Cyri, tum in primo de Rebus gestis Græcorum, de eo memorat, quòd ab Alcibiade muro circumdata fuit: & δεκατευτήριον, id est, locus ad decimas exigendas, in illa constructum. nam qui à Ponto naue conscensa soluunt, ibi decimas pensitant. Itaque Atticus cum intelligeret locum eregionè situm tam splendido nomine donatum, hunc etiam Argyropolim nominandum esse dixit. Quod simul atque protulerat, locus illi eo illud nomen obtinuit. Præterea cum quidam ei dicerent, Nouatianos non debere intra ciuitates conuentus agere: respondit, Non nostis quanta sint incommoda perpessi, dum nos, regnantibus Constantio & Valente, graui persecutionis procella iacta-

Eleemosynæ quibus pauperibus danda.

Sabbatij corpus translatum.

Atticus in nominibus rebus imponendis disertus.

Chrysopolis.

Δεκατευτήριον

Argyropolis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iactaremur: & quòd aliis quoque temporibus se testes fidei nostræ præbuerint. Quinetiam iam olim ab ecclesia separati, nihil de fide nouare aggressi sunt. Adde his, quòd cum Nicææ esset episcopi ordinandi gratia, ibique Asclepiadem Nouatianorum episcopum ætate admodum ingrauescente cerneret, rogauit, quot annos fuisset episcopus? Cui, quinquaginta, respondenti: Beatus, inquit, es reuera, qui tanto temporis spacio tam præclarum munus administraueris. Ad eundem porrò Asclepiadem dixit: Nouatum equidem laudo, Nouatianos autem neutiquam probare possum. Hoc eius dictum tanquam insolens, & valde peregrinum, admiratus Asclepiades: Quomodo, inquit, istud dicis episcope? Tum Atticus: Ego, inquit, illum laudo, quòd cum illis qui idolis sacrificassent, communicare recusauit. nam istud ipsum ipse equidem feci̇ssem. At Nouatianos minimè probo, quòd laicos, qui leuiter deliquerint, communione excludant. Ad hæc respondet Asclepiades: Præter idolis sacrificandi peccatum, sunt alia multa peccata ad mortem, vti ex Sacris literis perspicuum est: ob quæ vos solum clericos, nos laicos etiam communione excludimus, potestate soli Deo illis ignoscendi permissa. Idemque Atticus suam ipsius mortem præsciuit. Quippe Nicæa decedens, dixit Calliopio, illius ecclesiæ presbytero: Matura Constantinopolim ante autumnum accedere, vt me viuum denuò cernas: quòd si moram feceris, non me vita fruentem reperies. Neque cum istud diceret, aberrauit à vero: quippe vigesimoprimo anno, quo episcopatum gesserat, sexto Idus Octobris morte occubuit, ad vndecimum consulatum Theodosij & Cæsaris Valentiniani primum. Imperator Theodosius Thessalonica reuertens, ad funus eius efferendum non peruenit. nam pridiè quàm Imperator Constantinopolim ingrederetur, Atticus sepulchro conditus fuit. Haud diu pòst ad decimum Calend. Nouemb. renunciatio Valentiniani iunioris indicta est.

Ad Asclepiadem apophthegma.

Atticus suam ipsius mortem præsciit.

Anno Christi 429.

De Sisinio qui Attico in Constantinopolitano episcopatu successit.

CAPVT XXVI.

POst mortem Attici, de episcopo deligendo vehementer certatum est, dum alij alium in eo honoris gradu collocare laborarent. Nam Philippum presbyterum nonnulli, alij Proclum, qui etiam presbyter fuit, cupiebant: sed populus vniuersus, communi consensu Sisinium designari desiderabat. Qui quidem presbyter quoque fuit, non tamen in vlla ecclesia intra vrbem Constantinopolim ordinatus: sed in Elæa suburbio eiusdem ciuitatis, quod e regione illius situm est (in quo quidem loco dies festus ascensionis Seruatoris ab vniuerso populo Constantinopolitano celebrari solet) sacerdotij dignitatem sortitus. Omnes laici desiderio illius ad episcopatus honorem efferendi tenebantur, tum quòd ob singularem pietatem percelebris fuit: tum potissimùm, quòd pauperes suprà quàm facultates eius ferebant, fouere sustentareque laborauit. Itaque laicorum studium tulit superiores, Sisiniusque ordinatus est, pridiè Calend. Martij, Theodosio duodecimùm consule, & Valentiniano iuniore Augusto secundùm. Postea Philippus presbyter, quoniam Sisinium sibi prælatum videbat, illius ordinationem grauiter perstrinxit, in opere ab ipso edito, quod historiam Christianam inscripsit: qui dum & Sisinio qui episcopus ordinatus erat, & episcopis qui eum ordinauerant, & laicis vel maximè obtrectare studet, ea dicit, quæ mihi, quoniam illum qui tam temerè inconsideratèque eiusmodi verba literis prodere ausus est, admodum improbo, scriptis mandare non est animus. De illo ipso tamen non erit, mea quidem sententia, alienum, pauca hoc loco differere.

Sisinius Attici successor.

Philippi Christiana historia

De Philippo presbytero, Sidæ ciuitatis alumno. CAP. XXVII.

PHilippus Sidæ ortus fuit. est hæc quidem ciuitas Pamphiliæ, in qua etiã Trophilus sophista natus dicitur: cui Philippus se cognatum esse gloriatus est. Hic Philippus, cum esset diaconus, Ioannis episcopi consuetudine, qua multum vsus est, impulsus, in studijs literarum permultum operæ ac laboris collocauit, multosque & varios cuiusque generis libros in vnum collegit. Atque Asiaticum dicẽdi genus studiose imitatus, multa conscripsit: & quo libros Iuliani imperatoris refelleret, opus etiam quod historiam Christianam inscribebat, composuit, inque triginta sex libros distribuit. Singuli libri tomos complures continent, adeò vt omnes simul propè mille numero sint: argumentum etiam cuiusque tomi, ipsum tomum ferè exæquat. Hoc opus non Historiam ecclesiasticam, sed Christianam inscripsit: multas ac varias in illud cõgessit materias, eo quidem consilio, vt se doctrinæ philosophorum non expertem fuisse declararet. Quapropter præceptiones Geometricas, Astronomicas, Arithmeticas & Musicas crebrò citat. Quinetiam insulas, mõtes, arbores, & alias res non magni momenti describit: vnde opus inflatum & plenum inanis ostentationis, factum est. Quare, si quid ego iudico, neque indoctis, neque doctis prodesse poterit. Quippe indocti insolentem illam, & nimio artificio elaboratam dicendi rationem, quæ in eo est, animaduertere nequeunt: docti autem crebram eorundem verborum repetitionem, quæ in illo vsurpatur, condemnabunt. Cæterùm quisque de libris illis pro arbitratu suo iudicium faciat: ordinem verò temporum quibus res gerebantur, ab eo confusum esse, audeo equidem affirmare. Nam temporibus Theodosij commemoratis, ad tempora Athanasij episcopi recurrit. Quod quidem ab illo sæpissimè factum est. Sed de Philippo satis: de rebus Sisinij temporibus gestis, iam dicendum arbitror.

Philippi Christiana historia quale opus.

Opus nec doctis nec indoctis vtile.

Quòd Proclum Cyzici episcopum Sisinius creauit, quem tamen Cyziceni neutiquam admittere voluerunt.

CAP. XXVIII.

MOrtuo Cyzicenorum episcopo, Sisinius Proclum Cyzici episcopum designat. Quem ad illam vrbem profecturum anteuertunt Cyziceni, Dalmatiumque monachum episcopum ordinant. Hoc ab illis factum est, neglecta illa lege, quæ iubet, ne quis episcopus designetur absque sententia & authoritate episcopi Constantinopolis. Legem autem propterea neglexerunt, quòd Attico soli (vti illi putabant) nominatim authoritatem illam concederet. Proinde Proclus cum suæ ipsius ecclesiæ administrationem non obiret, in ecclesijs Constantinopolis mansit: in quibus docendo permagnam laudem adeptus est. Sed de eo alius locus erit mihi plura differendi. Sisinius vix duos integros annos in episcopatu gerendo confecerat, cum è vita decessit, Hierio & Ardaburio coss. 9. Calend: Ianuarij: vir ob temperantiam, ob rectam ac piam viuendi rationem, denique ob benignitatem in pauperes omnium sermonibus celebratus. Moribus facilis, affabilisque, simplex & veritatis amicus, ac propterea nemini quicquam exhibuit negocij. Vnde curiosis, & qui alijs facessendo molestiam delectabantur, offensioni fuit, atque adeò apud eos in opinionem venit ignauiæ.

Vide Nicephor. cap. 29. lib. 14.

Proclus episc.

Sisinij obitus anno 432.

Quòd, vbi Sisinius diem suum obierat, Nestorius Antiochia accersitus, Constantinopolitanum episcopatum capessit: qui qualis nam fuerit, illicò deprehensus erat.

CAPVT XXIX.

POst mortem Sisinij, visum est Imperatori propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa ecclesia (licet multi Philippum, complures Proclum designatum cuperent) ad episcopatum illum eligere: sed Aduenam Antiochia accersere constituit. Erat namque illic Nestorius ex Germanica oriundus, voce cum primis sonora, linguaque diserta: & ob eam causam tanquam ad docendum populum admodum accommodatus, de illorum sententia accersitur. Trimestri igitur spacio percurso, Antiochia Constantinopolim deducitur Nestorius: qui quanquam à plerisque ob temperantiam laude & prædicatione efferebatur, tamen quales præterea eius mores fuerint, primus illius doctrinæ exorsus, prudentibus viris satis demonstrauit. Nam simulac episcopus quarto Idus Aprilis ordinatus fuit, Felice & Tauro coss. extemplò, cum orationem apud Imperatorem haberet, hanc sententiam, quæ multis in ore est, coram vniuerso populo protulit: Mihi, ô Imperator, terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cœlum retribuam: tu mihi in profligandis hæreticis subueni, & ego tibi in profligandis Persis subueniam. Hæc verba quamuis illi, quibus odio habebantur hæretici, lubentes audiuerint: tamen his qui ex oratione nouerunt de interiore mentis cogitatione coniecturam facere, neque eius animi leuitas, neque iracundia, neque præterea inanis gloriæ auiditas (præsertim cum ne minima quidem mora interposita, eiusmodi voces tam temerè profunderet) obscura esse potuit. Imò verò etiam, si illud, quod in prouerbij consuetudinem abijt, dicere liceat, neque aquam ciuitas iam degustauerat, cum homines acerbè & grauiter persequi aggressus est. Nam quinto die, postquam erat episcopus designatus, dum ecclesiam Arianorum, in qua clàm & ex occulto preces faciebant, demoliri institueret: eos ad tantam adegit vecordiam, vt cum ecclesiæ vastationem cernerent, ipsi etiam facibus iniectis eandem succenderent. Quod quidem incendium ædes vicinas depascens, penitùs absumpsit. Ex qua re tumultus in ciuitate concitatus est, Arianique ad vlciscendum parati. Verùm Deus, vrbis conseruator, non passus est malum longius serpere. De cætero verò, non hæretici modò, verùm etiam eiusmodi cum eo fidei fautores, Nestori-

Vide Nicephor. cap. 29. lib. 14.

Nestorius Constantinop. episcopus declaratus anno 432.

Nestorij vox immodestior.

Nestorius Arianorum ecclesiam demolitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nestorium incendium.

Nestorium incendium vocauerunt. Nec hoc pacto acquieuit, sed dum contra hæreticos machinas struebat, ciuitatem, quantum in eo erat, prorsus euertit. Quinetiam Nouatianos diuexare aggreditur, inde impulsus, quòd Paulus eorum episcopus ob pietatem tanta famæ celebritate fuit. Verùm Imperator admonitionibus conatum eius repressit. Quibus autem incommodis eos, qui festum Paschatis ad decimum quartum diem mensis celebrant, in Asia, Lydia & Caria affecerit, & quàm multi Mileti & Sardis seditione propter eum conflata interierint, mihi omittendum arbitror. At verò, quas pœnas cùm ob has causas, tum ob linguam petulantissimam dederit, dicam equidem paulo pòst.

Quomodo Theodosio iuniore regnante, Burgundiones in Christum crediderunt.

CAPVT XXX.

Burgundiones Sequani olim.

REM planè memorabilem, eodem ferè tempore gestã, hoc loco commemorabo. Est gens quædam barbara, locum trans Rhenum fluuium incolens, quos vulgò Burgundiones vocant. Isti vitam à Repub. gerenda remotam perpetuò degunt. Sunt enim fabri lignarij omnes: & ex ea arte mercedem, qua sustentant vitam, acquirunt. Hunnorum gens crebrò in eorum fines incursionem faciens, agros depopulata est, & complures illorum non rarò trucidauit. Itaque illi non ad hominem vllum auxilij petendi causa confugiunt, sed Dei alicuius potestati se totos permittere in animos inducunt. Ac cum mente complecterentur, Romanorum deum, illis, qui eum metuunt & reuerentur, firmum afferre præsidium, omnes communi consensu ad credendum in Christum se contulerunt: atque ad ciuitatem quandam Galliæ profecti, postulant ab episcopo, vt Christianorum baptismo donentur. Is, cum illis septem dies præscripsisset ad ieiunandum, eosque in fide erudiuisset, octauo die lauacro baptismatis tinxit, & cum pace dimisit. Illi animo fidenti contra tyrannos gradiuntur: nec spes eos fefellit. Quippe Vptaro Hunnorum rege nocte, cum se cibo nimio ingurgitasset, medio disrupto, Burgundiones Hunnos duce carentes adorti, pauci cum permultis (tria enim millia contra decem impetum faciunt) commisso prælio victoriam consequuntur. Ex illo tempore gens ea religionem Christianam ardenti studio excoluit. Sub idem tempus Barbas Arianorum episcopus moritur, ad decimum tertium Consulatum Theodosij & Valentiniani tertium, octauo Cal. Iulij: in cuius locum succedit Sabbatius. Verùm de his satis multa.

Hunnorum in Burgundiones incursio.

Burgundiones baptismo donati, circa annum Christi 434.

Vptarus rex Burgundionũ de Hunnis victoria.

Barbas episc.

Vide Nicet. c. 40. lib. 14.

Quomodo Macedonianos Nestorius afflixerit.

CAPVT XXXI.

Nestorij odiũ & ferocitas.

NEstorius autem, quoniam multa contra Ecclesiæ consuetudinem molie-batur, sibi propterea grauissimum odium peperit: sicut euentus rerum ab eo gestarum satis declarat. Germæ, vrbis Hellesponti, episcopus Antonius, Nestorij ferocitati in hæreticis profligandis obsecutus, Macedonianos grauiter exagitare conabatur: & quo se excusaret, mandatum à patriarcha, episcopo scilicet Constantinopolitano, se de ea re accepisse simulabat. Itaque Macedoniani, etsi ad tempus se vexari passi sunt, postea tamen, vbi Antonius eos acerbius insectabatur, non amplius illam iniuriarum molem tolerare potuerunt: sed tam cæco animorum impetu ferebantur, vt libidine vlciscendi æquo & bono prælata, per viros ad eam rem missos Antonium occidendum curarent. Hoc scelus à Macedonianis patratum, tanquam materia ad ferociam Nestorij incendendam fuit: qui persuasit Imperatori, vt ecclesiæ illis adimerentur. Quare Macedonianis vna ecclesia Constantinopoli extra vetera vrbis mœnia sita, altera Cyzici, alibi præterea cõplures, quas in agris Hellesponti tenebant, ablatæ fuerunt. Vnde nonnulli eorum ad Ecclesiam reuersi, fidei Consubstantialis assenserunt.

Vide Nicet. c. 31. lib. 14.

Antonij episc. cædes.

Macedonianis ecclesiæ ablatæ.

De Anastasio presbytero, cuius impulsu Nestorius ad impietatem deductus erat.

CAP. XXXII.

Nestorius quo modo ad impietatem deductus.

ATverò temulentis, vt in prouerbio est, vinum non deest, neque seditioso pugna: & propterea Nestorius, qui alios ecclesijs suis pellere obnixè contendebat, ipse fortè ecclesia pulsus est. Causa autem eius generis fuit. Anastasius presbyter, qui vnà cum eo Antiochia illuc venerat, eiusque consuetudine semper vsus erat, & in magno honore ab illo habitus, eique in rebus gerendis cõsiliarius quodam tempore in ecclesia docuit, Mariam à nemine Deiparam vocari debere: eam enim hominem esse, & ab homine Deum non posse nasci. Hæc verba omnium animos, tam clericorum quàm laicorum, magnopere conturbauerunt. Nã iam olim didicerant, Christum verè Deum esse, & nequaquam propter incarnationis mysterium tanquam solum hominem à diuinitate separatum. idque, obsecuti sententiæ Apostoli, dicentis: Etsi cognouimus secundum carnem Christum, sed nunc non amplius cognoscimus. Atque ob hanc causam desinamus de Christo disputare, & ad perfectionem, quæ est in illo, contendamus. Cum igitur tumultus hac de re, vti dixi, in ecclesia ortus esset, Nestorius sententiam Anastasij confirmare studens (nam eum quem tanti faciebat, non vt blasphemias in Christum iacientem coargui voluit) sæpissimè de ea controuersia in ecclesia pro concione disseruit: deq; eadem pugnaciter quæstiones posuit, & vocem Deiparam omnino reiecit. Ac quoniam disceptatio de ista controuersia aliter ab alijs instituta fuit, diuisio in ecclesia facta est. Nam non aliter atque homines in nocturno prælio constituti, incerto impetu ferebantur, & nunc hæc, nunc illa assequebantur: atque quod modò assensi fuerant, id ipsum eodem ferè momento denegarunt. Nestorius autem apud complures venit in opinionem, quòd Dominum hominem solum esse assereret, quodque Pauli Samosateni & Photini opinionem in ecclesiam introducere niteretur. Atqui de hac re tanta certatio ac tumultus ciebatur, vt generali Concilio ad eum sedandum opus esse videretur. Ego verò dum libros à Nestorio editos lego, hominem reperio imperitum, & doctrinæ penitùs expertem, hocque verè & ex animo dico. Nam neque odio in illum incensus, eius vitia recordatione renouare: neque vt quibusdam gratificer, pauciora quàm reperi commemorare decreui. Nestorius, meo quidem iudicio, neque Paulum Samosatenum, neque Photinum imitatur, neque denique Dominum hominem solum esse dicit: sed vocem duntaxat Deiparam, tanquam laruam reformidans, declinat. Hocque illi præ insigni insciitia & ignoratione contigit. Nam tametsi natura lingua erat diserta, & propterea doctus putabatur, tamen reuera imperitus fuit. Quinetiam veterum interpretum scripta perdiscere dedignatus est. Linguæ enim volubilitate & elegantia insolenter se efferens, cùm veteres propè neglexit, tum se ipsum omnibus antecellere existimauit. Porrò autem ignorauit, quòd scriptum sit in vetustis exemplaribus epistolæ Catholicæ diui Ioannis: Omnis spiritus qui soluit IESVM, ex Deo non est. Quippe hanc sententiam, omnes qui diuinitatem ab humanitate Christi seiungere studebant, ex vetustis exemplaribus delere, tollereque non dubitarunt. Quapropter veteres interpretes idem ipsum significarunt, quosdam videlicet esse, qui illam epistolam deprauassent, quò in Christo hominem à Deo separarent. Est quidem eius humanitas cum diuinitate coniuncta: & non sunt duo, sed vnum. Qua ratione nixi veteres, Mariam Deiparam appellare non sunt veriti. Ita etiam Eusebius Pamphilus in tertio libro de vita Constantini loquitur: Nobiscum Deus, pro nobis nasci sustinuit, & locus illius natiuitatis proprio nomine apud Hebræos Bethleem appellatur. Quocirca Imperatrix sanctissima Helena, Deiparæ partum eximijs monumentis decorauit, sacrumque illud antrum varijs cuiusque generis illustrauit insignibus. Quinetiam Origenes in primo tomo Commentariorum in epistolam Pauli ad Romanos conscriptorum, hanc rem pluribus discutit, dum explicat causam, cur Maria Deipara dicta sit. Itaque Nestorius videtur veterum lucubrationes penitùs ignorare: & ob eam causam hanc vocem Deiparam, vti dixi, duntaxat insectatur. Nam quòd non dicit, Christum hominem solum esse, sicut Photinus & Paulus Samosatenus: quodque non subsistentem Dei verbi personam tollit, sed eum in Trinitate subsistere, & in eius essentia inesse confitetur: quòd deniq; ei essentiam non adimit, sicut Photinus & Samosatenus (idem etiam Manichæi & Montanistæ asserere nõ dubitabant) ex concionibus ab ipso editis satis constare poterit. Verùm quanquam Nestorium partim ex libris eius quos legerim, partim ex necessarium illius sermone ita sensisse comperio: tamen inanis eius & stulta doctrina, non parum vniuersum orbem terrarum conturbauit.

Maria an Dei para vocãda.

Vide Nicephor. cap. 32. lib. 14. Euagrium lib. 1. cap. 2.

Vide Nicephor. cap. c. 34. lib. 14. item cap. 35. lib. eodem Euagrium lib. 1. cap. 3. & 5.

Nestorius impiam Anastasij vocem defendit.

2. Cor. 5.

Ecclesia schisma.

Nestorij dogma.

1. Ioan. 4.

Christi humanitas cum diuinitate coniuncta.

Helenæ religio.

Nestorius orbem conturbauit.

De horrendo facinore, à quibusdam seruis fugitiuis adipsum magnæ Ecclesiæ altare susce pto, & priore congregato contra Nestorium Ephesi concilio.

CAP. XXXIII.

Seruorum nefandũ scelus.

HIs rebus confectis, scelus quoddam nefandum forte fortunà in Ecclesia editum est. Nam cuiusdam præpotentis viri serui, genere barbari, cum immanem heri sui feritatem experti, eam ferre non possent, ad ecclesiam confugerunt, atq; gladijs cincti, ad altare prosiliunt. Rogati igitur vt abirent, nullo modo obsequi volebant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

bant, sed sacris ministerijs obeundis erant impedimento. Quinetiam dies complures A strictos tenebant gladios: paratiq; erant ad quemque obtruncandum, qui illos adiret. Itaque vno clerico interfecto, altero vulnerato, ad extremum sibi ipsi necem consciuerunt. Vnde quidam eorum qui aderant, dixit, templi profanationem aliquid mali portendere: duosque Poetæ cuiusdam veteris senarios in eandem citauit sententiam.

† *Nam sæpe signa talia dari solent,*
Cum sacra fœdum templa polluit scelus.

†Vide annot. pag. 275. lat. 1. lin. 19.

Atque eum qui ista dixerat, minimè refellit opinio. Quippe & diuisionem populi, vt videtur, & authoris diuisionis abdicationem significauit. Nam non longo tempore interiecto, Imperatoris mandato episcopi ex locis omnibus Ephesum conueniunt: quò etiam Nestorius, statim post diem festum Paschatis cum magna populi multitudine contendit, multosque episcopos ibi coactos reperit. Cyrillus autem episcopns Alexandriæ, paulo pòst, circiter festum Pentecostes aduentat. Quinto die post Pentecostem, luuenalis etiam Hierosolymorum episcopus eò accedit. Ac cum Ioannes episcopus Antiochiæ videretur moram facere, ab episcopis, qui iam aderant, controuersia in disputationem vocatur. Cyrillus Alexandrinus, quò Nestorij animum perturbaret (in eum namque infenso animo fuit) quibusdam differendi prolusionibus vsus est. Cùm autem multi Christum Deum esse confirmabant, tum Nestorius: Ego, inquit, eum qui menstruis spacijs, hoc est bimestri & trimestri, & ita deinceps humano more adoleuerit, Deum certè non appellauero: atque ob hanc causam mundus sum à sanguine vestro, & post hac ad vos profectò non veniam. Quæ cum dixisset, cum reliquis episcopis qui illius assentiebantur sententiæ, se coniunxit. Itaque episcopi qui aderant, in duas factiones diuidebantur. Qui autem cum Cyrillo in concilio erant, accersunt Nestorium. Ille non obtemperat, sed ad Ioannis episcopi Antiochiæ aduentum causæ suæ deceptationem differt. Quare Cyrillus & alij episcopi qui aderant, cum eo in concilio, vbi conciones Nestorij, quas de ea controuersia apud populum recitauerat, sæpius perlegissent, ex illisque iudicarent, eum contra filium Dei impias blasphemias seriò dixisse, episcopatu abdicarunt. Quo facto, episcopi qui à Nestorio stabant, B alio concilio separatim coacto, Cyrillum & Memnonem Ephesi episcopum simul abdicant. Haud diu pòst, Ioannes episcopus Antiochiæ aduentat. Qui de rebus ibi gestis certior factus, Cyrillo, vtpote tumultus illius authori, quòd ardore quodam animi incitatus, Nestorium tam citò abdicauerat, grauiter succensuit. Cyrillus verò adiuncto sibi Iuuenali, quo Ioannem vlciscatur, eum quoque abdicat. His rebus sic turn perturbatis & confusis, Nestorius, cum contentionis pestem latius in vulgus emanare intelligeret, pœnitentia adductus, Mariam Deiparam vocauit, sic elocutus: Dicatur Maria Deipara, & offensiones animorum sedentur. Verùm nemo illum pœnitentia adductum, hæc dixisse existimauit: & propterea adhuc etiam Oasin incolit, tum episcopatu priuatus, tum multatus exilio. Atque concilij id temporis Ephesi conuocati, hic exitus fuit. Hæres gestæ sunt Basso & Antiocho coss. quarto Calend. Iulij. Ioannes Antiochiam reuersus, multis episcopis in vnum congregatis, Cyrillum, qui iam Alexandriam redijt, abdicat. Paulo pòst, depositis inimicitijs, & amicitia reconciliata, sedes episcopales, alter alteri restituerunt. Post abdicatum Nestorium, grauis tumultus in Ecclesia Constantinopolitana excitatus fuit: quippe populus propter inanem & stultam, vti suprà dixi, Nestorij doctrinam diuisus est. Clerici autem communibus suffragijs illi anathema (sic enim nos Christiani sententiam contra alicuius blasphemiæ authorem pronunciatam solemus appellare, quando eam perinde notam omnibus facimus, ac si in columella incisa in loco publico collocaretur) palàm denunciarunt.

Ephesinũ concilium anno 435.

Cyrillus Nestorio infensus.

Nestorium episcopatu abdicatur.

Nestorij palinodia, & exilium.

Constãtinopolitanæ ecclesiæ tumultus.

Quòd post amotum Nestorium, cum Proclum ad episcopatum eius quidam promouere voluissent: nonnulli episcoporum Maximinianum Constantinopolis episcopum deligendum proponebant.

CAP. XXXIIII.

Anno Christi 435.

CONstãtinopoli alia etiam de episcopo deligendo orta est controuersia. Nam multi Philippo, cuius iamdudum mentionem fecimus, plures autem Proclo suffragati sunt. Atque Proclus certè priores tulisset, si non quidam qui multum authoritate valerent, illi obstitissent: docuissentque, canonem ecclesiæ vetare, episcopum alicuius ciuitatis nominatum, ad alteram ciuitatem transferri. Quæ quidem sentẽtia in mediũ

Vide Nicephor. ca. 37. lib. 14.

Vide Nicephor. ca. 39. lib. 14.

Vide Socrat. lib. 5. cap. 8.

prolata

A prolata, itaque se habere credita, populi animos pacatos transquillosque reddidit. Id. circo trimestri spacio post abdicationem Nestorij percurso, Maximianus episcopus designatur, vir monasticum vitæ genus excolens, dignitatis gradu presbyter: opinionem pietatis iampridem propterea consecutus, quòd monumenta, in quibus pij viri ex hac vita migrantes sepelirentur, suis impensis cõstruenda curauerat. Literarum ignarus & expers fuit: vitamque quietam, alijsque minimè molestam, sibi proposuit ad traducendum.

Maximianus episc.

Exempla, quibus Author hic, vt videtur, confirmat, minimè prohibitum esse, quin à sede ad sedem quis transferri possit.

CAP. XXXV.

Vide Nicephor. cap. 39 lib. 14.

AM verò, quoniam quidam propter ecclesiæ canonem, quem pro se afferebant, Proclum episcopum Cyzici iam tum nominatum, in sede episcopali Constantinopolis collocari prohibuerunt, de ea re pauca dicere statui. Qui tum ista asserere aggressi sunt, videntur mihi certè minimè vera dixisse: sed vel inuidia aduersus Proclum eadem confinxisse: vel tum Canones, tum alias res ad ecclesiarum vtilitatem non rarò gestas, penitùs ignorasse. Nam Eusebius Pamphilus in sexto libro Historiæ Ecclesiasticæ, Alexandrum ciuitatis cuiusdam Cappadociæ episcopum, Hierosolymam voti causa contendentem, à Hierosolymitanis detineri, Narcissi loco in episcopatus gradu collocari, & reliquum vitæ tempus in illa ecclesia cõtriuisse memorat. Itaque res erat planè indifferens apud veteres, quoties ecclesiarum vsus poscebat, episcopum ab vna ciuitate ad alteram transferre. Quòd si quicquam interfuit, canonem de hac re sancitum huic historiæ adnectere: inde planè constabit, quàm perspicuè eum ementiti sint hi qui Proclum propterea in sede episcopali collocari vetuerint. Canon ita se habet: Siquis episcopus ad aliquam ecclesiam regendam designatus, ad eam non iuerit, cum illud non ob suam ipsius culpam, sed vel quòd populus illum reiecerit, vel aliam ob causam quæ sit necessaria, factum sit: ei licebit honoris & ministerij ecclesiastici compotem esse, modò nihil facessat molestiarum ecclesiæ, in qua ipse connentus agit: sed lubens approbet, quod Concilium prouinciæ de re in controuersiam adducta statuerit. Canonis hæc quidem sententia est. Verùm quo magis constet, multos episcopos ab alijs ad alias ciuitates propter opportunos & necessarios ecclesiæ vsus fuisse translatos, nomina eorum qui translati fuerint, hoc loco citabo. Perigenes, ecclesiæ Patrensis designatus fuit episcopus: quem, vbi populus illius vrbis eum repudiauerat, episcopus Romanus mandauit, vt episcopo Corinthi metropolis iam mortuo, in sede episcopali illius vrbis collocaretur: cui ecclesiæ reliquo vitæ spacio præfuit. Gregorius etiam Naziazenus primùm Sasimorum vrbis Cappadociæ episcopatum gessit, deinde ecclesiæ Naziazenæ episcopus factus est. Meletius porrò primùm ecclesiæ Sebastienſis episcopatu fungebatur, postea episcopatum Antiochiæ procuauit. Adde his Dositheum Seleuciæ episcopum, quem Alexander Antiochiæ episcopus Tarsum Ciliciæ traduxit. Quid Berentium commemorem, qui primùm Arcorum vrbis Phœniciæ episcopatum administrauit, pòst illud Tyrum translatus est? Quid dicam de Ioanne, qui Gordo ciuitate Lydiæ Proconesum translatus, ibi rexit ecclesiam? His accedit Palladius, qui Helenopoli Aspunem: & Alexander, qui ab Helenopoli quoque ad Adrianos: & Theophilus Apamea vrbe Asiæ Eudoxopolim, quæ olim Salabria dicebatur, translatus fuit. Polycarpus præterea his annumeretur, qui Sexantapristis ciuitate Mysiæ, Nicopolim vrbem Thraciæ: & Hierophilus, qui Trapezupoli Phrygiæ, Plotinopolim Thraciæ: & Optimus, qui Agdamia Phrygiæ Antiochiam Pisidiæ: & Siluanus, qui Philippopoli Thraciæ Troadem traductus fuit. Sed satis multos hoc loco recensuimus, qui à suis ipsorum ciuitatibus ad alias translati fuerunt.

An liceat ab alio episcopatu transire ad alium.

Canon eius & interpretatio.

Episcoporum translatio, res indifferens.

Episcoporum translatorum nomina.

Perigenes.

Greg. Nazianzenus.

Meletius.

Dositheus.

Berentius.

Ioannes.

Palladius.

Alexander.

Theophilus.

Polycarpus.

Hierophilus.

Optimus.

Siluanus.

De Siluano episcopo, qui Philippopoli Troadem translatus erat.

CAP. XXXVI.

Vide Nicephor. ca. 39. lib. 14.

AM verò de Siluano, quem Philippopoli vrbe Thraciæ Troadem translatum dixi, non incommodum arbitror pauca commemorare. Siluanus, primùm in Troili sophistæ schola Rhetoricam didicit. Qui quoniam religionem Christianam diligenter excolere, & monasticum vitæ genus exercere nitebatur, palliũ philosophicum gestare noluit. Postea Atticus episcopus eum accersiuit ad se, & episcopatu Philippopolis donauit. Qui triennio in Thracia ætatẽ degens, cũ frigus tolerare non posset (corpus enim habuit exile admodum, & imbecillũ) obsecrauit Atticum, vt in eius locũ

Siluanus è rhetore episcopus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

alterum subrogaret episcopum: seq; non aliam ob causam quàm ob frigus, recusare vi- A tam in Thracia traducere docuit. Siluanus igitur altero hac de re in eius locũ suffecto, Constantinopoli commemoratus est, monasticamque viuendi disciplinam summopere excoluit. Adeò etiam ab omni fastu alienus fuit, vt sæpenumero in frequenti multitudine ciuitatis, quæ tam celebris erat, sandalijs indutus ex fœno confectis incederet. Non longo tempore interposito, episcopus Troiadis moritur. Qua de causa Troes veniunt Constantinopolim, quæsitum episcopum. Ac dum Atticus secum cõsilium in-

Siluanus Troadem transfertur.

ibat, quem ad illud munus designaret, fortè Siluanus in eius conspectum venit. Quem vt vidit Atticus, confestim curam cogitandi deposuit, & ita Siluanum alloquutus est: Non est vlla tibi amplius excusatio, quo minus ecclesiæ administrãdæ curam suscipias. nam Troas nihil habet algoris. Ecce tibi locum amœnum, quem Deus corporis tui imbecillitati parauerit. Ne cunctaris igitur, sed Troadem ire matures. Quapropter Siluanus eò migrauit. Hoc loco miraculum ab eo editum percensere animus est. Nauis one-

πλατὺ nauis, Siluani precibus loco mota.

raria planè maxima (quæ vulgo πλατὺ, ob latitudinem vocabatur) in qua ingentes vehebantur columnæ, nuper in litore Troadis fabricata fuit: hæc cum in mare traducenda esset, & magna hominum multitudo cum multis funibus eam trahere conaretur, ne commoueri quidem poterat. Vbi istud dies complures factum fuit, putabatur nauis à dæmone detineri. Itaque Siluanum episcopum adeunt, rogant vt preces in eo loco faciat. Nam eo pacto solùm nauem posse in mare protrahi credebant. At ille modestè de seipso prædicans, se peccatorem appellauit: dixitque illud non suum, sed iusti alicuius opus esse. Verùm vbi acrius instabant, venit ad littus, preces ibi Deo fundit: funem vnum manu prehendit, iubetque alios opus aggredi. Nauis igitur leui pulsu agi-

Siluani miraculum.

tata in mare raptim fertur. Hoc miraculum à Siluano editum, omnes illius prouinciæ incolas magnopere ad pietatem incitauit. Siluanus in alijs etiam vitæ officijs magna suæ bonitatis ostendit indicia. Nam cum clericos ex litigantium controuersijs quæstum facere videret, deinceps neminem ex clero iudicem esse permisit: sed acceptis supplicantium libellis, vnum ex fidelibus laicis, quem æquo & bono fauere pro certo cognosceret, ei causarum cognitioni præfecit, sicque litigantes contentione & controuersia liberauit. His de causis Siluanus maximam gloriam apud omnes conciliauit. B

Maximianus Constantinopol. episcopus.

Hæc de Siluano, quanquam ab instituto videntur fortasse aliena, non tamen sine vtilitate legentium sunt à nobis commemorata. Sed iam redeamus, vnde sumus digressi. Maximianò igitur ad episcopatum Constantinopolitanum delecto, Basso & Antiochio coss. ad octauum Calend. Nouembris Ecclesiæ status pacatus & tranquillus fuit.

De Iudæis qui in Creta fuerunt, quomodo illis temporibus multi fidem Christianam susceperint. CAP. XXXVII.

Vide Nicephor. ca. 40. et 41. li. 14.

Iudæi qua calamitate inducti, Christi fidem receperint.

EOdem ferè tempore multi Iudæi in Creta, Christi fidem receperunt, tali calamitate ad eam rem inducti. Iudæus quidã veterator, se Moysen esse simulauit: deq; cœlo demissum dixit, vti Iudæos, qui illam insulam incolebant, per mare in continentem traduceret. Se namque eundem esse, qui olim Israelem per mare rubrum ducens, conseruasset. Ad annum verò integrum

Pseudomoyses anno 434.

nihil aliud moliebatur, quàm vt singulas ciuitates totius insulæ peragraret, Iudæos in illis habitantes ad illud credendum impelleret, hortaretur que vti omnes suas diuitias & possessiones relinquerent. Nam eos per mare aqua exsiccatum, in terram promissionis se traiecturum pollicitus est. Illi igitur eiusmodi vana & falsa spe in fraudem illecti, omnia opera quibus vti solebant, deposuerunt, facultates ac fortunas neglexerunt, earumque potestatem illis, qui eas accipere vellent, permiserunt. Vbi dies profectioni ab illo veteratore præstituta aduenit, ille præcedere, subsequi omnes cum mulieribus & pueris cœperunt. Eos ergo ad promontorium mari imminens deducit: ex eo se in mare præcipitare iubet. Proinde, qui primi ad præcipitium accesserant, ita faciunt: ac pars præcipitio obtriti, pars aqua demersi statim perierunt: & nisi diuina prouidentia illis prospectum fuisset, multo plures interijssent. Nam forte fortunà aderant Christiani, quorum alij piscatores, alij mercatores fuerunt: hi nonnullos eorum aqua propè suffocatos (qui iam tum in calamitate constituti, suam amentiam agnoscere cœperunt) extrahentes conseruarunt: alios, ne se in mare deijcerent, prohibuerunt, exitio eorum qui ante se præcipites dedissent commõstrato. Iudæi tum fraude patefacta, cùm temerariam ipsorum credulitatem incusarunt, tum Pseudomoysen illum occidere contenderunt. At eum nullo modo comprehendere poterant: quippe clàm se ex eorum conspectu subduxerat. Vnde nonnullorum animis insedit opinio, cum

A cum exitialem dæmonem fuisse, qui ad ipsorum gentis perniciem, hominis speciem induisset. Quocirca multi Iudæi in Creta ea clade impulsi, Iudaismo derelicto, ad fidem Christi se transtulerunt.

De ecclesiæ Nouatianorum conflagratione. CAP. XXXVIII.

BReui tempore pòst, Paulus Nouatianorum episcopus, etsi vir reuera pius antè habebatur: tamen iam tum de eius sanctimonia multo maior opinio animis hominũ concepta fuit. Constantinopoli fortè tale accidit incendium, quale nunquam antea accidisset. Nã magna pars vrbis igni ita conflagrauit, vt † fortissima eius munimenta, & locus quidam publicus (qui Achilles dicitur) penitùs vastarẽtur. Postremò ignis in ecclesiam Nouatianorum prope Pelargum sitã irrupit. Itaq; Paulus, simulac ecclesiam in periculum venire cerneret, ad altare prosiliens, Deo ecclesiæ conseruationem precibus commendauit, neq; pro ciuitate & ecclesia illa precari destitit. Deus igitur, sicut rei euentus satis declarabat, eius preces audiuit. Nam quanquam ignis in ecclesiam tum per ianuas tũ per fenestras irruebat, nihil tamen damni illi omnino attulit: quinetiã, tametsi loca vicina flamma vndiq; vastauit, illam tamen ecclesiam igni circumcirca quasi obsessam cernere licuit, eamq; incendij furorem diuinitùs cuicisse. Incendium vbi duos dies noctesq; totidem vrbem occupauerat, tandẽ omnino restinctum fuit: à quo licet multæ partes ciuitatis absumptæ essent, ecclesia, quam dixi, illæsa permansit. Et quod magis mirandum videtur, nullum fumi vestigium, vel trabibus eius alijsq; partibus ex ligno fabricatis, vel parietibus impressum vsquam cernebatur. Hoc factum est 16. Cal. Septembris, ad XIIII. consulatum Theodosij & Maximi prium. Nouatiani ex eo tempore diem festum ecclesiæ ab incendio conseruatæ quotannis, XVI. Calend. Septembris, quo Deo pro eius liberatione gratias agerent, celebrarunt: omnesq; fere illam propter miraculum, quod in ea editum fuit, in magno honore habuerunt: & illum locum non Christiani solum, verùm etiam gentiles, tanquam verè B sanctum colunt. Sed hæc quidem hactenus.

Incendiũ Constantinopoli, anno 437.

† *Maximæ granaria.*

Pauli episcopi preces.

Ecclesiæ ab incendio seruatæ festum.

Quòd Maximiano episcopo Proclus successit. CAP. XXXIX.

Vide Nicephor. ca. 37. lib. 14.

MAximianus cum duos annos & menses quinque ecclesiæ quietè præfuisset, exijt è vita, Areobindo & Aspare coss. pridie idus Aprilis. Tunc erat fortè septimana ieiuniorum, quę proximè festum Paschatis antegreditur, diesq; ciusdem qui vulgò dicitur Quintus. Quo quidem tempore ab Imperatore Theodosio res prudenter tractata fuit. Nam ne controuersia & tumultus in ecclesia denuò cieretur, abiecta cunctatione, dum adhuc Maximiani corpus insepultum iaceret, per episcopos qui ibi aderant, Proclum in sede episcopali collocandum curauit. Huic etiam negocio suffragabantur epistolæ Celestini, episcopi Romani, quas ad Cyrillum episcopum Alexandriæ, & ad Ioannẽ episcopum Antiochiæ, & Rufum Thessalonicæ episcopum misit: quo eos doceret, nihil obstare, quo minus qui vnius ciuitatis vel nominatus fuisset episcopus, vel iam esset episcopus, ad alteram ciuitatem transferretur. Proclus igitur in sede episcopali locatus, corpus Maximiani effert ad sepulchrum, funusque celebrat.

Maximiani obitus, Anno 438.

Proclus episcopus.

Episcoporum translatio licita.

De Proclo episcopo, qualisnam fuerit. CAP. XL.

Vide Nicephor. li. 38. cap. 14.

MAm verò tempus se offert, pauca de Proclo commemorandi. Proclus ab ineunte adolescentia lector fuit: scholas frequentauit, Rhetoricæq; studiosè operam nauauit. Qui cum ad ætatem virilem peruenisset, multum cum episcopo Attico versatus est, illiusq; scriba fuit. Quem in literis & virtute admodum proficientem, Atticus ad gradum diaconatus euexit. Ac cum presbyterij honore dignus putaretur, à Sisinnio, vt suprà demonstraui, ad episcopatum Cyzici designatus est. Sed hæc iam antè factitata erant. Id temporis verò sedem episcopalem ecclesiæ Constantinopolitanæ obtinuit. Vir erat morum probitate præter cæteros eximius. Quippe institutus ab Attico, omnes eius virtutes sedulò imitatus est. Tolerantiam, qua etiam Atticus præditus fuit, multo magis quàm Atticus excoluit. Nam Atticus cum tempus postularet, hæreticis terrorem incussit: Proclus omnibus se mansuetum & facilem præbuit, hacq; ratione multo citius quàm vi eos ad ecclesiam traductos fore præuidit. Nam nullam sectam vexare instituit: sed illustre mansuetudinis de-

Proclus episcopus qualis fuerit.

Proclus Attici imitator.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cus, quod Ecclesiæ conuenit, integrum seruauit, eiq; reddidit. In qua re Imperatoris Theodosij exemplū secutus est. Nam vt illi visum fuit, contra eos qui rei agebantur, minimè authoritatem Imperatoriam exercere: ita Proclo, eorum nullam propè rationē ducere, qui ab eo diuersam de Deo doctrinam amplectebantur. A

Theodosij clementia.

Pluribus verbis scriptor hic Theodosij iunioris mansuetudinem extollit. CAP. XLI.

Proclum cur Theodosius multum probauerit.

PRorrò autem Theodosius Imperator Proclum ob hanc causam, quam dixi, multum probauit. Nam eos, qui sunt verè sacerdotes, patientia exæquauit: nec illos qui persequendi studio ducebantur, vllo modo probare potuit: immò verò dicam audacius, omnes qui verè sacerdotes sunt, mansuetudine superauit, sicut liber Numerorum de Moyse loquitur: Erat Moyses vir mitissimus, super omnes homines qui morantur in terra. Idē ipsum de Theodosio Imperatore iam dici potest, quòd super omnes homines, qui morantur in terra, sit mitissimus. Propter quam quidem mansuetudinem Deus hostes illius sine prælioru certaminibus ei subiugauit: sicut tum tropæa contra Ioannem tyrannum statuta, tū clades barbarorum quæ pòst consecuta est, euidenter ostendit. Nam Deus talia beneficia in hunc sanctissimum Imperatorem cōtulit, qualia in eos, qui olim iusticiam in vita diligenter colebant contulerat. Atq; certè non assentandi studio impulsus hæc scribo, sed reuera ita se habere omnibus deinceps perspicuè declarabo.

Mosis mansuetudo.

Num. 12.

Theodosij mansuetudo.

Vide Socrat. supra lib. 7. cap. 1. cap. 21. Sozo. lib. 9. cap. 1.

Quas clades barbari sustinuerint, qui Ioanni tyranno opitulati sunt.

CAPVT. XLII.

† *De hoc supra cap. 23*

POst tyranni necem, †barbari, quos ille ad auxilium sibi contra Romanos ferendum accersiuerat, in fines imperij Romani incursionem facere constituerunt. Quo audito Imperator, vti solebat, istarum rerum curam Deo commēdauit: atque precibus se totum dedens, breui, quod in optatis erat, est consecutus. Quibus autem cladibus barbari opprimerentur, non incommodum est hoc loco recensere. Primùm illorum dux, nomine Rugas, fulminis iactu interijt. Deinde pestis subsecuta, maximam partem hominum qui ei parebant, è medio sustulit. Neque hoc satis esse videbatur, sed ignis etiam de cœlo delapsus complures eorum qui supererant, absumpsit. Quæ res barbarorum animis maximum iniecit timorem, non tam propterea quòd contra bellicosam Romanorum gentem arma ferre ausi fuissent, quàm quòd Romanos à Deo præpotenti adiutos animaduerterent. Eodem tempore Proclus episcopus, prophetiam quandam ex Ezechiele petitam, in ecclesia docuit, eamq; præclarè ad salutem iam tum Romanis à Deo datam non sine maxima omnium commendatione accommodauit. Prophetia autem hæc est: Tu fili hominis, vaticinare super Gog principem Rhos, Misoch, & Trobel. Iudicabo eum morte & sanguine, & pluuia inundanti, & lapidibus grandinis: & ignem & sulfur pluam super eum, & super omnes qui sunt cū eo, & in gentes multas cum eo: & magnificabor, & glorificabor, & notus ero in oculis multarum gentium: & scient quia ego sum Dominus. Hac de causa Proclus maximam, vt dixi, laudem consecutus est. B

Barbari quibus cladibus oppressi.

Rugæ interitus.

Locus Ezech. 38 scitè ad rē præsentem accommodatus.

Quòd Imperator Valentinianus iunior, Eudoxiam Theodosij filiam duxit vxorem. CAP. XLIII.

IMperator verò Theodosius, ob suam ipsius mansuetudinem cùm alia multa beneficia, tum illud vnum in primis diuina prouidentia recepit. Filiam habet ex coniuge Eudocia, cui Eudoxia nomen erat. Hanc Valentinianus eius consobrinus, quem partium Occidentalium Imperatorem creauerat, sibi in matrimonium dari postulauit. Theodosius Imperator eius postulationi morem gessit. Accum de loco aliquo intermedio, inter Romam & Constantinopolim interiecto ad celebrandas nuptias deliberatum, visumq; Thessalonicæ, itinere quasi dimidiato, illud negocij obire: Valentinianus Theodosio per literas significauit, vt nihil ipse sibi de ea re exhiberet molestiæ: se enim Constantinopolim venturum dixit. Itaque cum res partium Occidentalium in tuto collocauisset, nuptiarum causa Constantinopolim proficiscitur. quibus confectis, Isidoro & Sinatore coss. capit coniugem, & ad partes versus Occidentem maturè reuertitur. Theodosius Dei beneficio hoc prospero & fœlici casu potitus est.

Eudoxia Valentiniano despōdetur, Anno Chr. 440.

Quòd

Quòd Imperator ab episcopo Proclo persuasus, Ioannis corpus ab exilio Constantinopolim transferendum, ac in Apostolorum ecclesia reponendum curauit.

CAP. XLIIII.

Vide Nicephor. c. 43. lib. 14.

XIguo tempore pòst, Proclus episcopus, eos qui propter Ioānis abdicationem separatim conuentus peragebant, cum cæteris in concordiam reduxit, & prudentia eorum animos offensos permulsit. Sed qua ratione istud effecerit, dicam. Corpus Ioannis Comanis sepultum, vbi Imperatori eam rē persuaserat, trigesimo quinto anno pòst eius abdicationem Constantinopolim transferendum curauit: quod cum multo honore & splendida pompa publicè celebrata, in ecclesia Apostolorum condidit. Hac re igitur, qui propter Ioannem conuentus seorsum faciebant, ad ecclesiæ concordiam reconciliati fuerunt. Quod factum est ad decimum sextum consulatum Imperatoris Theodosij, sexto Calend. Februarij. Vnde demiror equidem quid causæ fuerit, cur tanta inuidiæ flamma contra Origenem mortuum incensa sit (ducentis enim annis pòst mortem à Theophilo excommunicatus fuit) cum Ioannes trigesimo quinto anno, postquam è vita excesserat, sit à Proclo receptus in communionem. Verùm Proclus Theophilo tantum facilitate morum antecelluit. Ista autem qua ratione & acciderint, & quotidiè accidant, prudentibus viris minimè obscurum est.

Procli prudentia.

Ioan. Chrysostomi corpus Constantinopolim translatū anno 440.

Origenes 200. annis post mortem à Theophilo excommunicatus.

De morte Pauli Nouatianorum episcopi, & Martiano, qui in eius locum surrogatus erat. CAP. XLV.

Vide Nicephor. c. 41. li. 14.

ON multò pòst corpus Ioannis in ecclesia Apostolorum repositū, Paulus ecclesiæ Nouatianorum episcopus obijt mortem, eodem cōsulatu, ad 12. Calend. August. qui suo funere omnes discrepātes dissentientesque sectas vnam quodammodo effecit ecclesiam. nam omnes eius corpus ad sepulchrum cum psalmis decantatis pariter deduxerunt. Quippe dum vixit, omnibus propter rectam sinceramque vitæ rationem perquàm charus fuit. Quoniam autem Paulus mortem iam oppetiturus, rem planè memorabilem gesserit, eam, vtpote huic historiæ admodum accommodatam, ad legentium vtilitatem hoc loco ponendam censui. Quòd autem, dum ægrotabat, consueta suæ monasticæ disciplinæ dicta vsus sit, neque eam vllo modo violauerit, quodque etiam preces assiduè facere non intermiserit, mihi silentio prætereundum puto: ne dum in illis commemorandis insisto, rem gestam ab eo, vti dixi, planè memorabilem & valde vtilem, aliqua ex parte obscurare videar. Quæ nam igitur ea sit, iam dicere aggredior. Paulus è vita migraturus, omnes sacerdotes ecclesiarum, quæ sub eo erant, accersitos sic allocutus est: Prouidete, vt dum ego adhuc spiritum duco, episcopus vobis designetur, ne postea ecclesiæ tumultu perturbentur. Cum responderent, non ipsis potestatem episcopi deligendi permittendam esse (cū enim, inquiunt, alius nostrùm aliud habeat iudicium, vnum eundemq; nominare non possumus) sed te eum quem volueris vt nos eligamus, designare cupimus. Idcirco, inquit, mihi hanc vestram promissionem scriptis mandatam tradite, quod eum estis electuri, cui ego suffragatus fuero. Qua syngrapha confecta, manuque illorum subscripta, primùm in lecto se paululum erigens, clam illis, qui aderant, nomen Marciani, qui presbyterij gradum obtinuerat, sub eoque didicerat monasticum vitę genus, & id temporis fortè aberat, in ea inscripsit. Deinde cum illam obsignasset, primatiosque presbyteros etiam ad eandem sigillis suis confirmandam induxisset, tradit Marco Nouatianorum in Scythia episcopo, qui tum in vrbe erat, sicque illum affatur: Si Deo visum fuerit, vt ipse amplius in hac vita maneam, hoc mihi depositum saluum redde: sin eius voluntas sit, vt hinc demigrem, reperies in hac syngrapha eum, quem ego mihi in episcopatu successorem designauerim. Quæ cum dixisset, excessit è vita. Itaque triduo pòst eius mortem, syngrapha coram ingenti multitudine resignata, cum inuenirent nomen Marciani in ea inscriptum, omnes vno ore illum hominem esse eo honoris gradu dignum exclamarunt: atque absque mora miserunt aliquot, qui eum comprehenderent. Illi eum Tiberiopoli vrbe Phrygiæ vitam degentem, dolo bono comprehendunt, indeq; secum deducunt: ac 12. Calend. Septemb. illum iam episcopum ordinatum, in sede episcopali collocant. Sed de his non est opus plura commemorare.

Pauli Nouat. episcopi obitus.

Pauli è vita migraturi cura de relinquēdo successore.

Marcianus à Paulo successor designatus.

Marcus Nouatian. episc.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Imperator Theodosius coniugem suam Eudociam Hierosolymam miserit.

CAP. XLVI.

Eudociæ vo.

THeodosius Imperator deinceps preces Christo offerre, quibus gratias pro acceptis beneficijs agat, Christique nomen hoc munere obeundo eximijs honoribus decorare cœpit. Quinetiam Eudociam coniugem Hierosolymam misit. Quippe pollicitus erat illam hoc votum persoluturã, si filiã in matrimonio collocatam cerneret. Quin illa ipsa & ecclesias Hierosolymorum, & omnes alias in vrbibus versus Orientem sitas, tum eò proficiscendo, tum domum redeundo varijs ornamentis honorificè illustrauit. Vide Nicephor. c.30. lib.14.

De Thalassio Cæsareæ vrbis Cappadociæ episcopo.

CAP. XLVII.

Proclires ad mirabilis.

Firmi episcopi mors.

PRoclus † eodem tempore, ad decimum septimum cõsulatum eiusdem Imperatoris, rem planè admirabilem, & qualem nemo veterũ episcoporum aliquando effecerit, aggressus est. Nã Firmo episcopo Cæsareæ Cappadociæ mortuo, Cæsarienses Constantinopolim adueniant, episcopum quæsituri. Ac cum Proclus lustraret animo quẽ ad eum episcopatum designaret, fortè fortunà die Sabbathorum, dũ aliquem dispicere conabatur, omnes Senatores, qui illum inspectarent, ad ecclesiam accedunt: in quorum numero fuit Thalassius, qui

Thalassius ex præfecto episc.

gentium & ciuitatum Illyrici præfecturam gessit. Cui partium versus Orientem administrandarum curam, vti fama est, Imperatoris iussu suscepturo, Proclus manus imponit: & pro præfecto, episcopum Cæsareæ declarat. Atque ad hunc modum ecclesiæ status id temporis prosperum & fœlicem successum habuit. Nos verò hoc loco finem nostræ historiæ imposituri, omnes vbique ecclesias, vrbes & gentes pace tranquilla frui optamus. Pace enim regnante, historiæ scribendæ studio incensis, nullum omnino suppetet argumentum. Quippe nobis, Theodore sanctissime, qui prouinciam historiæ Bteris prodendæ abs te nobis datam septem libris sumus complexi, nullum planè suppeditasset argumentum, si illi, qui ex seditionibus conflandis voluptatem capiunt, acquiescere voluissent. Hic septimus liber spacium triginta duorum annorum continet: tota autem historia in septem libros partita, annos centum quadraginta complectitur.

* Quæ orditur à primo anno ducentesimæ primæ Olympiadis, in qua Constantinus Imperator declaratus fuit: desinitque secundo anno ducentesimæ vigesimæoctauæ Olympiadis, ad decimumseptimum Consulatum Imperatoris Theodosij.

Theodosij 17. consulatus incidit in annũ Christi 443.

* *Hæc calculatio mirum in modum confusa est. Sume enim de singulis libris annos quot ipse assignauit, hoc est primo 31. Secundo 25. Tertio 2. & menses 5. Quarto 16. Quinto 16 & menses 6. Sexto 12. & menses 6. Septimo 32. & Historia tota complectetur annos non modo 140. vt hic dicitur, sed 155. & menses 5. Iam quod primum annum Constantini deducit à primo anno ducentesimæ primæ Olympiadis, & 17. consulatum Theodosij 2. reponit ad annum secundum vigesimæ octauæ Olympiadis supra ducentesimam, haud scio equidem quo stomacho concoqui possit. Olympiadis enim ducentesimæ primæ annus incidit in annum Christi 27. quo tempore Tiberius Augusti successor Imperij sui annum agebat 11. Itaque primus annus Constantini incidit in annum 4 Olympiadis 271. & Theodosij 17. Consulatus incidit in annum primum Olympiadis 205. post quam suis numeris completam in historijs nullam deinceps Olympiadam numeratam reperias. In hac igitur historiæ calculatione rerum confessarum certitudo veritatem annorum patefecit. Nam cum à primo anno Constantini ordiatur Socrates, & in 17. consulatu Theodosij finiat, consequitur, totam Socratis hanc historiam continere non nisi 133. annos. Vt enim primus annus Constantini in Christi annum 310. ita 17. consulatus Theodosij in 443 Christi annum incidit. Hæc generaliter admonuisse sufficiat: in singulis enim libris idem facere necesse non est, cum præcipua quæque suis temporibus diligenter adnotauerimus.*

FINIS SEPTIMI LIBRI.

THEO-

A

THEODORITI EPISCOPI CYRI ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBRI QVINQVE.

Liber Primus.

Primus hic liber continet acta sub Constantino Magno annis triginta: huc referens eosdem authores, quos ad primum librum Socratis supra adnotauimus.

Historiæ scopus. CAP. I.

Vide continuationẽ Socratis lib.1. cap.1. item Sozo. lib.1.

QVANQVAM pictores, qui veteres historias in tabulis & parietibus describunt, cùm intuentium magnopere oblectant oculos, tum rerum præteritarum recordationem ad prolixum temporis spacium florentem seruant: tamen scriptores, qui pro tabulis, monimentis librorum, & pro colorum varietate, orationis flosculis vtuntur, memoriam rerum gestarum (siquidem res pictorum artificio descriptas, temporis consumit conficitq; longinquitas) multo diuturniorem stabilioremq; efficiunt. Qua ratione ipse equidem adductus sum, vt ea, quę in Ecclesiastica historia desunt, scriptis mandare aggrediar. Nam vt gloria rerum præclarissimè gestarum, quarum commemoratio multum sit hominibus audiumenti allatura, obliuione contereretur, haud sine scelere fieri posse existimaui. Qua de causa nonnulli, quibus cum mihi magnus vsus & familiaritas intercedit, sæpenumerò me vehementer cohortati sunt, vt hunc historiæ Ecclesiasticæ scribendi laborem in manus sumerẽ. Verùm cùm difficultatem operis mearum virium imbecillitate metiri incipio, eius susceptionem non mediocriter equidem pertimesco: attamen fretus benignitate Dei, boni cuiusq; largitoris munifici, rem magis arduam, quàm quæ mea doctrinæ tenuitate perfici possit, suscipio. Atque vt Eusebius genere Palæstinus, à sanctorum Apostolorum temporibus exorsus, res in ecclesia inde vsq; ad tempora Constantini Imperatoris sanctissimi gestas conscripsit: sic ego ex illo ipso tempore, quo ab eo desitum est scribere, initium historiæ ducere statuo.

Occasio scribẽdi.

Historiæ scopus.

Continuat suam historiam cum Eusebiana.

Vnde cœperit Arianorum hæresis. CAP. II.

Vide Nicephor. cap. 3. lib. 8. Vide Socrat. li. 1. c. 3. in vita Cõstant. lib. 2. c. 60. lib. 3. cap. 4. Sozom. li. 1. c. 2. 14. 19. & c. 3. lib. 2. c. 28.

VM nefarij illi & impij tyranni, extincti essent, Maxentius videlicet, Maximinus & Licinius, grauis persecutionis procella, quam furiæ illæ, non aliter atque turbines quidam in ecclesia Dei concitauerant, sedatur: & sæua ventorum violentia compressa, stabilis & diuturna Christi gregi tranquillitas affertur. Nam Constantinus omni genere laudis florentissimus, qui non ab hominibus, neque per hominem, sed cœlitùs à DEO, more sancti Apostoli, ad illius muneris administrationem vocatus erat, huius pacis Ecclesijs author fuit. Siquidem leges conscripsit, quibus & hostias simulachris vetuit immolari, & ædes sacras extruendas sanciuit. Quinetiam præsides, quorum mentes fides Christiana imbuerat, gentibus ac prouincijs præfecit, deditque illis mandatum, vt sacerdotes honore afficerent: illis autem, qui eosdem contumeliosè insectari aggrederentur, exitium minatus est. Quo quidem tempore, alij Ecclesias dirutas de integro erexêre: alij, alias ampliores splendidioresque exædificauêre. His rebus hoc loco constitutis, nostri animi gaudio perfusi & voluptate, aduersariorum autem tristicia & mœrore confecti fuerunt: quandoquidem simulachrorum delubra occlusa, in ecclesijs Christianorum dies festi, & crebri conuentus celebrati. Verùm nequam & inuidus dæmon, generis humani pernicies, cum statum ecclesiæ DEI tam secundo ac prospero flatu ferri cerneret, nullo modo pati potuit: sed subdola ac pestifera consilia excogitare cœpit, omnesque sedulò peruestigauit modos, quibus eam tam præclarè ab vniuersitatis opifice & moderatore gubernatam penitùs euerteret. Nam cum animaduerteret, gentilium errorem suis integumentis euolutum, & varias ac multiplices dæmonum fraudes perspicuè deprehensas, & creaturam à quàm plurimis nulla amplius dignatam veneratione, sed pro illa creatorem laude & præconijs celebratum: idcirco deinceps non apertè contra Deum ac Seruatorem nostrum bellum ciere, sed cum homines quosdam nomine quidẽ Christianos, re tamẽ ipsa

Constantini laus à meritis in ecclesiam. Galat. 1. Constantinus ecclesijs amator pacis.

Diabolũ persecutionis ecclesiæ loco hæreses introduxisse.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsa ambitionis & inanis gloriæ seruos reperisset, his tanquam instrumentis ad suos ve A
teratorios conatus perficiendos valde idoneis vti cœpit. Atq; istorum opera complu-
res in veterem induxit errorem, non quòd creaturam denuò coli efficiebat: sed quòd
ita comparauit, vt Creator & opifex mundi in eodem cum creaturæ ordine constitue-
retur. Verùm quo in loco huius erroris primùm iecerit fundamenta, & quomodo per-
uersæ doctrinæ zizania proseminauerit, iam explicaturus venio. Alexandria ciuitas est
amplissima, & maxima hominum multitudine frequentata, quæ non Aegypti solum,
verùm etiam Thebaidis & Lybiæ, quæ Aegypto adiacent, principatum obtinet. Cuius
episcopatum, post Petrum illum in fidei certamine victorē & athletam egregium, qui
impijs tyrannis, quos supra posui, regnantibus, est martyrij coronam consecutus, Achil
las ad exiguum tempus administrauit, eiusq; ecclesiæ clauum tenuit. Huic successit A-
lexander, doctrinæ Euangelicæ propugnator acerrimus. Per idem tempus Arius, qui in
numerum presbyterorum ascriptus erat, cuique Sacrarum literarum interpretatio cō-
credita, cum videret Alexandrum ad episcopatus gubernacula designatum, inuidiæ flā
mam, qua incendebatur, minimè reprimere, sed ea vehementius inflammatus, mate-
riam contentionis & discordiæ indies aucupari laborauit: ac tametsi in præstabilem
eximiamque Alexandri viuendi rationem aciem acriter intendendo, nihil ad falsam
criminationem contra eum confingendam potuit omninò reperire, tamen æstus in-
uidiæ eum quiescere non sinit. Istum igitur cum hostis veritatis diabolus nactus esset,
eius conatibus Ecclesiam procellis miscere, exagitareque instituit. Nam persuasit illi,
vt Apostolicæ Alexandri doctrinæ apertè resisteret. Itaque vt Alexander Sacrarum li-
terarum disciplinæ obsecutus, filium patri honore parem, eandemque habere cum Ge
nitore substantiam docuit: sic Arius palàm contra veritatem pugnās, eum creatum &
factum affirmauit. Quinetiam adiecit, tempus aliquando fuisse, cum non erat: & alia
nonnulla, quæ ex eius libris multò apertius possunt intelligi. Atque ista non in Eccle-
sia solum, verùm etiam extrà in circulis & congressibus hominum differere cœpit. Per
ædes quoque circum circa grassari, vt quos posset, in istorum errorum laqueos induce-
ret. Alexander igitur doctrinæ Apostolicæ patronus, primùm hortatione & consilio
eum à sententia deducere tentat. Cæterùm vbi Corybantum more insanire vidit, & im B
piam doctrinam palàm prædicare, de dignitate sacerdotali dimouet, Euangelij præce-
pto obsecutus, Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, & proijce abs te.

Alexandria. Arianæ hæresis origo.
Petrus & Achillas episc.
Alexander episcopus.
Arius, eiusque hæresis.
Arius dignitate sacerdotali priuatus.
Matth. 5. et 18.

Primariorum episcoporum enumeratio.
CAP. III.

Sylueſter Ro. epiſcopus.

ILicet Sylueſter Romanæ ecclesiæ gubernaculum tenuit: Vide Nice. ca. 6. lib. 1. Sozo. lib. 1. cap. 2.
successorq; fuit Miltiadis illius, qui post Marcellinum, virum per-
secutionis temporibus magna gloria planè nobilitatum, ad eiusdē
ecclesiæ episcopatum gerendum delectus fuit. Antiochiæ autem e-
piscopatum, mortuo Tyranno, cum pax iam in ecclesijs vigere inci-
peret, obtinuit Vitalius: qui ecclesiam ibi à tyrannis dirutam, in Pa-
læa, ædificauit. Huic successit Philogonius, qui & temporibus Li-
cinij singulare studium in veræ pietatis defensione declarauit: & quæ videbantur ec-
clesiæ illius ædificio deesse, sua opera adijcienda curauit. Episcopatus verò Hieroſoly-
morum, post Hermonam delatus fuit Macario: qui ob beatam viuendi rationem, &
multiplicia bona, quibus exornatus fuit, verè nomini suo respondit. Per idem tempus
episcopatus Constantinopolitani ministerium obtinuit Alexander, vir donis planè
Apostolicis decoratus. Quo quidem tempore Alexander Alexandriæ episcopus, cum
videret Arium ambitionis æstu incensum furere, & eos quos pestifera in Deum blas-
phemia irretierat, in vnum cogere, conuentus prætereà separatim celebrare, eius impiā
blasphemiam ecclesiarum præsidibus per epistolas significauit. Quarum vnam ad gen-
tilem suum perscriptam, qua pernicioſi Arij conatus perspicuè explanantur, primum
in historia ponam, quò nemo suspicetur me has res, quas de eo scriptis persequor, me-
opte ingenio confinxisse. Deinde epistolam Arij, post illam alias quoque, inseram, quæ
sunt ad hanc historiam propterea pernecessariæ, quòd & eius veritati testimonio
esse possint, & res gestas multo planius edocere. Alexander autem epi-
scopus Alexandriæ, ista quæ sequuntur, ad gentilem
suum scribit.

Vitalius. Palæa, locus quidam sic dictus, vide post lib. 2. c. 31. & lib. 3. cap. 4.
Philogonius.
Hermonas.
Macarius.
Alexandri duo.

Alexan-

A *Alexandri, episcopi Alexandrini, ad Alexandrum episcopum Constantinopolitanum, gentilem suum, Epistola.* CAPVT IIII.

Vide Socr. lib. 1. cap. 3. Vide Nicephor. cap. 2. lib. 8.

EST quidem propositum hominibus improbis, in quorum animis inex-
plebilis honoris & pecuniæ cupiditas insita est, vt ecclesijs, quæ videntur
plus habere dignitatis, ex occulto insidientur: qui per varias ac multipli-
ces vias, synceram ecclesiæ pietatem oppugnare non cessant. Nam impul-
su diaboli, qui vim suam in eorum animis exercet, in furorem acti, ad vo-
» luptates, quæ fortè se offerunt, feruntur præcipites: atque ab omni pietate refugientes,
» timorē diuini iudicij proterunt. De quibus ego, qui inde nō parum acceperim incom-
» modi, necesse habui vestræ pietati significare, vt id generis homines sedulò deuitetis,
» ne fortè quisquam illorum audacia fretus, vel per seipsum (præstigiatoribus enim nun-
» quam deest ad fraudem faciendam simulatio) vel per literas, quæ erunt mendacijs ita
» lepidè & eleganter aspersæ, vt hominem, qui simplici ac sinceræ fidei scadixerit, à ve-
» ritate abstrahant, in vestras ecclesias erroris sui imprimant vestigia. Nā Arius & Achil-
» las nuper facta coniuratione, dum Colluthi ambitionem imitari studebant, eum in eo
» vitiositatis genere longè superarunt. Ille enim, quanquam eas ipsas res, quas isti, coar-
» guere conabatur: tamen improbi sui instituti causam saltem simulatam habuisse visus
» est. hi autem, cum illius nundinationem, qua Christum ipsum vendidit, animaduer-
» terent, non amplius ecclesiæ legibus subiecti esse sustinuerunt: sed speluncis latronum
» sibi constructis, conuentus in illis sine intermissione agere, noctes diesque Christo &
» nobis maledicè obtrectare, omnem Apostolicam & piam doctrinam criminari, simu-
» latione Iudaica officinam ad Christum oppugnandum instruere, diuinitatem Serua-
» toris nostri inficiari, eum cæteris hominibus nihilo præstātiorem prædicare: vocibus-
» que omnibus, quæ pro eius salutari in carne œconomia, & abiectione sui nostra cau-
» sa susceptа, ex Sacris literis selectis, eisdem impiam suam prædicationem corroborare:
» & verba, quibus æterna eius diuinitas & gloria vnà cum patre ineffabilis confirma-
» tur, auersari nituntur. Quippe impiam gentilium & Iudæorum de Christo opinio-
» nem defendentes, suam ipsorum laudem (quantum fieri potest) venari: & in qui-
» bus eis ludibrio sumus, omnia enixè consectari student. Seditiones porrò in nos quo-
» tidie concitare, graues ciere persecutiones, & interdum lites per muliercularum im-
» purarum sermones, quas ipsi in fraudem impulerunt, intendere: nonnunquam reli-
» gionem Christianam, suas tenellas meretriculas per singulas plateas turpiter circum-
» ducendo grauissimis contumelijs afficere: quinetiam inconsutam & indissolubilem
» Christi tunicam quam tortores noluerunt discindere, hi discerpere non dubitarunt.
» Nos igitur, sicut scelerata eorum vita & conatus execrabilis postulat, suffragijs omniū
» tandem, licet serò propter rei ignorationem istud simus aggressi, Ecclesia, quæ Christi
» diuinitatem sanctè adorat, eiecimus. Itaque hi circumcursare hac illac, quo nobis ob-
» trectent, deflectere ad collegas nobiscum in eadem fide consentientes, specie quidem
» pacis & concordiæ simulata veniam petere præ se ferre: sed reuera moliri, vt per
» sermonis lenocinia nonnullos eorum in sui morbi contagionem pertrahant: lite-
» ras quoque ab illis blandiores petere: vt coram ijs, quos errore implicarint, eas
» depraualè legentes, suæ prolapsionis impœnitentes reddant, iam ad impietatem
» assuefactos quasi Episcopos suæ sententiæ & opinioni consentientes haberent. Nam
» non illis confiteri volunt ea, quæ tam nefariè impieque apud nos cùm docuerunt,
» tum fecerunt, quorum gratia Ecclesia expulsi sunt: sed vel silentio tegere, vel par-
» tim sermonibus commenticijs, literis partim veteratoriè scriptis obscurare nitun-
» tur, quò eos dolo deludant. Quapropter colloquijs tum probabilitate, tum face-
» tijs dicacibus refertis, pernicioſam suam doctrinam, tanquam velis obtendentes, ho-
» minem simplicem & fraudi expositum in suum errorem rapiunt: quinetiam à nostræ
» sanctæ pieque religioni apud omnes obtrectando, haudquaquam se abstinent. Vnde
» fit, vt nonnulli, qui eorum literis subscribunt, in ecclesiam recipiantur: quod factum,
» mea quidem sententia, maximam infamiæ notam collegis nostris, qui illud ausi sunt,
» inusſit, qui non modo id, quod canon Apostolicus permisit, non faciunt, sed conatum
» eorum contra Christum planè diabolicum, qui illis inest, vehementiorem effici-
» unt. Quocirca fratres charissimi, abiecta cunctatione, ingenij mei vires, quo i-
» storum infidelitatem vobis significarem, excitaui: qui asserunt, tempus aliquando
» fuisse, cum non esset filius DEI: posteà factum, cum non antè extiterit, talem fuis-
» se tum, cum factus erat, qualis quisque homo est. Omnia enim DEVM ex ni-
» hilo fecisse. Qua sententia etiam filium DEI comprehendunt, eumque in creatione
omnium

Alexandri Alexandrini episcopi Epistola.
Arij & Achillæ cōspiratio. Colluthi ambitio.
Arianorum artes quibus Catholicos oppugnant.
Christi tunica inconsuta.
Ariani dicaces & contumeliosi.
Dei filium non creatum ex nihilo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnium rerum, siue rationis sunt illæ participes, siue expertes, concludunt. Quibus et- A
iam consequenter addunt, eum natura posse mutari, virtutis & vitij capacem esse. Ita-
que hoc posito, cum ex nihilo factum, literarum Sacrarum, quæ verbi Dei æternitatẽ,
immutabilitatem, eius sapientiæ diuinitatem (atque ista sunt Christus) docent, prorsus
labefactatur auctoritas. Est enim in nostra quoque situm potestate, vti istæ ecclesiæ pe-
Isai. 1. stes prædicant, filios Dei fieri, non aliter atque ille factus est. Scriptum namque esse, Fi-
lios genui & exaltaui. Ac cũ illis obijcitur sententia, quæ deinceps sequitur, Et ipsi spre-
uerunt me: quod planè naturæ Seruatoris, qui est natura immutabili, repugnat: tum o-
mni exuta erga Deum pietate & reuerentia, aiunt Deum cum eum præscientia & præ-
sensione pronouisset, neutiquam ipsum aspernaturum, idcirco ex omnibus elegisse.
Non enim natura, aut quicquam præter cæteros filios habuisse prærogatiuæ (nullum
namque natura filium Dei esse affirmant, neque quenquam esse, qui vlla cum eo pro-
prietate coniunctus sit) sed cum esset natura mutabili, & propter singularem in vita &
moribus ritè instituendis diligentiam ac studium non ad vitia deflecteret, Deum cum
elegisse: adeò vt si vel Paulus vel Petrus in hac obnixè incubuisset, eodem modo fuisse
filios Dei, quo ille fuit. Ac quò insanam & pestiferam suam doctrinam confirment, et-
Psalm. 44. iam in ipsas Scripturas vim faciunt, & sententiam in Psalmis de Christo traditam, quæ
Christum eternum esse. Ioan. 1. ita se habet (Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tu-
us, oleo læticiæ, præ participibus tuis) ad suum institutum detorquent. Verùm quòd fi-
lius Dei non creatus fuit ex nihilo, neq; tempus fuisse cum non erat, Ioannes Euange-
lista abundè satis docet. sic enim de illo scribit: Vnigenitus filius, qui est in sinu patris.
Filius Dei in sinu patris. Ioan. 1. Cum enim diuinus ille magister docere institueret, patrem & filium duas res esse, quæ
separari nequeunt, filium in sinu patris esse dixit. Quinetiam, quòd filius Dei non sit re-
bus ex nihilo creatis annumerandus, idem Ioannes ostendit, cum dicat, Omnia per i-
psum facta esse. Nam proprium eius subsistentiæ modum declarauit his verbis: In prin
cipio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: omnia per ipsum
facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quòd si omnia per ipsum facta sunt, qui fieri po-
test, vt is, qui rebus creatis essentiam indulserit, quodam tempore non fuerit? Nulla e-
nim ratio vult, vt quod creat, eiusdem sit cum creatis naturæ. Quòd si ipse fuit in prin-
cipio, & omnia per ipsum facta sunt, creataq; ex nihilo (nam quod est, subsistitque, illis B
quæ fiunt ex nihilo, contrarium est, vehementerq; repugnat) nam cum alterum nullũ
esse interuallum inter patrem & filium, neq; illud vlla animi cogitatione posse infor-
mari, alterum mundum ex nihilo conditum, ostendit: perspicuum est, mundum recẽ-
tiorem, quàm essentiam filij Dei, habuisse generationem, quippe cum omnia à patre
per filium talem sint essentiæ originem consecuta. Itaque sanctissimus Ioannes cum il-
ERAT. lud ERAT, quod est verbi Dei proprium, immensum esse, & longè supra mortalium ca-
ptum & cogitationem positum animaduerteret: eius generationem creationemque e-
Verbum Dei non ingenitũ. loqui noluit, imò verò ne ausus quidem est verbis, literis eisdem ac syllabis composi-
tis gignens & genita nominare: non quòd verbum Dei ingenitum est (nam solus pater
est ingenitus) sed quòd ineffabilis vnigeniti filij Dei subsistentia nõ modò solertem in-
Eccles. 3. telligentiam Euangelistarum, verùm fortasse etiam Angelorum comprehensionem
longè superat. Itaque, meo quidem iudicio, ne in pijs quidẽ numerandi sunt, qui in ista-
rum rerum inquisitionem intrare non dubitant, spreta reiectaq; illa sententia: Altiora
te ne quæras, & sublimiora te ne scruteris. Quòd si cognitio multarum aliarum rerum,
1. Cor. 2. quæ sunt sine dubio his longè imperfectiores, comprehensionem fugiat humanã (qua-
les sunt illæ, de quibus Paulus sic loquitur: Quæ oculus non vidit, neque auris audiuit,
neque in cor hominis ascenderunt, ea quæ præparauit Deus diligẽtibus se: quales sunt
Verbi Dei subsistentia non curiosè inquirenda. Isai. 53. Apostoli. prætereà stellæ, quas Deus Abrahamo negauit posse numerari: qualis denique est are-
na maris, & stillæ pluuiæ: quas res, inquit Scriptura, quis enumerare poterit?) quid est
ergo, cur quisquam, nisi insanus & planè mente captus sit, verbi Dei subsistentiam cu-
rioſe perueſtigare moliatur? De qua ita spiritus loquitur propheticus: Generationem
eius quis enarrabit? Per quam quidem sententiam, ab animis eorum, qui erant velut co-
lumnæ & principes omnium, qui in toto orbe vixerint, Seruator noster, quò illis gratifi-
caretur, istarum rerum noticiam tanquam onus amouere laborauit: contraque na-
turam esse docuit, vt quisquam eas cogitatione reprehenderet. nam soli patri, diuinis-
Matth. 11. Esai. 24. simi illius mysterij cognitionem reseruatam esse. Sic enim locutus est: Nemo nouit
quis sit filius, nisi pater: & patrem nemo nouit, nisi filius. De qua re arbitror patrẽ hoc
quoque dixisse: Secretum meum mihi & meis. Quòd autem extrema dementia est, fili-
um ex his, quę non sunt, ortum, inque tempore productum existimare, eædem ipsæ vo-
ces, nimirum EX HIS QVAE NON SVNT, satis declarant, licet isti stupidi suarũ vo-
cum

A cum insaniam non intelligant. Nam id quod dicitur, NON ERAT, aut in tempore fuisse
„ necesse est, aut in aliquo seculi interuallo. Proinde si verum est, omnia per ipsum
„ facta esse: constat etiam, omne seculum, tempus, interualla temporis, & illud quando,
„ in quibus reperitur id quod dicitur, NON ERAT, per ipsum facta esse. Et quid est quam-
„ obrem non sit absurdum, cum, qui tempora, secula, opportunitates temporum, quibus
„ cum illud quod dicitur, NON ERAT, confusum est, progenuit, quodam tempore non
„ fuisse asserere? quippe cum insulsum sit, & plenum cuiusque inscitiæ, eum qui alicuius
„ rei procreator extiterit, post rei illius procreationem, ipsum procreatum esse. Nam vt
„ istorum fert opinio, non solum illud interuallum temporis, in quo filium à patre ge-
„ neratum asseuerant, tempore prius erat, quàm Dei sapientia, quæ hanc vniuersitatem *Christus primogenitus omnis creaturæ. Heb. 1. Col. 1.*
„ constituxit: verum etiam Scriptura, quæ illum primogenitum omnis creaturæ nuncu-
„ pat, mentita est. Accedit eôdem Paulus, qui de eo his congruentia voce clarissima
„ fundit. sic enim ait: Quem posuit hæredem omnium, per quem secula condidit. Quin-
„ etiam in eo condita sunt omnia, & quæ in cælis, & quæ in terra, visibilia & inuisibilia,
„ siue principatus, siue potestates, siue dominationes, siue throni. Omnia per ipsum &
„ in ipsum condita sunt, & ipse est ante omnia. Quocirca cum illud, EX NIHILO, seu
„ EX HIS QVAE NON SVNT, non sine summo scelere et impietate positum sit: necessa-
„ riò sequitur, patrem semper patrem fuisse. Atque est pater semper, cum habeat filium, *Christus patri coæternus.*
„ ob quem vocatur pater: & cum sit semper ei filius, & semper pater, perfectus: atque in
„ ipso, quod verè bonum est, expletus omnibus suis partibus qui filium vnigenitum, ne-
„ que in tempore, neque ex interuallo temporis, neque ex nihilo genuit. Qui igitur fieri
„ potest, vt non sit impium dicere, quodam tempore sapientiam Dei non fuisse, cum i-
„ psa loquatur de se: Ego eram apud illum componens, ego eram cui adgaudebat? aut *Prouerb. 8.*
„ virtutem Dei aliquando non fuisse, aut verbum eius mancum fuisse aliquando, aut a-
„ lia negare, ex quibus & filius cognoscitur, & pater velut notis quibusdam discernitur.
„ Nam cum quis splendorem gloriæ neget esse, tollit simul & primariam lucem, cuius
„ est splendor. Quod si porrò imago Dei non erat semper, liquet neque illum, cuius ima-
„ go est, semper fuisse. Quinetiam cum dicitur, formam subsistentiæ Dei non esse, tolli-
„ tur vnà etiam ille, qui omnino ab ea figuratur. Vnde licet perspicere, Seruatoris nostri
B proprietatem, qua filius est, nihil cum aliorum filiorum proprietate habere commu-
„ ne. Nam quemadmodum inexplicabilis eius subsistentia propter eximiam & singularẽ
„ ipsius excellentiã ostenditur rebus præstare omnibus, quibus ipse essentiã tribuerit: sicq;
„ & eius filialitas, vt ita dicam, quæ est paternæ diuinitatis secundum naturam, ineffabili *Vide Hilar. & August.*
„ quadã præstantia antecellit filialitati eorũ, qui per ipsum adoptantur in filios. Nam ille
„ cũ sit in omnibus cumulatè perfectus, & nullius rei indigens, est natura planè immutabi
„ li: hi autem cum in vtramque partem conuerti possint, illius egent auxilio. Quî enim
„ fieri potest, vt Dei sapientia efficiatur perfectior, aut ipsa veritas aliquid sibi assumat,
„ quod omnino habet, aut verbum Dei eodem modo? Aut quo modo ipsa vitâ, lux ve-
„ ra præstabilior fiat? Quod si ita se habet quãto magis repugnat naturæ, vt sapientia stul
„ titiæ aliquando capax sit, aut potentia Dei implicetur imbecillitate, aut obscuretur te-
„ meritate ratio, aut tenebræ denique cum verâ luce commisceantur? præsertim cum &
„ Apostolus simili causa adductus, dicat: Quæ societas luci ad tenebras, aut quæ con- *2. Cor. 6. Prouerb. 30.*
„ uentio Christo ad Belial? & Salomon quoque, quòd fieri nequit, vt vel cogitatione
„ comprehendantur viæ serpentis super petram: quæ est, vt Paulus censet, Christus. Qui
„ autem sunt eius creaturæ, vt homines & angeli, benedictionem accepẽre, vt indies pro-
„ ficerent, & virtutibus mandatisque in lege præscriptis exculti exercitatique, non in vi-
„ tia delaberentur, ad eum planè finem, vt Dominus noster IESVS CHRISTVS,
„ qui est patris natura filius, ab omnibus adoraretur? Quinetiam idem ipsi, spiritu serui-
„ tutis depositò abiectoque, & spiritu adoptionis filiorum ex rectè præclareque factis, &
„ ex progressione in virtute assumpto, beneficio Christi, qui est natura Dei filius, affecti,
„ fiunt filij adoptiui. Quòd verò ad ingenuam, propriam, naturalem & eximiam eius fi-
„ liationem attinet, Paulus apostolus explanat de Deo, loquens his verbis: Qui proprio *Rom. 8. Christus Dei proprius filius.*
„ filio non pepercit, sed pro nobis, videlicet non natura filijs, ipsum tradidit. Nam
„ quò ab alijs filijs, qui non sunt proprij, distingueretur, eum proprium filium nomina-
„ uit. Porrò in Euangelio sic scriptum legimus: Hic est filius meus dilectus, in quo mi- *Mat. 3. Psal. 2.*
„ hi bene complacui. Itemque in Psalmis Seruator ait de se: Dominus dixit ad me, fili-
„ us meus es tu. in qua sententia & suam ipsius demonstrat ingenuitatem, & alios quos-
„ dam præter se sui patris filios esse non ingenuos. Quid quæso illud, Ex vtero ante luci- *Psal. 109.*
„ ferum genui te? an non perspicuè ostendit, naturalem, quæ in filio est, paternæ gene-
„ rationis proprietatem, quam non studio in moribus piè instituendis, non in virtute

Universidad de Deusto
Biblioteca

excolenda progressione, sed propria naturæ vi est consecutus? Proinde vnigenitus pa- A
Filij Dei proprietas immutabilis. tris filius hanc proprietatem, qua filius est, firmam & immutabilem tenet. At adoptio "
filiorum, quæ in hominibus rationis participibus est, quæque non natura ipsis, sed pro- "
bitate morum & Dei beneficio tributa sit, ex sacra Scriptura mutabilis ostenditur. Nam "
Gen. 6. videntes, inquit, filij Dei filias hominum, acceperunt sibi vxores: & quæ sequuntur. "
Esaiæ 1. Ac rursus, Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me, Deum per Esaiam pro- "
pheram dixisse cognouimus. Verùm quamuis de hac re multa habeam dicere, charis- "
simi fratres, tamen ea missa propterea facio, quòd absurdum putem, doctores fidei do- "
ctrina consentientes pluribus admonere: quippe cum ipsi sitis docti à Deo, & non igno- "
Ebionis & Artemæ hæresis. retis tum Ebionis & Artemæ doctrinam, quæ non ita pridem veram ecclesiæ pietatem "
Paulus Samosatenus. oppugnare cœpit: tum pestiferum studium Pauli Samosateni episcopi Antiochiæ, qui "
Lucianus. concilio omnium vbique episcoporum, atque adeò iudicio, ecclesia eiectus est. Cuius "
peruersæ doctrinæ Lucianus successor factus, multorum annorum spacio, hoc est, tan- "
tisper dum tres episcopi alius post alium, ecclesiam illam rexêre, exclusus ab ecclesia "
mansit. Istorum hæreticorum impietatis feces, hi qui modò in lucem editi, filium Dei "
ex nihilo ortum asserunt, quique sunt velut stolones occulti ex illis nascentes, animis "
hauserunt: Arium dico, Achillam, & reliquam improborum illis adhærentium tur- "
bam: quinetiam tres episcopos in Syria, nescio quo modo ordinatos: qui, quoniam "
istorum errores suo consensu approbarunt, videntur eorum amentiam velut facibus "
nouis admotis magis incendisse: in quos quidem accuratè inquirendi potestas vestro "
iudicio permissa est. Atque hi, quemadmodum voces de Seruatoris passione, de abie- "
ctione & exinanitione sui ipsius, de eius paupertate, aliasque, quibus tanquam aduenti- "
cijs se in Sacris literis nostra causa describi passus est, memoria ideo tenent, vt eas ci- "
tando, summam eius & sempiternam diuinitatem deprauent: sic verba, quæ natura- "
lem eius gloriam, nobilitatem, & æternam cum patre mansionem significanter expri- "
Ioan. 10. munt, penitùs eorum animis exciderunt. cuius generis sunt illa, Ego & pater vnum su- "
mus. Quam sententiam dum protulit Dominus, non se patrem appellauit, neque "
duas duarum personarum naturas vnam esse ostendit: sed quòd patris filius paternam "
effigiem accuratè seruare solet, quippe cum eius similitudinem in se à natura impres- "
sam habeat, & perfecta sit patris imago, & expressa figura exemplaris primarij. Vnde B
Filius patris character. Dominus Philippo quodam tempore patrem eius videre cupienti, dicentique, Ostен- "
Filius patri similis. de nobis patrem: apertè commonstrat, Qui vidit me, vidit & patrem: quandoquidem "
pater per ipsum velut per speculum purissimum, idemque animatum, in quo Dei ex- "
primitur imago, manifestò cernitur. Filium porrò patri similem, in Psalmis pronun- "
ciatum memorant sanctissimi viri, in quibus scriptum est: In lumine tuo videbimus "
lumen. Quapropter, qui honorat filium, honorat & patrem: idque planè meritò. "
Nam omnis vox impia, quæ temerè contra filium profertur, in patrem quoque reci- "
dit. Atque nemini mirum debet videri, fratres charissimi (hoc enim quoque perse- "
qui animus est) si falsas confictasque tum contra me, tum contra populum nostrum "
sanctissimum criminationes deinceps exposuero. Nam qui aciem ad diuinitatem fi- "
lij Dei oppugnandam instruxerint, non mirum si nos contumeliosis maledictis lace- "
Hæreticorum communis arrogantia, quæ antiquitatem omnem cæterosque mortales præ se contemnere consueuit. rare non vereantur. Qui etiam neminem volunt ex antiquis patribus sibi comparari, "
neque illis, quibus nos ab ineunte ætate vsi sumus præceptoribus, se pares existima- "
ri sinunt, imò verò ne vnum quidem collegarum nostrorum vel ad mediocrem sapi- "
entiam peruenisse censent: sed se solos sapientes, solos egestatem voluntariam se- "
ctantes, solos dogmatum inuentores, & sibi solis ea doctrinæ patefacta esse mysteria, "
quæ in nullius vnquam sub sole cogitationem ac mentem venerint, arbitrantur. O im- "
piam arrogantiam, ô insaniam immensam, ô inanem gloriam cum furore coniun- "
ctam: ô spiritus planè satanicos, qui impijs eorum animis velut callum maliciæ obdu- "
xêre. Non diuina veterum scripturarum claritas vllum ipsis incussit pudorem, nõ con- "
sentiẽs collegarum & pia de Christo doctrina eorum audaciam repressit: quorum sce- "
lus nefarium ne dæmones quidem, quippe qui sedulò caueant, ne vllam omnino ma- "
ledicam & contumeliosam vocem contra filium Dei eloquantur, omnino ferre viden "
tur. Ista à nobis pro virili nostra parte in præsentia allata sunt, ad eos coarguendos, qui "
in tam inepta contra Christum disputandi materia, tanquam in puluere se exercent, "
& nostræ erga illum pietati falso obtrectare nituntur. Nam isti ridicularum fabularum "
inuentores asserunt, nos, dum blasphemiam illam impiam, & à nemine vnquam li- "
teris proditam, nimirum quæ Christum filium Dei ex nihilo ortum docet, auersa- "
mur, duo ingenita tradere: atque, quæ est eorum inscitia, dicunt necesse esse alterum è "
duobus hisce statuere, nempe vel eum ex nihilo creatum, vel omnino duo esse ingenita: siqui-

A siquidem propter inertiam ignorant prorsus, quantum intersit inter patrem, qui inge- "
nitus est, & res ab eo conditas ex nihilo, siue rationis sunt participes illæ quidem, siue "
expertes. Inter quæ duo, natura vnigenita media interposita, per quam pater Dei ver- "
bi hanc vniuersitatem ex nihilo fabricauit, ex ipso qui pater est, genita fuit: sicut ipse "
Dominus quodam in loco testatur his verbis: Qui diligit patrem, diligit quoque fili- "
1. Ioan. 5. um, qui ex eo genitus est. De quibus nos sic credimus, vti Apostolicæ placet ecclesiæ: "
Fidei cõfessio. In vnum nempe ingenitum patrem, qui nullam habet causam suæ essentiæ, qui nec "
conuerti nec mutari potest, qui semper similiter & eodem modo se habet, qui neque "
accessionis neque decessionis capax est, qui leges, prophetas & euangelia nobis tradi- *Pater ingeni-*
dit, qui denique patriarcharum, apostolorum & omnium sanctorum dominus est. Et *tus, filius vni-*
in vnum Dominum IESVM CHRISTVM filium Dei vnigenitum, genitum qui- *genitus.*
dem non ex eo quod non est, sed ex eo qui pater est: neque id quidem more corporeo, "
per incisionem, aut diuisionum fluxiones (vti Sabellio & Valentino vsum est) sed "
modo quodam qui verbis explicari exprimive omnino non potest, secundum illam "
prophetæ vocem, quam suprà posuimus, Generationem eius quis enarrabit? cum eius "
subsistentia à nulla natura mortali peruestigari queat: quemadmodum neque ipse pa- *Isa. 53.*
ter à quoquam indagari, propterea quòd nuda humana rationisq; particeps cognitio- "
nem diuinæ à patre generationis comprehendere nequit. Quas res non par est vt viri "
spiritu veritatis incitati, à me perdiscant, præsertim cum vox Christi de hac re vestris "
auribus circumsonet & doceat, nimirum, quòd nemo nouit quis sit pater, nisi filius: "
& nemo nouit quis sit filius, nisi pater. Hunc præterea agnoscimus, perinde atque pa- *Luc. 10.*
trem, nec conuerti, nec mutari posse, nullius rei indigentem, perfectum filium simi- "
lem patri: & ab eo solum, quia ingenitus sit, discrepantem. Nam est accurata & ex- "
pressa patris imago. Atque constat, imaginem plenè complecti debere eas omnes res, "
quibus exemplar ipsum, quod maius est, perfectius exprimatur. Sicut ipse Dominus *Filium è patre semper existere.*
docuit: Pater maior me est. Atque hac ratione inducti, filium è patre semper existere "
credimus. Est enim splendor gloriæ, & character paternæ essentiæ. At nemo hanc vo- *Ioan. 14.*
cem (semper) sic intelligat, vt per eam filius ingenitus existimetur, sicut isti putant, *Hebr. 1.*
qui sensus animorum habent planè occæcatos. Nam neque dicitur, ERAT SEM- *Semper esse non idē quod ingenitum.*
PER ET ANTE SECVLA, idem est quod ingenitum. Immò verò neque vlla "
vox, quam humana mens conetur effingere, exprimere potest illud Ingenitum: adeò "
vt vos quoque ipse fretus vestro recto de omnibus rebus iudicio, eodem modo illud "
ipsum accipere confidam: quandoquidem hæ voces, vim huius verbi Ingeniti nullo "
modo exprimunt. Nam hæ tanquam temporum quidem productionem videntur in "
se complecti, diuinitatem autem vnigeniti, &, vt ita dicam, antiquitatem pro digni- "
tate explanare nequeunt. Vnde euenit, vt sancti viri, cum hoc mysterium explicare sin- "
guli pro viribus enixè contendant, veniam petant ab auditoribus, & apud illos non si- "
ne causa se excusare conentur, his ferè verbis: *Eatenus de his rebus instituimus, quatenus* "
mentis nostræ vis consequi potest. Si qui sunt, qui expectent vocem vllam perfectiorem o- "
re humano efferri, quàm captus fert humanus, dicantque ea quæ fuerant ipsis ex parte "
cognita, iam obscurari: est sanè perspicuum, quòd illud (Erat semper & ante secula) "
longè abest ab eo quod illi expectant: quæ quidem cuiuscunque generis sint, non sunt "
idem cum ingenito. Ac propterea & dignitas, quæ est ingeniti propria, ei seruanda est: *Ingeniti dignitas soli patri propria.*
dicendumque, nullam ipsi esse eius essentiæ causam: & honor filio debitus, ei tribu- "
endus, assignandaque illi generatio à patre initio carens. Et cum hunc illi honorem, "
quantum in nobis est, tribuimus, has voces, ERAT SEMPER ET ANTE SECV- "
LA piè & sanctè, cum de eo loquimur, proferimus: non tamen vt quicquam de e- "
ius diuinitate detrahamus, sed vt exquisitam omnino imagini & figuræ patris attribu- "
amus similitudinem: & Ingeniti vocabulum patri, vtpote eius solum proprium ascri- "
bendum propterea existimemus, quòd Seruator ipse dicit, Pater maior me est. Ac præ- "
terea istam piam de patre & filio sententiam, vnum præterea Spiritum sanctum, sicut nos *Spiritus S. vnus.*
docent Sacræ literæ, confitemur, quòd non modò sanctos homines veteris Testamen- "
ti, sed etiam diuinos noui Testamenti doctores innouauit. Ecclesiam porrò vnam so- "
lam catholicam & Apostolicam agnoscimus, quæ sicut nunquam expugnari potest, *Ecclesia catholica, vna inexpugnabilis, & Hæreseon victrix.*
etiam si totus mundus eam oppugnare instituat: sic omnem impiam hæreticorum in- "
cursionem euincit ac profligat, quandoquidem eius Dominus nos efficit satis animo- *Ioan. 16.*
sos, dum clamat, Confidite, ego vici mundum. Quinetiam credimus, ex mortuis re- "
surrectionem, cuius primitiæ fuit Dominus noster IESVS CHRISTVS qui corpus "
non specie adumbratum, sed verum ex Deipara Maria sumpsit: qui in fine seculorum "
inter homines, ad delẽda peccata, versatus est: qui crucifixus est, & mortuus sine vlla ip-

Universidad de Deusto
Biblioteca

sius diuinitatis imminutione: qui resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, & sedet ad A
dextram maiestatis Dei. Ista quidem ex aliqua parte epistola complexus sum, quando-
quidem singula accuratè literis persequi absurdum, vt dixi, ideo sum arbitratus, quòd
cædem res, vestras pias ac studiosas mentes minimè fugiant. Ista docemus, ista prædica-
mus, ista sunt Apostolica Ecclesiæ dogmata, pro quibus mortem oppetere non dubita-
mus: neq; quicquam moramur de illis qui nos ad hæc eiuranda compellere studeant: &
licet nos tormentis cogere aggrediātur, non tamen spem, quæ animis nostris insita est,
abijciemus. Cui doctrinæ Arius, Achillas, & reliqui pariter veritatis hostes refragati,
ecclesia exturbati sunt, quippe cum sint à pia nostra doctrina prorsus auersi, iuxta illam
Gala. 1. beati Pauli sententiā: Si quis vobis euāgelizauerit, præter id quod accepistis, anathema
esto, licet angelum è cœlo se esse simulet. Quinetiam si quis aliud doceat, & nō accedat
1. Tim. 6. sanis sermonibus Domini nostri IESV CHRISTI, & doctrinæ quæ secundum pietatem
est, is inflatur, nihil sciens: & quæ sequuntur. Istos verò à fratribus anathemati addictos
nemo vestrûm excipiat, neque eorum verba vel scripta audire sustineat. Omnia enim
non aliter atque præstigiatores ementiuntur: veritatem loqui nolunt. Nam per vrbes
circumcursant, non alio quidē studio adducti, quàm vt amicitiæ & pacis nomine lite-
2. Tim. 3. ras per simulationem assentationemque dent, accipiantque: quo per illas in errorem
mulierculas paucas peccatis onustas, quas dolo deceperint, facilius inducant: & quæ
sequuntur. Quapropter istos qui tot scelera contra Christum edere ausi sunt, qui reli-
gionem Christianam partim maledictis palàm concidere, partim in iudicijs contume-
liæ exponere, qui tempore pacis, quantum in illis est, persecutionem contra nos conci-
tare, qui denique arcanum Christi generationis mysterium eneruare impense labora-
runt: istos inquam fratres charissimi, & fide nobiscum consentientes, auersati, vnà no-
biscum contra insanam eorum temeritatem ferte suffragia, non aliter atq; alij collegæ
nostri, qui rē ægrè ferunt, qui epistolas contra istos scriptas ad me miserunt, qui libello
aduersum eos edito subscripserunt: quæ omnia per filium meū Apinonem diaconum
ad vos misi. atque primùm epistolas collegarum, qui sunt in Aegypto & Thebaide: de-
inde eorum qui Libyam, Pentapolim, Syriam, Lyciam, Pamphiliam, Asiam, Cappa-
dociam, & alias regiones hisce finitimas incolunt: quorum exemplum vos imitantes
persuasum habeo ad nos itidem daturos literas. Et cum multæ aliæ curationes ad eos B
sanandos, qui hoc errore vulnerati sunt, suppetebant: tum istud etiam remedium ad
medicinam populo ab istis decepto faciendam inuentum est, si modò obtemperare
voluerint: & cùm consensum collegarum nostrorum intelligant, eorum hortatu ad
pœnitentiam se seriò recipere. Salutate vos ipsos mutuò vna cum fratribus, qui vo-
biscum sunt. Opto vos, fratres charissimi, tum in Domino valere plurimum, tum fru-
ctum ex vestro pio in Christum animo percipere. Sunt autem hæretici anathemate
Hæretici anathemate damnati qui. damnati ex numero presbyterorum Arius: ex diaconorum autem, Achillas, Euzoius,
Aethales, Lucius, Sarmates, Iulius, Menas, Arius alter, & Helladius. Literas etiam
in eandem sententiam scripsit idem Alexander ad Philogonium, Antiochenæ eccle-
siæ antistitem, ad Eustathium qui id temporis Berœæ rexit ecclesiam, & ad alios qui
Arij duo. erant dogmatum Apostolicorum patroni. Quin Arius ne se continere quidem potu-
it, sed scripsit etiam ipse ad eos, quos suæ opinioni se censuit habere consentientes.
Quòd verò nihil falsi contra eum diuinus scripserit Alexander, Arius ipse literis, quas
dedit ad Eusebium Nicomediæ episcopum, locuples testis est. Itaque ponam hoc in
loco eius epistolam, vt impietatis eius socios velut ante oculos eorum quibus sunt ig-
noti, statuam.

Arij epistola ad Eusebium Nicomediensem episcopum.

CAPVT V.

Eusebio, domino suo amantissimo, homini Dei, fideli, orthodoxo: Arius, quem Alexander Papa iniustè insectatur ob veritatem, quæ vincit omnia, & quam tu strenuè propugnas, in Domino S.

Vide Nicephor. lib. 8. ca. 9.

CVm pater meus Ammonius Nicomediam iter faceret, officij mei ratio postulare videbatur, vt te per eum compellarem, simulque etiam amorem tibi insitum & be-
Arij epistola. neuolum animum, quo fratres propter Deum & Christum eius complecti soles, tibi in
memoriam propterea reuocarem, quòd episcopus Alexander grauiter nos oppugnare,
persequi, & omnem (vt dicitur) rudentem contra nos mouere cœperit: eo quidem ani-
mo, vt nos velut homines impios è ciuitate ideo expellat, quòd ei minimè assentimur,
publicè prædicanti in hunc modū: Semper Deus, semper filius: simul pater, simul filius:
simul cum Deo patre ingenito filius est, semper genitus est, ab ingenito genitus est: &
tamen neque cogitatione, neque indiuiduo aliquo temporis puncto Deus pater filium
ante-

A antegressus est: sed semper Deus pater, semper filius: ex ipso Deo patre exiſtit filius. Ac *Varij Orientis hæretici.*
„ quoniam Eusebius frater tuus, episcopus Cæsareæ, Theodotus, Paulinus, Athanasius,
„ Gregorius, Aetius, & omnes deniq; Orientales affirmāt Deum patrem filium sine prin-
„ cipio antegressum, anathema illis denunciatum est: exceptis solum Philogonio, Hel-
„ lanico & Macario hæreticis, qui de fide minus rectè instituti sunt: quorum vnus filium
„ eructationem, alter productionem, tertius eum vnà cum patre ingenitum asserit. Quas
„ impietates ne audire quidem possumus, etiam si hæretici mille mortes nobis minaren-
„ tur. Nos autem quæ sit nostra sententia sensusque, & docuimus, & docemus: filium ni- *Arij sententia.*
„ mirum neque ingenitum esse, neque patrem ingeniti vllo modo: neque ex vllo subie-
„ cto, sed voluntate & consilio ante tempora & ante secula plenum Deum extitisse, vni-
„ genitum, immutabilem & antè quàm gigneretur aut conderetur, aut præfiniretur, aut
„ fundaretur, non fuisse. Nam ingenitus non erat. Exagitamur igitur, quòd filium prin-
„ cipium habere, Deum patrem carere principio dicimus. Atque tum hac de causa, tum
„ quòd dicimus eum ex nihilo constare, nos persequuntur aduersarij. Istud verò sic ideo
„ asseruimus, quòd non sit pars Dei patris, neque ex vllo subiecto exiſtat. Hac de re
„ nos insectantur: nosti tu ipse cætera. Te Eusebi, qui non immemor es nostrarum affli-
„ ctationum, quique verè Collucianista es, opto in Domino valere plurimum. In nu-
mero eorum, quos iste recensuit, erat Eusebius episcopus Cæsareæ, Laodiceæ Theodo-
tus, Paulinus Tyri, Anazarbi Athanasius, Gregorius Beryti, & Aetius Lyddæ episco-
pus. Est autem Lydda ciuitas, quæ iam vocatur Diospolis. istos quidem solos se suo er- *Lydda. Ario viuenti qui fuerint maximè ad- uersati.*
rori habere assentientes, admodum gloriabatur Arius. adversarios autem vocauit Phi-
logonium Antiochiæ præsidem, & Hellanicum Tripolis, & Hierosolymorum Maca-
rium: hosq; falsò in crimen adducere propterea laborauit: quòd filium Dei cùm æter-
num & ante secula esse dixerunt, tum eiusdem cum patre honoris participem, & ei
consubstantialem esse. Hanc eius epistolam cum accepisset Eusebius, cœpit ipse quo-
que virus suæ impietatis emouere. Itaque ad Paulinum Tyri antistitem scribit ad hunc
modum.

Eusebij episcopi Nicomediensis ad Paulinum episcopum Tyri epistola.

B

CAPVT VI.

Domino suo Paulino Eusebius in Domino S.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 10.

Eusebij Nicomediensis epistola.

EQue studium domini mei Eusebij pro veritatis defensione susceptū,
„ neq; tua de eadem re, domine mi Pauline, reticentia, in silentio qui-
„ dem iacet, sed ad nostras vsq; aures vtrunq; perlatum est. Atq; vti e-
„ rat plane consentaneum, de Eusebio quidem Domino meo, magnā
„ lætitiam: de te autem dolorem nō mediocrem cæpimus, præsertim
„ cum cōiectura auguraremur eiusmodi viri silentio nos prorsus cau-
„ sa casuros esse. Quapropter obsecro te, vt cum scias, quàm virum
„ prudentem deceat, ea quę sunt à veritate aliena tueri: quæ autem vera, ea reticere: ad
„ scribendum, vbi rationem spiritu diuino ad eam rem præparaueris, te ponas de hac qui-
„ dem materia, quæ & tibi possit esse & tuis auditoribus emolumento: præsertim si sa-
„ cram Scripturam, & verborum illius & sententiarum quasi vestigia sedulò sequens, ad
„ scribendum animum induxeris. Neque enim de duobus ingenitis nos audiuimus, neq;
„ vnum in duo diuisum, neque illud vllam corpoream affectionem subijsse didicimus,
„ credidimusue, domine mi Pauline: sed vnum ingenitum, vnum ex eo verè, sed non ex
„ substantia eius genitum, naturæ ingeniti omnino & eius essentiæ expers: atq; quod ge-
„ nitum erat, natura & facultate prorsus diuersum, factum tamen ad perfectam affectio-
„ nis & facultatis procreatoris similitudinem: cuius principium nō modò non posse ver-
„ bis exprimi, sed ne cogitatione quidem non dicam humana, sed ne eorum quidem om- *Hæretici scri- piuram subin- de iactant.*
„ nium qui longè supra hominem putandi sunt, comprehendi credimus. Atq; ista sanè
„ non è nostris rationibus deprompta esse, sed ex Sacris literis nos didicisse affirmamus:
„ indeq; cognouisse filium essentia sua conditum, fundatum, genitum, natura esse immu-
„ tabili inexplicabiliq;, & similitudine procreatoris sui, vt ipse Dominus ait: Deus con- *Prouerb. 8.*
„ didit me in initio viarum suarum, & ante secula fundauit me, & ante omnes colles ge-
„ nuit me. Quòd si filius ex patre est, hoc est, vel vt pars ipsius, vel vt ex fluxione essentiæ:
„ quòd si ita esset, neque conditus neque fundatus amplius diceretur, quod te reuerà do-
„ mine Pauline minimè fugit. Nam illud quod exiſtit ab ingenito, non amplius vel ab
„ alio, vel ab eodem condi aut fundari potest, cùm sit ab initio ingenitum. Quod si,
„ quia genitus dicitur, indicio vlli sit, quòd ex paterna essentia genitus est: & quòd ex eo
„ habet eandem cum eo naturam: pro certo scimus, Scripturam non de eo solo, sed de

Universidad de Deusto
Biblioteca

alijs rebus omnino natura disparibus hanc vocem Genitum vsurpare solere. Nam de hominib. quoq; sic loquitur: Filios genui & exaltaui, & ipsi spreuerunt me. & rursum: Deum, qui te genuit, dereliquisti. Alio item in loco sic ait: Quis est, qui genuit stillas roris? quibus in locis non naturam ex natura procreatam ostendit, sed singulas res genitas ex voluntate illius ortum habuisse. Nam nihil ex eius substantia gignitur: sed vnumquodq; voluntate eius genitum, sicut genitum est, existit. Ipse enim Deus est: illa autem quæ sunt ad similitudinem eius creata, verbo illius similia futura sunt: & ipsius voluntate genita, omniaq; per ipsum à Deo patre facta sunt, omnia deniq; ex Deo. Quas rationes cum acceperis, easq; pro gratia, quę tibi diuinitùs suppetit, expoliueris, fac vt domino meo Alexandro scribas. Nam persuasum habeo, si ad illum scripseris, te cum de sentētia deducturum. Saluta omnes fratres in Domino. Diuina gratia te, vt pro nobis ores, Domine mi, diu valentem seruet. Literis eiusmodi vltrò citroq; datis acceptisq;, isti se ad bellum contra veritatem armarunt. Proinde cum semina blasphemiæ in ecclesijs Aegypti & Orientis ad hunc modum sparsa essent, in singulis quoq; vrbibus & pagis discordiæ & pugnæ de sacris ac diuinis dogmatibus excitatæ. Imperita aūt multitudo tum spectatrix factorum, tum verborum iudex fuit. Ac pars horum, pars illorū approbauêre sententiam. Res autem gestæ non tragœdia solum, sed lugubri etiam fletu dignæ visæ sunt. Nam non peregrini & hostes, sicut olim, ecclesias oppugnare: sed eiusdem tribus homines, eiusdem tecti, atq; adeò eiusdem mensæ participes contra se ipsi linguas, hastarum loco, exacuêre: imò verò etiam cum membra essent in vnum corpus coagmentata, arma aduersum se mutuò ferre cœperunt.

Isa. 1. Deut. 32. Iob. 38.

Ariani ad bellum contra veritatem se armant.

Hæreses ciuilium bellorum motrices.

Quæ res in celebri Nicæno concilio gerebantur. CAP. VII.

VIbus rebus cognitis, Imperator sapientissimus primum ipsum malorum fontem obstruere laborat: & ob eam causam mittit quendam hominem ingenio præstantem cum literis Alexandriam: atque eo pacto tum contentionis incendium extinguere nititur, tum spem animo capit, se fratres seditione exæstuantes ad cōcordiam posse reducere. Verùm vbi spes eum fefellerat, celebre illud Nicænū concilium cogit, & publicos asinos, mulas & mulos, quin etiam equos episcopis & comitibus suis ad iter faciendū vtendos dat. Simulatq; aūt in vnum fuêre congregati omnes qui itineris molestias ferre poterant, Imperator quoq; venit Nicæam, tum quòd episcoporum cupiebat videre multitudinem, tum quòd inter eos concordiam constituere desiderabat: atq; statim res omnes necessarias illis suppeditari iubet. Trecenti decem & octo episcopi ibi in vnum conuenerant. episcopus aūt Romanus propter ætatem admodū ingrauescentem abfuit. Verùm duos illò misit presbyteros, potestate illis concessa, actis illius concilij assentiendi. Erant eo tempore multi viri, quos dona planè Apostolica magnopere commendabant: multi etiam qui stigmata Domini IESV (vt diuus ait Apostolus) in corpore gestabant. nam Iacobus episcopus Antiochiæ, vrbis Mygdoniæ (hanc aūt Syri & Assyrij Nisibin appellant) vixit id tempore: qui & excitauit mortuos, iniq; numerum viuorum restituit, & infinita alia edidit miracula, quæ in hoc rursus Opere inserere superuacaneum arbitror, præsentim cū sint à me in historia quæ Philotheus inscribitur, commemorata. Paulum præterea episcopū Neocæsareæ (est hoc quidem castellum ad Euphratis litora situm) Licinij rabies tuncacerbè torserat. Nam primum ambæ manus ei colligatæ erant: deinde ferrum candens illis admotum, quo nerui, quib. articuli commoueri solent, contracti labefactatiq; fuerunt. Alij erant, quib. oculi dextri fuêre effossi: alij, quib. dextrorum pedū flexiones debilitatæ, ex quorum numero fuit Paphnutius Aegyptius. Ad summā, ibi videre licebat multitudinem martyrū in vnum coactā. Neq; tamen diuinus iste & venerandus cœtus hostibus Dei caruit: sed aderant quidam, licet pauci numero, ijq; veteratores, qui *maris breuia imitati, calliditatem suam occultarunt: & Arij blasphemijs, quamuis nō palàm & apertè, occultè tamen patrocinati sunt. Itaq; cū omnes Niceæ conuenissent, Imperator aulā illis in palatio præparauit maximā, iussitq; tot scamna atq; sedes in ea locari, quot episcoporum conuentui satis esse possent. Loco igitur ad hunc modū ipsis honorificè parato, intrare permisit, & de rebus propositis consultare. Illò ipse Imperator postremus cum paucis se comitantibus ingressus est: cuius corporis proceritas summè laudanda fuit, cuius pulchritudo excellēs maximè, cuius pudor, qui in vultu insidebat, planè admirabilis. Deinde sella parua in medio posita (istud enim sibi permitti ab Episcopis postulauerat) consedit: & omnis diuinus ille cœtus se pariter in sedibus collocauit. Statim vt sessum est, Eustathius ille magnus (qui Philogonio, cuius suprà mentionem feci, ex hac vita ad aliam meliorem translato, episcopatum Ecclesiæ Antio-

Constantinus frustra occupatus in dissidio Religionis litteris componendo.

Videsocr. lib. 1. cap. 6.

Nicænum concilium congregatum.

Vide Niceph. lib. 8. cap. 11. 14. Sozom. lib. 1. cap. 16. In vita Cō. stant. libr. 3. cap. 6. & cæteris.

318. Episcopi ad Concilium Nicænū conuenerunt. anno 328. Gal. 6.

Episcopus Romanus Senio impeditus quominus ipse veniret, legatos duos ad cōcilium misit.

Nisibis, Antiochia Mygdoniæ.

Philotheus Theodoriti Paulus Neocæsareæ episc. Neocæsarea

*Paphnutius. *Vel raucedinem simulatione imitantes. Nam quædā exemplaria habēt ἐφέγγου.*

Constantinus Imp. in concilio Nicæno præsens.

Constantini elegans forma.

Eustathius magnus Antioch episc. Constantinum laudat.

A Antiochenæ obtinuit: quippe hunc episcopi & sacerdotes & vniuersus populus Christo deditus, communibus suffragijs inuitum ecclesiam illam pro Philogonio pascere coëgerunt) ille inquam Eustathius Imperatorem laudis insignibus ornare, & ei pro singulari suo studio erga res sacras eximia gloriæ præconia tribuere cœpit. A quo cum esset peroratum, Imperator omni genere laudis illustrissimus, verba facere de concordia & consensu animorum: in memoriam eos redigere tum crudelitatis tyrannorum, tum præclarissimæ pacis suis temporibus diuinitùs ecclesiæ donatæ. ostendere etiam, quàm graue esset, imò verò quàm acerbum, hostibus iam profligatis, & nemine ex aduerso se opponere audente, vt ipsi se oppugnarent mutuò, & lætitiam inimicis, atque adeò risum præberent: præsertim cum de rebus diuinis disputarent, haberentque doctrinam sacratissimi Spiritus literarum monumentis proditam. Nam libri, inquit, Euangelistarum & Apostolorum, quinetiam veterum Prophetarum oracula, nos euidenter docent, quid de diuino numine sentiendum sit. Omni igitur seditiosa contentione depulsa, literarum diuinitùs inspiratarum testimonijs res in quæstionem adductas dissoluamus. Ista, aliaque de genere eodem, dum doctrinæ Apostolicæ consensum stabilire moliretur, tanquam filius patris amantissimus, episcopis & sacerdotibus velut patribus proposuit. At quanquam maxima pars Concilij verbis eius obtemperauit, & mutuam concordiam doctrinamque sanam amplexata est: tamen pauci quidam, quorum supra feci mentionem, & præter eos Menophantus Ephesius, Patrophilus Scythopolitanus, Theogonius ipsius Niceæ episcopus, Narcisus episcopus Neroniadis, (est autem Neronias minoris Ciliciæ vrbs, quam Irenopolim iam vocamus) & cum his vnà Theonas Marmaritanus, & Ptolemaidis AEgyptiorum secundus, Arij patrocinio susceptо doctrinæ Apostolicæ contradixerunt. Quinetiam fidei formulam, quam composuerant, concilio proposuerunt, quæ, vt primum perlecta fuit, quoniam omnes eam adulterinam & commenticiam esse vociferabantur, illicò discerpta est. Ac cū ingens tumultus esset contra eos concitatus, & omnes eos vt pietatis proditores insimularent, metu perculsi exurrexêre: atq; ipsi primi ōmnes vnà, solis Secundo & Theona exceptis, sententiam excommunicationis contra Arium pronunciauêre. Quocirca impio illo ecclesia exturbato, fidei formula, quæ adhuc in ecclesijs seruatur, communi cōBsensu composita, & subscriptionibus omnium confirmata, Concilium dimissum est.

Constantinus Imp. in episcoporum cōfessū oratio.

Arij patrocinatores.

Neronias Ireno polis.

Arianorum fidei formulā discerpta.

Eorum qui Ario fauebant, ex Eustathij & Athanasij commentarijs reprehensio. CAP. VIII.

Vide Niceph. cap. 11. lib. 8.

MErùm enimuerò episcopi, quorum nomina suprà citauimus, veteratoriè & parùm sincerè huic fidei formulæ consenserunt. Quod quidem ita se habere, testimonio esse possunt cùm insidiæ, quas ipsi postea contra pietatis propugnatores struebant: tum libri, quos hi contra eos ipsos ediderunt. Nam Eustathius ille ecclesiæ Antiochenæ episcopus, cuius antè facta est mentio, vbi res ab illis gestas docuit, & blasphemiam in Deum refutauit, & interpretatus est denique sententiam illam Prouerbiorum, quæ ita habet: Dominus cō-
» didit me in initio viarum suarum ad opera sua, ista quæ sequuntur scribit. Abeo, in-
» quit, ab his, & ad acta Concilij venio. Quid ergo? Vbi his de causis Nicæam aduenta-
» uit maximus episcoporum cœtus, numero ducentorum & septuaginta minimùm in
» vnum coactorum (nam propter ingentem eorum multitudinem nihil certi de nu-
» mero scribere possum, quandoquidem in eo curiosè vestigando minimè laboraui) v-
» bi etiam de fidei modo quæri cœptum est, Eusebij blasphemia per suas ipsius literas
» satis perspicua deprehensa fuit: quæ quidem literæ vbi fuêre perlectæ, sicut auditoribus
» immensum dolorem propter eius de ecclesia decessionem, sic earum authori insana-
» bile dedecoris vulnus intulerunt. Ac tametsi iam impia Eusebij officina patefacta e-
» rat, & nefariæ eius literæ in omnium conspectu discerptæ: tamen quidam fraudulenter
» nomine pacis simulato, omnes, qui præclarissimè concionari solebant, silere com-
» pulerunt. Qui autem apertè Arijinsaniam sectabantur, ij veriti ne authoritate tan-
» ti Concilij in vnum coacti in exilium eijcerentur procedentes in medium, ipsi veh-
» tum Arij dogma damnant anathemate, & literis de fide omnium consensu composi-
» tis sua manu subscribunt. Verùm vbi episcopatus huc illucque, quantum fieri potu-
» rat, circumcursando adepti sunt, cum iam ob errorem suum se acerbè afflictare, & hu-
» mi abijcere debuissent: opiniones quas damnauerant, primùm ex occulto, deinde
» palàm propugnare, varijsque argumentis eas fallaciter roborare cœperunt. At verò
» licet constituerent zizaniorum plantas altius in animis hominum, & firmius insere-
» re: tamen metuebant exploratores, & eos, à quibus suum errorem deprehendi posse

Prouerb. 8.

Eustathij Antiochi. de Concilio Nicæno narratio.

Eusebij blasphemia per literas deprehē sa.

Ariani quæ metu damnauerant, licentiam nacti repetunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

putauerant, sedulò vitabant. Qua causa inducti, pietatis præcones expugnare conabantur. Cæterùm nos longè ab eo absumus, vt credamus diuinum numen ab impijs hominibus posse superari. Nam vt denuò vires recuperent, denuò tamen profligabuntur: vt præclarè apud Esaiam prophetam scriptum legimus. Hactenus magnus ille & illustris Eustathius. Athanasius autem, eiusdem cum eo certaminis particeps, & strenuus veritatis propugnator, qui Alexandro illi nunquam satis laudato in episcopatu Alexandrino successit, in literis, quas scripsit ad Afros, ista memorat.

Athanasij ad Afros epistola.

Cum episcopi, qui in vnum conuenerant, haberent in animo, impias voces ab Arianis inuentas tollere, nimirum, filium Dei ex nihilo genitum, creatum esse, factum esse, & tempus fuisse quando non erat, & natura esse mutabili: & voces Scripturarum, omnium consensu approbatas in earum locum reponere, nempe filium ex Deo natura vnigenitum esse, verbum, virtutem, sapientiam solam patris, Deum verum (vti loquitur Ioannes) & sicut Paulus scribit, splendorem gloriæ, & formam paternæ essentiæ: Eusebius eiusque fautores peruersa sua opinione à vero abducti, dixêre inter se: Hisce consentiamus. etenim nos quoque ex Deo sumus. Vnus namque Deus, ex quo omnia. & rursus: Vetera præterierunt, ecce noua facta sunt omnia: Omnia autem ex Deo. Quinetiam pro se citarunt sententiam libri, qui Pastor inscribitur, quæ ita se habet: Primùm omnium credito, vnum esse Deum, qui omnia condidit, & absoluit, & ex eo, quod non est, effecit vt essent. At verò alij episcopi, astutia eorum, & perdito impietatis ac fraudulento conatu exploratè cognito, planius explicarunt illud, EX DEO ESSE: scripseruntque, filium ex Dei essentia esse: vt tum creaturæ, propterea, quòd non ipsę ex se, aut sine causa ortæ sint, sed principium ortus sui haberent, ex Deo esse dicantur, tum filius solus existimetur* propriè ex patris essentia constare. Hoc enim vnigeniti & veri verbi Dei patris proprium est. Quod autem ab Episcopis scriptum est, EX PATRIS ESSENTIA, hæc causa fuit. Rursus cum pauci, qui Ariani putabantur, rogarentur ab episcopis, vtrum dicerent filium non creaturam esse, sed virtutem, sapientiamque solam patris, & æternam atque adeò cumulatè perfectam patris imaginem, & Deum verum: manifesto tenebantur Eusebiani, nutu sibi inuicem significasse, hæc etiam in nos cadere. Etenim nos imago & gloria Dei dicimur. Et de nobis dictum esse, Semper & nos, qui viuimus: &, Multæ virtutes sunt. Quinetiam illud: Exijt omnis virtus Dei è terra Aegypti: itemque brucus & locusta, dicitur potentia magna. Alio quoque in loco: Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Quinetiam nos propriè ex Deo esse, non possumus (inquiunt) simpliciter dicere: sed, quòd fratres etiam vocauit. Quod si filium verum Deum dicant, illud nos minimè conturbat. Nam qui verè factus sit, verus est. Atque ista quidem est deprauata Arianorum sententia. Verùm episcopi, cum eorum fraudes perspectas haberent, has voces, SPLENDOR, FONS, FLVVIVS, FORMA ESSENTIAE: &, IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN, &, EGO & PATER VNVM SVMVS, ex Scripturis collegêre: atque de reliquo scripsere apertius & breuius, filium Patri consubstantialem esse. Nam voces supra positæ, hanc eandem habent vim. Quòd autem obstrepunt, has voces in Scripturis non reperiri, frustrà sanè ac temerè obstrepunt. Nam illi ipsi ex vocibus non scriptis in impietatem delapsi, voces quoque non scriptas, nimirum FILIVM EX NIHILO CREATVM, &, TEMPVS FVISSE QVANDO NON ERAT, ad suum errorem confirmandum afferunt. Quapropter ex non scriptis vocibus, pie tamen excogitatis condemnati sunt. Ipsi enim voces sui erroris ex stercore eruentes, vtverè terrenos decebat, locuti sunt: episcopi autem non suoptè ingenio verba excogitantes, sed à patribus petentes testimonia, sic scripserunt. Nam erant Episcopi veteres ante annos ferè centum & triginta tum Romæ vrbis præpotentis, tùm in nostra ciuitate, qui criminabantur eos à quibus filius factus dicebatur, & non consubstantialis patri. Quod quidem intellexerat Eusebius Episcopus Cæsareæ: qui quanquam antè deflexerat ad hæresin Arianam, posteà tamen Concilio Nicæno subscripsit: atque adeò suæ Ecclesiæ per literas confirmauit, se planè animaduertisse, hoc verbum ὁμοούσιον, id est, consubstantiale, à veteribus Episcopis & scriptoribus, ijsque disertis & illustribus in diuinitate patris & filij explicanda vsurpatum esse. Hæc Athanasius. At verò isti, erroris sui morbo occultato (Episcoporum namque multitudinem extimescebant) decretis in Concilio editis assensi sunt: sicque reprehensionem Prophetæ in se ipsi deriuarunt. Ita namque contra eos auctor rerum vniuersarum Deus vociferatur: Populus iste labijs me honorat, cor eorum longè est à me. Theonas autem & Secundus, quoniam illud ipsum facere recusabant, commu-

Hebr. 1.

2. Cor. 5. Pastoris libri sententia.

** κτίσιος, pro ἴδιος: æternus pro propriè legit Niceph. lib. 8 cap. 21.*

Psalm. 45.

Psalm 35. Ioan. 10.

Eusebius Cæsarien. epist. Nicæno concilio subscribit. ὁμοούσιον.

Marc. 7. Isai. 29.

A communi omnium consensu abdicati sunt, vtpotè Arij blasphemiam Euangelicæ doctrinæ præferentes. Episcopi rursus in concilium conuenientes, de administratione ecclesiastica leges seu Canones viginti conscripsere.

Theonas & Secundus omnium cõsensu abdicantur.

Quæ contra Meletium Ægyptium acta fuerunt, à quo Meletiani schismatici, qui ad hunc vsque diem permanent, emanarunt: & synodica de illo epistola.

CAP. IX.

Vide Socrat. l. c. 6. Vide Nicephor. c. 19. 24. lib. 8. Sozo. lib. 1. cap. 19. 20.

QVoniam autem Meletius, qui non multò ante tempus quo insanus Arij error cœptus est, episcopus delectus fuerat: quique posteà ob quasdam nefarias opiniones à sanctissimo Petro episcopo Alexandrino, cui corona fuit donata martyrij, refutatus erat, & episcopatu abdicatus: Quoniam, inquam, abdicationis non acquieuit sententiæ, sed Thebaidem & Aegyptum ei finitimam tumultu ac procellis contentionis refersit, & tyrannidem contra primatem Alexandrinum exercuit, idcirco Episcopi scripsere epistolam ad ecclesiam Alexandrinam, qua planè quid de isto Meletio nouas res moliente statuissent, significarunt: cuius exemplar infrà posuimus.

Meletius nouæ turbæ author.

Epistola Concilij Nicæni.

Sanctæ eximiæque Dei gratia ecclesiæ Alexandrinæ, & dilectis fratribus, Aegyptum, Libyam & Pentapolim incolentibus, episcopi Nicææ coacti, & ad amplum sanctumque Concilium conuocati, in Domino salutem.

Episcoporum Concilij Nicæni Epistola.

» Voniam Dei gratia, & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex varijs prouincijs & ciuitatibus in vnum congregauit, magnum & sanctum cõcilium Nicænum coactum est: necessarium videtur, vt à toto sacro concilio literæ ad vos mittantur, ex quibus possitis intelligere cùm ea, quæ in controuersiam adducta, & exquisitè disceptata sunt, tum quæ † Videan. pag. 285. l. 1. lin. 23. decreta & constabilita. † Primùm impia & peruersa dogmata Arij, eorumque, qui eius sectam sequuntur, coram sanctissimo Imperatore Constantino perquisita sunt: vnde placuit Concilio, communibus suffragijs anathema denunciare eius nefariæ opinioni, & verbis sententijsque execrabilibus, quibus vsus est ad filium Dei blasphemijs afficiendum: nimirum, eum ex nihilo ortum esse, nec fuisse antequam natus esset: fuisse tempus aliquando, cum non esset: filium Dei libera voluntate & arbitrio, † Videi. bid. lin. 28. vitij & virtutis capacem esse, * creaturam esse, factum esse. Quibus omnibus sanctum Concilium indicit anathema: imò verò ne pati quidem potest, vt vel impia eius opinio, vel insolens ipsius amentia, vel verba plena blasphemiæ ad aures perueniant. Quinetiam ea, quæ ad istum pertinent, quem sint exitum consecuta, omninò vos vel audiuistis, vel saltem à nobis audietis, ne nos hominem, qui debitam mercedem suæ culpæ acceperit, temerè & sine causa insectari videamur. Eò vsque certè eius prorupit impietas, vt Theonam Marmaricæ episcopum, & Secundum Ptolemaidis ad exitium secum perduceret. Nam eadem cum illo pœnas ipsi luebant. Verùm cum Aegyptus non modò illa opinionis peruersitate, impietate & blasphemia, sed etiam certis hominibus, qui in populo vitam ante illud tempus pacatè & tranquillè degente seditionem & discordiam concitare non veriti essent, Dei gratia penitùs liberata esset: tamen adhuc pertinax inscitia tum Meletij, tum eorum quibus honores Ecclesiasticos detulerat, restabat. de qua re quid Concilium decreuerit, fratres charissimi, sic habetote. Concilium clementius aliquanto in Meletium animatũ (nam si accuratè in eum inquisitum fuisset, nihil certè commeruisset veniæ) decernit, vt in propria ac sua ciuitate remaneat, nullamq; habeat potestatem vel cuiquam manus imponendi, vel quenquam ad aliquod munus ecclesiasticum deligendi, vel in alienam regionem ciuitatemue eius rei gratia commeandi: sed vt solum dignitatis & officij nomen retineat: illi autem, qui ab eo presbyteri designati sunt, simulatq; sanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in ecclesię cõmunionem admittantur: nimirum, † vt Ecclesiasticæ dignitatis & ministerij gradum habeant illi quidem, sed tamen † Videan. pag. 286. l. 1. lin. 3. omnibus presbyteris in singulis prouincijs & ecclesijs versantibus, qui sunt ab honratissimo viro & collega nostro Alexandro ordinati, sint omninò inferiores. Quinetiam vt nulla illis potestas sit, eos ministros ecclesiæ designandi, qui ipsorum probentur arbitrio: neque nominationem penes se habeant eorum, qui sint ad Ecclesiæ munera obcunda deligendi: neque quicquam absque consensu episcoporum catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, qui sub ipso Alexandro sunt, omninò transigant. Hi autem, qui Dei gratia & vestris precibus adiuti, ad nullum schisma deflexisse comperti sint, sed se intra catho-

Arij blasphemia, & in eã facta inquisitio.

Decreta Concilij aduersus Meletium.

Iura clericorũ qui Orthodoxi permanserunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ fines ab erroris labe vacuos continuerint, authorita-
De eligendo episcopo. tem habeant tum ministros ordinandi, tum eos, qui clero digni fuerint nominandi, tū
denique omnia ex lege & instituto Ecclesiastico liberè exequendi. Quod si qui fortè
eorum, qui ecclesiæ fungantur muneribus, diem suum obibit, tum vnus ex illis, qui
Rursum de Meletio. nuper in ecclesiam ascíti sunt, modò idoneus videatur, & populus illum eligat, episco-
pusque Alexandriæ ei suffragetur, atq; adeò populi electionem confirmet, in locum
succedat demortui. Atq; sit istud alijs quidem omnibus concessum. De Meletio autē
nominatim aliter decisum est, vt videlicet cùm propter insolentē audaciā, qua anteà
ecclesiæ statum perturbauerit, tum propter temeritatem & mentis insciti am, quàm pa-
lam ostenderit, nulla potestas, authoritasue ei tribuatur: quippe cum homo is sit, qui
eandem perturbationem in ecclesiam denuò possit inducere. Atque ista decreta ad
Aegyptum, & sanctissimam ecclesiam Alexandrinam propriè ac separatim referun-
tur. Quod si aliud prætereà quippiam, dum honoratissimus Dominus, collega & frater
noster Alexander vnà adest, sancitum & statutum fuerit, ipse, vtpote qui rebus decisis
De Paschatis celebratione. cùm præfuerit, tum communicauerit, vobis accuratius renunciabit. Quod autem ad
omnium consensum de sacratissimo festo Paschatis celebrando attinet, scitote quòd
vestris precibus controuersia de ea re suscepta, prudenter & cōmodè sedata est: ita vt o-
mnes fratres, qui Orientem incolunt, quique Iudæorum consuetudinem antè in eo fe-
sto obseruando imitari solent, iam Romanos, nos, & omnes vos, qui eundem morem,
quem nos in illo recolendo à primis temporibus tenuistis, sint consentientibus ani-
mis in eodem celebrando deinceps sedulò secuturi. Quocirca vos cum ex his rebus
tam prosperè gestis, tum ex pace & concordia communiter inter omnes constituta,
tum denique, quòd omnes hæreses quasi fibræ radicitùs exstirpatæ sunt, lætiam ca-
Alexandri Episcopi Alexandriæ commendatio. pientes, maiore honore & amore ardentiore Alexandrum collegam nostrum, & ve-
strum episcopum complectimini. Qui dum aderat, nobis permagnæ voluptati fuit,
permultumque laboris (vt in ea ætate) suscepit, quò ecclesiæ vestræ statum ad tranquil-
litatem traduceret. Pro nobis omnibus etiam preces ad Deum fundite, † vt quæ ritè cō-
stituta & decreta sint, ea rata stabiliaque permaneant, Dei patris omnipotentis, & Do-
mini nostri IESV CHRISTI auxilio, vnà cum Spiritus sancti gratia, cui gloria in secula
seculorum, Amen.

† Videatur pag. 285. lin. 30.

Meletij error excindi statim nō potuit. Monachi Meletiani. At quanquam diuinus ille episcoporum cœtus morbo, quo Meletius laborabat, hāc
adhibuit curationem: tamen ad hodiernum diem illius stupiditatis reliquiæ remanēt:
suntq; in illis locis quædam monachorum turbæ, quæ non sanè assentiuntur doctrinę,
sed vitæ rationem inanibus quibusdam institutis informatam sequūtur, & insanæ Sa-
maritanorum & Iudæorum dementiæ se addicunt.

Imperatoris Constantini ad episcopos absentes de ijs, quæ in Concilio statuta erant, epistola. CAP. X.

Studium religionis bono principi habendum. POrrò autem præpotens ipse Imperator scripsit epistolam, qua episcopos, qui ad Cō-
cilium accedere non poterant, de rebus in eo gestis certiores faceret. Quam quidem
duxi operæ precium in historia nostra intexere, propterea quòd pius scribentis animus
in ea planissimè ostenditur.

Vide Socr. lib. 1. cap. 9. Vide Nicæ. c. 25. lib. 2.

Constantinus Augustus Ecclesijs S.

Constantini Imp. epistola. Cum ex florenti & prospero Reipublicæ statu, quanta sit diuinæ virtutis erga nos be-
Concilij cogendi causa. nignitas, compertum haberem: istud omnium maximè mihi propositum putaui, vt in
sanctissima Catholicæ ecclesiæ multitudine vna fides, sincera charitas, & consen-
tiens erga Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur. Verùm quoniam istud
non poterat in loco tuto firmoq; collocari, nisi vel omnes episcopi, vel maxima eorū
pars in vnum conuenisset, singulique suum iudicium de rebus ad sacratissimam reli-
gionem pertinentibus interposuissent: eam ob causam, cum cœtus, quantum fieri po-
terat, maximus coactus esset, ipse tanquam vnus è vestrūm numero vnà adfui. Neque
enim recusabam (ex qua re iam maximam capio læticiam) me vobiscum in eo mini-
sterio coniungere. Atque vsque eò de omnibus rebus accuratè quæsitum est, quoad
sententia Deo omnium contemplatori grata acceptaque, propter concordiam & a-
nimorum consensum, palàm pronunciata esset: sic, vt nihil, quod vel ad discor-
diam, vel ad fidei controuersiam spectaret, omnino in posterum reliquum fieret.
Paschatis festi celebratio. eadem vbiq; institutio. Ibi cum de sanctissimo festo die Paschatis disceptaretur, communi omnium sententia
rectum esse videbatur, vt omnes vbique vno eodemque die illud celebrarent. Quid
enim præstabilius, quidue augustius esse poterat, quàm vt hoc festum, per quod spem
immorta-

A immortalitatis nobis ostentatam habemus, vno modo & ratione apud omnes conti-
„ nenter obseruaretur? Ac primum omnium, indignum planè videbatur, vt sacratissi-
„ mum istud festum, Iudæorum ritum & consuetudinem imitantes, ageremus: qui qui-
„ dem quoniam suas ipsorum manus detestabili scelere polluerunt, cæco animorum er-
„ rore irretiti meritò tenentur. In nostra enim situm est potestate, vt illorum more re-
„ iecto, verioreac magis sincero instituto (quod quidem vsque à prima passionis die ha-
„ ctenus recoluimus) huius festi celebrationem ad posterorum seculorū memoriam pro
„ pagemus. Nihil igitur sit nobis commune cum Iudæorum turba omnium odiosa
„ maximè. Aliam enim viam, quam insistamus, à Seruatore didicimus. Proponitur
„ namque sanctissimæ nostræ religioni cursus quidam & legitimus & decorus. Huncigi-
„ tur consentientibus animis mordicùs tenentes, fratres honoratissimi, ab illa nefaria
„ Iudæorū opinione nos ipsos remoueamus. Est enim reuera absurdissimum, vt illi in-
„ solenter se iactent, nos absque ipsorum disciplinæ subsidio, istas res nullo modo
„ posse obseruare. Quid tandem est, de quo illi rectè sentire queant, qui post necem
„ Domino illatam, post parricidium illud nefandum, ex mentis statu deturbati, non
„ ratione vlla, sed temerario animorum impetu, quocunq; insita ipsis & innata insania
„ rapiat, feruntur? Hinc etiam existit, quòd ne in hac quidem parte veritatem perspiciāt:
„ quippe cum præ errore longissimè euagantur, pro conuenienti emendatione eodem
„ anno alterum Pascha celebrant. Proinde quid est cur istos imitemur, quos graui
„ erroris morbo laborare constat? Eodem namque anno idem festum denuò reco-
„ lendo renouari non permittemus. Verùm quamuis ista non à me fuissent propo-
„ sita, tamen vestræ solertiæ esset, cùm diligentiam adhibere: tum precibus semper o-
„ ptare, vt nulla de causa vestrorum animorum integritatem nequam hominum mo
„ ribus admiscere cogamini. Porrò illud etiam facilè potest intelligi, maximum ne-
„ fas esse, vti in tanto & tam solenni religionis nostræ festo regnet dissensio. Vnum e-
„ nim libertatis nostræ diem festum, hoc est sanctissimæ passionis, Seruator noster
„ nobis tradidit, vnamque Ecclesiam Catholicam esse voluit: cuius quidem membra,
„ tametsi in multa & varia loca dispersa sint, tamen vno spiritu, hoc est diuina volun-
„ tate & nutu coalescunt. Vestræ igitur sanctitatis prudentia accuratè secum conside-
B ret, quàm graue, immò verò quàm indecorum sit, vt ijsdem diebus alij ieiunijs vacent,
„ alij agitent conuiuia: ac post dies Paschatis, alij in festis & animorum remissione ver-
„ sentur, alij præscriptis ieiunijs se dedant. Quapropter istud rectius instituendum est,
„ & ad vnam formam ac modum redigendum. Hoc enim (sicut omnes vos satis anim-
„ aduertere existimo) diuina prouidentia vult. Et quoniam istud ita via & ratione geren
„ dum erat, vt nihil nobis cum consuetudine parricidarum, & illorum, qui necis Domi-
„ ni authores extiterunt, esset commune: & modus ille eximius decorusque seruandus
„ esset, quem omnes Ecclesiæ totius orbis partes vel versus Occidentem, vel versus Me-
„ ridiem, vel versus Septentriones incolentes seruant, ac nonnullæ quoque, quæ in locis
„ ad Orientem spectantibus habitant: idcirco omnes in præsentia hoc rectè se habere ar-
„ bitrati sunt. Ipseque etiam in me recepi, vestram sapientiam facilè assensuram, vt
„ quod in vrbe Roma, in Italia, in tota Africa, in AEgypto, Hispania, Gallia &
„ Britannia, in Lybia & vniuersa Græcia, in diœcesi Asiatica & Pontica, in Cilicia de-
„ niique, vna & consentiente sententia conseruatur, hoc à vobis quoque lubentibus
„ animis approbaretur: illud sedulò reputantibus, non solum in locis, quæ modò
„ citaui, maiorem ecclesiarum numerum existere: sed etiam sanctissimum institutum
„ esse, vt omnes communi consilio id ratum cupiant, quod accurata & recta ratio postu
„ lare videtur, quodque nihil cum Iudæorum periurio habet commercij. Verùm vt sum
„ mam rei breuiter complectar, visum est communi omnium iudicio sacratissimum Pa-
„ schatis festum vno eodemq; die celebrandum esse. Neque enim in re tam sancta ac so-
„ lenni vlla dissensio debet existere: imò verò hanc sequi sententiam, cui nullus à fide a-
„ lienus error, nullum vitium admistum sit, multò maximam habet commendationē.
„ Quæ cum ita se habeant, lubentes hoc decretum, tanquam donum Dei, & mandatum
„ reuera cœlitus demissum amplexamini. Nam quicquid in sanctis episcoporum Con-
„ cilijs decernitur, id vniuersum diuinæ voluntati debet attribui. Quamobrem vos,
„ vbi omnibus dilectis nostris fratribus res in hoc Concilio gestas, sententiam iam
„ decretam, & sanctissimi festi obseruandi modum denunciaueritis: eadem ipsi ap-
„ probare, riteque disponere debetis, vt simulatque vestram rectam omnium rerum
„ dispensationem iam pridem à me desideratam, me planè perspicere contigerit, vno
„ eodemq; die vobiscum vnà sacrosanctum festum recolere possim, & simul omnium
„ causa permagnam animo capiam voluptatē: quod quidē fiet, cū intellexero nō solum
diaboli-

Iudæi omnib. inuisi.

Iudæorum ea cæcitas, his Pascha eodē anno celebrandum.

Vnica est ecclesia Catholica cuius membra per orbem dispersa vno spiritu foueantur.

Paschatis festum vno eodemq; die celebrandum.

Conciliorum authoritas

Universidad de Deusto
Biblioteca

diabolicam crudelitatem, per vestra rectè facta diuina virtute opẽ ferente penitùs profligatam esse: verùm etiam fidem nostram, pace & concordia conciliata, vbiq; egregiè florere. Deus vos, fratres charissimi, seruet incolumes.

De Annona, quæ illis, qui ecclesijs inseruiebant, suppeditabatur: & cæteris Imperatoris virtutibus.
CAPVT XI.

ISTA quidem ad eos, qui aberant à Concilio, scripsit Imperator. Episcopos autem, qui ibi in vnum conuenerant (erant, vt suprà dixi, numero trecenti decem & octo) permultis tum sermonibus benignis, tum amplis muneribus perhumanitùs excepit: iussitq; vt sedes multæ pararentur, quò illis pariter omnibus epulum daret. Qui autem erant illustriores, eos sui ipsius mensæ fecit participes: alios verò ad alias dimisit mensas. Ac cum videret, dextros oculos quibusdam effossos, intellexissetq;, quòd Constantia pro pietate eam cladem illis attulisset: labra vulneribus admouit, pro certo persuasus, osculo se benedictionem inde hausturũ esse. Conuiuio tandem peracto, alia dona rursus illis distribuit: quinetiam literas ad prouinciarum præfectos dedit, mandauitque, vt certus frumenti numerus viduis, & his, quæ perpetuam seruant virginitatem, quinetiam illis, qui diuinis ministerijs obcũdis consecrati sunt, in singulis ciuitatibus quotannis suppeditaretur: eumque non tam egentium necessitate, quàm sua ipsius magnificentia mensus est. Huius cõgiarij tertia pars adhuc suppeditatur: quippe impius tyrannus Iulianus totum penitùs abstulerat illeque quidem: sed qui ei successit in imperio, hoc quod iam suppeditatur, donari mandauit. Fames enim, quæ tum grassabatur, subsidia, quæ talibus tribui consueuerant, exigua admodum effecerat. Quòd si congiarium, quod id temporis à Constantino donatum erat, triplo maius fuit, quàm quod iam datur: facilè inde quisq;, si modò voluerit, Imperatoris magnificentiam poterit perspicere. Porrò autem illud minimè silentio prætermittendum arbitror. Erant quidam calumniandi studio flagrantes, qui quosdam episcopos accusabant, & criminationis libellos Imperatori offerebant. Ille istis ante cõ-B cordiam constitutam acceptis, primùm cum eos vinculo constrinxisset, annuloq; suo obsignasset, seruari iussit. Deinde cum concordiam inter eos cõciliasset, libellos in medium adductos, illis ipsis præsentibus, igne absumendos curauit: iureiurando adiecto, se ne verbum quidem in illis scriptum perlegisse. Nam sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda: ne ille inde causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediatur. Quinetiam eum hoc quoque adiecisse memorant: Si suis oculis episcopum alienæ vxori stuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus, eos qui idem ipsum cernerent, vlla ex parte læderet. Cum igitur episcopos ad hunc modum hortatus esset, & sacerdotes Dei tam amplo affecisset honore, singulos ad suum gregem redire mandauit.

Vide Nicephor. cap. 26. lib. 8.

Constantini munificentia in excipiendis patribus.

Iulianus Constantini liberalitatẽ abstulit

Libelli accusatorij à constantino combusti.

Sacerdotum vitia cur populo non aperienda.

Eusebij Cæsarienſis, de fide Nicææ expoſita, Epiſtola.
CAP. XII.

HOC loco equidem propter detestabilem nequitiam Arianorum, qui non modò communes patres aspernantur, sed suos ipsorum pernegant, Epistolam Eusebij Cæsarienſis, quam de fide conscripsit, in historia ponere decreui: vtpote qua eorum rabies perspicuè refutatur. Nam quanquam istum velut eiusdem cum ipsis doctrinæ fautorem venerantur, tamẽ eius scriptis manifestò contradicunt. Scripsit quidem hanc epistolam ad Arianos quosdam, qui proditionem suæ doctrinæ, vti est verisimile, ei obiectauerant. Cæterùm ipsa epistola multò melius scriptoris institutum declarabit.

Vide Socrat. lib. 6. Vide Nicephor. cap. 22. lib. 8.

Hæretici non minus suorum quam aduersariorum libris authoritatem abrogant.

Eusebij episcopi Cæsareæ Palæstinæ epistola, quam ab vrbe Nicæa ad temporis ad suos misit, cùm magnum & celebre illud concilium Nicænum habitum fuit.

Etsi verisimile est, fratres charissimi, ea quæ de fide ecclesiastica in amplo & frequenti concilio Niceæ coacto tractata sunt, ad vos antehac perlata esse, præsertim cum fama ipsa accuratam rerum gestarum narrationem sua celeritate superare soleat: tamen ne veritas, si auditione solum ea acceperitis, cõtrà ac se habeat, vobis nuncietur, primùm eam fidei formulam, quæ à vobis concilio proposita est: deinde alteram, quam episcopi, vbi

Eusebij epistola.

A pi, vbi nostris verbis pauca adiecerant, ediderunt, ad vos mittere necesse putauimus.
„ Nostra verò formula, quę tum coram Imperatore nostro sanctissimo perlecta est, tum
„ rectè se habere pro certo explorata, ad hunc modum se habet: FIDES A NOBIS EXPO-
„ SITA. Sicut ab episcopis qui nos antegressi sunt accepimus: sicut cũ fidei fundamẽta in
„ nostris animis primùm iacta essent, cumque lauacro baptismatis abluti essemus, audi-
„ uimus: sicut à diuinis Scripturis didicimus: & sicut cum fungeremur presbyterio, &
„ cum episcopatum obtineremus, credidimus & docuimus: sic etiam iam credentes, no-
„ stram fidem vobis patefacimus. Ea est talis· Credimus in vnum Deum, patrem omni-
„ potentem, visibilium omnium & inuisibilium creatorem: & in vnum dominum IE-
„ SVM CHRISTVM, Dei verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, fili-
„ um vnigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia secula ex Deo patre ge-
„ nitum, per quem etiam omnia facta sunt: qui propter nostram salutem incarnatus est,
„ & inter homines versatus: qui passus est, & resurrexit tertia die: & ascendit ad patrem,
„ & iterum venturus est in gloria iudicare viuos & mortuos. Credimus etiam in vnum
„ Spiritum sanctum. Et istorum quemque esse, & existere credimus: patrem verè patrem
„ esse, filium verè filium, & Spiritum sanctum verè Spiritum sanctum: sicut Dominus
„ noster, cum discipulos suos ad prædicandum mitteret, locutus est: Euntes, docete om-
„ nes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. De quibus confi-
„ mamus nos hoc animo esse, sicque sentire, & sic etiam sensisse, & ad mortem vsque sic
„ sensuros esse, in hac perseueraturos fide, anathemate impiæ cuique hæresi denuncia-
„ to. Atque de istis rebus omnibus nos sincerè & ex animo ita sensisse, ex quo nosmet
„ noscere poteramus, & iam etiam verè tum sentire, tum dicere, Deum omnipoten-
„ tem, & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM coràm testamur: certaque de-
„ monstratione ostendere possumus, vobisque ratione persuadere, nos temporibus præ-
„ teritis ita credidisse: & huic fidei à nobis expositæ congruentia prædicasse. Cum hanc fi-
„ dem exposuissemus, nullus erat contradicendi locus. Quinetiam Imperator ipse no-
„ ster sanctissimus, hanc nostram fidem, veritatem in se complecti primus omnium te-
„ stificatus est, seque eodem animo esse constanter asseruit: præcepitque, vt omnes ei-
„ dem assentirentur, decretis eiusdem subscriberent, congruerent cum eisdem, dummo-
B do vna vox, Consubstantiale videlicet, ascriberetur. quam quidem ille ipse explica-
„ uit ad hunc modum: Consubstantiale de corporis affectionibus non posse intelligi:
„ neque filium Dei vel diuisione, vel defectione, vt ita dicam, ex patre subsistere. Nam
„ non posse fieri, vt natura quæ materiæ expers est, quæ sola intelligentia percipitur, quæ
„ corpore vacat, corpoream vllam affectionem in se excipiat: sed eiusmodi res nos diui-
„ nis & arcanis verbis debere complecti. Sapientissimus quidem & pius noster Impera-
„ tor de his isto modo philosophatus est. Episcopi autem propter hanc vocem Consub-
„ stantiale istam fidei formulam ediderunt. FIDEI FORMVLA IN CONCILIO EDITA.
„ Credimus in vnũ Deum, patrem omnipotentẽ, omniũ visibilium & inuisibilium cre-
„ atorem: & in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, filium Dei, genitum ex patre v-
„ nigenitum, hoc est ex substantia patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum
„ de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt,
„ & quæ in cœlo & quæ in terra sunt: qui propter nos, & propter nostram salutem de-
„ scendit, & incarnatus est: homo factus est, passus est, resurrexit tertia die: ascendit ad
„ cœlos, venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Qui verò di-
„ cunt, quòd erat aliquando tempus cũ non esset, & antequam genitus erat non esset, vel
„ quòd ex nihilo ortus est: vel quòd ex altera substistentia substantiaue quàm ex patris ge-
„ nitus, vel quòd conuerti & mutari potest: istis catholica & apostolica Dei ecclesia ana-
„ thema denunciat. Cum ista formula ab illis præscripta esset, illud, ex substantia patris
„ esse: & illud, Patri consubstantialem esse, quomodo essent intelligenda, ab eis diligen-
„ ter quærere cœpimus. Vnde quæstiones & respõsa nata sunt, rationeque accuratè per-
„ uestigatum, quæ illis verbis subiecta esset sententia. Fatebantur illi, Ex substantia es-
„ se, idem significare, quod ex patre esse, non tamen partem patris esse. Nobis sanè
„ videbatur pulchrum, consentire cum piæ illius doctrinæ sententia, quæ docet, fi-
„ lium ex patre esse, non tamen partem substantiæ illius esse. Quapropter huic senten-
„ tiæ etiam à nobis assensum est: neque vocem Consubstantiale reiecimus, propterea
„ quòd pax tanquam scopus ad intuendum, ante oculos nostros versabatur: & cautio e-
„ rat à nobis adhibita, ne recta fidei sententia excideremus. Pari ratione, Genitum non
„ factum, approbauimus. nam Factum, verbum cum cæteris creaturis, quæ per fili-
„ um factæ sunt, commune esse dixerunt: nec filium earum simile quicquam habere, ac
„ propterea cum non esse creaturam illarum similem quæ ab ipso factæ sunt: sed præ-

Fidei formula, ab Eusebio proposita.

Matth. 28.

Consubstantiale quomodo ab Imperatore expositum.

Fidei formula in concilio edita.

Ex substantia esse.

Consubstantiale.

Genitum, non factum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stantioris esse substantiæ, quàm qua vlla creatura prædita sit, quam quidem ex patre genitam esse, Sacræ literæ perdocent: quippe cum modus eius generationis à nulla mortali natura vel verbis exprimi, vel cogitatione comprehendi possit. Eodem modo etiam illud, Filium patri consubstantialem esse, ratione & exquisitum est, & probatum, non more corporeo debere intelligi, neque quicquam habere simile cum mortalibus animantibus. Nam neque diuisione substantiæ, neque defectione, sed nec affectione vlla, mutationeúe paternæ essentiæ & facultatis posse constare. Ingenitam enim patris naturam, ab his omnibus prorsus alienam esse: & hoc, Patri consubstantialem esse, nihil aliud ostendere, quam filium Dei ad reliquas creaturas nullam habere similitudinem: sed patri solum qui eum genuit, omnino similem esse: neque ex alia, quàm ex patris subsistentia & essentia genitum. Quod quidem sic expositum, rectum videbatur assensione approbare. Nam nonnullos veteres episcopos scriptores, viros sanè disertos & illustres, in patris & filij diuinitate explicanda hoc verbo Cōsubstantiali vsos fuisse cognouimus. Sed de fide in concilio Nicæno exposita diuulgataque hæc hactenus: cui quidem omnes ad vnum assensi sumus non temerè & inconsultò, sed secundū sententias coram ipso sanctissimo imperatore propositas discussasque, & communi omnium consensu propter causas quæ suprà commemoratæ sunt, approbatas. Quinetiam anathematis formulam, quæ post fidem explanatam ab illis proposita est, approbandam quoque putauimus, propterea quòd vetet, ne quisquam vocibus à Scripturis abhorrentibus (ex quibus in ecclesias omnis ferè confusio & discordia inuecta est) omnino vtatur. Etenim cum nulla Scriptura diuinitùs inspirata his vocibus vsa sit, Filium Dei ex nihilo ortum esse, & tempus fuisse aliquando cum non esset, & quæ sequuntur in eandem sententiā, minimè consentaneum videbatur eas vel proferre, vel docere. Cui sententiæ tam præclarè decretæ constituteqùe nos consensimus: quandoquidem nunquam ante hac eiusmodi verba vsurpare consueuimus. Ista ad vos, fratres charissimi, necessitate coacti misimus, non solum vti vobis decretum, quod nostram disquisitionem & assēsionem secutum est, planum faceremus: verùm etiam vt intelligeretis, quòd primò, dum ea quę aliter ab alijs scripta erant, animum nostrum offendere videbātur, in vna eademq; sententia (sicut ratio postulabat) ad extremam vsq; horam perstitimus. Verùm postea facilè sanè & sine vlla contentione, ea quæ nullam habebāt offensionē, tum demum amplexati sumus, cùm nobis verborum sensum & sententiam æquis animis disquirentibus, illa quæ exposita erant, consentire viderentur cum his quæ in fidei formula antè proposita, à nobis concessa & probata fuerant.

Filius patri cōsubstātialis.

Verbum consubstantiale non primum à Nicæna Synodo inuentum.

Anathematis formulæ approbatio.

Voces à Scriptura abhorrētes, omnis in Ecclesia confusionis causa.

Præsentis Arianorum maledicentiæ, ex Eusebij Cæsariensis episcopi libris increpatio. CAP. XIII.

QVòd autem vox Consubstantiale non sit noua, neque à patribus id temporis Nicææ congregatis inuenta, sed antiquitùs à maioribus ad posteros deducta, Eusebius locuples testis est. Quinetiam, quòd omnes tum in vnum coacti communi consensu fidem illic expositam approbarint, idem author non in eadem solum Epistola, verùm etiam alio in Opere, in quo vitam Constantini magni summis laudibus effert, manifestò ostendit. Sic enim scribit: Hic ista Latino sermone, altero eadem interpretante, locutus, sermonem omnem deinceps concilij præsidibus tradidit. Ibi tum alij vicinos accusare cœperunt, alij & pro se respondere, & crimen in aduersarios deriuare. Cum igitur multa essent ex vtraque parte proposita, magnaque controuersia in ipso disputationis ingressu concitata: Imperator tolerantèr ac placidè omnibus animum attendere, studio acri prolatas sententias sensim excipere: vicissim ferre opem vtrique disceptantium parti: eos magna cum contentione digladiantes, paulatim reconciliare: conferre cum singulis comiter & benignè sermonem: Græcoq; vtēs sermone (nam ne huius quidem linguæ ignārus fuit) suauis & dulcis erat: alijs persuadere, alios sermone lenire: alios qui disertè dixissent, collaudare, omnes denique ad concordiam reducere contendebat: vsque eò, vti tandem eos in omnibus rebus quæ in quæstionem aliquando veniissent, tum conspirantes animis, tum opinionibus adeò consentientes redderet, vt non modò concors fides inter eos vigeret, sed etiam vnum idemque tempus in salutari festo Paschatis celebrando obseruandum ab omnibus concederetur. Iam verò, quæ erant communi omnium sententia decreta, cuiusque manu subscripta fuerunt, & in commentarios relata. Ac paulo infrà, ista quoque addit: Cum hæc ad hunc modum essent constituta, omnibus fecit potestatem ad

Consubstātiale vox à maioribus ad posteros deducta.

Constantini in concilio Nicæno pia diligentia.

Constantinus Græcæ linguæ non ignarus.

sua

A sua domicilia reuertendi. Illi lætitia gestientes, redierunt. Cum illi hoc modo, qui propter dissentientes opiniones longo quasi interuallo ab se mutuò diuulsi erant, tanquam in vnum corpus essent denuò coagmentati: deinceps vna apud omnes viguit sententia, ipsius Imperatoris consensu confirmata. Proinde Imperator de prospero rei euentu lætus, illis qui concilio neutiquam interfuissent, per literas fructum eiusdem vberem præbuit: populoque vniuerso cùm per agros, tum per ciuitates dispersо, ingentem pecuniæ vim distribui mandauit: sic festum diem ad reconlendam vigesimi anni regni sui memoriam celebratum honestauit. Quocirca Ariani, quamuis alijs patribus contradicere haud impium esse censeant: huic tamen, quem admirari ac suspicere solent, cùm fidem Nicææ expositam omnium consensu approbatam doceat, fidem adhibere debent. Quinetiam cùm suorum ipsorum patrum quoq; opiniones impugnent, deberent tamen, vbi turpissimam Arij mortem & planè horribilem intellexerint, omnibus viribus, vt dicitur, impiam doctrinam ab eo in lucem editam fugere. Verùm quoniam verisimile est, modum eius mortis non omnibus cognitum esse, idcirco ipse equidem, qualis fuerit, explicabo.

Vicēnalia Cōstātini celebrata in memoriā feliciter exacti concilij Niceni.

Arij mors horribilis.

De Arij morte, ex Athanasij epistola. CAP. XIIII.

Vide Socr. lib. 1. ca. 25. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 51. Sozom. li. 2. cap. 28.

ISTE Arius diu Alexandrię commoratus, tametsi denuò conuentus Ecclesiasticos petulanter infectari studuit: tamen simulauit, se impiam suam doctrinam abijcere, & fidei formulam à patribus editam amplexaturum pollicitus est. Verùm vbi neq; à diuino illo Alexandro, neq; Athanasio (qui eiusdem cū in episcopatu, tū in officijs pietatis exequēdis successor fuit) persuaderi potuit: rursus opera ac studio Eusebij Nicomediensis adiutus, Constantinopolim properè contendit. Quas autem res, cum eò veniisset, molitus fuerit, & quam sententiam à Deo iusto iudice exceperit, illustrissimus Athanasius in literis quas scripsit ad Apionem, disertè exponit: quarum literarum eam partem, quæ ad has res pertinet, „ in historiam includam, quæ ita habet: Quanquam ipse non eram tum Constantinopo„ li, cum Arius mortem oppetebat: Macarius tamen presbyter, rem, vt gesta est, mihi ac„ curatè narrauit. Arius Eusebianæ factionis laboreà Constantino Imperatore accersi„ tur Constantinopolim. Qui cum eò venisset, rogatus ab Imperatore, vtrum fidem ca„ tholicæ Ecclesiæ teneret? iurat se rectè credere, libellumque scriptum de sua fide ei dat. „ Causas autem, pro quibus ab episcopo Alexandro eiectus fuerat, occultat: simulat ta„ men, se propter voces quasdam ab ipsis Sacris literis depromptas Ecclesia exturbatum. „ Eum igitur Imperator, cum iurasset se illas non tutatum opiniones, pro quibus Alexā„ der eum ecclesia expulerat, liberum dimisit, cum his ferè verbis: Si recta est fides tua, be„ ne iurasti: sin autem impia est fides tua, & tamen iurasti, Deus de cœlo de te ferat iudi„ cium. Quapropter cum ab Imperatore sic dimissus esset, factio Eusebiana per vim, qua „ vti consueuerat, cum in ecclesiam voluit introducere. Verùm beatæ memoriæ Alexan„ der episcopus Constantinopolitanus ei restitit, dixitq; nullum hæresēos inuentorem in „ communionem recipiendum esse. De reliquo autem Eusebiani minari. Quemadmo„ dum, inquiunt, contra tuam voluntatem Arium curauimus ab Imperatore accersen„ dum: sic, te inuito (erat tum quidem dies sabbati) cras in hac ipsa ecclesia conuentus no„ biscum aget. Quibus auditis, episcopus Alexander dolore ingenti cruciatus, ingreditur „ in ecclesiam: & manibus ad Deum sublatis, lamentari, conqueri, & in sanctuario in fa„ ciem procidere, & humi prostratus preces fundere cœpit. Aderat vnà Macarius, & cum „ eo simul orauit: eiusq; precantis vocem audiuit. Ista duo à Deo postulauit, sic locutus: „ Si Arius cras in ecclesia conuentus aget, dimitte me seruum tuum, & ne simul perdas „ pium cum impio: sin clemens parces ecclesiæ tuæ (te quidem ei velle parcere, certò scio) „ considera verba Eusebianorum, & ne des in ruinam & contumeliam hæreditatem tu„ am. Tolle Arium è medio, ne illo in ecclesiam ingresso, tum hęresis vnà cum eo ingres„ sa videatur, tum deinceps impietas pietatis locum occupet. Hæc precatus episcopus, de„ cessit, valde anxius. Deinde res accidit horrenda, & planè incredibilis. Nam post minas „ Eusebianorum, episcopus Alexander se defixit in precibus: Arius autem fretus præsidio „ Eusebianorum, petulanter admodum se gessit: & ingressus latrinas, illud ipsum ventris „ pōscente necessitate, derepente pronus (vt scriptū est) factus, crepuit medius: atq; colla„ psus ilico animam efflauit, non modò communione, sed etiam vita priuatus. Talem igitur fuisse Arij mortem constat. Eusebiani autem, etsi casum eum vehementer erubuerunt: tamen Arium, vtpote suæ sectæ fautorem tumulo condiderunt. Beatæ verò memoriæ Alexander, ecclesia lætante, conuentum, vt pietas & sacra doctrina postulat, cū omnibus fratribus celebrare, preces fundere, & Deum gloria vehementer efferre cœpit:

Arius simulat se concilio acquiescere.

Arius mittitur Eusebio Nicomediensi.

Athanasij de Apionem litere.

Arij periurium.

Arius iuratus liber ab Imp. dimittitur.

Hæretici vitelenti.

Alexandri episcopi Macarij contra Arium precatio.

Arij mors horrenda, atq; inde piorum lætitia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

non quòd ex morte Arij lætitiam capiebat: absit illud quidē(extat namq; mortali cuiq; sancita lex, vt semel moriatur)sed quòd hoc mortis genus non hominum iudicijs constitutū fuit,sed Dominus ipse(vbi inter minas Eusebianorum,& Alexandri preces dijudicarat)Arianam hæresim prorsus condemnauit, ostenditq; eam communione indignam esse ecclesiastica: atq; adeò omnibus planum fecit, quòd quamuis tum Imperatoris, tum omnium hominum testimonio & approbatione confirmata fuisset, tamen erat ab ipsa veritate penitùs condemnata. Tales manipulos ex perniciosis ac pestiferis seminibus collegit Arius, inq; hac vita pœnarū sibi in futura insligendarum vidit quasi præludia: & supplicio isto præsenti, quod subibat, suā ipsius perspicuè coarguit impietatem. Verum iā ad pietatem Imperatoris explicandam sermonem transferam. Nam ad omnes populos imperio Romano subiectos dedit literas, quibus tum eos hortabatur, vt priorem errorem deponerent: tum suadebat, vt Seruatoris nostri doctrinam perdiscerent: tum deniq; omnes ad hanc veritatem amplexandā inuitabat. Quinetiam episcopos cuiusque ciuitatis exuscitabat ed ecclesias ædificandas, non literis solū impellendo, verùmetiam pecuniam prolixè & liberaliter largiendo, & impensas ad earum ædificationem suppeditando. Sed literæ ipsæ melius rem declarabunt, quæ se habent ad hunc modum.

Constantini Imp. pietas.

A

Imperatoris Constantini de ecclesiarum ædificatione Epistola. CAP. XV.

Victor Constantinus, Max. Augustus, Eusebio, S.

Vide Socr. lib. 1. ca. 6. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 28. Euseb lib. 10. cap. 3. De vita Constant. lib. 3. ca. 29.

QVemadmodum ad hoc vsq; tempus ob impiæ voluntatis institutum, & grauem tyrannidem, seruos Dei ac Seruatoris persequentem, pro certo cognoui,& satis persuasum habui, omnium ecclesiarū ædificia vel negligentia corruisse, vel impendentis periculi metu, multo minus quàm deberant, refecta fuisse, frater charissime: sic nunc, cum libertas omnibus restituta sit, & draco ille Dei opt. max. prouidentia, nostroq; ministerio de communi Reip. administratione depulsus:arbitror èquidem & virtutem ac potentiam diuinam omnib.satis constare:&eos qui vel timore,vel infidelitate,vel alijs quibusdam peccatis lapsi sunt, cum illum qui reuera Deus est,iā agnoscant, in veram & rectam viuendi viā redituros.Quibuscunq; igitur ecclesijs vel ipse præsis,vel alijs in locis alij episcopi, presbyteri & diaconi, quos nosti,præficiantur,per te admoneantur,vt earum ædificia sedulò accurentur: quò vel ea quæ remanent, reficiantur, laxioraq; fiant: vel vbi necessitas postulauerit,noua deintegrò extruātur. Quę verò res ad ædificationē necessariò requiruntur, eas quidem cùm ipse,tum alij tuo nomine à præfectis & rectoribus prouinciarū petent. Hisce enim per literas à me significatum est, vt omni studio & propensione animi ea quæ fuerint à tua sanctitate præscripta, subministrent. Deus te, frater charissime, diu florentem seruet. Ista de ecclesijs ædificandis, episcopis cuiusq; prouinciæ per literas significauit. Quæ autem de sacris libris comparandis scripserit ad Eusebium Palæstinū, ex ipsis literis facilè est cognoscere.

Ecclesiarum ædificatio ab Imp. mādata

B

Altera eiusdem epistola, de sacris codicibus parandis. CAP. XVI.

Victor Constantinus Maximus, Augustus, Eusebio S.

Vide Socr. lib. 1. cap. 6. Vide Nicephor. lib. 8. ca. 27. In vita Constant. lib. 4. cap. 36. & deinceps. Euseb. lib. 10 cap. 5. De vita Constant. lib. 3. ca. 24.

GVM in vrbe quæ nomen suum ex nostro nomine traxit, Dei patris ac Seruatoris nostri prouidentia iuuante, maxima sit hominum multitudo, quæ se sanctissimæ Ecclesiæ adiunxerit, quò omnia quæ ad religionem pertinent, indies in eo loco magis magisq; crescant: videtur operæprecium,vt plures ibi ecclesię extruantur. Proinde tu, quod nostræ voluntati visum est, alacri animo capesse. Tuæ enim prudentię significare consentaneum duximus,vt quinquaginta volumina in membranis parares: quę sint tū ad legendū facilia,tum idonea ad vtendum,tū deniq; ad portandum accommodata: eaq; à librarijs,qui & scitè norint scribere,& eam artem accuratè teneant, describi præcipias. Atq; eos sacræ Scripturæ libros complectantur, quorum præparationem & vsum ad ecclesiam erudiendam maximè necessarium esse scis. Literę verò à nostra clementia ad generalem Quæstorē datę sunt,vti omnia quę ad istos libros parandos requiruntur, suppeditanda curet. Vt autem quamprimùm hæc descripta volumina comparentur, tuarum partium erit sedulò prouidere. Etenim duos publicos currus accipiendi,quib. eò conuehantur, ex istarum nostrarum literarum authoritate, tibi,vt par erat, potestatem fecimus. Ita enim & ea quę concinnè descripta sunt maxime, ad nos facillimè cōportabuntur: & eò certè facilius cōmodiusq;, si vnus ex ecclesiæ tuæ diaconis istud munus exequatur.Qui,vbi ad nos accesserit, nostrā benignitatem probè experietur. Deus te, frater charissime,seruet incolumē. Tametsi quidē ex his literis satis magnam coniecturā capere,imò verò satis manifestò intelligere possumus, omni laude cumulatum Imperatorem, totum suum studium ad sacrosanctum Dei cultum amplificandum conuertisse: tamen præter ea quæ suprà dicta sunt, ponam in medio præclarā eius operam in sepulchro Seruatoris ædificijs exornādo suscepta. Cum enim certior factus esset, eos qui in simulachris colendis more Corybantum insanirent & baccharē-tur, sepulchrum Domini mole terræ obruisse, eo quidem consilio, vt memoriam salutis nostræ obliuione delerēt (quippe supra illum locum, fanū lasciuæ deæ Veneris,quo virginalem diuæ Mariæ partum ludibrio exponerent, extruxerant) mandauit, vt primum execrabile illud ædificium diueretur: deinde vt deturbaretur agger impuris & sceleratis victimis contaminatus, & longè extra vrbē eijciretur: tum vt templum amplissimum pulcherrimumq; ibi fabricaretur. Verùm ex epistola Imperatoris, quam ad ecclesiæ Hierosolymitanæ præsulem scripsit, hæc res multo euidentius cognosci poterit. Præsul autem illius ecclesiæ fuit Macarius, cuius suprà mentionem fecimus: qui & magno concilio Nicæno interfuerat, & vnà cum alijs episcopis contra nefariam Arij blasphemiam strenuè decertauerat. Epistola hæc quidem est.

Constantini opera in Seruatoris sepulchro exornando suscepta.

Veneris fanū in sepulchri seruatoris loco extructum.

Alia eiusdem epistola, ad Macarium Hierosolymitanum episcopum, de Dei templo extruendo. CAPVT XVII.

Victor Constantinus Max. Macario, S.

Vide Socr. lib. 1. ca. 6. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 27. cū his trib. seq. Socrat. lib. 1. cap. 14. Sozomen. lib. 2 cap. 2. 3. 4. 5. Euseb. lib. 10. cap. 3.

IAnta Seruatoris nostri erga nos benignitas declarata est, vt nulla tam accurata dicendi ratio & vis sit,quæ præsens miraculum pro dignitate explicare posse videatur. Nam vt insigne illud sanctissimæ illius passionis monimentum, quod terræ viscеribus iampridem abditum, tot tamq; multis annorum conuersionibus delituisset,tum illucescеret seruis Dei, cùm illi communi omnium hoste deuicto in libertatē essent vindicati, omnem profectò hominum admirationem longè superat. Etenim si omnes,qui in vniuersi orbis terrarum ambitu sapientes videantur,in vnum locum congregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggrederentur, ne minimę eius parti oratione ex æquo satisfacere possent. Miraculi namq; fides tanto plus vniuersum humanę rationis & naturæ captum vincit, quanto res cœlestes & diuinæ humanis sunt valentiores. Quapropter hoc vnum mihi semper in primis propositum sit ad dicēdum, quòd sicut vera fides se ipsa quotidie nouis miraculis patefacit: sic nostri omnium animi, omni modestia & concordi alacritate ad sanctas Euangelij leges colēdas attentiores fieri debent. Præterea illud quod cuiq; perspicuum esse arbitror,pro certo tibi cum primis persuasum velimus,hoc nobis præ cęteris rebus omnibus maximę curę esse, vt locus ille sacer, quem Dei iussu turpissima simulachrorum mole, tanquā graui quodam onere impositro,purgauimus, quemq; & primis mundi temporib.ipsius Dei iudicio sanctum habitū esse: & postea etiā, quia fidem passionis Seruatoris tanquam è tenebris in lucem euocarit, multo clariorem suæ sanctitatis significationem dedisse cognouimus, præclara ædificiorum structura exornetur. Par est igitur, vt tua prudentia ita opus disponat,& proinde res quasq; accuret necessarias,quò nō modò sanctuarium templi reliquis omnibus quæ vbiq; sunt,pulchritudine antecellat: sed etiam cæterę eius partes tales sint, vt omnia templa quæ in singulis ciuitatibus primas tenent,huius ædificij dignitate longè superentur. Ac de erigendis parietibus, exquisitoq; artificio perpolidis tum Draciliano, amico nostro, qui nonnullas aliarum prouinciarum partes administrat, tum vestræ etiam prouinciæ præfecto,scito curam à nobis esse impositam. A nostra enim benignitate illis imperatum est, vt qui artifices, qui operarij, quæue res aliæ fuerint ad illud ædificium necessariæ, à tua prudentia discant, ac statim ipsorum prouisione eò mittantur. Quod autem attinet ad columnas ex marmore conficiendas, quas ipse existimaueris vel ad decus illustriores, vel accommodatiores ad diuturnitatem fore, cum eas quasi summatim tecum consideraueris, fac ad nos diligenter perscribas: vt cum ex literis tuis, quibus rebus opus fuerit, intellexerimus, vndiq; eædem illò comportari possint. Nam locus ille, qui totius orbis terrarum facilè primas fert, omnibus ornamentis meritò illustrandus est. Testudinem verò sanctuarij laqueatámne facere, an alio quodam fabricæ genere extruere placeat, abs te certior fieri velim. Quòd si fiat laqueata, scitè quoq; inaurari poterit. Restat igitur, vt tua sanctitas illis, quorum iudicio, vt suprà dictum est, rem permisimus, quot operarijs, artificibusq;, quantis denique sumptibus opus fuerit,quàm celerrimè significet: quinetiam nos non solum de columnis ex marmore conficiendis, verùm etiam de testudinis laquearibus (si monò illud fabricæ genus pulchrius esse censeas)quàm primum facias certiores. Deus te,frater charissimè, diu seruet incolumem.

Sepulchri Dominici templi quale extruendum.

Dracilianus.

Sepulchri Dominici locus totius orbis princeps.

Sepulchri Dominici manifestati miraculum.

Bibliothecæ sacrorum librorum parandæ cura Eusebio commissa.

Publici currus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Helena Constantini Imperatoris matre, & diligentia quam circa sacri templi fabricationem impendit.

CAP. XVIII.

Helenæ ad Dominici sepulchri exturbationem profectio.

HIVius epistolæ perferendæ negotium non alius quispiam, quàm ipsa Imperatoris mater, tam præclari filij procreatrix, cuius laus omnium piorum ore ac sermone prædicata est, suscepit: quæ & hoc eximium mundi luminare peperit, & pietatis alimenta ei suppeditauit. Hæc itineris labores subire non recusauit, neq; senectutis inualetudinem (nam paulò ante mortẽ quam octogesimum annum ætatis agẽs oppetebat, istud iter fecit) omnino animo complexa est. sed postquam vidit locum illum, qui particeps fuit afflictationum pro communi omnium salute susceptarum: confestim execrabile illud Veneris fanum deturbari, & aggerem ex vrbe exportari iussit. Qua re cõfecta sepulchrum, quod diu abstrusum iacuisset, emersit: & simul tres cruces, quæ prope illud Domini monumentum erant reconditæ, repertæ sunt. Quòd autem vna ex his, Domini nostri & seruatoris IESV Christi crux fuit, reliquæ verò duæ latronum, qui pariter cum eo crucibus suffixi fuerant, extiterunt, ad vnum omnes sine controuersia crediderunt: sed tamen ignorarunt prorsus, quæ illarum corpus Domini sustinuisset, & guttis preciosi eius sanguinis aspersa fuisset. Cæterùm sapientissimus ille & planè diuinus Macarius, vrbis illius antistes, tali via illorum animos dubitatione liberare aggressus est. Mulieri cuidam nobili, morbo diuturno oppressæ, vnamquamq; crucem sigillatim, precibus ad Deum simul ardenter fusis, admouens, crucis Seruatoris virtutem facilè perspexit. Nam vt primùm ea mulieri adhibita fuit, ilico grauis ille morbus depulsus est, & homo ipsa ad integram valetudinem restituta. Itaq; Imperatoris mater, cum id, quod erat in optatis, ad hunc modum didicisset, clauorum partem in Imperatoris galeam artificiosè includendam curauit, quò capiti filij consuleret, & hostium tela depellerẽtur: partem equi illius freno admiscuit, quo tum Imperatorẽ tutum ac securum redderet, tum veterem propheriam expleret posset. Nam olim prædixerat Zacharias propheta: Quod est in freno equi, erit sanctum Domino omnipotenti. Quod autem ad crucem Seruatoris attinet, partem illius in Imperatoris palatio locandam, reliquum autem in capsa argentea reponendum curauit, illudq; dedit episcopo illius ciuitatis: hortataq; illum est, vt ad posteritatem veluti monumentum salutis nostræ reseruaretur. His rebus constitutis, artifices materiæ cuiusq; generis vndiq; cogere, templaq; & ob magnitudinem amplissima, & illustrissima ob splẽdorem extruere cœpit: quorum pulchritudinem amplitudinemq; oratione describere valde superuacaneum arbitror, præsertim cum omnes pij propè dixerim, illò procurrant, operumq; magnificentiam suis ipsorum oculis aspiciant. Porrò autem illustrissima illa, & maxima digna admiratione imperatrix, aliud facinus, quod posterorum memoriæ meritò commendari debet, obijt. Nam mulieres, quæ vitæ tempore virginitatem excolebant, primum omnes in vnum congregari, & sedibus præparatis accumbere iussit: deinde illa ipsa ancillæ munus exequi, apponere cibaria, pocula illis porrigere, fundere vinum, & gutturnium cum malluuio afferre, aquam deniq; earum manibus, dum lauant, ministrare non dedignata est. Quas res atq; alias similes hisce cũ confeciſſet, redijt ad filium. Atq; non multo pòst, læto animo ac tranquillo, vbi filio de pia viuendi ratione plurima præceperat, & eũ benedictionibus, quę ab exeuntibus è vita dari solent, muniuerat, hinc ad alteram vitam demigrauit. Cui post mortem talis tributus est honos, qualis ei, quæ Deum omnium moderatorem tam assiduo atque adeò ardenti studio coluerat, meritò tribuendus erat.

Cruces tres reperta.

Macarius Christi crucẽ explorat.

Clauorum Domini ratio qualis Helenæ habita: item Crucis.

Cap. 14.

Helenæ pietas singularis.

Helenæ obitus.

Vide Socr. lib. 1. ca. 18. Vide Nicep. lib. 8. ca. 29. Vide Sozom. lib. 2. cap. 1. Euseb. de vita Constant. lib. 3. cap. 41.

De Eusebij Nicomedensis iniqua, ac præter ecclesiæ leges, ad sedem Constantinopolitanam translatione. CAPVT XIX.

Arianorum perfidia.

INterea temporis factio Ariana à suis perditis non destitit consilijs. Nam hãc ob causam suarum manuum subscriptionibus formulam fidei, communi totius concilij Nicæni consensu editam, approbauêre, ad eum planè finem, vt ouium pellibus induti, rapacium agerent partes luporum. Simulatq; enim diuinus ille Alexander, episcopum dico Byzantij (sic namq; Constantinopolis id temporis appellabatur) qui precibus, tãquam telis quibusdam Arium confoderat, ex hoc corporis ergastulo ad præclarius vitæ domicilium migrauerat, Eusebius propugnator impietatis, parua habita ratione decisionum earum, quarum conscribendarum paulo antè vnà cum alijs episcopis author fuerat, confestim relicta Nicomedia, ad sedem episcopatus Constantinopolitani per ambitum arrepsit, idq; contra ecclesiæ canonem, qui vetat tum episcopos, tum etiam presbyteros de vnius ciuitatis sede, ad alterius

Eusebium canonum transgressor.

Eusebij Nicomedensis ad episcopatũ Constantinopolitanũ translatio.

Vide Socr. lib. 1. ca. 20. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 43.

A terius se sedem transferre. At mirum non est, eos qui velut furiarũ tædis agitati, diuinitatem vnigeniti filij insectari non sunt veriti, etiam audacter libereq; alias leges violasse. Neque Eusebius istud facinus nunc primò tentare, sed idem ipsum iampridem admittere non dubitauerat. Nam cum ecclesiæ Berytensis administratio ei esset concredita, inde ad episcopatum Nicomediæ gerendum se transtulit. Ex quo episcopatu etiã post Concilium, ob impietatem quam palàm commiserat, & Theognis episcopus Nicææ vnà exturbatus est. Quam rem planam facit Imperatoris Constantini epistola, quã secundò scripsit ad Nicomedenses: cuius epistolę finem in historiam nostram includã. Sic enim scribit ad Nicomedenses:

Theognis.

Imperatoris Constantini, aduersus Eusebium Nicomedensem & Theognim, ad Nicomedenses epistola. CAP. XX.

Vide Nicep. lib. 8. ca. 18.

Eusebium tyranni partibus adhæsisse.

OVis innocentem multitudinem ista docuit? Eusebius videlicet, tyrannicæ
" crudelitatis administer. Nam quòd tyranni partibus penitùs adhæserat, ex
" multis illius rebus gestis facilè potest intelligi. Siquidem istud partim epi-
" scoporum, eorumq; verè episcoporum cædes testantur, partim crudelissi-
" ma Christianorum persecutio palàm clamat. Neq; certè de iniurijs illius
" quibus me affecerit, hoc loco verba faciam: per quem aduersariorum contra me con-
" cursus, quantum fieri poterat maximè procurabantur, qui & oculis tanquam specula-
" toribus me obseruauit: quinetiam ministerio propè militari, quo tyrãno opem ferret,
" perfunctus est. Ac nemo existimet, me imparatum minusque instructum esse, etiam ad
" istas res, si opus fuerit, certissimis augumentis confirmandas. Verissimè enim ostendi
" potest, tum presbyteros, tum diaconos à me manifesto deprehensos, qui Eusebium assi-
" duè stipabant. sed hæc missa facio, quæ non dicuntur à me, quòd ipse ea grauiter & ini-
" quo animo feram: sed quò eos suæ ipsorum pudeat insciti æ. Illud solum metuo, illud
" que animum cura implicatum tenet, quòd vos video in huius criminis societatem vo
" cari. Nam improba Eusebij institutione, & peruersa doctrina, conscientia vestra à veri-
" tate deflexit. Verùm huius rei expedita est & facilis curatio, si modò episcopum fidelẽ
" & animo simplici ac sincero nacti, oculos ad Deum denuò cõuertere volueritis. Quod
B quidem in præsentia est in vestra situm potestate, quodq; etiam dudum penes vestrum
†Vide an. not. pag. 290. b. lia. 2. lin. 7. iudicium fuerat: † nisi aut Eusebius ipse, de quo dixi, aut alius quidam eorum, quibus-
" cum conuentus agere solet, huc præceps ruisset, & rectum eligendi ordinem impuden-
" ter conturbasset. Sed quoniam mihi de hoc ipso Eusebio pauca ad vos dicenda sunt, nõ
" vos præterit concilium Niceæ celebratum, cui ipse, sicut conscientiæ meæ munus po-
" stulabat, interfui: non alio sanè animo, quàm vt tum concordiam inter omnes consti-
" tuerem: tum maximè omnium eam ecclesiæ perturbationem, quę ex Arij Alexandri-
" ni amentia orta est, reprimerem, penitusq; inde summouerem. Quæ quidem perturba-
" tio ilico ex absurdo & pernicioso conatu Eusebij vires collegit. Nã quanta concursione
" amantiss. honoratissimiq; fratres, iste Eusebius, vtpote ipsa cõscientia conuictus, quan-
" ta cum ignominia, mendacijs vndiq; deprehensis aggressus est, primũ certos quosdam
" homines subornare, qui pro eo deprecarentur: deinde à me auxiliũ petere, ne tanti sce-
" leris damnatus, honoris sui gradu deijceretur? Huius rei testis est mihi Deus, qui tũ mi-
" hi tum vobis benignus perpetuò adsit, quòd & meum peruertit iudiciũ, & turpiter à ve-
" ritate abduxit: cp vobis etiã planum faciã. Nam tum omnia ideò gesta sunt ex eius sen-
" tentia, qui perniciem planè pestiferã adhuc intra cogitationis suæ domicilium occultã
" tenuit. Ac primùm vt cætera illius nequitiæ facinora taceã, audite quæso, quid scele-
" ris cum Theognide, quem suæ socium habebat amentiæ, cõsciuerit. Ipse fortè quosdã
" Alexandrinos, qui à fide nostra defecerant, huc mitti iusserat: quandoquidem eorum
" opera dissidij flãma incensa erat. Sed isti honesti boniq; scilicet episcopi, qui vera Cõci-
" lij dijudicatione ad pœnitentiã agendã reseruati sunt, non solũ eos admiserunt ad se, &
" secum in tuto collocarunt: verùm etiã illorum deprauatis moribus communicarunt.
" Quamobrem erga istos ingratos aliquod supplicium censui statuendum: & propterea
" mandatum dedi, vt à suis abrepti sedibus, quàm longissimè relegarentur. Iam vestrum
" est, ea fide in Deum aciẽ mentis vestrę intendere, in qua vos semper mansisse constat: &
" in qua manere, omniaq; pietatis officia exequi consentaneũ est. Quod si ita fiat, vt epi-
" scopos tum vitæ integritate, tum sana doctrina, tum benignitate in omnes eximios ha-
" beamus, iure lætari debemus. Sin autem quisquam temeritate & audacia accensus, eas
" ecclesiæ pestes vel memoria, vel laudibus celebrare aggrediatur: confestim opera ac di-
" ligentia famuli Dei (meipsum dico) pœnas suæ insciti æ dabit. Deus vos, fratres charis-
" incolumes seruet. Isti igitur, quanquã tum & honorum gradibus abdicati, & ciuitatib.

Concilij Nicæni à Constantino coacti institutum.

Eusebius ecclesiæ perturbationis author.

Theognis Eusebij socius.

Boni episcopi virtutes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

iecti erant,& Nicomediæ episcopatum Amphion,Nicææ autem Chrestus obtinuit: A tamen rursus machinis, quibus antè vti consueuerant, vsi, & Imperatoris facilitatem velut subsidium ad fraudem faciendam nacti,certamine redintegrato,priorem suam recuperauêre potestatem.

De veteratoria fraude ab Eusebio & complicibus suis contra sanctum Eustathium Antiochenum episcopum excogitata.

CAP. XXI.

EVsebius,postquam(vt dixi modò) ad episcopatus Constantinopolitani honorem per vim planè tyrannicam ascendit,maiore comparata potentia, tum quòd Imperatori in proximo habitans, eum frequenter adiret: tum quòd ex crebra eius consuetudine authoritatem nactus esset,insidias iam veritatis propugnatoribus struere cœpit. Ac primùm se magno flagrare desiderio visendi Hierosolymam simulauit:& cum Imperatorem hoc pacto fefellisset(prætexuerat enim,se templum ab Imperatore ibi extructum,quod omniũ fermone celebratum fuit, velle visere) cum maximo honore Constantinopoli decessit: quippe Imperator ei rhedas,& alias res quibus eum ornaret,suppeditauit. Eum comitatus est Theognis episcopus Niceæ,suorum perditorũ consiliorum, vt suprà dictũ est, particeps ac socius. Qui cum aduentarent Antiochiam,amicitia erga Eustathium vultu ac fronte simulata,honorificentissimè excepti sunt. Nã magnus ille Eustathius, defensor veritatis, fraternã planè illis præstitit benevolentiam. Illi aũt, vbi venêre ad sacra Hierosolymorũ loca,& Eusebium Episcopum Cæsareæ,Patrophilum Scythopolitanum, Aëtium Lyddę episcopum,& Laodiceæ Theodotum,suæ opinionis fautores, aliosq;, quos labes Ariana infecerat,viderunt:facinus,quod per insidias molirentur,illis aperuerunt:quibus comitati,redière Antiochiam. Quòd autẽ cæteri episcopi, quos modò nominaui,eò vnà aduentarunt,honoris maioris causa factum esse prætendebatur illud quidem,sed reipsa fraus ad verã pietatem oppugnandam parabatur. Nam cũ meretricẽ,cuius formæ pulchritudo venalis erat,mercede conduxissent, & linguæ suæ operam vt ipsis locaret, ei persuasissent,primùm ad Concilium vnà veniunt:deinde alijs omnibus inde exire iussis,misellam illam introducunt mulierculã. Illa puero, qui Beti amnum eius sugebat vbera,ostenso,dixit se ex concubitu Eustathij eum concepisse & peperisse:& ore impudenti vociferata est,illum pueri patrem esse. Itaq; Eustathius, cum criminationẽ istam perspicuè falsam esse pro certo cognosceret,iubet mulierculã si quem huius facinoris consciũ haberet,in mediũ adducere. Quæ cum respõderet, se nullum obiecti criminis habere testẽ:æquissimi illi iudices postulant ab ea iusiurandum. Et quanquam lex palàm clamat,In ore duorum aut trium testium ratum sit omne verbum:& Apostolus manifestò præcipit,nullum crimen presbytero illatum sine duobus aut tribus testibus admittendum:isti tamen spretis diuinis legibus, accusationem contra tam illustrem episcopum, nullo omninò teste adducto, admittere non dubitarunt. Simulatq; igitur mulierculam,ea quæ dixerat anteà, iureiurando confirmauerat impudenterq; clamarat,puerum reuera Eustathij esse:ilico iudices illi, veritatis scilicet fautores,sententiam contra eum tanquam adulterũ pronunciauêre. Cum aũt alij episcopi(aderant enim non pauci, doctrinæ Apostolicæ propugnatores, quibus fraudulenti Eusebij conatus non erant omninò incogniti)apertè contradicerent, obstarentq; quò minus magnus Eustathius iniquam illam sententiam exciperet, facinoris authores maxima cum celeritate ad Imperatorem contendunt. Cui cum persuasissent crimen Eustathio intentatum verum esse,& æquam abdicationis sententiã:perfecerunt,vt Eustathius pietatis & castitatis athleta,velut adulter simul & tyrannus in exilium pelleretur. Ille igitur per Thraciam profectus,vrbem quandam Illyriæ petiuit.

Eusebii insidiæ, & Hierosolymam profectio.

Eustathius Antiochiæ episc. Eusebij calumnijs & insidijs circumuentus.

Matth.18. 2. Cor. 13. 1. Tim. 6.

Eustathius pro adultero damnatus.

Eustathij exilium.

Vide Socr. li.1 c.18. 20 Vide Nicephor. cap. 2. 5.lib.9. Sozo.lib. 2.ca. 16&17. Vitam Constant.lib.3. cap.57.

De episcopo hæreticis Antiochiæ,post sancti Eustathij mortem constituto.

CAP. XXII.

POst discessum Eustathij, Eulalius episcopus Antiochiæ pro illo deligitur. Quo paulò pòst mortuo, Antiocheni habebant in animo Eusebium episcopum Cæsareæ ad se transferre: Verùm cum & Eusebius ab vno episcopatu ad alterum transferri recusasset,& Imperator illud ipsum fieri vetuisset, Euphronium elegerunt. Quo etiã vita defuncto(annum enim & menses aliquot,postquam electus erat,vixit) ecclesiæ illius episcopatus Placentio delatus est. In horum omnium animis similiter delituit Ariana labes. Quapropter quàm plurimi tum ex clero,tum ex populo, quibus propositum erat Deum sanctè & sincerè colere,relictis publicis Ecclesiæ conuentibus, seorsim per se conuen-

Eulalius episcopus.

Euphronius.

Placentius.

Vide Nicephor. lib.8. c.43. Sozo. li.2. cap. 6.

A conuentus agere cœperunt. Quos quidem Eustathianos omnes propterea nuncupauêre,quòd post abitum Eustathij,in vnum coiuissent. Sed vt ad miseram illam meretricẽ redeam,ea in morbum grauissimum maximeque diuturnum delapsa, insidias atque adeò tragœdiam factionis Eusebianæ aperuit:& non duos tresue sacerdotes, sed quam plurimos de fraudulentis Eusebij conatibus certiores fecit: seque mercede cõductam, illud fictum crimen Eustathio intendisse:& tamen iusiurandum, quo se obstrinxerat, non prorsus falsum esse. Nam Eustathium quendam fabrum ærarium, pueri patrem fuisse. Atque hæc quidem ab optima illa scilicet factione Eusebiana, Antiochiæ patrata sunt.

Eustathiani conuentus.

Eustathius faber ærarius.

De Indorum fide. CAPVT XXIII.

PEr idem tempus diuinæ cognitionis lux apud Indos orta est. Nam cum eximia Imperatoris Constantini fortitudo & pietas singularis per omnium ora volitaret,& barbari vndiq; vsu experientiaq; didicissent, pacem bello longè anteponendam esse,liberè ac fidenter omnes mutuam inter ipsos societatem inierunt. Ac multi visendi causa,non pauci mercaturæ faciendæ,perlonga susceperunt itinera. Quo quidem tempore Tyrius quidam philosophiæ peritus,desiderio extremæ Indiæ visendæ incensus,duobus comitatus adolescentibus,fratris sui filijs,eò profectus est. Qui simulatq; animi sui desiderium expleuerat,conscensa naue in patriam redire maturat. Inter vias naui aquationis gratia ad litus appulsa,barbari fortè in eos incursione facta, nonnullos demersere,alios abduxêre captiuos. Ille autem Tyrius in mortuorum numerum ascriptus est,adolescentes verò ad regem Indorum deducti: quorum alteri Aedesius,Frumentius alteri nomen fuit. Cum longo tempore iam illius regionis rex periculum istorũ fecisset, & ingeniosos esse perspiceret,suæ ipsius familiæ curam illis imposuit. Quod si quisquam sit, qui verbis meis minimè fidem adhibeat,secum consideret res à Iosepho gestas, & regnum Aegypti ab eo administratum. Reuocet porrò in memoriam prophetam Danielem, & tres illos athletas,qui tam strenuè pro pietate decertarunt. Etenim illi in bello capti,regni Babylonij suo,permagno honore affecti. Ac quoniam in vero Dei cultu educati erant,mercatores,qui eò commeabant,cohortati sunt,vt in vnum congregati (vt fert mos Romanorum) diuina ministeria obirent. Longo verò iam tempore dilapso, veniunt ad regem,& mercedem suæ erga illum benevolentiæ postulant,non aliam quidem, quã vt ipsis faciat potestatem in patriam reuertendi. Qua re impetrata in fines Romanorũ aduentant,atq; Aedesius rectà Tyrum proficiscitur. Frumentius autem studium erga pietatem pluris faciens,quàm aspectum parentum, Alexandriam contendit:docetque illius ecclesiæ episcopum,Indos maxima duci cupiditate luminis diuinæ cognitionis percipiendi. Tenuit quidem id temporis ecclesiæ illius gubernacula Athanasius. Qui cũ has res audiuisset,Quis,inquit,melius quam tu,vel ignorantiæ caliginem ab oculis animorum huius gẽtis dispellere,vel splendorem diuinæ prædicationis illis porrigere poterit?Quæ cum dixisset,ei sacrosanctum episcopatus munus impertit: mittitq; ad animos illius gentis pietatis doctrina excolendos. Ille igitur tum patria relicta, tum longissimi pelagi traiectu neglecto,ad gentem cõtendit culturæ diuinæ penitùs expertem. Quam quidem,diuina gratia iuuãte,summa cum animi alacritate excoluit. Nam miraculis,quæ more Apostolorum edebat, eos qui verbis & doctrinæ suæ contradicere conabantur,in suam pertraxit sententiam:& prodigijs, quæ faciebat, sua dicta confirmans,quàm plurimos in dies singulos fidei Christi adiunxit.

Vide Socr. lib.1.ca.19. Vide Nicephor.lib.8. cap.31. Sozom. li. 2. cap. 23. Vitam Constant.lib. 4.cap.50.

Apud Indos lux diuinæ cognitionis orta.

Tyrius philosophus.

Aedesij & Frumentij historia.

Ioseph us Aegypti regno præfectus.

Daniel cum tribus pueris. Daniel 3.

Athanasius Frumentio episcopatus munus imponit.

Indi ad fidem Christianam conuersi.

De Iberorum ad pietatem traductione.

CAPVT XXIIII.

QVemadmodum Frumentius viam Indis ad Dei monstrauit cognitionem: sic eodem tempore mulier quædam capta in bello, Iberes ad veritatem traduxit: Hæc enim assiduis in precibus se defixit:ei lectus fuit & molle stragulum,saccus humi expli catus:iciunium summarum deliciarum numerauit loco: hac laboriosa viuendi ratione dona assecuta est planè Apostolica. Nam quoniam barbaris propter artis medendi inopiam in more positum erat,vt si quando in morbum inciderẽt, alius alium adiret, & ab ijs,qui modò ægrotauerant,atq; ad integram erant restituti valetudinem,diligenter perdisceret curationis modum: mulier quædam ad hominem illã, quam dixi modò,summa laude ornandã,cũ puero morbo vexato rectà accedit:orat vt quid agẽdum sit,ab ea doceatur. Illa acceptũ puerũ in lecto suo collocat: Deũ vniuersitatis architectũ supplex

Socrat. lib. 1.cap.16. Vide Nicephor. lib.8.c.34. Sozo. li.2. cap. 6.

Iberes quomodo ad veritatem traducti.

Universidad de Deusto
Biblioteca

supplex precatur, vt benignus puerum morbo liberet. Qui eius precem amplexus, puerum sanauit. Inde admirabilis illa mulier in omnium ore ac sermone versari cœpit. A

Vide Ruff. & nota.

Quod eius factum etiam ad reginæ aures perlatum est. Itaque statim illam accersit ad se: nam ipsa fortè graui morbo afflictata iacuit. Mulier, ne quid suprà quàm sexus muliebris fert, tentare videretur, reginæ postulatum denegauit. At regina necessitate compulsa, minimè quid regia sua dignitas postularet, animo complexa est, sed propere ad captiuam ipsa contendit. Mulier eam itidem in suo abiecto ac vili reponit lecto, precesque, medicamentum planè salutare, morbo adhibet. Regina igitur è morbo recreata, mercedem curationis longè amplissimam, aurum nempe, argentum, indusia, pallas, & id genus alia dona, quæ regalis poscit magnificentia, mulieri apportat. Sancta autem & diuina planè mulier dixit, his sibi minimè opus esse: seq; veri Dei cultus cognitione magnæ mercedis loco ducere. Et quoad eius fieri poterat, diuinis præceptis reginam e-

Templum ad Christi honorē extrui iussum.

rudiuit: hortatur vt sacrosanctum templū ad honorē Christi, qui eam morbo eripuerat, exædificaret. His rebus auditis, regina redijt ad palatium. Quam tam breui curatam esse, supra modum admiratur rex. Deinde potentiam Dei, quem captiua colebat, ei aperit: orat, vt eum solum Deum agnoscat, templum ei extruat, & vniuersam suam gentem ad eius cultum traducat. Rex autem miraculum in sananda coniuge editum laudat ille quidem plurimùm, sed tamen templum fabricare noluit. Aliquanto igitur tēporis spacio interposito, ipse fortè confert se venatum: quem benignus Dominus non

Act. 9.

aliter atq; olim Paulum, inter venandum cepit. Nam caligo ei derepentè offusa, impedimento fuit, quo minus longius progrederetur. Atq; cæteri venatores claris lucis radijs, vt assolet, vsi sunt: iste autem solus relictus, cæcitatis vinculis tenebatur irretitus.

Iberorum rex quomodo viā salutis inuenerit.

Qui, licet in tam ancipiti loco vita eius posita esset, viam tamen salutis citò inuenit. Nā simul vt incredulitatem suam in memoriam redegerat, & Deum captiuæ sibi inuocarat adiutorem, caligo ab oculis depulsa est. Itaq; profectus ad captiuam illam, mulierē sanè admirabilem, rogat, vt templi extruēdi modum ipsi ostendat. Eam autem ille, qui

Besileel.

Besilielem singulari architectandi peritia imbuebat, tanta gratia donauit, vt sacrosancti templi formam exquisitè describeret. Quam cum Iberes ab ea haberent descriptā, fodere & exædificare cœperunt. Postquam ædificium perfectum absolutumq; fuit, & tectum ei impositum, & soli sacerdotes desiderabantur, præstabilis illa mulier hanc rē B facilè expediuit. Nam persuasit regi, vt legatos ad Imperatorē Romanū mitteret, postularetq; vt sibi doctor aliquis veræ in Deū pietatis mitteretur. Rex igitur consilium eius

Constantinus Iberorum genti episcopum mittit.

amplexatus, legatos mittit. Imperator Constantinus, amator pietatis ardentissimus, petitionis causa intellecta, cùm legatos summa humanitate & beneuolentia complexus est: tum virum fidei, doctrinæ & piæ vitæ ornamentis eximiè decoratum, atq; adeò ad episcopatus gradū euectū, præconē diuinæ cognitionis Iberū genti cū donis quàm plurimis misit. Atq; sicut istorum postulationi ab eo benignè prospectum est: sic illorum, qui in Perside pietatis alumni erant, sua sponte curam suscepit ac prouidentiam. Nam cum certior factus esset, eos ab impijs exagitari, & eorum regem errori deditum, varios insidiarum modos contra eos moliri: literas ad eum scripsit, quibus & ad pietatem sectandam eum cohortatus est, & vt pij homines suum honorem retinerent, postulauit. Verùm ipsa epistola singulare scriptoris studium multo commodius declarabit.

Imperatoris Constantini ad Saporam Persarum regem pro Christianis epistola. CAP. XXV.

Epistola Constantini Imperatoris ad Saporam Persarum Regem, de prouidentia Dei, qua populi sui saluti consulit.

Constantini Imp. ad Saporam Persrum regem epistola.

Vide Nice. lib. 8. cap. 30. 38. Sozo. lib. 2. cap. 14.

OVemadmodum fidem sacratam conseruando, lucis veritatis particeps fio: sic lucem veritatis, tanquam ducem sequendo, ad sacratæ fidei cognitionem rectà peruenio. Idcirco per ista (sicut rerum euentus confirmant) sanctissimam religionem agnosco: huncq; cultum, magistrū cognitionis illius, qua Deus opt. max. intelligitur, me habere profiteor. Atque huius Dei virtutem adiutricem assecutus, ab extremis Oceani oris exorsus, vniuersum inde orbem terrarum ad firmam salutis spem excitaui. Nam regiones, quotquot erant cru-

Constantinus ope Dei orbem impietate & tyrannide pur gauit.

delibus admodum tyrannis redactæ in seruitutem, atq; adeò quotidianis calamitatibus oppressæ, propeq; labefactatæ, omnes mea opera ac subsidio meliorem vitæ conditionem recipientes, quasi curatione quadam refocillatæ sunt. Hunc ergo Deum veneror, cuius signum exercitus meus Deo dicatus, suis humeris portans, eò quò æqui iustiq; ratio vocat, rectà proficiscitur, nobisq; per illorū clarissimos triumphos cōtinuò gratia rependitur. Hunc Deū memoria sempiterna me recolere cōfiteor: in hunc altissima lo-

ca inco-

A ca incolentem, pura & sincera mente assiduè contemplor: hunc genibus flexis inuoco:
„ omnem detestabilem cruorem ac cædem victimarum fugio: odores in ijsdem nefarios
„ & execrandos vito: omnem terrestrem declino splēdorem. Quibus rebus omnibus sce-
„ leratus & infandus error gentilium contaminatus, complures nationes, atq; adeò vni-
„ uersa ferè hominum genera deiecit de sublimi, inq; ima barathri loca detrusit. Quæ e-

Deus quid ab hominib. requirat.

„ nim Deus, rerum omnium moderator, quo hominibus prouideat, propter clementiā
„ suam in lucem ad vsum vitæ necessarium protulerit, ea ad cuiusq; libidinem rapi con-
„ uertiq; neutiquam permittit: sed puram solum mentem, & animum labe vacuū ab ho-
„ minibus requirit, hisq; virtutis & pietatis actiones ponderat. Nam modestiæ & māsue-
„ tudinis lætatur officijs: mites diligit, authores seditionis odit: fidem amat, infidelitatē
„ coercet supplicio: omnem potentiam superbia inflatam perfringit, pœna mulctat inso
„ lentium contumeliam: fastu elatos radicitùs extirpat: humilibus & patientibus iniu-
„ riarum, ea quæ ad dignitatem pertinent, tribuit. Sic etiam imperium iustum magno æ-
„ stimat, & auxilio suo confirmat: conscientiamq; verè regiam tranquilla pace munit.
„ Neq; sanè videor mihi errare, frater mi, dum istū vnum solumq; Deum esse, qui est o-
„ mnium dux & parens, ingenuè confiteor: quem plerique eorum, qui huius imperij cla
„ uum tenuerunt, insano errore & amentia adducti, dedita opera penitùs pernegarunt.

Imperatores qui Christū dedita opera pernegarūt, infelices exitus nacti sunt.

„ Verùm illos omnes eiusmodi exitus, velut scelerum vindex, oppressit, vt vniuersum
„ posterorum hominum genus eorum calamitates exempli loco, his qui similia cum il-
„ lis facta imitari voluerint, ante oculos ad contemplandum proponat. Ex quorum nu-
„ mero illum quem ira Dei, tanquam fulmen quoddam, è nostris finibus extruserit, in-
„ que vestros transportarit, vnum fuisse arbitror: qui quidem turpitudinis suæ quasi tro-
„ phæum apud nos multorum sermone nobilitatum, apud vos in omnium conspectu
„ statuit. Quinetiam illud præclarè cecidit, vt nostra ætate supplicium de eiusmodi ho-
„ minibus sumptum ob oculos omnium euidenter poneretur. Nam quibusdam illorū,
„ qui nuper populum Deo consecratum nefarijs edictis exagitauissent, ipse equidem o-
„ culis aspexi pœnas inflictas esse. Quapropter magna Deo habeatur gratia, quòd sum-
„ ma illius prouidentia factum est, vt vniuersum hominum genus, quod legi diuinæ co-
„ lendæ se addixerit, pace ipsi reddita restitutaque exultet & glorietur. Hinc persuasum
B habeo, res tum singulas, tum vniuersas, in optimo & tranquillissimo statu locatas esse:
„ quòd Deus omnes homines per sinceram & spectatam ipsorum religionem ex concor
„ di consensu in sacro eius numine venerando natam, ad se aggregare dignatus sit. Isto
„ verò hominū genere, Christianos dico (de his enim omnis mihi sermo institutus est)
„ cum audio prouincias eas, quæ in Perside facilè primas tenent, quàm maximè, sicut mi-
„ hi in optatis erat, refertas, quanta me voluptate affectum esse existimas? Sicut igitur tibi
„ pulcherrimè, sic illis non minus præclarè cōtingit, quòd propterea Deum patrem, om-
„ nium rerum dominum, ita tum tibi ipsi, tum illis clementem ac propitium habiturus
„ es. Quocirca quoniam tantus es, & tam eximius princeps, istos ipsos tibi commendo:
„ & quoniam pietate tam insignis es, tuæ conredo fidei: istos, amabo te, vti tuam benig-
„ nitatem decet, amplectere. Nam per fidem & tibi ipsi es, & nobis immensum quoddam
beneficium præstiturus. Tantam curam Imperator facilè præstantissimus de viris pie-

Imperatorē de viris pietate eximijs cura.

tate eximijs suscepit: atque non suis solum subiectis studiosè prospexit, verumetiam illis, qui alienæ parebant ditioni, pro virili consuluit. Quam ob causam Deo ipse curæ

Constantini felicitas.

fuit: vnde & Europæ totius, & Africæ, quinetiam maximæ partis Asiæ imperio potitus est, & suos subiectos sibi beneuolos habuit, & freno gubernationis suæ libentibus animis obsequentes. Porrò autem barbarorum alij sua sponte ei inseruire, in animum induxerunt: alij idem præstiterunt bello deuicti. Vbique trophæa ab eo erecta: vbique ille ipse victor Imperator declaratus. Sed quoniam hę res ab alijs pluribus verbis prędicatæ sunt, idcirco illis relictis, ad historiam veniamus. Quemadmodum omnium ore celebratus Imperator curas ac studia planè Apostolica versabat animo: sic sacerdotes, non modò non in ecclesia ædificanda, sed in eius fundamentis penitùs disturbandis operā suam posuerunt. Nam qui istis stabiliendis per doctrinam Apostolicam animam adijciebant, hos falsis cuiusq; generis calumnijs confictis, suis honorum gradibus abdicarunt. Etenim qui facinus illud memorabile contra magnum illum Eustathium consciuissent, horum inuidia hactenus minimè exaturata fuit: sed in alia firmissima pietatis arce cuniculis oppugnanda magnoperè laborare, variasque machinas ei admouere aggressi sunt. Quam quidem tragœdiam, quantum fieri potest, breuissimè hoc loco explicabo.

De

De paratis contra sanctum Athanasium insidijs.

CAP. XXVI.

Athanasius episcopus Alexandri successor in episcopatu Alexādriæ.

VIde Nicæ. lib. 8 c. 44. Huc etiam refer ea, quæ proximis cap. 2. hic sequuntur.

VIm episcopus ille egregius Alexander, qui tam strenuè contra Arij blasphemiam decertauerat, quinque menses post Concilium Niceæ celebratum, finem viuendi fecisset, ecclesiæ Alexandrinæ episcopatum capessit Athanasius: vir à puero diuinis & sacris literis institutus, & singulis ordinum ecclesiasticorum muneribus cum summa omniū admiratione perfunctus. Iste in magno illo ac celebri Concilio Nicæno egregiè ac virili animo pro doctrina Apostolica luctatus, quemadmodum à veritatis defensoribus magnam laudem adeptus est: sic apud eius oppugnatores, velut aduersarius, in graue odium & planè capitale incurrit. Qui cum adolescens esset, consuetudine illius excellentis Alexandri assiduè vsus est, choroque diaconorum præfuit. Vbi verò Ariani, qui vnigenitum Dei filium oppugnare secum decreuerant, experientia docti, intellexêre propensum atque alacre eius in tuenda veritate studium, & iam ad ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula suscipienda designatum cognouêre, eius administratione suam potentiam labefactatum iri existimarunt. Qua de causa tale quoddam facinus moliri cœperunt. Cum Meletius ille, quem Cōcilium Nicænum abdicauerat, tumultus ac turbas tum in Thebaide, tum in Aegypto, quæ ei finitima est, ciere non desisteret: Ariani militibus quibusdā mercede conductis (sic enim fore putabant, vt crimen simulatum confictumque suspicione careret) persuadent, vt properè contenderent ad Imperatorem, Athanasium per calumniam insimularent, quòd tributa Aegypto imposuerat, & aurum inde collectū homini tyrannidem exercere molienti suppeditarat. Qui cum Imperatorem hoc modo essent ludificati, effecerunt vt Athanasius Constantinopolim duceretur. Ille vt primùm eò venit, tum falsam accusatorum criminationem refutauit, tum ad ecclesiæ administrationem, quæ ei diuinitùs delata erat, restitutus est.

Athanasius calumnia ab Arianis circūuentus.

Athanasius ad ecclesiæ administrationem restitutus.

Imperatoris Constantini ad Alexandrinos Epistola.

CAP. XXVII.

Concordiæ studendum mouet.

ASTas quidem res apertè declarat Imperatoris epistola, quam scripsit ad ecclesiam Alexandrinam: cuius partem extremam in hanc nostram Historiam includere non incommodum existimaui. Improborum hominum maleuolentia vestro Episcopo, mihi credite fratres, nihil omninò nocere potuit: quorum studium huc solum spectabat, toto vt ætatis tempore in eiusmodi maleficijs consumpto cōtritoque, nullus ipsis in hac vita relinqueretur pœnitentiæ locus. Itaque vobis ipsi sitis adiumento: illud amplexamini, quod amorem possit inter vos conciliare: omnibus viribus eos insectamini, quibus in optatis est mutuam inter vos concordiam extinguere. Atque ad Deum oculis mentis vestræ coniectis, vos vestramque salutem amate. Ipse equidem vestrum episcopum Athanasium lubens ad me admisi: sicque eum affatus sum, vt hominem (quemadmodū mihi persuadeo) qui Deum sanctè religioseq; colit.

Altera aduersus Athanasium structa fraus.

CAP. XXVIII.

Arianorum fabula.

ATne sic quidem impios Arianos puduit, sed aliam talem deintegro texere fabulam aggressi sunt, qualem nemo veterum tragicorum comicorúmue aliquando effinxerit. Nam accusatoribus ex sua ipsorum factione conductis, eos deducunt ad Imperatorem. Illi clamant, Athanasiū virtutis athletam multa infanda scelera consciuisse. Horum causam tutatus est Eusebius, Theognis & Theodorus Perinthius (Perinthus autem hoc tempore Heraclea nominatur) dicunt istas res adeò indignas intolerabilesque, vt hominum aures eas audire refugiant. Proinde persuadent Imperatori, vt Cæsareæ Palæstinæ (ibi enim complures erant Athanasio infesti) concilium conuocetur, iuberetque in ea vrbe iudicium de Athanasio exerceri. Imperator autem illis, vtpote sacerdotibus, obsecutus (si quidem ignorabat penitùs fraudulentos eorum conatus) quod postulauerant, fieri mandauit. Verùm sanctus Athanasius, intellecto iudicum odio, ad Concilium non venit. Ariani igitur, ansa inde ad calumniandum arrepta, & bello contra veritatem suscepto, præter alia nefanda facinora, tyrannidis præterea & contumaciæ eum coram Imperatore insimulant.

Perinthus, Heraclea.

Athanasius iniquos iudices subire recusat.

A mulant. Neque certè spes eos frustrata est. Nam Imperator alioqui mansuetissimus, eorum verbis ad iracundiam prouocatus, scripsit ad Athanasium epistolam, qua & bilem suam aperuit: & ei, vt Tyrum peteret, mandauit. Etenim quoniam suspicabatur (quemadmodum ego censeo) Athanasium Cæsareæ, propter illius vrbis antistitem, minimè velle comparere: idcirco iussit, vt concilium Tyri cogeretur. Itaque scripsit ad concilium epistolam, dignam sanè homine pietatis insignibus eximiè decorato, quæ se habet ad hunc modum:

Imperatoris Constantini ad concilium epistola.

CAP. XXIX.

VIde Nicæ. lib. 3. cap. 49. 50.

Constantinus Augustus Sancto concilio Tyri conuocato.

Constantini ad concilium Tyri epistola.

FVisset planè consentaneum, & his tam prosperis temporibus maximè accommodatum, vt Ecclesia catholica à seditionibus libera & vacua fuisset, & famuli Christi omni nota iam penitùs caruissent infamiæ. Sed quoniam quidam, velut insanæ contentionis furore agitati (tantum enim abest, vt eos vitam ipsis dignam traducere dicam) omnia perturbare permiscereque nituntur (quæ res sanè omnem calamitatem videtur longè superare) propterea vos vestra sponte, vt dicitur, currentes hortor, vt abiecta omni cunctatione in vnum conueniatis, ad Concilium frequentes accedatis: his qui auxilij indigent, subsidio sitis: fratres in periculo versantes liberetis, membra seditione distracta reducatis ad concordiam: ea denique in quibus erratum est, dum tempus ad eam rem fert, corrigatis: vt tot tantisque prouincijs animorum consensum, quem (proh nefas) paucissimorum hominum insolentia dissipauerit, de integro restituatis. Atque quòd ista res Deo omnium rectori pergrata, quodque & nobis optatissima, & vobisipsis, si pacem inter eos concilietis, non adumbratæ, sed veræ gloriæ materia futura sit, arbitror omnes iuxtà mecum velle libenter confiteri. Nolite igitur moram facere: sed omnes animi neruos huc intendentes, de propositis controuersijs ritè & conuenienter decidere laborate: & cum omni videlicet alacritate ac fide vndique cōuenite: quam Seruator ille, quem nos sanctè colimus, propè voce emissa, à nobis maximè semper flagitat. Nec quicquam eorum quæ ad meam diligentem curam pertinent, desiderabitur. Quæ autem per literas mihi significastis, omnia à me confecta sunt. Missi igitur ad eos quos volebatis episcopos, vt ad vos aduentantes, vobiscum sua sensa & cogitationes communicent. Missi etiam Dionysium, virum consularem, qui eos quos ad Concilium oportet vobis vnà accedere, admoneat: & tum quæ gerantur, tum maximè vt omnia ordine & ratione fiant, accuratè videat. Quòd si quis (sicut minimè suspicor) nostrum mandatum etiam iam callidè reijcere studens, recuset ad Concilium aduentare: hinc à nobis aliquis mittetur, qui cum regio mandato de dignitate sua deijciat, doceatq;, non decere quenquam decisionibus Imperatoris pro veritate editis aduersari. Erit igitur vestræ sanctitatis officium, vt deceterò summo animorum consensu & iudicio his, in quibus vel dedita opera peccatum est, vel per errorem delictum, conuenientem curationem non ad odium alicuius, vel ad gratiam, sed vt canon Ecclesiasticus Apostolicusque flagitat, excogitetis: vti tum ecclesiam omni liberetis blasphemia, tum meas curas ac solicitudines releuetis, tum denique pacis beneficium his, qui iam seditionibus perturbantur, præstantes, maximū gloriæ decus vobis ipsis colligatis. Deus vos, fratres charissimi, seruet incolumes. Quare cum ipsi hac de causa Tyri essent congregati, aduentarunt eò etiam alij nonnulli, qui ob doctrinæ prauitatem accusabantur: in quorum numero fuit Asclepas episcopus Gazæ. Illò quoque aduentauit Athanasius. Sed primùm accusationis Athanasio intētatæ velut tragœdiam exponere, deinde ea quæ ad iudicium de eo latum, quod tam multis in ore est, attinent, literis persequi constituit.

Ad pacem ecclesiæ constituendam exhortatio.

De Concilio Tyri celebrato.

CAP. XXX.

Vide Socr. lib. 1. c. 20. 21. Vide Nicephor. cap. 49. lib. 8. Vide Sozo. lib. 2. c. 24. 25. 27. Vide Vitā Constant. lib. 4. ca. 41.

Arsenius episcopus eius q; manus abscissa se insimulatus Athanasius.

ARsenium quendam communionis Meletianæ episcopum, quidam ex eius factione eo quidem Concilio occultant, vt diu ab hominum oculis remotus latitet. Interea temporis manu cuiusdam hominis mortui abscissa, eam sale conditam, in capsa lignea reponunt, circumferunt vndique, manū esse prædicant Arsenij, eamque ab Athanasio excisam prædicant: & propterea illum vocant homicidam. Verùm summi numinis oculus, qui omnia contemplatur, non diu Arsenium latitare passus est: sed primùm in Aegypto Thebaide compertum est, eum adhuc viuere: deinde Tyrum vsque diuina prouidentia deductus est. Ibi tum manus illa ad hanc tragœdiam comparata, coram iudicibus proferebatur. Istum Arsenium Athanasij necessarij conquirunt, adducunt, cogunt in diuersorio parūper latere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Athanasij accusatio.

Interim illustris ille Athanasius primo mane venit ad Concilium. Ad quem accusandum introducta est muliercula libidinosa ac petulans: clamat impudēter, se professam esse virginitatem: sed ab Athanasio, quem hospitio exceperat, per vim cōpressam, & inuitam stupratam fuisse. Quæ cū dixisset, ingreditur Anthanasius, quem accusauerat, presbytero perquàm laudato, cui Timotheus nomen erat, comitatus. Vbi verò à iudicibus imperatum Athanasio fuit, vt crimini responderet: ipse obticuit, perinde ac si Athanasius non esset, atque Timotheus sic mulierculam alloquitur: Egóne tecum aliquando rem habui? egóne in tuas ædes ingressus sum? Tum illa impudentius petulantiusque clamare, digladiari cū Timotheo: manum educere, ostendere annulum, ac dicere: Tu mihi abstulisti virginitatem: tu castitate me spoliasti: aliaq;, quæ impudentes meretrices propter intemperantiæ exuberantiam loqui solent. Ad hunc modum igitur tum his qui fabulam texuerant, ignominiæ: tum iudicibus, qui facinoris conscij erant, pudoris inusta nota, muliercula educta est è concilio. Tum magnus ille Athanasius: Non est dimittenda mulier, sed inquirendū in eam, cognoscendumque quis hæc crimina confinxerit. At Ariani vociferari, alia contra eum multò grauiora restare crimina, quæ nulla dicendi arte acuminéue dilui possent: de quibus cū proferrentur, non audiendi, sed cernēdi sensus iudicium faceret. Quæ cùm dixissent, capsam, de qua tam creber sermo fuit, ostendunt, & manum sale conditam detegunt. Tum singuli qui eam conspicabantur, clamorem tollere: ac pars eorum scelus vere admissum esse putabant, pars rem fictam falsamque esse sciebant, & Arsenium adhuc occultatum latitare arbitrabantur. Atque vix momento temporis silentium fuit, cùm Athanasius, cui crimen intendebatur, sciscitatus est à iudicibus, Ecquis inter eos Arsenium nosceret? Cùm à multis responsum esset, se accuratè hominem nosce re, eum introduci iubet: ac rursus sic percontatur: Hiccine est Arsenius, à me quidem interfectus, ab istis autem quæsitus, post cædem affectus contumelia, & dextra manu priuatus? Vbi verò assensum est, illū ipsum esse, Athanasius exuit eum pallio, & vtramque manū tum dextram, tum sinistrā ostendit, aitque: Aliam manum nemo, opinor, quæret. nā amplius quàm duas manus ab vniuersitatis conditore accepit nemo. Quibus rebus ad hunc modum patefactis, cū oporteret & accusatores & iudices, qui facinoris erant conscij, præ pudore se in latebras abdere, optareque vt tellus sibi dehisceret, concilium tumultu ac seditione complere, veneficum appellare Athanasium, eum hominum oculos præstigijs fefellisse affirmare cœperunt: quinetiam, qui eum paulò antè cædis reum egerant, ijdem ipsi hominem discerpere mactareq; aggrediuntur. Verùm quib. negocium ab imperatore dabatur, vt paci ac tranquillitati prouiderent, cædem prohibuerunt. Nam Athanasium, qui in causæ disceptatione superior discesserat, hostium manibus ereptum, in scapham curauerunt imponendum, sicque eius saluti consuluerunt. Qui rectà ad Imperatorem profectus, totam tragœdiam, vt gesta est, ei narrat. Aduersarij autem quosdam suæ opinionis episcopos, Theognidem dico, episcopum Nicææ, Theodorum Perinthiū, Marim Chalcedonium. Narcissum Cilicem, & alios eiusdem doctrinæ fautores ad Mareotem, quæ est regio Alexandriæ ditioni subiecta, quæque nomen ex lacu Mario inuenit, miserūt. Qui cùm in eo loco mendacia quædam cōtra Athanasium confinxissent, quosdamq; cōmentarios de eisdem falsò composuissent, & calumnias antè patefactas tanquam veras criminationes contexissent, ad Imperatorem hęc omnia deferenda curauerunt.

Timotheus pro Athanasio à muliercula accusatus.

Arsenij matus abscissæ insimulatus à Athanasius.

Athanasij defensio.

Arianorū impudentia.

Mareotis.

De ecclesiæ dedicatione Hierosolymis, ac sancti Athanasij proscriptione.

CAPVT XXXI.

Templū Hierosolymitanum consecrari vult Imperator.

His rebus gestis, illi Hierosolymā proficiscuntur. nam eò totum conciliū Tyri conuocatum petere mandauerat Imperator. Quinetiā alios omnes episcopos vndiq; ad eam ciuitatē commeare iusserat, quò templa ab ipso ædificata cōsecrarent. Misit etiam illò vnà nōnullos principes viros, sibi familiaritate & beneuolētia cōiunctissimos, pietatis & fidei ornamentis eximiè decoratos: quibus mandatum dedit, vt nō episcopis solū, & eorum comitibus, verū etiam omnibus egentib. qui illuc confluerent, omnia necessaria largè & liberaliter suppeditarent. Porrò sacrosanctū altare aulæis planè regalibus, & monumentis lapidib. preciosis auroq; collustratis, adornabatur. Ad hunc modum igitur festo splēdidissimo celebrato, episcoporum singuli domū rediêre: Imperator autem, cùm de celebris festi splendore & magnificentia certior factus esset, incredibilem animo cepit læticiā, & omnium bonorum largitorem Deū propterea laudib. extulit, quòd istud postulatum benignus ipsi concesserat. Postquam verò Athanasius ad eum venit de iniquo iudicio conquesturus, episcopos quos ea de re accusabat, ad se aduentare iubet Imperator. Qui simul vt accesserūt, calumniasque suas manifestò deprehensas

Vide Socr. lib. 1. ca. 22. Vide Nice. lib. 8. cap. 50. Vide Sozom. lib. 2. cap. 26. Vitam Constant. lib. 4. cap. 43. item Euseb. lib. 10. cap. 2. 3.

Aliain Athanasium calumnia.

A

henſas animaduerterunt, illis quas iam antè confinxerant relictis, referunt Imperatori: Athanasium minatum esse, se prohibiturum, quo minus frumentum, vt solet, Alexandria Constantinopolim aduheretur. Quibus verbis fidem adiungens Imperator, Athanasium mittit in exilium, iubetque vt Treuerim vrbem Galliæ se conferat. Iam trigesimus regni sui annus agebatur.

Athanasius Treuerim relegatus in exilium.

De beati Constantini Imperatoris testamento. CAP. XXXII.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 54.

ANno & paucis mensibus dilapsis, cùm Imperator esset Nicomediæ, grauiter ægrotare cœpit. Cumque secum consideraret, quàm incertus sit humanæ vitæ exitus, donum sacrosancti baptismatis accepit. Ad hoc namque tempus istud ideò distulerat, quòd magno tenebatur desiderio, hoc salutare lauacrum in Iordane fluuio percipiendi. Tres filios imperij reliquit hæredes, Constantinum, Constantium, & Constantem, natu omnium minimum. Athanasium verò magnum Alexandriam redire iussit, idq; præsente Eusebio episcopo Nicomediæ, & contraria ei suadere laborante.

Constantinus cur baptismū distulerit.

3. filij Constantini. 1. Constātinus 2. Constātius 3. Constans.

Pro eodem Imperatore defensio. CAP. XXXIII.

NEmini certè mirum videri debet, quòd Imperator in fraudē illectus, tam illustres viros solum vertere coegit. Nam fidem adhibuit episcopis, qui occultare studebant veritatem, illustrem quandam vitæ speciem præ se ferentes, qua Imperatorem dolo deluserunt. Neque sanè eos fugit, qui sunt in Sacris literis eruditi, Dauidem prophetam reuera deceptum fuisse. Quem non Pontifex, sed verna & verbero (Sibam dico, qui falsum crimen contra Miphiboseth detulit ad regem, illiusq; agrum, suum ita reddidit) vetereratorie circumuenit. Atque ista quidem dico, non quò prophetam insimulē: sed quò pro Imperatore respondeam, ostendamque humanæ naturæ imbecillitatem: & doceam simul, non solis accusatoribus credēdum, quamuis digni videantur quibus fides habenda sit, sed alteram aurem integram seruandam reo.

Constantinum excusat exēplo Dauidis. 2. Reg. ca. 16.

Accusatorib. non solis credendum.

De sancti Constantini Imperatoris obitu. CAP. XXXIIII.

B

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 50. Socrat. lib. 1. cap. 26. Sozom. li. 2. cap. 32. Vitā Constant. lib. 4. cap. 4. & seq.

POstea verò quàm Imperator ex hoc terrestri regno ad alterum multo præstabilius translatus fuit, præfecti, duces, & reliqui omnes illustres viri, eius corpus in loculo aureo repositum Constantinopolim deportant: quod quidem milites omnes comitantur, partim antecedentes, partim subsequentes, seque tam præclaro Imperatore orbatos grauiter lamentantur. nam eum sibi patris benignissimi loco fuisse, pro certò compererant. Quod autem ad corpus eius attinet, quantum honoris interim illi delatum sit, quanto temporis spacio, dum principes viri, filij reditum expectarent, in palatio manserit, literis persequi non necesse arbitror, præsertim cùm alij eadem scriptis mandarint: quorum libros quisque pro arbitratu legere poterit: indeque cognoscere, quibus præmijs, quamque honorificis, rerum vniuersarum moderator Deus famulos sibi beneuolos remuneretur. Quibus si quisquam minimè fidem habeat, cùm magnifica illa opera, quæ circa eius sepulchrum & statuam hodie cernuntur, oculis aspexerit: credat saltem Sacris literis, & Domino dicenti, Glorificantes me glorificō: & qui me spernunt, ipsi quoque spernentur.

Constantini Imp. obitus, et luctus.

1. Reg. cap. 2.

FINIS PRIMI LIBRI.

THEODORITI EPISCOPI
CYRI ECCLESIASTICAE HISTORIAE
LIBER SECVNDVS.

Hic liber secundus continet acta sub Constantini magni filijs, Constantino, Constantio & Constante annis viginti quinque. Huc autem refer eosdem authores quos supra adnotauimus ad 2. lib. Socratis.

De sancti Athanasij reditu CAP. I.

Constantinus, Constātius, Constans imp. anno Christi 341.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 2. vide Socratem cap. 2. lib. 2. Sozomen. lib. 3. cap. 2.

DIuinus ille Athanasius biennio integro & mensibus quatuor Treueri commoratus, reuertit Alexandriam. Quo quidem tempore Constantinus, filius Constantini Magni natu maximus, qui Galliæ versus Occidentem imperium obtinuit, literas ad ecclesiam scripsit Alexandrinam, quæ ità se habent:

Athanasij ab exilio redijus

Universidad de Deusto Biblioteca

Imperatoris Constantini, Constantini filij, ad Alexandrinos epistola.

CAPVT II.

Constantinus Cæsar, populo catholicæ ecclesiæ, quæ est Alexandriæ, S.

Vide Socr. cap. 2. li. 2 Nicephor. lib. 9. cap. 3.

Athanasius cur in Galliã relegatus.

VEstræ prudentiæ minimè obscurum esse arbitror, quid causæ fuerit, cur sacrosanctæ legis & doctrinæ euangelicæ interpres Athanasius à patre meo in Galliam relegatus sit: ne scilicet per nefariam improborum quorundã peruersitatem (nam agrestis infestorum & crudelium hostium immanitas, eius capiti periculum intenderat) vulnera planè insanabilia sustinere coactus fuisset. Quocirca vt hanc nequam hominum maliciam effugeret, ex illorum quasi faucibus, qui ei struebant insidias, ereptus est: iussusque vt sub mea ditione vitam degat, quo non aliter ac si in ea ciuitate versaretur, in qua antehac vixerit, omnibus rebus ad vitam necessarijs (licet eius eximia virtus diuina ope freta, graues asperioris fortunæ erumnas pro nihilo putet) abundare circumfluereque possit. Quamobrem cùm pater meus Constantinus Augustus, dignus sanè ob res præclarè gestas qui sempiternæ memoriæ commendetur, haberet in animo, episcopum illum ad propriam sedem locumq; vestræ comprimis sanctimoniæ gratia restituere: & morte, vt fors humana fert, antè occupatus occumberet, quàm id, quod erat sibi in optatis, explere posset: consentaneum certè existimaui, vt ipse institutum tam pij Imperatoris mihi exequendum susciperem. Quanta autem obseruantia & honore hominem complexus fuerim, ab eo ipso, simulatque in vestrum conspectum venerit, facilè intelligetis. Nec mirum sanè, me istud humanitatis officium erga illum declarasse. nam tum quædam vestri desiderij quasi effigies, tum grauis hominis persona ante oculos mentis obuersata, animum meum ad hoc ipsum commouit, vehementerque cohortata est. Deus vos fratres mei charissimi, sua prouidentia diu seruet incolumes. Cum istis Constantini literis sanctus Athanasius redit Alexandriam. Quem omnes tum ciues tum rustici, tum nobiles tum plebeij, cupidè libenterque excipiunt: exceptis solum Arianis, quibus eius reditus molestiæ & angori fuit. Quapropter Eusebius, Theognis, & quotquot eorũ factioni adhærebant, suas machinas ad Athanasium oppugnandum de integro admouere, & calumnias in aures Constantij Imperatoris, qui filius Constantini minor natu fuit, contra eum callidè infundere cœperunt. Sed qua ratione hoc factum sit, & quemadmodum iste Imperator à vera doctrinæ Apostolicæ regula deflexerit, deinceps commemorabo. B

Athanasij reditus quibus gratus.

Constantius Constantini F. Arianus.

Quomodo Constantius Imperator à recta fide abductus fuerit. CAP. III.

Vide Socr. cap. 2. lib. 2. item lib. 1. cap. 19. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 2. Sozom. lib. 3. cap. 17.

Constantia Constantini M. soror.

COnstantiæ Licinij coniugi & sorori Constantini, magna intercessit familiaritas cum presbytero quodam Ariana labe infecto: qui tametsi erroris morbum, quo laborabat, non palàm ostendit: tamen assiduè, dum cũ illa sermonem conferebat, dixit, Arium falsò accusatum esse. Huic Constantiæ, frater eius Constantinus Imperator multo omnium illustrissimus, post mortem Licinij, viri sui impij, omni cura ac studio prospexit, eamque ex viduitate nihil incommodi capere passus est. Quinetiam cũ mortem iam esset obitura, ei præstò fuit: neque vllum officij genus, quod ad eam curandam spectabat, prætermisit. Quo quidem tempore illa presbyterum illum accersi iubet, Imperatoremque supplex orat, vt ei prouidere velit. Quod Constantinus & tum se facturum pollicitus est, & postea promissum re ipsa præstitit: quippe concessit presbytero, vt eius consuetudine atque adeò ope pro arbitratu suo vteretur. At presbyter, licet in maximo honore apud Imperatorem esset, tamen cùm videret Imperatoris animum de religionis doctrina confirmatũ, suæ prauitatis morbum neutiquam ei aperire ausus est. Sed postquam Constantinus ad regnũ immortale migrarat, & regnum imperiumque hoc caducum filijs testamẽto distribuerat, cùm nemo illorum ei morienti adesset, isti soli presbytero testamentum concredidit, iussitque vt illud Constantio traderetur. Nam verisimile erat, hunc, quoniã propius aberat Nicomedia, citius quàm reliquos duos eò peruenturum. Hac de causa igitur presbyter & notus Constantio (dedit nanque ei testamentum, sicut Constantinus imperauerat) & perfamiliaris factus est: iussusq; vt crebrò ipsum adiret. Qui vbi inconstantẽ Constantij mentẽ, eamq; non aliter atque arundinẽ à contrarijs ventis huc illucque agitatã facilè flecti vidit, confidenti animo bellũ contra doctrinam Euangelicam ciere cœpit. Atque tempestatẽ, qua ecclesiæ iactabantur, simulatè lamentatus, illius authores esse dixit eos, qui vocẽ ὁμοούσιον, id est, Cõsubstantiale, minimè in Scripturis repertã, doctrinæ fidei adiecissent: hancque rem vnã tum inter sacerdotes, tũ inter laicos nõ parum discordiæ proseminasse. Deinde Athanasiũ & eius doctrinæ fautores insimulare,

Constantius ad Arianismũ nõ deflexit.

Constantij in vera religione amplectenda, incõstãtia.

Theodorus Heracleotes & eiusdẽ cõmentaria in Euangelia.

Are, parareq; cõtra eos insidias aggreditur. Hoc adiutore vsi Eusebius, Theognis & Theodorus Perinthius (erat quidẽ Theodorus vir doctrinã præter cæteros exquisita, scripsitq; cõmentarios in sacra Euãgelia: vulgò Heracleotes nominatur) frequẽter admodũ, quoniã habitabant in proximo, in Imperatoris venêre conspectũ, reditumq; Athanasij ab exilio multorũ malorum causam extitisse dixere: & nõ Aegyptum solũ, verùm etiã Palæstinã, Phœniciã, & alias finitimas gentes turbulentis illorum fluctib. grauiter agitari.

De secunda beati Athanasij relegatione: & Gregorij tum ordinatione, tum morte.

CAPVT IIII.

Vide Socr. lib. 2. c. 2. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 1. Sozom. li. 3 cap. 5.

HIs & similibus rationibus cùm leuẽ in primis & flexibilem Constantij animum oppugnassent, persuasere vt Athanasius ecclesia pelleretur. Athanasius autem, intellectis eorum insidijs, clàm se subduxit Alexandria, & rectà in Occidentem contendit. Etenim Iulium episcopum, qui tum Romanã rexit ecclesiam, Eusebiani de criminibus, quæ falsò contra Athanasium confinxerant, per literas certiorem fecerãt. Ille ecclesiæ canonem secutus, & eos iussit Romam venire: & diuinum Athanasium, quò pro se in iudicio ipse responderet, vocauit. Qui vt primùm fuit accersitus, eò matureè contendit. Tragœdiæ autem authores Romam ideò non sunt profecti, quòd intellexerunt sua mendacia manifestò fore deprehensa. Qui vbi oues gregis Alexandrini pastore destitutas vident, quendam nomine Gregorium, lupum videlicet in locum pastoris, substituunt. Qui ad sex annos multo maiore crudelitate, quàm agrestes belluæ, in gregem vsus: tandem à suis ipsius ouibus miserè extinctus fuit, debitasque suæ improbitatis pœnas persoluit.

Athanasius Alexandria pulsus.

Ariani Romanæ ecclesiæ in dicis subire nõ audent.

Gregorius Athanasij successor suæ improbitatis pœnas luit.

De Paulo Constantinopolitano episcopo. CAP. V.

Vide Socr. lib. 2. ca. 4. 2. Vide Nicephor. lib 9. cap. 4. Vide Sozom. lib. 3. cap. 5.

ATHanasius verò ad Constantem accedens (Constantinus enim, filius Constantini natu maximus, in bello interemptus erat) de factionis Arianæ insidijs conqueri, bellum contra fidem Apostolicam excitatum lamẽtari: & tum patris, tum magni concilij Nicæni, quod ille conuocauerat, eum in memoriã reducere cœpit: quinetiam decreta patrum, quibus ille vnà interfuerat, ab eo lege confirmata fuisse. Talia cum gemitu & lachrymis apud Constantem Imperatorem elocutus, eum ad patrem æmulandum excitauit. Nam simulatque ista audiuit, literas scripsit ad fratrem, quibus eum hortabatur, vti hæreditatem pietatis paternæ integram inuiolatamque seruaret. Illum enim imperium pietate stabiliuisse: tyrannos, qui Romanos oppresserant, profligasse, & barbaros vndique in suam potestatem redegisse. Quibus literis persuasus Constantius, mandatum dedit, vt episcopi tum Orientis, tum Occidentis Sardicam, quæ est in Illyria vrbs, gentis Daciæ primaria, aduentarent. Nã alijs multis morbis vexabatur ecclesia, ad quos curandos Concilium necessariò requirebatur. Etenim Paulum episcopum Constantinopolitanum, qui pro sana doctrina se periculis offerebat, Ariani, tanquam seditionis authorem ac ducem accusabant: aliaque non nulla ei obiectabant crimina, quæ per calumniam pietatis præconibus inferre solebãt. Verùm populus veritus aduersariorum insidias, hunc Paulum Sardicam id temporis proficisci non sinit. Paulò autem pòst Constantius Imperator, cuius animos facillimè huc illuc impellebatur, Arianorum suasu Paulum Constantinopoli exturbauit: & ad Cucusum, (paruum oppidum, olim ditioni gẽtis Cappadociæ subiectum, nunc autem Armeniæ minori adiunctum) relegandum curauit. At ne hac quidem Pauli in solitudine commoratione contenti erant rerum omnium perturbatores Ariani: sed misis eò quibusdam suæ cruentæ voluntatis administris, eum violẽta morte affecerunt. Quod etiam diuus Athanasius in Apologia, quam pro suæ fugæ defensione conscripsit, docet his ferè verbis: Ariani, vbi Paulum episcopum Constantinopolitanum persecuti, in oppido Cucuso Cappadociæ repererunt, palàm curauêre strangulandum: Philippo præfecto, qui illorum hæreseos præses fuit, & perditorum consiliorum minister, carnifice ad eam rem vsi. Eiusmodi cædibus nobilitata est Ariana blasphemia. Nã talia scelera contra Dei famulos admissa, furori eorum aduersus vnigenitum Dei filiũ accenso pulchrè responderunt.

Athanasius apud imp. de Arianorũ insidijs conqueritur.

Constantij mãdatum.

Paulus Constantinop. episcop. ab Arianis accusatus.

Pauli relegatio, & interitus.

Cucusum.

Athanasij verba ex eius apologia.

Philippus præfectus Arianorum.

Vide Socr. li. 2. ca. 4. 5. 9. 12. 22. 30. li. 3. 7. Vide Nicephor. lib. 9. ca. 47. Vide Sozom. li. 3. c. 3 & li. 4. cap. 26.

De Macedonio, & hæresi ab eo introducta. CAP. VI.

VBi autem Paulum hoc modo ad mortem, imò verò ad regnum cælorum miserãt, Macedonium in eius locum sufficiunt: quem, quoniã pari ratione cum ipsis blasphemiam contra Spiritum sanctum vsurpabat, suæ opinionis & doctrinæ fautorem existimarunt. Verùm non ita multo pòst, istum quoque de episcopatus illius gradu

Macedonius episcopatu depulsus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Macedonius propriæ sectæ author.

propterea deiecerunt, quòd quem sacra Scriptura filium Dei nominat, creaturam vocare recusauit. Qua de causa hic ab Arianis segregatus, propriæ cuiusdam ac separatæ sectæ author & patronus factus est: quippe filium patri consubstantialem dicere noluit. Sed docuit, eum genitori in omnibus similem esse, & Spiritum sanctum creatum asserit. Atque has quidem res non longo tempore pòst, ita vt diximus, gestas esse constat.

De Sardicensi concilio. CAPVT VII.

Sardicense cõcilium celebratum anno 350.

DVcenti & quinquaginta episcopi, sicut est à veteribus memoriæ proditum, Sardicæ in vnum conuenêre: quò etiam accessit magnus ille Athanasius, Asclepas episcopus Gazæ, cuius suprà facta est mentio, & Marcellus Ancyræ, quæ est vrbs Galatiæ primaria, qui tempore magni concilij Nicæni episcopus fuerat. Aduentarunt illò præterea horum accusatores, & præfecti phalangis hæreticorum, qui dudum de Athanasio iudicium exercuerant. Verùm quoniam concilij constantiam, & sanam de decretis diuinis sententiam exploratè cognitã habebant, cùm essent vocati, minimè ingredi voluerunt: sed accusatores, vnà cum iniquis Athanasij iudicibus, se inde subduxerunt. Quam rem commodius docebit Concilij epistola: eamque, quo eorum facta euidentius apparerant, in historia intexere constitui.

Vide Socr. lib. 2. c. 16. 18. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 12. Sozom. li. 3. ca. 19. 20. lib. 4. ca. 18.

Diffugiunt Iudices Athanasij vna cum accusatoribus.

Literæ Synodicæ, ab episcopis qui illic conuenerant, ad vniuersos orbis episcopos conscriptæ. CAPVT VIII.

SAnctum Concilium ab episcopis Romæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Campaniæ, Calabriæ, Aphricæ, Sardiniæ, Pannoniæ, Mysiæ, Daciæ, Dardaniæ, & Daciæ inferioris, Macedoniæ, Thessaliæ, Achaiæ, Epiri, Thraciæ, Rhodopæ, Asiæ, Cariæ, Bithyniæ, Hellesponti, Phrygiæ, Pisidiæ, Cappadociæ, Ponti, Phrygiæ minoris, Ciliciæ, Pamphiliæ, Lydiæ, insularum Cycladum, Aegypti, Thebaidis, Lybiæ, Galatiæ, Palæstinæ, Arabiæ, per Dei gratiam Sardicæ celebratum, omnibus vbique episcopis & ministris catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, dilectis fratribus in Domino *s.*

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 12. Sozom. lib. 4. cap. 11.

Concilium iussu Imperatoris congregatum.

ETsi ab Arianis multa scelera, idque non rarò, contra Dei seruos rectam fidem conseruantes iampridem edita sunt (nam adulterina & falsa doctrina supposita, veræ sinceræque doctrinæ patronos de suis honoris gradibus deturbare moliebantur) tamen nuper tantus impetus ab illis aduersus fidem factus est, vt fama eius ad aures vsque sanctissimorum Imperatorum permanarit. Quocirca diuinissimi illi Imperatores, iuuãte Dei gratia, nos ex varijs prouincijs & ciuitatibus congregarunt, & hoc sanctum concilium Sardicæ cogi statuerũt, vt non modò omnis tolleretur dissensio: verùm etiam deprauata de fide doctrina reiecta, vera pietas in Christum sola apud omnes conseruaretur. Venêre enim episcopi de Oriente Imperatorum religiosissimorum impulsu, potissimum quidem propter crebros rumores de charissimis fratrib. & collegis nostris, Athanasio episcopo Alexandrino, Marcello episcopo Ancyræ, quæ est in Galatia, & Asclepa Gazæ episcopo dissipatos. Fortassis etiam tales de illis calumniæ ad vos perlatæ sunt, quòd vestras quoque aures eisdem conturbare instituebant: eo quidem consilio, vt tum criminibus ab ipsis adversum innocentes confictis haberetur fides, tum improba ipsorum hæresis in nullam omnino suspicionem vocaretur. Cæterùm non diu permissa fuit illis potestas talia scelera admittendi. Dominus enim est qui ecclesijs præest, quique pro his & pro nobis omnibus mortem oppetijt, & per easdem nobis omnibus in cælum aditum patefecit. Nam quẽ admodum Eusebius, Maris, Theodorus, Theognis, Vrsacius, Valens, Menophantus & Stephanus literas contra collegas nostros, de quibus modò dictum est, Athanasium nempe episcopum Alexandrinum, Marcellum episcopum Ancyræ vrbis Galatiæ, & Asclepam episcopum Gazæ ad collegam nostrum Iulium, ecclesiæ Romanæ episcopũ scripsere: sic scripsere quoque aduersarum partium episcopi, quò tum integritatem & innocentiam Athanasij collegæ nostri verè testificarentur, tum Eusebianorum facta nihil aliud in se complecti quàm mendacia & calumnias penè innumerabiles ostenderent. Et quãuis falsæ eorum criminationes tum ex eo in primis, quòd accersiti à charissimo fratre & collega nostro Iulio non aduentarunt, tum ex literis ab eodem ipso Iulio scriptis, omnibus constare possint (nã venissent certè, si modò ea facinora, quæ contra collegas nostros cõmiserant, se Iulio posse probare nõ dubitassent) tamen suos fraudulentos conatus ex rebus, quas in hoc sancto ac celebri concilio gesserunt, multo clarius apertiusque patefecerunt. Vbi enim venêre Sardicam, & fratres nostros, Athanasium, Marcellum, Asclepã & alios adesse vidêre, in iudicium venire metuebant. Aclisum semel, iterũ ac sæpius essent vocati, minimè tamen morem gesserunt. Et tametsi cũ alij episcopi, qui in vnum conuenerant, tum Osius in primis, senex certè admodum venerandus (qui propter prolixum ætatis tempus, propter fidei confessionem, propter grauissi-

Ariani episcopi.

Iulius Romanus episcopus

Ariani concilium fugiunt.

Osius episcop.

A grauissimos denique exantlatos labores summo honore & reuerentia prosequendus
» erat) expectarent eos, rogarentque vt venirent in iudiciũ, quo quæ de collegis absentib.
» diuulgauerãt, & aduersus illos scripserant, ea præsentes ipsi vera esse cõuincere possent:
» tamẽ vocati, vti diximus, nõ venerunt. Vnde sanè declararũt manifestò suas ipsorũ ca-
» lumnias, & tergiuersatione velut voce emissa, suas insidias & molitiones veteratorias
» palã prædicarũt. Nã si qui suis dictis cõfidunt, ij ea corã asseuerare nõ recusant. Sed quo
» niam isti in iudicio cõparere nolebant, arbitramur profectò iam nemini obscurũ esse
» (quamuis illi rursus omnia per dolum eludere in animum induxerint) quòd cũ nihil
» habeant quo de collegas nostros planè conuincant: illis tamen & obtrectare absentib.
» & præsentes vitare studeant. Siquidem, fratres charissimi, iudicio interesse detrectabãt,
» non solùm propter calumnias, quas ipsi contra istos excogitarint: sed etiam, quòd vide
» bant ibi præstò futuros alios, qui eos erant varijs de criminib. accusaturi. Nam profere-
» bantur in mediũ vincula, ferrũ, homines ab exilio reuersi: venerunt etiã in iudiciũ col-
» legæ nostri, q ab alijs in exilio detentis redierãt: adfuerunt præterea cognati & necessa-
» rij eorũ, qui istorũ maleficijs interijssent. Et quod omniũ maximum est, præstò erãt epi-
» scopi, quorum vnus vincula & catenas, quibus istorum opera constrictus fuisset, pro-
» tulit: alij mortem, ab eisdem non paucis per calumniam illatam, testabantur. Etenim
» vsque eò istorum prorumpebat amentia, vt episcopum trucidare aggrederentur: &
» certè cum trucidassent, nisi ex eorum manibus elapsus fuisset. Porrò comparuit in
» Concilio beatæ memoriæ Theodolus, collega noster, qui eorundem effugisset calum-
» nias: siquidem per calumniam eorum mors ei decreta fuit. Quinetiam alij ostende-
» re plagas gladijs inflictas, alij fame ab illis se penè extinctos conqueri cœperunt. At-
» que hæc testimonijs confirmare non plebeij homines, sed integræ ecclesiæ: quarum
» gratia qui eò venerant, & earum legatione fungebantur, docebant, milites gladijs cin-
» ctos, & turbas hominum clauis instructas ab istis comparatas esse: iudicum item mi-
» nas, literas fictas ab eisdem suppositas ostendebant. Nam perlegebantur in Concilio li-
» teræ Theognidis, quas contra collegas nostros Athanasium & Asclepam, quò Impe-
» ratoris animum aduersum eos incenderet, conscripsit. Quæ literæ, fuere diaconorum
» Theognidis indicio deprehensæ. Adde his virgines nudatas statutasque in publico,
» incendia ecclesiarum, collegas denique in custodias inclusos. Quæ mala omnia non
B aliam ob causam, quàm ob impiam Arianorum hæresim factitata sunt. Nam quicun-
» que eorum doctrinæ cõsentire renuebant, hi eiusmodi cruciatus effugere nullo modo
» potuerunt. Ariani igitur cum ista animis antè agitassent, videbantur sibi in eiusmodi
» adducti angustias, vt quid liberè agerent, nõ haberent. Nam cùm puderet eos propter-
» ea facinorum suorum, quòd ea amplius tegere non poterant: veniunt Sardicam, vti
» opinionem hominibus afferrent, se nihil omnino deliquisse. Verùm vbi vident, eos
» quos falsò insimulassent, quos supplicijs affecissent, adesse: quinetiam vbi tum accusa-
» tores, tum iudices suorum scelerum ante oculos positos cernunt: in concilium etiã vo-
» cati, intrare noluerunt. Porrò autem cũ collegæ nostri Athanasius, Marcellus & Ascle-
» pas magna libertate contra eos loquendi vterentur, grauiter cõquererentur, postularẽt,
» vti adesse vellent: pollicerentur deniq; se non solùm calumniam eorum refutaturos,
» verumetiam planè demonstraturos quæ scelera contra ecclesias edidissent, isti suorum
» improbè factorum conscientia erant tantopere perterriti, vt tum inde aufugerent, tum
» per fugã calumniam suã aperirent, tum clã se subducendo maleficia ab se cõmissa ma-
» nifestò fateri viderentur. Et quanquam eorum improbitas & calumnia non ex rebus
» solum antè ab ipsis gestis, verũetiam ex his vel maximè oculis cuiusq; subijcitur: tamẽ
» ne ex fuga sua velut ansam ad noua maleficia arripiant, consultum ducebamus facino-
» ra ab illis designata, verbo veritatis accuratè expendere. Qua re quidem ita constituta,
» confectaque, comperimus ex ipsorum factis, eos verè calumniatores esse, & nihil aliud
» molitos, quàm vt insidias collegis nostris tenderent. Nam Arsenius, quem ab Athana-
» sio interfectum prædicabant, adhuc superstes est, & in numero viuentium cernitur.
» Ex qua re vna certè, commenta de criminibus, quæ passim contra pios diuulgassent,
» perspicuè deprehenduntur. Quinetiam cùm rumorem de calice, tanquam à Macario
» presbytero Athanasij confracto sparsissent, nõnulli qui Alexandria, Mareote, & ab alijs
» locis Sardicam venerant, apertè testabantur, nihil eiusmodi à Macario admissum esse.
» Episcopi item Aegypti per literas scriptas ad Iulium collegam nostrum satis confirma-
» bant, nullam omnino fuisse de ea re suspicionem. At prædicant porrò, se cõmentarios
» contra eum scriptos habere: quos profectò licet ex vna parte confectos constet, tamen
» cùm per eosdem & de gentilib. & de catechumenis haberetur quæstio, vnus ex catechu-
» menis interrogatus, respondebat se intus fuisse, cùm Macarius in eo loco præsto esset.

Accusatores non comparent, suspicionem ferre calumniæ.

Arianorum scelera.

Theodolus.

Theognidis literæ calumniatrices.

Ariani scelerum conscientia territi.

Arianorũ ea-lumniæ vnde comperta.

Arsenij cædis falsò insimulatus Athanasius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ischyræ nequitia.

Alius quoque de eisdem rogatus, dixit Ischyram, de quo tam crebros rumores isti A
dissipassent, morbo vexatum in cellula decubuisse. Ex quo perspicuum est, tum nulla "
prorsus mysteria id temporis ideo celebrata fuisse, quòd catechumeni intus erant: tum "
Ischyram non adfuisse, sed iacuisse in cellula morbo oppressum. Etenim idem ipse I. "
schyras totus ex nequicia & fraude factus, tametsi falsò mentitus esset, affirmando A. "
thanasium librum quendam ex sacra Scriptura cremasse: tamen se eodem tempore, "
quo Macarius ibi adfuerat, confessus est, in lecto ægrotum decubuisse: adeò vt inde se "
calumniatorem esse plane proderet. Denique calumniæ merces Ischyræ data est, nimi- "
rum vt episcopus nuncuparetur, cùm nondum presbyter factus erat. Nam venêre ad "
Concilium duo presbyteri, qui antè cum Meletio communicarant, postea autem à bea "
to Alexandro episcopo Alexandriæ in ecclesiam recepti erant: hique præsentes cum "
Athanasio testimonium dixêre, Ischyram nunquam fuisse ordinatum presbyterum, "
neque Meletium in Marcote vel ecclesiam omnino habuisse, vel ministrum. Et tamen "
isti eum qui nunquam fuisset presbyter, iam tamen est factus episcopus, pro se testem "
adducunt, quo possint, dum struunt calumnias, hoc episcopi nomine auditores obstu- "
pefacere. His accedit, quod liber collegæ nostri Marcelli legebatur, indeque Eusebia- "
norum fraus erat manifestò deprehensa. Nam quæ ille querendo disceptandoque po- "
suerat, isti ex eis, vtpote concessis & affirmatis ansam calumniandi ceperunt. Itaque "
legebantur & ea ipsa, & alia quæ deinceps sequebantur, quæque ante eadem quæstio- "
Marcelli fides sincera nes posita erant: ex quibus compertum est, fidem Marcelli sanam sinceramq; esse. Ne- "
Deus verbum principij & finis expers. que enim Deum verbum ex sancta Maria initium cepisse, sicut isti affirmant: neque "
regnum eius finem habiturum: sed ipsum tum principij, tum finis penitùs expertè esse "
Asclepas. scripsit. Asclepas quoque collega noster commentarios proferebat, qui Antiochiæ "
præsentibus suis accusatoribus, & Eusebio episcopo Cæsareæ confecti erant. atque ex "
iudicum sententijs in eisdem contentis, se insontem declarauit. Non sine causa igitur, "
fratres charissimi, isti accersiti ad concilium, non obtemperarunt: non sine causa iudi- "
cium effugerunt. Nam scelerum conscientia exagitati, fuga suas calumnias confirma- "
runt: perfeceruntque, vt criminibus, quæ accusatores coram aduersum eos citabant, "
ostendebantque, fides adhiberetur. Quibus omnibus illud præterea adiungendum est, "
Episcopi Arij. quòd eos qui ob Arij hæresim in crimen vocati, & ab ecclesia electi erant, non modò "
ad se receperunt, verumetiam ad altiorem dignitatis gradum extulerunt. Nam & dia- B
conos ad presbyterij honorem, & presbyteros ad episcopatum euexêre, non aliam ob "
causam, quàm vt tum impiam doctrinam dispergerent, lateque propagarent: tum pia "
ac sinceram fidem funditùs delerent, labefactarentque. Istorum autem, proximè & se- "
cundum Eusebianos principem locum obtinent, Theodorus Heracleæ, Narcissus Ne- "
roniadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Laodiceæ Georgius, Acacius Cæsareæ Palæsti- "
næ, Ephesi (quæ est vrbs Asiæ) Menophantus, Vrsacius Singidonis Mysiæ, Valens deni- "
que Myrsi Pannoniæ episcopus. Etenim isti illis qui secum ex Oriente venerant, non "
dedêre potestatem vel veniendi in sanctum Concilium, vel ecclesiam Dei omnino ad- "
eundi. Qui dum iter faciunt versus Sardicam, cogunt inter ipsos separatim concilium, "
Ariani episcopos à Concilio adeundo retrahere conãtur. atque paciscuntur cũ minis adiectis, se cùm venirent Sardicam, nequaquam vel ad iu- "
dicium accessuros, vel intraturos in sanctum ac celebre Concilium: sed simul vt eò per "
uenirent, & se accedendo ad eam vrbem, suo perfunctos officio ostenderent, quamprì- "
mum inde fugituros. Quas res possumus cognoscere ex collegis nostris, Macario Palæ- "
stinæ, & Asterio Arabiæ: qui tametsi cum eis vnà venerant, iam tamen ab eorũ infideli- "
tate se separarunt. Isti enim ad sanctum Concilium aduentãtes, aiebant se omnia quæ "
gessissent, per vim sibi illatam coactos gessisse: adiungebantq; etiam illud, nempe quod "
rectæ veræq; fidei cupiditate incensi, huc venire ab illis fuissent prohibiti: quandoqui- "
dem aduersum ipsos ab eorũ opinione discedere cupientes, minas iactare, multaque "
imperare cœpisse. Quã ob causam omnes in vnis ædibus manere volebant: neq; sibi ipsi "
fecêre potestatem, vt vnus ab alio vel ad minimum temporis spaciũ se separaret. Sed vt "
summatim dicamus, sicut minimè consentaneum erat, calumnias ab istis excogitatas, "
vincula, cædes, verbera, literas fraudulentas falsoq; confictas, virgines nudatas statutas- "
que in publico, ecclesiarum euersiones, incẽdia, decessiones à minorum ciuitatũ, & ec- "
clesiarum gubernatione ad maiorũ, & quod est omnium maximũ, impiam Arij hære- "
sim per eos cõtra veram fidẽ excitatam, silentio præterire, in obscuroq; relinquere: sic "
æquum videbatur, vt charissimos fratres nostros & collegas, Athanasiũ episcopũ Ale- "
xandriæ, Marcellũ Ancyræ Galatiæ, & Asclepã Gazæ episcopum, & cæteros qui cũ illis "
Domino ministrant, innocẽtes & sceleris puros declararemus: scriberemusq; ad cuius- "
que eorum diœcesin, quò populus ecclesiæ, quæ est ipsorũ cuiusque propria, de sui epi- "
scopi

A scopi integritate certior fiat, huncque habeat pro episcopo, eiusque aduẽtum expectet:
" eos autẽ, qui instar luporum in ecclesias ipsorum irruissent, Gregorium dico, qui in A- *Qui in eccle-*
" lexandrinam ecclesiam: Basiliũ, qui in Ancyram: & Quintianum, qui in ecclesiam Ga- *siam, luporum*
" zæ irrupit: neque nominet episcopos, neque Christianos putet, neque vllã cum illis o- *instar irrupe-*
" mnino habeat communionem, neque vllas ab ijs recipiat literas, neque ad eos scribat. *rint.*
" Quod verò attinet ad Theodorum episcopũ Heracleæ, quæ est ciuitas Europæ, ad Nar-
" cissum Neroniadis Ciliciæ, ad Acacium Cæsareę Palęstinæ, ad Stephanum Antiochiæ, *Ariani episcopi de gradu deiecti.*
" ad Vrsacium Singidonis Mysiæ, ad Valentem Myrsorum Pannoniæ, ad Menophan-
" tum Ephesi, & ad Georgium Laodiceæ episcopum, quanquam metu perculsi, ab O-
" riente Sardicam non aduentarunt: tamen quia sunt non solum à beato Alexandro
" episcopo Alexandriæ abdicati, verùm etiam non minus quàm ij quos suprà posui,
" dementi Arij hæresi infecti, & in grauia etiam crimina vocati, eos sacrosanctum con-
" cilium communibus suffragijs de episcopatus gradu dimouit: & non modò non esse
" episcopos, sed ne communione fidelium dignos iudicauit. Nam qui filium à patris
" substantia & diuinitate separant, qui verbum à patre alienum arbitrantur, hi meritò
" & excludendi sunt ecclesia Catholica, & Christianorum nomine penitùs priuandi.
" Itaque vobis omnibus anathema sunto, propterea quòd sunt verbum veritatis caupo- *Galat. 1.*
" nati. Nam idem ipsum præcipit Apostolus: Si quis vobis Euangelizauerit, præterquã
" quod accepistis, anathema sit. Iubete igitur vt nemo cum his communicet. Non est *1. Cor. 6.*
" enim commercium vllum luci cum tenebris. Hos omnes à vobis quàm longissimè ab-
" legate. Neque enim est vlla consensio Christo cum Belial. Cauete, fratres charissimi,
" ne vel scribatis ad eos, vel literas ab eis recipiatis. Vobis enitendum est, fratres & colle-
" gæ, vt spiritu præsentes, concilio nostro consentiatis, eique vestra subscriptione suffra- *Fides concilij Sardicensis.*
" gemini, quo concordia ab omnibus collegis nostris vbique integra conseruetur. Illos
" autem tum excludimus communione, tum ecclesiæ catholicæ finibus expellimus, qui
" asserunt, Christum Deum quidem esse, sed non verum Deum: filium esse, sed non ve-
" rum filium: genitum esse simul, & ingenitum. Ita se Genitum, intelligere fatentur (his
" enim verbis vtuntur) quod genitum est, existit. Quinetiam Christo, qui est ante secu-
" la, finem tribuunt, & initium: qui non in tempore, sed ante omne tempus generatio- *Vide Socr. hom. lib. 4. cap. 18.*
" nem habet. Itemque nuper duæ viperæ ex aspide Ariana editæ sunt. Valẽs & Vrsacius: *Valens & Vrsacius duæ viperæ.*
" qui quidem insolenter se efferunt, nec dubitant se Christianos dicere, cùm tamen &
B verbum Dei, & Spiritum sanctum, crucifixum esse, occisum, mortuum, & à mortuis
" excitatum, constanter asseuerent. Porrò ista coniurata hæreticorum turba contendit
" varias patris & filij & Spiritus sancti subsistentias esse, easque separatas. Nos autem hãc *Sardicensis cõcilij confessio.*
" accepimus doctrinam, sic didicimus, hanc habemus catholicam traditionem, fidem,
" confessionem, videlicet quòd vna sit hypostasis (quam vocem hæretici vsurpant pro *Hypostasis.*
" substantia) patris, filij, & Spiritus sancti. Quod si percontentur à nobis quæ sit filij (vt ipsi
" intelligunt) substantia: respondemus, eam vnam eandemque esse cũ ea quę est verè pa-
" tris substantia, neque patrem vnquã sine filio fuisse, neque filium sine patre, neque pos-
" se esse verbum, quod spiritu caret. Est enim absurdissimũ, affirmare patrem aliquando
" fuisse sine filio, imò verò nec patrem nominandum, nec posse esse absque filio, ipse fi- *Ioan. 14.*
" lius locuples testis est, cùm dicat: Ego in patre, & pater in me est. & rursus: Ego & pater *Ioan. 10.*
" vnũ sumus. Neque quisquã nostrûm negat, eum genitum esse: sed genitum ante om-
" nia dicimus, quę visibilia inuisibiliaque vocant: fabricatorẽ & opificem archangelorũ, *Sap. 7.*
" angelorum, mundi & humani generis. Nã ait Scriptura: Sapientia omnium artifex me *Ioan. 1.*
" docuit. Et alio loco: Omnia per ipsum facta sunt. Quod si initium habuerit, semper esse
" non poterat, quandoquidem verbum Dei, cùm semper extiterit, principium non ha-
" bebat, neque Deus finem habiturus est. Porrò non dicimus patrem filium esse, neque
" rursus filium patrem esse: sed pater, pater est: & filius, patris filius est. Confitemur item, *Filius quomodo & vnigenitus, & primogenitus.*
" filium potentiam patris esse: confitemur verbum Dei patris esse, præter quod non est a-
" liud. Quinetiã verbum, verum Deum esse, sapientiã, potentiam, & verũ filium esse affir-
" mamus. Sed non sicut cæteri filij appellantur, filium dicimus: si quidẽ illi, aut propter
" hunc dij sunt per regenerationem: aut propterea quòd digni habiti sunt, filij appellan-
" tur: non autem propter vnam cũ Deo substantiam, quæ est patris & filij. Cõfitemur et-
" iam, eum & vnigenitum esse, & primogenitum: sed vnigenitum verbum, verbũ, quod
" semper erat, & est in patre: primogenitum aũt, propter naturam, quam habet cum ho-
" mine communem. Differt tamen à creatura cõmuni, propterea quòd est primogeni- *Cur pater filio maior aliquã do dicatur.*
" tus ex mortuis. Confitemur præterea, illum Deũ esse: confitemur vnã esse patris & filij
" diuinitatem. Neque tamen quisquam est qui aliquando neget patrem filio maiorem,
" non quòd aliam habet essentiam, aut quod ab eo differt; sed quia ipsum nomen

patris,

Universidad de Deusto
Biblioteca

patris maius est quàm filij. Et propterea deprauata & execrabilis est Arianorum interpretatio, qui contendunt Seruatorem ideò dixisse, Ego & pater vnum sumus, quòd sit inter eos consensus & concordia. Porrò autem omnes ad vnum qui sumus catholici, stultam atque adeò deplorandam eorum sententiam condemnauimus, qui dicunt, quòd quemadmodum mortales homines, vbi dissidere cœperint, mutuis iurgijs odiũ contrahunt, & tamen postea redeunt in gratiam: eodem modo Deus omnipotens pater & filius inter se dissentire discordareque possunt: quod quidem nedum ad cogitandum, verùm etiam ad existimandum est omnium scelestissimum. Nos verò & credimus, & affirmamus, & intelligimus sacram illam Seruatoris sententiam, quæ ita se habet, Ego & pater vnum sumus: de vnitate essentiæ, quæ est vna eademque in patre & in filio, capiendam esse. Itemque illud perpetuò credimus, hunc sine principio & sine fine cum patre regnare: & eius regnum nec tempus habere, quo terminetur: nec quà consumatur, defectionem. Nam quod semper est, nunquam cœpit esse, nec aliquando deficere potest. Postremò credimus, & mente complectimur, esse paracletum Spiritum sanctum, quem nobis ipse Dominus & pollicitus est, & misit: atque hunc misum, non autem passum credimus: sed hominem, quem filius induit, quem assumpsit ex Maria virgine, passum esse, quia homo pati potest: est enim homo mortalis, Deus autem immortalis. Credimus quoque, quòd resurrexit tertia die: non tamen quòd Deus in homine, sed homo in Deo excitatus est, quem patri suo obtulit pro dono, quemque à peccato & internecione liberauit. Credimus denique, quòd opportuno præfinitoque tempore sit omnes & de omnibus iudicaturus. At verò tanta est Arianorum insciti a, & tam crassa caligine cæcata est eorum mens, vt lucem veritatis videre neq; queãt, neque intelligant sensum huius sententiæ: Vt & illi in nobis vnum sint. Planum certè est, cur vnum dixerit: quòd scilicet Apostoli, tametsi Spiritum sanctum Dei acciperent, tamen non idcirco spiritus erant, neque quisquam eorum vel verbum, vel sapientia, vel potentia Dei, vel vnigenitus erat (sic autem loquitur Scriptura: Quemadmodum ego & tu vnum sumus, sic & isti in nobis vnum sint) sed hæc Domini sententia has res accuratè distinxit. Non enim in eo sensu dixit, In nobis vnum sint, quo dixit, Sicut nos vnum sumus, ego & pater: sed vt discipuli inter se coniuncti copulatique, vnum essent fide & confessione, & per gratiam ac verum cultum Dei patris, quinetiam per Domini Seruatoris nostri benignitatem & amorem vnum esse possent. Ex hac Epistola, & accusatorũ calumnia, & iniquitas eorum qui iampridem de Athanasio & reliquis episcopis iudicarant, & sincera ac sana patrum in hoc Concilio doctrina manifestò potest intelligi. Nam beati illi patres non solùm nos ea docuerunt, quæ ad diuinam trinitatis naturam pertinent: verumetiam quid de mysterio incarnationis Dominicæ sentiendum sit, enucleatè tradiderunt. De quibus rebus cùm Constans Imperator certior factus esset, videretque fratris sui Constantij lenitatem, ægrè admodum tulit. Succensuit etiam grauiter illis, qui ista tam subdolè moliti fuissent, quique flexibilem Imperatoris animum illexissent in fraudem. Itaque duos episcopos, quos ex eorum numero qui Sardicæ conuenerant, ad eam rem delegerat, cũ literis ad fratrem, vnà cum Saliano * prætore, viro & pietatis & iustitiæ insignibus eximiè ornato, misit. Quæ literæ non hortationem solum & consilium, verum etiam minas dignas sanè pio Imperatore complexæ sunt. Nam scripsit primum, vt duobus illis episcopis aures atten tas præberet, & iniqua facinora à Stephano & alijs admissa diligenter cognosceret: deinde gregi suo restitueret Athanasium, quippe cùm & calumnia accusatorum, & iniqua eorum qui dudum de eo iudicarant, sententia, atque adeò acerbum in eum odium perspicuè deprehensum esset. Postremò ista adiecit, Se nisi his conditionibus obtemperaret, & quod æquitas postulat, exequeretur, Alexandriã profectũ & ouibus à quib. tãto pere expetebatur, restituturum Athanasium, & hostium turbam inde exturbaturum. Constantius igitur his literis Antiochiæ, vbi tum commorabatur, acceptis, pollicetur se facturum, quod socius Imperij & communis de Repub. curæ particeps ipsi per literas significarat.

Christi regnũ æternum. Spiritus sanctus missus, nõ passus.

Arianorum insciti a.

Ioan. 17.

* σρατηγὸν

Constantis Imp. ad Constantium literæ.

Vide Socrat. lib. 2. cap. 14. 15. Sozom. lib. 4. ca. 15.

De Euphrata & Vincentio episcopis, & dolis qui in illos intendebantur.

CAPVT IX.

VErùm Ariani, veritatis oppugnatores, his rebus grauiter commoti, perditum atque impium planè facinus edere moliuntur. Interim duo illi episcopi ad domũ quandam in cliuo positam diuertunt: prætor autem aliud capessit diuersorium. Stephanus, qui id temporis susceptis ecclesiæ Antiochenæ gubernaculis, naufragium in ea facere constituebat, cùm alios habuit suorum tyrannicorum scelerum adiutores, quorum

Arianorũ facinus impiũ. Stephanus episcopus veræ doctrinæ patronos varijs incommodis afficit.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 35.

A quorum vsus opera, veræ doctrinæ patronos varijs affecit incommodis: tum iuuenem quendam, animo ad audaciam proiecto, vita impia ac scelerata, qui istorum dux fuit: quique non homines solum è foro abducere, contumelijs vexare, verberibus cædere: verum etiam facta in ædes irruptione, tum homines, tum mulieres grauitate insignes impudenter extrahere non veritus est. Sed ne longus sim in istius nequitia describenda, vnum solum facinus ab eo contra viros facilè præstantissimos admissum exponam, ex quo de reliquis eius nepharijs maleficijs aduersus optimos viros paratis, satis coniecturæ capere poterimus. Iste primũ ad quandam meretricem accedens, dixit peregrinos quosdam nuper venisse, qui noctu eius operam requirebant: deinde quindecim homi nibus seditiosis collectis, hos circa sepes cliuum ambientes occultat: venit eò cum meretrice, & signo seditiosis, quod præscripserat, dato, vbi intellexit facinoris conscios adesse, pergit ad atriensem ianuam diuersorij, in quo duo episcopi pernoctabant. Quã apertam offendens (vnum nãque è seruis ad id faciendum pecunia conduxerat) introducit meretricem: cui ostio ostenso cubiculi, in quo alter episcopus fortè dormiebat, ingredi iubet. ipse it interea seditiosos suos accersitum. Euphrates verò (hoc enim episcopo ætate prouectiori nomen fuit) in cubiculo exteriore dormiuit. Vincentius autem (sic namque alter appellabatur) in interiore cubiculo quieti se dederat. Dum meretrix intrat cubiculi limen, Euphrates sentiens pedum strepitum, percontatur quis sit qui introiret? Respondente autem meretrice, Euphrates grauiter animo conturbatur, ratus sanè dæmonem esse, qui vocem muliebrem effinxerat. Ac statim Christi seruatoris implorat auxilium. Onager verò (ita enim dux illius improbæ & seditiosæ turbæ vocabatur) qui præter manuum pedumque vim, armis præterea ad pios oppugnãdos vsus est, cum factiosorum turba in domum ingreditur: episcopos iniquos appellat, propterea quòd ipsis in animo esset iniquum exercere iudicium. Multo igitur sublato clamore ferui accurrunt: surgit è lecto Vincentius, atque occlusa atrij ianua septem ex seditiosis illis prehenduntur. Onager cum reliquis aufugiebat. Cum illis autem vnà, qui prehensi erant, custoditur meretrix. vbi illuxit dies, episcopi prætorem, qui cum ipsis venerat, excitant: vnà adeunt palatium, grauiter contra audacia Stephani facinora vociferantur: dicunt istius scelera non iudicium neque quæstionem requirere. Prætor autem maximè omnium cœpit aduersus Stephanum clamare: orare Imperatorem, vt de iniquo indignoque eius facinore non in episcoporum concilio, sed pro tribunali iudiciũ quæratur: seque pollicetur primùm episcoporum clericos, qui facinoris conscij erant, supplicio coercendos traditurum. Stephani quoque ministros ait eodem modo puniendos esse. At cùm Stephanus petulanti ore illis contradiceret, affirmaretque plagas clericis non infligẽdas esse: placuit Imperatori & magistratibus vt quæstio de facto in regia haberetur. Itaque primùm interrogatur meretrix, quis eam ad episcoporum diuersorium deduxisset? Tum illa: Iuuenis quidam, inquit, ad me accedens, dixit, & peregrinos venisse in vrbem, & meam operam postulare. Sub vesperum igitur redit ad me, & ad diuersorium rectà deducit: deinde cùm turba hominum, quam quæsiuerat, paratam offendisset, eam per ianuam atrij in ædes introducit, & in cubiculum exterius intrare iubet. Narrabat preterea meretrix, quid episcopus rogasset: quo pacto metu perculsus, Dei opem precibus imploraret: & quemadmodum denique seditiosi illi in ædes irruissent.

Euphrati & Vincentio cãlumnia per meretricem structa.

Onager nebulo cõductitius.

Plagæ clericis non infligendæ.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 31.

De Stephani abdicatione. CAPVT X.

HIS rebus cognitis, iudices minimum natu eorum qui comprehensi erant, in medium adduci iubent, qui non vsque eò expectabat, quoad verberibus rem fateri cogeretur: sed facinus factum ilico aperit, & Onagrum illius authorem fuisse planè fatetur: qui coràm adductus, impellente atque adeò iubente Stephano illud ipsum sese aggressum fuisse affirmat. Ad hunc modum ergo intellecta Stephani improbitate, primùm episcopis qui tum aderant, mandatum dant, vt hominem abdicent episcopatu: deinde illi ipsi eum Ecclesia penitùs expellant. Non tamen propterea ecclesia labe Ariana omnino liberata est. nam ei successit in episcopatus illius administrationem Leontius, genere Phryx, animo versutus, & saxis in vndis maris latẽtibus similis. Sed de isto quidem paulò pòst dicam plura. Per id temporis Constantius, cùm pro certo comperisset fraudulentos aduersum episcopos conatus, scripsit ad magnum Athanasium semel, iterum ac tertiò, quo illum, vt de Occidente reuerteretur Alexandriam, impelleret. Vnam autem eius epistolam, breuem illam quidem, historiæ hoc loco adnectam.

Stephanus episcopatu abdicatus.

Leontius Stephani successor.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 35.

De hoc Leontio vide Theodor. infra hoc libro cap. 24.

Constantij

Universidad de Deusto
Biblioteca

Constantij ad Athanasium epistola. CAP. XI.

Constantius Victor, Augustus, Athanasio S.

Athanasius benignè à Cõstantio excipitur.

QVanquam per superiores literas tibi apertissimè significabamus, vt animo securo ad nostram aulam accederes, propterea quòd in animo erat te ad tuam sedem mittere: tamen has literas etiam tuæ gratuitati dedimus, vti publico vehiculo consensō, ad nos absque omni diffidentia ac timore aduentare properes, quò rebus, quarum cupiditate duceris, maturè potiri queas. Vide Socr. lib. 2. ca. 18. Vide Nicephor. cap. 13 lib. 9. " "

Sancti Athanasij reditus secundus. CAP. XII.

Athanasij prudens responsum.

IStarum literarum impulsione redeuntem Athanasium benignè excepit Constantius, & ecclesiam Alexandrinam denuò capere iussit. Verùm qui tum apud Imperatorem authoritate & gratia plurimum poterant, ijque erroris Ariani contagione infecti, aiebant Athanasium debere vnam præbere ecclesiam illis qui cum eo communicare nollent. Quæ cum dixissent Imperatori, & Imperator Athanasio: respondet Athanasius, se debere quidem Imperatoris mandatis obsequi: se tamen velle alia quædam ad eum referre, eaque postulare sibi itidem concedi. Imperatori autem pollicenti liberè ei concessurum, quicquid peteret: ait, eos qui Antiochiæ communicare recusarent cum his qui obtinent ecclesias, opus habere ecclesia, & propterea vnam ædem sacram illis similiter iure tribuendam esse. Vbi verò annuit Imperator, & postulationem, vtpote rectam æquamque, approbauit, hæreticæ phalangis prefecti neutri parti ecclesias tribuendas esse censebant. Ob hanc causam Constantius admiratus Athanasium, Alexandriam dimisit. Iam tum occubuerat Gregorius, ab ipsis Alexandrinis cæsus. Quocirca Alexandrini suo viso pastore, publica conuiuia celebrare, festos dies agere splendidissimos, cum magno honore afficere, & Deum denique laudibus extollere cœperunt. Vide Socr. lib. 2. ca. 7. 8. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 5. 6.

Gregorius ab Alexandrinis cæsus.

De tertio eiusdem exilio & fuga. CAP. XIII.

Constantis interitus anno 353.

VErùm non longo temporis spacio interposito, vbi Constans extremum vitæ diem obijt, rursus hi qui Constantij animum, quò volebant, impellere potuerunt: reuocant eum in memoriam tum dissensionis cum fratre propter Athanasium susceptæ, tum quòd parum abesset quin ruptis naturæ vinculis bellum inter ipsos mutuò ea de re concitassent. Quibus rationibus impulsus Cõstantius, iubet D. Athanasium non exilio solum, sed morte mulctari. Itaque Sebastiano quodam duce cum ingentibus copijs ad eam rem misso, dat mandatum, vt Athanasium, velut sceleratum & impium, è medio tollat. Cæterùm quo pacto & dux Athanasium adortus sit, & ille eius manus effugerit, nemo melius, quàm ille ipse qui in hoc discrimen venerit, & mirandum in modum inde ereptus sit, explicare poterit. Sic enim in Apologia, quam scripsit pro fugæ suæ defensione, narrat. Exquirant sedulò modum decessionis meæ, eamque à suis cognoscant. Quippe erant quidam Ariani, qui comitabantur milites, quò tum eorum incitarent animos, tum nos illis, vtpote ignotos, ostenderent. Quod si hoc modo eorum animi minimè omnino commoueantur: tamen vbi, quod deinceps dicam, audiuerint, pudore affecti conquiescant. Iam quidem nox aduentarat, & nonnulli è populo totam noctem in vigilijs contriuerant, propterea quòd sequenti die sacra expectabatur communio. Dux autem repentè cum militibus amplius quinque millibus, qui tum alijs armis, tum strictis gladijs, arcubus, telis & clauis instructi erant, vti antè dictum est, accedit. Atque militibus in proximo collocatis circundat ecclesiam, ne vlli inde egressi, eorum manus effugerent. Ego verò, quoniam neutiquam consentaneum existimaui populum in tanta perturbatione deserere, sed potius eorum salutis causa subeundum esse periculum, assidens in solio, diacono mandaui: vt Psalmum legeret, populusque attentè auscultaret, cum recitaret hanc particulam, Quoniam in seculum misericordia eius: sicq; omnes pariter de ecclesia decederent, domumque abirent. Verùm cum dux deinceps vi irrupisset in templum, & milites, vt nos comprehenderent, sanctuarium circumsedissent: non clerici solum, verùm etiam nonnulli è populo, qui in eo loco erant, vociferari cœperunt, orareque vt nos iam discederemus. At ego acrius negare, me non antè discessurum, quàm omnes sigillatim egressi essent. Itaque consurgens, orationem fieri imperaui: omnesque, dum fieret, abire rogaui. Nam Vide Socr. lib. 2. ca. 21. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 29. Sozom. lib. 6. cap. 6. 7.

Athanasij apologia.

Athanasius quomodo Dei ope insidiatorum manus euaserit.

A Nam satius esse dicebam, vt ipse in periculum venirem, quàm vt vlli è nostris aliquid
" acciperent incommodi. Proinde egressis quàm plurimis, & cæteris subsequentibus, mo-
" nachi quidam & clerici, qui vnà nobiscum erant, pariter ad solium nostrum accedētes,
" nos extraxere è sanctuario. Ad hunc modum igitur (veritatem testem cito) cum militū
" pars obsiderent sanctuarium, pars ecclesiam circuibant, Domino duce itineris & con-
" seruatore, per mediam turbam transiuimus, & clam illis decessimus: Deum magnis ef-
" ferentes laudibus, quòd non populum prodideramus: sed illo saluo præmisso nos etiam
" euaseramus incolumes, & insidiatorum manus effugeramus.

De Georgio, ac nepharijs eius Alexandriæ facinoribus. CAP. XIIII.

Georgij episc. crudelitas.

VBI Athanasius ex cruentis eorum manibus hoc modo elapsus esset, Georgio lupo alteri illarum ouium grex commissa est: qui maiorem in eas crudelitatem quàm quisquam lupus, aut vrsus, aut pardus in oues exercere solet, exercuit. Nam virgines, quæ perpetuæ castitati se addixissent, coegit non modò Athanasij denegare communionem, verùm etiam fidei patrum anathema denunciare. Suæ verò crudelitatis socium atq; adiutorem habuit Sebastianum quendam, ordinum militarium præfectum: qui in media vrbe, accenso rogo, virginibusq; nudis propter eum collocatis, fidem negare iubet. Quæ sane spectaculum acerbum & miserum fidelibus pariter & infidelibus constitutę, ignominiam illam pro magno honore duxere, & verbera cupidè ac libenter pro fide sustinuêre. Sed audiamus istarum pastorem Athanasium, à quo ista multo apertius ac planius exponuntur. " Sic enim scribit: Tum Georgius, qui ab illis ex Cappadocia missus erat, tempore Quadragesimæ accedens, perditos illos conatus, quos ab eis didicerat, ipse adauxit. Nam " post septimanam Paschatis transactam, virgines in carcerem conijci cœptæ sunt: episcopi constricti vinculis, à militibus abduci, ædes à viduis & orphanis abripi: direptiones fieri, in familias irrumpi: noctu ex ædibus vi deportari Christiani: ædes obsignari: † fratres clericorum, pro clericis in vitæ periculum vocari. Permultum acerbitatis habuere ista quidem, sed multò plus ea quæ sunt postea tentata. Septimana namq; sacrosanctam Pentecosten subsequenti, populus, vbi ieiunauerat, in cœmiterium propterea ad " orationem egreditur, quòd omnes Georgij detestarentur communionem. Verùm vt primùm ille insignite improbus hoc intellexit, præfectum ordinum militarium Sebastianum, qui Manichæus fuit, contra illos incitat. Ille deinceps cum militum turba, " qui arma, gladios districtos, arcus & tela gestabant, ipso die Dominico in populum impetum facit. Cum verò paucos admodum orantes offenderet (nam maxima pars, quia " hora præterijsset, decesserat) talia admisit facinora, qualia ab illo admitti consentaneum " erat. Rogum enim incendere: virgines propter ignem statuere: eas vt fidem Arianam " profiteri se dicerent, cogere cœpit. Vbi eas non posse vinci animaduertit, ignisq; flammas prorsus contĕnere, detractis vestibus, sic eas in ora ac vultus verberare, vt diu pòst " ægrè à suis noscerentur. Quinetiam viros quadraginta prehendere, eos nouo more ac " modo verberibus cædere. Nam palmarum viminibus recens ex arboribus excisis, quæ " suos adhuc habebant aculeos, ita terga illorum dilacerauit, vt nonnulli propter acule" os in ipsorum dorsa penitùs infixos, sæpius chirurgos adire cogerentur: alij, qui tam a" cerba cruciamenta ferre nequibant, mortem oppetèrent. Omnes autem viri, quibus ad" huc suppetebat vita, vnà cum virginibus, ad magnam Oasin à militibus relegati. Cor" pora mortuorum, facinore iam recens edito, suis reddi minimè permissa: sed illa proi" cta, inhumataq; (sic ipsis libitum est) occultabant ijdem ipsi milites, quò populo afferrēt " opinionem, se tam crudelis facinoris minimè cõscios fuisse (istud insani illi errore men" tis occæcati patrarunt.) Sed cum mortuorum necessarij & familiares propter confessionem suorum lęticiam animis caperent, propter corpora autem in mœrore & luctu versarētur, eorum impietas crudelitasq; maiore cum infamia & turpitudine patefacta est. " Porrò autem episcopos Aegypti & Libyæ, Ammonium videlicet, Muium, Caium, Phi" lonem, Hermen, Plenium, Psenosirin, Nilammonem, Agathonam, Anagamphum " Marcum, Dracontium, Adelphium, Ammonium alterum, alterum etiam Marcum, " Athenodorum: presbyteros autem Hieracem & Dioscorum, actutum in exilium mi" sere. Atq; istos è patrijs sedibus exturbantes, adeò acerbè & crudeliter tractauêre, vt non" nulli eorum inter vias, alij in exilio morte occũberent. Nam triginta & amplius episco" pos interfecerunt: & exemplũ Achaab imitati, ad veritatem è medio tollendam omni " cura & cogitatione incubuerunt. Idẽ Athanasius ad virgines illas, quę acerbos illos cru" ciatus pertulissent, orationes, quibus eas consolaretur, scripsit, in quibus quidem inse" ruit ista: Ob hanc causam nulla vestrũm in mœsticia sit. Quamuis isti impij vobis inui-

Sebastiani Georgij adiutor.

Athanasij de Georgij episcopi sceleribus narratio.

†Vide Antonin. part. 3. tit. 20. cap. 3. §. 20. fol. 320. lat. 2. lin. 41.

Sebastiani in populum impetus.

Item in virgines, & XL. viros tyrannis.

†Vide ibidem lat. 2. lin. 9.

Episcoporum Aegypti & Libyæ exilij & interitus.

Athanasij ad virgines oratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

deant sepulturã, & funera ducere prohibeant(nam hactenus quidem Arianæ tragœdiæ A
exitus)& portas occludant,& propter monumenta tanquã laruę assideant,obseruantes "
ne mortuorum quisquam tumulo condatur. Ista quidem facinora, aliaq; his similia, "
à Georgio fuere Alexandrię patrata. Diuus autem Athanasius nullum locum tam mu-
Constantij furor in Athanasium. nitum esse censuit, vti in eo tutus esse posset: præsertim cum Imperator mandatum de-
disset, vt vel viuus adduceretur ad se, vel caput illius mortui apportaretur: essetq; pol-
licitus amplissimam mercedem ei, qui hoc præstare vellet.

De concilio Mediolanensi. CAP. XV.

Magnentius Occidentis Imperio potitus. QVanquam autem ipse Constantius, cum Magnentius post Constantis mortem imperio versus Occidentẽ potitus esset,ad istius tyrãnidem expu
gnandam in Europam cum exercitu profectus est:tamen ne istud quidem
graue bellum, quod contra eccleſias susceptum erat, sedauit. Nam Aria-
ni Constantio, cuius animus tum facilè ad omnia impelli poterat, tum
Mediolani cõcilium ab Arianis instituũ. erroris Ariani contagione infectus erat, persuadent,vt Mediolani, quod est oppidum
Italiæ,concilium conuocaret: ac primùm omnes qui eò conuenirent,abdicationi,quę
Tyri ab iniquis illis iudicibus sigillatim aduersus quosdam episcopos facta est, assentiri
cogeret: deinde vt Athanasio eccleſijs eiecto,aliam fidei doctrinam componerẽt. Itaq;
epiſcopi literis Imperatoris acceptis, eò conuenerunt quidem, sed tamen neutram ca-
rum rerum fieri permiserunt: imò verò coràm ipsum apertè coarguerunt Imperato-
rem,vtpote iniqua & planè impia iubentem:& propterea fuerunt tum eccleſijs expulsi,
tum ad vltimas orbis terræ oras incolendas condemnati. De qua re etiam diuinus ille
Athanasij apologia. & admirabilis vir Athanasius scribit in apologia sua,his ferè verbis:Quis tantum scele. "
ris dicendo poterit exprimere,quantum isti consciuerunt? Nam nuper cum eccleſię pa. "
ce fruerentur tranquilla,& populus in conuentibus preces faceret,episcopus Romæ Li. "
berius, & Paulinus primariæ vrbis Galliarum, & Dionysius primariæ vrbis Italiæ, & "
Lucifer primariæ vrbis insulæ Sardiniæ episcopus,& Eusebius episcopus etiam Italiæ: "
qui oẽs,quoniam boni episcopi erant,& veritatis præcones,sedibus patrijs abrepti sunt, "
inq; exilium acti, nulla alia causa culpáve contra illos allata, quàm quòd hæresi Aria- "
Osij Cordubensis episcopi laus. næ consentire,& calumnijs eorũ ac falsis criminibus,quæ contra nos confinxerant,sub. B
scribere noluerunt. Quòd aũt ad magnum Osiũ, senem in primis venerandum,& verè "
confessorem attinet, de eo certè orationẽ instituere superuacaneum arbitror. Nam ne- "
minem fortasse præterit, hunc quoq; ab istis exilio mulctatum: qui profectò senex est "
non obscurus, sed omnium facilè illustrissimus. Nam in quo consilio non ille primas "
tulit? Cui nõ persuasit eius de recta fide instituta oratio? In qua eccleſia non præclarisi. "
ma extant illius gubernationis monimenta? Quis mœrore afflictus accessit vnquam ad "
eũ, qui non lætus ab eo discesserit? Quis egẽs ab eo opẽ petijt, qui non voti compos abi. "
erit? Et tamen in hunc suam exercere maleuolentiam non dubitarunt,propterea quòd "
cùm calumnias, quas impietate adducti contexuerant, exploratè cognitas haberet, cri. "
minibus contra nos dolosè comparatis subscribere recusauit. Quocirca quæ scelera ad. "
uersus illos sanctos viros edita fuerint,ex his quę citauimus,facilè cognosci potest. Quę
autem contra alios etiam quàm plurimos Arianæ phalangis præfecti per insidias ma-
Arianorũ impios crudelitas. chinati fuerint, idem vir diuinus in eodem Opere itidem persequitur: Quem, inquit, "
Ariani insectati sunt, cui comprehenso non pro arbitratu contumelias imposuerint? "
Quis ab illis conquisitus, quem cum inuenerint, non ita tractarint, vt vel mortẽ mise- "
randum in modum oppeteret,vel mẽbra corporis cruciamẽtis haberet prorsus labefa "
ctata? Nam quæcunq; iudices statuunt, ea istorum impulsione statuunt:imò verò isti e. "
orũ voluntatis & nefarij conatus administri sunt. In quo tandem loco non existit ali. "
quod eorum improbitatis monimentum? In quem suę sectæ & opinionis aduersarium "
falsas criminationes veteratorię,more Iezabel,non confinxerunt? Cui eccleſię luctum "
illorũ non attulerunt insidiæ? Nã in magna mœrore est Antiochena propter Eustathiũ "
confessorẽ,& verè orthodoxũ: Balanæensis pro Euphratione lamentatur: eccleſiæ Põ. "
ti & Antaradi ob Quintianum & Carteriũ lugent: Adrianopolitana flet se orbatã pio "
Eutropio, & Lucio eius successore: quẽ isti vinculis & catenis sic excruciarunt, vt mor. "
tem inde obiret. Ancyrensi porrò eccleſiæ priuari Marcello, Beroœnsi Cyro,& Gazẽsi "
Asclepa, maximo planè dolore fuit. Hos namq; iampridem contumelia affectos, isti "
veteratores exilio mulctandos curauerant. At Theodulum & Olympium episcopos "
Thraciæ, nos præterea, & presbyteros nostros, propterea vndique conquiri effecerunt, "
vt si essemus vsquam reperti, capitis supplicio afficeremus. Itaq; sic fortasse morte oc. "
cubuissemus, nisi præter eorum voluntatem etiam tum ipsorum manus effugissemus. "

Nam

A Nam literas ea de re, contra Olympium quidem ad Donatum proconsulem, cõtra nos
" autem ad Philagrium dederãt. Eiusmodi fuere scelera,quæ ista impia factio contra san-
ctos viros admisit. Osius, de quo dixi, Cordubæ fuit episcopus: qui, sicut in celebri illo *Osius.*
concilio Nicæno,magnam laudem adeptus est,sic in Sardicensi omnium qui eò conue-
niebant,facilè primas obtinuit. Porrò Liberij episcopi longè excellentissimi,liberã pro *Liberij episc. Rom. disputatio.*
veritate disputationem,& sermonem planè admirabilem, quem habuit cum Constan-
tio Imperatore, hoc in loco ponere consilium est. Nam hæc à pijs viris,qui id temporis
vixerunt,sunt propterea scriptis prodita,quòd ad acuendum excitandumq; rerum diui-
narum studiosos plurimum momenti habere putabantur. Iste Liberius,Iulio Syluestri
successore mortuo, Romanam gubernauit eccleſiam.

Liberij episcopi Romani & Constantij Imperatoris Dialogus. CAP. XVI.

Dialogus Constantij Imperatoris & Liberij papæ Romæ.

VideNice. lib.9 ca.35. Sozomen lib.4.ca.10. IMPERATOR CONSTANT. Nos,quoniam Christianus es,& nostræ ciuitatis e-
piscopus,idcirco duximus operæprecium te accersere, hortariq; vt communi-
onem nefariæ impij Athanasij dementiæ repudies. nã hoc rectè se habere cen-
set totus terrarum orbis,& cum sententia Concilij ab eccleſiastica cõmunione
" segregandum iudicauit. LIBERIVS EPISC. Iudicia quidem eccleſiastica, ô Imperator,
" summa cum æquitate fieri debent. Quapropter,si tuæ clementiæ ita visum sit, iudicium *Athanasius à Liberio defen diitur.*
" haberi iubeto. Et si Athanasius videatur damnationem commeruisse, tum sententia,
" prout ordinis eccleſiastici formula postulat,cõtra eum pronunciabitur. Nam fieri non
" potest, vt quenquam condemnemus, de quo non factum sit iudicium. Const. Totus
" terrarum orbis non de eius impietate solum, verùm etiam quòd semper tempus lude-
" re conatus est, sententiam tulit. Lib. Episc. Qui eius damnationi subscripserunt, non
" res gestas ipsi oculis aspexerant: sed hoc est ab illis factitatum, vel quòd gloriam abs te
" assequi,vel quòd metu perculsi, vel denique quòd infamiam extimescere viderentur.
" Const. Quid est,quæso,gloria,quid metus, quid infamia? Liber. Qui gloriam Dei non
" amplexantur,sed tua munera ei prætulerunt, hi hominem absque iudicio condemna-
" bant,quem nunquam oculis vidissent: quod est à Christianorum officio planè alienis-
B simum. Const. Atqui in concilio Tyri celebrato de Athanasio,cum ipse præsto adesset,
" iudicium factum est:& omnes orbis terrarum episcopi,qui in eo concilio aderant,eum
" cõdemnarunt. Liber. Episc. Nũquam sanè de eo præsente iudicium exercebatur. Nam *De Athanasio præsente nunquam iudicij exercitum.*
" episcopi,qui ibi conuenerant,illum tum condemnabant, cum è consessu egressus fue-
" rat:& certè temerè atque inconsultò condemnabant. Hoc loco Eusebius eunuchus: A- *Eusebius Eunuchus.*
" thanasius,inquit,alienus à fide catholica in concilio Nicæno declaratus est. Lib. Quin-
" què tantummodo, qui cum eo vnà nauigarant, in Mareote iudicium de eo fecerunt:
" quos quidem aduersarij eius eò miserant,vt contra eum,reum factum, commentarios
" contexerent. Atque ex istis qui missi erant,duo exierunt è vita, Theognis nimirum, &
" Theodorus: reliqui tres,hoc est Mares, Valens & Vrsacius, etiamnum supersunt. A
" quibus ad eam rem missis,in concilio Sardicensi sententia de hac controuersia lata est:
" qui etiam in eodem concilio libellos supplices dederunt, postularuntque veniam pro
" eo, quòd commentarios,vnius partis suffragijs per calumniam contra Athanasium in
" Mareote confecerant: quos libellos iam habemus in manibus. Vtris istorum, Impera-
" tor,nobis credendum communicandumq; est? Illis ne qui primò eos condemnarint,
" secundò autẽ veniam petierint:an his quorum iam sint cõdemnati sententijs? Hic tum
" Epictetus episcopus: Non fidei,inquit,causa, Imperator, hodie, neq; iudiciorum eccle- *Epictetus epiſcopus.*
" siasticorum faciendorum studio adductus Liberius,hunc instituit sermonem: sed quò
" possit apud senatores Romanos gloriari, se rationibus Imperatorem superasse. Const.
" Tantáne orbis terræ pars, Liberi,in te residet, vt tu solus homini impio subsidio veni-
" re, & pacem orbis ac mundi totius dirimere audeas? Lib. Esto quòd ego solus sim, non
" tamen propterea causa fidei fit inferior. Nam olim tres solum erant reperti, qui regis
" mandato resisterent. Tum Eusebius eunuchus: Tu,inquit,Imperatorem nostrum facis
" alterũ Nabuchodonozor? Lib. Minimè sanè: sed nõ minus temerè tu hominẽ condem
" nas, de quo nullum factum sit iudicium, quàm ille olim. At ego æquum censeo, vt pri-
" mùm generalis proponatur episcoporum subscriptio, qua fides in concilio Nicæno ex-
" posita confirmatur: deinde vt fratribus nostris ab exilio reuocatis, & ad suas ipsorum
" sedes restitutis,si isti qui nũc tumultus cient, fidei Apostolicæ assentire comperiantur,
" tunc omnes contendamus Alexandriam,vbi reus, vbi accusatores & causæ eorum pa-
" tronus sunt: atque litigantium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter fera- *Vide Epiph. interpre. & lib. de imag. magi stratuũ Rom.*
" mus. Epict. At ad episcopos eò conuehendos equi,iumenta & rhedæ,quibus cursus pu-
" blicus confici solet,non satis erunt. Liber. Negocia eccleſiastica publicam vecturã non

Universidad de Deusto
Biblioteca

desiderant: quandoquidem ecclesiæ ad episcopos suos ad mãre vsq; deducendos satis habent facultatum. Const. Imper. Res, de quibus constituta est formula, refringi nequeunt: siquidem plurium episcoporum rata debet esse sententia. Tu solus impij illius amicitiam amplexaris. Liber. Nunquam auditum est, Imperator, reo absente, iudicem de impietate ac scelere sententiam pronunciasse, quasi priuatũ odium in hominem exerceat. Const. Etsi oẽs communiter, me tamen maiori quàm cæteros affecit iniuria. Nam non contentus est post fratris nostri maioris natu Constantini internecionẽ, sed beatę memorię Constantẽ minorem natu fratrem nunquã cessauit ad inimicitias nobiscum suscipiendas incitare: quod sanè factum fuisset, nisi nos æquiore animo & incitantis & incitati bilem tulissemus. Quare præclaram illam victoriam à Magnentio & Siluano partam, non tanti facerem, quanti istius ab ecclesiasticarũ rerum administrationem abdicationem. Liber. Noli per episcopos tuas vlcisci inimicitias. Nam virorũ ecclesiasticorũ manus sanctificationi vacare debent. Quapropter, si placet, iube episcopos ad proprias sedes restitui. Atq; si videantur cũ eo qui etiam iã rectam veramq; fidẽ in concilio Nicæno expositam tuetur, consentire, tum in vnũ conuenientes, paci orbis terræ prouideant: perficiantq; vt non compertũ sit aliquando, hominẽ, qui non deliquerit, damnatũ esse. Const. Vnũ est quod quęritur. Volo, vt tu ecclesiarũ communionẽ amplectaris, & deinde Romã redeas. Proinde cõsule paci, subscribe, vt Romã reuertaris. Lib. Iã fratres, qui sunt Romę, valere iussi. Nã leges ecclesiasticas obseruare, pluris faciendũ censeo, quàm habere Romæ domiciliũ. Const. Itaq; trium dierum spaciũ tibi concedimus ad deliberandũ, vtrum subscribere volueris, & ita Romam redire: an tecũ constitueris, quẽ ad locum transferri placeat. Lib. Spacium trium dierum aut mensiũ, rationem non mutat. Quare mitte me, quò lubet. Const. Post biduũ cum iudicium habitum fuerit de Liberio, si consiliũ non mutet, exulet velim vsq; Beroeam Thracię. Liberio inde decedẽti Imperator misit in sumptũ quingẽtos aureos. Liberius aũt ei qui attulerat, dixit: Abi domum, & istos ipsos aureos redde Imperatori. Siquidẽ eis opus habet ad militũ stipendia. Imperatrix itidẽ misit ei totidẽ. Quos eum qui apportauerat, iubet quoq; Imperatori tribuere. Sunt enim, inquit, illi ad militarem expeditionem necessarij. Quod si is eorum nõ indigeat, det Auxentio & Epicteto. nam illi eisdem egent. Postea verò quàm istos recusauerat aureos accipere, Eusebius eunuchus alios ei affert. Ad quem Liberius: Tu, inquit, ecclesias orbis terræ expilasti: & iam mihi, vt damnato, egentiq;, affers eleemosynam? Abi primùm, & Christianus ipse fias. Ac triduo confecto, Liberius nulla accepta pecunia, in exilium mittitur.

Imperatoris de Athanasio querela.

Liberius exul munera recusat.

Liberij dictũ in Eusebium eunuchum.

De exilio & reditu sancti Liberij. CAP. XVII.

Nobilium matronarũ Romæ pro Liberio solicitudo.

Vide Nicephor. lib. 9. ca. 37. Sozomen. lib. 4. ca. 14.

ISTE strenuus veritatis propugnator & victor illustris Liberius, Thraciam, sicut erat ei imperatum, rectà contendit. Biennio dilapso, Constantius proficiscitur Romam. Magistratuum autem & nobilium coniuges, orant maritos, vtà Constantio supplices petant, vt pastor Liberius suo gregi reddatur: seq; nisi eum exorarent, deserturas eos, & ad egregium illum pastorem conuolaturas. Quibus respondunt mariti, se non parum Imperatoris irã extimescere: & cum viri sint, nullã fortasse veniam ab eo impetraturos. Quòd si vos ipsæ Imperatorem pro Liberio deprecari volueritis, est vobis plane condonaturus. atque è duobus alterum eueniet: vt vel vestram vobis sit concessurus postulationem: vel si minus ad id faciendum adduci possit, vos illæsas dimissurus. Quo consilio audito, præstantes illæ fœminæ, splendidè, vt solent, & magnificè amictæ, accedunt ad Imperatorem, vt eas ex vestitus splendore nobiles illustresq; esse arbitratus, tum reuerentia erga ipsas, tum clementia vtendum existimaret. Quæ cum hoc modo ornatæ ad eum aduentassent, orant, vt vrbis pastore orbatæ, & luporum expositæ insidijs misereatur. Quibus respondet Imperator: altero pastore ciuitati non opus esse, quippe cum haberet vnum qui ei posset prouidere. Etenim successum est Liberio à fideli quodam illius diacono, nomine Felice: qui tametsi fidem in concilio Nicæno expositam ipse seruauit integram: tamen cum illis qui eandem labefactare studebant, libere communicauit. Ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in ecclesiam, dum ille intus erat, ingredi voluit. Quam rem etiam mulieres Imperatori significarunt. Qua causa sic inflectebatur Imperatoris animus, vt pastorem illum longè præstantissimum Romam redire, & vtroſq; communiter inter se ecclesiam illam regere iuberet. Itaq; lectis Imperatoris in circo literis, plebs clamat, æquam esse Imperatoris sententiam. Nam bifariam diuisos esse spectatores, quibus nomen impositum est ex colorum varietate: & propterea alterum episcopum his, illis alterum præesse debere. Itaq; cum hoc modo Imperatoris literas irrisione lusissent, omnes vno ore vociferantur: Vnus Deus, vnus Christus,

Romanarum mulierum pro Liberio deprecatio.

Felix diaconus.

Romanarum scomma in Constantium.

A Christus, vnus episcopus. Has enim voces emittere rectum esse censebant. Quibus vocibus cum pietate & iusticia à pia plebe profusis, redijt episcopus Liberius. Felix autem clàm Roma se subducens, ad aliam vrbem migrauit. Ista quidem historiæ de concilio episcoporum Mediolani celebrato, narrandi serie seruata, attexui. Iam igitur ad rerum gestarum ordinem reuertor.

Liberij reditus.

Felicis fuga.

De Ariminensi concilio. CAP. XVIII.

Vide Socr. lib. 2. ca. 29. Vide Nicep. lib. 9. ca. 39. Sozomen. lib. 4. ca. 15. 16. 17.

FIdei igitur propugnatoribus expulsis, illi qui Imperatoris animum, quò vellent, impellere potuerunt, quoniam fidem sibi sueq; sectę aduersariam se perfacilè labefactare posse cẽsebant, & doctrinam Arij confirmare: persuadent Constantio, vt concilium episcoporum tum Orientis, tum Occidentis, Arimini cogeret: mandaretq;, vt hæ voces, SVBSTANTIA & CONSVBSTANTIALIS (quæ tanquam machinæ quędam ad pernicioſam Arij & fraudulentam sectã expugnandam à patrib. erant excogitatæ) ex fidei formula tollerentur. Ex his enim dissensionem in ecclesias inuectam dicebant. Posteaquam aũt episcopi Arimini conuenerunt, illi qui macula Ariani erroris erant aspersi, reliquam episcoporum in vnum coactorum multitudinẽ suis præstigijs in fraudem inducere moliebantur: & maximè episcopos Occidentis, quorum mores simplices erant, & sinceri. Dicunt enim corpus ecclesiæ minimè distrahi debere ob duas voculas, easq; in Sacris literis neutiquam scriptas: sed dicendum esse, filiũ patri per omnia similem: vocem aũt SVBSTANTIAM, vtpote in Scriptura non repertam, missam faciendam esse. Verùm episcopi, fraude istorum intellecta, eis qui hæc dicebant, interdixerunt ecclesia, suamq; mentem per literas Imperatori significarunt: dixeruntq;, se patrũ, qui in concilio Nicæno conuenerant, filios & hæredes esse. Quòd si quicquam eorum decretis præclarissimè constitutis vel adiciant, vel detrahant, se ipsos planè spurios declaraturos, quippe cum patres suos insimulare viderentur. Verùm epistola ab ipsis ad Constantium scripta, exquisitam eorum fidei regulam apertius planiusq; explicabit.

Arianorum machinatio aduersus formulam fidei Nicenæ. Ariminense concilium.

Occidentalis Episcoporum Constantia in fide Nicena defendenda.

Epistola Synodica, ab episcopis qui eò conuenerant, ad Imperatorem Constantium conscripta. CAP. XIX.

Concilij Arimini congregati epistola, ad Constantium Imperatorem conscripta.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 40. Sozo. lib. 4. cap. 22. 23.

B QVoniam tum mandatum Dei, tum tuæ pietatis edictum ita postulat: idcirco ea quæ olim de fide fuerint decreta, nostris suffragijs stabilienda iudicamus. Nam cuncti episcopi ex omnibus ciuitatibus ad Occidentem sitis, Arimini in vnum conuenimus, vt & fides ecclesiæ catholicæ fieret illustrior, & illius aduersarij perspiçuè deprehenderentur. Postquam igitur diu deliberatum est, placuit eam fidem, quæ ex antiquis ducta temporibus hactenus permanserit, quæq; à Prophetis, ab Euangelistis, ab Apostolis deniq; per gratiam Domini nostri IESV Christi, tui imperij defensoris, conseruatorisq; valetudinis, prædicata sit, firmè retinere, retentam perpetuò defendere. Absurdum enim, imò nefas certè videbatur, quicquam commutare in illis quæ rectè vereq; definita essent, quæq; fuissent ab omnibus in concilio Nicæno coactis, tui patris Constantini Imperatoris illustrissimi sub sidio accuratè exquisita, excussaq;: quorum deniq; doctrina & sententia per omnium hominum aures mentesq; peruasisset, palamq; esset prædicata. Cuius vnius doctrinæ vi Arij hæresis expugnata, prorsusq; extincta: cuius etiam adiumento non ea solum, sed aliæ quoq; hæreses extirpatæ. Cui profectò aliquid adijcere, tutum nõ est: & ab ea quicquam detrahere, periculosum. Quòd si alterutrum istorum eueniat, erit tanta aduersarijs impunitas proposita, vt quod libeat, licenter exequantur. Itaq; Vrsacius & Valens, quoniam iampridem animos suos Ariano dogmate implicauerãt, & nostra erant propterea communione segregati: non modò illos, vt eiusdem communionis denuò fierent participes, pœnituit delictorum, quæ se admisisse sua ipsorum conscięntia planè arguebat: verùm etiam, vt ipsorum scripta testantur, veniam obnixè postulauêre. Quibus de causis omnia eis crimina remissa fuerunt, atq; condonata. Ista quidem eo tempore gerebantur, quo concilium Mediolani habitum est, præsentibus ecclesiæ Romanę presbyteris. Cũ igitur intelligamus, Constantinũ, principem certè omniũ posterorum memoria post mortem celebrandum, diligenter elaborasse, vt fides illa Nicęæ literis prodita, accuratissimè perquisita exploratáq; esset: absurdum sanè videretur, eo iam post acceptum baptismum vita defuncto, & ad tranquillitatẽ sibi debitam profecto, aliquid in ea nouare, & tot sanctos confessores ac martyres, qui huius doctrinæ authores inuento resq; fuerunt, quiq; vt vetus Ecclesię catholicę poscebat institutum, omnino senserunt,

Arimini synodi epistola.

Concilij Nicæni quanta semper fuerit authoritas.

Vrsacio et Valenti crimina remissa.

Patris cõstantini exemplũ filio obiectũ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

inq; eo perstiterunt perpetuò, prorsus contemnere. Quorum fidem ad tui Imperij tempora Deus per Dominum nostrũ IESVM Christum perduxit: cuius auxilio sic tuum creuit Imperium, vt vniuersi orbis terrarum gubernacula teneas. At contrà, miserabiles illi & animo prediti planè deplorato, nefario impetu incitati, se impiæ doctrinæ præconès denunciare, & totum veritatis institutum euertere studuerunt. Nam vt primùm Concilium ex tuo edicto in vnum coibat, ij suæ fraudis inuolucrum retexerunt: & simulatq; Germanium, Auxentium & Caium, qui seditionem ac discordiam induxissẽt, pari opinionum varietate irretitos animaduertebant, tentauerũt per dolum & tumultum aliquid noui decidere. Quorum doctrina, quanquam vna erat: tamen totam blasphemiarum turbam longè superauit. Verùm vbi intellexêre, eos neq; eiusdẽ opinionis esse, neq; in perditis eorum conatibus cũ illis conspirare: ad nostrũ confessum se transtulerunt, perindeac si iam contrariam doctrinam scriptis mandare in animo haberẽt. *Veterũ decreta seruanda.* At non longo tempore post, eorum mentes sunt facilè patefactæ. Quocirca vt status ecclesiæ non eiusmodi iactaretur fluctibus, & omnia turba ac tumultu volutata miscerẽtur: percommodum videbatur, vt tum vetera decreta firma stabiliaq; manerent, tum isti à nostra communione excluderentur. Atq; ob hanc causam legatos ad tuã clementiam cum literis misimus, qui te doceant mentẽ ac sententiam Concilij: quibus quoq; dedimus mandatũ, vt authoritate in primis testimonioq; legum olim rectè sancitarũ veritatem confirmarent: atq; adeò tuę significarent æquitati, non vt Vrsacius & Valẽs dixerunt, pacem futurã esse, si instituta ritè & legitimè facta euertantur (quî enim fieri *Petunt episcopi vt Imperator ipsos ad noua dogmata recipienda nõ adigat: & vt innocentes viros exules restituat.* potest, vt pacis authores sint hi qui, pacis v incula ruperint?) sed dissidium & seditionẽ inde cum in alijs ciuitatib. tum in ipsa ecclesia Romana excitatam fore. Quamobrem tuam clementiã obtestamur, vt benignis aurib. ac vultu placido nostrã legationem excipias, neq; permittas quicquam nouari ad contumeliã eorum qui vita excesserint: sed nobis facias potestatem in his quæ sunt à maioribus (quos quidem ingeniosè & prudenter, Spiritu sancto illis opẽ ferente, omnia transegisse cõstat) decreta sancitaq;, firmè perseuerandi. Nam ea quæ ab istis nouata sunt, in credentiũ animis incredulitatẽ inserũt: in infidelium aũt, crudelitatem. Obsecramus etiam, vt episcopis, qui in exteris regionib. vitã degunt, quiq; & ætatis ingraues centis molestia, & paupertatis onere grauiter affligantur, tuo mandato copia fiat domum tutò reuertendi, quò ecclesiæ episcopis suis minimè destitutę maneant. Porrò aũt istud prẽter cętera flagitamus, ne quid vel detrahatur veterib. decretis, vel omnino adijciatur: sed omnia quæ à pia patris tui memoria ad hoc vsq; tempus obseruata fuerunt, rata firmaq; permanent: neq; de cæterò nobis quicquam de ijs rebus facessas negocij, aut à nostris ipsorum ecclesijs nos abesse sinas: sed episcopi versentur cum suis ipsorum gregibus, vti precibus, & Deo sanctè colẽdo tranquillis animis vacent, orentq; sedulò pro tua salute, Imperio & pace, quã Deus tibi sempiternam benignus largiatur. Legati nostri tum subscriptiones, tum nomina episcoporum ad te perferunt: qui etiam Sacrarum literarum testimonijs tuã benignitatẽ ea quæ ad decreta pertinent, satis accuratè docere possint. Hac epistola ad Constantiũ perscripta, & legatis cum eadẽ missis, qui multum apud Imperatorẽ authoritate & gratia pote- *Ariani Legatos concilij arcent à cõgressu Imperatoris.* rant, quiq; Arianæ sectæ principes erãt, epistolam quidem acceptam Imperatori reddiderunt: sed legatos ipsos intromittere noluerunt. quippe Imperatoris animus, inquiũt, curis de Rep. susceptis districtus tenetur. Quod propterea ab istis factũ est, quòd purabãt episcopos, quia longam morã ægrè essent laturi, desideraturiq; ad vrbes sibi commissas redire, coactos fore, vallũ, quod contra hæresim struxerant, subruere, disturbareq;. Sed frustrà hic conatus ab ipsis susceptus est. nam generosi illi fidei propugnatores aliam de nuò scripsere ad Imperatorem epistolam: orauereq;, vt tum reciperet legatos, tũ ipsos à concilio dimitteret. Quam epistolam in historiam etiam inseram.

Altera ad Constantium epistola. CAP. XX.

Victori Constantio Imperatori, episcopi Arimini congregati S.

TVæ clementiæ literas accepimus, Imperator sanctissime, ex quibus didicimus, tibi propter necessaria Reip. negocia eo tempore non satis suppetiuisse ocij cum legatis nostris colloquendi: nobisq; in mandatis dare, vt eorum reditum vsque eò expectemus, quoad tua prudentia intellexerit ea, quę sunt à nobis conuenienter maiorum nostrorum institutis decisa decretaq́ue. Cæterùm iam per hasce literas confitemur, tibiq; confirmamus, nos à nostro proposito & sententia nequaquam discessuros: legatis etiam nostris, vt idem præstarent, imperauimus. Quamobrem rogamus te, vt placido vultu literas hasce à nostra modestia ad te perscriptas, legendas cures: quinetiam ea, quæ nostris legatis obeunda imposuimus, æqui boniq́ue consulas. Illud præterea tua benigni-

Declarãt se à fide Nicena nõ esse recessuros.

Orãt vt Legatos ipsorum ad colloquiũ admittat.

A benignitas iuxta nobiscum intelligit, quàm tristis & acerba res sit, tot ecclesias in tuis istis beatissimis temporibus episcopis suis destitutas esse. Et propterea tuam clementiã iterum atque iterum obtestamur, Imperator augustissime, vt ante hyemis asperitatem, modò tuæ pietati ita visum fuerit, nobis ad nostras ecclesias reuertendi facias potestatem, quò possimus Deo patri omnipotenti, & Domino ac Seruatori nostro Christo, filio eius vnigenito, pro tuo regno consuetas preces cum populo fundere, sicut & antè semper fecimus, & adhuc facere non desistimus. *Orant vt ipsis faciat copiam redeundi ad ecclesias suas.*

De concilio apud Nicæam vrbem Thraciæ habito, & fidei expositione ab illo descripta. CAPVT XXI.

Vide Nicephor. cap. 41. lib. 9. Sozomen. lib. 6. ca. 15. Socrat. lib. 2. cap. 29.

HAC epistola ad Imperatorem allata, Ariani cum eius animum ad iracundiã incitassent, perficiunt, vt plurimi episcopi Nicæam vrbem Thraciæ inuiti traducerentur. Quorum partem propter animorum simplicitatem callidè circũueniendo, partem minis perterrendo impellunt, vt eadem machina ad pietatem oppugnandam vtantur, quam ipsi iampridem excogitarant, nimirum vt has voces, SVBSTANTIA & CONSVBSTANTIALIS, ex fidei formula eximant, inque earum loco SIMILIS ponant. Fidei autem formulam ab istis factam, non vt quæ rectè se habeat, sed vt quæ factionem Arianam manifestò coarguat, hoc loco citare est animus. Qua tamẽ impij huius nostræ ætatis hæretici non contenti sunt, sed pro hac voce SIMILIS, vocem DISSIMILIS vsurpare non verentur. *Similis, pro Consubstantialis in Symbolo positum.*

Peruersa fidei formula Nicææ Thraciæ edita.

Symbolũ Arianorum Nicæ in Thracia conflatum ad obscurandũ Symbolũ Nicenũ.

» Credimus in vnum & solum verum Deum, patrem omnipotentem, ex quo omnia.
» Et in vnigenitum filium Dei, ante omnia secula, & ante omne principium ex Deo ge-
» nitum: per quẽ omnia facta sunt, visibilia & inuisibilia: vnigenitum solum ex solo pa
» tre, Deum de Deo, similem patri, qui eum genuit, secundum Scripturas: cuius genera-
» tionem nemo nouit, nisi solus pater, qui genuit illum. Hunc nouimus vnigenitũ Dei
» filium à patre missum, descendisse de cœlis, sicut scriptum est, in destructionem peccati
» & mortis: & genitum ex Spiritu sancto & Maria virgine secundum carnem, sicut scri-
» ptum est: & cum discipulis versatum esse: & vniuersa œconomia plenè iuxta patris vo
» luntatem expleta, crucifixum, mortuum & sepultum: descendisse ad inferos, quem in-
» fernus ipse exhorruit: resurrexisse à mortuis tertia die, versatum denuò cum discipu-
» lis: & diebus quadraginta completis, assumptum ad cælos, sedere ad dexteram patris:
» venturum in extremo resurrectionis die cum gloria patris, vt reddat vnicuiq; iuxta o-
» pera sua. Et in Spiritum sanctum, quem ipse vnigenitus Dei filius, Christus, Dominus
» & Deus noster, promisit se missurum generi humano paracletum, sicut scriptũ est: spi-
» ritum veritatis, quem ipse misit, quando assumptus erat ad cœlos, & sedebat ad dexte-
» ram patris, vnde venturus est iudicare viuos & mortuos. Nomen autem Substantiæ, q
» à patribus simpliciter ponebatur, quodq; ignoratum à populo offendiculum peperit,
» visum est, quoniam in Scripturis nusquam profertur, illud omninò tollere: & quia di-
» uina eloquia de patris & filij substantia non meminerunt, nullam prorsus deinceps il-
» lius facere mentionem. Atq; certè in persona patris & filij & Spiritus sancti vna subsistẽ
» tia, id est, substantia, ne nominari quidem debet. Nos ergo, sicut literæ sacræ nos docẽt,
» filium similem patri dicimus. Omnes autem hæreses, & quæ iam anteà condemnatæ
» sunt, & quæ nuper exortæ, si huic fidei formulæ modò expositæ repugnent, anathema
» sunto. Huic formulæ nonnulli metu perterriti, alij dolo delusi subscripserunt. Qui autem ei cõsentire noluerunt, hi erant ad vltimas orbis terrę oras relegati.

Pœna eorum, qui huic Symbolo subscribere noluerũt.

Commentarius synodicus ad Illyricos episcopos, de Concilio Ariminensi, à Damaso & Occidentalibus episcopis scriptus. CAP. XXII.

Vide Sozom. li. 4. cap. 18.

QVòd autem ista fidei formula ab omnibus veritatis athletis, & ab his potissimum, qui versus Occidentem habitabant, reprehensa sit, ex literis ab eisdem ad Illyrios conscriptis, satis constare potest. Inter eos verò, qui istarum literarum authores erant, principem locum obtinuit Damasus, in Ecclesiæ Romanæ primatu successor Liberij, vir plurimis virtutis insignibus eximiè ornatus. Nonaginta habuit episcopos, ex Italia & Gallia Romæ in vnum coactos, qui his literis consenserunt: quorum nomina hoc loco citarem, nisi quòd superuacaneum esse arbitror. Eorum literæ scriptæ sunt ad hunc modum: *Damasus Liberij successor.*

Episcopi ad sanctum Concilium Romæ connocati, Damasus, Valerianus & cæteri, dilectis fratribus, Episcopis, qui sunt in Illyrico, in Domino Salutem.

Cõcilij Romæ congregati ad Illyricos episc. Epistola.

ETsi nobis pro certo persuasum est, sacerdotes Dei sanctissimi, vos sacrõ- “
sanctam fidem nostram, quæ doctrina Apostolorum fundata est, firmè “
retinere, eamq; populo prædicare: quæ certè à decretis patrum, à quibus “
par est reliquos erudiri, nulla ex parte discrepat: tamen significatum est “
nobis à fratribus, qui in Gallia & in agro Venetorum habitant, nonnul- “
los ad hæresin amplexandam omni studio incumbere. Quod quidem malum ne exi- “
stat, non modo præcauere debent episcopi: verumetiam, quicunq; errores vel quorun- “
dam inscitia, vel simplicitate eorum, qui peruersas interpretationes secuti sunt, in Ec- “
clesiam inuecti videntur, his se opponere: concilioq; prouidere, ne deinceps in varias “
discrepantesq; doctrinas denuò prolabantur imperiti: sed quoties dissentiẽtes opinio- “
nes ipsorum auribus inculcatæ fuerint, firmè patrũ sententijs adhæresc ant. Hac de cau- “
sa nobis decisum est, vt Auxentius nominatim cõdemnetur. Quare omnes legis diuinę “
doctores, qui ditioni Romanæ subijciuntur, ea quæ legis sunt, sapere, & fidem variis do- “
ctrinis, nequaquam contaminare debent. Etenim vbi primùm vitiosa Arianorum do- “
ctrina & blasphemia vigere inciperet (quæ etiam hoc tempore latissimè serpit) trecen- “
ti decem & octo episcopi, patres nostri, habito Nicæ concilio, hoc muro ad arma dia- “
boli arcẽda fidem nostrã cinxere, & hoc antidoto venena depulere mortifera, sic vt cre- “
deretur vnã esse patris & filij substantiam, vnam deitatem, virtutem vnam, vnam po- “
tentiam, vnam figurã: quinetiam spiritum sanctum vnam eandemq; cum illis substan- “
tiam habere & subsistentiã. Eum autẽ qui aliter sentiret, à nostra cõmunione iudicarũt “
alienum. Quam salutarem decisionem, & decretũ planè venerandum, nonnulli post- “
eà alijs nouis decretis violare labefactareq; studuerunt. At verò initio (quod peccatum “
erat ab illis, qui Arimini formulam fidei concilij Nicæni nouare retractaréue coacti “
sunt) aliqua ex parte propterea sarciebatur, quod se disputatione alio tempore habita “
fatebantur à veritate abductos, quodq; suam fidei formulã nequaquam sententiæ con- “
cilij Nicæni aduersari cogitabant. Siquidem numerus episcoporum, qui erant Arimi- “
ni in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet, præsertim cũ formula illa cõ “
posita sit neq; episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expectãda erat: B
neq; Vincentio, qui tot annis episcopatum integrè gesserat: neq; alijs eidem consentien- Socrat. lib. 2. cap. 37.
tibus: cumq; etiam (quod est omnium maximum) illi ipsi, vti antè diximus, qui in frau- “
dem illecti, à veritate deflexisse visi sunt, & pòst ad meliorem mentem denuò traducti, “
planè testentur, hanc formulam sibi magnopere displicere. Itaq; vestra integritas ma- “
nifestò videt, hanc fidem solam, quæ authoritate Apostolica Nicææ stabilita est, firmè “
perpetuò tenendam esse. Atque de hac ipsa fide tum episcopos Orientis, qui se de Eccle- “
sia catholica esse profitentur, tum Occidentis etiam episcopos, nobiscum vnà gloriari “
constat. Porrò autem pro certo credimus, eos qui alia opinione tenentur irretiti, pro- “
pter suum conatum breui fore & à nostra segregatos cõmunione, & nomine episcopo- “
rum priuatos. vt tandem populo errore ipsorum liberato detur respirandi locus. Nam “
multitudinis error tamdiu nullo modo corrigi poterit, quamdiu episcopi eodem te- “
nentur implicati. Quocirca facite, vt vestræ reuerentiæ iudicium cum omnium Dei sa- “
cerdotum iudicio, cui vos firmè & constanter adhærere credimus, omninò cõsentiat. “
Quod si fiat, eandem vobiscum rectam credendi viam nos quoque debemus insistere. “
Vestra charitas, quæso, ad nos rescribat, vt inde lætitiam capiamus. Valete fratres ho- “
noratissimi.

Auxentij condemnatio.

Nicæni Concilij authoritas.

Concilium Ariminense notatur.

Episcopi Romani præcipuæ authoritas.

Fides Nicææ stabilita, sola perpetuò tenenda.

Athanasij Alexandrini episcopi de eodem Concilio epistola. CAP. XXIII.

Vide Sozom. li. 4. cap. 15.

QVinetiam magnus ille Athanasius, in epistola scripta ad Afros, eadem ferè de con- “
cilio Arimini habito commemorat. Quas res, inquit, cum ita se habere constet, “
quis est eorum approbaturus sententiam, qui vel de concilio Ariminensi, vel vllum a- “
liud præter Nicænum, allegant? Imò verò quis non oderit eos, qui patrũ abrogant de- “
creta, & quæ recentiore memoria Arimini per contentionem & vim constituta sunt, “
illis præferunt? Quis porrò istorum sententiæ velit accedere, qui ne sua quidem institu- “
ta ipsi approbant? Nã qui, vti suprà diximus, amplius decẽ fidei formulas (alio namque “
tempore aliã ac nouam semper cõponebant) in suis concilijs conscripserunt, apertè de- “
monstrant, seipsos singula sua reprehendere concilia: idemque istis, quod olim Iudæis “
proditoribus, accidit. Vt enim illi solo fonte aquæ viuentis relicto, vti scribit Hieremi- “
as Propheta, lacus sibi foderunt, qui non possunt aquam continere: ita isti pugna “
contra generale Concilium suscepta, sibi multa constituerunt Concilia, omniaque “
inania,

Arimiuensi concilio fidem abrogat.

Ainania, atque adeò fabulis similia. Itaq; ne aures quidem patefaciamus his, qui vel Ari- “
minense, vel vllum aliud Concilium allegant, quàm Nicænum. Qui enim Ariminen- “
se laudant, videntur sanè rerum in eo gestarum penitùs ignari esse. Siquidem si eas co- “
gnoscerent, non dubium est, quin de ipso concilio ne verbum quidem facerent. Nam “
vos non præterit, Fratres, certiores videlicet factos ab his, qui à vobis profecti sunt Ari- “
minum, Vrsacium, Valentem, Eudoxium & Auxentium, quibuscum vnà erat etiam “
Demophilus, propterea in eo abdicatos esse, quòd alia decreta, præter ea, quæ fuerant in “
Concilio Nicæno sancita, conscribere voluerunt. Et cum esset ab illis postulatũ, vt hæ- “
resi Arianæ anathema denunciarent, non solum illud facere renuerunt, verùm etiam “
eam vehementius acriusq; propugnare studuerunt. Attamen ab episcopis, qui veri ser- “
ui Domini erant, rectam q; fidem amplexanbantur, ad ducentos ferè numero, decisum “
est, vt omnes concilio Nicæno acquiescerent: ac præter illud, amplius nihil vel quærẽ- “
dum, vel sentiendum. Quod quidem Cõstantio, qui conciliũ illud cogi mandauerat, “
etiam per literas significarunt. Verùm qui Arimini erant abdicati, rectà profecti ad Cõ “
stantium, perfecerunt, vt qui contra eos sententiam abdicationis pronunciauerant, tũ “
afficerentur contumelijs, tum minis deterrerentur, ne ad suas ipsorũ ecclesias redirẽt: “
sed hyemis asperitate in Thracia afflictarentur, quo rebus ab istis nouatis consentirẽt. “
Quòd si qui sunt, qui concilium Ariminense prædicatione efferant, primùm osten- “
dant abdicationẽ eorum, quos suprà diximus: deinde, quæ deciderunt episcopi: videli- “
cet, præter ea, quæ patres in Concilio Nicæno suis sententijs confirmauerant, nihil om- “
ninò quærendum, neque vllum aliud concilium ei anteponendũ esse. Cæterùm de his “
quidem rebus apud eos silentium est: illas autem pro se afferunt, quæ in Thracia per “
vim gesta sunt. Ex quibus perspicuè declarãt, esse rum fautores esse sectæ Arianæ, tum à “
sana sincera q; fide prorsus alienos. Quòd si quis voluerit celebre istud conciliũ episco- “
porum Nicææ coactorũ, cum istorũ concilijs accuratè comparare: vt sincerã pietatem “
illorum, ita istorum stultam temeritatem facilè animaduertet. Nã qui Niceæ in vnum “
conuenerunt, non vt abdicati, illic conuenerunt: sed vt hi, qui Filium Dei eandem ha- “
berẽ cum Patre substantiam confessi sunt. At isti semel & iterum anteà, atque in ipso “
concilio Ariminensi iam tertiò abdicati, non dubitarunt etiam scriptis statuere, ne- “
minem debere dicere Deum vel substantiam habere, vel subsistentiam. Hactenus A- B
thanasius. Eiusmodi sunt fraudes & machinæ, quas Arianismi professores in Occiden- “
te contra veritatis dogmata comparauẽre.

Nicænum concilium solum esse ratum debere.

Ariminense concilii. quatenus approbãdum.

De Leontij Antiochæni episcopi versutia, & quomodo eum liberè Flauianus & Diodorus reprehenderint. CAP. XXIIII.

Vide Nicephor. lib. 9. c. 23. 24. 26. Vide Theodorit. lib. 5. cap. 3. Socrat. lib. 6. cap. 2. Sozom. lib. 7. cap. 10.

ANtiochiæ verò post Stephanum, qui in * Placidi locum suffectus, conuenti- “
bus ecclesiasticis eiectus fuit, Leontius primatum capessit: quem dignita- “
tis gradum contra Concilij Nicæni decreta adeptus est. nam sua ipsius ma- “
nu sibi execuerat testiculos. Cuius facinoris causa etiam à B. Athanasio tra- “
dita est. Leontius, inquit, cum crimini ei daretur, quòd cum muliere ado- “
lescentula, nomine Eustolia, versabatur, prohiberetur q; illius vti cõsuetudine: sibi ob “
eam causam excidit testiculos, vti cum ea liberè versari posset. Verùm suspicionem in “
quam vocatus erat, eo pacto ab se minimè amouit. Sed hoc factum, quoniam presby- “
ter erat, grauiorem causam, cur abdicaretur, attulit. Porrò de reliqua eius vitæ institu- “
tione, ista etiam scribit. Quòd, inquit, ad improbos eius mores & astutiam attinet, bre- “
uiter quoque perstringã. Primùm, tametsi sordibus erat Arianæ blasphemiæ inquina- “
tus, tamen eas callidè admodum occultare studuit. Etenim cum clerum & laicam etiã “
multitudinẽ in duas partes diuisam cerneret: & alterã, quo laudes Filij magis celebra- “
rent, hanc coniunctionẽ (ET) adhibere: alteram autem, hanc præpositionẽ (PER) in eo- “
dem ponere: & cum ad Spiritum sanctum ventum esset, præpositionem (IN) adijcere: “
ipse totam glorificationem tacitus secum recitauit, adeò vt qui propè eum erant, solũ “
hanc particulã, IN SECVLA SECVLORVM, audirent. Quod si nõ alia eius facinora ex- “
tarent, quæ possent sceleratã animi eius nequitiam in oculis omnium collocare, nõ si- “
ne causa diceret aliquis, hæc ab eo excogitata esse, quo populi concordiæ prouideret. “
Verùm cum multa & grauia scelera contra Ecclesiæ patronos machinatus sit, & homi- “
nes impietate refertos summa cura ac studio cõplectendos cẽsuerit, apertè declarauit, “
se labẽ illam Arianã occultasse, tum quòd extimesceret multitudinem: tum quòd gra- “
ues minas Constantij, contra eos, qui audebant filiũ patri dissimilẽ dicere, iactatas for- “
midaret. Quẽ eius animũ, rerũ gestarũ euentus planè aperuerunt. Nã qui doctrinã se- “
quebãtur Apostolicã, illis iste neq; prospexit, neq; vllũ omninò honorẽ detulit ecclesia- “
sticũ. At qui insano Arij cæcati erant errore, eius opera maximam sunt authoritatẽ cõ- “
secuti,

Leontius puellæ gratia sectum castrat.

Gloria Patri & filio.

Gloria Patri per Filium, in Spiritu sancto

Leontij scelera alia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Aetius in diaconorũ numerum ascriptus.

secuti, & ad sacrosanctos Ecclesiæ ordines elati. Per idem tempus Aetius magister Eunomij, qui suis conatibus blasphemiam Arianam auxerat, in numerum diaconorum ascriptus est. Itaque Flauianus & Diodorus, qui tum seuerum viuendi genus pietatis ergò excolebant, tum apertè doctrinam propugnabant Apostolicam, insidias Leontij contra pietatem comparatas palàm coarguerunt: dixeruntq;, Aetium malis viuendi institutis educatum, qui nihil aliud moliebatur, quàm vt ex impietate viam sibi ad honorem muniret, & per Ecclesiæ perniciem diaconi nomine dignaretur. Ob quam causam minantur, se tum ecclesiæ illius communionem derelicturos: tum profecturos in occidentem, vti fraudulentos eius conatus ibi declararẽt. Quibus rebus perterritus Leontius, eo quidem ministerio abdicauit Aetium: interim tamen reuerebatur. Isti duo admirabiles viri, Flauianus & Diodorus, quanquã sacerdotij administrationẽ nondũ sunt consecuti, sed annumerati laicis, tamen noctu & interdiu ad pietatis studium oẽs sedulò excitarunt. Hi primi, psallentium choro in duas partes diuiso, hymnos Dauidicos alternis canendos tradiderunt. Quæ res primùm incepta Antiochiæ, vbiq; peruasit, & ad vltimas orbis terrę oras peruagata est. Hi etiam, rerũ diuinarum studiosis ad martyrum monimenta in vnam congregatis, totã noctem vnà cum illis Deum hymnis celebrando contriuerunt. Quas res cum videret Leontius, eos prohibere non propterea censuit tutum esse, quòd animaduertebat, multitudinem illos optimos viros summa cõplecti beneuolentia: sed oratione, lenitate quadam & blandiloquentia colorata, postulat ab illis, vt hoc ministerium in ecclesijs obire vellent. Hi igitur, licet eius nequitiam exploratè cognitam haberent, nihilominus tamen eius postulationi morẽ gerunt, & omnes consueti sui ministerij participes alacri admodum animo in ecclesias conuocant: hortãturq; vt ibi sanctissimum Dominum nostrum hymnis celebrent. Attamen Leontius haudquaquã inde adduci poterat, vt suã coerceret improbitatem: sed modestiæ susceptæ persona, detestabilia Stephani & Placiti scelera occultauit. Nam istos peruersa & pestifera doctrina infectos, licet vitã libidinosam & intemperantẽ consectarentur, in numerum tamen presbyterorum atq; diaconorum asciuit. At, qui omnibus virtutum generibus erant exornati, quiq; firmæ doctrinæ Apostolicæ adhærescebant, eos permisit honoris penitùs expertes esse. Ob quam causam clerus complures habuit hęreticis labe contaminatos, sed tamen maxima pars populi veram sanamq; doctrinã tuebatur: & propterea doctrinæ deprauatæ authores, suam blasphemiam palàm proferre non audebant. Verùm impia & conscelerata facinora à Placito & Stephano Antiochię designata, propter multitudinem separata tractatione, propter magnitudinẽ autem lugubri illa Dauidis querela egent. Etenim de his nõ inscitè dici potest, quòd: Ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput: In populum tuum malitioso animo egerunt, & consilium inierunt contra sanctos tuos: Dixerunt, venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel vltrà, Sed nos iam, quod reliquum est historiæ, scribere ipsi aggrediamur.

Aetius iterũ abdicatus.

Flauiani & Diodori studium pietatis. Psallentium chori in duas partes diuiso.

Stephanius & Placitus in presbyteros. asciti.

Stephani & Placiti facinora. Psal. 82.

De ijs quæ Eudoxius Germanicensis nouabat, & de Basilij Ancyræ episcopi, & Eustathij Sebastiæ, contra illum dimicatione.

CAPVT XXV.

Germanicia.

Eudoxius velut aper syluestris veneam Domini vastat.

Basilius Ancyræ. Eustathius Sebastiæ episcopi.

Germanicia est vrbs in loco, quo Cilicum, Syrorum & Cappadocum fines terminantur, sita: subiecta autem ditioni Euphratesiæ prouinciæ. Cuius ecclesiæ antistes Eudoxius, simul vt Leontium mortuum intellexit, contendit Antiochiam, illiusque vrbis episcopatum per ambitũ arripit, vineamq; Domini tanquam aper syluestris vastat. Nam non suam improbitatem, more Leontij, velut inuolucris obtexit: sed palàm contra doctrinam Apostolicam rabiem suam exercuit, eosq; qui ei contradicere audebant, incommodis cuiusque generis implicauit. Eodem tempore Basilius post Marcellum ecclesiæ Ancyræ, vrbis primariæ Galatiæ, suscepit gubernacula: Sebastiæ autem, primariæ vrbis Armeniæ, antistes fuit Eustathius. Isti iniquitate & rabie Eudoxij intellecta, audacia eius facinora Imperatori Constantio per literas significarunt. Id temporis Constantius, quò vulnera à tyrannis Reip. inflicta, illis iam è medio sublatis, sanaret, in Occidente commorabatur. Hi duo episcopi, magna cum Imperatore familiaritate iuncti, propter præstabilem viuendi rationem, summam apud eum authoritatem consecuti sunt.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 11. Socrat. lib. 2. cap. 32. Sozomen. lib. 4. ca. 12.

De con-

De concilio rursus Nicææ coacto. CAP. XXVI.

Vide Nicephor. lib. 9. ca. 41.

His rebus cognitis, Constantius scripsit literas ad Antiochenos, nunquam Eudoxio factam à se potestatem illius ecclesiæ episcopatũ obtinẽdi (istud enim idem ille Eudoxius prædicauerat:) & propterea mandauit, vti tum vrbe expelleretur, tum pro rebus Nicææ, vrbis Bithyniæ gestis, concilioq; illuc conuocato pœnas daret. Siquidem idem ipse Eudoxius perfecerat per illos quibus rerum in palatio administrandarum cura erat imposita, vt Nicæa concilio celebrando assignaretur. Cæterùm huius vniuersitatis moderator Deus, qui res futuras perinde atque præteritas intelligit, admirabili quodam terræmotu concilium impediuit. Nam maximam vrbis partẽ deturbauit terræmotus ille, & quàm plurimos eius habitatores è medio sustulit. Qua re intellecta, episcopi, qui ibi in vnum conuenerant, maximo timore perculsi, ad suas ecclesias reuerterunt. Quod quidem factum diuinæ planè sapientiæ adscribendum arbitror. Nam cum in illa vrbe fidei Apostolicæ doctrina à sanctis patribus descripta esset, & alij postea ibi congregati, contrariam doctrinam describere in animo haberent: Deus, qui ecclesijs prouidere non desinit, concilium illud propterea prohibuit, ne ex similitudine nominis ansam Ariani arriperẽt ad fraudem: néue concilium illud, Nicænum quoque appellando, simplicium animos circumuenirent.

Concilium rursus Nicææ institutum, diuinitus impeditur.

De concilio Seleuciæ, quæ est vrbs Thraciæ, habito: & quæ res orthodoxis episcopis Constantinopoli contigerunt. CAPVT XXVII.

Vide Socr. lib. 2. cap. 37. 38. 39. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 43. Vide Sozom. lib. 4. cap. 17. 18. 21. 22. 23. 24 25.

Aliquanto temporis spacio interiecto, Constantius ab Eudoxij accusatoribus impulsus, Seleuciæ concilium conuocari mãdat. Est quidem Seleucia, vrbs Isaurię ad mare sita, quæ inter vrbes illius gẽtis facilè primas tenet. Ad hanc vrbem episcopos Orientis, quinetiam Ponticos & Asianos frequentes accedere iubet. Per id tẽpus Acacius Cæsareæ, vrbis primariæ Palæstinæ, Eusebio mortuo, episcopatum gessit, quem quidem concilium Sardicense abdicauerat: sed ille contempta tanta episcoporum multitudine, sententiæ contra se latæ restitit. Primatum autem Hierosolymorum, post Macarium illum, cuius sæpe à me B facta est mentio, obtinuit Maximus: vir ob certamina pro pietate suscepta egregiè nobilitatus. Cuius & oculus dexter erutus fuit, & dexteri pedis flexus prorsus labefactatus. Isto ad vitam immortalem translato, Cyrillus, alacris & promptus doctrinæ Apostolicæ propugnator, in episcopatus gradu locatur. Isti duo, Cyrillum dico & Acacium, inter se de primatu digladiantes, populum suarum ecclesiarum grauissimis affecerunt incommodis. Nam Acacius leui arrepta occasione, abdicauit Cyrillum, Hierosolymisq; expulit. Cyrillus autem proficiscitur Antiochiam, quam pastore orbatam reperit. Inde Tarsum petens, cum Siluano, viro planè admirabili, & ecclesiæ illius id temporis antistite, ætatem degit. Quam rem vt accepit Acacius, literas dedit ad Siluanum, eumq; de Cyrilli abdicatione certiorem fecit. At Siluanus, quoniam & reuerebatur Cyrillum: & multitudinem, quę Cyrilli doctrinam cupidissimè amplexata est, nonnihil pertimescebat, à ministerio ecclesiastico illum minimè prohibuit. Vbi episcopi conuenerunt Seleuciam, Cyrillus cum Basilio, Eustathio, Siluano, & reliquis fit concilij particeps. Accedit etiam Acacius ad conuentum episcoporum, qui erant centum quinquaginta numero: dicitq;, se non prius cum illis de rebus in deliberationem vocatis communicaturum, quàm Cyrillus, vtpote episcopatu abdicatus, è Cõcilio excluderetur. Itaq; nonnulli pacis studiosi orant Cyrillum, vt è Concilio egrediatur: pollicenturq;, post factam de doctrina fidei dijudicationem, de eius causa disceptatum iri. Quorum consilio cum minimè obtemperaret Cyrillus, Acacius illis relictis abijt: atq; profectus ad Eudoxium, eum metu liberauit, animumq; reddidit, propterea quòd Eudoxio promisit se tum patronum causæ suæ, tum adiutorem fore. Atque cum vetuisset illum in Concilium intrare, cum eo vna petit Constantinopolim. nam Constantius ab Occidente reuersus, ibi tum commorabatur. Acacius Imperatoris animum, cum conuentum episcoporum coram Imperatore accusasset, vocasseque illum cœtum perditorum hominum, ad perniciem & exitium ecclesiarum collectum, magnopere ad iracundiam incendit: præcipuè tamen criminibus, quæ aduersus Cyrillum contexuerat, bilem ei commouit. Nam aiebat, sacram stolam ex aureis filis contextam, quam excellentissimus Imperator Constantinus ad Ecclesiam Hierosolymitanam cohonestandam Macario illius vrbis episcopo donauerat, vt ea amictus sacro sancti Baptismatis ministerium obiret, Cyrillũ vendidisse: hancq; mercatum esse quẽdam corũ, qui in pulpito scenæ cantare solent, eã induisse, inter saltandũ lapsum esse, & casu

Seleucia, ibiq; coactum concilium.

Acacius Cæsareæ episc.

Maximus Hierosol. episc. Cyrillus episc.

Syluanus episc.

Eudoxio Acacius patrocinium suum pollicetur.

Acacij apud Imp. contra Cyrillum & alios episc. calumniæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

casu obtritum interisse. hũc episcopos habentes Concilij socium, de rebus controuer-
sis iudicare, & de aliorum causis disceptare aggressos. Ista arrepta occasione, qui primas
in palatio obtinuerunt, persuadent Imperatori, vt nõ vniuersum episcoporum cœtum
(multitudinis enim consensum admodum extimescebãt) sed decem primarios solum
ad se conuocaret. atque in istorum numero fuere Eustathius Armenius, Basilius Ancy
ræ Galatiæ, Tarsi Siluanus, & Eleusius Cyzici episcopus. Hi accedentes ad Imperatorẽ
obsecrabant, vti Eudoxij blasphemia & nequitia coerceretur. At Imperator doctus ex
aduersariæ factionis sectatoribus, dicebat, de illis rebus primùm disceptandum, quæ fi-
dem attingunt: deinde eius causam accuratè cognoscendam esse. Cum autem Basilius
superiore sua consuetudine confidens, Constantium Imperatorem, vtpote doctrinæ
Apostolicæ insidias tendentem, liberè coargueret, Constantius iniquo tulit animo: &
Basilium, tanquam procellæ in ecclesijs obortæ authorem, tacere mandauit. Vbi verò
Basilius dicendi finem fecerat, Eustathius, ô Imperator, inquit, quoniam placet de re-
bus fidei disceptari, considera quæso, blasphemias ab Eudoxio in vnigenitum Dei filiũ
impudẽter iactatas. Ac statim vt ista dixerat, formulam fidei ab Eudoxio scriptam, tra
didit Imperatori: in qua, præter alia multa impia verba, hæc præterea fuere posita: Quę
dissimili ratione proferuntur, ea sunt essentia dissimilia: At vnus Deus pater, ex quo o-
mnia, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, dissimilem habent prolatio-
nem, nimirum Ex quo, & Per quem: proinde filius patri dissimilis est. Quam fidei for-
mulam cum recitari iussisset Constantius, & impietate in ea comprehensa grauiter cõ-
motus esset, percontatur ab Eudoxio, vtrum ipse illam scripsisset? Qui extemplò nega-
uit se eam scripsisse: nam Aetius, inquit, scripsit. Hic est idem ipse Aetius, quem Leon-
tius olim, veritus accusationem Flauiani & Diodori, abdicauit diaconatu: quemque
Georgius, qui Alexandrinis tendebat insidias, & socium impiè dictorum, & scelerate
factorum adiutorem habuit: qui tamen id temporis apud Eudoxium, vnà cum Euno-
mio, ætatem degit. Nam mortuo Leontio, & Eudoxio ecclesiæ Antiochenæ præsula-
tum per ambitum nacto, redijt Aetius ab Aegypto, secumq; Eunomium deduxit. Ac
cùm doctrina secum consentientem reperiret Eudoxium, & præter impietatem, Siba-
riticam etiam mollitiem ac delicias consectantem, nullum locum Antiochia sibi cõ-
modiorem ad habitandum existimauit. Itaq; simul cum Eunomio, Eudoxij toris velut
clauo affixus adhæresens, vitæ modum, qui est assentatorum proprius, studiosè exco-
lere, & modò huius, modò illius consuetudine vti, ventri deniq; & abdomini sedulò
inseruire cœpit. Tum Imperator, hac re cognita, iubet Aetium introduci. Cui ingresso,
illam fidei formulam ostendit: scisciatur, num ipse esset eiusmodi verborum parens?
Aetius, rerum quæ gerebantur prorsus insçius, & quorsum eius rogatum spectaret, ig-
narus, ratus tamen se ex confessione non parum laudis adepturum, se illorum verbo-
rum parentem esse dixit. Imperator igitur, immani eius impietate perspecta, cõfestim
mittit in exilium, & ad locum quendam Phrygiæ duci iubet. Atq; iste quidem ignomi-
niam, fructum suæ blasphemiæ accipiens, regia exturbatus est. Eustathius autem, Eudo
xium quoque eadem sentire affirmat. Nam Aetium, eiusdem cum eo & domus & mẽ-
sæ fuisse participem, & quo eius inseruiret voluntati, blasphemiæ scribendæ se socium
præbuisse: satisq; argumenti esse, cum illius formulæ perscriptæ consçium esse, quòd
Aetium dixerat eius authorem fuisse. Tum Imperaror: At in iudicando, inquit, non
est nitendum coniecturis, sed res gestæ sunt accuratè perueſtigandæ. Cui Eustathius:
Proinde, inquit, fac Eudoxius nobis omnibus persuadeat, se non opinione cum Aetio
consentire, sed formulæ ab eo scriptæ anathema indicere. Quam postulationem Impe-
rator lubens amplexatus, ita fieri mandat. At Eudoxius tergiuersari, multas etiam
quærere vias, quibus postulatum illud effugeret. Vbi verò Imperatorem illud grauiter
ferentem, & minantem se eum, vtpote impiæ opinionis cum Aetio participem, in exi-
lium itidem eiecturum videt, suam doctrinam, quam necdum id temporis, verùm et-
iam postea defendebat, omninò inficiatus est. Atqui contra vrgebat, Eustathium cum
suis debere verbo ὁμοουσίῳ, quia in Scriptura minimè extaret, anathema denunciare. Imo
verò inquit Siluanus, voces (Ex nihilo) & (Creatura) & (ἑτεροούσιον, id est, Alterius Substã-
tiæ) quæ neque in Sacris literis repertæ sunt, neque oraculis prophetarum, neq; Aposto-
lorum doctrinæ consentientes, reijciendæ sunt, & ex omnibus diuinis conuentibus ex-
cludendæ. Cui assensit Imperator: & illos his vocibus anathema indicere iussit. Illi etsi
primò contradicere instituerunt, postea tamen perspecta Imperatoris ira, eas ipsas vo-
ces quas Siluanus ipsis proposuerat, licet ægrè, penitùs eiurarunt. Ac deinceps acrius in-
stare cœperunt, vt verbum quoque ὁμοούσιον anathemate damnaretur. Cæterum Silua-
nus ratiocinatione ritè vereq; concluſa, cùm illis, tum Imperatori respondit: Si Deus
Filius

Basilij in Imperatorem libertas.

Eudoxij impium dogma.

Aetij formula fidei impia.

Aetius cũ Eunomio, Eudoxio adhærent.

Aetij exilium.

Eudoxij tergiuersatio.

Voces à Scriptura sacra alienæ reiectæ.

ὁμοουσίου defensio.

A Filius neq; ex nihilo, neq; creatura, neq; ex vlla alia essentia existat, idcirco Deo Patri
consubstantialis est, & Deus de Deo, & lumen de lumine, & eandem habet cum genito-
re naturam. At verò, quanquam ista & firma ratione, & vera concludebat: tamen ne-
mo eorum qui aderant, ei obtemperauit: imò verò factio Acaciana Eudoxianaq; cõtra
Siluanum crebros clamores tollere: Imperator etiam adeò ira exardescere cœpit, vt e-
um cum suis fautoribus in exilium pellere minaretur. Tum Eleusius & Siluanus cum
alijs nonnullis, dicunt, in eius situm potestate supplicium de ipsis sumere: sed pietatem
sectari, vel impietatem, penes se ipsos esse, & propterea nunquam patrum doctrinam
prodituros. Ibi Constantius, qui eorum sapientiam, fortitudinem, & in tuenda do-
ctrina Apostolica loquendi libertatem admirari debuerat, eos eiecit Ecclesijs, & alios
in eorum loca substitui mandauit. Eo tempore Eudoxius sedem ecclesiæ Constanti-
nopol. per tyrannidem occupauit. Eleusio etiam episcopatu Cyzici exturbato, eius lo-
cum obtinuit Eunomius. His rebus ad hunc modum gestis, Imperator per literas iu-
bet Aetium abdicari. Vnde ipsi Aetij impietatis consortes inducti, suæ ipsorum doctri-
næ sectatorem abdicarunt: scripseruntque etiam ad Georgium ecclesiæ Alexandrinæ
antistitem epistolam, qua quid Aetio factum esset, significarunt. Quam quidem epi-
stolam ideo historiæ adnectam, vt eorum improbitas (quippe & fautores suæ doctri-
næ, & eiusdem aduersarios, eodem ferè modo tractarunt) omnium oculis manifestò
subijciatur.

Eleusius et Siluanus ab imp. ecclesijs eiecti.

Eudoxius sedẽ eccles. Cõstantinopol. vi occupat.

Eunomius Eleusij successor.

Aetij abdicatio.

Epistola Synodica contra Aetium scripta. CAP. XXVIII.

Sanctum concilium Constantinopoli conuocatum, domino honoratißimo, Episcopo Alexandriæ Georgio S.

Vide Socr. lib. 2. ca. 28. Vide Nicc. lib. 3. ca. 26. Sozomen. lib. 4. cap. 22.

VOd Aetius ob nefaria sua scripta, eaq; σκανδάλων, id est offendiculis refer-
ta, à Concilio condẽnatus sit: in eo certè episcopi aliud nihil, quàm quod
canones ecclesiæ postulabant, effecerunt. Nam primùm abdicatus est di-
aconatu, deinde ecclesia exclusus: postremò hortationes adhibitę, ne quis
quam sceleratas eius legeret epistolas: sed ab omnibus propterea abijcerẽ
tur, quòd inanitatis nonnihil & damni complexæ sunt. His accedit, quòd illi, & ijs qui
» in eadem opinione ac sententia cum eo perseuerent, anathema denunciauimus. Atq;
B consentaneum sanè erat, vt omnes episcopi qui in hoc Concilio conuenerant, commu-
» ni consensu eum vt authorem offendiculorum, turbarum, schismatum, tumultuosi
» sermonis per orbem terræ grassantis, & mutuæ deniq; in ecclesijs seditionis execraren-
» tur, vnoq; ore de sententia contra eum pronunciata concordarent. Attamen contra
» vota nostra, contraq; omnem expectationem, Seras, Stephanus, Heliodorus, Theophi-
» lus, & eorum socij, neq; sunt nostris suffragati sententijs, neq; suffragijs de eo latis sub-
» scribere voluerunt: idq; cum Seras ipse aliud etiam arrogans facinus, & plenum insanię
» prædicto Aetio criminis loco obiectaret: eum nimirum temeraria audacia elatum af-
» firmasse, Deum sibi reuelasse ea, quæ vsq; ab Apostolorum temporibus hactenus occul-
» tauerat. Post quæ insana & insolentia verba, à Sera de Aetio pro testimonio citata, illi,
» quos suprà posuimus, ne precibus quidem adduci persuaderiq; poterant, vt in iudicio
» de illo ferendo nobis suffragarẽtur. Nos tamen patientibus animis eorum causa ad pro-
» lixum temporis spacium ferre sententiam distulimus, nunc indignando, nunc adhor-
» tando, increpando interdum, aliquando obnixè orando, vt nobiscum conuenirent,
» consentientemq; toti concilio sententiam pronunciarent. Itaq; expectamus diu, si for-
» tè nos audire, si intelligere, si deniq; cedere vellent. Verùm vbi longo tempore expectã-
» do, nullo modo eos ad nostris de Aetio sententijs obsequendum inducere poteramus,
» canonem Ecclesię eorum amicitię anteponendum arbitrati, eos à communione Eccle-
» się excludendos decernimus: dato illis ad sententiam mutandam, ad resipiscendum, &
» ad alacri animo cum concilio concordandum consentiendumq; sex integrorum men-
» sium spacio. Quòd si intra præstitutum diem, mutato consilio, amplecterentur cum
» fratribus concordiam, & decretis ab illis de Aetio sententijs assentirentur, tum non so-
» lum vt reciperentur in ecclesiam: verùm etiam vt suam in concilijs loquendi libertatẽ,
» & mutuam nobiscum charitatem recuperarent, statuimus. Sin autem in proposito sus-
» ceptoque consilio per hominum facilitatem pertinaciter manerent, & canones eccle-
» siasticos contemnerent, episcopatus dignitate dimouendos esse, quòd si depositionem
» expectauerint, alios in eorum loca episcopos substituendos. vti sacrosancta Ecclesia ad
» ordinem sibi conuenientem redacta, secum ipsa consentiat, vinculo charitatis ab om-
» nibus omnium gentium episcopis, eadẽ dicendo, eademq; mente & sententia in vnum
» cohæresçendo, firmè conseruato. Quare ista ad tuam reuerentiam scripsimus, vt intel-
» ligas decreta concilij: quæ te obseruantem optamus, per gratiam Christi tuas ecclesias
» tranquille legitimeque moderari.

Exemplar Epistolæ à toto Concilio ad Georgium, cõtra Aetium impium diaconũ, ob nefariam suam blasphemiam scriptæ.

Aetij cõtendentes fautores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ causa Eunomianos & Arianos diremerit. CAP. XXIX.

Eunomius episc. ordinatus, eiusq; res gestæ.

EVnomius verò, tametsi in suis libris istum Aetium extollit, hominem Dei vocat, & multis variisque laudibus exornat: tamen in eo Concilio, eorum sententijs qui eum abdicabant, assensit, & ab eisdem episcopus ordinatus est. Eudoxius autem, Acacius, & eorum socij, decretis Nicææ Thraciæ editis, quorum suprà mentionē fecimus, assensi, ecclesijs Basilij & Eleusij regendis alios delegerūt. De quibus singillatim disserere, superuacaneum arbitror. Itaq; res duntaxat ab Eunomio gestas explanabo. Vbi Eunomius, Eleusio adhuc viuēte, ecclesiæ Cyzicensis moderationem nactus est, Eudoxius, sana & syncera fide plebis perspecta, intellectoq; Imperatoris odio contra eos qui dicebant vnigenitum Dei filium conditum esse admonuit Eunomium, vt suam occultaret opinionem: eamq; minimè aperiret illis, qui causam ad eum accusandum sedulò aucupabantur. Nam tempus, inquit, opportunum nacti, prædicabimus ea quæ nunc silentio tegimus, eorumq; ignaros docebimus: & contradicentes aut oratione persuadendo, aut cogendo vi, aut supplicijs afficiendo, in nostram sententiam pertrahemus. Cui admonitioni morem gerens Eunomius, suā ex occulto promit impietatem. At verò qui Sacris literis educati institutiq; erant, cum animaduerterent latentem istorum fraudem, iniquo animo tulerunt illi quidem: sed tamen palàm illis contradicere, temeritatis potius quàm prudentiæ existimarunt. Itaq; persona hæreticę prauitatis induta, domū ad eos veniunt, orantq; vt verè suam doctrinam ipsis exponere velint, & non permittant eos varijs doctrinis huc illucq; ferri. Tum demum Eunomius fidenti animo aperuit suam, quam celauerat, opinionem. Addunt porrò illi, iniquè, imò verò impiè ab eo factū fore, si non omnes eius moderationi commissi veritatis fierent participes. Iste hisce rationibus & alijs eiusmodi adductus, in publicis ecclesiæ conuentibus deinceps suā blasphemiam patefecit. Illi igitur studio ardenti incitati, Constantinopolim properè contendunt. Ac primùm nomen Eunomij deferunt apud Eudoxium. A quo reiecti, veniunt ad Imperatorem, apud eū de pernicioſa Eunomij doctrina conquesturi: eius dicta, Arij blasphemiam impietate longè superare prædicant. Vnde Imperator ira accensus: mandatum dat Eudoxio, vt curet Eunomiū adducendum: & si criminis conuictus foret, sacerdotij dignitate priuet. At cum sæpenumero accusatores Eudoxium ad id impellerent, ipseq; tergiuersaretur: accedunt denuò ad Imperatorem, queruntur, clamāt nihil factum ab Eudoxio, quod erat imperatum: sed permissum ab eo, vt illustris ciuitas impijs Eunomij blasphemijs expolita labefactetur. Tandem Constantius minatur, se Eudoxium in exilium eiecturum, ni accersat ad se Eunomium: vt de criminibus ei intentatis conuictum, supplicio coerceret. His minis perterritus Eudoxius, significat per literas Eunomio, vt fugiat Cyzico: eiq; crimini dat, quòd suæ admonitioni & consilio non paruisset. Eunomius igitur metu perculsus, se inde subduxit ille quidem: sed hanc ignominiæ notam non tacitus ferens, proditionis accusat Eudoxium, & tum sibi tum Aetio factam ab eo iniuriam dicit. Decatero igitur conuentum separatum sibi constituit, Nam quicunq; consci erant eorum in doctrina consensionis, ab Eudoxio, vt proditionis conuicto, deficiunt: seq; coniungunt cum Eunomio, nomenq; ab eo sumptum ad hodiernum diem retinent. Inde Eunomius sectæ cuiusdam princeps factus, Arij blasphemiam accessione quadam impietatis adauxit. Quòd autem ambitioni inseruiens, separatum conuentum constituit, rerum euentus loquitur. Etenim cum Aetius abdicatus ecclesia pelleretur, non vnà cum eo abijt, licet magistrum eum & hominem Dei nuncupet: sed mansit firmè Eudoxio coniunctus. Vbi autem impietatis pœnas luisset, non concilij acquieuit sententiæ: sed iam episcopali dignitate spoliatus, episcopos & presbyteros ordinauit. Atque hęc gesta sunt Constantinopoli.

Vide Nicen. lib. 11. ca. 12. lib. 10. c. 10. Socrat. lib. 4. cap. 12.

Quā arte Eunomius deprehensus sit.

Eunomiani vnde.

De vrbi Nisibi obsidione, & Apostolica Iacobi episcopi vita. CAP. XXX.

CVm Sapores rex Persarum contra Romanos bellum gereret, Constantius, collecto exercito, venit Antiochiam. Quo quidem tempore hostes erant profligati non exercitus Romani viribus, sed virtute Dei, quem pij viri inter Romanos sanctè coluerunt. Victoriæ autem rationem ac modum hoc loco exponere decreui. Nisibis vrbs, quam nonnulli Antiochiam Migdoniæ appellant, in finibus, quibus Romanorum & Persarum terminatur imperium, posita est: cuius episcopus, moderator & dux fuit Iacobus, de quo suprà mentio facta est. In isto clari gratiæ Apostolicæ radij elucebant. Cuius mirabilia & multorum celebrata sermonibus miracula, quoniam in historia quę inscribitur Philotheus, cōplexus sum, ea rursus enumerare, vt superuacaneum, sic alienum ab instituto arbitror. Itaq; vnum dun-

Vide Nicen. lib. 2. ca. 33. Suzomen. lib. 4. cap. 25.

Nisibis, quæ et Antiochia Migdoniæ, ob sessa Iacobus Nisibis episcopus, eiusq; miracula.

Catastę Eunomij & Eudoxij.

A dūtaxat narrationis propositę causa cōmemorabo. Vrbē cui iste episcopus præfuit, Romanorum ditioni subiectam, fortè Persarum exercitus obsidebat. Quam ad septuaginta dies obsessam, tametsi multas machinas mœnibus admouebat, & ea vndiq; varijs bellicis tentabat instrumentis, atq; adeò vallo & fossa circundabat, capere tamen omnino non potuit. Postea alueo fluuij per mediam vrbem labentis, qui Mygdonius vocatur, satis longo interuallo supra vrbem obstructo & ripis ad ingentem altitudinem, vti impetum aquæ inhiberent, exaggeratis: vbi videt tātam aquæ copiam, vt decæterò aggerem inundaret, subitò eam, velut machinam, in murum præcipiti cursu ferri permittit. Cuius impetus tam vehemens fuit, vt murus eum non potuerit sustinere: sed in alterā partem inclinatus, ad terram ruerit. Eandem calamitatem altera muri pars, per quam erumpebat fluuius, etiam passa est: quandoquidem, cum aquæ violentiam non posset ferre, disturbata concidit. Quod vbi vidit Sapores, spem cōcepit animo, se nullo negocio reliquam vrbem expugnaturum. Atq; ille quidem ideo quieſcit, vt cœnosa aquæ inundatio arescęret, & flumen vado transiri posset. Postridie aūt, vbi cum omnibus copijs vrbi appropinquabat, expectabatq; per disiectas muri partes in eam ingredi, tū murum vtrinq; de integro ædificatum, tum laborem à se frustra susceptum videt. Nam diuinus ille vir Iacobus, suæ precationis virtute non solum militum, aliorumq; incolarū confirmauit animos, verum etiam murū denuò extruxit, & machinis oppositis hostes irruentes repulit. Quas res perfecit non accedendo ad mœnia, sed intus in sacro sancto templo Deum precibus enixè solicitando. Sapores aūt non modò ædificandi celeritate obstupefactus est, verumetiam visione quadam perterritus. Etenim vidit in ipso muro quendam regali planè vestitu amictum, cuius purpura & diadema mire resplendescebant. Quem Imperatorem Romanum esse suspicatus, minabatur illis mortem, qui nunciarant eum minimè adesse. Qui cum constanter affirmarent, vera esse quę dixerāt, & Constantium Imperatorem esse Antiochię: intellexit cùm visionis significationem, tum Deum pro Romanis (sic enim aiebat) bellū gerere. Itaq; miser rem indignatus, telū coniecit in aerem, nō quòd putabat Deum se posse ferire, quē sciebat corporis expertē, sed quòd impetum insaniæ suæ sustinere non potuit. Eodem tempore Ephraim, vir sanè admirabilis, & scriptor inter Syros facilè excellentissimus, orat Iacobū vt conscēdat mœnia, barbaros conspicetur, & execrationis tela in eos conijciat. Cuius postulationi obsecutus sanctus vir, in quandam turrim ascendit. Ac cum videret ingentem eorum multitudinem, non aliud est illis imprecatus, quā vt cyniphes ac culices in eos immitterentur: vti minutarum bestiolarum morsu potentiā eius, qui ipsis Romanis auxiliū tulerat, agnoscerēt. Qua re à Deo postulata, statim cyniphum & culicū examina, tanquam nubes, Persarum copijs circumfunduntur: atq; tum elephantorum proboscidas, quæ sunt instar fistolæ, tum equorum & aliorum iumentorum aures naresq; compleuerunt. Qui cū bestiolarū morsum ferre non possent, frena rumpere, sessores deijcere, & aciem disturbare cœperunt: ac tandem relicto exercitu fugiunt, quantum possunt. Itaq; miserrimus ille rex, cum ex hac leui & clementi castigatione potentiam Dei, curam piorum gerentis, perspexisset, inde domum reuertitur, ex ea obsidione non victoriam, sed ignominiam consecutus.

Murus Iacobi episcopi precibus reædificatus.

Saporis Persarum regis visio.

Ephraim Syrus.

Miraculum aliud.

De Antiocheno concilio, & quæ illic contra sanctum Meletium statuta fuerunt. CAP. XXXI.

PER idem tempus Constantius Antiochiæ commoratus, cum iam pax esset & tranquillitas reipub. allata, & bellum Persicum confectum, episcopos denuò in vnum conuocat: cogitq; eos omnes & vocem ὁμοούσιον, id est, eiusdem substantiæ, & vocē etiam ἑτεροούσιον, id est, diuersę vel alterius substantiæ, penitùs negare. Id temporis ecclesiā Antiochena propterea erat pastore destituta, quòd Eudoxius, qui post Leontium illam sedem per vim occupauerat, ex ea expulsus: & post multa concilia celebrata, Constantinopolitanam ecclesiam contra leges & æquitatem obtinuit. Quare ipsi tum in vnum coacti (siquidem permulti erant, & ab omnibus locis collecti) dixerunt, pastorem gregi assignandum: deinde, communiter cum eo de doctrina fidei veniendum in deliberationem. Illo ipso tempore Meletius, vir planè diuinus, vrbis eiusdem Armeniæ antistes, quoniam difficiles & pertinaces sui gregis mores ferre non poterat, alium ad locum se transtulit, ad vitam quietè tranquilleq; degēdam. Istum Ariani fautorē esse suæ sectæ, & doctrinæ socium suspicati, postulant à Constantio, vt ei committatur ecclesiæ Antiochenæ moderatio. Nam nullam non legem audacter & liberè perfringebant, dum suam impietatem stabilire molirentur. Atque fundamentum, quo eorum nitebatur blasphemia, erat sanctarum

Vide Soc. lib. 2. cap. 5. 7. 34. 35.

Concilium Antiochiæ coactum.

Meletius fautor Arianorum creditus.

Universidad de Deusto Biblioteca

legum violatio. Siquidem multas eiusmodi res in multis locis nouabant. Qui autem A doctrinę adhæresćebant Apostolicæ, quoniam sanam illustris illius Meletij doctrinam & præstabilem vitæ rationem, & virtutis deniq; diuitias pro certo cognoscebant, ei deligendo ipsi quoq; suffragantur: & decretum de ea re edendum, & ei ab omnibus subscribendum, studio quantum fieri potest maximo curant. Quod quidem decretum, tanquam commune quoddam pactum, Eusebio episcopo Samosateno, egregio sanè & generoso veritatis athletæ, ab vtrisq; traditur asseruandum. Vbi verò magnus ille Meletius erat ab Imperatore accersitus, ilico venit Antiochiã. Cui procedũt obuiam omnes sacerdotes, & cætera etiam ministrorum ecclesiasticorum caterua, & tota deniq; ciuiũ multitudo. Aderant etiam Iudæi & gentiles, cupiditate celebrem illum Meletium videndi inflammati. Imperator autem dat mandatum tum illi, tum cæteris, qui dicendi facultate valebant, vt hanc sententiam, Dominus condidit me initio viarum suarum ad opera sua, populo explicarent: iubetq; notarijs, qui ad celeriter scribendum erant exercitati, vt verba cuiusq; exciperent, ratus sanè eo pacto doctrinam eorum multo accuratiorem fore. Itaq; primus Georgius episcopus Laodiceę, insuaue erroris sui virus euomuit. Secundo loco Acacius episcopus Cæsareæ, doctrinam quasi mediam interiectam quippe quæ sicut ab illorum blasphemia abfuit longissimè, sic non integram & sincerã doctrinę Apostolicę formam habuit. Tertius surrexit magnus ille Meletius, qui quę sit recta verbi Dei prædicandi regula, ostendit. Nam ad veritatem, velut ad amussim omnia dirigens, nimium & parum facilè deuitauit. Quare cum ei à multitudine tribueretur permagna laus, & omnes illum orarent, vt breuem quandam & compendiariam de fide doctrinam ipsis traderet, primum tres ostendit digitos. deinde duobus compressis, & vno extenso relicto, istam insignem protulit sententiam: Tria quidem sunt, quę intelliguntur, sed tanquam de vno loquimur. Aduersus hanc doctrinam, illi quorum animos morbi Ariani contagio infecerat, cœperunt acuere linguas, calumniam contexere, dicere diuinum Meletium Sabellianum esse. Proinde suadent Constantio, qui non aliter atq; euripus facilè huc illucq; ferebatur, vt Meletium patrijs sedibus expelleret. Quod quidem perficiunt: atq; ad eius locum capessendum deligunt Euzoium, egregium doctrinę Arianę patronum. nam istum ipsum magnus ille Alexander, episcopus B Alexandriæ, vnà cum Ario diaconatu abdicauerat. Populi autem pars quæ sanam amplexabatur doctrinam, quæq; ab Ariana factione se separauerat, ad ecclesiam Apostolorum in Palæa (sic enim locus ille dicitur) sitam, frequens confluit. Nam triginta annos post insidias Eustathio, viro sanè omni genere laudis excellenti, collocatas, doctrinę Arianę impietatem pertulerant, spe temporum sustentati meliorum. Verùm vbi apud ipsos impietatem inualescere vident, & doctrinæ Apostolicæ fautores tum palàm bello oppugnatos, clàm appetitos insidijs, & diuinum Meletium patrio solo iectum, & Euzoium hæresis patronum pro eo in episcopatus gradu locatum: venit illis in mentẽ non verborum solum, quæ olim dicebantur ad Loth, nempe, Saluans salua animam tuam: sed etiam legum Euangelicarum, quæ manifestò sic præcipiunt, Si oculus tuus dexter scandalizet te, erue eum, proijce abs te. Eadem quoq; Dominus de manu & pede sanciuit, adiecitq́ue, Bonum est tibi vt pereat vnum ex membris tuis & non totum corpus tuum mittatur in gehennam. Ad hunc modum igitur constat Ecclesiam dissensione diuisam esse.

Eusebius Samosatenus, episc. *Prouerb. 8.* *Georgius Laodiceæ episc.* *Acacij doctrina.* *Meletij de Trinitate doctrina.* *Constantij inconstantia.* *Euzoius Arianus Meletij successor.* *Matth. 5.*

De Eusebio episcopo Samosatensi. CAP. XXXII.

EVsebius verò ille admirabilis, cuius suprà feci mentionem, cuiq; cõmune de Meletio decretum cõmissum fuit, cum videret pacta violata, ad vrbem sibi concreditam abijt. Ariani aũt veriti, ne decreti illius conscripti testimonio planè coarguerentur, persuadent Constantio, vt nunciũ mitteret decretum ab Eusebio petiturũ. Imperator ergo eorũ impulsu mittit nunciũ, qui equis in itinere crebrò mutatis, quàm celerrimè tũ aliquò proficisci, tũ responsa referre consueuerat. Vbi venit ad Eusebium, & mandata Imperatoris ei exponit: Eusebius, vir sanè nunquam satis laudatus, Non possum (inquit) cõmune decretum apud me deposítum reddere, nisi omnes qui meæ fidei illud commiserunt, in vnũ conueniant. Quod responsum nuncius refert ad Imperatorem. Ille ardens iracundia, nuncium mittit denuò, iubet decretum reddi: additq́; in literis, se mandasse nuncio, vt nisi redderet illud, dextram eius amputaret. cum tamen hęc ad eum perterrefaciendum solum scripsisset: siquidem vetuerat tabellarium illud facere, quod per literas Eusebio minatus fuerat. Simulatq; verò diuinus ille vir, resignatis literis, intellexit supplicium, quod Imperator ei minatus fuerat: non dextera modò, sed læuã etiã extendit, iubetq; vt ranq; abscindere. Nam

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 21. de hoc vide infra Theod. lib. 4. cap. 12.

Eusebij Samosatensis liber ad aduersus Imp. Constantium.

A Nam decretum, inquit, non reddam, quod Arianæ improbitatis tam clarum indicium dat. Itaq; Imperator, intellecta eius animi magnitudine & constantia, & tum eum plurimum admiratus est, & postea laudibus efferre non destitit. Etenim inimici, præstantes aduersariorum virtutes, magnitudine rerum gestarum ad id compulsi, etiam admirari solent. Per id temporis Constantius, cum accepisset, Iulianum, quem Cæsarem totius Europę declarauerat, res magnas per seditionem moliri, & contra eum qui illi tantum honoris detulerat, exercitum cogere: decedit de Syria, & in Cilicia supremum vitæ diem obijt. Nam quoniam paternæ pietatis hæreditatem neutiquam seruabat integram, idcirco adiutore, quem pater ei reliquerat, omnino destitutus fuit: & ob eã causam se fidem mutasse, grauiter & acerbè lamentatus est.

Iulianus à Constantio Europæ præfectus. Constantij mors & pœnitentia.

Secundi libri finis.

Iulianus Imperat. anno Chr. 364.

THEODORITI EPISCOPI CYRI ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER TERTIVS.

Hic liber tertius continet acta sub Iuliano Apostata anno vno & mensibus septem. Huc igitur referendi sunt eosdem auctores, quos adnotauimus ad 3. lib. Socratis.

De Iuliani Imperio. CAP. I.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 1. Socrat. lib. 2. cap. 37. Sozomen. lib. 5. ca. 1.

CONstantius quidem, quoniam à fide paterna deflexerat, tristicia & mœrore oppressus, abijt è vita. Iulianus autem ex Europa traijciens in Asiam, certior de morte Constantij factus est: & propterea fidenti animo, vtpote qui nullum iam haberet aduersarium, Imperium capessit.

Iulianus Imperator.

Quòd à puero in pietate educatus, postea in impietatem deuenit. CAPVT. II.

B *Vide Nicephor. lib. 10. ca. 1. Socrat. lib. 3. cap. 1. Theod. lib. 3. cap. 2. Sozo. lib. 5. cap. 2. 3.*

ISTE Iulianus, cum adhuc tenera esset ætate, nec dum ex pueris excessisset, lac suxit piæ sincereq́; doctrinæ. Quinetiam cum pubescheret, & ipsam attingeret adolescentiã, eandem doctrinam tenuit. nam veritus Constantium, qui dum extimescheret tyrannidem, cognatos è medio sustulerat, in lectorum numerũ ascriptus est, & sacros libros in Ecclesiasticis conuentibus perlegit. Sacram item ædem Martyrum construxit ille quidem: sed martyres eam non æqui boniq; consuluerunt, propterea quòd præuiderant, illum à vero Dei cultu ad impietatem deflexurum. Nam fundamentis eius, ad similitudinẽ inconstantis & leuis mentis Iuliani agitatis, ædes prius quàm consecraretur disiecta corruit. Itaq; hic primæ & secundæ ætatis Iuliani modus fuit.

Iuliani prima & secunda ætas qualis. *Iulianus Lector in ecclesia.* *Templũ à Iuliano constructum corruit.*

Quomodo primùm impietatem supprimens, eam postea patefecerit. CAPVT III.

Vide Nicephor. lib. 10. ca. 2. Socr. lib. 3. ca. 1.

POstea verò quàm Constantius venit in Occidentem, quò bellum aduersus Magnentium gerendum eum pertraxerat, & Gallum Cęsarem Orientis renunciauit, qui & vir pius fuit, & ad extremum vitæ diem pietatem excolere non destitit: Iulianus metum, qui ei perutilis & necessarius fuerat, eiecit ex animo: & iam armare se audacia, & contrà quàm debuerat, Imperij cupiditate exardescere cœpit. Proinde perlustrare Græciam, conquirere vates & ariolos, sciscitaturus ab illis, voti ne compos futurus esset? Atq; incidit fortè in hominem, qui hoc ei prædicere pollicitus sit: qui quidem deducto eo in fanum simulachrorum, & intra eius adyta collocato, fraudulentos dæmones inuocat. Quibus specie, qua solent, apparentibus, metus coegit Iulianum signo Crucis frontem suam signare. Dæmones igitur Dominici trophæi conspicati figuram, & suæ ipsorum cladis recordati, confestim euanuerunt. Tum præstigiator, causã cur fugerent intellecta, Iulianum obiurgat: qui tum timorem, in quo erat, declarauit, & se virtutem Crucis vehementer admirari dixit. nam dæmones, quoniam eius figurã ferre non poterãt, aufugisse. Cui præstigiator, Ne (inquit) amabo te, sic existimes. Siquidem non ob eam causam, quam tu affers, formidabant: sed tuum factum detestati, se ab oculis nostris remouerũt. Ita miser ab eo in fraudẽ impulsus, tum impijs initiatur mysterijs, tum pectus eius scelere completur, & infelix propter Imperij cupiditatem pietate omnino spoliatur. Attamen Imperium nactus, diu suam occultat impietatem.

Gallus Orientis Cæsar. *Iulianus euocat Vrsacem dæmonibus congressurus.* *Crucis signo dæmones fugati.* *Iulianus impijs mysterijs initiatus.*

Vide ca. 2. lib. 3. In vita Constant. de virtute S. Crucis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nam milites disciplina veræ pietatis imbutos, præter cæteros extimuit. Siquidem primùm nunquam satis laudatus ille Constantinus & eorum animos vetere liberauerat errore, & doctrina veritatis accuratè erudierat: deinde eius filij disciplinam quam pater in eorum animis inseuerat, multo magis confirmabant. Etenim tametsi Constantius quorundam suasu in fraudem inductus, verbum ὁμοούσιον, non approbauit: tamen ipsam rem, quæ verbo significabatur, sincerè & ex animo confessus est. Quippe ingenuè filium ante secula à patre genitum, Deum verbum nominauit: eosq; honore penitùs abdicauit ecclesiastico, qui auderent eum creaturam nuncupare: cultumq; simulachrorum prorsus vetuit. Aliam præterea rem ab eo gestam digna sanè prædicatione commemorabo, ex qua vna eius erga pietatem studium satis cognosci poterit. In bello namq; contra Magnētium suscepto, toto suo exercitu coacto in vnum, omnes cohortatus est, vt diuina percipiant mysteria. quippe exitum vitæ tum aliàs semper, tum in bello potissimùm incertum esse, præsertim cùm in eo infinita tela, iacula, hastę vtrinq; mittantur: quinetiam intententur gladij, sicæ, & alia instrumenta bellica, quibus violenta infertur mors. Proinde oportere singulos stolam illam preciosam induere, quæ in illa altera vita nobis omnibus cùm primis necessaria est. Quòd si quisquam eam vestem accipere recusset, eum inde iam domum abire iubet. nam se nolle cum hominibus mysterijs minimè initiatis bellum gerere.

Constantij de religione sententia.

Constantius milites ante prælium sacra synaxi munit.

De episcoporum reditu. CAP. IIII.

IVlianus autem, quoniam has pro certo cognoscebat, idcirco impietatem, quam continebat animo, neutiquam patefecit: sed quo omnium sibi conciliaret beneuolentiam, episcopos à Constantio ecclesijs eiectos, & ad vltimas orbis terrę oras relegatos, ad suas ecclesias redire iussit. Itaq; hoc edicto promulgato, Antiochiam diuinus reuertit Meletius: Athanasius, multorum sermone celebratus, Alexandriam redijt: Eusebius item & Hilarius episcopi Italię, & Lucifer Sardinię insulę pastor, qui in Thebaide Aegypto finitima (illò enim Cōstantius eos relegauerat) vitam degerāt, domum reuenêre. Isti duo, cum alijs nōnullis eiusdem doctrinæ fautorib. in vnum coacti, dixere ecclesias ad concordiam reducēdas esse. Nam constabat, non solum aduersariæ doctrinę patronos eas oppugnare, sed ipsas multa inter se dissensione distrahi. Etenim Antiochiæ, corpus ecclesiæ, quod sanam sectabatur doctrinam, in duas partes diremptū fuit: quādoquidem omnes qui propter excellentissimum virum Eustathium, ab alijs se separauerant, seorsum perpetuò conuentus agebant: qui autem stabant à Meletio illo admirabili, hi à factione Ariana segregati, in Palæa (sic enim locus dicebatur) sacrosancta mysteria celebrabant. Et tamen tum horū, tum illorum vna erat eademq; fidei confessio. Nam cœtus vterq; doctrinam fidei in concilio Nicæno editam propugnauit: solaq; contentione de alia re susceptа, & amore quo suos complectebantur antistites, dissensere. Neq; alterius mors discordiā dirimere poterat. Siquidem ante electionem Meletij mortuo iam Eustathio, cum veræ pietatis fautores post Meletij exilium, & ordinationem Euzoij, se ab impiorum communione seiunxissent, separatimq; conuentus facerēt, nullo modo induci poterant Eustathiani, vt cum illis concordia colligarentur. Attamen Eusebius & Lucifer viam sedulò perquirebant, qua eos ad concordiam adducerent. Atq; Eusebius orabat Lucifērum, vti Alexandriam peteret, vt cum magno Athanasio de hac re communicaret: pollicebaturq;, se laborem de illis reconciliandis susceptūrum.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 5. Socrat. lib. 3. cap. 5.

Episcoporum ab exilio reditus.

De Paulini ordinatione. CAP. V.

AT Lucifer non est Alexandriam profectus, sed rectà contendit Antiochiam. Ac multis verbis tū apud hos, tum apud illos de concordia habitis cū Eustathianam factionem, cuius princeps ac dux fuit Paulinus presbyter, ei rei cōtradicere animaduerteret, inconsideratè sanè Paulinū eorum creauit episcopum. Quæ res dissensionem illā multo diuturniorem reddidit. nam durauit octoginta quinq; annos, ad prælatum videlicet Alexandri, omnibus laudis insignibus meritò exornandi: qui Ecclesiæ Antiochenæ clauum obtinens, omnes indagare vias, & omne studium alacritatemq; animi conferre non destitit, quo concordiam constitueret, & membrum segregatum cum reliquo ecclesiæ corpore conglutinaret. Lucifer igitur diu Antiochiæ commoratus, discordiam adauxit. Eusebius autem aduentans Antiochiam, simul ac morbum, mala iā adhibita curatione, vix, aut ne vix quidem posse sanari intellexit, consensa naue, in Occidentem veuertitur. Lucifer quoq; redit Sardiniā: cœpitq; nouam quandam doctrinā doctrinæ ecclesiasticæ adijcere. Vnde qui eam sint amplexati, ex eius nomine nomen traxerunt,

Vide Nicephor. ca. 14. li. 10. Socrat. lib. 3. cap. 4. 5.

Paulinus Antioch. episcopus.

Lucifer discordiā ecclesiæ auget.

Ecclesiarum Antiochiæ dissensio. quæ duranis annis 83.

Palæa.

Atraxerunt, suntq; ad longinquum temporis spacium Luciferiani appellati. Verùm extincta est pòst hæc doctrina, & obliuione penitùs deleta. Ista post reditum episcoporum gesta accepimus.

Luciferiana hæresis.

Quos & quàm nefanda gentiles, impetrata ab eo potestate, in Christianos ausi fuerint. CAP. VI.

PRorsùs dum Iulianus suam obtexit impietatem, vrbes seditionibus redundare cœperunt. Nā gentiles errori colendorū simulachrorū addicti, magna cum confidentia aperire illorū fana, celebrare nefanda & obliuione conterenda mysteria, in aris ignē accendere, cōtaminare terrā victimarum cruore, aērē nidore & fumo inficere aggrediuntur: & à dæmonib. quos colebant, ad insaniā adacti, circumcursitare per plateas, scurrarū more petulanter & cōtumeliosè sanctos iniectari, nullū deniq; genus conuicij & probri prætermittere. Quare veræ pietatis professores, cùm istorum blasphemiā ferre nullo modo possent, vicissim conuicia in eos intorquere, & errorē ab illis defensum, acriter refutare. Vnde impietatis architecti iracundia exardescere, & licentiā ab Imperatore concessam, velut subsidium ad audaciā nacti, plagas illis planè insanabiles infligere. Nā Imperator sceleſtissimus, cū illius partes fuissent, paci subiectorū prouidere: ipse populum ad mutuò inter se dissidēdum odio, incitauit. Nam in audacissimorū sceleribus contra modestissimos viros editis cō- niuebat, & vrbanos militaresq; magistratus hominib. crudelissimis & maximè impijs (qui tametsi verę pietatis amatores palā hostias simulachris immolare minimè cogebant, tamē omni genere cōtumeliæ eos affecerunt) concredebat. Abstulit præterea cōgiaria, sacerdotib. à Constantino Magno donata. Quæ autē maleficia hi, qui falso simulachrorū cultu tenebantur obstricti, id temporis admiserint, quanquā permulta sunt, & opus separatum postulant: ego tamen ex multis pauca sumam mihi ad cōmemorā- dum. Ascaloni & Gazæ, quæ sunt vrbes Palæstinæ, primùm virorum sacerdotij dignitate exornatorum, & mulierum perpetuam virginitatem professarum ventres discindunt: deinde farciunt hordeo: ad extremum eos porcis deuorandos obijciunt. Sebastæ Bitē, quæ est vrbs ditioni gentis, de qua suprà dixi, subiecta, Ioannis Baptistæ tumulū aperiunt: ossa tradunt igni absumenda, & eorum cineres passim dispergunt. Scelus aūt ab illis in Phœnicia patratum, quis est quæso, qui sine lachrymis possit cōmemorare? Nā Heliopoli, quæ est vrbs Libano finitima, execrabiles isti gentiles recordati facinoris Cyrilli diaconi, qui regnante Constantino, diuino quodā zelo accensus, multa simulachra, quæ in ea vrbe colebantur, confregerat, non modò eum interfecerunt, verumetiam dissecto ventre iecur eius degustare non sunt veriti. Verùm, Deum omnia contemplantē hoc celare non poterant, sed debitas sui maleficij pœnas ei dederunt. Nam quotquot illius sceleris labe inquinati sunt, primùm amiserunt dentes, qui pariter omnes ad vnū excidebant: deinde linguas perdiderunt, quæ putredine tabefactæ, ex ore effluebant: postremò oculis orbati sunt. quorū calamitatibus verępietatis vis clarè prędicata est. Emesæ item, vrbis vicinæ, Baccho mulieroso ecclesiam à Christianis nuper ædificatam dedicauerunt: statuamq; planè ridiculam, sexum vtrunq;, virilem scilicet & muliebrem, repręsentantem, in ea collocarunt. Prætereà * Dorystoli, quæ est insignis vrbs Thraciæ, Aemilianus, inuictus Christi athleta, à Capitolino totius Thraciæ præfecto in rogum cōiectus est. Adde his facinus planè tragicum, contra Marcū episcopum Arethusæ gestū, q̄ profectò Aeschyli & Sophoclis in oratione maiestatē requirit, vti immanis illius crudelitas tragicè explicetur. Iste temporibus Constantini delubro simulachrorum diuecto, ecclesiā Christi in eius loco extruxit. Arethusij igitur intellecto Iuliani proposito, odium quod aduersus eum cōceperant, expromunt. Qua re cognita, Marcus primùm legi Euāgelicæ obsecutus, fuga salutem petere conatur. Verùm vbi certior factus est, quosdam ex suis pro se comprehensos, redit domum, & se genti crudeli tradit. Itaq; Arethusij cum eum cepissent, non miserati vt senē, non vt virtutis cultorem reueriti sunt: sed virum eximiæ vitæ & singularis doctrinæ ornamentis decoratum, torquere aggrediuntur. Ac primum corpus exutum vestibus, verberibus cædere, & membris omnibus infligere plagas: tum in fœtidas cloacas cōijcere: inde rursus eductum, gregi adolescentulorum tradere, quibus dant mandatum, vt eum stylis confodiant. Deinceps inuoluere reti, & oleo piscium & melle vngentes, sublimem in æstu ardentissimo sub dio suspendere, quo vespas & apes ad epulandum inuitarent. Quibus rebus confectis, ad alterum è duobus faciēdum cōpellere: vel vt delubrū, quod diruerat, denuò extruat: vel vt sumptū ad ille extruendū suppediter. At ille cruciatus illos

Vide Nicephor. lib. 10. c. 4.

Religionis sub Iuliano rursū mutatio.

Iuliani in orthodoxos rabies.

Gentilium in christianos crudelitas.

Cyrilli diaconi martyrij.

Cyrillo interfecto iecur eius dentibus appetunt Gentiles.

Ecclesia Christianorū Bacchо dedicata.

Aemiliani martyrium.

** Doroſtol. lègit Cam. & Epiph.*

Marci Arethusij epiſc. certamen mirabile, & insignis cōstantia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

toleranter ac placidè perpessus, negat se quicquam eorum, quæ proposuerant, facturũ. Isti verò, quoniam arbitrabantur eum præinopia tantam pecuniæ vim non posse numerare, dimidiam summam ei condonare, iubereque reliquam dissoluere. Ille suspensus in sublimi, & stylis confossus, à vespis & apibus ambesus, non modò nullam dedit doloris significationem: verùm etiam impios lepidè irrisit, dixitque Eos, abiectos esse, & humi repere, se autem erectum & in sublimi positum. Ad extremùm, *Nemo adeo ferus est, vt non misereri possit, si modo cultura patientiæ accommodet aurem.* isti exiguã pecuniæ portionem petere. Quibus ille, Perinde impium esse obolum in impium opus impendere, atque summam pecuniæ vniuersam. Proinde sic tandem eiecti, eum dimittunt, cùm eius admirati fortitudinem & constantiam: tum mutata sententia, ad rationem vitæ penitùs contrariam traducti. siquidem ex eius ore veram pietatem posteà didicerunt.

Quas aduersus Christianos leges tulerit.
CAP. VII.

ALia prætereà infinita maleficia, illo tempore, terra mariq; ab impijs contra pios fuêre commissa. Etenim Deo infestus tyrannus Iulianus, de reliquo leges aduersus verum Dei cultum apertè promulgare cœpit. Ac primùm vetuit, ne Galilæi. *Iuliani cõtra Christianos leges.* Galilææ (sic enim fidei Seruatoris nostri consecratos nuncupabat) poëticam, rhetoricã, aut philosophiam discerent. Nam nostris ipsorum, inquit, pennis (vt est in prouerbio) percellimur: siquidem nostrorum scriptorum præsidijs muniti, contra nos bellum suscipiunt. Posteà etiam aliam tulit legem, qua mandauit: vt omnes Galilæi, id est, Christiani, è militia pellerentur.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 4. 23. 24. 25. Socrat. lib. 3. cap. 11. 14.

De sancti Athanasij relegatione & fuga.
CAP. VIII.

PEr idem tempus Athanasius, athleta veritatis in omni certaminum genere exercitatus, in aliud rursus discrimen adducitur. Nam dæmones, eius tum in concionando, tum in precando vim non ferentes, suos ministros ad eum conuicijs lacerandum armant. Qui vt alias multas voces, dũ ab impietatis patrono contendebant, vt Athanasium in exilium eijcerẽt, B sic hanc apposuerunt: Si Athanasius Alexandriæ maneat, neminem gentilem mansurum. eum enim omnes ad suum cœtum suasu adducturum. Cui postulationi assensus Iulianus, dedit mandatum, vt Athanasius non patria solum, verùm etiam vita spoliaretur. Cum autem discipuli eius ei metuerent, eum prædixisse fertur, Tumultum eum breui compressum fore. nam nubem appellauit, quæ celerrimè dissiparetur. Veruntamen vbi intellexit quosdam ad se conquirendum missos, se clàm inde subduxit: & reperto ad ripam fluminis nauigio, rectà in Thebaidem traiecit. Qui autem iussus erat vt eum occideret, factus de eius fuga certior, quantum potest, persequitur. Ac cum quidã, ex familiaribus Athanasij anteuertisset, diceretque, hominem eum properè persequi, nonnulli qui comitabantur Athanasium, orabant, vt de via in solitudinem deflecteret. At ipse dat mandatum gubernatori, vt nauigium versus Alexandriam dirigat. Sic igitur illis, ei, qui persequebatur, obuiam factis, venit homo ille, qui mandatum de Athanasio interficiendo acceperat: sciscitaturq;, quantum inde abesset Athanasius: cui Athanasius respondet, Eum non longè abesse, sicq; dimittit: ipse autem redit Alexandriam, atq; reliquo tempore, quo vixit Iulianus, ibi delituit.

Iuliani contra Athanasium decretum.

Athanasius miro astu insidijs elapsus.

De Apolline Daphnæo, & sancto Babyla.
CAPVT IX.

IVlianus, cum in animo haberet bellum contra Persas gerere, ad omnia oracula, quæ erant intra fines Imperij Romani, consulenda, homines è suis summa beneuolentia sibi coniunctos misit. Ille ipse verò supplex orat Apollinem Daphnæum, vti quæ sibi essent euentura, ostenderet. Respondet Apollo, mortuos quosdam in proximo humatos impedimento esse: deinde, quo minus daret vaticinia. Eos igitur primùm inde transferendos esse: deinde, quid futurum sit, se prædicturum pollicetur. nam se, nisi purgato luco, nihil posse dicere. Eodem tempore in eo loco reliquiæ inuicti martyris Babylæ, & adolescentum, qui vnà cum eo pro fide decertarant, repositæ iacuerunt. Atque falsus vates apertè monstrauit, se gratia illius martyris à consuetis & commenticijs oraculis edendis prohibitum. Quod vbi intellexit Iulianus (non enim ignarus fuit virtutis, quæ in vertere pietate martyrum residebat) nullum quidem corpus mortuum inde deportandum curauit:

Vide Nicephor. lib. 10. c. 28. Socrat. lib. 3. cap. 16. Vide Nicephor. lib. 10. c. 28. Sozomen. lib. 5 ca. 19.

Apollinis Daphnæi oraculi Iuliano editum.

Ammianus Marcellinus lib 22. tradit Antiochũ Epiphanem Apollinis Daphnæi templum hoc loco struxisse.

A curauit: sed imperauit Christianis, vt reliquias duntaxat inuictorum martyrum ex eo loco transferrent. Qui ad lucum lubentibus animis profecti, loculum in bigis collocant, omnesque ad vnum antecedentes saltare, psalmosq; Dauidicos canere cœperunt: & inter singula versuum membra hæc verba interponere: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. Nam martyris translatione dæmonem euictum existimarunt. *Martyrũ etiã defunctorum virtus. Babylæ, & aliorum martyrum reliquiæ translatæ.*

De Theodoro Confessore.
CAP. X.

IVlianus autem dedecoris notam ex ea re sibi inustam non ferens, postridie eius diei principes illius solennis pompæ comprehendi iubet. Salustius, qui tum præfectus erat, impietati deditus, tametsi tyranno persuadere conatur, ne Christianis gloriæ appetentibus illud præstet, quod ipsis in optatis sit: tamen cum videret eũ minimè posse suam iram cohibere, primùm adolescentem quendam diuino amore inflammatum, qui in foro fortè ambulabat, arripi: deinde in patibulo palàm suspendi: tum lo ris eius tergum lacerari, lateraque testis acutis perfodi iubet. Quo cruciatus genere eum à primo diluculo ad vesperum vsq; torquere non destitit: posteà catenis ferreis vinctum in custodia asseruari imperat. Postridie manè de his rebus certiorem facit Iulianum, adolescentis fortitudinem exponit: ac talibus factis & se profligatos fore, & Christianorum gloriam multò fieri illustriorẽ, ait. Qua ratione adductus Deo odiosus tyrannus, alios deinceps tormentis affligi non permisit: imò verò etiam Theodorum (hoc enim adolescenti illi, & generoso veritatis athletæ nomen fuit) carcere liberari iubet. Qui rogatus à quibusdam, Ecquid doloris, acerba illa & crudelia tormenta passus, sensisset? respondet: se initio aliquantum doloris sensisse: at posteà ei apparuisse quendam, qui linteo molli & frigido faciem sudore manantem continenter tergebat, iubebatq; bono animo esse. Et propterea, cum carnifices ab eo cruciando cessarent, se non voluptatem, sed afflictionem ideò sensisse, quòd is, qui eius leuasset cruciatum, vnà discesserat. Itaq; dæmon ille falsus vates, tum martyris auxit gloriam, tum sua mendacia patefecit. Nam fulmen de cælo delapsum, vniuersum incendit delubrũ, & ipsam Apollinis statuam in cineres redegit: † quę intus lignea quidem erat, sed extra auro obducta. Qua re cognita, Iulianus, auunculus Iuliani, Orientis præfectus, properè Daphnen contendit, quò Deo, quem colebat, maturè subsidio veniret. Sed vbi vidit, eum qui nomine duntaxat Deus erat, in cineres redactum, verberibus cædit ædituos: suspicatur tamen delubrum ab aliquo Christiano incensum fuisse. Aeditui etiam dum vapulabant, nihil falsi dicere voluerunt: sed incendium dixerunt non humi habuisse initiũ, sed cælitùs demissum esse. Et rustici quidam, qui in proximo habitabant, eò aduentantes, fulmen se vidisse è cœlo delatum affirmarunt.

Vide Ruffinum lib. 2. cap. 36. Socrat. lib. 3. cap. 16. Vide Nicephor. lib. 10. c. 28. Sozomen. lib. 5 ca. 19.

Salustij præfecti in Theodorum adolescẽtem rabies.

Theodorus adolescens mirabiliter in tormentis cõfirmatus.

† Vide annot. pag. 346. lat. 2. lin. 26.

Apollinis oraculum fulmine sublatum.

Quomodo vasa sacra confiscauerit.
CAP. XI.

VErùm impij Gentiles, quanquam hæc ita accidisse pro certo cognoscebant, tamen contra Deum vniuersarum rerum moderatorem se armare cœperunt. Tyrannus item sacra vasa in ærarium regium inferri: & portas ecclesiæ, quam Constantinus ædificarat, obserari mandat, quo nullus aditus illis, qui in eo conuentus agere solerent, omninò patêret. Hanc ecclesiam id temporis occupabant Ariani. In sacrosanctum autẽ templum ad vasa sacra auferenda simul ingrediuntur, Iulianus præfectus Orientis, Felix regij Thesauri quæstor, & Elpidius priuatæ pecuniæ & facultatum Imperatoris procurator, quem Romani Comitem priuatum appellare consueuerunt. Felicem verò & Elpidium, cum essent Christiani, quo impio Imperatori gratificarentur, à vera religione ac pietate desciuisse ferunt. Iulianus autem, cum esset in templo, aduersus sacram mensam minxisse dicitur: atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum infregisse, dixissęque, Res Christianorum diuina cura ac prouidentia prorsus destitutas esse. Felix sacrorum vasorum magnificentiam conspicatus (Constantinus enim & Constantius splendidè & amplè ea conficienda curauerant) Ecce, inquit, quàm sumptuosis vasis filio Mariæ ministretur.

Vide Nicephor. lib. 10. c. 29.

Vasorum sacrorum direptio.

Comes priuatus.

Felix & Elpidius à pietate deficiunt.

Felicis calumnia.

Quas impietatis suæ pœnas dederit, tum Iulianus Imperator, auunculus, tum impij item alij. CAP. XII.

SEd isti tyranni pro his impijs & insanis facinoribus non diu post pœnas persoluerunt. Nam Iulianus confestim in grauem morbum delapsus, visceribus putredine exesis,

Iuliani auunculi pœna.

exesis, interijt. atque stercus non amplius per partes illas corporis, per quas naturaliter A egeri solet, emisit: sed sceleratum eius os, instrumentum blasphemiæ, partis illius ad stercus eijciendum natæ locum obtinuit. Ferunt eius vxorem, mulierem ob fidei præstantiam egregiè nobilitatam, hęc ad maritum dixisse: Debes meritò, mi vir, Christum seruatorem laude prædicare, quòd tibi hac castigatione suam potentiam ostenderit. Nam quem oppugnasses, planè te præterijsset, nisi consueta sua lenitate vsus, has plagas diuinitùs tibi inflixisset. Miser igitur partim coniugis oratione, partim cruciatu sibi imposito morbi causam perspiciens, orat Imperatorem, vt ecclesiam his quibus erat abla ta, redderet. Sed neque ei hoc persuasit: & ipse extemplò migrauit è vita. Felix autem derepentè flagello etiam cœlitùs impacto oppressus, sanguinem dies noctesq; ex ore fudit: quippe sanguis ex omnibus vndiq; corporis (vt ita dicam) vasis, quibus continebatur, ad eam partem confluxit. Itaq; vniuerso eius sanguine ad hunc modum exhausto, statim extinctus est, & æternæ morti traditus. Has quidem pœnas isti pro sua impietate dederunt.

Vxor ad Iulianum.

Iuliani pœnitentia.

Felicis interitus.

De filio sacerdotis. CAP. XIII.

PER id temporis adolescens quidam, filius sacerdotis, in impia educatus religione, se in numerum piorum aggregauit. Nam mulier quædam illustris ob pietatem, & diaconatus munere dignata, matri huius adolescentis perfamiliaris, eum cum matre aduentantem (adhuc quidem valde adolescens erat) fortè salutans, magnopere est ad veram pietatem cohortata. Mortua verò matre, venit ad eam adolescens, & consuetam ab ea disciplinam perdiscit: atque firmè in animo defigens eius consilia, percontatur magistram, qua via possit superstitionem patris deuitare, & veritatis, quam illa prædicabat, compotem fieri? Cui illa: Oportet, inquit, patrem deserere, & illi tuum & illius fabricatorem præponere: & alteram petere ciuitatem, in qua potes latitare, & impij tyranni manus effugere, pollicebaturque se ei rei prospecturam. Tum adolescens. At, inquit, deinceps veniam ad te, & tibi meam animam committam. Paucis interpositis diebus, Iulianus Daphnen contendit, publicum epulum celebraturus, cumque eo vnà proficiscitur sacerdos, adolescentis pater, qui Imperatorem comitari consueuerat. Adolescens erat cum patre, & frater vnà. isti namq; in cibo Imperatoris aqua lustrali expiando, ædituorum munere fungebantur. Septem dies festum Daphne agi solet. Primo die adolescens, vbi toro astans Imperatoris, obsonia aqua lustrali expiauerat, consuetoq; scelere polluerat, curriculo currit Antiochiã: & ad eximiam illam mulierem rectà profectus, Ego, inquit, venio ad te, vti à me promissum est. tu ergo saluti tam corporis quam animæ consulito, promissumque præsto. Quamobrem illa surgens extemplò, adolescentem deducit ad Meletium: qui eum in superiore parte ædium, in quibus habitabat, commorari iussit. Pater autem quærere adolescentem, perlustrare vndique Daphnen: atque ad vrbem contendens, circuire plateas & angiportus, circumferre in omnes partes oculos non cessat. Quod quidem fecit, magno illius inueniendi desiderio incensus. Vbi ventum est ad eum locum in quo erant ædes Meletij, oculis sublatis, videt eum ex tabulato despicientem: ad quem accurrens, inde abstraxit, abduxitque. Atque ei domum reducto, primum permulta mò conclusit in cubiculo, ostio foris obserato, ipseque Daphnen reuertit. Ista ille ipse, cum ætate iam admodum exacta erat, mihi narrauit: addiditque etiam se numine afflatum, & diuina repletum gratia, omnia patris simulachra confregisse, eorumq; irrisisse imbecillitatem.

Sacerdotis gẽtilis filius ad religionẽ conuersus.

Daphnæ festũ septem dierũ celebrari soliti.

Crudelitas patris Gentilis in Filium Christianum.

Puer diuinitus custodia liberatur.

Posteà verò complexum animo facinus, quod conscierat, cœpit patris aduentum pertimescere: orasseque Christum Dominum, vt ipsi ferret auxilium, seras perrumperet, & ostia patefaceret. Nam tua causa, inquit, hæc & perpessus sum, & admisi. Quæ cũ dixisset, excidisse seras, & ostia aperta esse. Inde igitur recurrisse ad magistram: quæ cũ veste induit muliebri: & postquam in camera collocasset, iterum ad Meletium deduxit. Meletium verò Cyrillo, qui tum Hierosolymorum fuit episcopus, ipsum commisisse, & ita noctu iuisse in Palæstinam. Post mortem autem Iuliani, iste adolescens patrem ad veram traduxit religionem. Etenim cum istud, tum alia nonnulla nobis ipse narrauit. Quare isti hoc modo ad Dei cognitionem adducti, veram salutem consecuti sunt.

Filius pius, patrem etiã impium conuertit.

De

De Iuuentino & Maximiano Romanis

CAP. XIIII.

Vide Nicet. lib. 10. c. 12.

IVlianus verò liberius, imò verò impudentius aduersus verum Dei cultũ arma ferre: & quanquam personam induebat modestiæ, tamen retia parare atque tendere plagas cœpit, quæ homines errore deceptos in impietatis perniciem inducerent. Nam primùm fontes tum qui in vrbe erant, tũ qui Daphnæ, sceleratis victimis contaminare, quò singuli, qui aquam gustarent, tetra nequitię labe inficerentur. Deinde quæ in foro exponebantur, eadem sceleris macula inquinare. nam panes, carnes, fructus, olera, & alia omnia esculenta, aqua lustrali aspergebantur. Quæ cum viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, lamentari, & scelera illa impensè detestari: tamen eisdem vescuntur, legi Apostoli obsecuti, ita iubenti: Quicquid in macello venditur, comedite, nihil dijudicãtes propter conscientiã. At duo tamẽ viri re militari præstantes (erant nanq; scutati milites, & satellites Imperatoris) in quodam conuiuio acerbius & maiore cum animorũ ardore horrenda illa scelera deplorant: verbisque trium puerorum planè admirabilium, qui Babyloni olim se tam præclarè gesserant, vtuntur. nam inquiunt: Tradidisti nos regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ. Quæ verba vnus ex conuiuarum numero indicauit Imperatori. Ille confestim optimos illos viros ad se adduci iubet: percunctatur, quid dixerint? Illi tum occasionem ex Imperatoris rogatu sibi oblatam arbitrati, liberè quid sentirent eloquendi, insigni quodam zelo incitati, dixerunt ista: Nos in vera educati religione, ô Imperator, & legibus in primis præclaris, quas Constantinus & eius filij tulerunt, obsecuti, non possumus non grauiter & acerbè iam lamentari, cũ videamus omnia impio scelere referta, & tum esculenta tum poculenta nefandis & execrabilibus victimis contaminata. Ista nos & domi ingentem vim lachrymarum profundere, & coram te iam flebiliter conqueri coegerunt. Ista solum in tuo imperio nos malè habent. Quæ cum audiuisset mansuetissimus ille scilicet, & sapientiæ studio delitissimus (ita enim à sui similibus appellabatur) exuit personam modestiæ, & se impium atque sceleſtum prodidit, iussitque graues & acerbas plagas illis imponi, atque sic B hac vita priuauit: imò verò iniquo illo & calamitoso tempore eripuit, & coronas victoriæ eis conciliauit. Causam autem cur eos supplicio affecisset, non inveram pietatẽ, pro qua erant è medio sublati: sed in petulantiam, transtulit. Siquidem eos propterea multatos dixit, quòd ipsum contumelijs vexarant. Atque ista idcirco diuulgari mandauit, quòd veritatis athletis & nomen martyrum, & honorem inuideret. Istorum alter Iuuentinus, Maximianus alter appellatus est. Istos Antiochia velut strenuos pietatis athletas venerata, magnifico tumulo mandauit, & ad hodiernum vsq; diem quotannis festo publico eos honorificè celebrat.

Iulianus omnia ad vitam necessaria aqua lustrali gentilitũ inficit vt Christianos in communionem scelerum suorum pertraheret.

1. Cor. 10.

Daniel. 3.

Militẽ Romanorum in Iuliani scelera libertas.

Iulianus dissimulatam diu impietatem prodit.

Iuuentij & Maximiani martyrium. Vide homil. Chrysost. de his martyrib.

De Valentiniano, qui postea Imperio potitus est.

CAP. XV.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 1.

ALij prætereà, qui in altis honoris gradibus collocati erant, simili in Iulianum loquendi libertate vsi, similes quoque victoriæ coronas consecuti sunt. Etenim Valentinianus, qui pòst obtinebat imperium, id temporis militum hastatorum in palatio merentium tribunus, singulare studium, quo erga pietatis defensionẽ flagrabat, manifesto declarauit. Nam cum amens ille ac stupidus tyrannus Iulianus in fanum Fortunæ choreas ducens ingrederetur, & ædituj vtrinque ad ianuas consisterent, vti introeuntes aqua lustrali, vt ipsi opinabantur, expiarent: tribunus Valentinianus Imperatorem præcedens, qui huius rei gratia vtrunque Imperium consecutus est, vbi videt guttam aquæ suæ læuæ aspersam, pugnis cædit ædituum: seque inde non expiatum, sed turpi labe pollutum ait. Quod factum execrabilis tyrannus conspicatus, eum ad castellum in solitudine situm relegauit, ibique vitam degere iussit. At Valentinianus anno & paucis mensibus interiectis, imperium tanquam mercedem suæ confessionis obtinet. Nam Deus, iustus iudex, pietatis studiosos non in illa vita beata solum honore & gloria afficit: verùm etiam spem de præclaris illis præclarorum laborum remuneratiõnibus, quæ in cælo expectantur, conceptam, etiam donis in hac vita suppeditatis planè confirmat. Erat porrò alia machina ad pietatem oppugnandam à tyranno excogitata. Nam cum aurum, vt vetus mos ferebat, militum ordinibus distribueret, primùm ipse solio regali consedit: propeque locari iussit aram plenam

Valentinianus militum tribunus, pòst Imperator.

Valentiniani relegatio.

Iuliani peruicacia pecunia inter milites distributa.

car-

Universidad de Deusto
Biblioteca

carbonum,& thus in quadam mensa poni. Deinde mandatum dedit,vt singuli,qui aurum essent accepturi,primùm thus inijcerent aræ,tum ab ipsius dextera aurum sumerent. Istum erroris laqueum plurimi ignorabant penitùs: at qui antè,quis nam esset,dicissent,morbo simulato,ne illò irretirentur, effugiebāt. Nonnulli pecuniæ inducti cupiditate,suam neglexerunt salutem: alij metu fracti,veram pietatem prodiderunt. A Stratagema ad incrudelitatem militibus idololatriam.

De Confessoribus alijs. CAP. XVI.

POST istam pernicioſam pecuniæ diſtributionem, nõnulli qui aurum acceperant,in conuiuio quodam fortè vna epulantur. Quorũ vnus,ſumpto in manũ poculo,nõ antè bibebat,quàm ſalutare Crucis ſignum adhibuiſſet. Atque cum quidam è conuiuijs eum increparet,diceretque,illud rei paulò antè ab eo geſtæ prorſus repugnare: ſciſcitatur,quid ſit,quod in factis ſuis repugnantiam habere aſſerat? Ille tum aræ,thuris,& negatæ fidei eum in memoriam redigit: aitq; iſta cõiectioni Chriſtianæ prorſus aduerſari. Quibus auditis, complures ex conuiuijs flebiliter eiulare,lamentis ſe dedere,& capillum lacerare cœperunt: ſurgentesque de conuiuio,per forum curſitare,ſe Chriſtianos eſſe clara voce profiteri,imperatoris artibus impulſos eſſe in fraudem,palinodiam canere: & cladem inſcitia fortè acceptam,pugna renouata ſarcire velle. Cum eiuſmodi querela & clamore contendunt ad regiam: contra tyranni fallacias vociferantur: poſtulant in ignem conijci: vti igne inquinati,igne denuò expientur. Hæc & alia his ſimilia locuti,ſcelerati tyranni animum ad inſaniam adegerunt. Itaque primum capita ceruicibus abſcindi iubet. Quos ad ſuppliciũ extra vrbem ſubeundum abductos,permagna populi multitudo ſecuta eſt: quæ quidẽ & magnitudinem animorum,& loquendi in pietate tuenda libertatem, quæ in illis elucebat,ſuſpexit atque admirata eſt. Vbi autem ventum eſt ad locum, in quo malefici puniri ſolent: qui erat inter eos natu maximus,orat carnificem, vt primùm minimum natu ſecuri percutiat,ne ille aliorum cædem intuens,præ timiditate ſuccumbat. At ſimul vt iſte humi poſuerat genua,& carnifex enſem vagina eduxerat,nuncius quidam accurrit,illis veniam indicaturus: qui cum longo interuallo à loco abeſſet, clamore vetuit cædem fieri. Tum ille natu minimus moleſtè ferens,ſe à cæde liberatum: Romanus inquit(ſic enim vocabatur)nequaquam dignus erat,qui martyr Chriſti appellaretur. Atqui malitioſus ille tyrannus tametſi cædem athletis illis inferri idcirco prohibuit,quòd inuidia inflammatus,illos voluit martyrij gloria priuare: tamen non ſiuit eos ſuas ipſorum incolere ciuitates,ſed ad extremas imperij Romani oras relegauit.

Vide Nicep. lib.10. c.23.

Crucis ſigno ſe muniunt Chriſtiani bibituri.

Lamentatio militum per Iulianũ fraudulenter idololatria inquinatorum.

Chriſtiani vltrò ſe martyrio offerunt.

Romani iuuenis ad martyrium iubenduꝫ alacritas.

Iulianus martyribus coronæ gloriam inuidet.

Vide ca. 2. lib. 3 in vita Conſtãtini de virtute S. Crucis.

De Artemio duce,& Publia diaconiſſa,& diuina eius in loquendo libertate: & Iudæis templum ædificare conantibus, & inflictis illis diuinitùs plagis. CAP. XVII.

IDem porrò tyrannus Artemium,militum in Aegypto merentium ducem,propterea quòd,cum illum magiſtratum Conſtantij tempore nactus,plurima ſimulachra confregerat,non ſolum exuit bonis,verùm etiam obtruncauit. Hæc ſunt manſuetiſſimi illius & iræ temperãtiſſimi (ab impijs enim his nominibus appellatur) egregia facinora. Hoc loco prætereà hiſtoriam de fœmina quadam præſtantiſſima,planè memorabilem narrabo. Nam fœminæ etiam diuino pietatis amore ac ſtudio armatę,huius tyranni rabiem prorſus contempſerunt. Publia fœmina illis temporibus nobiliſſima,& propter virtutis ſuæ præſtantiam plurimorũ celebrata ſermonibus,matrimonij iugo aliquandiu copulata, fructum Deo,dignum ſanè admiratione obtulit. Nam Ioannes, qui longo tempore preſbyteris Antiochiæ præfuit,& ſæpè ad primatum Apoſtolicum ſuffragijs delectus, ſemper illum honoris gradum recuſauit,ex eius ventre,tanquam ex admirabili ſolo editus eſt. Hæc mulier chorum virginum perpetuam caſtimoniam profeſſarum ſecum habens, Deum omnium opificem ac ſeruatorem hymnis aſſiduè celebrare ſolebat. Ac cum Imperator illac prætergrederetur, virgines inter ſe multò clariore voce canunt: ratæ illum conſceleratum tyrannum contemnendum eſſe,& omnium irriſione ludendum. Canebant autem illos potiſſimum Pſalmos,quibus debilitas ſimulachrorum ſcitè deridetur, & cum Dauide dicebant: Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.

Vide Nicephor. lib.10. cap. 11.

Artemij martyrium.

Publiæ, nobilis matronæ, Ioannis Antiocheni matris, in profitenda fide conſtantia.

Publia præſes ſacrarum virginum.

Virginum cãtu exacerbatur Iulianus in Publiam.

A minum. Ac poſtquã verſus,qui illa ſenſus omnis expertia eſſe pronunciant, recitauerant,iſtum adiungebant: Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. His Iulianus cum maxima animi ægritudine auditis,iuſſit vt eo prætergrediẽte cõticeſcerent. At Publia eius leges paruo æſtimans, maiore cum alacritate chorum virginum in vnum coegit: & illo prætereunte,denuò cantare mandauit: Exurgat Deus,& diſſipentur inimici eius. Itaque tyrannus grauiter cõmotus,iubet magiſtram chori ad ſe adduci. Quam cũ anum,propter ætatem ingraueſcentem cũ primis venerandã cerneret: tamen neque canicie corporis ad miſericordiam illius capiendam, neque animi virtute ad honorem ei tribuendum inducitur: ſed ſatelliti cuidam dat mandatum,vt vtramque malam verberet, & genas cruentet manibus. Illa hanc contumeliam pro ſummo honore ducens,domum reuertitur,& tyrannum(vt ſolebat)ſpiritualibus cantilenis perſtringit: non aliter quàm ipſe cantilenarum ſcriptor, & magiſter Dauid,qui malignum ſpiritum quo Saul agitabatur,compreſſit. Etenim iſte tyrannus, vbi ſceleratos dæmones ſibi familiares reddiderat, Corybantum more furere, & contra verũ Dei cultum rabiem exercere non deſtitit. Nam ea ratione adductus, Iudæos contra verè Chriſtianos armauit. Ac primum eos in vnum coactos interrogat, Quid ſit cauſæ,cur, cùm lex hoſtias immolare præcipiat,illi non immolent? Atque vt primùm reſponderunt,vnum locum ad cultum præſcriptum eſſe: illicò ipſe Dei hoſtis Iulianus, iubet templum dirutum deintegrò extrui: qui dum exiſtimabat(quæ eius fuit inſcitia)prædictionem Domini ſe poſſe eludere,eius veritatem magis confirmauit. Quæ verba cũ Iudæi cupidè audiuiſſent, omnibus ſuis tribulibus per totum orbem terrarum diſperſis mandata eius ſignificarunt. Qui cò vndique confluentes,tum pecuniam,tum propensum ſtudium ad templi ædificationem conferunt. Ad quod quidem opus tyrannus ipſe,qui mandatum dederat, quàm plurima ſuppeditat, non magnificentiæ ſuæ declarandæ, ſed oppugnandæ veritatis cupiditate inflammatus. Mittit etiam vnà cum illis præfectum operis,idoneum ſanè impiorum mandatorum adminiſtrum. Ferunt autẽ Iudæos,ligones ex materia argentea,palas etiam & ſportas confeciſſe. Ac cùm fodere inciperent,& aggerem exportare,tametſi multa milia hominum in hoc opere facien. do interdiu laborem ſuum collocabant, tamen noctu aggerem ſua ſponte in foſſam denuò translatum fuiſſe. Diruiſſe præterea veteris ædificij reliquias, dum in ſpem ve-
B niunt omnia de integro cõſtruendi. Verùm poſtquam infinitos gypſi & calcis modios in vnum cõgeſſerant,ex improuiſo vẽtos vehemẽtes cœpiſſe ſpirare,turbines ingruere, tempeſtates ac procellæ oriri,qui totam illam materiam penitùs diſſipauerunt. Ac cũ pergerent porrò inſanire, nec diuinæ benignitatis indulgentia ſapere vellent, primùm terræ motum maximum factum eſſe: & eos qui diuinis Chriſti myſterijs minimè initiati erant, ſupra modum obſtupefeciſſe. Sed vbi metum depoſuerant,ex defoſſis fundamentis erupiſſe ignem, combuſſiſſe foſſorum quàm plurimos,alios in fugam vertiſſe. Noctu item permultis in porticu quodam vicino dormientibus, ſubitò ædificium cum tecto diſiectum eſſe,oppreſſiſſeque omnes qui ibi ſe quieti dederant. Eadem quoque nocte,& poſtridie rurſus,fulgentem crucis ſalutaris formam in cælo viſam eſſe, iſaque Iudæorum veſtimenta crucis figuris, non fulgentibus illis quidem,ſed ex nigro colore confectis ſignata. Quas res,illos Dei aduerſarios conſpicatos, & plagas cælitùs inflictas admodum veritos,aufugiſſe inde, & rectà domum ſe recepiſſe: planè confeſſos eſſe eum verè Deum, quem maiores ſui cruci affixiſſent. Quæ tametſi ad aures Iuliani permanabant(in omnium namque ore verſabantur)tamen illius cor,non aliter atque Pharaonis olim,prorſus occalluit.

Iudæis nõ alibi fas eſt hoſtias immolare, quã Hierosolymis.

Diſſipatur mæſtia à Iudæis cõuecta.

Crucis forma in cælo, & Iudæorum veſtimenti viſa.

Iudæi contrà Chriſtianos à Iuliano armati.

Templum Iudæi reædificare refruſtra conati.

De expeditione eius contra Perſas: & oris in loquendo libertate nobilis ciuis Beræenſis: & pædagogi prædictione. CAPVT XVIII.

Vide Nicephor. lib.10. cap. 34.

POſtea verò quàm Perſæ de morte Conſtantij facti certiores, animos collegerãt: & bello antè denunciato,in fines Romanorum inuadebant: viſum eſt Iuliano, quanquam propugnatore Deo carebat,exercitum cogere. Sed antequam arma ſumeret,miſit nuncios ad Delphos,ad Delum ac Dodonem, ad alia denique oraculorum loca ſciſcitatum vates,vtrum bellum ei gerendum ſit. Illi autem bellum ſuſcipere iubent, pollicenturque victoriam. Vnum verò ex oraculis, quo eorum mendacia perſpicuè coarguantur, hoc loco citabo,quod ita ſe habet:

Ibimus in Tharem,Superi,victoria certa eſt.
Mars ego ductor ero,diuùm inuictiſſimus armis.

Iuliani contrà Perſas expeditio.

Oraculum.

Quemadmodum hi qui Apollinem deum diſertum,& Muſarum principem vocãt, ridiculos iſtorũ carminum numeros lepidè vt irrideant licet: ſic ego comperto huius

Universidad de Deusto
Biblioteca

dei mendacio, vicem Iuliani in errorē inducti, meritò deplorare possūm, Iste deus Ti- A
Tigris flu. grim Therem fluuium nūcupauit, propterea quòd est τηρίον, id est, bestia, eodem nomine appellata. Hic fluuius è montibus Armeniæ erumpens, labitur per Assyriam, & tandem in sinum Persicum influit. His igitur oraculis deceptus miser, & somniabat victo-
Galilæi dicti à Iuliano Christiani. riam, & post bellum Persicum Galilæos adoriri cogitabat. Nam Christianos vocauit Galilæos, ratus quidem ex eo nomine notam ignominiæ illis impressurum. At debue-
Nominis mutationem parum habere momēti ad famam alicuius lædendam. rat, præsertim cùm esset in literis educatus, secum considerasse, nominis mutationem ad alicuius famam lædendam momentum habere planè minimum. Nam neq; Socrati, si Critias nominatus fuisset, neq; Pythagoræ, si Phalaris, labes vlla ex nominum mutatione aspersa fuisset infamiæ: neque Nereus, Therſites vocatus, pulchritudinem sibi datam à natura amisisset. Sed istorum nihil Iulianus, tametsi eorum cognitionem accuratè tenebat, mente complexus est: sed putauit, ex nomine haudquaquam nobis cōueniente, nostram se posse existimationem violare. Atque oraculorum commentis fidem adiungens, minabatur se in ecclesijs Christianorum lasciuæ deæ simulachrum
Ciuis Berœensis filium abdicat propter impietatem. collocaturum. Etsi cum his minis proficiscebatur, tamen Berœæ abuno viro deuictus est. Is tametsi ob alias res illustris fuit (quippe in Berœensi Rep. gerenda principem locum obtinuit) tamen singularis pietatis amor, quo flagrabat, eum multo reddidit illustriorem. Nam cū ad impietatem id temporis regnantem filium delapsum cerneret, expulit domo, & palàm abdicauit. Qui ad imperatorem in diuersorio vrbi vicino cōmorantem accedens, ei tum quid ipse sentiret, tum quò pacto pater ipsum abdicasset, exponit. Tyrannus autem iubet adolescentem animo esse tranquillo, pollicitus se eum in gratiam cum patre reducturum. Itaque vbi venit Berœam, principes viros ciuitatis vocat ad conuiuium: in quorum numero erat adolescentis pater. Quem cum filio suæ ipsius accumbere mensæ imperat, atque circiter medium epulum sic patrem adolescē-
Iuliani disceptatio cum ciui Berœensi. tis alloquitur: Est iniquum planè, mea quidem sententia, alicuius animum, qui ad alteram religionem deflexerit, vi cogere, & inuitum ad contrariam traducere. Quapropter ne cogas filium, etiam nolentem, tuæ assentiri opinioni: quandoquidem neque ego tibi vim affero, licet perfacile te possim compellere, vti meæ sententiæ obsequaris. Tum pater adolescentis, fide in Deum animum exacuens: De istoccine (inquit) scelerato, ô Imperator, verba facis, qui & Deo odiosus est, & mendacium veritati anteponit? Rursus Iulianus personam induens mansuetudinis: Heus tu (inquit) desine maledicere. Atque ore ad adolescentem conuerso: Mihi, inquit, tuæ res curæ erunt: quando- B quidem patri, vt istud agat, persuadere non queo. Ista quidem narratio non est frustra à me instituta: quippe ex ea planè ostendere volui, non modò admirabilem diuini hominis in loquendo libertatem: verùm etiam, quòd erant quàm plurimi, qui tyranni illius potentiam penitùs contemnerent. Etenim Antiochiæ itidem vir quidam facilè optimus, qui adolescentibus doctrina instituendis operam dabat, magnam familiaritatem (vtpote multo literatior quàm vulgus præceptorum solet) conflauit cum eo qui
Libanij in Christū scomma pulchrè à Iudimagistro repulsum. id temporis inter doctores primas tenebat, Libanium dico, tam crebris sermonibus apud sophistas celebratum. Qui cùm impius esset, expectaretque victoriam, & minas Iuliani ante oculos mētis statueret, à Iudimagistro, quò nostræ religioni quasi per iocū irrideret, sciscitatur, quid rerum gerat fabri filius? Qui diuina completus gratia, prædixit, quod erat paulò pòst euenturum. Nam huius, inquit, vniuersitatis opifex Deus, quem tu per risum fabri filium nominas, loculum fabricatur. Neque certè multi dies præterierant, cùm nuncius allatus est de scelerati illius morte, qui in loculo recondi-
tus, & ad sepulchrum elatus, se frustra minas iactasse declarauit: ex qua vna re Dei gloria fuit magnopere illustrata.

De sancti Iuliani monachi prophetia. CAPVT XIX.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 35.

Iulianus Sabbæ. Philotheus Theodoriti. POrrò autem Iulianus cognomento Sabba (sic nanq; lingua Syriaca vocabatur) cuius vitam in historia nostra, qui Philotheus inscribitur, literis mandauimus, eorum vi-
uendi genus, qui sunt expertes corporis, in corpore imitatus, cùm esset de Iuliani minis
Iuliani cædes à Iuliano monacho prædicta. certior factus, longè attentius preces Deo omnium moderatori adhibuit. Atque eodē ipso die, quo Iulianus interfectus est, quāquam iter viginti dierum & amplius aberat ab exercitu, cædem eius inter precandum cognouit. Nam ferunt, eum, dum Dominū clementē & benignū supplex oraret, derepentè fletum repressisse, & effusum in lætitiā
Iulianus, aper syluester vastans vineam Domini. exultasse gaudio, hilarique vultu cœpisse intueri: qua re voluptas quam capiebat animo, manifestò declarata est. Quem familiares eius cùm ita mutatum cernerent, orasse vt causam lætitiæ ipsis indicaret: cum autem respondisse, aprum sylueſtrem, hostem

A stem vineæ Domini, debitas scelerum in Christum admissorum pependisse pœnas, &
Allusio ad Psal. 79. mortuum iacere, ne amplius Christianis insidias struat. Quibus cognitis, omnes triumphare gaudio: & hymnum, quo Deo gratias agerent, cantare cœperunt. Postea autem facti erant certiores ab illis qui mortem eius nunciabant, sceleratum illum tyrannū extinctum eadem die ac hora, qua diuinus ille senex Iulianus eum cecidisse & cognouerat, & prædixerat.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 34. Socrat. lib. 3. cap. 8. Sozom. li. 6. cap. 1.

De Iuliani Imperatoris in Persia cæde. CAPVT XX.

IStius tyranni temeritatem mors eius apertissimè declarauit. Nam trāsmisso flumine, quod Romanorū à Persarum diuidit imperium, & exercitu traducto, confestim incendit naues, quò milites ad bellū gerendum non persuadendo impelleret, sed necessitate cogeret. Verūm optimus quisque dux milites suos animorum alacritate compleret, & si eos animis cadere fortè viderit, verbis confirmare, & ad spem erigere solet. At iste contrà, nauibus quibus in reditu flumen transirent, incensis, spem illico salutis præcidit. Quinetiam cùm cōmeatus militibus necessarius vndique conquiri, & ad exercitum comportari debuisset, sapiens iste neque domo secum aduehi iusserat: neque hostium agris depopulatis, satis magnam alimenti copiam illis suppeditauit. Nam relicto solo culto & habitato, per incultum & desertū copias traduxit. Ibi milites non modò potione & cibo, verum etiam ducibus itineris destituti, atque in loco etiam solitario oberrantes, cœpêre tandem sui imperatoris inscitiam perspicere. Deinde cùm quererentur & ingemiscerent, ex improuiso eum vulneratum offendunt, rabie contra conditorem suum furentem: Martem bellicosum ipsi, vti promiserat, auxilium minimè tulisse: Apollinem falsa vaticinatum esse: Iouem deniq; fulminantem nō in suum interfectorem fulmen torsisse. Itaque qui antè minas insolenter iactauerat, iam miserè humi proiectus iacuit. Attamen qui debitam illam plagam ei imposuerit, ad hodiernum vsque diem à nemine pro certo cognitum est. Nam alij à quodam sensum oculorum effugiente incussam: alij quēdam ex Ismaelitis, qui Nomades appellantur, eam inflixisse: alij à milite, qui famis & solitudinis molestias
B ægrè ferebat, illatam dicunt. Verùm siue homo, siue angelus ensem in eo infixerit, cōstat sanè, cum qui facinus commisit, diuinæ voluntatis administrum fuisse. Ferunt porrò, ipsum tyrannum, simulac plagam acceperat, manum protinus sanguine impleuisse, illumque proiecisse in aerem, ac dixisse: Vicisti Galilæe, & simul tum confessum esse victoriam, & blasphemiam (adeò enim à mente abalienatus erat) in Deum impudenter locutum.

Iuliani imperatoris immemor reditus incendit naues quibus Euphratē traiecerat in Persiam.

Iuliani imperitia militaris.

Iuliani interitus.

Iuliani vltima vox.

De præstigijs apud Caras post interitum eius reprehensis. CAP. XXI.

POst huius tyranni cædem, fraudulentæ præstigiarum suarum machinæ manifestò deprehensæ sunt. Nam cùm stolidus ille per Caras vrbem, quæ etiam adhuc multas impietatis reliquias retinet, iter faceret, relicta ad læuā Edessa, vtpote pietate & vero Dei cultu præclarè ornata: ingressus in delubrum, quod apud impios in maximo honore erat, iubet portas, postquam in eo nefanda quædam mysteria cum sceleris sui socijs obijsset, non obserari solum, verū etiam obsignari: & milites quosdam eas assiduè obseruare, ne quisquam, donec ipse reuerteretur, intraret. At postquā nunciatum erat, eum esse mortuum, & pium imperatorem impio successisse, quidam in illud delubrum introeuntes, admirabilem scilicet huius imperatoris fortitudinem, sapientiam, addo etiam pietatem, perspicuè deprehendunt. Nam vident mulierculam capillo suspensam, manibus extēsis, cuius ventre dissecto, sceleratus iste, forsitan ex eius iecore diuinauit, se victoriam à Persis reportaturum. Atque hoc quidem scelus Caris deprehensum est.

Delubrū impietatis apud Caras.

Mulierculæ capillis suspensa, manibus extensis, dissecto ventre.

De capitibus in Antiochiæ palatio inuentis, & publicis Antiochiæ choreis ac tripudijs. CAPVT XXII.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 27.

POrrò Antiochiæ dicitur multas capsas in palatio refertas hominum capitibus, multosque puteos cadaueribus humanis repletos. Eiusmodi namq; facinora execrabilium deorum poscebat disciplina. Vrbs verò Antiochia, vt primùm tyrannū trucidatum intellexit, epulas publicas crebrosq; conuentus celebrare: & nō in ecclesijs solùm & martyrū monumētis tripudiare, verùm etiam in theatris crucis prædicare victoriā, & tyranni varicinia irrisioni & ludibrio habere cœpit. Voces autem Antiochenorum contra eum emissas, ponam equidem hoc loco, quò earum memoria possit ad posteritatem

Caluaria & cadauera hominum Antiochiæ inuenta.

Voces Antiochenorū in Iulianū mortuū.

Universidad de Deusto
Biblioteca

steritatem remanere. Nam vno ore conclamarunt omnes: Vbi tua ô Maxime, ô stoli- A
de, vaticinia: Vicit Deus, & Christus eius. Per id enim temporis erat vir quidam nomine Maximus, qui tametsi philosophum se esse profitebatur, erat tamen reuera magus, futuraque se posse prædicere iactitabat. Antiochenos autem, duorum maximorum A-
Antiocheni Petri et Pauli doctrina imbui. postolorum Petri & Pauli doctrina imbutos, & ardenti amore omnium Dominum ac seruatorem complexos, Iulianum perpetuò, cuius memoria hominum animis meritò excidere debebat, detestatos esse, Iulianus ipse locuplex testis est: qui ob eam causam librum aduersum eos edidit, & μισοπώγωνα, id est, Barbæ odium, inscripsit. Sed cum
Iuliani μισοπώγωνος. isto Antiochenorum tripudio, pro morte Iuliani tyrani facto, finem huic libro imponam. Nam nefas planè puto, impium tyrannum in eundem sermonem cum pio imperatore concludere.

TERTII LIBRI FINIS.

THEODORITI EPISCOPI CYRI ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER QVARTVS.

Iouianus Imperator anno Christi 367.

Hic liber quartus continet acta sub Iouiano, Valentiniano ac Valente annis 16. & mense vno. Huc igitur istos authores referquos adnotauimus supra ad Socratis libr. 3. & 4.

De Iouiani imperio & pietate. CAPVT I.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 18. Socr. lib. 3. cap. 19. Sozom. lib. 6. cap. 1. &c.

POST interfectum Iulianum, duces vnà cum præfectis in vnum coacti, iniuêre cõsilium, quis ad regendum imperium deligendus esset: & quis tum ad militum saluti in hostili solo sapientia & consilio prouidendum, tum ad recreandum statum Reip. Rom. in acie nouaculæ (vt dicitur) ob Iuliani iam mortui temeritatem positum, maximè idoneus videretur. A' quibus dum de hac re deliberatum erat, exercitus in vnum congregatus, Iouianum postulat imperatorem, qui neque dux, neque ex eorum numero, qui secundas B
Iouianus Imperator delectus. post duces obtinebant, fuerat: sed tamen vir apprimè nobilis, illustris, & multarum rerum causa insignis. Nam corpore robustissimo fuit, animoque excelso: quinetiam in bello gerendo solebat & in acrioribus certaminibus facilè primas ferre. Porrò contra impietatem liberè loquebatur, tyranni potẽtiam contemnebat, animi propensione cũ Seruatoris martyribus coniungebatur. Itaque duces consensum exercitus velut suffra-
Iouianus imperium detrectat, odio impietatis Iuliani. gationem diuinam arbitrati, producunt in medium præstantissimum illum virum: ac celerrimè primũ suggesto cõstructo, in eo collocant. Deinde cùm omnes nomina quæ sunt imperatorum propria, ei tribuissent, & Augustum ac Cæsarẽ appellassent, vir ille admirabilis sua consueta loquendi vsus libertate, & neque magistratus, neq; milites, vt ad deteriorem partem deflecterent, omnino veritus: Non possum (inquit) cùm sim Christianus, eiusmodi hominibus imperare, neq; regere Iuliani exercitum, qui tam pestiferæ doctrinæ præceptis imbutus sit. Nã q; sunt ita instituti, hi diuina destituti prouidẽtia, tum ab hostib. facilè expugnari, tum eisdẽ materiã ad lętitiã præbere solẽt. Quib.
Militum de religione Christiana vnanimis professio. verbis auditis, milites conclamare vno ore, ac dicere: Ne animus tibi, ô Imperator, vlla æstuet dubitatione, neque nostri imperium tanquã improbum deuites. Nam & Christianis hominibus, & disciplina veræ pietatis educatis imperabis: siquidem, qui sunt inter nos ætate prouectiore, hi à Constantino eruditi erant: qui autem adolescentiores, illi præceptis Constantij instruebantur. Tempus certè imperij Iuliani, qui iam morte occubuerit, vt perexiguum, ita non satis ad erroris perniciem in animis eorum qui eadem infecti erant, altius infigendam, fuit.

De sancti Athanasij reditu. CAPVT II.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 21. Socrat. lib. 3. cap. 20.

HAc militum oratione vehementer delectatus Imperator, consiliũ deinceps init de salute Reip. & quo modo exercitum hostili è regione possit incolumẽ reducere. Verũ non tam multo egebat consilio: quippe cũ fructus ex pietatis seminib. perceptus, ei subsidio esset. Nam extemplò rerum vniuersarum gubernator Deus, se il-
Cum Persarũ rege pax & fœdus. lius curam suscepisse declarauit: & dubitationẽ, in qua versari videbatur, penitus ei sustulit. Etenim rex Persarum, simul vt intellexit eum creatum imperatorẽ, primùm legatos de pace ad illum mittit: deinde imperat cibaria militibus eius deferri, & res ad victum necessarias venales in solitudine exponi. Itaq; pacto ad triginta annorum spaciũ fœdere, Iouianus exercitum iam confirmatum & robustum hostili à regione eduxit. Vt

A Vt primùm autem in sui imperij fines ingressus est, primùm sanciuit legem, quæ iubebat omnes episcopos ab exilio reuerti: & ecclesias illis, qui fidei formulam in concilio Nicæno editam inuiolatam seruauerãt, restitui. Scripsit porrò literas ad Athanasium, illum egregium huius doctrinæ propugnatorem, ab eoque flagitauit, vt accuratam de
Episcopi ab exilio reuocati. sacrosancta fide doctrinam sibi conscriberet. Ille igitur illustri o ribus episcopis in vnũ conuocatis, rescripsit ad Iouianum: hortatusque est, vt formulam fidei in concilio Nicæno factam seruet, vtpote quæ doctrinæ Apostolicæ penitus consentiret. Athanasij autem & reliquorum episcoporum epistolam ad legentium vtilitatem hoc in loco inserere operæ precium putaui.

Epistola Synodica de fide, à sancto Athanasio ad Iouianum Imperatorem scripta.

CAPVT III.

Religiosissimo & clementissimo victori, Augusto. Iouiano, Athanasius & reliqui episcopi, qui nomine omnium Aegypti, Thebaidis & Libyæ episcoporum in vnum conuenerunt, S.

Athanasij & reliquorum episcoporum ad Iouianũ Imp. Epistola.

Vide Nicephor. lib. 10. cap 42. Sozom. li. 6. cap. 4. Socrat. lib. 3. cap. 21.

RErum cælestium teneri desiderio, & earum perdiscendarum studio duci pium Imperatorem cum primis decet. Nam eo pacto cor habebis reuera in manu Dei positum, & imperium pacatè ac tranquillè ad multorum annorum curricula administrabis. Et quoniam tua pietas fidem ecclesiæ catholicæ à nobis cupit discere, Domino ea de re gratijs actis, nihil consultius nobis visum est, quàm vt te de fide in concilio Nicæno cõmuni patrum consensu confirmata, in memoriam redigeremus. Nam nonnulli ista reiecta, tum nobis, quòd sectam Arianam sequi nolebamus, varias struxerunt insidias: tum hæreses & schismata in ecclesiam catholicam inuexerunt. Cæterum vera ac pia in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM fides, omnibus patefacta est, atque ex sacris literis satis cognita, recognitaque. Nam in ista sancti martyres mortem oppetiuêre, & iam cum Domino domicilium habent. Quæ quidem fides perpetuò mansisset inuiolata, nisi quorundam hæreticorum nequitia eam peruertere temerè laborasset. Nam Arius, & eius fautores hanc labefactare, & impietatem in eius locum introducere studuerunt, dixeruntque, filium Dei ex nihilo ortum esse, creaturam esse, factum esse, mutabilem esse, atque multos hoc errore cæcarunt: adeò vt hi etiam qui in aliquo numero habendi videbantur, eorum blasphemia à veritate pariter abducerentur. Itaque sancti patres nostri, quò huic malo obsisterent, ad
B concilium Nicænum, vti suprà diximus, conuenientes, hæresi Arianæ Anathema denunciarunt: fidemque Ecclesiæ catholicæ scriptis ratam fecerunt, ad eum planè finem, vti hac vbique diuulgata, erroris incendium ab hæreticis excitatum, prorsus extingueretur. Itaque hæc fides passim in omnibus ecclesijs syncerè & recta & prædicata fuit. Verùm nonnulli, quoniam habebant in animo hæresim Arianam renouare, hanc fidem à patribus in concilio Nicæno confirmatam antiquare non sunt veriti: alij verò simulant se eidem assentiri illi quidem, sed re ipsa pernegant, dum hanc vocem ὁμοούσιον peruersè interpretantur: ijdemque isti in Spiritum sanctum loquuntur blasphemiam. Nam eum creatum esse, & factum per filium, asserunt. Nos igitur cùm ex tali blasphemia non exiguam perniciem populo allatam fore videremus, dabamus operam necessariò, vti fides in concilio Nicæno roborata, tuæ pietati traderetur: quò i-
Blasphemia in Spiritum sanctum. pse intelligas, tum quàm accuratè ea descripta sit, tum quanto in errore versentur hi qui fidem contrariam docent. Nam pro certo scias velimus, Auguste sanctissime, hanc ipsam ab omni seculorum memoria prædicatam fuisse. Hanc confirmarunt sancti patres Nicææ coacti: huic omnes vbique ecclesiæ assensæ sunt, vt Hispaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ totius, Dalmatiæ, Mysiæ, Macedoniæ, & cunctæ Græciæ, & omnes ecclesiæ Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphiliæ, Lyciæ, Isauriæ, & ecclesiæ Aegypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ, & regionum finitimarum ecclesiæ, Orientis denique ecclesiæ, exceptis paucis quæ sectæ fauent Arianæ. Nam istarum omnium reipsa exploratè cognitam habemus sententiam, literasque ab illis accepimus, proque certo scimus, Auguste sanctissime, quòd quamuis pauci huic fidei contradicant, non tamen prætudicium inde potest orbi terræ fieri vniuerso. Nam isti diu contagione hæresis Arianæ infecti, studio iam acriore veritati resistunt. Atque tametsi tua pietas fidem à trecentis decem & octo episcopis in concilio Nicæno confirmatam nouerat: nos tamen dedimus operam, vt à nobis eam accuratè intelligat, & propterea infrà subiungimus, quæ ita se habet. Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium
Nicæni symboli vetustas & certitudo. visibilium & inuisibilium effectorem. Et in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, *Symbolum Nicænum quale.* filium Dei, genitum à patre vnigenitum, hoc est, ex patris substantia, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantia-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lem patri: per quem omnia facta sunt, quæ in cælo & quæ in terra: qui propter nos ho- A
mines, & propter nostram salutem descendit de cælo, incarnatus est, homo factus est, "
passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad cælos, vēturus est iudicare viuos & mortuos. "
Et in Spiritum sanctum. Illis autem qui dicunt, tempus fuisse cū filius Dei non erat, & "
nō ante fuisse quā nasceretur, & ex nihilo ortum esse, & ex alia subsistētia vel substātia "
quā patris cōstare, vel creatū esse, vel posse cōuerti mutariue: sancta, catholica, & Apo- "
stolica Ecclesia indicit anathema. In hac fide, sanctiss. Auguste, tanquam diuina & A- "
postolica, perseuerandum est necessariò, neque probabilitate sermonis, pugnaciue ora- "
tione eam inuertere cuiquam tentandum. quod amentes Ariani semper factitarunt: "
dixeruntque, filium Dei ex nihilo ortum esse, tempus fuisse cùm non erat, conditū esse, "
factum esse, mutabilem esse. Nam ob hanc causam, vti antè dictum est, concilium Ni- "
cænum eiusmodi errori denunciauit anathema, & veram fidem communi consensu "
confirmauit. Non enim simpliciter patres illi filium dixêre patri similem, ne simplici- "
ter similis Deo, non autem de Deo Deus verus crederetur: sed scriptis asseuerarūt, con- "
substantialem esse patri: quod est proprium ingenui & veri filij, ex vero & natura patre "
geniti. Quinetiā neque Spiritum sanctum à patre & filio separarunt: sed ei vnà cū patre "
& filio in vna sanctæ trinitatis fide, propterea quòd vna est in sancta trinitate diuinitas, "
gloriam tribuerunt.

Ariauorū haeresis.

Filius patri non tantū similis sed & consubstantialis.

De restituta Ecclesijs annona, & Imperatoris morte. CAP. IIII.

Ecclesijs restituitur ab Imp. frumenti congiarium.

HAc perlecta epistola, tum cognitio Imperatoris, quam de rebus diuinis imbiberat, confirmata est: tum amor eius erga easdem magis cœpit exardescere. Itaque conscripsit legem, quæ iubebat frumenti cōgiarium, quod Constantinus magnus ecclesijs donauerat, eisdem reddi. Nam Iulianus, qui cō. tra Deum ac seruatorem nostrum bellum susceperat, illud vetuerat dari. At quoniam fames ex Iuliana impietate in Remp. illata, obstabat, quo minus totum congiarium, quod Constantinus largitus fuerat, in ecclesias conferretur, idcirco Iouianus tertiam partem solum id temporis præberi mandat: pollicetúrque, fame sedata, integrum cōgiarium donatum iri. Atq; primordijs imperij sui eiusmodi legibus illustratis, decedit Antiochia, & ad Bosphorum contendit. Dadastanæ verò (is pagus est in finibus Bithyniæ & Galatiæ situs) è vita migrauit: qui tametsi ipse maximo præclarissimoque viatico instructus, iter ad cælum ingressus est: tamen illis, qui suaues eius mores, dignos planè imperatore, degustauerant, non exiguum mœrorem reliquit. Arbitror equidem huius vniuersitatis moderatorem Deum, quòd nostram improbitatē acrius coerceat, primùm nobis suppeditare bona, deinde nos eisdem denuò spoliare: atque altero quidem docere, quàm facilè possit ea quæ vult præbere: altero autem nos coarguere, velut eiusmodi beneficia parùm promerentes, & eo pacto ad vitam rectius honestiusque traducendam siue instituendam impellere.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 29. Socrat. lib. 3. cap. 22. Sozom. lib. 6. cap. 5.

Dadastanæ mortuus Iouiani Imp.

B

De Valentiniani imperio, & quomodo fratrem suum Valentem in imperij societatem adsciuerit.

CAPVT V.

Valētiuianus Imp. creatus.

QVo quidem tempore milites, repentina morte Imperatoris cognita, eum vita defunctum, vt patrem luxerunt: atque Valentinianum illum, qui manu ēdituum percusserat, fueratque in castellum amanda tus, crearunt Imperatorem: virum non fortitudine solùm, verumetiam prudentia, temperantia, iusticia, & corporis proceritate præstantem. Qui animo adeò excelso fuit, & verè regio, vti cùm exercitus consortem imperij ei conaretur adiūgere, illud quod omnibus in ore est, feratur dixisse: In vestra manu positum erat, milites, cùm Imperator non eram, mihi imperij gubernacula tribuere: verùm cùm iam ea susceperim, non vestrarum partium, sed mearum solùm est de cæterò communi Reip. administrationi consilio & sapientia prouidere. Quæ eius verba tum admirati milites, tum amplexati, se ad eius nutum & voluntatem accommodarunt. Ille, fratre de Pœonia accersito, qui nondum opinionum & doctrinæ varietate ab eo diserepabat, consortem imperij (quod vtinam nunquam fecisset) designauit. Cui Asiæ & Aegypti tradidit dominatum, sibique Europę administrationem reseruauit. Atque in Occidentem profectus, illius regionē præclaris instruxit legibus, exordiumque à verę pietatis prædicatione cœpit. Nam cùm Auxentius, ecclesiæ Mediolanensis episcopus, labe Ariana infectus, & in multis concilijs abdicatus, è vita exiuisset: Imperator iste, accersitis ad se episcopis, sic apud eos verba facit. Est

Valentinianus & Valens Imp. Anno Christi 365. Vide Nicephor. lib. 10. cap. 41. Socrat. lib. 4. cap. 1. Sozom. lib. 6. cap. 6.

Valentinianus magnanimitas & prudens responsum ad milites.

Valētinianus fratrē sibi imperij consortē adiungit.

Auxētius Arianus.

A Est vobis, vtpote sacris & diuinis literis institutis, exploratè cognitum, qualis debeat es- *Qualis esse debeat episcopus.*
„ se is, qui sit ad episcopatū gerendum delectus: & quòd necesse sit gregem suum non do-
„ ctrina solùm, verum etiam præclara viuendi ratione moderari, & se cuiusque virtutis
„ exemplar ei præbere, suæque disciplinæ rectam vitæ & morum institutionem testem
„ habere. Quare hominem ita instructum in sede & gradu episcopali iam collocate,
„ vti & nos, à quibus hoc gubernatur imperium, ei verè & ex animo capita inclinemus,
„ & illius reprehensionem (nam cùm simus homines, errore labi necesse est) velut medi-
„ cinam animorum cupidè amplexemur.

De Ambrosij Mediolanensis episcopi ordinatione. CAP. VI.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 32.

Valentiniani electionem episcopi retulit.

HAc oratione ab Imperatore habita, concilium episcoporum contendit ab eo, vti ipse, vtpote sapientiæ & pietatis insignibus præclarè exornatus, episcopum deligat. At ille: Maior est (inquit) hæc prouincia, quàm quæ viribus nostris sustineri possit. Proinde vos diuina repleti gratia, & illius splendore illuminati, multo melius hoc episcopi deligendi negocium transigetis. Illi igitur egressi, separatim per se de eo deliberare cœperunt. Ciuitatis autem habitatores inter ipsos disserere, quorum alij hunc, illum alij deligere contendebant. Nam qui errore Auxentij erant imbuti, hi suæ opinionis fautoribus suffragati sunt: qui autem à partibus sanæ & syncerę doctrinæ stabant, illi rursus episcopum secum in fide consentientem habere laborarunt. Hac dissensione cognita, Ambrosius vrbis præfectus, veritus ne quid nouarum rerum molirentur, properè ad ecclesiam contendit. Illi, seditione compressa, vno ore omnes postulant, vti Ambrosius, qui adhuc sacris baptismi mysterijs non erat initiatus, ipsis designetur episcopus. Qua re audita, Imperator iubet illum egregium virū extemplò & initiari mysterijs, & episcopum ordinari. Nouerat enim mentem eius omni perpendiculo rectiorem esse, & sententias eius quaque regula exquisitiores. Atque coniectura ex consensu eorum qui dissentientem sectabantur doctrinam ducta, suffragationem illam diuinitùs factitatam arbitratus est. Postea verò quàm Ambrosius diuinum sacrosancti baptismatis munus adeptus erat, & gratiam episcopalem recepe- *Ambrosius baptizatus.*
rat, dicitur Imperator longè præstantissimus (nam rebus his gestis intererat) hymnum *Hymnus ab Imp. dictus.*
B ad gratias Seruatori ac Domino agendas recitasse, his ferè verbis. Gratia sit tibi Domine omnipotens, & seruator noster, quòd cùm ipse corpora huic viro commisissem, tu etiam animas ei commendasti: indeque declarasti, meam iustā fuisse sentētiam. Paucis pòst diebus, cùm diuus Ambrosius valdè liberè apud Imperatorem verba faceret, resq; nonnullas tanquam minus rectè à magistratibus administratas coargueret, respondit Imperator: Noui iampridem tuam in loquendo libertatem. Qua exploratè cognita, non modò non tuæ in episcopum ordinationi restiti, verùm etiam suffragatus sum. Quare sicut diuina præscribit lex, nostrorum animorum erratis medicinam facito. Iusta sunt ab Imperatore & dicta Mediolani, & factitata. Porrò autem cùm accepisset, quosdam in Asia & Phrygia doctrinam fidei in controuersiam vocasse, Concilium in Illyrico cogi mandat: atque res decretas stabilitasque ab episcopis, qui ibi in vnū conuocati, fidem concilij Niceni confirmauerant, ad eos qui de fide inter se contendebant, misit: scripsitque ad illos quoq; literas, quarum fratrem suum participem fieri voluit, eumque vti episcoporum decretis adhærescret cohortatus est. Citabo quoque legem, quæ & pietatem perspicuè ostendit Valentiniani: & sanam itidem Valentis de religione doctrinam, quam eo tempore amplectebatur, manifestò declarat.

Imperatoris humilitas, ac libertas Ambrosij.

Valentinianus & Valens Imp. Concilium in Illyrico cogi iubet.

Imperatoris Valentiniani & Valentis, de consubstantiali, ad Asianam diœcesim Epistola.

CAPVT VII.

Imperatores Max. semper Augusti. Victores, Augusti Valentinianus, Valens & Gratianus, Episcopis diœceseos Asianæ, & Phrygiæ, Carophrygiæ, Pacatianæ, in Domino S.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 6. item lib. 12. cap. 3.

VBi frequēti in concilio in Illyrico coacto multum in vtranque partem de salutari Dei verbo disceptatū erat, beatissimi episcopi, trinitatem cōsubstantialem esse, hoc est, patrem & filium & Spiritum sanctum, certis rationibus ostenderunt. A' qua fide ne digitū quidem, vt aiunt, deflectentes, debito cultu religionem præpotentis regis pro- *Constitutio Valentiniani de consubstan. tiali.*
„ sequuntur. Quam etiam nostra Celsitudo passim prædicari mandauit. Atramen non
„ est hæc causa, cur quidam dicat se religionem sequi Imperatoris, qui hunc mundum
„ gubernat: neglecto scilicet illius mandato, qui nobis de salute nostra præcepta dat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Est enim præceptum Euangelij Dei nostri, qui hanc habet velut ratam definitamque A
Mat.12. Luc.20. sententiam: Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Quid ergo vos di- "
citis, episcopi, & verbi salutaris antistites? Quòd si vos eadem decernatis, tum certè vos "
mutuò ipsi complectimini: & imperatoria celsitudine nolite abuti. Nolite persequi "
veros Dei ministros, quorum precibus & bella sedantur in terra, & incursiones ange- "
lorum, qui à Deo discíuerunt, arcentur. Qui etiam orando pestiferos dæmones repelle- "
re nituntur: qui vectigalia, vti leges postulant, pensitare non recusant: qui potestati "
imperatoriæ non refragantur: sed sanctè & sincerè tum mandatum præpotentis regis "
Dei obseruant, tum nostris legibus obsequuntur. At constat vos obstinatè his rebus re- "
stitisse. Nos patientia semper à principio vsque ad finem vsi sumus: vos contrà animi "
vestri impotentiæ obsecuti estis. Sed nos à vestra culpa volumus esse vacui & puri, non "
Pilati exemplum. Matth.27. aliter atque Pilatus, qui cùm de Christo iam tum inter nos vitam agente haberetur "
quæstio, noluit eum interficere: & rogatus à Iudæis vt cruci affigeretur, se conuertere "
ad Orientem, petere aquam manibus, easque lauare cœpit, simul hæc locutus, Inno- "
cens sum à sanguine iusti huius. Ob quam causam nostra Celsitudo semper istud im- "
perauit, ne quis quem persequatur, ne quis quem submergat, vocetúcin inuidiã Chri- "
sti agricolas, néue procuratores summi regis exagitet: ne regnantibus nunc nobis ni- "
hil hinc emolumenti consecuti, postea vnà cum sceleris exhortatore in ea quæ testa- "
Zachariæ prophetæ cædes. menti ipsius sunt damna incurratis, id quod in Zachariæ sanguine euenisse. Nam fu- "
nesti illi, perinde ac pestifer dæmon, qui cædis illis socius erat, mortis supplicio tradi- "
ti, aduenientè cælitus rege nostro IESV Christo, disrupti perierunt. Istud mandatum "
dedimus præsentibus, audientibusque ea quæ facta sunt, Amegetio, Ceronio, Damaso, "
Lampone, & Brintesio. Porrò ipsa acta ad vos misimus, vt intelligatis, quæ hoc præcla- "
rum concilium decreuerit. Nam his literis attexuimus decreta concilij, quæ summa- "
tim complectuntur ista. Sententiam magni & orthodoxi concilij Nicæni sequentes, "
Filius quomodo patri consubstantialis. confitemur filium patri consubstantialem esse. Neque certè ita intelligimus consub- "
stantialem, vti quidã olim exponebant, qui non syncerè & ex animo concilio Nicæ- "
no subscripserunt: neque vt alij, qui hoc tempore illos appellant patres, & vim huius "
verbi Consubstantialis tollunt, sequunturque opinionem eorum qui tradiderunt, per "
hanc vocem Consubstãtialem nihil aliud significari, quàm Similem: per quam vocem "
filius nulli creaturæ per ipsum conditæ, sed soli patri similis ostenditur. Qui ista tra- "
Symboli Nicæni confessio. dunt, filium Dei nihil aliud quã creaturam eximiam esse, impiè planè definiunt. Nos B
autem non aliter sentimus atque duo Concilia, quorum alterum iam Romæ, alterum "
habetur in Gallia: nimirum vnam eandemque essentiam esse patris, & filij & spiritus "
sancti, in tribus personis, hoc est in tribus perfectis, vt Græci loquuntur, ὑποστάσεσι. Con- "
fitemur item, vt est in fidei formula Nicææ edita, consubstantialem Dei patris filium "
carnem sumpsisse ex sancta virgine, inter homines habitasse, impleuisse omnem pro "
nobis œconomiam, nascendo, patiendo, resurgendo, & in cælos ascendẽdo: venturũ "
quoque denuò, vt in die iudicij, prout quisque se gessit in vita, reddat cuique: carni v- "
niuersæ visum fore, diuinam suam demonstraturum potentiam, Deum carne indutũ, "
non hominem indutum diuinitate. Illis autem qui contraria sentiunt, anathema de- "
nunciamus. Pari ratione, his qui non ingenuè dicunt anathema, ei qui asserit filium nõ "
ante fuisse quàm nasceretur, sed tradit, cum vi & facultate prius in patre fuisse, quàm re "
ipsa genitus esset, anathema denunciamus. nam istud dici potest de omnibus creaturis, "
quæ non semper cum Deo sunt: sicut filius semper cum patre est, æterna generatione "
genitus. Ista de actis Concilij summatim complexus est Imperator. Ego verò ipsas con
cilij literas historiæ adiungam.

Illyrici Concilij libellus Synodicus de fide. CAPVT VIII.

Episcopi Illyrici, ecclesijs Dei, & episcopis diœceseos Asianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ, & Pacacianæ, in Domino, S.

Trinitas consubstantialis. VM in vnum essemus coacti, & diu multumque de salutari verbo disceptatum "
esset, tandem cõfirmauimus, Trinitatem consubstantialem esse, patrem, filium "
& Spiritum sanctum. De qua re cõsentaneum videbatur, literas ad vos perscri- "
Elpidius presbyter. bere, non captiosè & vafrè ea quæ ad cultum trinitatis pertinent, tradendo, sed cum hu- "
militate animi de illis decernendo. Has nostras literas misimus per dilectum fratrem "
nostrum & collegam Elpidium presbyterum. Est quidem literis proditum, non in epi- "
1. Cor. 2. stola nostra manu scripta, sed in libris Seruatoris nostri IESV CHRISTI: Ego sum Pau- "
li, ego verò Apollo, ego Cephæ, ego Christi. Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, "
aut

Aut in nomine Pauli baptizati estis? Atque nostra modestia his potuisset, esse conten- "
ta, vt nullas omnino literas ad vos scriberet: quippe cum vestra prædicatione, qua "
Spiritum sanctum à patre & filio separatis, tantus terror omnibus prouincijs, quæ à "
vobis administrantur, iniectus sit. Itaque coacti sumus dominum & collegam nostrũ "
Elpidium, cùm literis Roma, quæ est caput imperij, ad vos mittere: vt discat, vtrum "
vestra prædicatio ita se habeat, an non. Nam qui opinantur, trinitatem non esse con "
substantialem, anathema sunto. Et si quis cum huiusmodi communicare deprehen- "
sus sit, anathema esto. His autem qui prædicant, Trinitatem consubstantialem esse, "
regnum cælorum paratum est. Quare obsecramus vos, fratres, ne aliud doceatis, néue "
aliud opinemini, sed prædicetis perpetuò, Trinitatem consubstantialem esse, quò pos- "
Episcopi qualiter instituendi item presbyter. & diaconi. sitis hæredes regni Dei fieri. Dum hac de re scriberemus ad vos, commonefacti sumus, "
vt in his nostris literis scriberemus etiam de episcoporum, collegarum scilicet nostro- "
rum, institutione, vt si quoquo modo fieri queat, è magistratibus qui episcopatu fun- "
cti, probata spectataque fide fuerunt, cooptentur: sin autem tales non reperiantur, è sa- "
cerdotum collegio. Ad eundem modum tum presbyteri, tum diaconi de ordine sacer- "
dotali sumantur, vt omni ex parte inculpati sint: minimè verò de curia, aut militum "
ductoribus. Atque propterea non erat animus ad vos pluribus scribere, quòd vnum "
omnium nomine ad vos misimus, dominum & collegam nostrum Elpidium, vt accu- "
ratè discat, vtrum vestra prædicatio ita se habeat, vti à domino & collega nostro Eusta- "
thio accepimus. De cætero, fratres, tametsi dudum in errore versati estis: tamen vete- "
re homine deposito, nouum induite. Atq; idem ipse frater & collega noster Elpidius, "
docebit vos veræ fidei prædicationem: nimirum quòd sancta illa Trinitas consubstã- "
tialis est, & Deus pater cum filio & Spiritu sancto sanctificatur & glorificatur: & quòd "
pater in filio exístit, & filius in patre, vnà cum Spiritu sancto in omnem æternitatem. "
Qua re perspicuè declarata, poterimus verè confiteri, sanctam Trinitatem consubstan- "
tialem esse: vti formula fidei olim in concilio Nicæno edita vult, quam etiam patres "
nostri confirmarunt. Itaque hac fide prædicata, poterimus scelesti dæmonis retia eui- "
tare. Quo represso, copia erit cùm nos per literas ad pacem conciliandam mutuò salu- "
Arianorum nota. tandi, tum vitam quietè tranquilleque degendi. Proinde scripsimus ad vos, vt Arianos, "
B qui sunt concilij sententia abdicati, possitis cognoscere: qui quidem neque filium ex "
patris essentia constare, neque Spiritum sanctum confiteri volunt. quorum nomina "
subiunximus: Polychronius, Telemachus, Faustus, Asclepiades, Amantius, Cleopater. "
Atque hæc quidem ad hunc modum acta sunt, ad gloriam patris & filij & Spiritus san- "
cti, in secula seculorũ, Amen. Vos ad multorum annorum curricula optamus in Deo
patre & filio seruatore nostro Christo, cum sancto spiritu, valere plurimùm.

De Audæanorum hæresi. CAPVT IX.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 14. ISta cura ab imperatore longè illustrissimo de doctrina Apostolica Audæi dogmata & hæresis. suscepta fuit. Eodem tempore Audæus quidam, tum genere tum lin-
gua Syrus, nouorum dogmatum inuentor vixit. qui iam dudũ nefa-
ria scelera párere cœperat ille quidẽ, sed tum oculis omniũ ea subie-
cit. Nam primũ stulte & inconsideratè intellexit illud, Faciamus ho-
minẽ ad imaginem & similitudinem nostrã: quippe Deum formam
habere humanã existimauit, & mẽbris corporis circundatũ suspica-
tus est, neq; sensum ac sententiã sacræ scripturę omnino percepit, quę nõ rarò Dei actio
nibus nomina humanorũ membrorum tribuit. Et propterea, quorũ ingenia res paulò
subtiliores nõ capiunt, ad hoc modo de diuina prouidẽtia sentiendũ perfacilè inducun
tur. Huic impietati alias nõ dissimiles opiniones adiunxit. nã ex Manetis errore aliquid Audæani ab Ecclesia ex. gliss cur. Vide l. Ariani Cod. de hæret. & Manichæit. decerpens, Deum omniũ rerum moderatorẽ neq; ignis neque tenebrarum opificem es-
se asseruit. Verùm qui eius sectam sequuntur, ista, aliaq; quæ sunt de genere eodem, oc-
cultant: quos fertur ab ecclesiasticis conuentibus propterea segregatos esse, quòd pars
illorum execrabile exercent fœnus: pars mulierũ consuetudine, non vt lex postulat cõ-
iugij, sed nefariè impieq; vtuntur. Cæterùm si qui ab istis vitijs sunt vacui, hi cum illis
liberè communicant: & ob eam causam prædicant se separatim vitam degere, sicque
suorum dogmatum celant blasphemiam. Est tamen hæc simulatio plena arrogantiæ, Audæanorum arrogantia. & ex doctrina pharisaica planè nata. Nam accusant illi quidem ipsum animorum Marc. 2.
& corporum medicum, & quodammodo sic cum sanctis Apostolis verba faciunt:
"Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? Etiam per pro-
"phetam de huiusmodi Deus sic loquitur: Qui dicunt, mundus sum, ne me tangas:

hic

Universidad de Deusto
Biblioteca

hic est fumus iræ meæ. Sed istorum refutare dementiam, non est huius quidem tem- A poris. Ad ea igitur quæ sequuntur, percurramus.

De Messalianorum hæresi. CAPVT X.

Messalianorũ hæresis. Εὐχῆται. ἐνθουσιασταί. Vide d. l. Arianí, Cod. eod.

PEr idem tempus Messalianorum hæresis cœpit pullulascere. Hos qui nomen eorum in Græcum vertunt, εὐχήτας, id est, precatores vocant. Habent etiam aliam appellationem ex rei effectu ductam, nuncupantur enim ἐνθουσιασταί, id est, spiritu aliquo afflati: propterea quòd vim dæmonis cuiusdam in animos suos admittunt, eamque Spiritus sancti præsentiam esse arbitrantur. Quorum autem mentes hæc contagio penitùs infecerit, hi laborem manuum, velut vitiosum & improbum, auersantur: atque quieti se dedentes, visa somniorum, prophetias nominant. Huius hæresis principes sunt, Dadoes, Sabbas, Adelphius, Hermas, Symeones, & alij præterea, qui à communione ecclesiastica minimè se separant: propterea quòd diuinam escam, de qua Christus Dominus sic loquitur (Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, viuet in æternum) neque prodesse cuiquam, neque obesse affirmant. Porrò erroris morbum occultare nituntur, & post reprehensiones impudenter negant se eo laborare: & illis qui in eadem sunt opinione, quam ipsi animo complectuntur, ecclesia interdicunt. Ob hanc causam Letoius ecclesiæ Melitinensis episcopus, vir singulari studio erga pietatem exardescens, cùm videret multa monasteria, imò verò speluncas latronum, hunc contraxisse morbum, ea incendit, & lupos à grege abegit. Eodem modo præstantissimus ille Amphilochius, vrbis primariæ Lycaoniæ pastor, & moderator totius nationis, cũ intellexisset eã pernicie in illa loca inuasisse, denuò repulit: & greges, quos ipse verbo pauit, illa labe eripuit. Quinetiã Flauianus Antiochiæ episcopus, vir multorũ sermone celebratus, cũ accepisset hos Edessæ ætatem agere, & suum venenum in vicinorum animos infundere, missa ad eos monachorum turba, deduxit Antiochiam: & morbum, quem pernegabant, extorsit ad hunc modum. Primùm dixit, accusatores calumniari, & mentiri testes: deinde Adelphium admodum senem, benignè vocat ad se, propè assidere iubet. Tum, Quoniam (inquit) ô senex, ad longinquum temporis spacium vitam propagauimus, idcirco & natura humana, & fraudulenti dæmonum aduersariorum conatus nobis accuratius perspecti sunt, & cogniti. Multoque etiam vsu, quæ & quanta sint dona gratiæ, edocti sumus. Ista cùm sint iuuenes, & nihil istarum rerum exquisitè norint, sermones spirituales audire vix, aut ne vix quidem ferunt. Itaque tu, quæso, dic mihi, qua ratione affirmetis, & spiritum contrarium recedere à vobis, & sancti spiritus gratiam aduentare. His verbis senex ille delinitus, venenum occultatum exprompsit vniuersum, dixitque, Diuini baptismatis lauacrum, his qui eo tincti erant, nihil omnino prodesse, sed solas preces ardentes dæmonem in animis habitantem expellere. Nam singulos qui eduntur in lucem, ex primo parente, vt naturam, ita dæmonum seruitutem traxisse. Quibus ex animis oratione expulsis, Spiritum sanctum deinceps accedere, suamque præsentiam tum sensibus tum visui ostendere: & non corpus solum perturbationum motibus liberare, verùm etiam animum inclinatione ad deteriora prorsus eripere: adeò vt de cætero neq; ieiunio opus sit ad corpus coercendum, neque doctrina ad refrenandam eius libidinem, & ad danda præcepta, quibus recta viuendi via incedere discat. Et qui sit huius rei compos factus, non modò à lasciuis corporis concitationibus liberum fore: verùm etiam præuidere futura, & sanctam trinitatem oculis cernere. Itaque diuinus ille Flauianus, fœtido isto fonte effosso, & impijs eius riuulis patefactis, miserum senem sic affatur: O malis diebus onuste & inueterate, tuum ipsius os te coarguit, haud ego: tua labia contra te testimonium dicunt. Itaque erroris morbo retecto, Syria exacti erant illi quidem: sed in Pamphiliam profecti, eam eadem pernicie referserunt.

Vide Nicephor. cod. ca. 14. li. 11.

Messaliani laboris fugientes.

Messalianorũ mirasimulatio

Letoius epis.

Amphilochius.

Flauianus.

Adelphius quo modo à Flauiano deprehẽsus.

Messaliani negant baptisma valere.

Flauiani ad Adelphiũ increpatio.

Quonam pacto Valens in hæresim deflexerit. CAPVT XI.

IAm verò ad reliquam historiam veniam: & tempestatem, quæ multos fluctus, eosque turbulentissimos in ecclesijs excitauit, primùm explanabo. Nam Valens potitus imperio, quanquam primò doctrinæ Apostolicæ ornamentis decoratus, cum Gotthi Istrum traiecissent, & Thraciam populaerentur, consilio inito de colligendo exercitu, & bello contra eos suscipiendo, non putauit sibi consentaneũ, vt nudus diuina gratia expeditionẽ faceret: sed se perfecta sacrosancti baptismatis armatura tegeret, idq; præclarè & sapienter admodũ: postea tamen & nimia animi mollitie diffluere, & veritatem apertè prodere cœpit: idemque ei accidit misero, quod primo nostro parenti Adam.

Vide Nicephor. lib. 11. ca. 1. 2. 3. Socr. lib. 4. cap. 2. Sozom. lib. 6. cap. 6.

Valens baptizatus.

A Adam. Nam verborum lenocinijs coniugis suæ delinitus, in seruitutem datus est: & factus non captiuus solũ, sed etiam muliebrium verborum fallacijs obsequens. Siquidem illa erroris Ariani laqueis antè irretita, maritum in eosdem inducere laborauit: cuius hortatu in horrendum blasphemiæ barathrum præceps cum ea deiectus est: Eudoxius autem, qui adhuc ecclesiæ Constantinopolitanæ clauum tenebat, non vt eam ritè gubernaret, sed tanquam nauem vndis o brueret, hos non modò in hunc induxit errorem, verùm etiam eidem consecrauit.

Valens illustrat Adami peruxorẽ à Deo abducitur.

Quomodo episcopos, qui virtute maximè pollebant, extorres fecerit. CAPVT XII.

Vide Nice lib. 11. cap 1. 2. 4. referad ca. put præcedentis loco.

EOdem tempore igitur, dum Valens sacro baptismatis initiatur mysterio, Eudoxius eum miserum obstringit iureiurando, vt in eo impio dogmate perseueret: & omnes qui contrariæ doctrinæ adhærescunt, vbique ecclesijs exigat. Itaque Valens relicta doctrina Apostolica, hoc pacto ad partem aduersariam traductus est. Atque non longo temporis spacio interposito, cætera quæ iusiurandum postulabat, executus est. Nam Antiochena ecclesia magnum eiecit Meletiũ, Samosatena diuum Eusebium, Laodicensem autem Pelagio pastore sanè egregio orbauit. Qui cùm adolescens esset, duxit vxorem. Primoque nuptiarum die, in ipso nuptiali thalamo, sponsæ persuasit, vt castitatem pluris quàm concubitum æstimaret, & vt amorem fraternum pro coniunctione iugali teneret, edocuit. Verùm quanquam temperantiæ munus hoc pacto probè administrauit, & alias quoque habuit virtutes huic persimiles, quæ pariter cum ea velut choros ducebant, ac propterea communi omnium consensu ad præsulatum illum ascenderat: tamen splendores illos vitæ præclarè institutæ hostis veritatis minimè reueritus est, sed tum istum in Arabiam, diuum Meletium in Armeniam: in Thraciam autem Eusebium, qui doctrina Apostolica diuulganda permultos labores collocasset, relegauit. Iste Eusebius cum multas ecclesias pastoribus orbatas intellexisset, habitu militari indutus, & capite tiara operto, Syriam, Phœniciam & Palæstinam peragrauit, quò tum presbyteros & diaconos crearet, tum alia ecclesiastica obiret officia. Quòd si quando in episcopos secum doctrina consentientes incidebat, eos ecclesijs, quæ carebant pastoribus, præfecit.

Eudoxius Valentem Arianismo imbuit.

Episcopi orthodoxi rursum ecclesijs pulsi.

Pelagij castitas.

Eusebij Samosatenis ec clesias pastoribus destitutas studium.

De Eusebio episcopo Samosatensi. CAPVT XIII.

B Vide Nicephor. li. 11. cap. 21. ipsum The odorit. supra lib. 2. cap. 32. in fra li. 5. c. 4.

IAm verò quantam animi magnitudinem, quantamque sapientiam idem Eusebius demonstrarit, cùm edictum Imperatorium, quo iubebatur in Thraciam proficisci, ad eum esset perlatum, arbitror his, qui eius rei ignari sunt, perneccessarium ad cognoscendum. Sub crepusculum enim venit nuncius, qui hoc edictum afferebat: quem Eusebius tacere, & causam aduentus occultare iubet. Nam si plebs, inquit, studio pietatis educata, intellexerit, te demerget in flumen, & à me certè pœnæ tuæ mortis expetentur. Hæc locutus, & vespertino precum ministerio de more perfunctus, tempore, quo somnus solet obrepere, senex solus, fide vnius famuli fretus, ex vrbe egreditur. Sequitur famulus, ceruical tantum & librum secum deportans. Cùm autem ventum est ad ripas fluminis (nam muros vrbis præterlabebatur Euphrates) conscensa naue, iubet remiges rectà traijcere Zeugma. Vbi illuxit dies, iste Zeugma appulit: Samosata quere- lis & luctu redundarunt. Nam eius discessu per famulum illum, qui necessarijs Eusebij quædam exposuerat mandata, & quinam essent eum comitaturi, qui etiam libri vnà exportandi, indicauerat, patefacto, omnes se pastore orbatum lamentabantur. Itaq; frequentes per flumen nauigare, quò eum quærant, cœperunt. Atque vt primùm ad eum veniunt, videntque pastorem suum desideratum, conqueri, gemere, & ingentem vim lachrymarum fundere: quò persuadeant ei, vt apud ipsos maneat, & minimè sinat oues lupis tradi. Verùm cùm persuadere non possent, audiuissentque eum recitantem præceptum Apostoli, quò perspicuè iubemur magistratibus & potestatibus obtemperare: pars aurum, pars argentum, vestem alij, alij famulos ei offerunt, vt pote in regionem peregrinam, & longè illinc sitam profecturo. Iste autem paucis quibusdam rebus ab his qui erant familiaritate coniunctiores acceptis, vbi omnes tum doctrinæ, tum precationis armis communierat, & maghopere cohortatus fuerat, vti dogmata Apostolica viriliter propugnarent, ad Istrum contendit.

Illi ad vrbem suam reuersi, se ipsi mutuò excitare, & luporum incursiones fortiter depellere nituntur.

Eusebij Samosatenis in exilio subeundo magnanimitas.

Zeugma 72. m. passuũ à Samosatis, transitu Euphratis nobile Plin. lib. 5. cap. 24.

Principibus etiã iniquis obediendum.

De

De pijssimo Samosatensium & Antiochi presbyteri & Euolcij diaconi zelo.

CAPVT XIIII.

Eunomiũ epis. Arianum orthoxi etiam lauantem abhorrent.

ATque hoc loco ardentem & sinceram eorum fidem exponam: quan doquidem iniuriam me illis facturum censerem, si ea non scriptis ad memoriam sempiternam proderetur. Postea verò quàm Ariani gregem pastore longè optimo priuarant, & alterum in eius surroga rant locum, nemo ex vrbis incolis vel pressus egestate, vel diuitijs affluens, famulus vel artifex, agricola vel consitor, vir vel mulier, iuuenis vel senex, ad conuentum ecclesiasticum, vt moris erat, acce dere voluit, sed episcopus solus agebat: quippe nemo aut in eius venit conspectum, aut cum eo sermonem contulit, licet diceretur vitam apud eos valde modestè instituisse. Cuius rei hoc erit argumenti, quod sum iam dicturus. Cùm ei in animo esset se in balneo lauare, famuli, quò ingredi cupientes prohibierent, fores balnei occluserunt: at ille, vbi videt multitudinem pro foribus stantem: fores aperiri, & omnes audacter se in balneo vnà lauare iubet. Idem quoque præstitit in interiore balneo testudineato. nam cùm sibi lauanti multos astare cerneret, mandat vt fruantur vnà aquis calidis. Illi autẽ tacite consistebant. At iste eos honoris causa ita stare arbitratus, surgens ocyus, egredi- *Hæreticæ pra uitatis contagium ex balneo metuunt orthodoxi.* tur è balneo. Illi verò aquam hæreticæ nequitiæ contagione infectam esse rati, eam in cloacam emittunt, nouamque sibi infundi imperant. Qua re cognita, iste vrbe relicta abijt: quippe stultitiæ, imo verò summæ dementiæ putauit esse, vrbem infestam, & cõ- *Eunomij Samosata discessus.* munem simultatem erga ipsum exercentem, incolere. Quapropter vbi Eunomius (ita enim vocabatur) Samosata reliquerat, tametsi Lucium in eius locum sufficiebant, lupum planè, & insidiatorem ouium: tamen oues desertæ à pastore, pastoris munus i- *Lucius episcopus Eunomij successor omnibus inuisus.* psæ obierunt. Nam doctrinam Apostolicam integram conseruarunt. Verùm in quan tum odium etiam iste ab omnibus vocatus sit, historia, quam deinceps narrabo, docebit. Pueri in foro pilam mutuò contorsêre, quo quidem ludo se admodum oblectabant. Ac forte fortunà dum transibat illàc Lucius, pila è manibus pueri cuiusdam elapsa, per asini eius pedes peruoluebatur. Pueri autem vociferari: quippe pilam scelere pollutam existimarunt. Qua re intellecta, dat mandatum vni ex comitum suorum nu mero, vt maneat, discatq; quid factum sit. Pueri verò igne accenso, pilam per eius flam B *Puerorum expiatio in pila.* mam torquent, sicque eam purgatum iri arbitrati sunt. Ac tametsi non sum nescius, hoc puerile esse, & inueteratæ consuetudinis velut reliquias: tamen satis indicij inde capi potest, quàm esset secta Ariana illi vrbi odiosa. At verò Lucius Eunomij mansue- *Ariana secta Samosatis odiosa.* tudinem neutiquã est imitatus, sed sicut persuasit magistratibus, vti illi alios complu- res sacris initiatos in exilium mitterent: ita ipse eos potissimum qui sanctam diuinam- *Euolcij et Antiochi exiliũ.* que propugnabant doctrinam, ad vltimas imperij Romani oras relegauit: Euolcium *Eusebij Samosatensis martyrium.* † dico diaconum, quem Oasin vsque († de cuius solitudine multus habetur sermo) amã- dauit: & Antiochum tum cognatione cum Eusebio coniunctum, cuius sororis filius erat, tum multis rectè factis nobilitatum, tum sacerdotali dignatum honore, ad extre- mos Armeniæ fines expulit. Quàm verò præclarè iste pro diuina doctrina decertarit, postea ostendemus. Vbi diuus Eusebius post multa certamina, postq; victorias totidẽ, martyrij corona donatus fuit: conuentus populi, vt assolet, in vnũ cõuenit. Accessit etiã cò Iouianus, id temporis episcopus Pergæ, qui aliquandiu communioni Arianæ adhæ- serat. Itaque cũ omnes ad vnum, Antiocho, ad Eusebio auunculo succedendum suffra- *Iouianus episcopus Antiochenũ imponere prohibitus.* gati essent, & ad sacram mensam deduxissent, coegissentque genua flectere, simulac cõ- uersus vi dit Iouianum dexteram sibi imponentem, manum eius repulit: imperauitq; vt à numero eorum, qui ipsum consecrarent, segregaretur: dixitque, se nullo modo posse ferre dexteram illam sibi imponi, quæ sacra mysteria per blasphemiam consecra- ta receperat. Verùm ista non diu post acciderunt. Illo autem tempore in Armeniam interiorem amandatus est. Diuus Eusebius prope Istrum vitam traduxit: quo quidem tempore Gothi, vti eius scripta declarant, Thraciam populabantur, eiusque ciuitates obsidebant.

Vide Nicephor. lib. 11 cap. 21.

† Videan. not. pag. 326. lat. 2. lin. 19.

De sancto Barsa Edessæ episcopo, & clericis qui cum eo vnà relegati erant.

CAPVT XV.

Barsæ episcopi exilium.

BArsem præterea, cuius gloria etiam hoc tempore perillustris est, non Edessæ solum, quam gubernabat, & in ciuitatibus ei finitimis: verùm etiam in Phœnicia, Aegypto, & Thebaide (per has nanque nationes vniuersas fama eius propter virtutis splendorem permanauerat) primùm Valens Aradum insulam incolere mandauit. At vbi intelle- xit

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 22.

A xit infinitas hominum multitudines ad eum confluere (etenim Apostolica repletus gra tia, morbos verbo depulit (Oxyrinchum, quod est oppidum Aegypti, relegauit. Rursus, postquam eius gloria omnes etiam eò frequentes pertraxit, ad castellum misit in extre- mis oris illius regionis positũ, vicinumq; barbaris qui illic habitant, cuius nomen Phe- no est. Valẽs senem illum, idoneum sanè regno cœlorum incolam, abducendum cura- uit. Ferunt eius lectum in Arado insula ad hodiernum diem remanere, multo sanè ho- nore decoratum. nam multi morbis vexati, vbi in eo decubuerint, ad integram valetu- dinem per fidem restituuntur.

Oxyrinchus opp.

Pheno castellum.

Barsæ lectus in Arado morbos sanabat.

De persequutione quæ Edessæ sæuiebat, & Eulogio & Protogene Edessenis presbyteris. CAP. XVI.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 23.

WAlens autem, grege pastore orbato, Lupum in pastoris locum substituit. Et quoniam omnes, vrbe relicta, extra mœnia conuentus agebant, ipse Edes- sam proficiscitur. Ac Modesto, qui id temporis præfectus erat, imperat, suos milites, qui tributa solebant exigere, in vnum cogat, & reliquas copias, quę aderant, assumat, quò multitudinem congregaram dissipent, virgis fusti- busq; cædant: & alijs instrumentis bellicis, si opus sit, castigent. Itaque præfectus prima luce imperatum facit. Qui dum per forum transibat, mulierculam, infantem gestan- tem manibus, & ad modum properantem, videt. Nam militibus omnibus contemptis, primum eorum perrupit agmen: quandoquidem animus eius diuino amore accensus, hominum violẽtiam nihil extimuit, sed eiusmodi terrores pro risu habuit, & ludibrio. Quam tum conspicatus præfectus, cum quid factum esset intelligeret, eam iubet ad se adduci: rogat, quò se conferre velit? Tum illa: Cognoui, inquit, insidias cõtra famulos Dei paratas: & in animo est, ad fratres fide mecum consentientes contendere, magno flagrans desiderio cædem à vobis intentatam vnà cum illis subeundi. At infantem, in- quit præfectus, quorsum tandem tecum fers? Vt mecum, inquit, mortis optatissi- mæ particeps fiat. Quæ cum præfectus à muliere accepisset, & ex eius animo alio- rum omnium alacritatem perspiceret, refert ad imperatorem, & cædem illis frustra il- latam fore docet. Nam & ipsi, inquit, nihil præter dedecus inde consequemur, & eo- B rum tamen propensum ac paratum studium haudquaquam extinguemus. Quæ cum dixisset, tametsi perfecit vt multitudo cruciatus expectatos minimè subiret: tamen eius præsides (presbyteros dico, & diaconos) iubentur abduci, & alterum è duobus præ- stare: nempe vel communicare cum Lupo, vel in vltimas imperij oras relegari. Itaque vt primùm omnes in vnum coegerat, leni & blanda oratione conatur persuadere, vti legibus imperatoris morem gerant. Nam est, inquit, extremæ dementiæ, vt pauci ho- mines Imperatori, tam multis tamque præpotentibus viris moderanti, resistant. Ac quoniam omnes taciti constitêre, præfectus Eulogium, eorum presbyterum primari- um, virum sanè magna laude prædicandum, sic alloquitur: Cur tandem non respon- des ad ea quæ dixi modò? Sanè, inquit, non putabam me, minimè rogatum, quicquam debere respondere. Atqui, præfectus, Multa, inquit, verba feci, quò vos ad ea quę sint vo bis emolumento futura cohortarer. Tum Eulogius: Est, inquit, tua ad omnes habita o- ratio: & propterea absurdum certè putaui, vt alijs ipse à respondendo excluſis, solus re- sponderem. Verùm si à me libet quicquam scisciari, non te celabo, quid sentiam. Cui rursus præfectus: Proinde, inquit, communica cum Imperatore. Ad quem Eulogius, dissimulanter quidem, sed valde facetè, respondet: Nunquid cum imperio est etiam sa- cerdotij dignitatem consecutus? Præfectus igitur, intellecta ironia, cœpit grauiter suc- censere, conuicia in presbyterum iacere, & hæc quoque verba addere: Non istud dixi, ô stupide: sed vos, vti, quibuscum communicet imperator, cum eisdem communice- tis, adhortatus sum. Atque simul vt senex dixerat se habere pastorem, cuius nutum se- querentur: præfectus octoginta pariter comprehensos in Thraciam amandauit. Qui dum abducebantur in exilium, cultu & obseruantia summa dignati sunt. nam ciuita- tes & pagi processere illis obuiam: & maximum honorem, vtpote inuictis Christi ath- letis, deferunt. Sed aduersarij inuidia armati, referunt ad imperatorem, idem ipsum, quod hisce hominibus dedecori fore putabatur, summum honorem attulisse. Qua re cognita, Valens dat mandatum, vt bini duntaxat simul eant, & pars in Thraciam, pars ad extremos Arabiæ fines, alij in quędam Thebaidis oppidula dispergantur. Ferunt au- tem crudelissimorum quorundam opera tum eos quos natura coniunxerat, distractos fuisse: tum qui fratres erant, ab se mutuò segregatos: Eulogium verò, qui alijs præfuit presbyteris, & Protogenem secundum, ab eo in Antinonen, quæ est in Thebaide, rele- gatum, quorum virtutem obliuione obrui non sinam. Postquam enim compererunt

Eulogij epis. cũ Modesto colloquium.

Octoginta ex orthodoxis simul in exilium acti.

Eulogij et Protogenis relegatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

episcopum illius vrbis eandem secum fidem amplexantem, ecclesiasticis conuentibus A communicarunt illi quidem: sed cum viderent paucos admodum in vnum coeuntes, & ciuitatis habitatores gentiles esse accepissent, doluerunt certè plurimùm, vt par erat, & eorum infidelitatem grauiter lamentati sunt. Attamen non satis esse censuerunt dolore propterea tangi: sed quoad poterant, eorum animos sanare laborarunt. Nam diuus Eulogius in cella conclusus, dies noctesq; totas vniuersitatis gubernatorem Deum orauit. Protogenes autem, vir apprimè admirabilis, in literis educatus ab Eunomio, & in celeriter scribendo exercitatus, cum locum reperisset idoneum, ludum aperuit, & pueris docendis operam dedit: atque eos non modò exercuit ad celeri manu scribendum, verùm etiam sacra Dei eloquia edocuit. Nam hymnos Dauidis tanquam dicta illis proposuit: & eas Apostolicæ doctrinæ sententias, quas eorum ingenijs accommodatas putabat, ediscendas tradidit. Accum vnus ex pueris in morbum esset delapsus, venit ad domum eius: & dexteram ægrotantis tangens, precibus morbum depulit. Qua re intellecta, aliorum puerorum patres eum ad suas quoque ędes deducunt, orantque vt liberis morbo vexatis opem ferat. At ille respondit, se non prius Deum precaturum vti morbum depellat, quàm qui ægrotarct, baptismi lauacro tinctus esset. Cui rei à patribus libenter assensum est. nam sanitatis desiderium eos ad istud faciendum impulit: & simul tum animo tum corpore sanati sunt. Verùm si quando quenquam ex numero ægrotantium ad diuinam Spiritus sancti gratiam recipiendam induxisset, eum ad Eulogium deducit, pulsat ostium, orat vti tum aperiat, tum sigillum Dominicum ei, quem verbo Dei ad fidem traxisset, imponat. At cum Eulogius ægrè ferret, velut precibus interruptis: tum Protogenes, Est, inquit, errantium salus magis necessaria. Itaque mirari omnes Protogenem, cum eum eiusmodi miracula edere & tam multis lucem diuinę cognitionis impartire cernerent, primas Eulogio concessisse: & eos, quos verbo Dei ceperat, ad illum deduxisse. Meritò igitur multo maiorem præstantioremq; virtutem in eo esse suspicati sunt. Postea verò quàm tempestas persecutionis sedata fuit, & ecclesijs allata tranquillitas, istique duo iussi domum reuerterunt, omnes eos producere, lamentari eorum discessum, lachrimas fundere cœperunt: & maximè omnium ecclesiæ illius antistes, quippe qui illis in agro Dominico colendo deinceps carerer. Vbi in patriam veniunt, diuus Eulogius, Barse illo magno ad vitam nullis aspersam molestijs translato, ecclesiæ ab eo gubernatæ clauum obtinet. Protogeni autem illi admirabili dabatur in mandatis, vti Carras coleret, vrbem sanè incultam, & spinis Genti- B lium refertam, multosque & graues requirentem labores. Atque hæc quidem, pace in ecclesijs constituta, acciderunt.

Protogenes scriba.

Protogenis miracula.

Errantium salus precibus anteferenda.

Eulogius Barsæ successor.

Protogenes Carræ præfectus.

De sancto Basilio Cæsarienſi episcopo, & quæ contra ipsum à Valente & Modesto præfecto intentata sunt.

CAP. XVII.

VAlens autem, tota propè dixerim Christi ecclesia pastoribus nudata, Cæsaream, quam Cappadoces accolunt, proficiscitur. Quo quidem tempore Basilius, præclarum orbis terrarum luminare, illius ecclesiæ antistes fuit. Ad quem Valens mittit præfectum, iubetque, vti vel ei persuadeat communionem Eudoxij amplexari: vel si minus illud posset efficere, ecclesia illum eijcere. Nam celebris viri illius fama, quæ ad eius aures permanarat, impedimento fuit, quo minus illum primum adoriretur: ne generoso animo impetum excipiens, eumque repellens, exemplum alijs præberet fortitudinis. Attamen quod moliebatur, simile visum est aranearum telæ. Nam alij episcopi, cùm veteribus de religione acquieuêre decisionibus, tum velut quædam turres fidei murum firmum tenuêre. Cum autem præfectus Cæsaream venisset, Basilium Magnum accersitum honorificè excipit, leni & blanda oratione compellat: hortatur vt cedat tempori: & ne propter nimis curiosam dogmatum obseruationem, eamque paruò æstimandam, tot tantasque ecclesias prodat. Pollicetur se imperatoris amicitiam ei conciliaturum, beneficiaque multis alijs inde euentura prædicat. Cui diuinus ille vir, Pueris, inquit, hæc quidem oratio conuenit, siquidem illi ac sui similes eiusmodi verba auidè arripiunt: at qui sunt in Sacris literis educati, ne vnam quidem syllabam diuinorum dogmatum prodi sinunt: sed pro istorum defensione, si opus sit, nullum non mortis genus libenter amplectuntur. Quod autem ad imperatoris amicitiam attinet, eam cum pietate iunctam magni æstimo: sed si ea careat, pernicioſam esse dico. Accum præfectus grauiter commotus

Vide Nicer. li. 11. ca. 12. Sozo. lib 6. ca. 15. 16. 17. Socrat. lib. 4. ca. 24. 25.

Basilius Cæsareæ Cappad. episcopus.

Modesti cum Basilio M. colloquium politicum.

Basilij magnificentia.

Nullius amicitia colenda, quæ aliena sit à pietate.

A commotus esset, diceretque eum amentem esse: tum diuus Basilius, Me (inquit) hanc semper amentiam opto habere. Postea verò quàm egredi iussus erat, & quid sibi agendum sit, secum deliberare, posteroq; die suam declarare sententiam, & huic orationi etiam minæ adiunctę: fertur vir ille omni laude cumulandus respondisse: Ego quidem certè, idem qui iam sum, cras ad te redibo: tu verò ne mutes sententiam, sed minis vtaris velim. Isto cum illo habito sermone, præfectus factus obuiam imperatori, nunciat ei quæ dixerat Basilius, docet eius virtutem: & quàm virili & excelso animo sit, exponit. Quo quidem tempore imperator tacitus in palatium ingreditur. Vbi autem vidit in familiam suam plagas cœlitùs demissas (nam & filius graui morbo afflictatus, iamiam erat è vita migraturus, & coniunx varijs calamitatibus oppugnata fuit) istarumq; miseriarum causam agnouit, diuinum hominem, quem minatus fuerat se supplicio affecturum, orat, vt domum ad se veniat: duces autem imperatoris mandata conficiũt. Magnus igitur Basilius tum profectus ad regiam, & filium imperatoris mori- *Valentis filius ab Arianis baptizatus moritur.*
ti vicinum conspicatus, pollicetur eum ad vitam reuersurum, modò sacrosancto baptismate à pijs hominibus donaretur. Quæ cum dixisset, exiuit. Imperator verò iureiurando, more dementis Herodis, obstrictus, quibusdam sectæ Arianæ, qui aderant, pueri baptizandi negocium dat. Puer extemplò obijt mortem. Itaq; Valentem pœnitebat: qui mente complexus, quantum ex iureiurando suo verè obseruato accepisset incommodi, rectà ad templum sanctum se confert: fitque doctrinæ Basilij magni auditor, & consueta dona altari offert. Basilius autem eum intra sacra aulæa, vbi ipse sedebat, venire iubet: ad quem longam orationem de dogmatis diuinis instituit, eiq; dicenti Valens auscultauit. Aderat etiam quidam nomine Demosthenes, culinæ imperatoriæ præfectus, qui more planè barbaro orbis terræ magistrum Basilium reprehendit. At diuus Basilius subridens: Demosthenem, inquit, illiteratum vidimus. Vbi verò ille maiore exardescens iracundia, minari cœpit: Tuum est, inquit Basilius ille magnus, iusculorum curare condimenta. Nam cum aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes. Atq; ita ei à Basilio responsum est. Imperator autem sic Basilium admirari cœpit, vti agros, quos ibi habuit pulcherrimos, pauperibus, quorum cu- *Valens agros donat pauperibus.*
ram susceperat, quique corpore toto labefactati maxima egebant curatione, donaret. B Itaq; ad hunc modum Magnus Basilius primum Valentis impetum deuitauit. Secundò autem cùm eò accederet, rerum ante gestarum oblitus (quippe eius mens à quibus- *Valens à vera fide vsus sum deficit.*
dam veteratoribus expugnata fuit) hortatur Basilium, vt ad partẽ aduersariam se transferat. Deinde cum ei persuadere non posset, iubet edictum de illo in exilium mittendo conscribi. Quod cum sua manu ratum facere conaretur, ne apicem quidem vnum alicuius literę facere potuit: siquidem ruptus est calamus: neq; id semel, sed iterum ac tertiò accidit. Accum impium illud edictum confirmare impensius laboraret, concussa est dextera, tremorq; eam occupauit. Atq; cum animo esset præ metu propè attonito, chartam manibus dilacerauit. Vnde rerum omnium moderator Deus satis perspicuè ostendit, tum quòd alijs eius permissu eadem ipsa obtigerunt, tum quòd Basilius opem illius insidijs ereptus fuit. Atque vt in isto Basilij negocio potentiam suam monstrauit, sic in illo altero suæ prouidentiæ genere fortitudinem præstantissimorum hominum curauit palàm prædicandam. Valentem igitur, in hunc impetum facientem, spes frustrata est. *Valentis manus edictũ contra Basilium scripturi, affligitur.*

De sancti Athanasij morte, & Petri successione CAP. XVIII.

Vide Nicer. lib. 11. c. 26. Socr. lib. 4. ca. 16. Sozo. lib. 6. cap. 19.

ALexandriæ porrò cum victor Athanasius, post multa confecta certamina, post totidem etiam reportatas coronas, ex huius vitæ laboribus ereptus esset, & ad vitam vacuã à molestijs translatus: Petrus, vir facilè optimus, præsulatum illum obtinuit: quem primũ B. Athanasius suo suffragio designarat: eiusq; electioni ab omnibus tam sacerdotibus quàm magistratibus assensum est. Populus quoq; vniuersus acclamationibus, quantum lętitię percepisset, demonstrauit. Nam laborum ab Athanasio susceptorum socius & particeps fuit, & cum eo tum ibi vitam degente, tum peregrinante semper versatus est, & varios labores cum illo vnà exantlauit. Quapropter episcopi vicini eò simul ire maturarunt: & qui vitam seuera disciplina exigebant, ij ea relicta, ad Petrum in sede Athanasij collocandum se conferunt. *Petrus Athanasij successor*

Episcoporum orthodoxorũ alacritas in confirmando Petro.

Vide Nicer. lib. 11. c. 26. Socrat. lib. 4. cap. 16. Sozomen. lib. 6. ca. 19.

De exturbatione Petri, & Lucij Ariani inductione.

CAPVT XIX.

POstea verò quàm in sede episcopali locatus erat, præfectus illius prouinciæ collecta Gentilium & Iudæorum multitudine, ecclesiæ parietes circumsedit, deditq; Petro

Præfectus Petrum Alexandria ejicit.

mandatum vt exiret: atq; adeò minatus est, se eum, nisi exiret, inuitum inde exturbaturum. Atque ista egit, simulans quidem se velle imperatori gratificari, & contrariam doctrinam tuentes grauibus afficere incommodis: sed reuera, vt impiæ iræ, qua exardescebat, indulgeret. Nã colendis simulachris penitùs addictus erat: & festi splendidissimi loco habuit, turbulentam Ecclesiæ iactationem. Proinde Petrus ille admirabilis, cum bellum ex inopinato ortum videret, clàm ecclesia egreditur: & conscensa naue,

Petri ecclesia Lucio Ariano tradita ab Euzoio.

Romam contendit. Paucis intermissis diebus, Euzoius Antiochia Lucium secum ducens, Alexandriam aduentat, eiq; tradit ecclesias: de cuius impietate ac scelere Samosata satis fecissent periculi. Populus autem doctrina Athanasij educatus, cùm contrarium alimentum sibi præberi cerneret, conuẽtus ecclesiasticos deseruit. Quapropter Lucius subsidio satellitũ, qui simulachra colebant, vsus, alios verberibus cędere, includere in carcerem alios, nonnullos per vim in fugam vertere, quorundam ædes instar barbarorum vastare cœpit. Cęterùm à Petro illo admirabili hæ res sunt multo accuratius in epistola explanatę: quam epistolam ipse equidem, vbi vnum scelus à Lucio editum exposuero, in historiam inseram. Erant in Aegypto homines, qui angelicã planè viuendi rationem summo studio excolentes, à tumultu ac strepitu ciuili se remouerent, vi-

Lucij scelus.

tamq; in solitudine degere instituerent, & loca arenosa planeq; sterilia redderent frugifera: & ex virtute, quam velut legem viuendi sibi proposuissent, fructum Deo gratissimum pulcherrimumq; offerrent. Quod vitæ genus tametsi alij complures colere incepérant, tamen Antonius ille multorum ore ac sermone celebratus, se ordinum illorũ

Eremitæ Aegyptij.

Antonius eremita.

qui seueram hanc & monasticam viuendi disciplinam sectati sunt, magistrũ longè prę-

stantissimum præbuit: atq; solitudinẽ, palæstram virtutis monachis effecit. Cuius discipulos (nam ille ipse cum maximo & prędarissimo viatico iam ad portum tranquillitatis appulerat) infelix ille & planè miser Lucius persecutus est. Nã principes sacrosãcti illius chori, Macarium dico, illum celebrem, & gentilem eius, quinetiam Isidorum, &

Macarij & Isidori relegatio.

alios præterea è speluncis educens, quandam in insulam ab impijs hominibus habitatã, quę nullum vnquam pietatis magistrum admiserat, relegauit. Ac cum nauigium ad litus insulę appropinquaret, dæmon, quem insulani colebant, relicto simulachro sibi dedicato, in quo iam diu suum domicilium habuerat, filiam sacerdotis in furorem compulit: & bacchantem ad idem ipsum littus, ad quod remiges nauem appulerant, deduxit: cuius lingua pro instrumento vsus, eadem per eam contenta voce effudit verba, quę

Sacerdotis filiæ dæmonio obsessæ testimonium.

mulier olim Philippis habens spiritum Pythonis. Omnesq; tum viri tum mulieres audiuere dæmonem illum dicentem, O vestram potentiã, ô famuli Christi, vbiq; à vobis abigimur, ex ciuitatib. & pagis, ex mõtibus & collib. ex solitudine ab incolis deserta. Spe rabamus quidem in hac insula ætatem agentes vestris telis fuisse liberatos: de qua iam spe decidimus. Nam persecutores vos istuc amãdarunt, non vt vos afficerent molestia, sed vti nos vestro aduentu hinc expellerent. De insula igitur decedimus: vestræ namq;

Miraculum.

virtutis radijs, tanquã telis percellimur. Hæc & his similia locuti, puellam prostrauere ad terram, ipsiq; prorsus euanuere. Diuinus autem ille sanctorum chorus puellam precibus excitauit, & sobriam ac sanã genitori reddidit. Huius miraculi spectatores ad sanctorum illorũ pedes prouoluti, orant vti per eos salutis viaticum assequantur: delubrũ simulachrorum diruunt: atq; piæ doctrinę splendore illuminati, sacro sancti baptismatis gratia donati sunt. Quibus rebus in vrbe Alexandria palàm cognitis, omnes pariter cœperunt Lucium conuicijs lacerare, atq; adeò dicere, iram Dei ipsos oppressuram, nisi diuinus sanctorum illorum cœtus dimissus esset. Itaq; Lucius veritus tumultum ciuiũ,

Eremitis redeundi facta potestas.

fecit copiam sanctis viris ad speluncas suas reuertendi. Quanquam verò ex his destabilis eius nequitia & impietas satis cognosci potest, tamen Petri illius admirabilis epistola multò accuratius scelera ab eo admissa explanabit. Sed ne nimis longus sim, ea duntaxat quæ sunt in media epistola posita, citabo.

De ijs quæ Lucij impulsu Alexandriæ contigerunt, narratio, ex Petri Alexandrini episcopi epistola. CAP. XX.

Petri Alexãdrini episcopi epistola.

PRouincię illius præfectus Palladius, professione Gentilis, & simulachris colendis semper deditus, quoniam sæpe animo instituerat bellum contra Christum gerere: tandem copijs, quas suprà dixi, in vnum coactis, Ecclesiam non aliter atq; barbaros subiugare maturat. Tum verò, tum inquam, facinora longè improbissima admissa fuere. Quę dum volebam solum commemorare, eorum memoria tantum mihi attulit doloris, vti immensam vim lachrymarum profuderim. Quę sanè ægritudo mediu admodum oppressisset, nisi diuina quadã cogitatione eam lenire aggressus fuissem. Nam copiæ in ecclesiam Theonæ (sic enim vocabatur) ingressæ, pro verbis gra-

Palladius præfectus idololatra.

Vide Nicc. lib. 11. cap. 26. 27. 28 Socrat. lib. 4. cap. 17. Sozo. lib. 6. cap. 19. 20.

uibus

A uibus & Ecclesia dignis simulachrorum laudes decantare, pro diuinarum literarum le-
„ ctione plausus indecoros edere, fractasque voces cum obscœnitate fundere & contu-
„ melias in Christi virgines iacere non sunt veriti. Quales quidem contumelias lingua
„ proferre reformidat, quippe cum dictu turpes sint. Nam quisnam bene sanus, cum eas
„ tantummodo audiret, non aures penitùs obstrueret? imò verò optaret se potius sur-
„ dum esse, quàm vt tantam obscœnitatem auribus acciperet? Sed vtinã verborum tur-
„ pitudine contenti, in ea re solum deliquissent: & non improbitate factorum, verbo-
„ rum petulantiam longè superassent. Nam conuicium, qualecunque illud sit, est qui-

Conuicium Christianis tolerabile.

„ dem tolerabile, præsertim his in quorum animis Christi prudentia & doctrina diuina
„ habitat. At isti, vasa iræ aptata ad interitum, nasuti, qui strepitum lasciuum, sono-
„ rum, & velut ex aquæ ductu (vt ita dicam) crumpentem, per nares effundebant, vestes
„ sanctarum Christi virginum, quarum pius vitæ cultus exemplar viuendi sanctorum
„ angelorum expressit, dilacerare, easque nudas, vti in lucem editę erant, per vrbẽ trium-
„ phi loco ducere, & pro sua libidine petulanter & obscœnè irridere cœperunt: denique
„ quæ perpetrata sunt, tum crudelia erant, tum peregrina. Quod si quis his rebus ad mi-
„ sericordiam inductus, eos vel vi prohibere, vel hortando à talibus facinoribus dissua-
„ dere conaretur, non sine vulneribus discessit. Verùm, proh dolor, multæ virgines per

Virginum sacrarum violatio & cædes.

„ vim stupratæ, complures etiam fustibus in capite cæsæ, mutæ iacuerunt: quarum cor-
„ pora tumulis mandandi nulla omnino permissa potestas est. Et propterea complura
„ earum corpora, quæ sunt ab illarum parentibus cum multo gemitu quæsita, nondum
„ reperiuntur.

„ Sed quid inter res magnas, eas quæ sunt exigui momenti, persequor? Aut quid in his
„ immoror, & non ad eas quæ propter acerbitatem me ad se rapiunt, properè sermonem
„ transfero? Quarum, certò scio, vos magna capiet admiratio, & velut attoniti iuxtà no-
„ biscum consistetis, obstupescentes admodum, quòd Dominus tanta clementia vsus sit,
„ ac non funditùs hanc vniuersitatem deleuerit. Nam quæ neq; facta sunt, vti scriptũ est,
„ neq; audita in diebus patrum nostrorum, hæc impij in ipso altari designarunt. Nam ve-
„ lut in proscenio, in quo turpis aliqua ageretur fabula, puerum masculum, qui sexum
„ denegauerat virilem, & muliebrem sibi affinxerat, quiq; tum oculos habebat (vt scriptis
„ proditum est) stibio oblitos, & vultum simulachrorum more fuco rubentem, habitu
B muliebri in ipso sancto altari, vbi pro Spiritus sancti descensu inuocari solet, corpore in

Altaris profanatio.

„ orbem acto, & manibus hucillucq; cum gestu iactatis, saltare compulerunt: atq; in ri-
„ sum immoderatum effusi, nefarias voces ore extulerunt. Rursus, cum istud quoq; ad re-
„ ctum ordinem spectare, & pręterita facinora decora potius quàm nefaria existimarent,

Concio execranda in Christi contemptum habita.

„ vnum ex suis turpitudine insigniter nobilitatum, & vt pudore, ita vestibus, sicut natus
„ erat, nudatum in summo Ecclesię solio collocant, turpemq; contra Christum concio-
„ natorem appellant. Nam pro verbis diuinis turpitudinem, pro graui oratione petulan-
„ tiam, pro pietate impietatem, pro continentia stuprum, adulterium, concubitum cum
„ masculis prædicauit: docuitq; cùm alia, tum furtum, cibum & potionem, vitæ hominũ
„ vtilia esse. Quæ cum ita se haberent, & ipse de Ecclesia decessissem (qui enim ibi manere
„ poteram, vbi incursiones à militibus factæ, vbi multitudo argento conducta ad sedi-
„ tionem, vbi nimia pecuniæ cupiditas, vbi turbæ gẽtilium amplissimis promissis ad ma-

Quæ ad ordinationem Episcopi requirantur.

„ leficia inuitatæ?) noster scilicet successor Lucius, qui partes lupi nequitia & improbè fa-
„ ctis agere impensè studebat, quiq; episcopatum non consensu episcoporum orthodo-
„ xorum in vnum conuenientium, non suffragijs verè clericorum, non postulatione po-
„ puli, vti sacri ecclesię canones prescribunt, sed pecunia tanquam dignitatem quandam,

Lucij cum Euzoio in ecclesiam irrupio.

„ vt ita dicam, secularem emerat, illò cũ mandato aduenit. Istum aũt comitati sunt (so-
„ lus enim in vrbẽ ingredi nõ poterat) non episcopi vlli, nõ presbyteri, non diaconi, non
„ populi multitudo, non monachi hymnos ex sacris literis deprõptos cantantes: sed Eu-
„ zoius, qui iam pridem in sancto & celebri concilio Nicæno, cum diaconus esset in vrbe
„ nostra Alexandria, vnà cum Ario abdicatus fuerat: nunc autem presul ecclesię Antio-

Magnus Comes.

„ chenæ, quam velut pestis labefactat: & Magnus quidam Comes prouincialium largiti-
„ onum, cum ingenti militum maun, vir nullo nõ impietatis genere semper nobilitatus:

Berytus.

„ qui Iuliani temporib. ecclesiam Beryti (ea aũt est vrbs Phœniciæ perillustris) incende-
„ rat: sed Iouiano piæ memorię Imperatore regnãte, eandem suis ipsius impensis erat de-
„ nuò ædificare coactus: parũq; aberat quin securi fuisset percussus, nisi multis pro eo de-
„ precantib. veniam ab imperatore impetrauisset. Itaq; vos, qui incredibili pietatis studio
„ flagratis, quorum opem ad hæc scelera vindicanda imploro, hinc considerare debetis,
„ quæ & quanta maleficia ab isto, quem dixi, tyranno Lucio, qui in nos impetum fecerit,
„ contra ecclesiam Dei designata sint. Nam non à vestra pietate solum, verùm etiam ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

Lucij in Ecclesiam Deimaleficia.

Lucius episc. à Gentilibus quomodo exceptus.

Magni Comitis in Christianos crudelitas.

Ad Arianismũ amplectendũ exhortatio.

Pietatis prodition omni cruciatu acerbior.

Piorum libera confessio.

Ariana hæresis.

Filius patri consubstantialis.

Tormenta piorum virtutis gymnasium.

episcopis omnibus orthodoxis sæpenumero abdicatus, ciuitatem ei iustis de causis ad- A
modum infensam occupauit. Quinetiam non modò, vti insipiens ille blasphemus in "
Psalmis loquitur, quòd Christus non est verè Deus: sed etiam vitæ institutis & ipsecor- "
ruptus est, & alios corrumpit, inq; maledictis contra Seruatorem ab his qui creaturam "
creatoris loco colunt, iactatis plurimùm delectatur. Et quidquæso causæ est, cur, cum "
simili cum Gentilibus opinione imbutus sit, nõ noua quadam & inaudita impudentia "
sceleratus Deum colere audeat? In cuius conspectu Gentiles has laudes prædicarunt: "
Gratus est nobis tuus, ô episcope, aduentus, qui filium Dei negas. Serapis te amplectitur "
hucq; adduxit. Atq; isti quidem in eo excipiendo, nomẽ simulachri sui patrij recitarũt. "
Porrò autem vix momentum temporis iam præterierat, cum Magnus, quem suprà no- "
miñaui, indiuiduus impietatis istius comes, satelles truculentus, satrapa crudelissimus, "
copijs commissis suę curę in vnum collectis, presbyteros & diaconos numero decem & "
nouem, quorum nonnulli octogesimum ætatis annum præterijssent, comprehendit: "
& de illis, velut in aliquo scelere, eoq; Romanorum legibus contrario deprehensis, iu- "
dicium publicum exercere, & ignarus legum quę sunt pro Christianę pietatis defensio- "
ne sancitæ, eos compellere cœpit, vti auitam fidem ab Apostolis per patrum successio- "
nem nobis traditam proderent: affirmauitq;, Valentem Augustum Imperatorem cle- "
mentissimum, hac re vehementer delectatum iri. Postremò cum maxima contentio- "
ne vocis hæc verba protulit: O`miseri, obsequimini, Arianæ opinioni assentite. Nã diui- "
num numen, licet illa quã colitis religio vera sit, si non vestra sponte, sed necessitate ad- "
ducti, ab ea discedatis, veniã vobis daturũ est. Etenim in his quæ necessitate peccantur, "
relinquitur excusationi locus: sed cũ sua sponte quisquã deliquerit, carere reprehẽsione "
non potest. Quocirca ijs rationibus ante oculos mẽtis positis, abiecta omni cũctatione, "
alacri animo nostrę accedite sententiæ, & dogmati Ariano, quod iã Lucius (eũ namq; "
nominauit) palàm prędicat, subscribite: pro certo persuasi, quòd si istius doctrinę obtẽ- "
peraueritis, sitis pecuniam, opes & honores ab Imperatorib. consecuturi: sin aũt restite- "
ritis, tum carceres, tormenta, quæstiones, flagella, & carnificinæ vobis subeundę sunt: tũ "
pecunijs vnà cum possessionibus orbati eritis: tum deniq; eiecti è patria, ad loca mole- "
stissima incolenda condemnabimini. Ad hunc modũ igitur generosus iste dux, minis "
cum fraude tẽperatis, oẽs à pia doctrina & sententia partim cohortando, partim cogẽdo B
deducere studuit. At verò illi, quoniã pietatis proditionem plus habere acerbitatis (vti "
reuera habet) quàm vllũ cruciatus genus, existimabant, demũ necessitate compulsi, his "
verbis ei responderunt, virtuteq;, & virili animorum celsitate fraudẽ eius pariter & mi- "
nas profligarunt: Desine posthac, desine his vocibus nos perterrere: à verbis inanibus "
proferendis tu te cohibe. Nam nos neq; nouitiũ, neq; recentem colimus Deum. Ac ta- "
metsi tu velut fluctibus iactaris, spumam ore temerè fundis, & tanquam ventus violen- "
tus in nos cum impetu ruis: tamen nos ad extremũ vsq; spiritum, sumus doctrinæ pie- "
tatis firmè adhæsuri. Neq; certè vnquam sensimus Deum potentiæ, sapientiæ, aut veri- "
tatis expertem esse: neque patrem interdum existere, interdum non existere, vti impia "
Arianorum opinio fert: neq; filiũ in tempo re ortum, aut momentaneũ esse opinati su- "
mus. Nam si filius (sicut Ariani somniant) creatura sit, & non sit patri consubstantialis: "
inde efficeretur, vt pater quoq; non sit: quippe si, vt illi sentiunt, quodam tempore nõ "
extabat filius, pater etiam quodã tempore non fuit. Verum si pater semper existit, filio "
videlicet, vero germine, & nõ ex seminis profluuio enascentis existente (Deus enim im- "
patibilis) quid est cur non demens & insanus existimetur ille, qui filium, per cuius gra- "
tiam factum est vt sint omnia, quodã tempore non fuisse sentiat? Nam patres nostri per "
vniuersum orbem terrarũ diffusi, ex quorum fide isti excidentes, meritò sanè patre ca- "
rere dicantur, Nicæę in vnũ conuocati, peruersę Arij opinioni, cuius patrociniũ iste no- "
uitius susceperit, anathema denunciarũt: & filiũ non ex alia essentia quàm patris, quod "
tu nos iam dicere vrges, sed ex eadem ipsa constare asseruerunt. Quod quidem præcla- "
rè & cum pia cogitatione cõplexi, filium ex crebra vocũ è sacris literis petitarũ collatio- "
ne patri consubstantialem ingenuè confessi sunt. Itaq; cum hæc & alia ijs similia dixis- "
sent, ad multorum dierũ spacium in carcerem eos concluſit Magnus, ratus se eo pacto "
illos à pia sententia deducturum. Verùm illi non aliter atq; fortissimi in stadio athletæ "
omni metu penitùs depositò, se rebus pręclarè à patrib. diuina mẽte & cogitatione gestis "
quasi perungentes, multò excelsiores animos ad pietatẽ propugnandã habuerunt, tor- "
menta nihil aliud quàm virtutis gymnasiũ arbitrati. Sic igitur cũ decertarent, & specta- "
culum (vti scribit B. Paulus) tũ angelis tum hominib. fierent, accurrit tota ciuitas, visu- "
ra Christi athletas verbera iudicis eos torquentis tolerantia vincentes, & contra impie- "
tatem per patientiam erigentes trophæa, & triũphos aduersum Arianos agentes: quos
quidem

Aquidẽ per minas ac fraudẽ oppressos, dirus iste hostis libidini eorũ, qui impietatẽ contra "
Christũ exercebant, se dediturũ censuit. Cũ igitur tormẽtis crudeliter eis infligendis fa "
tigatus esset, populusq; vniuersus varijs querelæ generibus & multo luctu vteretur, tru- "
culentus ille dux, qui omnẽ exuerat humanitatem, consuetis suis copijs denuò ad tu- "
multum ciendum collectis, Christi athletas ad iudicium, imò verò ad iniustam con- "
demnationem vocat, eosq; ad littus maris sisti iubet: in quo loco cùm simulachrorum "
cultores, & Iudæi mercede conducti, more suo contra eos vociferarentur, & illi mani- "
festæ insanorum Arianorum impietati cedere nollent, sententiam de illis, populovni- "
uerso ante tribunal grauiter lamentante, pronunciat Magnus, vt Alexandria exacti, ad "
incolendam Heliopolim, vrbem Phœniciæ, transportarentur: in qua quidem vrbe ne "
vnus quidem habitabat, qui Christi nomen audire (omnes enim simulachra colebant) "
omninò sustineret. Itaq; iussis illis actarùm nauem conscendere, ille ipse in litore stans "
(nam in balneis publicis, quæ propè inde aberant, eos condemnauerat) ensem districtũ "
illis ostendit, ratus quidem se terrorem iniecturum eis, qui ancipiti gladio spiritus, infe "
stos dæmones sæpenumerò vulnerassent. Dat igitur mandatum, vt iam, cum neq; com "
meatum vllum in nauem imposuissent, neque quicquam omninò haberent, quo exilij "
molestias subleuarent, inde soluant. Quo quidem tempore ipsum mare (quod planè "
mirandum est, & propè incredibile) vndis agitatum spumare cœpit, rei indignitatem, "
credo, ægrè ferens, & penitùs, vt ita dicam, recusans eos viros excipere, ne eo pacto ini- "
qui mandati exequendi particeps fieret. Quippe his, qui ignari erant, barbaram & im- "
manem iudicis voluntatem perspicuè patefecit: adeò vt verè dici possit, hac re cælum i- "
psum obstupuisse. Quinetiam tota ingemuit ciuitas, & adhuc lugere non desinit. nam "
pars alternis manuum ictibus pectora tundendo ingentẽ strepitum edere: pars manus "
simul & oculos ad cælum tollere, quòd Deum de vi sibi illata testarẽtur, & ita ferè loqui: "
Audi cælum, & auribus percipe terra, quàm iniqua atque adeò indigna edita sint faci- "
nora. Denique omnia luctu redundare, planctus & eiulatus per vniuersam vrbem per- "
uadere, flumenque tantum lachrymarum derepentè manare, vti ipsum mare sua inun- "
datione obruere videretur. Cum autem dux iam ad litus astans, imperaret remigibus, "
vt vela erigãt: tum fiebat fletus promiscuus virginum, fœminarum, senum & iuuenũ, "
tum lamenta cum amaris lachrymis permista, tum clamores ab omnibus tam ingentes "
editi, vt maris vndosi mumur, quod tumidi fluctus mutuò colliſi excitare solẽt, prope- "
modum obscurarent. Vt primùm verò athletæ Christi, quos diximus, appulere Helio- "
polim, vbi omnes erant superstitioni dediti, vbi instituta diaboli ad voluptatẽ explen- "
dam cõparata, vbi horrenda ferarum latibula (nam montes vndiq; cælum propter alti- "
tudinem penè attingentes, vrbem illã obuallabant) & omnes deinceps in media vrbe "
communiter, & singuli priuatim lamentari, & lugubres voces fundere inceperunt: da- "
batur mãdatum à Palladio, vrbis illius præfecto, homine superstitioni deditissimo, vt "
omninò lachrymari desinerent. Vnde multi, qui plorabant, hiq; præ diuino zelo stre- "
nui ecclesiæ propugnatores arrepti, primùm in custodiam conijciebantur: deinde ver- "
beribus cęsi, lacerati, & tormentis affecti, ad metalla, quæ sunt in Phenneso & Procon- "
neso, amandabantur. Inter quos cõplures erant monachi, ad numerum viginti trium, "
qui quò seuerà disciplinam excolerent, in solitudine habitarunt: quibuscum vnà dia- "
conus, qui literas tum cõsolationis, tum cõmunionis à Damaso episcopo Romano ad "
nos attulerat, manibus à tergo colligatis, à lictoribus palàm tanquã maleficus insigni- "
ter improbus trahebatur. Qui acerbiorib. tormentis, quàm quisquã homicida, excrucia "
tus fuit, cuius ceruices lapidib. & plumbo crudeliter verberatæ erãt. Postremò naue ad "
traijciendum conscensa, eodẽ modo cum eo atque cum cæteris factum est. Nã omni o- "
pe ac subsidio destitutus erat, & propterea frontẽ signo sanctæ crucis cõsignauit: sicque "
metallis æneis, quæ sunt in Phenneso, traditus est. Porrò aũt, cum iudex teneræ puerorũ "
corpora torqueret, quidam eorum post cruciatus, remansere iure sepulturæ defrauda- "
ti: idque cum parentes, fratres, cognati, & tota penè dixerim ciuitas postularet, vt vnum "
hoc, atque adeò vltimum vitæ solatium illis tribueretur: (sed ô sæuam iudicantis, imò "
verò condemnantis crudelitatẽ.) Nam qui pro pietate decertarint, idem cum homici- "
dis iudicium subeunt, corporaq; eorum manent insepulta: & qui pro fide strenuè dimi- "
carint, bestijs & volucribus obijciuntur ad vorandum: qui denique patres cæsorum cõ- "
scientiæ causa cõmiserati sint, tanquam impij facinoris autores securi feriuntur. Quæ "
Romanorum lex, quæ barbarorum sententia vindicauit in eos, qui patribus cæsorum "
condoluerunt? Vbi nam tale scelus à quoquam veterum fuit vnquam patratũ? Olim "
Pharao iusserat Hebræorum masculos trucidari: verùm inuidia & metu adductus "
hoc mandatum dedit. At quæ tum gerebantur, quanto sunt his, quæ modò designata

Lucius in Ecclesiam Deimaleficia.

Magni sententia pij in exilium acti. Heliopolis.

Maris miracula.

Luctus incomparabilis obpiorũ relegationem.

Rom. 1.

Palladius præfectus impius.

Monachi ad metalla damnati.

Phenneſi & Proconneſi metalla.

sunt, mitiora: quanto optabiliora, si iniuria optio vlla sit: quāto tolerabiliora, si scelus A
cum scelere (licet scelera aliud ab alio seiungi nequeant) velimus comparare (Sunt ista
quæ commemoro, incredibilia quidem, immania, dira, crudelia & barbara, sine miseri-
cordia, amara: sed tamen amentes Ariani, in illis insolēter gloriati sunt, atque adeò
tripudiarunt. Cum enim tota ciuitas in luctu & mœrore esset (nulla enim domus erat,
in qua, vti in Exodo scriptis proditum est, non iaceret mortuus) hi, quorum crudeles
animi nullo modo exsaturari poterant, non conquieuerunt, sed scelus de integro ex-
ercere aggressi sunt. Nam voluntatem suam, quę ad deteriora inclinabat, patefaciētes,
suę maleuolentię virus in illius prouincię episcopos effundere cœperunt. Siquidē ope-
ra Magni, quem diximus, Comitis largitionum, satellitis ad iniuriā satis instructi, non-
nullos eorum in iudiciū adducere: alijs, quo libitum erat modo insidias parare, eo con
silio, vti omnes vbiq; impietatis laqueis irretirēt, nihil intentatum relinquentes. Quin-
etiam omnia loca circuire, non aliter atq; diabolus ipsorū hæreseos parens, querentes
quem deuorent. At qui cùm in eo quod conabantur, ab omnib. se destitutos viderent,
vndecim tamen episcopos Aegypti, viros qui ab incunte ætate ad summā vsq; senectu-
tem solitudinē seuerę disciplinę causa incoluerant, qui sanctam ac sinceram fidē auda-
cter & liberè prædicarant, qui pietatis dogmata vnà cum lacte nutricis suxerant, qui vi-
ctoriam contra dæmones reportarant, qui virtute aduersarium represserant, qui Aria-
nam hæresim suis (vt aiunt) coloribus depinxerant, Magno illo, quem suprà nominaui-
mus, velut instrumento crudelitatis vsi, in exilium eiecerūt: oppidumq; nomine Dio-
cæsaream, à ludæis, qui Dominum interfecerant, habitatam, incolere compulerunt. Et
tamen non aliter quàm Orcus, morte fratrum minimè satiati, vbiq; terrarum velut a-
mentes ac stupidi, suę crudelitatis monumenta relinquere non verentur, atq; adeò ma-
leficijs se nobilitare studēt. Eccę enim rursus Ecclesię catholicę clericos, qui Antiochię
commorabantur, quiq; cum quibusdam monasticę vitę spectatis, tragica eorum scele-
ra testata apud omnes relinquere constituerant, isti vocibus maledicis contra eos in au
res Imperatoris infusis, Neocæsaream vrbem Ponti relegandos curauerunt: qui quidē
propter locorum asperitatem, vita quoq; breui spoliati sunt.

Ariani Christianorum vexatione lætātur.

Episcopi misere tractati.

Aegytij episcopi XI in exilium acti.

Diocæsaria.

Neocæsarea.

Tales quidem tempora illa tulere tragœdias: quæ tametsi silentio & obliuione obruendæ sunt, tamen literarum monumentis produntur, ad eos coarguendos, qui linguis petulantibus Dominum sunt insectati: qui quidem morbo blasphemię infecti, nō B
modò in totius vniuersitatis Dominum & moderatorem Deum conuicia iacere, verū etiam contra pios eius famulos bellum exitiale susципere non dubitarunt.

De Mauia Saracenorum regina, & Mosis monachi ordinatione.

CAP. XXI.

Mauia Saracē regina fit Christiana.

PEr idem tempus Ismaelitæ agros imperio Romano finitimos populati sunt, quorum dux fuit Mauia: quæ non complexa mente eam quam habuit naturam, animos viriles sibi sumpsit. Eademq; post multa commissa prælia, primùm fœdus cum Romanis ferit: deinde luce diuinæ cognitionis accepta, postulat episcopum genti suæ designari Mosen quendam qui in finibus Aegypti & Palæstinæ habitabat. Cuius postulationi assensus Valens, diuinum illum hominem Mosen Alexandriam adduci iubet, ibiq; gratia episcopali donari. Vbi verò adductus est, viditq; Lucium sibi manum imponere velle, Absit (inquit) vt tua manus me consecret: nam tua inuocatione Spiritus sancti gratia in neminem descendit. Cui Lucius: vnde, inquit, ista conijcis? Non conijcio, inquit, sed certò equidem scio. Etenim pugnas contra doctrinam Apostolicam, & contrariam ipse doces: atque cum verbis blasphemiæ, impiè facta coniungis. Quis namque impius non tua causa conuentus ecclesiasticos petulanter insectatus est? Quis è laudatorum virorum numero non per te exulauit? Quam immanitatem barbaram maleficia abs te in dies singulos admissa non longè superarunt? Quæ cum animo valde fidenti dixisset, Lucius eius verbis attentè auditis, eum interficere magnopere cupiebat ille quidem: sed tamen metuebat, ne bellum extinctum de integro accenderet. Quamobrem ad alios episcopos, quos ille ipse postulauerat, deduci iussit. Postremò Mosen, vbi cum fide admirabili gratiam episcopalem receperat, ad illos qui eum requirebant, profectus est, & partim doctrina Apostolica, partim miraculis eos ad veritatem traduxit. Atque Alexandriæ quidem eiusmodi scelera à Lucio admissa, & diuina prouidentia mirè compressa cognouimus.

Vide Ruff. Socrat. lib. 4. cap. 29. Vide Sozom. lib. 6. ca. 5. Vide Nice. lib. 11. c. 46. 47

Mosen monachus episcopus factus.

Lucius episc. à Mose reprehensus.

De

A

De rebus truculenter Constantinopoli gestis.

CAP. XXII.

Vide Nice. lib. 11. c. 16. Socr. lib. 4. ca. 12. Sozo. lib. 6. ca. 13. 14.

ONstantinopoli autem, Ariani nauem pijs presbyteris refertam, sine armamentarijs in altum propellunt. Deinde quibusdam suæ sectæ fautoribus in aliud nauigium impositis, mādatum dant, vt nauem presbyteris refertam incendant. Qua re confecta, presbyteri cum igne & mari pauliſper conflictantes, tandem in profundum demerguntur, coronamque martyrij recipiunt. Valens verò longissimo temporis spacio Antiochiæ vitam degens, impunitatem concessit gentilibus, Iudęis, & alijs quibusque, qui nomen Christianorum sibi assumentes, doctrinam Euangelio repugnantem prædicabant. Etenim qui superstitioso errore obstricti tenebantur, mysteria gentilitia obierunt: & cæca opinio à Iouiano post mortem Iuliani extincta, istius Imperatoris permissu reuiuescere cœpit. Atque Dialia, Dionysia, & Cereris festa non in occulto peragebant Gentiles, vti regnante pio Imperatore assolebant: sed per medium forum bacchātes cursitabant. Solis autem Apostolicæ doctrinæ propugnatoribus tyrannus iste se hostem præbuit. nam primum illos sacris ædibus (Iouinianus enim nunquam satis laudatus Imperator, eis ecclesiam recens ædificatā dederat) exturbauit: qui simulatq; ad montis radicem in vnum conuenerūt, hymnis Dominum celebrare, diuinaq; recitare eloquia cœperunt: infestos autem aëris turbulenti impetus toleranter perpessi sunt: interdum pluuia, nonnunquam niue & frigore, aliquando vehementissimo solis ardore afflicti. Verùm Imperator ne hac quidem commoditate, licet valdè laboriosa, fruendi permisit illis potestatem: sed missis ad eam rem militibus, eorum conuentum dissipauit.

Ariani nauem presbyteris orthodoxis referta ab Arianis incendunt.

Valens gentilismum redit.

Valens orthodoxis infestus.

Quod Flauianus & Diodorus orthodoxorum conuentum Antiochiæ congregabant.

CAP. XXIII.

Vide Nicepho. lib. 11. cap. 24.

B ATque Flauianus & Diodorus, tanquam rupes quædam, fluctus irruentes fregerunt. Nam Meletio longè à suo grege vitam degere coacto, hi duo curā gregis suscipiunt: & tum lupis sua fortitudine & sapientia resistunt, tum ouibus conuenientem curationem adhibent. Itaque à radicibus montis depulsi, oues ad ripas vicini fluminis pascebant. Non enim more eorum, qui Babylone olim captiui tenebantur, organa suspenderunt: sed conditorem & patronum suum in omni loco dominationis eius hymnis celebrarunt. Cæterùm ne isto quidem in loco conuentum piorum pastorum, Christum dominum diuinis laudibus efferentium, agi hostis ille passus est: Proinde duo illi pastores admirabiles, diuinis ouibus velut in gymnasiū bellicum coactis, spirituales herbas eis demōstrant. Atq; Diodorus, vir sapientissimus fortissimusque, tanquam fluuius limpidus & ingens, tum suorum animos fortitudinis riuulis irrigauit, tum aduersariorum blasphemias syngeræ doctrinæ vndis penitùs obruit. Qui vt generis splendorem pro nihilo putauit: sic ærūnas pro fidei defensione lubens perpessus est. Flauianus autem optimus vir, etsi ex patricijs ortus, tamen solam pietatem nobilitatis loco numerauit: & tanquam palæstræ magister, magnum Diodorum velut athletam in omni certaminis genere exercitatissimum perunxit. Nam id temporis, quanquam ipse in conuentibus ecclesiasticis minimè cōcionatus est, illis tamen, qui illud munus obibant, magnam copiam argumentorum & sententiarum è sacris literis petitarum suppeditauit. Atq; vt illi arcus contra Arianam blasphemiam tendebant, ita hic ex mente tanquam ex pharetra tela, eis submistrabat. Quinetiam hæreticorum retia priuatim & publicè disputando, facilè disrumpit, & argumenta ab illis proposita aranearum telis similia esse demōstrauit. Istis duobus se in prælio socium præbuit Aphraates: cuius vitam in historia nostra, quæ inscribitur Philotheus, conscripsimus. Nam salutem ouium suæ ipsius tranquillitati anteponens, gurgustio, in quo vitam monasticam excoluerat, relicto, labores pascendi gregis Dominici sibi imposuit. At licet superuacaneum putem hoc loco commemorare, quantas virtutis opes collegerit, præsertim cum in alio opere illud ipsum literis consignarim: vnam tamen rem ab eo gestam, huic peraccōmodatam historię percensebo.

Flauiani & Diodori in fouendis orthodoxis studium.

Diodori episcopi virtus.

Flauianus Christianæ palæstræ magister.

Aphraates monachus. Theodoriti Philotheus.

De sancto Aphraate monacho. *CAP. XXIIII.*

Vide Nicep. lib. 11. c. 25.

ORontes fluuius palatium à Septentrionibus præterfluit. A meridie autem, amplissima duarū contignationum porticus, turres vtrinque habens excelsas, in ipso vrbis muro ædificata est. Inter palatium & fluuium est via publica, quę eos qui per portas suas ex vrbe egrediuntur, excipit, rectaque ad agros suburbanos ducit. Hac fortè transi-

Orontes fluuius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

transiens diuinus ille Aphraates se ad bellicum gymnasium, quo sanctis omnibus cõ- A
uenientem curationem adhiberet, contulit. Hũc Imperator, oculis de subli mi ex por-
ticu regia deiectis, vidit, pallio vili ac sordido indutum: & cito gradu, licet confectum
Aphraatis cũ Valente collo quium. penè ætate, incedentem. Ac cùm quidã dixisset, Hic est ille Aphraates, ex cuius nutu pẽ-
det ciuitas vniuersa: ibi tum Imperator, Cedò, inquit, quo te conferas? Ille tũ sapienter
sanè & appositè: Pro tuo, inquit, regno precaturus. Tum Imperator: At domi, inquit,
tibi manendum est, & intra cellam, vti lex monastica postulat, orandum. Cui diuinus
ille vir, Præclarè admodum, inquit, dicis ô Imperator: istud sanè mihi faciendum est,
& hactenus feci, dum oues Seruatoris pace fruerentur. Verùm quoniam iam magno-
pere conturbantur, & multum illis impendet periculi, necesse est omnes vias persequi,
non modò ne à feris capiantur, sed etiam vt cõseruentur incolumes. Nam dicito mi-
hi, quæso, ô Imperator: Si filia alicuius essem, & sederem in cõclaui, vti ædes curarem,
atq; deinde cernerem flammam in eas incidisse, ædesque paternas iam conflagrare: di-
cito mihi, inquam, quid me facere operteret: intúsne manere, & ædes incensas negligere,
expectareque donec flammæ impetus longius peruaderet: an relicto conclaui, sur-
Filiæ prudentis munus. sum, deorsumque cursitare, & aquam afferre, qua flammam extinguerem? Hoc certè
te responsurum constat. Nam hæ sunt partes filiæ prudentis & prouidæ. Atque hoc ip-
sum nos agimus ô Imperator. Etenim cum tu iam in patris nostri ædes flammam inie-
ceris, nos circumcursitamus, quò eam maturè possimus extinguere. Quæ cum locutus
esset Aphraates, Imperator ei interminatus, cõticuit. Verùm vnus ex eius cubicularijs,
grauiores contra hominem diuinum iactauit minas, & propterea talem plagam acce-
Calumniæ pœna diuinitùs inflicta. pit. Fortè ei cura balnei commissa fuit. qui simul vt Aphraatem verbis contumelio-
sis insectatus fuerat: ad balneum Imperatori parandum se contulit. Cumq; ingressus es-
set, repentè de potestate mentis deturbatus, in aquam calidissimam minimeque tem-
peratam se præcipitauit, ilicoq; obijt mortem. Imperator autem sedẽs illum expectat,
vti indicet, quando in balneum intrandum sit. Vbi verò multum temporis præteri-
rat, alios mittit, qui moræ causam ei significent. Hi ingressi in balneum, cum omnia
intus loca oculis lustrassent, tandem offendunt hominem in aqua feruente minimeq;
Valentis impietas indurata. temperata mortuum, corpusq; eius ardore dissolutum. Qua re Imperatori nunciata, B
didicere omnes, quantum ponderis Aphraatis haberet oratio. Attamen de impia sua
doctrina minimè destiterunt, sed more Pharaonis cor suum indurarunt: ipseque ille
Imperator, quamuis cognito sanctiviri miraculo obstupesceret, non tamen eius furor
contra pietatem incitatus consedit.

De sancto Iuliano & Antonio Magno.
CAP. XXV.

Iulianus deserta eremo, Antiochiam venire coactus. EOdem tempore ille famæ celebritate insignis Iulianus, cuius suprà men- Vide Nicet. lib. 11. c. 25. Sozomen. lib. 3. ca. 13.
tionem feci, & relinquere solitudinem, & Antiochiam venire coactus est.
Nam cum Ariani, educati mendacijs, & ad calumnias contexendas valde
parati, magnum illum virum suæ sectæ fauere constanter affirmarent,
tria veritatis luminaria, Flauianus, Diodorus, & Aphraates, Acacium stre-
Acacius. nuum virtutis athletam, qui posteà Ecclesiam Beroœnsem valde sapienter guberna-
bat, mittunt ad Iulianum, virum omni genere laudis præstantem, oratum, vti in infi-
nitam hominum multitudinem misericordem se præbeat, aduersariorum de se con-
fictum mendacium coarguat, doctrinam denique veritatis confirmet. Huius quidem
miracula, quæ tum abeundo, tum reuertendo, tum denique in amplissima illa vrbe e-
Philotheos Theodoriti. didit, sunt a nobis in historia nostra, quæ Philotheos dicitur, literarum monumentis
mandata: quam historiam, qui has res accuratè cognoscere desiderant, poterunt pro
arbitratu perlegere. Quod autem totam ciuitatis multitudinem ad conuentus nobis-
cum agendos conciliarit, neminem arbitror in dubium vocaturum, si modò humanã
naturam diligenter consideret. Nam res admirabiles, & præter omnium opinionem,
Iuliani miracula. omnes ad se pertrahere solent. Atq; quod iste miracula planè eximia edidit, testes sunt
illi ipsi veritatis aduersarij. Idem ipsum iampridem temporibus Constantij, ab Anto-
Antonius M. eremita. nio magno Alexandriæ factitatum est. Nam relicta solitudine, totam illam circuibat
vrbem, quò omnes doceret, tum Athanasium præconem veritatis, tum Arianos
veritatis hostes esse. Itaq, non ignorabant illi sancti viri, quæ res cuiq;
tempori essent accommodatæ, & quando solitudinis ocium
esset amplectendum, quando rursus vrbana ne-
gocia quieti solitariæ præ-
ferenda.

Qui

A
Quinam alij monachi hoc tempore celebres extiterint.
CAPVT XXVI.

Vide Nicet. lib. 11. cap. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41.

ERant etiam eodem tempore alij vitæ monasticæ disciplina valde præsta-
biles. Nam in solitudine Chalcidensi Abitus, Marcianus, Abraames, &
alij præterea non pauci, in corporibus perturbationibus obnoxijs vitam
ab omni perturbatione vacuam traduxerũt. In Apamea item Agapetus,
Symeones, Paulus, & alij in eo vitæ genere facilè primas tulerunt. In soli-
tudine porrò Zeugmatensi, Publius & Paulus. In Cyrestensi quoque vir ab omnibus
laudatus Acepsemas, se conclusit in cellulam, & eum vitæ modum sexaginta annos
continuos transegit, neque visus à quoquam, neque cuiquam locutus. Adde his Zeug-
matium, virum cum primis admirabilem: qui tametsi luminibus orbatus erat, tamen
circuibat sedulò, quò tum confirmaret oues, tũ lupos dimicando profligaret: ob quam
causam cellula eius monastica incensa fuit: alterã tamen Traianus, dux fidelissimus, ei
ædificauit, aliasq; res ad cultum vitæ necessarias impertijt. In solitudine etiam Antio-
chena, Marianus, Eusebius, Ammianus, Palladius, Symeones, Abraames, & alij quoq;
qui imaginem Dei, ad cuius similitudinem conditi erant, integram conseruarunt. At-
que tum horum, tum illorum vitam scriptis prodidimus. Itemque mons, qui vrbi illi
amplissimæ imminet, huiusmodi floribus pratensibus pulchrè vestitus est. Nam in eo
cum magna nominis celebritate vixit Petrus Galata, & eius gentilis Aegyptius: quin-
etiam Romanus, Seuerus, Zeno, Moses, Malchus, & alij quàm plurimi, vulgo quidem
ignoti, Deo autem penitùs perspecti & cogniti.

Abitus. Marcianus, Abraames, monachi. *Agapetus.* *Symeones.* *Paulus.* *Publius.* *Acepsemas.* *Zeugmatius.* *Traianus dux pius.* *Marianus.* *Eusebius.* *Ammianus.* *Palladius.* *Petrus Galata.* *Romanus.* *Seuerus.* *Zeno.* *Moses.* *Malchus.*

De Didymo Alexandrino, & Ephraim Syro.
CAPVT XXVII.

Vide Nicet. lib. 9. c. 16. 17. Sozomen. lib. 3. cap. 14. 15. Socrat. lib. 4. cap. 20.

PEr idem tempus Edessæ vixit, vir planè diuinus, Ephraim: Alexandriæ ve-
rò Didymus cum laude floruit. Quorum vterque contra doctrinam ve-
ritati aduersariam libros edidit. Atque Ephraim lingua vsus Syriaca, ea
eximium spiritalis gratiæ splendorem effudit. Nam etsi doctrinam Gen-
tilium non degustauerat, multiplices tamen ac varios eorum errores re-
futauit, & cuiusque fraudis hæreticæ imbecillitatem sub omnium aspectum subiecit
ad contemplandum. Quinetiã cum Harmonius Bardesanis filius, cantilenas quasdam
iam olim composuisset, & impietate cum suaui earum concentu permista aures per-
mulsisset audientium, eosque in laqueos exitij induxisset: iste, arrepto inde eodem con-
centus genere, pietatem cum eo miscuit, atque audientibus medicinam tum iucundis-
simam, tum vtilissimam adhibuit. Istis cantilenis celebria martyrum inuictorum festa
multo splendidiora fiunt. Didymus autem à puero sensu orbatus oculorum, Poeti-
cam, Rhetoricam, Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, Aristotelis ratiocinã
di modos, & eloquentiam Platonis, aurium adiumento didicit: quibus artibus vsus est
non vt veritatem inde hauriret, sed vt eam illis tanquam armis contra mendacia de-
fenderet. Porrò sacræ Scripturæ non literã solùm, sed sensus ac sententias accuratè per-
didicit. Atque inter eos, qui monasticæ & seueræ viuendi disciplinæ, studioq; virtutis
operam nauarent, isti, quos diximus, id temporis præ cæteris excelluerunt.

Ephraim Syrus. *Didymus Alexandrinus.* *Harmonij cantilenæ.* *Didymus cæcus.* *Philosophiæ vsus.*

Qui nam hoc tempore in Ponto & Asia episcopi claruerint: & de ijs, quæ à Valente, de bello, ad Valentinianum magnum scripta sunt, & eius responso: & de Terentij comitis pietate.
CAP. XXVIII.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 20. lib. 11. cap. 49. Videl. Sozom. lib. 3. cap. 16. Socrat. lib. 4. cap. 3.

EX eorum autem numero Gregorius vterque, Nazianzenus, & Nyssenus, tulere
principatum: quorum hic frater Basilij magni fuit, ille socius studiorum eius
& adiutor fuit. Isti in Cappadocia pro pietate dimicantes, facilè primas obtinue-
runt. In eiusdem cum illis laudis societatem venit Petrus, qui Basilij & Gregorij
frater Germanus fuit: quique, tametsi humaniore literatura non perinde vt illi in-
structus erat, pio tamen viuendi genere admodum excelluit. Porro in Pisidia, Op-
timus & Amphilochius, in Lycaonia pro auita fide strenuè decertantes, aduer-
sariorum impetus repulerunt. In Occidente item Damasus episcopus Romanus, &
Ambrosius Mediolanẽsis episcopus, eos qui tela in ecclesiam longo interuallo inter-
iecto coniecerant, contrà feriebant. Quibus cum vnà alij, extremas orbis terræ oras in-
colere coacti, scriptis tum suorũ confirmauere animos, tum hostes profligauere. Nam
rerum omnium gubernator Deus, gubernatores tempestatis magnitudini pares dedit:
& acerbæ

Gregorij duo, Nazianzenus & Nyssenus. *Petrus Basilij & Gregorij frater.* *Optimus.* *Amphilochius.* *Damasus.* *Ambrosius.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

& acerbæ hostium incursioni virtutem Ducum oppositi: & medicamenta temporis A iniquitati accommodata,& valdè salubria tribuit. Atq; non solum ad hunc modum ecclesijs prouidit benignus Dominus, verùm etiã alijs quibusdã rationibus eas diligenter accurauit. Nam gentem Gothicam,excitauit ad bellum,eo quidem cõsilio, vti Valentem,qui contra pios solum prælio decertare didicerat, in Bosphorum pertraheret. Itaque stultus ille tandem sua ipsius intellecta imbecillitate, literas scripsit ad fratrem, quibus exercitum ab eo postulauit. Ad quem rescripsit frater,nefas esse, homini bellũ gerenti cum Deo opem ferre,cuius temeritas meritò coërcenda esset. Quo responso etsi miser ille grauiter diuexatus erat,non tamen destitit ab audacia, sed perrexit ad aciem contra veritatem instruendam toto animo incumbere. Nam cum Terentius, dux longè præstantissimus,& pietatis insignibus egregiè exornatus,ab Armenia,erectis victoriæ trophęis,reuertisset: Valensq; ei imperasset, vti donum aliquod pro laboribus petereret: ipseq; donum,quod cupiebat,dignum homine pietatis institutis educato Valenti indicasset(petebat enim non aurum,non argentum,non agros,non domum: sed, vt vna ecclesia illis,qui pro doctrina Apostolica se in discrimen obtulissent, concederetur) Valens accepto libello supplici,&cognitis rebus, quæ in eo continebantur, admodum stomachatus,illum dilacerauit,iussitque vt alias res peteret. Terentius verò, collectis laceris libelli particulis: Accepi,inquit,iam abs te, ô Imperator, donũ, habeoque,neq;aliud petam. Nam quid ego animo instituerim,iudicet ille,qui huius vniuersitatis iudex est.

Gothicum bellum diuinitus excitatum. vt pijs pax esset.

Terentij ducis pietas.

De Traiani ductoris exercitus linguæ libertate.

CAP. XXIX.

VAlens,vbi traiecto Bosphoro venit in Thraciam, primùm quoniã bellum vehementer extimescebat,longo tempore Constantinopoli ipse commoratus est: Traianumq; ducem contra barbaros misit cum exercitu. At postquam Traianus ab hostibus superatus reuertit, Valens illum conuicijs valde lacerare,& mollitiem ignauiamq; ei obijcere cœpit. At ille liberè,vti virum generosum decebat, Non ego,inquit,ô Imperator victus sum: sed tu ipse prodidisti victoriam, B qui contra Deum aciem instruere non desinis,& ita eius auxilium barbaris concilias. Nam abs te oppugnatus,se illis adiungit. Atque Deum semper sequitur victoria: & ad eos accedit,quibus Deus se ducem præbet. Non nosti, inquit, quos viros ecclesijs expuleris,& quibus eas tradideris? Ista quidem ita se habere,& Arintheus,& Victor, qui duces quoq; erant,ingenuè confessi sunt: Imperatoremq; hortati,ne reprehensiones cum veritate coniunctas,iniquo animo ferret.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 49.

Traianus dux, eiusq; in Valentem παῤῥησία

Victoria Deũ perpetuo sequitur.

Arintheus, Victor.

De Isaacio Monacho Constantinopolitano, & Bretannionis Scythiæ Episcopi in coarguendo austeritate.

CAP. XXX.

FErunt Isaacem, qui in eo loco cellam habebat monasticã, vbi vidit Valentem cũ exercitu egredi,cõtenta voce ei dixisse: Quò proficisceris, ô Imperator,qui auxilio Dei,quem contra bellum gesseris,prorsus destitutus es? Nam quoniam tu multorum linguas ad blasphemias aduersus eum loquendas acuisti,& pios laudibus illum celebrantes ecclesijs exturbasti, idcirco ille barbaros aduersus te concitauit. Desine igitur tu bellum contra eum facere,& ipse bellum cõtra te commotum sedabit. Redde gregibus optimos pastores, & victoriam facilè reportabis. Quòd si his omnibus neglectis,bellum suscipias: rerum euentu experiere,quã durum sit contra stimulos calcitrare. Nã neq; ipse reuertèris,& exercitũ prætereà amittes. Cui admodum iratus Imperator: Reuertar,inquit,& te interficiam, falsæq; prædictionis pœnas abs te repetam. Tum ille minas neutiquã veritus, clara voce: Eneca, inquit,si quid falsi me dixisse deprehenderis. Bretannion quoque omni genere virtutis insigniter decoratus,totius Scythiæ episcopus, animo diuino pietatis amore accenso, pestiferam dogmatum Arianorum corruptelam, & iniqua facinora Valentis contra sanctos edita coarguit,& cum sanctissimo Dauide clamauit: Loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum,& non confundebar.

Vide Nicephor. lib. 11. c. 50.

Isaacis in Valentem parrhesia.

Bretannionis parrhesia.

Psalm. 118.

De

De Valentis exercitu contra Gothos misso, ac quomodo Valens impietatis pœnas persoluerit. CAP. XXXI.

AT Valẽs,optimis illis cõsiliarijs spretis,exercitũ in expeditionẽ præmisit:illeq; ipse in pago quodam commoratus, victoriam expectauit. Cæterùm milites eius barbarorum impetum haudquaquam sustinentes,terga dant,inq; fuga truncidantur. nam barbari eos cum celeritate fugientes, quantum poterant, persequebantur. Atq; ad pagum,in quo Valẽs de clade suorum certior factus,latitare conabatur,accedentes, igni iniecto illum ipsum pietatis aduersarium vnà cum pago cremarũt. Hoc modo igitur impius ille tyrannus,etiam in hac vita pœnas pro sceleribus luit.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 50.

Valentis interitus.

Quid causæ fuerit, quod Gothi in Arianorum errorem inciderint.

CAPVT XXXII.

HOc loco,quemadmodum barbari pestifera erroris Ariani pernicie infecti fuerint, arbitror operæprecium, his qui eius rei ignari sunt, enucleatè explanare. Vbi Istro transmisso cum Valente pacis fœdera iunxerãt, eodem momento Eudoxius ille infamia notatus persuadet Imperatori, vt Gothos, qui olim cum diuinæ cognitionis luce primùm illuminati essent, doctrina Apostolica fuerãt instituti, ad suam traducat communionem. Nam opinionis coniunctione & consensu pacem firmiorem fore dixit. Qua approbata sententia, Valens eorũ ducibus hanc de doctrinę consensione conditionem proponit. Qui respõderunt, se nullo modo velle auitam doctrinam deserere. Eodem tempore Vlphilas eorum fuit episcopus, cui facilè obsequebantur,eiusq; verba pro ratis legibus habebant. Quem cum Eudoxius et verborum lenocinijs deliniuisset, & pecuniæ inescasset illecebris, perfecit,vt Barbaros illos ad communionem Imperatoris amplectendam induceret. Adiecit præterea,quò facilius ei persuaderet,contentionem illam ex ambitione sortam,nullamq; omnino doctrinæ esse differentiam. Itaq; ad hodiernum diẽ Gothi patrem maiorem esse filio dicunt illi quidem: sed filium creaturam appellari, licet cum his qui illud dicant communicent, nequaquam ferre possunt. Quinetiam ab auita doctrina non penitùs destiterunt. Etenim Vlphilas,cùm eis communionem Eudoxij & B Valentis persuadere conaretur, dixit nullam esse in doctrina discrepãtiam, sed ex inani & leui contentione eam in ecclesiam discordiam inuectam fuisse.

Eudoxius ille Valẽti persuadet vt Gothos Ariana imbuat hæresi.

Vlphilas episc. Gothorum.

Gothi ad Arianismum adducti.

Quarti libri finis.

Gratianus Imperator AnnoChr. 382.

THEODORITI EPISCOPI CYRI ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER QVINTVS.

Hic liber quintus continet acta sub Gratiano, Theodosio primo,& Valentiniano 2. Arcadio & Honorio & Theodosio secundo annis triginta quinq; paulo amplius. Huc igitur illos authores refer, quos supra adnotauimus ad Socratis lib. 5. 6. & 7.

De Gratiani Imperatoris pietate. CAP. I.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 1. Vide Sozom. lib. 7. cap. 1. Socra. lib. 5. cap. 2.

QVàm diuturnam impunitatem omnium moderator Deus his concedere, qui contra ipsum audacia furunt: & quàm grauibus supplicijs eos qui longinqua eius patientia abutũtur, afficere soleat: res gestæ à Valente,& pœnæ ei irrogatę, satis illustri posteris ac testato documento esse poterunt. Nam clemens ille & benignus Dominus misericordia & iustitia velut libra & lancibus hominum facta ponderans, cũ videat aliquẽ magnitudine scelerũ benignitatis suæ modũ superasse, debito eum coercet supplicio, ne longius ad perniciem prolabatur. Mortuo Valente,Gratianus,qui patrem quidem Valentinianum,patruum autem Valentem habebat, toto imperio Romano potitus est. Nam iampridem, post mortem patris, Europę susceperat gubernacula: illoq; etiamnum superstite, consors imperij fuerat. Quare Valente mortuo absque liberis, tum Asiam, tum partes Libyæ,quæ ditioni Romanorum parebant, obtinuit.

Dei clemẽtia & iustitia.

Gratianus Imperio præfectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De episcoporum reditu. CAP. II.

Gratiani pietas. ISte Imperator, statim vt declaratus erat, pietatē quam animo tenebat, multo reddidit illustriorem: & Imperij quasi primitias omnium gubernatori Deo obtulit. Nam cō- scripsit legem, qua iubebat, tum pastores eiectos in exilium, redire, suisq; gregibus restitui: tum sanctas ecclesias tradi his, qui Damasi communionē amplexarentur. Hic Da-

Damasus Rō. epis. masus episcopus Romanus fuit, in illius ecclesiæ administratione successor Liberij, vir sanè propter vitæ præstabilis ornamenta insignis: qui, quoad eius fieri poterat, doctrinā Apostolicam assiduè tutatus est. Vt autem lex, quam dixi modò, maiorem haberet au-

Sapor dux. thoritatem, misit cum ea ducem Saporem, virum id temporis, propter nominis & famę celebritatem, facilè prestantissimum. cui dedit in mandatis, vt tum Arianę blasphemię præcones, tanquam feras quasdam agrestes ex sacrosanctis templis exigeret, tum optimos pastores sanctis eorum gregibus restitueret.

De contentione Paulini, & Apollinaris Laodicensis nouatione: & Meletij philosophia, & pia in Deum affectione. CAP. III.

Antiochiæ schisma. QVanquam verò istud mandatum apud singulas gentes sine contentione conficiebatur: tamen Antiochiæ, vrbis totius Orientis primariæ, discordiæ flamma de eo incensa fuit, quæ ita se habet. Doctrinę Apostolicæ pro- pugnatores, vti antè dictum est, erant in duas partes diuisi: quarum vna sta-

Paulinus. Meletius. tim post insidias contra Eustathium magnum comparatas, Arianam ne- quitiam detestata, conuentus seperatim egit, Paulinumq; habuit antistitē: altera, post Euzoium ordinatum episcopum, ab impijs Arianis se vnà cū Meletio viro insigni segre

Apollinaris, eiusq; dogmata. gans, & pericula illa quę recensuimus, subiens, sapientissima Meletij doctrina gubernata est. Porrò autem Apollinaris Laodicensis, alteri iam parti se ducem præbuit: qui tametsi pietatis personam induebat, & doctrinæ Apostolicæ patrocinium suscipere vide- batur, paulò pòst tamen se eiusdem aduersarium esse palàm prodidit. Etenim de natura diuina differens, oratione planè adulterina vsus est: quippe in ea dignitatum gradus cō-

Vide Theod cont. hæres lib. 4. & Epiphanium. stituere, & œconomiæ Christi mysterium imperfectum affirmare: & animam rationis particepem, cui corporis moderatio commissa est, salute, quę per Christum nobis parta est, priuatam dicere non dubitauit. Nam hanc animam, vti eius ferebat opinio, Dei B verbum non sumpsit, neq; ei vel medicari, vel vllum honorem tribuere dignatum est: sed corpus terrenum à potestatibus, quæ sensum oculorum effugiunt, veneratione affici: animam autem, quæ est ad imaginem Dei creata, infrà manere, labe peccati aspersā, asseruit. Multas item alias pestiferas opiniones, propter mentem errore & ignoratione cæcatam, docuit. Nam interdum carnem Christi à sancta virgine sumptam esse, non- nunquam eam simul cum Deo verbo è cœlo descendisse: aliquando ipsum verbū Dei carnem factum esse illud quidem, sed à nobis nihil accepisse confessus est. Alias quoq; fabulas & nugas diuinis adiunxit promissionibus, quas in presentia percēsere superuacaneum arbitror. Iste dum eiusmodi opiniones docebat, non suos solum illarum contagione contaminauit: verùm etiam earundem labem in nonnullos è nostris transfudit. Qui tamen postea cum suam ipsorum tenuitatem perspicerent, oculosque ad Ecclesiæ splendorem conuerterent, omnes, paucis quibusdam exceptis, ad Ecclesiæ quidem communionem se receperunt: sed morbum, quo antè erant infecti, non depulerunt à se: sed eundem in animos nonnullorum, qui dudum fide robusti ac valentes erant, infuderunt. Ex hac radice lethalis illa pernicies enascebatur, quę asseuerauit, vnā carnis & diuinitatis Christi naturam esse, quęq; diuinitatē vnigeniti Dei filij passam esse docuit: & alia quoq; nōnulla, quæ cùm in populo, tum in sacerdotib. magnā discordiā concitarūt. Sed ista quidem postea acciderunt. Id temporis aūt aduentante Antiochiā

Flauianus à Paulino & Apollinari fidei professione postulat. Sapore duce, cum legem Gratiani ostendisset, Paulinus se à partibus Damasi stare constanter affirmat. Idem quoq; affirmat, morbo erroris sui occultato, Apollinaris. At diuinus ille Meletius, se & quietè gessit, & ab eorum contentione continuit. Flauianus verò, vir sapientissimus, qui adhuc fuit ex numero presbyterorum, ad Paulinum, duce audiente, sic verba facit: Si Damasi communionem, ô amice, amplecteris, nobis tuæ & illius doctrinæ consensum cognationemq; manifestò commonstra. Nam ille vnā Trinitatis essentiam confitetur, tresq; personas palàm prædicat: at tu contrà, personarum trinitatem penitùs tollis. Quare ostende doctrinæ consensum, & ecclesias capesse, vri lexiubet. Qui cum illi os hac refutatione obturasset, ita Apollinarē alloquitur: Demiror, ô amice, te nō solū tā impudenter velle veritati repugnare, cùm certò scias, Damasum, virum sanè admirabilē, affirmare, perfectam nostram naturam à Deo Verbo sumptam esse: verùm etiam contrariam opinionem docere. Nam mentē nostram salute priuas

A priuas tu quidem. Quòd si nos hæc tibi obiectando falsa dicimus, iam ergo tutè nouam doctrinam à te primùm in lucem editam denega: Damasi doctrinam amplectere, & sacrosanctas ecclesias capesse. Cum autem sapientissimus Flauianus certis verisq; rationibus eorum compressisset audaciam, Meletius, vir omnium mansuetissimus, comiter admodum & benignè Paulinum compellat his verbis: Quoniam & mihi istarum ouium procurationem commisit Dominus, & tu aliarum curam suscepisti, ipsæq; oues inter ipsas veræ pietatis communione consentiunt, greges, ô amice, concordiæ vinculis coniungamus, & contentionem de primatu dirimamus. Et cum oues communiter pascamus, communem illis ritè moderandis curam adhibeamus. Quòd si sedes contentionem gignit, ego hanc contentionem à nobis repellere conabor. Nam ponamus, quæso, in ea librū Euangelij, & vtrinq; nos sedeamus. Quòd si ipse prius è vita abiero, tu solus, amice, gregem moderaberis: sin autem tibi illud contigerit, ego rursus curam ouium pro virili geram. Verùm tametsi ista placidè & leniter à Meletio dicebantur, Paulinus tamen illis minimè acquieuit. Itaq; dux Sapores, eorum quæ vtrinq; dicta erant, iudex constitutus, magno Meletio ecclesias tradidit: Paulinus autem ouium, quas ab initio à reliquis segregauerat, antistes permansit.

Meletij mansuetudo.

De primatu contentio.

De Eusebio episcopo Samosatensi. CAP. IIII.

Vide Nicē. li. 12. cap. 5. Vide Theodoritū supr. lib. 4. c. 13. & lib. 2 ca. 32. APolinaris verò ab ecclesiarum gubernatiõe repulsus, deinceps doctrinam quā ipse recens excogitarat, palàm prædicare, & se principem sectę profiteri cœpit. Est quidem ex multo maxima parte Laodiceæ commoratus. Antiochiæ autē iam pridem Vitali manus imposuerat viro ob singulare & eximium viuendi genus magnopere nobilitato, & doctrina quidem instituto Apostolica, postea tamen erroris labe inquinato. Diuinus verò Meletius, Diodorum illum, cuius antè mentionem feci, qui nauem ecclesiæ in grauissima tempestate incolumem seruauerat, Tarsi pastorē designauit, Cilicumq; gentem ei concredidit. Episcopum autem Apameæ Ioannem creauit, qui illustri genere ortus quidem fuit: sed suis ipsius rectè factis multo maiorē splendorem, quàm ex maiorum rebus præclarè gestis, est consecutus. nam non doctrinæ solum, sed præstabilis vitę ornamentis insigniter decoratus erat. Hic turbulentis procellę temporibus conuentum eorum qui fide secum consentiebant, gubernauit: sociumq; habuit & adiutorem Stephanum, virum cum primis laudatum. Verùm istum diuinus Meletius ad alia transtulit certamina. Nam vbi intellexit, Germaniciam labe Eudoxij infectam, cum velut medicum (nam & humaniore literatura, & sacris Scripturæ doctrinis ab ineunte ætate instructus fuerat) ad morbum curandum misit. Neq; certè spes cum frustrata est. Siquidem spiritalis doctrinæ subsidio lupos in oues mutauit. Porrò Magnus Eusebius ab exilio reuersus, Acacium, qui in magna gloria apud omnes fuit, Beroeæ episcopum ordinauit: Theodotum autem Hierapolis, cuius seuera viuendi disciplina ad hodiernum diem ab omnibus celebrata est. Eusebium Chalcedonis, & Cyri nostræ Isidorum antistitem constituit: vtrumq; admirabilem, & diuino pietatis studio egregiè exornatum. Ferunt quoq; eundem, Eulogium illum, qui pro doctrina apostolica strenuè decertauerat, quiq; in Antinonem vnà cum Protogene relegatus erat, pastorem Edessæ (iam enim diuinus Barses è vita excesserat) creauisse: Protogenem aūt certaminum eorundem socium, Carris, vrbi haud sana doctrina imbutę, tanquam medicum ad eius errores curandos, prefecisse: postremum autem episcopum ab eodem diuino viro ordinatum, fuisse Marin, quem Dolichæ, paruo oppido, & per id temporis morbi Ariani contagione admodum infecto, præposuit. Quem quidem Marin, virum sanè præstantem, & omni virtutum genere eximiè illustratum, cum Eusebius ille magnus in sede episcopali collocare vellet, Dolicham contendit. In quem oppidū ingredientem mulier quædam, peruersæ Arij doctrinæ peste admodum laborans, tegulā è superiore loco deiecit, qua caput eius diminutum fuit: quo quidem vulnere paulò post ex hac ad alteram longè præstabiliorem vitam migrauit. Qui cum iā esset moriturus, eos qui aderant, iureiurādo obstrinxit, ne vllum supplicium de ea quæ facinus fecerat, omnino sumerent. Etenim in ea imitatus est tum suum Dominum, qui pro his qui eū crucifixerant, sic orauit: Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt: tum conseruum Stephanum, qui post crebros lapidum ictus, quibus obrutus erat, clamauit: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Tali mortis genere Eusebius ille magnus, post multa pro fide confecta certamina, occubuit: qui licet barbarorum in Thracia effugisset crudelitatem: impiorum tamē hæreticorum manus haudquaquam effugit, sed per eos coronam martyrij consequutus est. Ista post reditū episcoporum fuere factitata. Gratianus autē de Thracia à barbaris, qui Valentem cōbusserant, vastata certior factus: relicta Italia in Pannoniam proficiscitur.

Apolinaris ab ecclesiarū gubernatione repulsus.

Vitalis.

Diodorus Tarso præfectus.

Ioannes Apameæ episc.

Acacius Beroeæ episc.

Theodotus Hierapolis episc.

Eusebius Chalcedonis.

Isidorus Cyris.

Eulogius Edessæ.

Protogenes Carris.

Marin Dolichæ.

Eusebij magnè mors.

Luce 23.

Actor. 7.

Gratianus in Pannoniam.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Theodosio militum duce. CAP. V.

Theodosius dux.

PEr idem tempus Theodosius, vir cum ob maiorum splendorem, tum ob suam ipsius fortitudinem percelebris, & propterea in inuidiam non ab illis modò qui pares erant dignitate, verùm etiam à tribulibus suis vocatus, in Hispania vbi & natus fuerat, & educatus, ætatem degit. Itaq; Imperator incertus animi quid ageret (quippe Barbaros adeò insolentes effecerat victoria, vti difficiles admodū expugnatu tum essent, tum viderentur) tandem sibi persuasit, si Theodosium ducem belli gerendi constitueret, imperiū malis, in quibus versabatur, penitùs liberatum iri. Quare confestim Theodosium euocat ex Hispania, ducem creat: & cum exercitu, quem in vnū collegerat, mittit. Qui fide communitus, alacri animo & erecto iter suscipit: & ingressus in Thraciam, Barbarosq; ex aduerso venientes conspicatus, aciem, velut prelium facturus, instruit. Facta autē leui pugna, cum barbari Romanorum impetum sustinere non possent, aciem deserunt, atq; terga dantes fugæ se mandant: quos Romani, quantum poterant, persequuntur: magnaq; Barbarorum fit cædes. nam non à Romanis solum, sed ab se mutuò interfecti conciderunt. Quare cum quàm plurimi essent ad hunc modum trucidati, & pauci qui latēre poterant, Istrum traicissent, dux ille longè præstantissimus Theodosius, copijs suis in vrbes vicinas distributis, ad Imperatorem Gratianum celerrimè, quò suæ victoriæ ipse nuncius esset, proficiscitur. Atque cum Imperator, quæ narrabat, ne credibilia quidem putaret, & factum supra modum miraretur, illi quos stimuli pungebant inuidiæ, aiunt eum & fugæ se dedisse, & exercitum amisisse. Theodosius igitur postulat ab illis qui contradicerent, vti mittant nuncios, perq; eos multitudinem Barbarorum interfectorum diligenter cognoscant. facilè namq; esse ex spolijs numerum perdiscere. Cui orationi assensus Imperator, misit nuncios, qui res gestas explorarent, eiq; postea referrent.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 1. 6.

Expeditio in Barbaros.

Barbarorum fuga, & cædes.

Cæsorū hostiū numerus qua ratione explo retur.

De illius imperio, & quas res per quietem viderit. CAP. VI.

Gratianus & Theodosius.

Theodosij visio diuinitus obiecta.

DVci autem optimo Theodosio interim apud Gratianum commoranti, diuina quædam visio ab ipso omnium rectore Deo obiecta est. Videbatur enim videre, diuinum Meletium ecclesiæ Antiochenæ præsulem, lænam sibi imperatoriam inijcere, & coronam illi honori conuenientem capiti imponere. Quæ cum noctu secundum quietem vidisset, prima luce cuidam ex familiaribus indicauit. ille somnium manifestum esse, & nihil obscuri ambiguiúe in se complecti dixit. Ac perpauci dies iam intercesserant, cum redierunt nuncij, qui ad res à Theodosio gestas exploratè cognoscendas profecti fuissent: retuleruntque, permulta Barbarorum millia trucidata esse. Itaq; Imperator iam pro certo persuasum habens, se non sine summo imperij commodo eum ducem delegisse, imperatorem quoq; designauit: & illis imperij partibus, quas Valens rexerat, ei commissis, ipse in Italiam contendit, Theodosiumq; in imperij partes ei traditas dimittit. Qui vt primum imperium obtinuit, ecclesijs præ cæteris rebus diligenter prospicere cœpit: & vt episcopi suæ ditionis Constantinopolim ire maturent, imperat. nam sola ea imperij pars Ariana labe passim commaculata fuit: pars autem versus Occidentem, ab ea libera vacuaq; permansit. Siquidem Constantinus filius Constantini natu maximus, & Constans minimus natu, paternam fidem integram conseruabant: quinetiam Valentinianus imperator Occidentis, veram pietatem synceram & incorruptam custodiebat.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 41. Socr. lib. 5. cap. 2. Sozo. lib. 6. cap. 1. 2. 4.

Theodosium imperator designatus.

Theodosius ante omnia prospicit ecclesijs.

Quinam insignes fuerint Arianæ factionis antistites. CAPVT VII.

Arianæ sectæ antistites præcipui qui.

IMperij verò pars quæ spectat ad Orientem, ex multorū nequitia hanc erroris labem contraxit. Nam Arius presbyter Alexandriæ, vrbis Aegypti, istam contra filium Dei blasphemiam primus omnium in lucem edidit. Deinde Eusebius, Patrophilus & Aetius, Palæstini: Paulinus & Gregorius, Phœnices: Laodiceæ, Theodotus, & eius successor Georgius: post hos Athanasius & Narcisus, Cilices semina ab Ario per nequitiam iacta nutriuerunt. Tum Eusebius & Theognis, Bithyni: Menophantus Ephesius, Theodorus Perinthius, Maris Chalcedonius, & alij quidam ex Thracia, sola improbitate nobilitati, diu ista zizaniorum semina & rigarunt & fouerunt.

Constantij facilitas.

His malis agricolis subsidio fuit cùm nimia Constantij facilitas, tū improba Valentis nequitia.

A nequitia. Ob hanc causam solum Theodosius episcopos Constantinopoli in vnum cōuenire mandauerat. Qui cum omnes ad cētum quinquaginta numero eò aduenissent, vetuit, ne quisquam ei indicaret, quis esset magnus ille Meletius. Volebat enim ex visione, quę ei in somnio apparuisset, illum agnoscere. Vbi autem in palatiū ingressus est, totus episcoporum cœtus ad magnum Meletium, cæteris omnibus relictis, accurrit: & veluti filius patris amantissimus, diu admodum paterno aspectu frui cupit: eum complecti, oculos, labra, pectus, caput, & dexteram quæ coronam ei imposuerat, osculari cœpit: quinetiam visionem quæ se ei obtulerat, exponere. Postremò cæteros omnes humanitùs excipere, & vt de rebus propositis consilium ineant, tanquam patres benignè orare.

Valentis nequitia.

Theodosius ex aspectu Meletij & agnitione de visionis suæ veritate iudicare voluit.

De coacto Constantinopoli concilio. CAP. VIII.

Vide Nicephor. lib. 12. c. 10. 13. Socrat. lib. 5. cap. 8. Sozom. lib. 7. cap. 9.

EOdem tempore Gregorius, qui nouissimè iam ecclesiam Nazianzenam rexerat, Constantinopoli vitam egit: & partim Arianæ blasphemię se fortiter opponendo, partim sancti populi animos aqua doctrinæ Euangelicę rigando, partim oues à grege aberrantes conquirendo, partim denique eas ab herba lethali liberando, gregem ex paruo magnum effecit. Hunc cū vidisset diuinus Meletius, & propositum eorum qui canonē conscripserunt, considerasset (nā quò ambitionis materiā præciderent, vetuerunt episcopum de vna sede ad alteram transferri) ratum fecit, vti diuinissimus ille Gregorius Constantinopolitanū præsulatum teneret: ipseque non longo tempore interposito, ad vitam doloris & ægritudinis expertem migrauit: quem omnes qui dicendo aliquid poterant, funebribus orationibus egregiè laudare aggressi sunt. At Timotheus episcopus Alexandriæ, successor Petri illius qui Athanasij in eo præsulatu velut hæres fuit, Maximum quendam Cynicum, statim vt pilos Cynicos ei iam abraserat, episcopum Constantinopolis pro Gregorio illo admirabili ordinauit. Iste Maximus erat etiam peruersæ doctrinæ Apolinaris præstigijs admodum cæcatus. Cæterùm episcopi id temporis Constantinopoli in vnum coacti, facinus tam absurdum non tulere. Erant enim viri planè admirabiles, & diuinæ pietatis ac sapientiæ studio accensi. Ex quorum numero fuit Helladius, Basilij Magni in episcopatu successor: Gregorius item & Petrus, fratres Basilij: Amphilochius etiā Licaoniæ antistes, ex optimis Pisidarum & Cilicum. Aderant præterea Diodorus Pelagius episcopus Laodicensis, & Eulogius Edessæ, Acacius quoque & Isidorus nostræ ecclesiæ episcopus: Cyrillus Hierosolymorum, & Gelasius Cæsareæ Palæstinæ, vir & doctrina & moribus insignis, & alij denique plurimi virtutis athletæ. Omnes hi tunc ab episcopis Aegypti se segregantes, diuinos conuentus cum Gregorio Magno celebrarunt. At diuinus ille Gregorius orat illos, vt cum iam de concordia constituenda conuenissent, ea quæ concordiam mutuam spectent, vnius hominis iniuriæ præferre velint. Nam ego, inquit, multis curis liberatus, ad tranquillitatem quæ mihi pergrata est, memet recipiam: & vos itidem post longum illud & graue bellum pace optatissima fruimini. Valde enim absurdum esset, vt iam è telis hostium erepti, mutuò alius alium ferire, & nostras ipsorum vires conterere aggrederemur: quandoquidem eo pacto hostibus non parum daremus lætitiæ. Quare virum conquirite præstabilem & sapientem, qui prouinciam tam plenam curarum tum capessere, tum probè administrare possit, eumque episcopum designate. Quibus rationibus persuasi præstantissimi illi pastores, Nectarium, virum patricium, generis splendore eximium, & virtutibus cuiusque modi exornatum, illius vrbis amplissimæ episcopum creauerunt: Maximum autem vtpote Apolinaris amentia imbutum, episcopali dignitate spoliarunt, eiq; ecclesia interdixerunt. Porrò autem cum canones pro recta ecclesiæ administratione conscripsissent, statuissentq; vt fidei formula in concilio Nicæno edita, firma ac stabilis maneret, singuli domum reuerterunt. Sequenti æstate quàm plurimi eorum ad eandem vrbem denuò regressi (necessaria enim ecclesiæ negocia eos illò reuocauerant) epistolam à concilio episcoporum in Occidente coactorum accepere: quæ illos hortabatur, vt Romam, vbi iam maximus episcoporum cœtus congregatus erat, accederent. At tam longum iter suscipere, cum nihil inde lucri se facturos putarent, omnino recusarunt illi quidem: sed tamen scripserunt epistolam, qua tum tempestatem contra ecclesias excitatam eis significabant, tum illorum subnotabant in ea re negligentiam, tum denique doctrinam Apostolicam summatim perstringebant. Verùm ea ipsa epistola, eorum qui ipsam scripserunt, fortitudinem & sapientiam multò apertius declarabit.

Gregorius Nazianzenus Constantinopol. antistites declaratus.

Meletij mors.

Maximus Cynicus Constantinopol. episc.

Constantinopolitanum concilium.

Helladius. Greg. & Petrus Basilij Fratres.

Amphilochius.

Pelagius. Eulogius. Acacius. Isidorus. Cyrillus. Gelasius.

Ad Concordiam ecclesiasticam hortatio.

Nectarius Constantinopol. episc. designatus.

Maximus epi scopatu depulsus.

Romæ concilium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Libellus Synodicus à concilio Constantinopolitano ad episcopos missus.

CAPVT IX.

Dominis honoratissimis, & cùm primis reuerendis fratribus ac collegis, Damaso, Ambrosio, Brittoni, Valeriano, Acholio, Auemio, Basilio & cæteris sanctis episcopis in celebri vrbe Roma conuocatis, sanctum Concilium orthodoxorum episcoporum in ampla vrbe Constantinopoli coactorum in Domino Salutem.

MVltitudinem calamitatum nobis à dementis sectę Arianę principibus inflictarum, vestræ reuerentiæ tanquam earundem ignaræ exponere, narrareq; erit fortasse superuacaneum. Nam neq; vestram pietatem res nostras tam paruo æstimare arbitramur, vt de his docendi sitis, pro quibus deberetis nobiscum vnà condolescere: neq; eiusmodi sunt tempestates illæ, quibus vndiq; iactamur, vti propter earum paruitatem vos latere queant. Quinetiam tempus persecutionis adeò nuper præterijt, vt non illi solum qui in eo afflictati erant, verùm etiam eorum amici, qui propter amorem in doloris cum illis venerant societatem, recentem eius memoriam teneant. Nam heri, prope dixerim, & nudustertius, nonnulli exilij vinculis liberati, & infinita ferè afflictationum genera perpessi, ad ecclesias suas redierunt. Aliorum autem exilij cruciatibus extinctorum reliquię duntaxat in patriam sunt reportatæ. Quidam post reditum ab exilio, in furorem hæreticorum adhuc fœuientem incidentes, grauiora tormenta in sua ipsorum, quàm in aliena regione tolerarunt: & more beati Stephani, lapidibus obruti occubuerunt. Alij varijs cruciamentis dilacerati, stigmata Christi & vibices in corpore adhuc circumferunt. Porrò pecuniæ iacturam, amissiones ciuitatū, quas incolebant, proscriptiones singulorum, insidias, contumelias, carceres, quis poterit enumerare? Nam afflictationum genera nobis impactarum, vix numero comprehendi possunt, propterea fortasse quòd pœnę peccatis debitę, nobis persoluendę erāt: fortasse autem, quòd benignus Deus per ingentē rerum aduersarum multitudinem nos exercere volebat. Pro quibus Deo certè agendæ sunt gratiæ, qui per tot cruciatus suos seruos erudiuit, & secundū multitudinem miserationū suarum rursus eduxit nos in refrigerium. Nobis quidē diuturno otio, & multo tū tempore, tum labore ad ecclesiarū emendationē opus est, vti corpus earum tanquā diuturno morbo vexatum, curationib. pedetentim adhibitis recreantes, tādem ad pristinā pietatis sanitatem reducamus. Nam etsi videmur persecutionis asperitate penitùs liberati, & ecclesias diu ab hęreticis occupatas modò recuperasse, tamen lupi nobis permultū facessunt molestię: atq; licet ab ouilibus abacti sint, in syluis tamen greges diripere, conuentus contrarios nobis audacter opponere, populi seditiones concitare nō cessant: deniq; nihil omnino prætermittunt, quod ecclesijs quicquam adferre possit incōmodi. Itaq; erat, vt diximus, perneccssariū, vt in his rebus ritè constituendis plus temporis collocaremus. Iam verò, quoniā vos, quo fraternam vestram erga nos charitatē declararetis, concilio Dei voluntate ac nutu Romæ coacto, nos velut mēbra propria per Imperatoris sanctissimi literas accersiuistis: ne cū nos soli iā antea res acerbas subire coacti essemus, nunc Imperatorib. de pietate consentientibus sine nobis vos regnaretis: sed potius, vti loquitur Apostolus, vt nos vobiscū conregnaremus: est certè nobis in optatis, si posset fieri, ecclesijs penitùs relictis, vestro desyderio, aut necessario potius ecclesię negotio inseruire. Quis enim nobis dabit pennas, vt colūbę, & volabimus, & requiescemus apud vos? Verùm quoniā hoc modo ecclesię nuper renouatę nudarētur, & res à plerisq; fieri omnino nō queat, propterea quòd Constantinopoli mandato literarū, superiore anno à vestra reuerentia post concilium Aquilienſe ad sanctissimū imperatorem Theodosium missarū: ad iter duntaxat Constantinopolim vsq; faciendū nos præparauimus, atq; de hoc vno cōcilio celebrādo cōsensū episcoporum, qui in prouincijs manserant, vnà nobiscū attulimus: idcirco neq; lōgiore itinere opus esse expectabamus, neq; de vllo alio omnino antè acceperamus, quàm Constātinopoli in vnum conuentū esset. Huc accedit, quòd tēporis præstituti angustia neq; ad longius iter parandum, neq; ad episcopos in singulis prouincijs, qui sunt eiusdē nobiscum cōmunionis, de hac re commonefaciendos, neq; ad eorū consensus obtinēdos satis spacij dedit. Itaq; cum & hæ res, & aliæ præterea complures maiori parti episcoporum impedimento sint, quò minus ad vos veniant: idcirco, quod secundo in loco faciendum erat, tum ad statum rerum ecclesiasticarū ritè ordinandum, tum ad ostendendū quanti vestram erga nos charitatem æstimemus, illud certè fecimus: quippe orauimus reuerendiss. honoratissimosq; fratres & collegas nostros episcopos, Cyriacum, Eusebiū & Priscianum, vti laborem ad vos proficiscendi susciperc non grauarentur. Qui quidē nō solum vobis exponent, quàm nostra voluntas pacis studiosa sit, & quo pacto nihil aliud quam ecclesię concordiā sibi proponat: verùm etiam, quàm ardenti studio ad sanā fidem

Vide Nicę. lib. 12. cap. 17. *Arianorum in orthodoxos rabies.* *Cur fideles afflingantur.* *Arianorum pernicacia.* *Causā reddūtur Romam non accedant.* *2. Cor. 4.* *Psal. 54.* *Legati Cōcilij Constantinopolitani ad cōcilium Rom.*

A fidem tuendam accensi simus, perspicuè significabunt. Nam persecutionum procellas, „ cruciatus, minas imperatorias, crudelem magistratuum violentiam, aliarumq; rerum „ incommodarum tentationes, quas ab hæreticis sustinuimus, pro fide Euangelica à „ 318. sanctis patribus Nicęæ vrbis Bithyniæ confirmata sustinuimus. Etenim ista fides „ tum à nobis, tum à vobis, tū ab omnib. qui nō verbum verę fidei peruertunt, approbari „ debet: quippe cum & antiquissima sit, & lauacro baptismatis, quo tincti sumus, consentanea: & nos doceat credere in nomine patris & filij & Spiritus S. hoc est in diuinitatē, „ potentiam & substantiā vnā patris & filij & Spiritus sancti, æqualē dignitatem, & coæternum regnū in tribus perfectis ὑποστάσεσιν, id est, in trib. personis: adeò vt neq; quicquam „ loci detur pestiferæ Sabellij hæresi, qua confunduntur personæ, hoc est proprietates earum tolluntur: neq; blasphemia Eunomianorum, Arianorum, aut eorū, qui Spiritū S. „ oppugnant, quicquā habeat ponderis: quæ quidem essentiā, naturam & diuinitatē trinitatis discindit, & ei, quæ nec creata est, & consubstantialis est, & coæterna est, naturā posterius genitam, aut creatam, aut quæ sit alterius essentiæ, tribuit. Nos aūt doctrinā Dominicæ incarnationis integrā & perfectā tenemus: & neq; œconomiam carnis Christi „ vel animæ vel mentis expertē, vel imperfectam esse asserimus: sed agnoscimus verbum „ Dei ante secula omninò perfectum esse, & perfectum hominē in nouissimis diebus pro „ nostra salute factum esse. Atq; ista de fide à nobis liberè ingenueq; prędicata summatim „ disserui mus: de quibus pleniorem cognitionē animis poteritis percipere, si libellum cō „ cilio Antiochiæ conuocato de fidei decisione editum, & eum etiā, qui superiore anno „ à concilio generali cōpositus est, legere placuerit: in quibus tum fidē nostrā vberius exposuimus, tum hæresibus nuper excogitatis anathema scriptis proditum denunciaui„ mus. De administrationibus autē, quæ sunt cuiusq; ecclesiæ propriæ, cum vetus, vti notis, lex est, tum sanctorum patrum in concilio Nicæno decisio: vt videlicet singularum „ prouinciarum antistites, vnà cum finitimis, modò ipsis ita visum fuerit episcopis, minis „ stros ad ecclesiarum commodum in suis ipsorum prouincijs ordinent. Ex cuius legis & „ decisionis præscripto scitote, tum alias quoq; ecclesias apud nos administratas esse: tum „ illustrissimarum ecclesiarum sacerdotes delectos. Vnde ecclesiæ Cōstantinopolitanæ, „ recens, vt ita dicam, ædificatæ, quamq; ex hæreticorum blasphemia, tāquam ex ore leonis per misericordiam Dei nuper eripuimus: reuerendissimum sanctissimumq; Nectarium in concilio generali, cōmuni omnium cōsensu, præsente Theodosio Imperatore „ religiosissimo, totius deniq; cleri, totiusq; ciuitatis suffragijs episcopum constituimus. „ Ecclesiæ aūt vetustissimæ & verè apostolicę Antiochiæ vrbis Syriæ, in qua primò vene„ randum Christianorum nomen auditum est, reuerendiss. & sanctissimum Flauianum „ episcopi illius prouinciæ & diœceseos Orientalis in vnum conuenientes, tota illa eccle„ sia, vti canon postulat, suffragante, & velut vno ore virum illum honorificè collaudan„ te, episcopum ordinarunt: quę quidē ordinatio vti legitima, cōmuni concilij consensu „ approbata est. Porrò ecclesię Hierosolymitanę, quæ est aliarum omnium mater, reue„ rendiss. & sanctissimum Cyrillum episcopum vobis ostendimus, tū ab episcopis prouin„ cię, vti canon vult, iā pridē creatum esse, tum plurima prælia aduersus Arianos varijs in „ locis confecisse. Quibus rebus tanquam legitimè & secundum ecclesię canones cōstitu„ tis obsecramus vestrā reuerentiam, vti congratuletur: spiritali charitate nos mutuo de„ uincente, & timore Domini, qui omnē humanā affectionem reprimit, ecclesiarumq; „ ædificationem amori illi & beneuolentiæ, qua singuli singulos cōplectuntur, longè anteponit. Quod si doctrina fidei ad hunc modum cōmuni consensu stabilita sit, & charitas Christiana in nobis confirmata: post hac desinemus dicere illud, quod ab Apostolis condemnatum est, nimirum, ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò „ Cephæ: atq; omnes cum simus Christi, qui in nobis nō est diuisus, corpus ecclesiæ, Dei „ largiente gratia, integrum cōseruabimus, & ad tribunal domini fidenti animo nosmet sistemus. Isti contra Arij, Aetij & Eunomij insaniam, quinetiā contra Sabellij, Photini, Marcelli, Pauli Samosateni & Macedonij amētiam scripserunt. Simili ratione & nouæ Apollinaris doctrinæ palàm anathema indixerunt: quandoquidem nos, inquiunt, doctrinam incarnationis Dominicæ integram tenemus, & neq; carnis eius œconomiam animæ mentisue expertem aut imperfectam asserimus.

Nicæna fides. *Sabellij hæresis.* *De administrationibus cuiq; ecclesiæ propriis lex.* *Nectarius episcopus constitutus.* *Flauianus episcopus desig tus.* *Hierosol. ecclesia aliarum mater.* *Cyrillus Hierosol. episcopus.* *Concordia Ecclesiam maximè decet.* *1. Cor. 1.*

Synodicus libellus aduersus Apollinarem & Timotheum, à Damaso episcopo Romano conscriptus.

CAPVT X.

Vide Nicę. lib. 12. c. 17. Sozo. lib. 7. cap. 9. Socra. cap. 10. lib. 5.

DAmasus item vir omni genere laudis florentissimus, simul vt hanc sectam exortā accepit, non Apollinarem solum, verùm etiam Timotheum eius discipulum abdicauit: quam rem episcopis etiam Orientales ecclesias gubernantibus significauit per literas, quas literas in historiam illigare non incommodum existimaui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Damasi Papæ epistola ad Orientales episcopos contra Apollinarem Antiochenum & Timotheum eius discipulum hæreticos. A

Primæ partes ecclesiæ Rom. tributæ. Vide Concil. general. tomo 1 fol. 408.

Quòd vestra charitas debitam sedi Apostolicę reuerentiam tribuit, filij honoratissi- "
mi, vobis ipsis quoq; maximo sanè honori est. Nam tametsi sancta Ecclesia, in qua san- "
ctus Apostolus sedens nos docuit, quo pacto illius gubernacula, quæ susscepimus, tra- "
ctanda sint, nobis primæ partes deferuntur: tamen confitemur, nos illo dignitatis gradu "
longè inferiores esse. Verùm ob hanc causam omnibus modis laboramus, vti ad glori- "
am beatitudinis eius, si qua ratione possimus, tandem aliquando perueniamus. Sciatis "

Timotheus Apollinaris discipulus abdicatus.

velim, fratres, nos Timotheum illum profanum, Apolinaris hæretici discipulum, cum "
impio suo dogmate iampridem abdicasse: & ob eam causam credimus, reliquias eius "
nihil in posterum momenti habituras. Quòd si antiquus ille serpens, semel atq; iterum "
ictus, ad suam ipsius pœnam augendam reuixerit: & extra ecclesiam eiectus, nonnullos "
etiamnum fideles suis mortiferis venenis, quibus eos tētare aggreditur, ad exitium tra- "
here non cesset, vos hanc eius astutiam velut pestem quandā declinate, & recordamini "
sedulò tum fidei ab Apostolis traditæ, tum huius vel maximè quæ est à sanctis patribus "
in concilio Nicæno scriptis prodita: inque ea gradum firmè defigentes, immobiles per- "
state: & ne posthac sustinete, vt vel clerici vestri, vel laici inanes sermones, quæstio- "
nésue obscuras audiant. Iam enim semel formulā edidimus, vt qui se Christianū pro- "

Gal. 1.

fiteatur, illud teneat quod ab Apostolis traditum est. quippe diuinus Paulus sic loqui- "
tur: Si quis vobis euāgelizauerit, præter id quod accepistis, anathema sit. Nam Christus "
filius Dei, Dominus noster, generi humano per passionem suam plenissimam salutem "
reddidit, vt totum hominem peccatis implicatum, ab omni peccato liberaret. Hunc si "
quis aut imperfectam humanitatem, aut imperfectam diuinitatem habuisse dixerit, spi "
ritu diaboli completus, se filium gehennæ ostendit. Itaque quid est cur abdicationem "

Apollinaris abdicatus.

Timothei à me rursus requiratis, qui etiam hic iudicio sedis Apostolicæ, Petro quoq; "
episcopo Alexandriæ præsente, abdicatus est, vnà cum magistro suo Apollinari, qui itē "
in die iudicij debitas pœnas & supplicia persoluet? Quod si ille, qui verā spem in Chri- "
stum vnà cum fidei confessione mutarit, velut spem quandam salutis retinens, alios "
quosdam qui sunt leuiores, ad suam perducat sententiam: sciant illi, se propterea cum "
eo similiter perituros, quòd animum aliquando induxerint Ecclesiæ canoni repugna- B
re. Deus vos, filij honoratiss. seruet incolumes. Alia item nonnulla episcopi in amplis- "
sima vrbe Roma coacti, contra varias hæreses conscripserunt, quæ necesse putaui huic "
historiæ attexere.

Alter eiusdem Synodicus contra diuersas sectas libellus.

CAPVT XI.

Confessio fidei Catholicæ, quam Damasus Papa misit ad Paulinum episcopum Thessalonicæ, vrbis Macedoniæ. Vide Nice. lib. 12 c. 18.

Varijs hæresibus anathema dictum.

QVoniam post cōcilium Nicęnum eiusmodi error emersit, vt quidam pro- "
fano ore dicere audeant, Spiritum sanctum per filium factum esse: anathe- "
ma denunciamus omnibus, qui non liberè prædicant Spiritum sanctum v- "
nius & eiusdem tum essentiæ, tum potestatis cum patre & filio. Pari ratione "
anathema indicimus Sabelliani erroris fautoribus, qui dicunt patrē & fili- "
um eundem esse. Anathemate item damnamus Arium & Eunomium, qui pari impie- "
tate, licet verbis discrepent, tum filium, tum Spiritum sanctum creaturam esse asserunt. "
Sint porrò Macedoniani mulctati anathemate, qui ex radice Ariana exorti, non impie- "
tatem, sed nomen solum cōmutarunt. Photino quoq; sit pœna anathematis irrogata, "
qui hæresin Ebionis renouans, Dominum nostrum Iesum Christum ex Maria solum "
editum asseuerat. Illi præterea anathemati addicantur, qui duos filios esse affirmant, v- "
num ante secula, & alterum post carnē ex Maria sumptā. Anathema etiā illis adiudica- "

Christus animam rationalem assumpsit.

uimus, qui asserunt, q⁹ in carne humana verbū Dei loco animæ rationis participis habi- "
tauit. Nā idē ipsum Dei verbum non animæ rationis & mentis cōpotis locum in corpo "
re, quod sibi sumpserat, obtinuit: sed nostrā animā, hoc est ratione & mente prędita, "
expertem tamen peccati, accepit, seruauitq;. Deniq; sit illis inflictū anathema, qui dicūt "
verbum Dei productione & contractione à patre secerni, ipsumq; essentiæ expertē esse, "

Ab alijs ecclesijs in alias migrare vetat concilium.

aut morte interituru sceleratè impieq; prædicant. Eos aūt, qui ab Ecclesijs, in quibus "
vixerunt, ad alias se transtulerint, vsq; eò sint à nostra cōmunione alieni, quoad ipsas ad "
vrbes redierint, in quibus erant primùm ad aliquē honoris Ecclesiastici gradum elati. "
Quòd si quis in alterius locum, qui sedē mutauit, cooptatus sit, tantisper à dignitate sa- "
cerdotali vacet ille, qui ciuitatem propriā deseruerit, dum qui ei successerit, obdormie- "
rit in Domino. Si quis non dixerit patrē semper esse, semper esse filiū, & semper Spiritū "
sanctū, anathema esto. Si quis negauerit filiū genitū àpatre, hoc est, ex diuina eius essen- "
tia,

A tia, anathema est. Si quis negauerit filium Dei perinde verum Deū, vt pater verus Deus "
est, & omnia posse, omnia scire, patriq; æqualem esse, anathema esto. Si quis dixerit, fili- "
um Dei, cum in carne viueret, inq; terris degeret ætatē, non in cęlis etiam cum patre fu- "
isse, anathema esto. Si quis dixerit, filium Dei, cum passus sit in cruce, non in carne so- "
lum & anima rationis participi, quam accepit in forma serui, vti Sacris literis prodi- "
tum est, sed in sua etiam diuinitate dolorem sustinuisse, anathema esto. Si quis negaue- "
rit verbum Dei passum in carne, crucifixum in carne, mortem gustasse in carne, & pri- "
mogenitum ex mortuis fuisse, quatenus vita est, & Deus author vitæ, anathema esto. Si "
quis negauerit eum in carne, quam sumpsit, sedere ad dexteram patris, in qua et- "
iam venturus est ad iudicium de viuis & mortuis exercendum, anathema esto. Si "
quis negauerit spiritum S. verè & propriè ex patre esse, perinde atq; filiū ex diuina essen- "
tia, & Deū Dei verbum, anathema esto. Si quis dixerit Spiritū S. nō perinde omnia pos- "
se, omnia scire, & vbiq; terrarum adesse, vt patrem & filiū, anathema esto. Si quis dixe- "
rit Spiritum sanctum creaturam esse, aut per filium factum esse, anathema esto. Si quis "
negauerit patrem omnia per filium incarnatum, & Spiritum sanctum condidisse, hoc "
est, visibilia & inuisibilia, anathema est. Si quis negauerit vnam patris & filij & Spiritus "
sancti diuinitatem, authoritatem, potestatem, gloriam vnam, dominatum vnum, vnū "
regnum, voluntatem, & veritatem, anathema esto Si quis negauerit tres veras personas "
esse, Patris, Filij, & Spiritus sancti, semper viuere, omnia cōtinere visibilia & inuisibilia, "
omnia posse, omnia iudicare, omnibus vitam tribuere, omnia fabricare, omnia conser- "
uare, anathema esto. Si quis negauerit Spiritum sanctum ab omni creatura perinde ad- "
orandum, vt patrem & filium, anathema esto. Si quis de patre & filio recte sentiat, de "
Spiritu sancto autem non item, hæreticus est: quandoquidem omnes hæretici, qui de "
filio Dei & de Spiritu sancto prauè sentiunt: in Iudæorum & Gentiliū infidelitate ver- "
sari deprehenduntur. Si quis Deitatem diuiserit, dixeritq; patrem Deum, filium Deum, "
& Spiritum sanctum Deum separatim: affirmauerit q; etiam deos dici, & non Deum, "
propter vnam diuinitatem & potentiam, quam credimus & agnoscimus, patris & filij "
& Spiritus sancti, cum sit vnus Deus in tribus personis: aut rursus ita exceperit, filium & "
Spiritum sanctum, vti patrem solum Deum dici, aut non vnū credi Deum existimet, "
B anathema esto. Nam nomen deorum & angelis, & omnibus sanctis à Deo donatū est. *Deorum nō- men & An- gelis & om- nibus sanctis donatum.* In patre & filio & Spiritu sancto, propter vnam æqualemq; diuinitatem non nomina "
deorum, sed nomen Dei nostri offertur & significatur: vt credamus, quòd in patrem, & "
filium, & Spiritum sanctum baptizati sumus: & non in nomina archangelorū, aut an- "
gelorum: sicut hæretici, Iudæi, & Gentiles delirant. Hæc igitur Christianorum salus est, "
vt credentes in Trinitatem, id est, in patrem, & filium, & Spiritum sanctum, & baptiza- "
ti in eandem, credamus quoq; vnam in ea deitatem esse, vnam potentiam, vnam diui- "
nitatem, & essentiam deniq; vnam.

De morte Gratiani, & Maximi tyrannide.

CAP. XII.

Theodosius & Valentinianus 2. Anno Christi 387.

ISta quidem, dum vita adhuc Gratiano suppeteret, gesta sunt. Vbi autem is post res in *Gratiani mors.*
bello præclarè gestas, post ciuitates modestia & æquitate temperatas, ex insidijs inter- "
ijt, nullo filio hærede imperij relicto, sed fratre solum, admodum adolescente, qui pa- "
tris nomine appellabatur: Maximus quidam, adolescentia Valentiniani (sic enim voca *Valentiniani Gratiani fra- ter.*
batur) contempta, dominatum Occidentis per vim arripuit.

Vide Nice. lib. 12 c. 20. Socrat. lib. 5 c. 11. 12. 14. Vide Sozom. lib. 7. ca. 13.

De Iustina Valentiniani coniuge, & tensis contra Ambrosium insidijs.

CAPVT XIII.

Vide Nice. lib. 12 c. 20. Socrat. lib. 5 cap. 11.

PEr idem tempus Iustina Valentiniani Magni coniunx, & mater adolescē- *Iustina Aria- na hæresi filiū Valentinianū inficit.*
tis, Arianæ doctrinæ semina, quæ olim exceperat, filio expromit. Nam fi- "
dei ardore mariti sui cognito, toto, quo ille vixit, tempore hæc occultare "
studuit. Verùm cum filij sui animum mollem & flexibilē cerneret, errorē "
in mente sua delitescentem profert audacius. Adolescens aūt matris mo- "
nita vsui sibi fore arbitratus (nam ad escā illecebris suis naturam delinientē, oculis men- "
tis adiectis, lethalem hamum minimè perspexit) primùm cū Ambrosio hac de re cōmu- "
nicat: ratus, si hunc ad suam perduceret sententiam, se alios perfacilè superaturum. At *Ambrosius Va lentiniano in- niori Ariani- santi resistit.*
verò Ambrosius reuocat eum in memoriam pietatis paternę: & vt hęreditatem, quam "
ab eo acceperat, integram seruet, cohortatur. Exponit ei præterea doctrinarum differen- "
tiam: & quomodo hæc cum doctrina Domini, & Apostolorum prædicatione consen- "
tiant, illę legib. ecclesiæ Spiritus sancti instinctu sancitis perspicuè repugnēt. Adolescēs "
verò

Universidad de Deusto
Biblioteca

verò, vtpotè adolescens, & à matre errore cæcata incitatus, tantum aberat vt Ambrosij assentiretur orationi, vt etiam iracundia inflammatus, ecclesiæ parietes turmis peditũ, tum graui, tum leui armatura tectorum circumsideret. Vbi autem fortissimum illum Christi bellatorem his rebus minimè perterrefactum videt (eas enim pro laruis, quæad terrendos adolescentulos obijci solent, habebat Ambrosius) tandem bile commotus, palã dat ei mandatum, vt è sacris templi vestibulis egrediatur. Tum Ambrosius: Non sum istud, inquit, volens facturus, neq; ouile ouium produrus lupis, neque blasphemiæ authoribus sacrosanctum Dei templum traditurus: sed si libet me interficere, hic intus vel gladio, vel cuspide hastæ confodito: sum enim cupidè & libenter hanc cædem excepturus.

Ambrosij Cõstantia.

De ijs, quæ Maximus tyrannus Valentiniano Iuniori significauit.

CAPVT XIIII.

LOngo autem tempore pòst, vbi Maximus de facinore contra præclarissimum veritatis præconem Ambrosium per Valentinianum admisso certior factus est, scribit ad Valentinianum literas: hortaturq;, vti tum à bello contra pietatẽ faciendo desistat, tum ne paternã pietatẽ prodere moliatur. Postremò minatur, bellũ, si non obtemperet, se contra eum susceptur um. Atque quod literis significauerat, factis certè præstitit. Nã collecto exercitu, Mediolanum, vbi ætatem agebat Valentinianus, maturè contendit. Cuius aduentu cognito, Valentinianus fugit in Illyricum: iã edoctus experientia, quid commodi sibi maternum attulisset consilium.

Vide Nice. lib. 12. c. 19.

Causa belli à Maximo aduersus Valentinianum sus cepti.

Maximi contra Valentinianum expeditio.

De ijs, quæ eadem de re à Theodosio Imperatore scripta fuerint.

CAPVT XV.

THeodosius autem omni laude cumulatus Imperator, cum certior factus esset tam de rebus adolescente Valentiniano Imperatore gestis, quàm de Tyranni Maximi literis, scribit ad Valentinianum, qui in Illyricum profugerat: Non debere eum mirari, quòd sibi Imperatori terror incussus fuerat, & robur tyranno adiunctum. Nam Imperatorem, pietatem armis oppugnasse: tyrannum autem, eandem defendisse. Atque illũ hac prodita, inermem in fugam coniectum: hunc ea velut armis munitum, eum illa nudatum deuicisse. pietati enim eius legislatorem fauere. Ista quidem, cum longè à Valentiniano abesset, scripsit Theodosius. Atq; simul vt accepit de fuga Valentiniani, venit ei subsidio: illumq; iam è proprio imperio iectum, & ad suam ditionem accedentem conspicatus, primum animo eius adhibet curationem, impietatis morbum altius insitum euellit, & ad pietatem paternam reducit. Deinde iubet bono animo esse: contra tyrannum bellum gerit: sine sanguinis effusione adolescenti restituit imperium, & tyrannum interficit. Nam rem iniustam se facturum putauit, & fœdera cum Gratiano pacta violaturum, si non pœnas de interfectoribus eius expeteret.

Vide Nice. lib. 12. c. 21.

Theodosij ad Valentinianũ literæ.

Maximi tyranni cædes.

De Amphilochio Iconij episcopo. CAPVT XVI.

POST Theodosij illinc reditum, Amphilochius ille admirabilis, cuius sæpius à me iam facta est mentio, accessit oraturus Imperatorem, vti ex vrbibus Arianorum cõuentus eijciat. At Imperator postulationem illam nimis seueram & inhumanam arbitratus reijcit. Sapientissimus igitur Amphilochius, re ad tempus tacita, aliam rationem ad id, quod volebat, obtinendum, eamq; planè memorabilem excogitauit. Nam cùm alio tempore fortè intra palatium esset, videretque astantem Imperatori filium suum Arcadium, qui nuper Imperator creatus fuerat, ipsum Imperatorem Theodosium (vt mos est) salutauit ille quidem, sed filium sine honore dimisit. Imperator autem ratus Amphilochium oblitum officij, iubet ad filium accedere, eumq; osculari. At Amphilochius respondit, Satis esse, quòd ei honorem habuerat. Itaq; Theodosius rem acerbè & grauiter ferens, probrum filio obiectum, iniuriæ loco sibijpsi illatæ numerauit. Tum sapientissimus Amphilochius, declarans Imperarori, quod animo instituebat, contenta voce: Vides, inquit, ô Imperator, quàm ægrè ignominiam filij tui patiare: imò verò illis, qui in eum insultant, vehementer succenses. Credas igitur mihi velim, huius vniuersitatis rectorem Deum, eos qui contra filium suum vnigenitum loquuntur blasphemias, itidem detestari, & tanquam ingratos erga seruatorem & patronum suum odio prosequi. Cuius institutum cùm hoc pacto intellexisset Imperator, facta eius dictaque simul admiratus, legẽ protinus conscripsit, quæ vetabat conuentus ab hæreticis agi. Verùm omnes cõmunis humani generis aduersarij tendiculas vitare, non adeò facilè est. Nã qui morbũ intẽperantiæ effugerit, idẽ auaritiæ laqueo irretitus tenetur. Quod si ab illo

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 8. 9. Sozo. lib. 7. cap. 6.

Arcadius Imperat. creatus

Amphilochij stratagema erga Theodosiũ Imp.

Lex Theodosiana de vetandis hereticorum conuenticulis.

A illo etiam vitio sit victoriam consecutus, ex altera parte patet inuidiæ vorago, ad eum absorbendum parata: sin autem hanc quoq; transilierit, reperiet rete sibi obiectum iracundiæ. Alias denique pedicas tendit diabolus hominibus propè infinitas, quibus eos illaqueatos ad exitium perducat. Habet quoque corporis perturbationes, inseruientes machinis quas contra animos hominum fabricatus est. Sola autem mens, sua vigilantia reportat victoriam: & inclinatione, qua in rerum diuinarum amorem propender, impetum machinarum diabolicarum frãgit. Quapropter admirabilis iste Imperator, humanæ naturæ particeps, à perturbationibus minimè vacuus fuit: quippe immoderata animi concitatione cum iusta iracundia coniuncta impulsus, facinus crudele & nefarium commisit: quod quidem ad legentium vtilitatem hoc loco commemorabo. Nã ciusmodi profectò est, vt Imperator iste admirabilis ob id tum in crimen meritò vocari, tum contrà summa laude ac prædicatione efferri debeat.

Diaboli retia varia.

Machinas diabolicas mente vinci.

De cæde Thessalonicæ facta, & Ambrosij episcopi in iurgando libertate, & Imperatoris pietate. CAP. XVII.

THessalonica vrbs est amplissima illa quidem, & multis hominibus frequẽtata: quæ tametsi subiecta est ditioni Macedonum, præ cunctis tamen vrbibus Thessaliæ, Achaiæ, & aliarum gentium plurimarum, quas præfectus Illyriæ moderatur primas obtinet. In hac, cum fortè seditio concitata esset, magistratus aliquot obruti lapidibus fuêre, & grauibus contumelijs vexati. Quibus rebus nũciatis, Imperator bile accensus, flammam neutiquam repressit iracundiæ, neque freno rationis eius impetum cohibuit: sed illius arbitrio permisit pronunciandæ sententiæ de supplicio Thessalonicensibus irrogando potestatem. Iracundia igitur hanc authoritatem nacta, velut tyrannus omnia suo nutu gubernans, ruptis habenis, & iugo rationis excusso, gladios iniquè contra omnes distrinxit, & insontes pariter cum sontibus trucidauit. Nam septem hominum millia, vti ferunt, interfecta fuere: in qua occisione non iudicium antecesserat, neq; authores tam horrẽdi facinoris iusta & legitima sententia condemnati: sed omnes simul, veluti spicæ in messe desectæ, concisi fuerunt. Hac miseranda ac lugubri calamitate cognita, Ambrosius ille, de quo B suprà diximus, Imperatori Mediolanum aduentanti, & in sacrum templũ ingredi cupienti, extra sacra vestibula obuiã procedit, vetatq; in templum intrare, & his ferè verbis eum affatur: Est verisimile, ô Imperator, te ignorare cædis abs te perpetratæ magnitudinem: neq; post sedatã iracundiam, ratione admissum facinus peruidere. Nam Imperatorius fortasse principatus peccatum agnoscere non sinit, sed potestas offundit rationi caliginem. Verùm quæ sit natura nostra, & quàm fragilis ac fluxa, cõsiderandum est: & in auitum puluerẽ, ex quo orti sumus, & in quẽ recasuri, acies mentis intẽdenda: neq; ipse, splẽdore purpuræ deceptus, corporis illa operti imbecillitatẽ ignorare debes. Quinetiã illis imperas, qui & eiusdem sunt naturę participes, atq; adeò conserui. Vnus enim Dominus omnium & Rex, huius vniuersitatis fabricator Deus. Quibus igitur oculis intuebere templum illius, qui est omnium Dominus, quibus pedib. sanctũ illud solum calcabis? Qui, quæso, manus iniusta cæde & sanguine respersas extendere audes, & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandũ eius sanguinem ori admouebis, qui furore iræ iubente, tantũ sanguinis tã iniquè effudisti? Recede igitur, & ne conare nouo scelere scelus antè editum augere: sed capesse vinculum, quo vt ligeris, Dominus omnium cælitùs sententiã dat. Quod quidẽ vinculum vim habet & morbum animi depellendi, & te ad sanitatem restituendi. Huic orationi obsecutus Imperator (nam diuinis educatus eloquijs, accuratè norat, tum quæ essent officia sacerdotum, tum quæ regum propria) cum gemitu & lachrymis ad palatium reuertitur. Atq; longo temporis spacio dilapso, (octo enim menses iam præterierant) Seruatoris natalicia fuere celebrata. Imperator aũt cõsidet in palatio, lamentis se dedens, & magnam vim profundens lachrymarum. Quod cũ animaduertisset Ruffinus, qui tum magister aulæ fuit, magnaq; apud imperatorem authoritate, vtpote familiaritate ei coniũctior, ad illum accedit, rogat causam fletus. Tum Imperator lugens acerbius, & maiorẽ in modum flens: Tu, inquit, Ruffine ludis? Nam quantis ipse in malis versor, nõ sentis. Ego verò gemo, & meam ipsius deploro calamitatem, dum mente complector, quàm facilis aditus ad sacrum templum seruis & mendicis pateat, liberq; illis ad Dominum suum deprecandum detur introitus: mihi autem non modò ad illum locum, verùm etiam ad cælum ipsum accessus præclusus sit. Nam venit mihi in mentem sententiæ à Domino prolatæ, quæ palàm dicit: Quemcunq; ligaueritis super terram, erit ligatus & in cælis. Cui Ruffinus: Currã, inquit, si placet, ad episcopũ, ei supplicabo, persuadeboq;

Vt

Thessalonica.

Vide Nicephor. lib. 12. c. 40. 41. Vide Sozo. lib. 7. c. 25. 26.

Seditio Thessalonicæ concitata grauius à Theodosio punita.

Ambrosij in Theodosium Imp. libertas.

Ambrosius Eucharistiã, sanctum Dei corpus appellat, & sanguinus vocabulã vsurpat.

Ruffinus. Vide post cap. 19 eiusdẽ lib. quis sit magister.

Matth. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theodosij de Ambrosij æquitate iustè atque sententia testimonium.

vt tua soluat vincula. At non est, inquit Imperator, tibi morem gesturus. Noui enim A adeò iustam æquãq; Ambrosij esse sententiam: vt non metu potestatis Imperatoriæ sit legem diuinam violaturus. Verùm cum instaret Ruffinus, pollicereturq; se Ambrosio persuasurum, Imperator iubet properè abire: ipseq; falsa spe inductus, & Ruffini confisus promissis, paulò post sequitur. Vt primùm autem Ruffinum diuus vidit Ambrosius: Videris mihi, inquit, Ruffine, canum impudentiam imitari. Nam tametsi tuo suasu tam crudelis facta est cædes, tu tamen ita perfricuisti os, vt nec pudeat, nec pigeat tanta rabie contra imaginem Dei insaniuisse. Vbi verò Ruffinus obnixè eum orauerat, dixeratq; Imperatorem breui eò venturum: sanctus Ambrosius diuino zelo accensus, Ego (inquit) Ruffine, prædico, me illum ab introitu sacri vestibuli prohibiturum. Quòd si Imperium mutarit in tyrannidem, cædem lubens equidem excipiam. Quibus auditis, Ruffinus Imperatori per internuncium significat, hortaturq; vt maneat in palatio.

Theodosij episcopo sese submittentis humilitas.

Quæ cũ Imperator in medio foro accepisset: Eo, inquit, illuc nihilominus, quo iustas debitasq; contumelias subeã. Vbi verò ad sacros templi parietes aduenit, non ingreditur in templum ille quidem: sed ad episcopum, qui in ædicula salutatoria sedebat, accedens, obsecrat vt vincula sibi soluat. At Ambrosius, eius aduẽtum dixit esse tyranni. cum: eumq; ipsum contra Deum insanire, & illius leges proterere. Tum Imperator: non obstinato animo, inquit, leges sancitas impugno, neque sacra vestibula per nefas introire cupio: sed oro, vt mihi soluas vincula, & proponas tibi ante oculos clementiã illius, qui est Dominus omnium: & ne mihi occludas ianuam, quam ille omnib. suos peccatorum suorum pœniteat, patefecit. Cui Ambrosius: Quam tu, inquit, pœnitentiam, post tam graue scelus admissum, ostendis? Quæ medicamenta ad vulnerã tam difficilia curatu sananda adhibuisti? Tuum est, inquit Imperator, medicamenta ostendere, eaque temperare: & vulnera, quæ ægrius curantur, obligare: meum autem, quæ sunt adhibita, accipere. Tum diuus Ambrosius: Quoniam, inquit, iracundiæ permisisti iudicium, & non rectę rationi, sed animo irato obsecutus, sententiam pronunciasti: conscribe legem, qua deinceps sententiæ per iracundiam pronunciatæ, irritæ sint, & nullius momenti: cognitionesque causarum de cæde, & publicatione bonorum, ad triginta dies scriptis proditæ maneant, vti recta ratione de illis iudicium des. Atque diebus illis confectis, qui decreta illa scripserint, mandata tua tibi ostendant. Ac tum quidem B compressa iracundia, ratione sola causam expendens, inquires in decreta: & ita perspicies iniquáne sint, an æqua. Quòd si iniqua deprehenderis, certum est ea decreta scriptis mandata te dilaceraturum: sin æqua, confirmaturum: sicque manifesto intellecturũ, numero dierum interiectarum, nihil de authoritate decretorum rectè sancitorum omninò detractum esse. Istud consilium Imperator, quoniam prudentissimum esse censebat, libenter amplexatus, iubet extemplo legem conscribi, suaque subscriptione confirmat. Qua re confecta, diuus Ambrosius eius vincula soluit. Itaque Imperator fidelissimus in sanctum templum ingressus, non stans Dominum precatus est, neque genibus flexis, sed pronus humi abiectus, versum illum Dauidis recitauit: Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum: atque capillum manibus lacerans, frontem ferire, lachrymarum guttis solum rigare, veniamq; supplex petere cœpit. vbi autem tempus postulauit, vt dona sacræ mensæ offerret, surgit, atque non minorem lachrymarum vim, quàm anteà, effundens, in sanctuarium ingressus est. Cùm verò dona, vti solebat, obtulisset, intus prope cancellos mansit. At rursus magnus ille Ambrosius non conticuit quidem, sed locorum differentiam eum docuit. Ac primùm scisciatur, Ecqua re egeret? Et cùm respõdisset Imperator, Se expectare diuinorum mysteriorum perceptionem: significauit illi per primarium diaconum, qui ei ministrabat, ad loca interiora solis sacerdotibus aditum patêre, eademq; alijs omnibus inaccessa esse, nec debere tangi. Iubet igitur vt exeat, & cum reliquis laicis consistat. Nam purpura, inquit, Imperatores, non sacerdotes efficit. Quam admonitionem itidem excepit lubens Imperator fidelissimus: respondit q́ue, se non animi confidentia inductum, mansisse intra cancellos, sed hanc consuetudinem Constantinopoli didicisse. Quare habeo, inquit, etiam pro hac medicina gratiam. Tantis & tam eximijs virtutis ornamentis enituit tũ episcopus, tum Imperator. Vtrunq; enim admiror: alterum propter ingenuam loquẽdi libertatem, alterum propter facilem obedientiam: & illum propter diuini zeli ardorem, hunc autem propter synceram fidem. Imperator autem pietatis præcepta, quæ ab illustri illo episcopo didicerat, etiam cum reuertisset Constantinopolim, obseruauit. Nam cùm diuino quodam festo ad templum denuò veniret, statim vt dona sacrę mensæ obtulerat, exiuit. Atque cum Nectarius, qui id temporis illius ecclesiæ antistes fuit, rogaret, Cur non maneret intus? gemens inquit: Aegrè tandem didici, quid inter Imperatorem

Theodosij lex, qua causarum de cæde cognitiones ad 30. diẽ prorahendæ.

Vide legem in Epiphan. & in iure ciuili. Psalm. 118.

Theodosij pœnitentia.

Purpurã Imperatores, nõ sacerdotes efficere.

Ambrosij & Theodosij viri tuum collatio.

A ratorem interfit, & episcopum: ægrè tandem reperi veritatis magistrum. Nam solum Ambrosium noui episcopum, dignum eo nomine. Tantum commodi reprehensio, à viro virtute præstanti adhibita, secum apportare solet.

De Placilla Imperatrice. CAPVT XVIII.

Vide Nicephor. li. 12. cap. 42.

ALia porrò causa suppetebat huic Imperatori, ex qua similiter vtilitatis percepit non parum. Nam coniunx eius nunquam destitit diuinas leges ei in memoriam redigere, seque primùm eisdem accuratè ipsa erudierat. Siquidem ea non Imperatorio principatu se insolẽter extulit: sed diuinum, quo flagrabat, desiderium augere studuit. Quippe beneficij magnitudo, amorẽ erga dominum multò reddidit ardentiorem. Itaque ad eos subleuandos, qui mutilata corpora, membraque omnia labefactata haberent, nihil nõ diligentię & curę adhibuit: atq; ad eam rem non seruorum, sed stipatorum opera vsa est, sed illa ipsa hoc fungi ministerio, adire eorum hospitia, & singulis necessaria suppeditare voluit. Simili quoque ratione ecclesiarum hospitia visere, ægrotis in lecto decumbentibus curationem adhibere, tractare ollas, iusculum gustare, patinam illis deferre, frangere panem, offas porrigere, eluere pocula, omnia denique alia munera obire, quæ serui & ancillæ exequi solent. Atque illis qui eam ab hoc genere ministerij auocare studerent, respondit: Aurum distribuere, decere Imperatorem: se autẽ, pro ipso imperio, ei qui idipsum dederat, illã operam offerre debere. Quinetiam percrebrò solebat meritò dicere: Semper te, mi vir, oportet cogitare, qui olim fueris, & qui iam sis. Ista assiduè animo complectens, non te ingratum ostendes erga patronum: sed imperium, quod suscepisti, iustè & legitimè gubernabis: atque eo ritè administrando, eum qui ipsum donauerit, augustè sanctèq; coles. Eiusmodi sermonibus semper cum viro habitis, femina virtutum animo eius mandata, præclarissimè commodissimeque rigauit.

Placillæ Imp. pietas.

Ipsamet Imperatrix pauperibus ministrat.

Placillæ apophthegma.

De seditione Antiochiæ suscitata. CAPVT XIX.

Vide Nicephor. lib. 12. ca. 42. Sozom. li. 7. ca. 23. 24.

STa quidem ante virum migrauit è vita: post cuius mortem non ita diu, facinus quoddam fortefortunà cõmissum accepimus, quod incredibilem amorem Imperatoris, quo eam complexus est, perspicuè patefecit. Impera tor crebritate bellorum coactus, nouum quoddam & peregrinum tributi genus ciuitatibus imposuit: quod quidem Antiochia non tulit, sed plebs, cum videret eos, à quibus exigebatur tributũ, propter inficiationem suspendi, cùm alia patrat maleficia, quæ multitudo imperita occasionem seditionis nacta patrare solet: tũ statuam æneam, omni genere laudis exornandæ Placillæ (id enim nomen Imperatrici fuit) erectam deturbat, & per magnam vrbis partem trahit. Quibus auditis Imperator, vt par erat, grauiter commotus, omnia priuilegia vrbi illi adimit, & principatum Laodiceæ vicinæ ciuitati tribuit. Quippe istud Antiochenos ægerrimè laturos (nam Laodicenses, ab antiquis iã temporib. aduersus Antiochenos graui inuidia exarserant) existimauit. Postremò se vrbem incẽsurum, penitusq; vastaturum minatur, atq; adeò in pagũ redacturum. Porrò magistratus quosdã in illo audaci facinore deprehensos, prius interfecerunt, quã de ipsa tragica clade Imperator certior factus esset. Imperator aũt quanquam omnia quæ fuerat minatus, imperauit fieri: tamen lex, quæ hortatu magni illius Ambrosij lata erat, obstabat, quo minus fierent. Vbi verò nuncij, qui vrbi Imperatoris minas exponerent, eò aduenerunt: nempe Elebechus, id temporis dux exercitus: & Cæsarius præfectus palatij, quẽ Romani magistrum aulæ vocant: oẽs minis illis perterriti, in magno metu erant. At virtutis athletæ, qui ad montis radices habitabant, quique permulti erant, & viri optimi, hos duos & monere & hortari cœperunt. Ex quorum numero fuit sanctissimus Macedonius, vir tum rerum quæ in cõmuni vita geruntur inscius, tum literarum sacrarũ prorsus ignarus. Iste in montium verticib. vitã agens, noctes diesque omnium Seruatori synceras preces offerre solebat: qui neque Imperatoris violentiam pertimescere, neque de potestate eorum qui missi erant, laborare visus est: sed in media vrbe, prehenso alterius pallio, ambos ex equis descendere iubet. Illi verò cũ viderent senem statura exigua, pannis sordidis amictum, primò indignari quidem: sed vt primũ à quibusdã eorum qui antecedebant, viri illius virtutẽ didicerãt, desilire de equis, illius genua amplecti, veniã deniq; petere cœperunt. Macedonius diuina imbutus sapientia, tali oratione eos cõpellat: Dicite, viri charissimi, Imperatori hæc verba: Nõ solũ Imperatorẽ cum esse, verùm etiã hominẽ. Itaq; ne oculos tãtummodo ad imperiũ adijciat, sed suam ipsius naturã mente cõplectatur. Nam cùm homo sit, illis imperat, qui sunt eiusdem naturæ participes. Humanam aũt naturã ad imaginem & similitudinẽ Dei fabricatam esse. Quare ne tam crudeliter & inhumanè, imaginẽ Dei è

Nouæ pecuniarum exactio seditionẽ populi operatur.

Placillæ statua Antiochiæ à plebe sublata.

Elebechus.

Cæsarius.

Macedonius monachus.

Macedonij ad Imp legatos oratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

medio tolli iubeat. Nam bilem mouet opifici, cũ eius imaginem contumeliosè tractet. A Consideret enim, quàm iniquo animo tulerit ipse, æneam coniugis imaginem contumelia affectam esse: se tamen in imaginẽ Dei cõtumeliosum esse non dubitare. Ac quãtum interſit inter imaginem inanimam & animatã, viuam & rationis cõpotem, omnib. qui ſunt mẽte prediti, perſpicuum eſt. Illud præterea ſecũ cogitet, nobis perfacilè eſſe, pro vna ænea imagine multas fabricari: ſed eum non poſſe omnino facere vel pilũ vnum illorũ, qui interfecti ſunt. Hac audita oratione, viri illi admirabiles eam ad impe
Theodoſij exuſtio. ratorẽ retulerunt: qua cũ eius iracundiæ flamma reſtincta eſſet, pro minis, quas iactauerat, ſcripſit literas, quibus ſe purgaret, iræq; cauſam in illis expoſuit. Nõ oportebat, inquit, ſi quid à me peccatum eſſet, coniugẽ, mulierem ſummis laudib. meritò decorandã, poſt mortem tantam contumeliam ſubire: ſed ſi qui mihi ſuccenſuiſſent, in me furentis animi impetus conuertiſſe debuerant. Adiunxit etiã, ſe acerbè tuliſſe, & valde animi diſcruciatum eſſe, cũ intellexiſſet quoſdam à magiſtratib. trucidatos fuiſſe. Iſta quidẽ à me ſunt propterea commemorata, quòd tum iniquũ putabam, vt libertas loquendi à Macedonio monacho longè præſtantiſſimo vſurpata, obliuione deleretur: tum perutilem illã legem, magni Ambroſij ſuaſu conſcriptã, omnium oculis ſubijcere cupiebam.

De idolorum delubris vndiquaque dirutis. CAP. XX.

Theodoſij in euertendis ſimulachrorum fanis ſtudium. *Conſtantinus Magnus.* HIs confectis rebus, Imperator fideliſſimus omne ſuum ſtudiũ ad errorem Gentilitũ euertendum tranſtulit: legesq́ue promulgauit, quibus imperatum erat, vt ſimulachrorum fana diruerentur. Nã Conſtantinus Magnus, omnib. laudis præconijs meritò efferẽdus, qui primus Imperiũ vero Dei cultu exornare ſtudebat, videns adhuc orbem terrarum cæco errore furentẽ, tametſi vetuit omnino dæmonib. immolare hoſtias, nõ tamen eorum delubra demolitus eſt: ſed mandatũ ſolum dedit, ne quiſquã ad ea accederet. Quinetiã iſtius filij, ſunt paterna diligenter perſecuti veſtigia. Iulianus aũt impietatem renouare, & flammã veteris fraudis iampridem extinctam de integro accendere laborauit. At contra Iouinianus imperio potitus, ſimulachrorũ cultũ omnino vetuit. Valentinianus quoq; ille magnus, eiſdem legib. Europam præclarè gubernauit. Cæterũm Valens, ſicut alijs omnib. permiſit poteſtatem, eam quam vellent religionẽ amplectendi, & eos colendi deos, quos ipſi pro deis haberent: ita aduerſus ſolos doctrinæ Apoſtolicæ propugnatores bellum continenter geſſit. itaq; toto tempore quo ille regnabat, ignem in aris accendere, libamẽta & hoſtias ſimulachris immolare, celebrare quoque in foro epula, Gentiles non deſtiterunt: quinetiam myſterijs Bacchi initiati, cũ ſcutis curſitare, dilacerare carnes, furere, bacchari, alia denique agere † quæ magiſtri ſui improbitatem ſatis apertè declarabant. Quę omnia cùm fideliſſimus Imperator pro certo cõperiſſet, extirpauit radicitùs, & ſempiterna obliuione obruenda curauit.

Vide Nicephor. lib. 12. ca. 25. 27. Socrat. lib. 5. ca. 16. lib. 5. ca. 7. 17. Sozom. lib. 7. ca. 15. Ruff. lib. 2. cap. 23.

Iulianus Imp. *Iouinianus.* *Valẽtinianus.* *Valens omnibus libertatẽ religionis conceſſit præterquam ortho-doxis.*

† Videantur pag. 343 lat. 1. lin. 21.

De Marcello Apameorum epiſcopo, & fano Iouis ab eo deiecto. CAPVT XXI.

Marcellus epiſcopus. ATque ex epiſcoporum numero Marcellus, vir in reb. omnib. lõgè præſtantiſſimus, lege, tanquam machina bellica, omnia delubra vrbis, cuius epiſcopatũ ipſe adminiſtrabat, prorſus expugnauit. Qua in re gerenda, fiducia in Deũ potius, quã multorum hominum manu adiutus eſt. Atq; hoc loco facinus in primis memorabile ab eo factũ narrabo. Vbi Ioannes epiſcopus Apameę, cuius antè feci mentionem, mortem obierat, in eius locum diuus Marcellus, vir ſpiritu, vt Apoſtoli præceptio vult, efferueſcens, ſubſtitutus eſt. Venit fortè Apameam præfectus Orientis, duobus ducibus cum duobus hominum millibus comitatus. Qui quidem, plebe propter metum ſibi à militibus iniectum quieſcente, delubrũ Iouis, quod ampliſsimum fuit, & multis ac varijs ornamẽtis illuſtratũ, deturbare aggreditur. Verùm cùm ſtructurã eius valde ſolidã & firmè compactam cerneret, exiſtimauit lapidum coagmẽtationẽ nullo modo poſſe diſſolui. nam lapides erant grandiſsimi, arctè inter ſe iuncti, & ferro præterea ac plumbo colligati. Qua re præfectum deterritum cùm videret diuus Marcellus, eum ad alias vrbes amandauit: ipſeq; Deum impensè precatus eſt, vt viam ſibi ad illius delubri euerſionem aperiret. Itaque primo mane, vir quidam qui neque architectus, neque lapidarius fuit, neque vllam aliam artem nouit, ſed lapides & ligna humeris portare aſſueuerat, ſua ſponte eò venit. Qui vt acceſſit, pollicitus eſt ſe delubrum facillimè domoliturum: ſolumq́ue mercedem poſtulauit, qua duos opifices conduceret. Quam ſimulatq́ue ſanctus epiſcopus ei daturum promiſerat, eiuſmodi quiddam excogitauit homo ille. Delubrum habebat porticum quadratam, erectam in ſublime, ſibiq́ue adiunctam. Hanc

Vide Nicephor. lib. 12. ca. 27.

Rom. 12.

Iouis delubrũ quomodo diruẽdum.

Delubri Iouis deſcriptio.

A Hanc ſuſtentabant columnæ, maximè pares prõportione ipſi templo: ambitus autem cuiuſq; ſedecim cubitorum fuit. Lapis ex quo erant fabricatæ, natura duriſſimus, nec facilè lapidariorum inſtrumentis cedens. Quarum ſingulas cùm vndique ſuffodiſſet iſte, & ædificia illis innixa tignis oleagineis ſuffulſiſſet, ad aliud eodẽ modo tranſijt. Nam tribus columnis ad hunc modum ſuffoſſis, inijcit tignis flammam. Verùm dæmon quidam ater apparens, tigna, vt eorum fert natura, igne abſumi non patitur, ſed impetum flammæ cohibet. Vbi verò iſtud ſæpius egerant, videbantq́ue machinam illã fruſtra admotam, epiſcopo ſub meridiem fortè dormienti rem indicant. Ille confeſtim ad ſanctum Dei templum properè contendit, aquam in vaſe afferri iubet, quam ſub ſacroſancto altari ponit. Ipſe autem humi in faciem proſtratus, Dominum benignum & clementem precatur, ne tyrannidem dæmonis longius ſerpere permittat: ſed tum eius patefaciat imbecillitatem, tum ſuam ipſius potentiam oſtendat, ad eum finem, vt infidelibus nulla maioris cæcitatis inde detur occaſio. Hæc & alia his ſimilia locutus, cùm aquã ſigno crucis ſignaſſet, Equitiũ, vnũ ex diaconis, fide & pietatis ſtudio egregiè munitum, aquam iubet accipere, ocyus ad delubrum currere, & cum fide eam ſpargere, tignisq́ue flammam adhibere. Qua re confecta, dæmon aquæ aſperſæ vim non ferens, penitus aufugit. Ignis autem aqua, ſuæ naturæ maximè aduerſaria, velut oleo fotus, tigna occupat, eaq́ue momento temporis prorſus abſumit. Itaq; columnæ baſi ſublata corruunt, aliasq́ue duodecim ſecum deijciunt. Ipſum præterea templi latus columnis cohærens, violento illarum caſu pariter deturbatum eſt. Cuius ingenti fragore tota adeò perſonabat ciuitas, vt omnes ad ipſum illud delubrum ſpectandum concurrerent. Atq; ſimul vt intellexere dæmonem infeſtum fugatum eſſe, hymnorum concentu vno ore omnes celebrarunt. Eodem modo ſanctus ille epiſcopus, alia quoque ſimulachrorum fana demolitus eſt. Quãquam alias res ab iſto viro cum maxima omnium admiratione geſtas narrare poſſim (etenim literas tum ad inuictos Chriſti martyres dedit, tum recepit ab illis viciſſim, tum denique corona martyrum ipſe donatus eſt) tamen has in præſentia narrare ſuperſedeo, ne cùm nimis ſim lõgus, afferam lectoribus faſtidium. Quare ad aliam rem geſtam commemorandam ſermonem conuertam.

Dæmon templum ſuum tueri conatur. *Equitius diaconus.* *Signo crucis aqua ſanctificatur luſtralis. Vide autẽ Apoſt. conſt. lib 8. cap. 29. & ibi Fran. Turr.*

B

De Theophilo Alexandrino epiſcopo, & quæ illic in idolorum demolitione geſta fuerunt. CAPVT XXII.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 25. 26. Socrat. lib. 5. cap. 16. Ruff. lib. 2. cap. 20. Sozom. lib. 7. cap. 15.

ATHANASIO illi multorũ celebrato ſermonibus Petrus, vir planè admirabilis, ſucceſſit. Petro autem Timotheus, Timotheo Theophilus, vir cũ ſumma prudentia, tũ animo valde excelſo præditus, cuius opera vrbs Alexandria errore in ſimulachris colendis liberata eſt. Nam non modo ſimulachrorum delubra, concuſſis eorum fundamentis, diruit: verùm etiam ſubdolas ſacerdotum veteratorum machinationes, eorum oculis quos in fraudem deduxerant, ſubiecit ad contemplandum. Etenim ſacerdotes iſti ſtatuas, quarum pars æneæ, pars lignææ fuerũt, cauas introrſus effecerant, tergaq́ue earum parietibus affigentes, vias quaſdam latentes & obſcuras per ipſos parietes ad illas diduxerant. Deinde per adyta fanorum in eas ingreſſi vias, ſe in ſtatuas ipſi abdiderant: indeq́ue velut ex ſtatuarum ore, quæ libitum ipſis erat, imperarunt: quibus auditores circumuenti, imperata fecerunt. Has igitur ſapientiſſimus epiſcopus demolitus, ſacerdotum præſtigias populo ab illis decepto aperuit. Porrò autem in fanum Serapidis, quod omnium quæ erant in toto orbe terrarum ampliſſimum, vt fertur, & pulcherrimum fuit, ingreſſus, vidit ſtatuam adeò immani magnitudine, vt ſpectatores ea vehementer perterrerentur. Et præter magnitudinem, falſus quidam rumor affectus fuit: terræmotum, ſi quis ad eam propius accederet, ſubnihil aliud eſſe quàm anicularum ebriarum delirationem arbitratus, ſpreta magnitudine ſtatuæ, vtpote inanimæ, dat mandatum cuidam qui ſecurim habebat, vt alacri ac prompto animo Serapidem feriat. Qui cùm ſtatuam percuſſiſſet, conclamare omnes, veriti nimirum rumorem vulgò iactatum. At Serapis, accepta plaga neq; dolere, quia ligneus, neque vocem emittere, quia inanimus fuit. Poſtea verò quàm caput illi abſciſſum eſt, mures ex interiore corporis parte gregatim excurrere: quippe Aegyptiorum deus murum domicilium fuit. Trunco autem ſtatuę in minutas particulas diſſecto, hæ in rogum conijciuntur. At caput, inſpectantibus illis qui ſtatuam illam coluerãt, imbecillitatemq́ue dei ſui deridentibus, per vniuerſam vrbem raptatur. Hoc modo igitur dæmonum delubra terra mariq́ue ſolo fuêre æquata.

Petrus Athanaſij ſucceſſor Timotheus. *Theophilus.* *Alexandrinarum ſtatuarũ illuſiones & præſtigiæ.* *Serapidis ſtatua euerſa.* *Mures ex ſtatua Serapidis proſiliunt.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Flauiano Antiocheno episcopo, & Occidentalium partium propter Paulinum seditione. A

CAPVT XXIII.

Flauianus Paulini successor. FLauianus verò, qui vnà cum Diodoro in multa atque ardua certamina pro ouium Christi salute descenderat, in præsulatu Antiocheno Magni Meletij successor fuit.

Paulinus repulsus. Atq; cùm Paulinus ecclesiæ administrationē capessere vellet, cœtus sacerdotū restitit: dixitq;, eum qui cōsilium Meletij repudiauerat, post mortē eius non debere illius sede occupare: imò verò qui multis ac præclaris nobilitatus erat laboribus, & quā plurimis periculis se pro ouibus obtulerat, eum pastorem creandum esse. Quæ res Orienti tum à Romanis, tum ab Aegyptijs odium valde diuturnum peperit. Nam ne Paulino quidē iam mortuo, simultas cōpressa est: sed cùm Euagrius eius sedem post illum obtinuisset, non destiterunt inimicitias cum Magno Flauiano exercere, idq; cùm Euagrius contra legē ecclesiæ designatus esset. Quippe solus Paulinus cū ordinauerat: in qua re complures simul canones violauit. Siquidem canones neque faciunt potestatē cuiquam, iā mortem oppetituro, quēquam in locum suum sufficere: atque oēs proūinciæ episcopos iubent in vnum ad eam rem cōuocari. Quinetiam vetant rursus, quenquam absque tribus episcopis, episcopū constitui. Attamen horum nihil scire cupientes, Euagrij cōmunionem sunt illi quidem amplexati, Imperatorisque animum contra Flauianum incitare obnixè studuerunt. Nā cum Imperatori nimis acriter instando multum sæpe exhibuissent molestiæ, accersit eum Constantinopolim, & Romam proficisci iubet. At Flauianus respondet, hyemem iam esse. Itaque pollicitus se ineunte Vere imperata facturum, in patriam reuertit. Sed cum episcopi Romani, non Damasus solum ille admirabilis, verumetiam post illum Syricius, & Anastasius Syricij successor, vehementius in Imperatorem inuecti essent: dixissentque, eum illos qui tyrannidem contra se exercere molirentur, opprimere: sed his qui per tyrannidem Christi leges eūertere studerent, impunitatem concedere: eum accersit denuò Imperator, Romamque vt contendat, cogere laborat. Tum sapientissimus Flauianus liberè ei, non sine maxima omnium laude, respondet: Si qui me, ô Imperator, vt fidem minimè sinceram ac sanam profitentem insimulent, dicātue vitam me traducere indignam sacerdotio, cùm illis ipsis iudicibus vtar, tum pronunciatam ab eis lubens subibo sententiam: sin autem de sede & præsulatu digladientur, neque agam cum illis iudicio, neque his, quos eam dignitatem adipiscendi studium tenet, aduersabor: sed cedam equidem volens, meque ipse præsulatu abdicabo. Quare tu, cui libitum est, sedem Antiochenam tribuito. At verò Imperator hanc eius animi magnitudinem & sapientiam magnopere admiratus, in patriam reuerti, & ecclesiam sibi commissam sedulò pascere iubet. Longo verò iam tempore intermisso, Imperator Romam denuò aduentans, in idem crimen rursus ab episcopis vocatus est, quòd scilicet tyrannidem Flauiani non repressérat. Tum Imperator eos dicere iubet, quod sit tyrannidis genus. Nam ipse, inquit, Flauiani partes suscipiam, & causam eius agam in iudicio. Cùm autem illi respónderent, se non posse cum Imperatore iudicio disceptare, hortatur, vt deinceps concordiam in Ecclesia constituant, dirimāt lites, & inanis contentionis flammam extinguant. Nam Paulinum iampridē à vita excessisse, & Euagriū contra leges Ecclesiæ designatum fuisse episcopum: quinetiā omnes ecclesias Orientis Flauiano præsuli adhæresce re. Atque præter eas, Asianā præterea diœcesim, Ponticam & Threiciā, cum eo cōmunicare, eiq; se addixisse. Illyriā porrò vniuersam, agnoscere, cum inter episcopos Orientis principatū obtinere. Huic horrationi obsecuti episcopi Occidentis, promittunt se simultatē deposituros: & legatos, qui à Flauiano mitterentur, admissuros. Qua re intellecta, diuus Flauianus episcopos quosdam illustrissimos, presbyteros etiā Antiochiæ, & diaconos Romam misit. in qua legatione principē locum tenebat Acacius episcopus Berrœæ oppidi Syriæ, vir omniū ore ac sermone passim celebratus. Qui vnà cū cæteris Romam aduentans, inimicitias ad decem & septem annos continuatas extinxit, ecclesijsque pacem restituit. Qua re audita, Aegyptij quoque odio sedato, sunt concordiā amplexati. Id temporis Innocentius, successor Anastasij, ecclesiæ Romanæ antistes fuit, vir ingenij & prudentiæ ornamentis egregiè instructus: Alexandriæ autem Theophilus, de quo suprà meminimus.

Euagrius contra legē episc. creatus.

Canones de episcoporum designatione.

Damasus, Syricius, Anastasius episcopi Rom.

Flauiani in Imp. libertas.

Theodosius Flauiano patrocinatur.

Acacius episc.

Innocentius Rom. episc.

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 24. Socrat. li. 5. cap. 15. Sozom. li. 7. ca. 11. 15. li. 8. cap. 3.

De Eugenij tyrannide, & Theodosij Imperatoris ob fidei ipsius meritum victoria.

CAPVT XXIIII.

Ioannis Aegyptij monachi prædictiones. AD hunc modum, fidelissimi Imperatoris opera, pax in ecclesijs constituta est. Ante quod tēpus idem Imp. cognita morte Valentiniani, & Eugenij tyrannide, in Europam exercitum traducit. Eodem tempore Ioannes quidam monasticum vitæ genus exercens,

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 39. Socrat. lib. 5. cap. 24. Sozom. li. 7. cap. 22.

A colens, vixit in Aegypto: qui gratia Spiritus sancti imbutus, scisciantibus multas res futuras prædixit. Ad istum misit Imperator nuncium quæsitum, an bello (auebat enim de eo fieri certior) cum tyrannis decertaret. Qui, vti prædixerat eum in priore bello victoriam sine sanguine potiturum: sic in posteriore, post multam hominum cædem superiores laturum præsignificauit. Qua spe inductus Imperator, complures ex hostibus acie instructa telis confixit: multosq; ex Barbaris, qui ei auxilio venerant, amisit. Ibi cū duces dicerent, nimis paucos ad prælium de integro ineundum superesse: hortarenturque, vt bellum aliquandiu intermitteret, quò ineunte vere, exercitu collecto, hostes multitudine deuincerent: Imperator fidelissimus eorum consilium repudiauit. Nam non cōmittendum est, inquit, vt salutaris Crux tantæ arguatur imbecillitatis, Herculisque statuæ tantum virtutis nostro testimonio tribuatur. Quippe vt crux nostrū exercitum, ita illa hostium antecedit. Qua oratione cum tāta in Deo fiducia habita, cū copiæ relictæ & paucæ admodum essent, & animis fractæ, sacra æde in vertice montis, vbi castra fecerat, reperta, totā noctē huius vniuersitatis gubernatorem precib. solicitauit. Sub tēpus aūt noctis quo galli cantare solent, somnus eū oppressit. Qui humi stratus, videre sibi visus est duos viros, candido vestitu amictos, equis albis vehi: qui ipsum bono animo esse, timorem abijcere, prima luce arma capere, & exercitū in aciem educere iubent. nam se auxiliares, & velut antesignanos ad eum missos esse: & alterum esse Ioannem Euangelistā, Philippum Apostolū alterum. Hac oblata visione, Imperator preces funde re non desistit, sed attentiore cogitatione eas Deo adhibet. Eadem quoque visio militi secundum quietem apparuit, qui præfecto suo eam narrauit: ille eum deducit ad tribunum militum, tribunus autem ad ducem: dux noui aliquid inde portendi ratus, Imperatori significat. Tum Imperator: Non mea, inquit, causa hæc oblata est visio (ipse namque illis qui victoriam promiserant, fidem habui) sed ne quispiam existimaret, me, vt pote prælij faciendi cupidum, eam confinxisse. Huic igitur militi Deus, mei imperij propugnator, hanc obtulit visionem, vt mihi eandem narranti certum testimonium daret. nam mihi primùm communis omnium Dominus illam ostenderat. Quare omni metu prorsus amoto, antesignanos nostros & principes belli gerendi sequamur, atq; nemo bellantium multitudine metiatur victoriam: sed eorum potentiam, qui se duces nobis præbent, quisque consideret. Hac oratione militum animis valde confirmatis, omnes de monte deducit. Tyrannus autem, cùm videret milites procul à se † ad prælium ineundum paratos, ornat exercitum, & aciem instruit. Ipse verò colle quodam occupato, ait militibus suis: Imperatorem iam quasi mori cupientem, & desiderio ex hac vita abeundi flagrantem, prælio decertare. Dat igitur mandatum ducibus, vt eum viuum ad se, & vinculis constrictum adducerent. Postea verò quā phalanges ordine locatæ erant, satis animaduerti poterat, tum quàm ingentes hostium copiæ essent, tum quàm paucæ cum Imperatore in acie iungerentur. Cùm autem tela vtrinque cōijci cœpta sunt, tum antesignani Imperatoris verè promissa præstitere. Nā vētus violentus eregionè hostib. irruens, illorum sagittas, iacula spiculaque in ipsos retorquet, adeò vt nullum teli genus eis adiumento fuerit: neque miles grauis armaturæ, neque sagittarius, neque iaculator, Imperatoris exercitum lædere potuerit. Quinetiam tāta pulueris copia in eorum facies impetu ferebatur, vti palpebras occludere, & pupillas oculorum pulueris vt gratiuer oppugnatas tegere ac tueri eos coegerit. Imperatoris autem exercitus nullo damno incommodóue ex illo turbine accepto, fidentibus animis hostes trucidant. Qui quidem his rebus perspectis, & diuino auxilio, quod Imperatoris copijs allatum erat, cognito, abiectis armis, veniam ab Imperatore supplices petunt. Ille autem flexit animū, & illorum misericordiam capit: iubet denique tyrannum celeriter ad se adduci. Illi igitur properè collem ascendunt, in quo tyrannus ignarus rerum iam gestarum considebat. Qui cū eos anhelantes videret, ipsaque anhelitus crebritate adueniendi indicantes celeritatem, victoriæ nuncios esse suspicatus est: rogatque, num Theodosium, vt illis erat imperatum, vinctum adducerent? Cui illi: Non enim, inquiunt, adducimus ad te, sed te hinc ad eum abducimus. Hoc namque in mandatis dedit summus huius vniuersitatis moderator Deus. Quæ cùm dixissent, ei è solio erepto vincula inijciunt, abducūt vinctum: & qui paulò antè insolenter gloriatus fuerat, captiuum ad Theodosium deducunt. Imperator autem primū iniuriarum in Valentinianum, & impiè occupatæ tyrannidis eum in memoriā reuocat. Deinde bellorum contra imperium legitimū susceptorum causa, cum irrisione reprehendit. Reprehendit etiam statuā Herculis, qua fretus, tam audax temerariumque facinus admiserat. Postremò, iustā æquamque de supplicio illi irrogando sententiā pronunciat. Talem se Theodosius tum in pace, tū in bello præstitit: quippe semper diuinum implorauit auxilium, semperq; illud cōsecutus est.

Theodosij somniū diuinitus oblatum.

Theodosij cum Eugenio tyrāno pugna.

Eugenius vitus, & vinctus ad Theodosium adducitur.

Theodosij pietas.

† Vide anot. pag. 914 lat. 1. lin. 18. 20.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Theodosij Imperatoris morte. CAP. XXV.

Theodosij mors.

HAc parta victoria, Theodosius in morbum delapsus, filijs imperium distribuit: ac maiori natu eam partem quam ipse rexerat, minori autem Europæ tradit gubernacula. Vtrumque veram pietatem colere hortatur. ea enim & pacem conseruari, bellum extingui, hostes in fugam verti, trophæa erigi, & victoriam denique constare. Hac hortatione filijs adhibita, obijt mortem: cuius gloria sempiternæ memoriæ commendata est.

De Honorio Imperatore, & Telemacho monacho. CAP. XXVI.

Honorius Imp.

Telemachi monachi martyrium.

Gladiatoriæ pugnæ sublatæ.

ELij istius Imperatoris, sicut successores paterni Imperij, ita pietatis illius hæredes extiterunt. Nã Honorius Europæ potitus Imperio, pugnas gladiatorias, quæ Romæ olim fieri consueuerant, tali inductus occasione sustulit. Telemachus quidam vitam excolens monasticam, profectus ex Oriente, hac de causa Romam contendit. Ac dum sceleratum illud edebatur spectaculum, in stadium ipse ingreditur, atque ad gladiatores descendens, mutuam inter eos dimicationem sedare nititur. Itaque crudelis cædis spectatores accensi iracundia, & à dæmone, qui ex illa sanguinis effusione voluptatem capiebat, ad furorem impulsi, pacis authorem lapidibus obruerunt. Qua re cognita, Imperator admirabilis Telemachum in martyrum inuictorum numerum ascripsit, crudele autem illud spectaculi genus penitùs sustulit.

De Arcadij Imperatoris pietate, & Ioannis Chrysostomi ordinatione. CAPVT XXVII.

Arcadius Imp.

Ioannes Antiochiæ presb.

COnstãtinopoli autem mortuo Nectario, qui illam gubernarat ecclesiam, Arcadius, cui illa Imperij pars obuenerat, cùm Ioannẽ, eximiũ orbis terrarum luminare Antiochiæ in cœtum presbyterorum ascitum intellexisset, accersit ad se: & ab episcopis in vnum conuocatis contendit, vt eum consecrent episcopum, & præclaræ illius vrbis pastorem constituant. Hoc vno argumento Imperatoris erga res diuinas studium satis declarari potest. Per idem tempus Antiochiæ antistes fuit Flauianus: Laodiceæ autem Elpidius, qui vixerat vnà cum magno Meletio, eiusque vitæ rationem accuratius repræsentauit, quàm cera formas ab annulis in ea impressas solet. Iste magno Pelagio successit: diuo autem Marcello successit Agapetus, vir cum primis excellens, quem tempore quo hæreticæ ingruebãt procellæ, in Palæstra monastica magnam laudem adeptum suprà demonstraui. Seleuciæ autem, ad radices montis Tauri sitæ, episcopus Maximus fuit, Ioannis illius illustris cõdiscipulus: Mopsuestiæ Theodorus. Ambo doctores erant insignes. Diuus porrò Acacius cùm prudentia, tum vitæ ratione clarus, ecclesiam Berœæ rexit. Galatiæ pastor fuit Leontius, vir multis virtutis generibus insigniter exornatus.

Flauianus epis. Elpidius.

Agapetus.

Maximus. Theodorus. Acacius. Leontius.

De diuina huius episcopi in loquendo libertate. CAP. XXVIII.

Ioã Chrysost. Constantino pol. episcop.

MAgnus ille Ioannes, susceptis ecclesiæ Constantinopolitanæ gubernaculis, cœpit iniqua quorundam facinora grauiter coarguere, Imperatorem eiusque coniugem salutariter admonere, orare sacerdotes, vt ex præscripto legum ab ecclesia sancitarum vitam instituant: eos autẽ qui istas temerè violare aggrediebantur, aditu sanctuarij prohibere. Nam non est æquum, inquit, vt sacerdotali honore fruantur hi, qui vitam eorum qui sunt verè sacerdotes, non studiosè imitentur. Atque hoc modo prospexit non illi solum ciuitati, verùm etiam toti Thraciæ, quæ est in sex episcopatus diuisa: & cunctæ etiam Asiæ, quæ vndecim habet antistites, Ponticam præterea ecclesiã, quæ eundem habet episcoporum numerum, quem Asia, eisdem legibus adornauit.

De fanis idolorum in Phœnicia ab eo deiectis. CAP. XXIX.

Idolorum delubra diruta.

POrrò cùm certior factus esset, Phœniciam etiamnum ad nefaria dæmonum mysteria celebranda cæco furore ferri, monachos diuino pietatis studio inflãmatos in vnũ cogit: eoq; cum edictis Imperatorijs ad simulachrorum fana demolieda, mittit. Opificibus autem & eorum ministris, qui ista deturbarent, mercedem non ex Imperatoris prompsit ærario: sed fœminas cùm diuitijs circumfluentes, tum fide præclarè instructas induxit, vti sumptus in eam rem (docuit namque, quanta laus ex tali largitione colligi soleat) affatim & liberaliter suppeditarent. Itaque reliqua dæmonum delubra hoc pacto solo æquanda curauit.

De Gothorum ecclesia. CAP. XXX.

Scythæ ab Arianismo liberati.

CVm videret præterea gentẽ Scythicã doctrinæ Arianæ laqueis irretitã teneri, molestus est sedulò inde eam eripere: ad quã prædam capiendam hanc viam excogitauit. Complu-

Vide Nicephor. lib. 12. cap. 30. Sozom. li. 8. cap. 1. Socrat. lib. 5. cap. 25.

Vide Nicephor. li. 13. cap. 3. Sozom. lib. 8. cap. 6. Socrat. lib. 6. cap. 3.

Vide Nicephor. li. 13. cap. 1. Sozom. lib. 8. cap. 1. Socrat. l. 6. cap. 1. 2. 3.

Vide Nicephor. li. 13. cap. 2. 1. Sozom. lib 8. cap. 1. 2. 3. Socrat. lib. 6. ca. 1. 2. 3.

Vide Nicephor. li. 13. cap. 3. Sozom. lib. 8. cap. 6. Socrat. lib. 6. cap. 3.

A Complures qui eadem lingua loquebantur, presbyteros, diaconos & lectores ordinauit, illisque vnam tribuit ecclesiam: quorum opera multos errore lapsos, Ecclesiæ reconciliauit. Nam ille ipse plerunq; ad eam ecclesiam profectus, cum illis locutus est, interprete vtriusque linguæ perito vsus: aliosque dicendi facultate instructos, ad idem ipsum faciẽdum induxit. Ista quidem in vrbe illa præstitit, complurésque errore imbutos, veritate doctrinæ Apostolicæ explanata, ad viam salutis reduxit.

De prouidentia quam pro Scythis habuerat: & quo pacto Marcionistas infectatus fuerit. CAPVT XXXI.

Scythæ Nomades.

Marcionis hæresis.

ITemque cũ accepisset Scythas, qui Nomadæ vocãtur, quiq; propter Istrum accolebant, sitientes quidẽ salutem appetere, sed habere neminem qui sitim suã salutaris doctrinæ fluentis restingueret: viros laborum Apostolicorum imitatores conquisiuit, eosq; illis erudiendis præfecit: literas autẽ eius ad Leontiũ episcopum Ancyræ perscripras, quib. tum Scythas ad fidẽ conuersos esse significabat, tum orabat vt viros idoneos ad rectã salutis viam illis monstrandam mitteret, ipse equidem perlegi. Porrò autem vbi intellexit, pestiferã Marcionis hæresin nonnullos in nostra regione pagos occupasse, scripsit ad eũ qui id temporis episcopus illius ecclesiæ fuit, hortatus vt hæresim illã inde expelleret: atq; quò ei in eo negocio exequẽdo adiumento esset, edicta Imperatoris ad illum mittenda curauit. Sed de ecclesijs, more diui Pauli Apostoli, quàm animo sollicito esset, ex his rebus gestis satis constare poterit.

De Gainæ postulatione, & Ioannis Chrysostomi responsione. CAP. XXXII.

Ioan. Chrysostomi προσωπεῖα.

Gratianus dux Arianus.

SVnt autem a lia ipsius facta, quæ eius loquendi libertatem perspicuè declarare queant. Exempli gratia: Gainas quidam genere Scytha, animo barbaro, insolentia planè tyrannica, per id temporis dux fuit: & non modò exercitui ex sua gente collecto, verùm etiam vnà Romanis tum equestribus tum pedestribus copijs præfuit. Quẽ quidem non solum alij omnes, sed etiam Imperator ipse (quippe eum tyrannidem moliri suspicabatur) magnopere extimuit. Iste labe aspersus Ariana, postulat ab Imperatore vnum ex sacris templis sibi dari. Imperator autem respondet, se de ea re capturum consilium, & vnum ei curaturum promittit. Itaque diuino illo Ioanne accersito, ei postulatum Gainæ exponit, commemoratque eius potentiã, moliri tyrannidem indicat: orat, vt templo donato, furentẽ eius animum placet. Cui nobilis ille vir: Ne, inquit, istud ei polliceare, neq; sanctum dare canibus mandes. Nam nunquam equidem patiar, vt qui Deum verbum sanctè & augustè laudibus & hymnis celebrant, expellantur è sacro templo, idemq; tribuatur his qui contra eum loquuntur blasphemias. Atque ne barbarum illum omnino metuas, Imperator, sed me & illum in vnum locum conuoca, tuque silentio vtriusque nostrum sermoni ausculta. Ego certè me hominis linguam refrenaturum spero: persuasurumque, ne postulet, quod ei cõcedi non debeat. Quibus auditis, Imperator vehementer lætatur: & postridie eius diei vtrunque accersit. Gainas quidem promissum exposcit. magnus autem Ioannes respondet illi ex aduerso: Non licere Imperatori, qui pietatem colere instituat, aliquid contra res sacras temerè moliri. Cui quidem dicenti, templum sibi dari oportere: respondet Ioannes, Templum sacrum apertum esse, neminemque eum prohibere quò minus in eo, si libeat, preces Deo fundat. Tum Gainas: At ego, inquit, alterius sectæ sum, & cũ hominibus eius sectæ vnum sanctum templum habere postulo. Atque istud quidem non immeritò peto, quippe qui multa bellica certamina pro Romanis confecerim. At præmia, inquit Ioannes tibi propterea tributa, labores tuos longè superant. Nam dux es, & honore consulari dignatus: quinetiam tecum debes considerare, quis fueris olim, & qui iam sis: quæ etiam præterita tua inopia, & in qua iam abundantia vitam degas. Quibus quoque vestimentis prius indutus esses, quàm Istrum traieceris, & quibus iam opertus. Complectere igitur animo, quàm pauci sint labores, & quàm ampla præmia: atque noli erga eos qui tibi honorem hunc detulerint, ingratus esse. Hac oratione habita, Ioannes celebris totius orbis terrarum doctor, os obturauit Gainæ, atque adeò obmutescere coegit. Temporis autem interuallo interiecto, Gainas tyrannidem, quam molitus fuerat, manifestò patefecit: atque collecto in Thracia exercitu, prædas agere, & multa loca vastare cœpit. Quibus rebus cognitis, omnes cùm magistratus, tum subiecti, metu exhorrescere: atque nemo erat qui vel cum eo in acie confligere animum induxerit, vel legationem apud eum obire se tutò posse existimarit. Nam barbarum eius & crudelem animum quisque suspectum habuit.

Gainæ tyrannis.

Gainæ cũ Ioã. Chrysostomo colloquium.

Vide Nicephor. li. 13. cap. 4. Socrat. li. 6. cap. 6. Sozom. li. 8. cap. 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Chrysostomi ad Gainam legatione. CAPVT XXXIII.

Vide Nicephor. lib. 13. cap. 6. Socrat. lib. 6. cap. 6. Sozom. li. 8. ca. 4.

Eo. Chrysostomi ad Gainã legatio.

ID temporis alijs omnibus, velut metu perculsis, relictis, itum est ad Ioannem, inuictissimum illum Christi bellatorem: suadetur ei, vt legatus ad Gainam proficiscatur. Ille verò, nulla habita ratione vel disceptationis contra Gainam antè susceptæ, vel simultatis inde ortæ, prompto animo in Thraciam contendit. Quare Gainas, cognito legati aduentu, & animi eius alacritate pro pietatis defensione considerata, longo interuallo ei lubens procedit obuiam: atque prehensam illius dexteram oculis suis appo-

Virtus etiam hosti admiranda.

nit, liberosque sacra eius genua complecti cogit. Sic quidem virtus vel infestissimos afficere pudore, & obstupefacere solet.

De ijs quæ propter Chrysostomum euenerunt. CAP. XXXIIII.

Vide Nicephor. li. 13. cap. 7. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 19. 20. 21. 22. 26. 27. 37. Vide Sozom. lib. 8. cap. 21.

VErùm inuidia illustrem sapientiæ Ioannis splendorem non tulit: sed suis machinis admotis, non vrbem Cõstantinopolim solum, verùm etiam vniuersum orbem terrarum cùm eloquentia illius, tum sapientia orbauit. Ipse equidem ad hanc historiæ partem iam oratione prouectus, nescio quo animo affectus sim. Nam dum iniurias ei illatas narrare instituo, virtutẽ eorum qui illarum iniuriarũ authores erant, nonnihil reuereor. Qua de causa eorũ nomina silentio prætermittere animus est.

Ioan. Chrysostõ. aliorum inuidiæ infestatus.

Isti, quoniam varias causas habere videbantur, cur cum eo simultatem gererent, eximiam eius virtutem videre noluerunt: sed miseris quibusdam accusatoribus conquisitis, tametsi crimen perspicuè falsum esse intellexerunt, tamen concilio longè extra vrbem conuocato, sententiam aduersus eum pronunciarunt. Itaque Imperator sacerdotibus fidem adhibens, illum longè ab vrbe relegari mandat. Ioannes autem, cùm neque

Relegatus.

accusationem audiuisset, neque ei respondisset, velut criminum sibi illatorum conuictus, vrbem deserere cogitur, & Hieron oppidum (sic enim nauale illud nominatur) in

Hieron oppid.

ostio Ponti situm, contendere. Cùm verò noctu terræmotus factus esset, & terror inde Imperatrici incussus, Constantinopoli vrbi Mariæ præmittuntur prima luce legati ad Ioannem exulem, oratum vt quamprimùm ad vrbem redeat, periculumque ei impendens depellat. Post quos alij mittuntur legati: post illos etiam alij, adeò vt Bosphorus refertus esset legatorum turba. Vbi verò fidelissimus populus istud intellexit, ostium Propontidis nauigijs operuêre: omnes nanque cum cereis accensis ei obuiam fiunt. Atque

B

pro eo quidem tempore hostium illius coniurata manus dissipata est. Sed pauci iam intercesserant menses, cùm de integro in vnum coiuêre: pœnasq; ab eo expetiuere, non criminum solum, quæ ei falsò obiecerãt, verùm etiam ministerij in ecclesia, quod post abdicationẽ obierat. Ad quos respõdet, se neq; in iudicio egisse causã, neq; crimina obiecta audiuisse, neq; dedisse pro sua ipsius defensione responsum: neque præsentẽ condemnatum, sed absentẽ in exilium ab Imperatore eiectum, & denuò ad sedem episcopalem reuocatum. Attamen aduersarij eius, altero concilio nõ ad causam cognoscendam coacto, sed vt Imperatori persuaderent, iustã & legitimam ipsorum esse sententiã,

Cucusum & Pityuntem relegatus Ioan. Chrysostomus. Pityus. Vide Strab. vtrum oppid. an insul.

non solũ eum ciuitate expellunt: verùm etiã ad paruum & desertum quoddã Armeniæ oppidũ, quod Cucusus dicitur, amandarũt. Inde rursus educentes, ad Pityuntem transferunt. Id oppidũ est velut terminus, quo Pontus, & imperium Romanum distinguun

† Videantur not. pag. 348. lin. 16.

tur, Barbaris crudelissimis finitimũ. Sed clemens Dominus nõ permisit egregium suum athletã ad eiusmodi hominũ † cœtum deduci. Nã vbi vènit Comana, ad vitã immortalem, & cuiusq; expertẽ molestiæ migrauit. Corpus aũt, quod tot præclara certamina cõfeceerat, propter bustũ [a] Basilisci martyris (id enim sanctus martyr per somniũ mãdauerat) conditum est. Quot quidẽ episcopi illius causa suis exturbati fuerint ecclesijs, & ad

Ioan. Chrysostomi exilium & mors. a Basiliscus martyr.

extremas orbis terræ oras relegati: quot etiã monachi simili supplicij genere mulctati: hoc loco percẽsere superuacaneũ arbitror, eoq; pacto longius historiã prouehere, præsertim cũ mea quidẽ sententia, ea quę tristiciã afferant, contrahẽda sint in angustũ, & errata eorum qui sunt fidei societate nobiscum coniuncti, silentio tegenda. Atqui complures eorum qui erant iniuriarũ authores, pœnas persoluerunt, quorũ supplicia alijs non parum attulere cõmodi. Istud iniquum facinus contra Ioannẽ admissum, episcopi Europæ præter cæteros detestati sunt. Nam se à cõmunione illorum qui illud conscij uerant, separauere: quib. totius Illyriæ cuncti se adiunxere episcopi. Porrò autem, quàm plurimi episcopi ciuitatum versus Orientem solem sitarum, à facinoris communione se seiunxerunt quidẽ, sed corpus ecclesiæ minimè distraxerunt. Quinetiã isto excellenti totius orbis terræ doctore mortuo, episcopi Occidentis non prius cũ episcopis Aegypti & Orietis, & Bosphori & Thraciæ, cõmunicare voluerunt, quã nomen illius sanctissimi

Arsacius Io. Chrysostomi successor.

viri in tabulas, quib. nomina episcoporũ mortuorum continebãtur, retulissent. Atque Arsacium eius successorẽ ne salutare quidẽ dignati sunt. Atticum autẽ, qui succedebat Arsacio,

A Arsacio, quique sæpè legatos ad eos miserat, sæpeque pacem postulauerat, postea tandem, cùm Ioannis nomen in tabulis inscripsissẽt, receperunt.

De Episcoporum successione, & Alexandro Antiocheno episcopo.

CAPVT XXXV.

Vide Nicephor. li. 13. cap. 30.

EOdem tempore Cyrillus, filius sororis Theophili, Alexandriæ episcopus fuit, auunculi in eo præsulatu successor. Ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopatum tunc gessit Ioannes, vir planè insignis: successitque Cyrillo, de quo suprà facta est mentio. Ecclesiã verò Antiochenam administrauit Alexander, cuius pia vitæ ratio pulchrè cum episcopatu consentiebat. Nam toto vitæ tempore ante susceptum episcopatum in palæstra monastica contrito, cum plurimùm se exercuisset, genero sum athletam se planè declarauit: quippe tum oratione docuit alios, tum vitæ consuetudine orationem confirmauit. Iste successit Porphyrio: qui post Flauianum illius ecclesiæ clauum tenens, multa

Cyrillus. Ioannes Hierosolym. episc. Alexander. Porphyrius. Flauianus.

sua benignitatis monimenta post se reliquit. Cui quidem summa etiam animi prudentia non parum attulit splendoris. Diuinus autẽ Alexander, seuera vitæ disciplina, studio sapientiæ, egestate voluntaria, eloquentia, alijs deniq; Spiritus sancti donis admodũ excelluit. Idemq; factionem magni Eustathij causa inchoatã (quæ quo minus iampridẽ esset cũ reliqua ecclesia denuò sociata, Paulinus impedimento fuit, & post eũ Euagrius)

Eustathiana factio sedata.

sua persuasione & consilio, cætero ecclesiæ corpori adiunxit: & talem diẽ festum, qualẽ nemo aliquando viderat, ex insperato celebrandum curauit. Nam omnibus eadem fide consentientibus in vnum collectis, tam sacris initiatis quàm laicis, ad illorum conuentum accedit. Atque assumptis sibi qui cantare nouerant, vnoque hymnorum concentu contexto, à porta quadam paruula ad Occidentem spectante, vsque ad maximũ templum totam plateam compleuit hominibus: & fluuium rationis participem, similitudinem fluuij præterlabentis mirè adumbrantem, effecit. Quæ cùm Iudæi, Arianis, & Gentilium reliquię, quę perpaucę erant, viderent, gemere & lamentari cœperunt,

Ioannes Chrysostomi nomen in ecclesiæ tabulas relatũ.

quòd alios iam fluuios in ipsum ecclesiæ quasi mare illabi cernebant. Iste præterea primum Magni Ioannis nomen in tabulis ecclesiæ inscribendum curauit.

Theodosius iunior Imp. anno Christi 417.

De reliquiarum Ioannis, quæ postea facta fuit, importatione: & Theodosij iunioris ac fratrum eius fide. CAPVT XXXVI.

B

Vide Nicephor. li. 14. cap. 42.

POstea verò ipsæ etiam Ioannis doctoris præstantissimi reliquiæ fuere Constantinopolim, vrbem primariam, traductę. Itaque fidelis hominum cœtus, pelagus, nauigiorum multitudine velut continentem efficiens, Bosphori ostium ad Propontidem situ luminaribus cooperuere. Hunc thesaurum is qui iam imperium administrat (qui vt aui nomen fert, ita synceram eius pietatem seruat) in illam vrbem importandum curauit. Idemq; vultu & oculis in sancti illius viri loculo defixis, pro parentib. preces fudit, orauitq; vt iniuriarum per ignorationem factarum veniã illis tribueret. Iampridẽ autem eius parentes mortem obierant, illo iam tum valde adolescente orbo relicto. Sed vt orbitatis molestias experiretur, parentũ & maiorum suorũ Deus neutiquã passus est. Nã & eum ipsum pietatis educauit alimentis, & imperiũ vacuum à seditionib. conseruauit: & animos si qui ad tyrannidẽ propenderent, compressit. Quorum beneficiorum

Ioan. Chrysostomi reliquiæ Constantinopolim translatæ 35. anno post mortem eius. Theodosij iunioris imp. pietas & virtutes aliæ.

semper memor, patronum suum laudibus & hymnis celebrare non cessat. Atq; huius hymnorum cõcentu Dei laudandi consuetudinis socias habet sorores suas, toto vitæ tempore virginitatẽ excolentes: quæ & pro summis delicijs habent literarum cõmentationem sacrarum, & pro certo solidoq; thesauro rerum egentib. necessariarum suppeditationẽ. Et quanquã iste Imperator multis alijs virtutib. eximiè decoratus erat: clementia tamen vel maximè, mansuetudine, animi trãquillitate, quæ nullis procellis agitari poterat, fide deniq; sincera & spectata excelluit. Cuius rei certissimũ argumentum ostendã. Vir quidam vitã excolens monasticã, animo paulò audaciore præditus, ad Imperatorẽ rei cuiusdã petendæ gratia accedit. Quod cũ sæpius frustra fecisset, Imperatori

Theodosius iunior excõmunicatus.

ecclesiastica interdicit cõmunione, vinculoq; ecclesiæ ei iniecto decedit. Imperator aũt fide cumprimis excellens, ad palatium, cum tempus instaret cõuiuij, & omnes conuiuæ adessent, dixit se non prius capturũ cibum, quàm Ecclesiæ vinculo solueretur. Proinde vnum ex familiarissimis ad episcopũ mittit, oratũ, vt potestatẽ faciat ei qui ipsum ligauerat, vinculo soluendi. Cùm aũt episcopus respondisset, nõ debere cuiusq; vinculum admittere, significassetque eum solutum esse: non tamen solutione illa contentus est, donec ille qui eum ligauerat, magno cum labore conquisitus, communioni illũ restituisset. Eiusmodi namq; erat Imperatoris erga leges diuinas fides: qua etiam inductus

simulachrorum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Theodosij Iun. in demoliẽdis simulachrorũ fanis studium. Rhoili Scyth. ducis interitus

simulachrorum delubra, quæ etiamnum reliqua erant, adeò funditus deturbari euerti. A que mandauit, vt ne vestigium quidē veteris gentilium erroris (istam namq; sententiā in edicto de illis demoliendis conscripto inseruit) posteris restaret ad intuendum. Atq; ex his pietatis seminibus fructum continuum percepit. Nam hac de causa omniū moderator Deus eius saluti sedulò prospexit. Etenim cum Rhoilus dux Scytharū, qui Nomadæ dicuntur, traiecto Istro cum ingentibus copijs Thraciam populari, & prædas agere inciperet: & Constantinopolim vrbem primariam obsessurum, momentoque temporis capturum, atque adeò solo æquaturum minaretur: Deus, fulminum iactu & facibus cælitùs demissis cùm illum combussit, tum vniuersum eius exercitum penitùs absumpsit. Non dissimile quiddam etiam in bello Persico Deus eius causa præstitit. Nam cū Persæ negocijs Romanorum, quibus districti tenebantur, cognitis, contra vicinos suos ruptis fœderibus bellum facerent, neque quisquam illis, tum ab hostibus oppugnatis, subsidio veniret (Imperator enim pace iamdudum facta confisus, duces suos & milites ad alia bella gerenda miserat) Deus immenso imbre & maxima copia grandinis in eorum exercitum demissa, tum eos prohibuit ab itinere vlterius faciendo, tum equorū cursum impediuit: adeò vt viginti diebus viginti stadia vsque eò cōficere non possent, quoad duces Romani collectis suis in vnum militibus aduentarent. Porrò autem altero prælio antè commisso, istos ipsos, cùm iam vrbem Imperatoris nomine nuncupatam * obsidione cinxissent, ludibrio Deus exposuit. Nam cū [a] Gororanes amplius triginta dies cum omnibus copijs vrbem hanc circunsedisset, & multa instrumenta bellica ad vrbes capiendas accōmodata ad murum applicasset, & infinitas tentasset machinas, & alias turres extra mœnia extruxisset: solus diuinus [b] Eunomius illius vrbis episcopus ei restitit, & machinationum adiectarum impetum penitùs repressit. Ac cùm duces nostri contra hostes præliari renuerent, & obsessis opem ferre non auderēt: iste episcopus se hostibus opponendo, vrbem seruauit incolumem. Nam cùm vnus ex regulis barbaris consuetam blasphemiam in Deum iaceret, & in morem Rhabsacis & Sennacherib verba execrabilia funderet, furoreque incitatus minaretur se sacrosanctum Dei templum incēdio vastaturum: sanctus iste vir rabiem eius nō ferens, balistam Thomæ Apostoli nomine inscriptam ad pinnas muri statui, & ingentem lapidem in ea imponi, nomineque illius in quem barbari blasphemias coniecerant, eum emitti iubet. B Qui directò in illum regulum delatus, & in nefarium eius os impactus, vultum deformauit, caput comminuit, & cerebro dispersit humum. Quod cùm vidisset dux Gororanes, qui spe vrbis capiendæ exercitum collegerat, inde decessit, ipsoque rerum euentu se victum planè declarauit. Atque ob hanc causam metu perculsus fœderā cum Romanis percussit. Ad hunc modum summus omnium rector Deus, fidelissimi Imperatoris saluti consuluit: qui quidem & se famulum eius esse ingenuè agnoscit, & debitum Domino præstat obsequium.

Theodosiā. Vide Sozom. & Procop. de bell. Persi.

a Gororanes dux.

b Eunomius episcop.

2. Parl. 32. Balista S. Thomæ.

De Theodoto Antiocheno episcopo. CAP. XXXVII.

Rom. episcopi, Innocentius. Bonifacius. Zosimus Celestinus. Praylius. Theodotus. Apolinaris secta ecclesiæ aggregata.

ISte Imperator reliquias, vt dixi, præclari illius s mundi luminaris Ioannis Constantinopolitani, illarum admodum appetenti, reddidit. Sed istud postea factū est. Innocentio illi episcopo Romano, viro longè præstantissimo, successit Bonifacius, Bonifacio Zosimus, Zosimo Celestinus. Hierosolymis autem, post Ioannem illum admirabilem mortuum, Praylius vir qui nomini suo pulchrè respondebat, illius ecclesiæ rectionem capessit. Antiochiæ verò diuo Alexandro vita defuncto, Theodotus, continentiæ velut margarita, Ecclesiæ præsulatum obtinuit: vir mansuetudine insignis, & accurata vitæ institutione egregiè exornatus. Qui sectam Apolinarem oratam vt se cum reliquo Christi grege iungeret, cæteris Ecclesiæ ouibus aggregauit. Multi tamen eorum, insignem erroris labem, quā antè erant inquinati, minimè eluerunt.

Vide Nicephor. lib. 14. cap. 32.

De persecutione in Persia excitata, & qui illic martyrium perpessi sint.

CAPVT XXXVIII.

Isdigerdis Persar. regis persecutio.

PEr idē tēpus, Isdigerdes rex Persarū persecutionē cōtra ecclesias cōcitauit, occasione ex re gesta, quā sum deinceps narraturus, arrepta. Audas episcopus, vir multis virtutis generibus ornatus, zelo non opportuno illo quidem accensus, Pyreum (templa enim in quibus πῦρ, id est, ignis, eorum deus, colitur, Pyrea vocant Persæ) demolitus est. De qua re rex per Magos certior factus, Audā accersit. Ac primùm placidè eum coarguit, & Pyreum denuò ædificare iubet. Qui cū ei contradiceret, negaretque se illud facturum: rex oēs ecclesias Christianorum se diruturum minatur. Atq; certè quod verbis minabatur, re ipsa perfecit. Nam vt primùm Audam, diuinum illum virum, trucidari mandauerat, ecclesias deturbari iussit. Quòd aūt ad Pyrei euersionem attinet, haud opportunè

Pyrea Persarum templa.

Audæ episcop. zelus, & martyrium.

Vide Nicephor. lib. 14. cap. 18. 19. 20. 21.

A portunè equidem illud factum fuisse existimo. Nam sanctus Apostolus Athenas aduentans, & ciuitatē superstitioso simulachrorum cultu cæcatam videns, aram quandā ab illis honoratā minimè diruit: sed verbo eorum ignorationē redarguit, & veritatē illis patefecit. Attamen quòd Audas templum simulachri deturbatum extruere rursus noluit, sed interfici potius quā illud efficere: eum magnopere admiror, & corona dignū iudico. Nam par impietas est, mea quidem sententia, ignem adorare, atq; ei ædificare delubrum. Hinc igitur persecutionis tempestas orta, grauissimos & turbulentissimos fluctus contra pietatis alumnos concitauit: quæ procella triginta annos continuos à Magis, velut à quibusdam turbinib. agitata, durauit. Magos autē vocant Persæ, qui ele-

Privato non licet publicis superstitionibus vim auferre.

Magos quos vocent Persæ

Theodori. tiopus de quæstionib. Magicis

menta in Deos referunt. De quorum cōmentitijs fabulis alio in opere, in quo eorum quæstiones dissoluebamus, satis enucleatè disseruimus. Porrò Gororanes, filius Isdigerdis, post mortem patris, vt regni paterni, sic belli contra pietatem à patre cōmoti successor extitit. quippe pater moriens, hæc duo coniuncta filio reliquit. Tormentorum aūt genera, & noua cruciamenta pijs hominib. ab illis inflicta, vix dicendo explicari poterunt. Nam quorundā manibus, aliorum aūt tergis corium detrahunt: aliorum capita, à fronte exorsi ad barbam vsq;, cute exuunt. Nonnullos primū cœperunt arundinib. semisectis circumdare, & incisiones corporib. applicare, deinde robustis vinculis à capite ad pedes vsque circumligare, & singulos calamos vi arctè constringere, vt partem cutis ad quam admotæ erāt arundines, eo pacto grauiter lacerantes, acriores doloris morsus efficerent. Quinetiam lacus effodere, eos summa cum diligentia inungere: deinde ingentē soricum numerum in eos concludere: postremò pietatis athletas, eorum manibus pedibusque cōstrictis, ne bestias abigant, soricib. velut alimentum obijciunt. Soricēs autem fame oppressi, sensim carnes sanctorum absumunt, sicque diuturnū & acerbum cruciatum illis afferunt. Itemque carnifices isti à consceleratо illo naturæ nostræ inimico & veritatis hoste edocti, tormenta alia his quidem multo asperiora excogitare: sed tamen ne eo quidem modo athletarum fortitudinem & constantiam retunderepotuerunt. Nam sua sponte accurrebant, magno desiderio mortis oppetendæ, per quam aditus ad vitam immortalem patefit, inflammati. Quorum duos trésue in me moriam reuocabo, quò per hos etiam aliorum fortitudo cognosci queat. Hormisdam quendam, virum in Persis apprimè nobilem, ex genere Achemenidarum oriundum, B patre præfecto, cùm rex eum Christianum esse accepisset, ad se adduci, & Deum seruatorem pernegare iubet. At Hormisda: Quod imperas, ô Rex, neque iustum est, inquit, neque vtile. Nam quicunque didicerit Deum omnium gubernatorem facilè contemnere, eumque denegare: multo facilius regem, quippe cùm homo sit, mortalis naturæ particeps, contempturus est. Quòd si qui tuum imperium pernegauerit, ô Rex, grauissimo dignus sit supplicio: quanto grauius meretur ille quidem, qui omnium rerum effectorem pernegat? Rex autem, quem oportuerat sapientissimam eius orationem admiratum esse, athletam generosum, diuitijs & honore spoliauit: deditque ei mandatū, vt omnib. vestibus, solo subligaculo excepto, exutus, camelos, qui erāt in exercitu, duceret. Cū verò dies complures iam præterijssent, rexque è tabulato despiciens, videret optimum illū virum & radijs solis exustum, & conspersum vndeque puluere, nobilitate ac splendore patris illius in memoriā reuocato, primum iubet eum adduci ad se, & indusio linteo vestiri: deinde arbitratus eius animum partim cruciatu præterito, partim humanitate erga eum iam declarata mollitum esse: Nunc demum (inquit) obstinatione depositā, filium fabri negato. At ille diuino zelo accensus, induſium dilacerauit: eoque ad regē proiecto, sic eum affatur: Si me huius causa pietatem deserturum putas, habeas tibi donum cum impietate. Hac eius fortitudine perspecta, rex cum è palatio nudum ex turbauit. Porrò idem Rex * Suenem mille seruorum dominum, qui ei cōtradicebat, quique fabricatorem huius vniuersitatis pernegari haudquaquam sustinebat, primùm percontatur, quis ex eius seruis improbissimus esset? deinde ei tradit reliquorum dominatum, ipsumque dominum Suenem illi inseruire iubet. Quinetiam domini sui coniugem ei in matrimonium dat, ratus eo pacto se veritatis propugnatorem Suenem de sententia deducturum. Verùm spes eum frustrata est: nam Suenes domum supra petram ædificatam habuit. Post hos Beniamin diaconum comprehendi, & in carcerem conijci mandat. Biennio verò pòst, legatus Romanus venit ad regem, de alijs rebus cum eo acturus. Qui de diacono certior factus, impetrat ei à Rege libe.

Hormisdæ constans fidei confessio.

Ex contemptu Dei, contemptus Regis oritur.

** Sannem vocat Epiph.*

Suenis constantia.

Beniamin diaconus, eiusque martyrium.

rationem. Rex autem iubet Beniamin polliceri, se doctrinam Christianam cum nullo Mago communicaturum. Legatus quidem recipit, Beniamin Regis mandata effecturum. At Beniamin, cùm legatum hac de re ipsum admonentem audiuisset, respondit: Non posse fieri, vt doctrinam lucis, quā à Deo acceperat, nō alijs impertiret.

Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam abscondere talentum, quantum mereatur supplicij, historiam Euangeliorum a- A
pertè docere. Verùm Rex id temporis huius responsi ignarus, iubet illum è vinculis exi-
mi. Qui quidem, vt solebat, homines ignorationis tenebris obcæcatos, inde eripere, &
ad lucem, quæ sola intelligentia percipitur, adducere non cessauit. Anno autem pòst,
res ab eo gestæ regi indicantur. Qui iubet eum adduci, & Deum, quem colebat, denega-
re. Tum ille scisciatur à rege, quo supplicio mulctandus sit is, qui eius regnum dese-
rat, & alterius ditioni se subijcere animum inducat? Morte, inquit rex, & pœna grauis-
sima. Cui rursus sapientissimus vir: Quo pacto igitur, inquit, coercendus est homo il-
le, qui effectorem & opificem omnium derelinquat, & vnum è conseruis Deum con-
secret, eique cultum vero Deo debitum tribuat? Quibus verbis Rex grauiter commo-
tus, viginti arundines præacutas per vngues manuum ac pedum traijci iubet. Vbi au-
tem vidit eum hunc cruciatum habere pro ludo, aliam rursus arundinem in mem-
brum genitale intrudi mandat: quæ sæpius extracta, insertaque, dolores ei incussit pla-
nè inexplicabiles. Post illud inflictum supplicium, impius ille & immanitate efferatus
tyrannus, virgam robustam, crassam, & propter ramos vndique eminentes valdè aspe-
ram, in imam alui sedem infigi iubet. Quo cruciatus genere generosus Christi athleta
Ecclesiam per secutionibus non opprimi, sed magis flo-rere. oppressus, extremum spiritum edidit. Infinita ferè id genus scelera ab illis impijs fuêre
admissa. Neque cuiquam mirum videri debet, omnium rerum administratorem Deũ,
eorum feritatem impietatemque tolerasse. Etenim quotquot imperatoress ante im-
perium Constantini Magni regnarunt, contra veritatis professores insana rabie fure-
re non desierunt. Atque Diocletianus, ipso salutaris passionis die, cunctas ecclesias, quę
Diocletianus omnes eccle-sias per totum Imp Rom. v-no paschatis die demolitus est. in toto Romano erant imperio, demolitus est. Verùm vix nouem iam anni interesse-
rant, cùm & illæ ipsæ denuò florere, atque multo maiore amplitudine & splendore
quàm antea enitere cœperunt: & tyrannus ille vnà cum impietate extinctus est. Atque
dominus tùm hæc bella contra Christianos excitatum iri, tum ecclesiã inuictam fore
prædixerat. Quinetiam ipsi rerum euẽtus nos docent, bellum plus commodi quàm pa
cem nobis solere apportare. Nam hæc nos molles, morosos & timidos reddit: illud
autem animos acuit, & res præsentis vitæ tanquam fluxas contemnere facit. Verùm
de his, alijs in rebus sæpe disseruimus.

De Theodoro Mopsuestiæ episcopo. CAPVT XXXIX. B

Theodori Mopsuestiæ episc. mors.

PER id temporis, quo diuinus Theodotus Antiochenam rexit eccle-
siam, Theodorus episcopus Mopsuestiæ, qui totam Christi ecclesiã
sua doctrina erudierat, & contra vniuersas hæreticorum phalanges
victoriam reportauerat, obijt mortem. Iste & Diodori, viri excelle-
tissimi, doctrinæ particeps factus est, & sanctissimi Ioannis socius &
adiutor. nam communiter inter ipsos sapientiæ præcepta ex spiri-
tualibus Diodori fluentis hauserunt. Triginta sex annos præsulatũ
gessit Theodorus, neque vnquam cessauit tum contra Arianam & Eunomianam sẽ-
Polychronius Theodori frater. ctam velut in acie dimicare, tùm clandestinum Apollinaris manipulum impugnare,
tum optimam herbam sanctis Christi ouibus suppeditare. Cuius frater Polychronius
ecclesiam Apameensem, tum propter præstantiam doctrinæ, tum propter piæ vitæ splẽ-
dorem præclarissimè gubernauit. Isto quidem in loco finem historiæ facere animus est.
Atque omnes, qui sint eam aliquando perlecturi, vehementer oratos volo, vt precibus
suis meos labores compensare non grauentur. Spacium quidem centum & quin-
que annorum ista complectitur historia, quæ initium habet ex rabie Aria-
na: exitum autem, à morte hominum præstantissimo-
rum Theodori & Theodoti.

FINIS.

Sit Deo gloria.

HERMIAE

A

HERMIAE SOZOMENI SALAMINI AD IMPERATOREM THEODOSIVM PRAEFATIO, ET ECCLESIASTICAE historiæ ab eodem conscriptæ argumentum.

Theodosium Iuniorem alloquitur, cui etiam historiam nuncupat, eumq; laudibus extollit non mediocribus, ac rerum in præsenti opere differendarum facit expositionem.

Imperatorum veterũ diuersa studia, earũ etiam rerum quæ eis offerri solitæ, diuersitatem peperisse.

IMPERATORVM veterum singulos singulis ferè studijs delectatos memorant. Nam quos exquisita capiebat mundicia, his purpuram, coronam, & alia id genus curæ fuisse: qui autem doctrinæ operã nauabant, illos vel poema fabulis commẽticijs refertũ, vel aliud genus scripti quod animos posset permulcere, permagni fecisse: qui deniq; exercebant militarem, hos telum directè conijciendo, bestias feriendo, vibrando hastam, aut strenuè in equum insiliendo sese oblectasse. Atq; in istorum gratiam omnes qui eorum imperio subijciebantur, se insinuare magnopere laborauerunt: & propterea quisq; quod gratum Imperatori esse animaduerterat, illud studiosè consectatus est. Alius enim lapidem preciosum comparatuq; difficilem ei offerre: purpuram alius splendidius tinctam donare, hic vel poema, vel librum alterius generis dedicare, ille genus armaturæ peregrinum, & ad vsum rei militaris aptum adducere solet. Atq; in hoc popularis virtutis genere, summum planè & maximè regale putabatur, conciliare imperatoris gratiam. De pietate autem, qui est verus Imperatoris ornatus, à nemine tantopere laboratum est. At verò tu Imperator inuictissime Theodosi, Dei iuuante gratia, nullum non virtutis genus (vt complectar breui) sedulò excoluisti: qui vt purpura & corona, quæ dignitatis tuæ effigiem oculis intuentium subijciunt, corpus induis: sic animum pietate & clementia, quæ verè Imperatorem exornant, præclarè vestitum habes. Quinetiam tum poetę, tum alij scriptores, tum complures ex præfectorum & cæterorum subiectorum tuorum numero, ad te tuasque res gestas prædicandas laborem suum conferunt. Ipse autem, veluti certaminum magister, & orationum iudex constitutus, non scito quidem sermone, aut exornatione aliqua veritatem obscurari permittis: sed quæ sint verba propria, exquisitè ponderas: & cum orationis argumento, dictionis figuram, partes, ordinem, concinnitatem, elocutionem, compositionem, argumentationes, sententiam & narrationem accuratè expendis. Ipsos verò orationum authores, cum tui iudicij approbatione, tum plausu, tum aureis imaginibus, tum statuis erectis, tum donis, tum honoribus cuiusque generis remuneraris. Atque talem erga tuos laudatores teipsum ostendis, quales neque Cretenses erga celebrem illum poetam Homerum, neque Alenadæ erga Simonidem, neque Dionysius Siciliæ tyrannus erga Platonem Socratis familiarem, neque Philippus Macedo erga scriptorem Theopompum, neque Cæsar Seuerus erga Oppianum (qui piscium genera, naturam, & quo pacto capiendi sint, numeris descripsit) se præbuit. Nam Cretenses, cum Homerum mille numismatis ob egregium suum poema donauissent, quo se de sua magnificentia insolenter efferrent, donum in columna publico in loco erecta incidendum curarunt. Alenadæ autem, Dionysius & Philippus non magis quàm Cretenses, qui quidem de repub. modestè & sapienter temperata gloriari solent, de sua largitione conticuissent: sed essent certò eos, nisi dono ab illis superati fuissent, in erigenda columna imitati. Seuerus verò, cùm Oppiano pro singulis versibus sui poematis singulos aureos donauisset, illa sua magnificentia † tantam hominibus excitauit admirationem, vt Oppiani carmina ad hodiernum diem à plerisq; aurea nominentur. Atq; hæc quidem munera à veteribus, qui scientiarum & eloquentiæ studio delectabantur, earum rerum professoribus donata constat. Tu verò, ô Imperator, nemini qui post homines natos vixerit, in doctrinæ studiosis remunerandis secundus es: quod quidem non sine causa, meo quidem iudicio, abs te factum est. Nam dum omnes studes virtutum splendore superare, tuarum rerum statum magnopere adauges: ob quam causam etiam historiam de rebus præclarè tum à Græcis, tum à Romanis gestis

Pietas, verum Imperatoris ornatus.

Theodosij iuniores virtutes.

Liberalitatis exempla.

Cretenses.

Alenadæ.

Dionysius.

Philippus.

Seuerus.

Oppiani carmina aurea.

Theodosij iun. liberalitas.

† Vide annot. pag. 2. lat. 2. lin. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Prudentia & studium. conscriptam accuratè euoluisti. Fertur etiam, te interdiu rẽ militarem & corpus exer- A
cere, & causas subiectorum ritè tractare, tum de eisdem exquisitè disceptando, tum quæ
æqua sunt decidendo, tum deniq; quæ priuatim ac publicè agenda, ratione & consilio
ponderando: noctu autem in libros incumbere, atq; in illis perlegendis candelabrum
tibi suppetere fama est, tali artificio constructum, vt oleum sua sponte lucernæ infun-
dat: adeò vti nemo ex aulicis, ob labores quos tu capis, quicquam subire molestiæ, &
Clementia. contra somnum pugnando naturæ vim inferre cogatur. Quinetiam ea est tua clemen-
tia & mãsuetudo cùm erga vicinos, tum erga omnes alios, vt regem cœlestem, patronũ
ac defensorem tuum, qui non grauatè pluit super iustos, & iniustos, & solem oriri fa-
Math. 5. Rerũ cognitio. cit, & res alias affatim illis suppeditat, sedulò imitari videaris. Porrò autem tam mul-
tiplici cognitione te imbutum audio, vt lapidum naturas, vires radicum, & medendi
facultatem non minus quàm Salomon, aut sapientissimus Dauid, tenere, imò verò Sa-
lomonem virtute antecellere existimeris Nam ille voluptatum blanditijs inseruiens,
pietatem, quæ cum aliorum bonorum, tum sapientiæ ei donatæ causa fuit, ad finem
Continentia. vitæ minimè custodiuit. At tu, Theodosi potentissime, continentiam modestam libi-
dinosæ licentiæ opponens, non hominum solum, verùm etiam perturbationum tam
animi quàm corporis imperator meritò iudicaris. Accepi præterea, te (si quidem hæc
dicenda sunt) cibi cuiusque & potionis cupiditatem vincere, & neq; dulces ficus (vt po-
eticè loquar) neq; vllum aliud fructus tempestiui genus posse capere, nisi vt tractes so-
lum manibus, aut ore, vbi primùm vniuersitatis opifici Deo benedixeris, paulum eius
saporem degustes. Itemq; ad sitim, æstum & frigus patiendum ita assuefactus es, in exer-
Tolerantia. citationibus quæ de die fiunt, vt tolerantiam velut alteram naturam induisse videare.
Nam iamdudum, cum ad visendam Heracleam, oppidum Ponti, contendebas, quò e-
am temporis diuturnitate collapsam reficeres, in ipsa æstate per Bithyniam iter feci sti:
cumq; sol iam in ipsa meridie vehementer ardebat, vnus ex satellitum numero te su-
dore multo & puluere conspersum vidẽs, tanquam tibi rem gratam facturus, poculum
versus solis radios splendidè admodum coruscans, & dulci potione cum aqua frigida
infusa impletum, tibi apportauit. Tu verò, Imperator inuictissime, propensum viri il-
lius erga te studium amplexatus, manifestò declarasti, te haud multò pòst cum regia
tua magnificentia amplè remuneraturum. Cum autem omnes milites poculo inhia- B
rent: beatumq; ducerent eum, qui ex illo bibiturus esset, potum ei à quo eum acceperas,
reddidisti: iussistiq;, vt illo, quo sibi libitum esset modo, vteretur. Quare virtutibus tu-
Alexandri Magni continentia. is mihi profectò videris vicisse ipsum Alexandrum Philippi filium: quem à suis lauda-
toribus memoratum est, cum per locum aridum vnà cum Macedonibus transiret, &
miles quidam diligens & officiosus de aqua, quam fortè offenderat, hausisset, eiq; at-
Theodosij iun. virtutes vno fascie collectæ. tulisset, neutiquam bibisse, sed eam in terram effudisse. Itaq;, vt comprehendam breui,
te magis propriè principem, quàm omnes principes qui ante te regnarint, more Home-
ri, appellare licet. Nam in quibusdam eorum nihil, quod sit admiratione dignum, in-
esse cognouimus: alios vix vna, ad summum duabus rebus præclarè gestis, sua regna
illustrasse. Verùm tu, † Theodosi nobilissime, omnes pariter virtutes animo comple- † Vide an-
xus, omnes pietate, fortitudine, temperantia, iustitia, magnificentia, animi celsitate pla- not. pag.
nè regia, imperioq;, digna superas. Quinetiam de tuo imperio, vtpote à sanguine & cæ- 9. lat. 1.
de vacuo, integroq;, præter imperia omnium qui vnquam regnauerint, omnis ætas glo- lin. 14.
riosè prædicabit. Postremò subiectos tum ad res serias cum delectatione imbibendas,
tum ad studium tam erga te, quàm erga rempublicam beneuolè & reuerenter declaran
dum, instruis. Quapropter mihi historiam ecclesiasticam scribenti necessarium vide-
batur, tibi his omnibus de causis eam dedicare. Nam cui istud opus, in quo sum perse-
cuturus, tum piorum virorum virtutem, tum res quæ in Ecclesia vniuersa obtigerint:
tum, in quot hostium manus incidens, ad te & maiores tuos, tanquam ad portum
confugerit, rectius offerre queam? Agito igitur, Imperator literatissime, & cùm alijs om
nibus prædite virtutibus, tum pietate vel maximè, quam initium esse sapientiæ, sacræ
perhibent literæ, accipe à me hanc historiam: eamq; tum expende, tum tuis vigilijs ac-
curatoque iudicio, vel addendo aliquid, vel auferendo, perpurga. Omnino enim quod
tibi arriserit, illud lectoribus & vtile & præclarum videbitur. Neque quisquam est, qui
Sozomenus vnde historiã suam exorsus, & quò vsq; perduxerit. sit post tuam censuram ei vel digitum admoturus. Sum autem historiam exorsus à
Crispo & Constantino Cæsaribus, iam tertiùm Cos. eamque ad decimum septimum
Consulatum tuum perduxi. Atque præclarè me facturum videbar, si totum opus in
nouem libros distribuerem. Primus igitur & Secundus res in Ecclesijs regnante
Constantino gestas continent. Tertius & Quartus, quæ in eisdem, regnantibus
Constantini filijs, acciderint, complectuntur. Quintus & Sextus, habent ea quæ
temporibus

A temporibus tum Iuliani, consobrini filiorum Constantini, tum Iouiani, tum Valen-
tiniani & Valentis. In Septimo & Octauo commemorantur illa, quæ sunt sub im-
perio Gratiani & Valentiniani fratrum, vsque ad diuinum Theodosium auum tuum
Imperatorem declaratum, & vsq; ad regnum etiam Arcadij patris tui omnium ore ce-
lebrati: qui cum sanctissimo auo tuo Honorio, in paternum imperium & in ditionis
Romanæ gubernationem successit, administrata. Nonus liber, versatur in rebus gestis
à tua diuinissima sanctissimaq; celsitudine narrandis: cui Deus non solum perpetuam
animi tranquillitatem, expertemque cuiusque molestiæ concedat: verùm etiam, vt
hostes superet, omnes sibi subijciat, imperiumque pium nepotibus transmittat,
largiatur, annuente Christo: per quem, & cum quo, sit Deo
patri, vnà cum Spiritu sancto, gloria in
omnem æternitatem:
Amen.

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBER PRIMVS.

Priores libri duo continent acta sub Constantino Magno annis triginta & mensibus decem: Ab anno scilicet Christi 310. vsq; ad annũ 340. Huc igitur refer authores istos quos adnotauimus supra ad Socratis lib. 1.

Libri proœmium, in quo de gente Iudaica dubitationem mouet. Deinde commemorat, qui ab initio de istiusmodi argumento primum scribere cœperint, & quomodo ac ex quibus scriptoribus historiam hanc deprompserit. & quòd veritatis eruendæ studio nonnulla quoq; alia præsenti historiæ attexuerit. CAP. I.

B

Vide continuationẽ historiæ apud Socrat. lib. 1. cap. 1. apud Theodoritum, lib. 1. cap. 1. apud Euagrium lib. 1. cap. 1.

AMPRIDEM cœpi mecum cogitare quid causæ esset, cur alij homines tam prompto ac parato animo fidem in Deum Verbum, Iudæi autem tam ægrè & difficulter amplexarentur, præsertim cum hi ab initio diuina eloquia summa obseruantia colere didicissent, & Christum antè, quàm aduenirent, pro certo aduenturum per prophetas cognouissent. Nam Abraham cùm generis illorum, tum circuncisionis author, filium Dei suis ipsius oculis aspexit, eumque excepit conuiuio. Isaac etiam, eius filius, cum vinctus ad altare à patre deduceretur, figuram hostiæ quæ in cruce oblata est, expressit: quippe eodem modo Christum passum esse, memorant hi qui Sacras literas accuratè peruestigarint. Iacob porrò, tum Gentium expectationem, quæ est iam in Christo, tum tempus quo esset Seruator venturus, præsignificauit his ferè verbis: Deficient principes Iudæorum de genere Iudæ, principis tribus illius. Quibus verbis, Herodis indicauit principatum: qui patre Idumæo, matre autem Arabe natus, à Senatu Romano & Augusto Cæsare Iudæorum genti præfectus est. Quinetiam reliquorum prophetarum alij Christi procreationem, ineffabilem eius conceptionem, matrem post partum virginem mansuram, genus & patriam illius prædixerunt: alij diuinas eius & admirabiles res gestas: passionem a- & lij, à mortuis resurrectionem, ascensum in cœlos, & quæ denique res in singulis istorum acciderent, ante vaticinati sunt. Verùm si quis istarum rerum ignarus sit, eas cognoscere non erit magni negotij, modò sanctæ Scripturæ libros perlegere voluerit. Porrò autem Iosephus Mathathiæ filius, vir cum apud Iudæos, tum apud Romanos maxima nominis celebritate florens, testis est de vero Deo verbo locupletissimus. Nam non grauatur illum appellare effectorem operum admirabilium, & veræ doctrinæ magistrum: quinetiam Christum perspicuè nominat, neque ignorat eum morti in cruce oppetendæ addictum fuisse, tertioque de reuixisse, & alia infinita miracula de eo à diuinis prophetis prædicta esse. Testatur præterea, multos tum gentiles, tum Iudæos, quos ad suam doctrinam perduxerat, eum amare non desijsse, & gentem ab eo nomen adeptam, perpetuò remansisse. Atque dum ista narrat, videtur mihi clara voce propemodum pronunciare, idque eius rebus gestis valde appositè, Christum esse Deum: quinetiam rei admirabilitate obstupefactus, ita se medium interijcit, vt credentes

De Christo Deifilio testimonia.
Abraham. *Gene. 18.*
Isaac. *Gene. 22.*
Iacob.
Herodes.
Iosephi historici de Christo testimonium. *lib. 18. Antiquit. cap. 4.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iudæorum incredulitatis causa: item Gentilium.

in eum neutiquam insectetur ille quidem, sed illis potius consentiat. Itaq; mihi de his rebus cogitanti permirum sanè videtur, Iudæos non alijs hominibus anteuertisse, sæque ad fidem Christianam priustrantulisse. Neque profectò omnes Gentiles, quamuis quædam de Christo futura, à Sibylla, & à quibusdam oraculis præsignificata sint, propterea in crimen, quòd fidem ægrius & difficilius admiserint, vocandi sunt: quippe pauci admodum, ijque doctrina præstantes, eiusmodi prophetias numeris ex maxima parte conscriptas, & verbis obscurioribus quàm quæ à plebe percipi possent, editas, intelligere potuerunt. Quare cœlitùs, mea quidem sententia, à Deo prouisum erat, ad posterorum hominum consensionem, vt res futuras non modò suorum prophetarum, verùm ex aliqua parte etiam peregrinorum animis inijceret, ad prædicendum: idque in morem musici, qui dum cantilenam peregrinam canere instituit, necessitate adductus aut chordas superuacaneas plectro percurrit, aut alias nouas his quas ipsum

Iudæi Gentilibus ad fidē recipiendam tardiores.

instrumentum iam habet, adnectit. Verùm quòd Iudæi serius tardiusque fidem Christi receperunt quàm Gentiles, cùm tamen pluribus manifestioribusque prophetijs de aduentu Christi instructi essent, ista differuisse sat est. Neque cuiquam certè mirum

Ecclesiam per gentes maximè creuisse.

deber videri, Ecclesiam Dei per alias gentes maximè creuisse: primùm, quòd Deus in rebus diuinis grauissimisque, mutationes contra omnium opinionem facere consueuit: deinde quòd constat, diuinam religionem non vulgaribus virtutibus, eorum qui ab initio ei præfuerint, administratam esse. Nam tametsi linguam disertam, & ad eleganter loquendum exercitatam non habueruut, neque verborum concinnitate, aut certis demonstrationibus lectores ad suam sententiam perducere potuerunt: non tamen propterea conatus eorum peius successit: sed abijciendo opes, sua bona contemnendo, patibuli cruciatum subeundo, multa & acerba tormenta, velut alienis circundati corporibus, fortiter tolerando: & neque blanditijs vel plebis vel magistratuum vllius ciuitatis obsequendo, neque eorum minas eximiscendo, planum omnibus fece-

Apostolis eloquētia ad persuadendū non fuisse opus.

runt, se eiusmodi certamina amplissimorum præmiorum spe inductos obijsse. Quocirca oratione ad persuadendum nō erat opus, præsertim cū res in singulis familijs & ciuitatibus gestæ, homines nullo penè negocio ad ea credenda impellerent, quæ nunquā antea audiuissent. Cum igitur tam diuina sit & tam admirabilis in orbe terrarum facta mutatio, vt homines pristinam suam religionem, legesque patrias aspernentur: per- B quàm absurdum sanè videretur, vt, cum caper Calydonius, Marathonius taurus, & aliæ eiusmodi res quæ in singulis regionibus vrbibusque vel reuerà acciderint, vel à poetis confictæ fuerint, tam magno æstimatæ sint, vti Gentiles scriptores facilè præstantissimi, ijq; natura ad res literis prodendas aptissimi, in illis describendis operam & laborem ponerent: ipse non omnes ingenij neruos contenderē, vt res in Ecclesia administratæ, mea opera scriptis mandarentur ad posteritatem. Persuasum namque habeo, cum argumentum non hominum ingenijs excogitatum sit: futurum esse, vt præter omniū

Sozomeni institutum.

opinionem me scriptorem diuina ope adiutum ostendam. Atque animus quidem erat, hoc opus iam à Christo nato repetiuisse: sed cum animaduerterem alios scriptores, Clementem dico, Hegesippum, viros sapientissimos, qui Apostolorum temporibus proximè succedebant, Aphricanum præterea, & Eusebium cognomento Pamphilum (virum tum in Sacris literis, tum in Poetis alijsq; scriptoribus gentilibus peritissimum)

Sozomeni libri duo ab his diuersi.

idem ipsum ad sua ipsorum tempora scribere aggressos, eas solum res quæ post Christi ad cœlos ascensum vsque ad necem Licinij in ecclesijs gestæ sunt, & ad nostram venêre noticiam, in duobus libris summatim persecutus sum. At iam, Deo iuuante, quæ deinceps secutæ sunt, commemorare conabor: atque mentionem faciam cùm rerum quibus ipse interfui, tum earum quæ non hac nostra ætate solum, verùm etiam ante nos natos factæ sunt: quas quidem ab illis qui vel eas ab alijs didicerant, vel ipsi oculis viderant, ipse equidem accepi. Quę autem ante illud tempus obtigerint, earum cogniti-

Quibus subsidijs ad hanc historiam author vsus sit.

onem partim ex legibus religionis ergò sancitis, partim ex Concilijs varijs temporibus celebratis, partim ex rerum innouationibus proditam, partim denique ex imperatorum & sacerdotum epistolis collegi, quarum epistolarum aliæ etiamnum in palatijs imperatorum, & in ecclesijs seruantur, aliæ dispersæ in manibus literatorum hominum reperiuntur. Quas cum ad verbum in hanc historiam conijcere instituissem, commodius putaui propter operis molem, earum sententias breui percensere: nisi in res ambiguas, de quibus variæ & discrepantes multorum extarent opiniones, aliquando fortè inciderem. Nam tum, si quod scriptum mihi suppetet, illud ad veritatem declarandam citabo. Verùm ne quis rerum ipsarum ignarus, nostrum opus, cum contraria scripta legerit, condemnet mendacij: intelligendum est, ecclesiarum præsides, propter

Ecclesiastica rum rerū scriptores cur interdum dissentiant.

dogmata Ariana, aliaque quæ pòst nata sunt, inter se dissentientes, singulos pro defensio-

A fensione opinionum, quibus ipsi fauebant, literas ad eos qui eandem cum ipsis doctrinam amplexabantur, scripsisse. Qui quidem in consilijs consentientes, quæ ipsis placebant, ea sanciuerunt: & non rarò contrariarum opinionum fautores, indicta causa, condemnarunt: atque Imperatores suę ætatis, hominesq; potentes summa obseruantia prosecuti, quantum in ipsis situm erat, illos in suam opinionem adducere studuerunt. Quos quidem sibi conciliari ideo laborarunt, vt hominibus afferrent opinionem, se verum Dei cultum consectari. Porrò autem alij horum, illorum alij addicti sententijs, epistolas quæ pro sua secta faciebant, studiosè in vnum collegerunt: missas verò fecêre contrarias. Quæ res vna effecit, vt quæ in his obtigerint, ægrius & maiore cum difficultate erueremus. Verùm cum in historia nihil ponendum sit, quod non sit sincerum maximè, & veritatis propterea maximè in ea ratio habenda: idcirco videbatur per mihi necessarium, vt quoad possem, eiusmodi literas diligenter peruestigarem. Præterea si virorum ecclesiasticorum inter ipsos seditiones vel de primatu, vel de sua secta alijs præferenda excitatas persequar: ne quisquam existimet velim, hoc importunè à me factum esse, aut istarum rerum commemorationem maleuolentiæ attribuat. Nam primum, vti dictum est, veritatem omnibus rebus anteponere scriptorem decet. Deinde doctrina Ecclesiæ catholicæ maximè tum ingenua ac sincera videbitur, cum, tametsi sit contraria sentientium insidijs exploratè probata, tamen victoria veluti diuinitùs donata potiatur: & viribus recuperatis, omnes ecclesias & hominum multitudines ad suam veritatem amplectendam pertrahat. Atq; consideranti mihi, vtrum res Ecclesiæ, quas in imperio Romano gestas cognoui, solum literis mandare deberem; rectum videbatur, etiam eas quæ apud Persas & alios barbaros in religione contigerint, pro virili commemorare. Neq; certè alienum erit ab historia ecclesiastica, in hoc opere item narrare, tum quinam tanquam patres & principes eorum qui monachi vocantur, olim extiterint: tum etiam, qui illis successerint: quos vel ipsi nouimus, vel accepimus ab alijs, ob pietatem suam permagnam laudem consecutos. Nam neq; eorum virtutem in obliuione iacere permittendo ingrati erga illos, neque inscij rerum ab illis gestarum videri volumus: præsertim cum tam præclarum viuendi exemplar, his qui huic pio vitæ generi se dicare instituant, post se reliquerint. quo quidem si qui vti voluerint, non B dubium quin beatissimum sint & felicissimum vitæ exitum habituri. Verùm de his in sequenti sermone pro virili disseremus: nunc autem inuocato Dei propitij auxilio, ad res gestas narrandas veniemus. Hinc igitur præsentis historię ducetur exordium.

Prioresinterdum dissentiant.

In historia veritatis potissimum habenda ratio.

Historiæ huius tractatio qualis.

Quinam vrbium primariarum, cum Constantinus rerum potiretur, episcopi fuerint: & quòd Orientis partes, Libyam vsq;, timidius propter Licinium Christi nomen confessæ sunt: contrà verò Occidentales, Constantino freti, propalàm Christi fidem profitebantur. CAP. II.

Vrbiū primariarū episcopi.

Romæ Sylvester, Alexander Alexandriæ, Macarius Hierosol.

Vide Socr. lib. 1. cap. 2. Vide Nicer. lib. 8. cap. 6. Theodor. lib. 1. cap. 3.

CRispo & Constantino Cæsaribus Cos. Romanę ecclesiæ antistes fuit Siluester: Alexandrinæ autem Alexander, Macarius verò Hierosolymitanæ. Episcopatum ecclesiæ vrbis Antiochiæ ad Orontem fluuium sitæ, Romano iam mortuo, nemo adhuc obtinuerat: propterea quòd persecutio, vt est verisimile, fuerat electioni episcopi impedimento. Verùm non ita multò pòst episcopi Niceę coacti, Eustathium, propter cùm vitę tum doctrinę præstantiam admirati, dignum iudicarunt, † qui sedem Apostolicam capesseret: & ob eam causam, cum esset episcopus Berœæ vrbis finitimę, illum inde Antiochiā transtulerunt. Per id temporis Christiani qui versus Orientem ad Libyes vsq;, qui sunt confines Aegyptijs, habitant, conuentus palàm agere propterea nō ausi sunt, quòd Licinius beneuolum suum erga illos animum mutauerat. At Gręci, Macedones & Illyrici, qui versus Occidentem suarum rerum domicilia habebant, Constantini opera, qui illi imperij Romani parti præfuit, liberè & animo securo Deum coluerunt.

Eustathius Antiochiæ episcopus.

† Vide annot. pag. 10 lin. 2. lin. 38.

Constantinus.

Quòd propter crucis visionem, & Christi apparitionem, Constantinus ad Christi religionem venerat, interim tamen à nostris pietatem edoctus: vbi etiam de pœnitentia disseritur. CAPVT III.

Vide Socr. lib. 1. cap. 1. Vide Nicer. lib. 7. c. 29. & locos notatos ca. 2. lib. 3. De vita Constant.

AVic imperatori Constantino quanquam multas alias res accidisse, quibus inductus religionem Christianam colere cœpit: maximè tamen visionem diuinitùs ei obiectam, eum ad eam rem impulisse accepimus. Nam cum animo institueret bellum contra Maxentium gerere, secum (vt verisimile est) dubitare cœpit, quis euentus belli futurus esset, & quem sibi adiutorem asciscret. Qui in tali cogitatione positus, per visionem signum crucis in cœlo splendescens conspicatus est. Atque ei

Universidad de Deusto
Biblioteca

Crucis signum per visionem Constantino oblatum: quod accidisse ferunt anno 316.

iam visione obstupefacto, sancti angeli astantes dixerunt: IN HOC ô Constantine, vin- A
ces. Fertur quoque, ipsum Christum ei apparuisse, ostendisseq; figuram crucis: ac iussisse, vt similem ei fabricandam curaret: eaq; tum velut subsidio in bello administran-
do, tum tanquā instrumento ad victoriam consequendā apto vteretur. Quam rem Euse- *Vide Euseb. de vita Constant. lib. 1. ca. 22. & lib. 3. cap. 2.*
bius cognomento Pamphilus asseuerat, se ab ipso ore Imperatoris, iureiurando eā con-
firmantis, audiuisse: nimirum, circiter meridiem, sole iam paululum declinante, crucis
IN HOC VINCE
signum ex lucis splendore figuratum, in quo inerat hæc inscriptio, IN HOC VINCE, in
ipso cœlo apparens, tum imperatorem ipsum, tum milites qui cum eo erant, vidisse.
Nam ei quopiam cum exercitu iter facienti, inter vias hanc admirabilem visionem ob-
latam esse: atque dum versaret animo quid sibi vellet, noctem illum oppressisse. Cui
secundum quietem Christum visum esse, cum eo ipso signo quod in cœlo apparuerat:
iussisseq;, vt aliud signum ad eius exemplar construeret, eoque velut præsidio in prælijs
contra hostes committendis vteretur. Et quoniam Imperator non amplius iam vllo
egeret interprete, sed manifestò esset ei declaratum, quo modo de Deo sentiret: primo
Constantinus quomodo fidē à sacerdotibus edoctus.
mane conuocatis Christi sacerdotibus, de religione Christiana eos percunctatur. Qui li-
bris sacræ Scripturæ prolatis, ea quæ ad Christum spectabant, illi exponūt: quæ quidem
antè, quàm facta fuissent, à prophetis prædicta esse demōstrarunt. Signum autem quod
apparuerat, indicium esse dixerunt victoriæ contra inferos: quam quidem victoriam
Crux, victoriæ de inferis trophæum.
cum ad homines descendisset, crucis tormenta subeundo, oppetendo mortem, & ter-
tia die ad vitam resurgendo, reportasset. Adiecerunteq;, sperandum cuique esse, post dis-
cessum ex hac vita, omnes homines ad finem præsentis seculi eodem modo resurrectu-
ros, & immortalitatis fore participes: alios quidem vt premijs pro rectè factis, quę in hac
vita gesserint, donentur: alios autem, vt pro sceleribus, quæ admiserint, debitas pœ-
nas luant. Esse tamen his qui in hac vita deliquerint, oblatam salutis occasionem, & ex-
piationem à peccatorum labe. Nam qui nondum sunt mysterijs initiati, illos si secun-
dum legem Ecclesiæ initientur, salutem consecuturos: qui autem initiati sunt, si non
interim delinquant. Sed quia istud à paucis viris, ijsq; planè diuinis præstari possit, alte-
ram expiationem quæ fieret per pœnitentiam, institutam docuerunt. Nam Deum mi-
sericordem esse, veniamq; tribuere lapsis per peccatum, si modò eos pœniteat, & pœni- B
tentiam bonis operibus confirment.

Quòd crucis vexillum in bello antecedere sanciuit: & narratio quædam admirabilis, de ijs qui crucis vexillum gestabant.

CAP. IIII.

Labarum.

Crucis vexillum à Constāt. fieri iussum.

HIS rebus à sacerdotibus expositis, Imperator prophetias de Christo *Vide Nicef. lib. 7. ca. 27. & locos notatos ca. 2. lib. 3. De vita Constant.*
admiratus, mandatum viris arte peritis dat, vt signum, quod à Ro-
manis Labarum vocatur, in effigiem crucis, auro & lapidibus precio-
sis collustratam, mutarent. Hoc signum bellicum in multo maiore
honore, quàm alia, propterea fuit, quòd semper Imperatorem an-
tecedere, & à militibus adorari consueuit: quod quidem cum signū
esset imperij Romani omnium præstantissimum, arbitrorà Con-
stantino ob hanc causam in primis signum crucis mutatum, vti assiduo eius aspectu &
cultu subiectos suos pedetentim à patrijs ritibus desuefaceret: eumq; solum Deum exi-
stimarent, quem coleret Imperator, atque illo duce & adiutore in bello contra hostes
gerendo vterentur. Nam istud veluti propugnaculum ante copias suas semper gestan-
dum curauit: & si quæ cohors laboraret, illud ei admouere iussit: atq; lectissimos satel-
lites ad illud negocium obeundum constituit, quibus onus impositum erat, vt singuli
Miraculum in Cruciferis tempore prælij.
vicissim signum humeris ferrent, & acies hostium circuirent. Fertur autem, eum qui
illud quodam tempore gestaret, repentina hostium incursione perterritum, idem ip-
sum tradidisse alteri, & se à prælio subduxisse. Ac cum iam extra telorum iactum consi-
steret, ex improuiso lethali vulnere sauciatum concidisse: eum autem qui diuinum cru
cis signū ab illo acceperat, sine vulnere perstitisse, idq; cum multi tela in ipsum conijce-
rent. Nam tela conjecta ab hostibus, mirandum in modum diuina virtute directa, in i-
pso signo infiguntur: ab eo autem qui illud ferebat, quiq; in medijs periculis versaba-
tur, auolant. Dicitur porrò, nullum vnquam militem, qui munere signi huius gestan-
di fungebatur, in bello (quod sanè credibile est) in grauem aliquam calamitatem inci-
disse, aut vulnus accepisse, aut captiuum abductum esse.

Confutatio

Confutatio eorum, qui Constantinum, propter Crispi filij cædem, ad Christi fidem venisse contendunt. CAPVT V.

Vide Nicef. lib. 7. ca. 35.

NON sum equidem nescius, memoratum à gentilibus, Cōstantinum tum
quosdam genere sibi coniunctissimos trucidasse, tum ad necem filio suo
Crispo inferendam operam contulisse. Quorum facinorum cum eum
Sopater. Plotinus.
posteà pœniteret, cum Sopatro philosopho, qui id temporis in scholam
philosophiæ, cui antè præfuerat Plotinus, magister successerat, de eorum
expiatione communicasse: cum autem respondisse, nullam esse eiusmodi delictorum
expiationem. Qua inficiatione Imperatorem valdè conturbatum, fortè incidisse in e-
piscopos, qui pœnitentia & lauacro baptismatis se eum omni peccato expiaturos polli-
centur. Quos cum ex animi sui sententia dixisse intelligeret, eorum responso magno-
pere delectatum, cœpisse illorum religionem habere in admiratione, Christianum fie-
ri, & suos subiectos ad eandem religionem pellicere. At mihi sanè ista, ab illis, qui stu- *Crispi, Constātini F. mors.*
dio ducuntur Christianæ religioni obtrectandi, videntur esse conficta. Nam Crispus,
propter quem memorant Constantinum expiationem quæsiuisse, vigesimo anno im-
perij paterni mortem obijt: qui dum viueret, multas leges cum patre vnà, vtpotè, qui
secundas imperij partes (Cæsar enim erat) obtinuisset, pro Christianorum libertate san-
ciuit: cui rei etiamnum testimonio esse poterunt, tum tempora, quæ ipsis legibus sub-
scripta sunt, tum legum latorum nomina. Quod autem ad Sopatrum attinet, primùm
non est verisimile, cum in colloquium veniisse Constantini, qui soli illi imperij parti, *Constantinī imperij limites qui.*
quæ est versus Oceanum, & ad Rhenum pertinet, præfuit. Nam propter dissidium cum
Maxentio, ætatem in Italia degente, imperium Romanum seditionibus exarsit: neque
facilè erat cuiquam illo tempore ad Gallos, Britannos, & reliquos illius orbis partis in-
colas (apud quos, liquidò constat inter omnes, Constantinum primùm religione Chri
stiana imbutum esse) antè iter facere, quàm Constantinus aduersus Maxentium bellū
gessisset, peragrasset Italiam, & Romam vsq; venisset. Cuius rei testes denuò sunt, tum
tempora, tum leges pro pia religione promulgatę. Quòd si demus etiam, vti facilè possu
mus, Imperatorem cum Sopatro coràm collocutum, vel per literas, quæ volebat, ab eo *Herculis parricidium, & expiatio.*
B didicisse: non tamen probabile est, philosophum ignorasse, quomodo Hercules Alc-
menæ filius, tum post trucidatos liberos, tum post cædem Iphiti, quem (vtpotè hospi-
tem atque amicum) iniustè peremerat, Cereris sit expiatus mysterijs. Verum sint hæc,
quæ diximus, satis: tum ad ostendendum, quòd Gentiles eiusmodi delictorum expia-
tionem profiterentur: tum ad eos mendacij conuincendos, qui Sopatrum ei rei contra- *Expiandi ritus apud Gentiles recepti.*
dixisse commenti sunt. Nam non equidem affirmarim, philosophum, qui apud Gen-
tiles ob exquisitam doctrinam id temporis facilè præclarissimus habitus est, illum ex-
piandi modum ignorasse.

Quòd Constantini pater Christi nomen propagari permittebat: Constantinus autem Magnus, vt vbique floreret, author fuit.

CAP. VI.

Vide Nicef. lib. 7. ca. 17.

ECclesiæ verò, quæ erant in ea Imperij parte, quæ Constantino parebat, in
summa lætitia vitam egerunt, creueruntque indies magis magisque, tam
beneuoli, tamque pacis & concordiæ studiosi beneficijs ornatæ: quas qui-
Constantij pietas.
dem etiam ante eius regnum, diuinum numen à persecutionis & turba-
rum procellis liberas vacuasque conseruauerat. Nam cum Ecclesiæ in
alijs orbis partibus persecutionum fluctibus iactarentur, solus Constantius, Constanti-
ni pater, permisit Christianis potestatem liberè suam religionem excolendi. Quin
rem ab eo gestam reuera cognoui cum admirabilem, tum dignam sanè, quæ literis pro- *Constantij in explorandis aulæ suæ Christianis sollertia.*
datur: quæ ita se habet. Cum in animo haberet accuratè explorare, quinam ex nume-
ro Christianorum in palatio suo ætatem degentium viri boni & perfecti essent, com-
uocatis omnibus palàm edixit, vt si vellent simulacris immolare, & deos similiter
cum ipso colere, in suo manerent palatio, eundemque quem prius dignitatis gradum
tenerent: sin autem recusarent, exirent è palatio, gratiasque agerent, quòd non suppli-
cio etiam affecti fuissent: vbi in duas partes diuisos vidit, & qui religionem prodebant,
in vnam, qui autem diuinas res præsentibus bonis anteferebant, in alteram segregatos:
decreuit secum, his qui se fideles erga Deum Opt. Max. declarassent, in amicorum, atq;
adeò consiliariorum numero habere: reliquos autem tanquam ignauos & vetera-
tores auersatus est, & à sua prorsus consuetudine exclusit: ratus, eos nunquam

Universidad de Deusto
Biblioteca

erga Imperatorem beneuolos fore, qui tam prompto & parato animo Deum prodide-
rant. Quamobrem hinc capere cõiecturam licet, neque Gallis, neque Britannis, qui lon-
gè vltra fines Italiæ habitant, neque alijs, qui circiter montes Pyrenæos ad Oceanum oc-
cidentalem vsque incolunt, contra leges visum esse, Christianam religionem, dum ad-
huc vita suppeditabat Constantio, profiteri. Cæterùm, simul vt Constantinus successit
in imperium, status Ecclesiæ multo magis florere cœpit. Nam Maxentio Herculij filio
interfecto, & illa parte imperij ad Constantinum delata, Christianam religionem libe-
rè coluêre omnes, qui vel circa Tyberim fluuium, vel circa Eridanum, quem indigenæ
Padum nuncupant, vel circa Aquilam denique habitabant: in quem Argo nauem vi
pertractam, in mare Tyrrhenum incolumem delatam esse fertur. Nam Argonautas,
quò Aeëtem declinarent, non eundem in reditu cursum tenuisse: sed transmisso mari
Scythico, per flumina, quæ per illas partes perlabuntur, in fines Italorum peruenisse: at-
que illic hybernantes, vrbem quam Emonẽ vocãt, condidisse, memoriæ proditum est.
Sequenti autem æstate opera indigenarum adiutos, Argo nauem circiter quadringen-
tis stadijs per terram machina quadam traxisse, deduxisseque in Aquilam fluuium, qui
in Eridanum influit. Eridanus verò tandem in mare superum delabitur.

Ecclesiæ status sub Constantino magis florere cœpisse.

Aquila fl.

Argonautæ.

Emo vrbs.

Eridanus fl.

De iniurijs inter Constantinum & Licinium, sororis eius maritum, Christianorum causa susceptis: & quòd Licinius prorsus à Constantino superatus, paulo post Thessalonicæ interfectus erat. CAP. VII.

Constantini de Licinio victoria. Vide Cuspinianum.

POst prælium circa Cibales commissum, Dardanij, Macedones, & quotquot circiter Istrum accolunt, Hellas quoque, & tota Illyria, ditioni Constantini subiugata est. Licinius autem ea in pugna in fugam versus, etsi antea religionem Christianam tutatus fuisset, tunc tamen mutata sententia, tũ complures ex sacerdotum numero, qui in eius ditione vixerunt, tum non paucos ex laicis, & maximè eos, qui rem exercebãt militarem, grauiter afflictauit. Nam propter inimicitias, quas cum Constantino gessit, graue contra Christianos odium exercere cœpit: ratus sanè, se Constantinum magna affecturum molestia, si Christianam religionem acerbè exagitaret: simulque persuasum habuit, ecclesias pro Constantino solo preces fundere, proque viribus contendere, vt ab eo vno gubernarentur. Porrò autem, cum prælio rursus esset cum Constantino decertaturus, victimis & vaticinationibus (vt fieri solet) vsus est, quò belli expectati administrationi melius prospiceret. Atque quorundam suasu, qui eum victorem fore pollicerentur, inductus, ad Gentilitatem se transtulit. Quare Gentiles etiam ipsi memorant, eũ reuerà tũ feciss̃e periculum oraculi Apollinis Dindymæi, quod Mileti edi solet. Cui de belli euentu sciscitanti, respondisse dæmonium his duobus Homeri versibus:

Vide Nicet. lib. 8. ca. 3. lib. 7. c. 44. Socra. lib. 1. cap. 2.

Licinij in Christianos rabies.

Apollinis Dindymæi oraculum datum Licinio.

Vide Liliũ Gyraldũ de Diis Gẽtium.

Te Iuuenes (grandæue pater) vexare feroces
Certum est, te infirmum manet ærumnosa senectus.

Christianæ religionis incrementum.

Quare tametsi religio Christiana diuina prouidentia ex multis alijs rebus videtur mihi tum stabilita esse, tum tantam fecisse progressionem: tamen ex illis, quæ tum gestæ erant, multò maximè creuisse censeo. Nam cum Licinius iam constitueret, omnes in sua ditione Ecclesias grauiter persequi: bellum illud suscipitur in Bithynia, quod ipse & Constantinus postremò inter se gesserunt. In quo Constantinus diuina ope tantopere adiutus est, vt hostes terra mariq́ue superaret. Licinius igitur pedestribus copijs & naualibus amissis, se Nicomediam recepit: & postea vitam priuatam Thessalonicæ ad tempus degens, ibi è medio sublatus est: vir sanè initio quidem imperij tum ob res bellicas, tum ob alias quoque, summa laude celebratus, & nuptijs sororis Constantini magnopere cohonestatus, ad extremum tamen hunc vitæ exitum consecutus est.

Licinius denuò à Constantino victus, eiusq́; mors, anno 327.

Enumeratio præclarorum Constantini facinorum, tum in libertate Christianorum asserenda, tum in templorum fabricatione, & rebus alijs reip. vtilibus. CAPVT VIII.

Vide Nicet. lib. 7. c. 18. 19. 40. 41. 42. 46. item lib. 8. c. 2. 4.

Constantinus solus Imperio potitus, religioni Christianæ promouendæ totus incũbit.

COnstantinus autem, cum iam solus vniuerso imperio Romano potitus esset, subditis suis versus Orientem habitantibus edicto publico mandauit, vti religionem Christianam colerent, & diuinum numen studiosè venerarentur: illudq́ue solùm numen diuinum censerent, quod reuera sit, quodq́ue omni tempore satis in se virium & potentiæ habeat. Nam qui in eo diligenter colendo studium suum ponerent, his omnia bona affluenter suppetere solere: & quæcunq́ue cum spe bona molirentur, ex sententia

Vide vitã Constant. lib. 4. c. 1. & sequitem c. 20. lib. 2. Item Euse. lib. 10. c. 5. Vitã Cõst. lib. 3. c. 4. 47. lib. 4. cap. 38. 39. Socr. lib. 1. cap. 14. Vide Euse. lib. 10. c. 3.

A sententia succedere. At qui in Deo Opt. Max. adorando delinquerent, res omnes publicè & priuatim, in bello & pace infeliciter euenire. Porrò autem, non quò insolenter gloriaretur, sed quò Deo gratias ageret, se dicere affirmauit, Deum, cum ipsum idoneum suæ voluntatis administrum esse iudicaret, à mari Britannico ad regiones vsque in Oriente sitas deduxisse, quò tum Christiana augeretur religio: tum, qui diuini cultus gratia vel fidem constanter in tormentis confessi fuissent, vel martyria toleranter perpessi, illustrioribus honoris insignibus ornarentur. Cum hæc edicto exposuisset, aliaq́ue infinita, quibus putaret subiectos suos ad veram religionem impelli: omnia decreta actaq́ue temporibus tyrannorum, qui Ecclesiam persecuti fuissent, abrogare cœpit: libertatemq́ue lege concedere ijs, qui propter Christi nominis confessionem vel ad insulas, vel ad alia loca contra voluntatem incolenda, vel ad effodienda metalla, vel ad opera publica obeunda, vel ad inseruiendum gynæceis, textrinisue, vel ad ministrandum curijs, cum anteà consiliarij fuissent, condemnati essent: itemq́ue ignominia affectos, ignominia liberare: qui autem exercitu ciecti essent, optionem facere, vel pristinum gradum obtinendi, vel cum libertate honorifica libero ocio perfruendi. Postea verò, quàm omnes ad priorem suam libertatem, & ad consuetos honores reuocasset, fortunas etiam quibus exuti fuerant, eis reddidit. Quòd si qui morte condemnati bonis spoliati essent, eorum hæreditates ad genere proximos deferre: sin nemo ex cognatis superesset, Ecclesiam cuiusque loci propriam hæredem fieri, & seu priuatus quispiam, seu magistratus vllam partem possideret, restituere iussit. Atque illis, qui vel ea bona coëmissent ab ærario, vel gratis accepissent, se, quoad fieri posset, honesta ratione & modo prouisurum pollicitus est. Ista quidem, vt primùm ab Imperatore (vti demonstratum est) decreta fuêre, legeq́ue confirmata, absque mora sunt ad exitum deorum consentaneumq́ue perducta. Nam Christiani, omnes ferè Romani imperij magistratus gerere cœperunt: interdixeruntq́ue omnibus, ne de cætero vel simulachris immolare, vel diuinationibus nefandisue mysterijs vti, vel statuas erigere, vel festa gentilicia celebrare aggrederentur. Multa præterea vetera ciuitatum instituta fuere mutata. Postremò, sicut apud Aegyptios cubitus ille, quo inundatio Nili notari solet, non amplius, vt moris erat, ad sana Gentilium, sed ex illo tempore ad Christianorum ecclesias delatus est: sic apud Romanos tunc primùm spectaculum gladiatorum vetitum est: & apud Phœnices deinceps interdictum his, qui Libanum & Heliopolim incolebant, ne virgines (vt solebant) antè stuprari permitterent, quàm cum viris, quibus dabantur in matrimonium, concumberent. Nam illis in more positum erat, vt post primum illum nefarium concubitum admissum, cum maritis, quibus legitimo iungebantur connubio, vnà in vnis ædibus vitam degerent. Quod autem ad sacra templa attinet, quæ satis haberent laxitatis, reficiebantur: alia altius erigebantur, latioraq́ue non sine splendoris accessione fiebant. Noua etiam, vbi nulla antè fuissent, ab ipsis fundamentis extruebantur. Pecuniam autem ad hanc rem ex ærario regio suppeditauit Imperator: scripsitq́ue tum ad Episcopos, tum ad præsides cuiusque prouinciæ: ad illos quidem, vt quę vellent, imperarent: ad hos autem, vt morem gererent Episcopis, eorumq́ue imperata studiosè facerent. Itaq́ue vnà cum prospero imperij statu, magnoperè creuit religio. Porrò Imperator post bellum cum Licinio gestum, tam secundo fortunæ flatu in prælijs contra alienas exteras q́ue gentes faciendis vsus est, vt tum Sauromatas, tum Gotthos subiugaret: & ad extremum, quò eis aliquid deferre beneficij videretur, fœdera cum illis percussit. Ista quidem gens id temporis transtrum fluuium habitauit: quæ cum esset tum propter multitudinem, tum propter corporum magnitudinem bellicosissima, & in re militari assiduè exercitata, alios quidem Barbaros deuicit: Romanos autem habuit solos, qui ipsam bello æquarent, strenueq́ue resisterent. Dicitur præterea, Constantino in hoc bello vel maximè per signa ac somnia declaratum, quàm sedulò DEVS sua prouidentia ipsi prospexisset. Quare cum in omnibus bellis suo tempore gestis victoriam esset consecutus, velut gratiam Christo redditurus, veram religionem cum summo studio excolere, subiectosq́ue ad eam solam sanctè obseruandam, & salutarem ducendam, hortari cœpit. Quinetiam ex terra, quæ in singulis ciuitatibus vectigalis erat, certum vectigal, quod ærario pensitari solet, accepit, & ecclesijs ac clero distribuit: quam quidem largitionem in omne tempus ratam esse lege sanciuit. Porrò, quo milites iuxta secum ad Deum colendum assuefaceret, arma eorum effigie crucis signanda curauit. In palatio item extruxit ecclesiam: & tabernaculum ecclesiæ figuram exprimens, cum contra hostes prælio contenderet, secum circumferre consueuit, ad eum finem, vti neque sibi in solitudine vitam agenti, neque exercitui deesset ædes sacra, in qua quidem deberent

Tyrannorum decreta abrogata.

Christiani ab exilijs reuocati.

Constantini in Christianos munificentia.

Christiani magistratibus gerendis adhibiti.

Gladiatorum spectacula, et virginum conspiratio subsecuta.

Templorum instauratio.

Constantini in bellis contra Barbaros successus.

Vectigal ecclesijs distributum.

Constantini pietas ac religionis studium.

Deum

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deum laudibus efferre, precibus solicitare, & sacra mysteria percipere. Nam sacerdotes & diaconi, qui secundum Ecclesiæ institutum ista munera obirent, tabernaculum assiduè secuti sunt. Ex eo tempore militares Romanorum ordines, qui iam vocantur Numeri, singuli sibi tabernaculum separatum construxerunt, habuerunt que secum sacerdotes & diaconos ad rem diuinam faciendam † designatos. Legem etiam tulit, vt tum die Dominico (quem Hebræi appellant primùm diem hebdomadæ vel Sabbathi, Græci autem Solis nomine nuncupant) tum die Veneris omnes à iudicijs dandis, & alijs obeundis negocijs vacarent, precibus que & obtestationibus Deum colerent. Diem autem Dominicum veneratus est, vtpote in quo Christus resurrexerit à mortuis: diem verò Veneris, vtpotè in quo cruci suffixus fuerit. Nam sanctæ Cruci plurimum tribuit honoris, tum propter subsidia in bello contra hostes gerendo ex eius virtute sibi allata, tũ propter diuinã sibi de ea oblatam visionem. Postremò supplicium crucis à Romanis olim maleficis decretum, lege sustulit: quinetiam suam imaginẽ, seu in numis expressam, seu depictam in tabulis, iussit semper hoc quoque diuino signo inscribi consignari que. cuius rei etiam adhuc testimonio sunt, imagines eius hac figura descriptæ. Et quanquam in omnibus rebus, quas moliebatur, diuinum cultum impensè curabat, in legibus tamen condendis vel maximè. Qua causa inductus, intemperantes & libidinosos concubitus anteà minimè vetitos, coercuit: quemadmodum ex legibus de illis latis, si cui sit curæ istud cognoscere, facilè potest intelligi. Mihi enim in præsentia ad illud accuratè persequendum non satis opportunum tempus videtur suppetere. At leges cùm ad honorem religionis Christianæ, tum ad eius confirmationem ab eo, præter eas quas iam commemorauimus, promulgatas percensere necesse habeo: quippe cum videãtur cum historia Ecclesiastica in primis cohærere. Hinc igitur exordium capiam.

Numeri Rom. mil ordines.

Diei solis & Veneris observatio legeinstituta, anno 324

S Crucis cultus. Crucis supplicium lege sublatum.

Libidines coercita.

† Vide annot. pag. 13. lat. 1. lin. 26.

In vita Cõstant. lib. 4 c. 18. 22. 57.

Vide l. omnes homines, cod. de feriis.

Vide cap. 2. lib. 3. de Vita Constãt.

Quòd legem tulit Constantinus, qua professis virginitatem, ius condendi testamentum concessit: clericis verò, contributionum immunitatem.

CAP. IX.

VEtus erat apud Romanos lex, quæ vetuit cœlibes, si annum ætatis vigesimum quintum præterijssent, paribus cum his, qui nuptias cõtraxissent, priuilegijs frui: iussitque præter alia multa, etiam vt nihil commodi, etiamsi genere proximi essent, ex testamento suorũ caperent. Quinetiam eos, qui nullos habebant liberos, dimidiata parte bonorum, quæ erant reliqua, mulctauit. Hæc lex à veteribus Romanis sancita fuit eo consilio, vt non vrbem Romam solum, verùm etiam cæteram suam ditionem hominum multitudine cõplerent: quandoquidem haud longo tempore ante legem latam, quàm plurimos bellis intestinis ac ciuilibus amiserant. Quare Imperator, cum videret eos, qui & virginitatem excolere, & sine liberis esse propter Dei amorem in animum induxissent, hac de causa in deteriore esse conditione: stultum planè censuit, vt homines suum genus sua ipsorum solicitudine ac studio augere conarentur: præsertim cum natura semper secundum diuinam moderationem humano generi tum interitũ afferat, tum incrementum. Itaque legem plebi promulgauit, quæ iubebat, vt tum cœlibes, tum liberis carentes, pari iure cum cæteris omnibus fruerentur: imò verò etiam decreuit, vt qui castimoniæ & virginitati se consecrassent, priuilegio quodam præ cæteris donarẽtur: dedit que tum masculis tum fœminis potestatem, etiam si adhuc impuberes essent, testamenta, contra consuetudinem communiter in republica Romana obseruatam, faciendi. Nam illam rectissimam omnium reuera voluntatem censuit, diuinum numẽ semper colere, & pium vitæ genus exercere. Siquidem ob hanc causam veteres quoq; Romani lege sanciuerunt, vt virgines Vestales etiam ad sextum ætatis annum testamentum componerent. Illud porrò est planè maximum reuerentiæ Imperatoris erga religionem argumentũ, quòd clericos vbiq; per legem ob eam rem conditam immunitate donari voluit: quod q; illis, qui erant in iudicium vocati, dedit potestatẽ, si modo animum inducerent magistratus ciuiles reijcere, ad episcoporum iudicium prouocãdi: atq; eorum sententiam ratam esse, & aliorum iudicum sententijs plus habere authoritatis, tanquam ab ipso Imperatore prolatã, statuit. Quinetiam iussit, vt magistratus res iudicatas re ipsa exquerentur, militesq; eorum voluntati inseruirent: præterea, vt conciliorũ decisiones firmæ & immutabiles existerent. Atq; mihi in hunc sermonẽ ingresso, operæpretium videtur, eas quoq; leges hoc loco recensere, quæ ad vtilitatem eorum, qui sunt in Ecclesijs libertate donati, constitutæ sunt. Nam † cum partim præ exquisita quadam

Constantini lege priuilegiũ virginitatem professis concessum, et sublata cœlibatus pœna.

Impuberibus concessũ facere testamentũ. Vestaliũ virg priuilegiũ in condendis testamentis.

Clericorũ immunitas lege sancita.

Ad episcoporũ iudicium prouocatio.

Conciliorum decisiones.

Vide Nicen. lib. 4. c. 19.

Vide Euseb. lib. 10. c. 3.

† Vide annot. pag. 14. lat. 1. lin. 24.

A quadam legum obseruatione, partim præ possessoribus, qui inuiti eos dimiserunt, permagna esset difficultas in maiore libertate acquirenda, quam Romani ciuitate donari appellant: tres tulit leges, quibus decreuit, vt omnes, qui in ecclesijs essent testimonio sacerdotum libertate donati, in rempublicam Romanam ascriberentur. Huius pij instituti satis clara etiam hac nostra ætate extant indicia: quippe consuetudo adhuc tenetur, vt leges de eo sancitæ, in principio tabularum de manumissionibus scribantur. Atq; hæ sunt leges à Constantino promulgatæ: qui quidem omnem curam & cogitationem ad Christianam religionem ornandam contulit.

Demaiori, minori, & inferio. libertate vide 5. Libertinorũ Instit. de Libertinis.

Constantinus maiorẽ libertatem seruis in ecclesijs consequi petere voluit latis legibus 3. quarũ vna extat l. 1. cod. de his qui in ecclesijs manumittuntur.

De eximijs, qui adhuc in vita manebant, confessoribus.

CAPVT X.

ERat porrò hæc religio tum sua ipsius vi, tum propter virtutem eorum, qui id tempor is eam excolebãt, satis gloriosa. Nam cum alij multi boni Christiani tunc quidem vixere: tum quàm plurimi Confessores, persecutionis tempestatibus iam nuper sedatis, fuere superstites, ecclesijsque permultum ornamenti attulere: vt Osius, episcopus Cordubæ: vt Amphio Epiphaniæ, vrbis Ciliciæ episcopus: vt Maximus, qui post Macarium, Hierosolymitanam rexit Ecclesiam: vt Paphnutius Aegyptius, per quem fertur Deum quàm plurima edidisse miracula, profligasse dæmones, eique variorum morborum sanandorum facultatem dedisse. Iste Paphnutius, & Maximus ille, de quo dixi modò, erant ex illorum Confessorum numero, quos tyrannus Maximinus ad metalla, cum oculos eorum dextros effodisset, sinistrorum q; pedum flexus eneruasset, condemnauit.

Confessores eius ætatis. Osius. Amphio. Maximus. Paphnutius.

Vide Nicen. lib. 4. c. 42.

De sancto Spiridione, & eius modestia & tranquillitate.

CAPVT XI.

EIsdem temporibus vixisse accepimus Spiridionem quoque, Trimythuntis oppidi Cypri episcopum. Ad cuius virtutem prædicandam, ipsam famam etiamnum de eo percrebescentem arbitror satis habere virium. Miracu-
lorum verò diuina ope ab eo editorum licet quàm plurima, vt simile veri est, norint indigenæ, ipse tamen solum ea, quæ ad nos sermone hominum perlata sunt, percensebo. Erat iste vir sanè agrestis: qui tametsi vxorem habebat, & liberos, non tamen propterea res diuinas negligentius obijt. Ferunt quidem viros quosdam maleficos ad ouile eius de nocte venisse, atque oues furari aggressos, derepentè vinculis constrictos teneri, cum nemo omninò eos colligauerit. Vt autem dies illuxit, venisse eò Spiridionem, illos vinctos offẽdisse, soluisse vinculis, quæ certe oculis cerni non poterãt. Increpasse, quòd cùm rogando potuissent rem cupitam assequi, clam tamen furripere maluissent, & noctu sibi ipsis tantum molestiarum facessere. Attamen eorum misertum, & vt se ad melius vitæ genus transferrent hortatum, dixisse: Abite, huncque arietem accipite. Nam cum totam noctem vigilando vos afflictaueritis, non est sanè consentaneum, vt de vestris susceptis laboribus conquerentes, à meo ouili discedatis. Atque vt istud meritò planè mirandum est, sic illud quoque non minus. Huius Filiæ virgini, cui nomen erat Irene, vnus ex familiaribus Spiridionis depositum seruandum dedit. Illa cum accepisset, domi defodit in terram, † quò accuratius custodiretur. Cum que forte fortunà filia sine vlla mentione depositi facta cuiquam, mortem oppetiuisset: venit homo ille, depositum repeturus. Spiridion autem, quamuis quid diceret, prorsus ignoraret, ædes tamen perscrutatur. Ac cum inuenire depositum non posset, homo lugere grauiter, capillum lacerare, & velut iamiam moriturus præ se ferre cœpit. Spiridion verò ad misericordiam inductus, venit ad sepulchrũ filiæ, eam que nomine compellat: à qua sibi respondente, percunctatur de deposito. De quo certior factus, reuertitur domum: & inuentum in loco, quem filia ei significauerat, homini reddit. Verùm cum in hunc sermonem sim delapsus, non erit alienum, illud quoque adiungere. Consueuerat ille Spiridion fructus, qui ei suppetebant, partim pauperibus distribuere, partim alijs, qui cupiebant, gratis mutuò dare: ita tamen, vt ipse sua manu neque traderet, neque reciperet, sed monstrata illis accedentibus cella penaria, faceret potestatem tantum secum auferendi, quantum ipsis opus esset. Quidam igitur hoc modo fruges à Spiridione mutuatus, venit vt eas redderet. Qui nactus potestatem, vt moris erat, fruges mutuò acceptas in cellam penariam reducendi, ad fraudem faciendam se conuertit: atque ratus clàm forè, debitas fruges non reddidit, sed fraudauit Spiridionem earum redditione, & perinde quasi reddidisset abijt. Verùm istud

Spiridion epis. eiusq; virtutes & miracula varia.

In furibus noctur.

In Irene filia

In eo, qui mutuum reddi. disse volebat videri.

Universidad de Deusto
Biblioteca

istud eius facinus non ita diu latuit. Nam aliquanto post, cum opus haberet fruges rursus mutuari, & Spiridion eum ad cellam penariam misisset, facta potestate, vt sibi quantum vellet metiretur, cella vacua reperta, Spiridioni rem indicauit. Cui Spiridion: Permirum sanè est, inquit, mi homo, qui possit fieri, vt tibi soli cella res non suppeditet ne cessarias. Quare tecum cogita, nunquid aliàs mutuatus sis, quæ nondum reddideris. Nã si istud non obstitisset, certum est te voti fuisse compotem. Cæterùm ito rursus eò, confidens te fruges inuenturum. Qui ad hunc modum manifestò deprehensus, culpam indicauit. Porrò operæprecium fuerit huius diuini viri grauitatem, & accuratum in ecclesiastica administratione studium, cum admiratione considerare. Dicitur enim episcopos Cypri, neque id adeò multo pòst, quadam causa necessaria adductos, in vnum conuenisse, adfuisseque vnà cum illis in Concilio Spiridionem, & Triphyllium Ledrẽsem episcopum, virum sanè disertum, qui diu admodum, quò legum cognitionem exquisitè perdiscceret, Beryti commoratus fuerat. Iste Triphyllius, conuentu celebrato rogatus, vt apud populum concionaretur, cum necessum haberet illud dictum Seruatoris in medium adducere, Tolle grabatum, & ambula: mutato vocabulo, pro grabato scimpodem, id est, lectum humilem dixit. Quod quidem Spiridion iniquo animo ferens: Túne, inquit, melior es illo, qui dixit grabatũ, quòd eius verbis vti pudeat? Quod cũ dixisset, exilijt è sede sacerdotali, populo inspectante: atq; hoc modo Triphyllio eloquentia se arroganter efferentem, ad modestiam erudiuit. Nam satis in se habuit authoritatis, ad pudorem alteri incutiendum: quippe cum & veneratione dignus esset, & rerum admirabiliter gestarum gloria maximè nobilitatus: quinetiam cum eum & ætate anteiret, & dignitate sacerdotij. Prætereà quàm humanitùs & benignè hospites excipere soleret, hinc cognoscere poterimus. Cum iam instaret Quadragesima, ex itinere quidam fortè ad eũ venit illis ipsis dieb. in quibus vnà cum suis ieiunia peragere consueuerat, & ad statutum diem cibum degustare, cum diebus interpositis sine cibo omninò remansisset. Cumque Spiridion videret hospitem valde de via fessum: Age, inquit, ô filia, primùm viri huius pedes laua, deinde cibum ei appone. Vbi verò respondit virgo, neque panem in ædibus esse, neque polentam (superuacanea namq; fuisset istarum rerum apparatio, propter ieiunium) Spiridion, cùm precibus Deum inuocasset, veniamq; petiisset, dedit mandatum filiæ, vt carnes suillas, quas fortè in ædibus habebat sale conditas, coqueret. Quibus coctis, hospitem facit secum accumbere, deq; carnibus appositis comedere cœpit: hortatur hospitem, vt ipsum imitetur. Qui cum illud facere recusaret, diceretque se Christianum esse: Hanc ob causam, inquit Spiridion, minus recusare debetes. Nam omnia munda mundis, Sacræ literæ pronunciãt. Atq; de Spiridione hæc quidem hactenus.

Spiridionis grauitas.

Triphyllius episcopus.

Beryti Iuris studium pub.

Hospitalitas.

Tit. 1.

De monachorum viuendi ratione, vnde cœperint, at q; quos duces habuerint.

CAPVT XII.

PEr id temporis, qui monasticum vitæ genus excolebant, cùm ecclesiam maximè omnium illustrare, tum religionem Christianam suis pijs viuendi institutis magnoperè dilatare visi sunt. Nam talis & tam sapiens vitæ ratio, ad homines à Deo tanquam res planè vtilissima delata, multiplicem scientiarum cognitionem & argutam disserendi subtilitatem, veluti rem superuacaneam, & ocium, quod in præstantioribus studijs ponendum est, sibi surripientem, & ad vitã rectè instituendam nihil afferentem adiumenti, penitùs contemnit: solaque hæc naturali quodam & minimè curioso prudẽtiæ genere docet ea, quæ vitiositatem vel omninò tollunt, vel vehementer diminuunt. In nullo bonorum numero ducit ea, quæ inter vitiositatem & virtutem media interiecta sunt: sed his solum, quæ sunt verè bona, lætatur, atque eum, qui à malo quidem abstinet, sed bonum non facit, improbum putat. Nam non virtutem ostentat, sed eam exercet sedulò: proque nihilo ducit illam gloriam, quæ ab hominibus colligi solet. Animi quoque perturbationibus viriliter resistit, & neque naturæ cedit necessitatibus, neque corporis imbecillitati succumbit: sed diuinæ mentis nacta virtutem, ad omnium rerum opificem Deum semper aciem intendit, eum noctes diesque sanctè colere, & precibus atque orationibus placare non cessat. Atque animi puritate, & pijs vitæ actionibus Deum religiosè colere exorsa, expiationes aspersionesque & id genus alia aspernatur. Nam peccata solùm habet pro inquinamentis. Quinetiam casus extrinsecus inuectos euincit, & omnibus (vere dixerim) dominatur: atque neque perturbatione vlla, qua vita solet implicari, neque necessitate à proposito depellitur: neque onerata contumelijs discruciatur, neque incommodis

Vide Nicephor. lib. 8. c. 39.

Monasticæ vitæ ratio & vsus.

A modis affecta se vlciscitur, neq; morbo aut inopia rerum necessariarum pressa animo cadit: imò verò de his omnibus gloriatur, & per totam vitã nihil aliud meditatur, quã vt res aduersas toleranter ferat, mansuetudinem colat, paucis contenta sit: & quantum in humana natura situm est, quàm proximè ad Deum accedat. Præsentis autem vitæ bonis tanquam in transitu vtens, neque solicito rerum acquirendarum studio angitur: neque vltra quàm necessitas postulat, commoda præsentia prouidet: sed vitam simplicẽ, tenuem, & à cura harum rerum parandarum liberam & expeditam laudat, animoque solicito expectat beatitudinem, & ad sedem illam felicem proficisci omni tempore parata est. Ac dum pietatem erga Deum cupidè semper consectatur, turpium verborum obscœnitatem fugit: & ne vocem quidem ferre potest eorum, quorum facta à suo vitæ instituto aliena censeat. Itemque res quas natura postulat necessariò, in angustum contrahens, corpusque paucis contentum esse cogens, temperantia vincit libidinem, iustitia iniusticiam coercet, & mendacium veritate: denique ordinis conseruatione, modũ in omnib. rebus ãssequitur. In concordia autem & cõmunione erga proximos tuenda, adeò piè se gerit, vt vtilitatibus tum amicorum, tum peregrinorum sedulò prouideat, suas fortunas faciat egentium communes, quæ sunt singulis accommodata suppeditet: & neque lætantibus exhibeat molestiam, & dolore oppressos consoletur. Ad summam, omni studio & industria incumbit ad id prosequendum, quod est reuera bonũ: verbis molestis & sapientibus sententijs eos, qui sunt nimis exquisitæ elegantiæ & inanis orationis expertes, instruit, & tanquam medicamentis quibusdam auditorum animos sanat: & honore ac reuerentia adhibita, verba facit: estque à contentione, conuicio & ira, prorsus vacua, liberaque. Nam cùm sit rationis particeps, omnem motum rationi contrarium auersatur, & perturbationes tam corporis quàm animi omnino euincit. Hanc præclaram viuendi rationem primus, vti quidam memorant, instituit propheta Helias & Ioannes Baptista. Philo porrò Pythagoræus tradit, Hebræorum facilè præstantissimos vndique in locum ad lacum Mariam in colle situm coactos, se pio & seuero vitæ generi dicasse. Quorum domicilia, victus rationem, & institutionem vitæ talem perhibet, qualẽ nos etiam hoc tempore à monachis in Aegypto obseruatam videmus. Scribit enim eos, cùm in hoc sanctum & seuerũ vitæ genus primùm ingrediuntur, sua bona cognatis concedere: & quò commercia cum hominibus, aut consuetudinem habere deuitẽt, extra muros vrbium in agris solitarijs & hortis ætatem degere: sacras ædes illis esse, quæ vocantur monasteria: † in quibus ab alijs separati, sanctæ & seueræ vitæ mysteria obeunt. Deum præterea Psalmis & hymnis assiduè colere, & ante solis occasum nullum gustare cibum. Nonnullos eorum toto triduo aut amplius nihil comedere: statis diebus humi cubare: à vino prorsus, & carnibus animalium, quæ sanguinem habent, abstinere. Obsonia illis esse, panem, salem & hysopum: potum autem, aquam. Mulieres porrò cum illis viuere, quæ virgines manent ad extrẽmam vsque senectutem: easque propter amorem pietatis & sapientiæ, sua sponte vitam cœlibem excolere. Quæ dum ad hunc modum narrat Philo, videtur eos significare Hebræos, qui suæ ætate religionem quidem Christianam professi fuerant, adhuc tamen morem Iudæorum aliquantulum in vita sequebantur, & eorum instituta seruabant. Nam apud alios hoc genus vitæ non reperitur. Vnde conijcio, apud Aegyptios ex eo tempore hoc ipsum floruisse.

Monasticæ vitæ primi auctores.

Monasticæ vitæ institutio qualis initio.

† *Vide annot. pag. 14. lit. 2. lin. 19.*

Monasteria.

Philonis de vita monastica locus.

Vide Philonem de vita contemplatiua.

De magno Antonio: & sancto Paulo, illo videlicet simplici.

CAPVT XIII.

MEmorant porrò alij, persecutionum procellas, quibus religio Christiana varijs iactabatur temporibus, homines ad hoc vitæ genus suscipiendum impulisse. Nam cùm fuga facta, in montibus, solitudinibus & syluis ætatem agerent, huic viuendi rationi paulatim assuefactos esse. Verùm siue Aegyptij, siue alij huius piæ vitæ authores fuerunt, illud certè constat inter oẽs, quòd Antonius magnꝰ ille monachus, perfectis pietatis institutis, & exercitationib. ad eam rem accõmodatis, hoc vitæ genus ad summum perduxit. Quem id temporis in solitudinibus Aegypti magna cũ nominis & famę celebritate vitã degentem, Constantinus Imperator propter eius virtutis splendorẽ sibi amicum fecit, literas honorificè scriptas ad eum misit: magnopereq; hortatus est, vti pro rebus, quarum indigeret, ad ipsum scriberet. Erat hic quidem ortus ex genere patriciorum, qui Comam (est is qui dem pagus propè Heracleam, apud Arcades Aegyptijs finitimos) incolebant. Qui cùm adolescentulus esset, omnibus relictis, agros paternos pagi illius incolis donauit: reliquisque facultatibus diuenditis, precium pauperibus distribuit. Nam hominis ve-

Vide Nicephor. cap. 40. lib. 2. Socrat. li. 1. cap. 17.

Antonius magnus eremita.

Monasticæ vitæ causa & origo.

quali vitæ genere vsus. qui bus moribus, qua patria, quo genere natus fuerit. Coma pagus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cæ sapientiæ & pietatis studio dediti officium esse dixit, sic prouidere, vt non modò sei, A
pse bonis exueret, verùm etiam eadem in vsus opportunos insumeret. Quinetiam cum
his qui id temporis pietatem sedulò colebant, vitam degens, omnium virtutes studio-
se imitatus est. Vitam autem honestam, licet initio acerbam, consuetudine tamen iu-
cundam fore putauit. Modos disciplinæ seuerioris excogitans, magnas indies fecit in
continentia progressiones: & velut de integro semper incipiēs, alacritatem animi reno-
uauit. Atque vt voluptates corporis quibusdam coercuit afflictationibus: sic voluntā-
te diuinæ sapientiæ præceptis informata, animæ perturbationibus restitit. Erat ei cibus,
panis solum, & sal: potus autem, aqua: tempus prandij, solis occasus. Sæpenumero ad
biduum & amplius cibo abstinuit. Vigilabat semper ferè integras noctes: & vsq; dum
lucesceret, precari nō destitit. Quòd si quando somnum capiebat, illum super paruam
stoream cœpit. non rarò autem humi iacens, ipsa terra pro cubili vsus est. Oleo vngi,
balneis & similibus rebus vti recusauit. quippe corporis firmitudinem, eiusmodi rebus
humidis in mollitiem mutari solere censuit. Ferunt præterea, illum nunquā se ipsum
nudum aspexisse. Literas neque nouit, neque magni æstimauit, sed puram mentem, vt-
pote literis antiquiorem, & earum inuentricem, laudauit plurimùm. Erat omnium
mansuetissimus, humanissimusque: prudentia quoq; & animi magnitudine excelluit:
iucundus his qui in eius venêre colloquium: illis, quibuscum differebat, etiamsi cum
contentione disputaret, non molestus. Nam sua consuetudine ac more, aliqua etiam
scientia adhibita, auctam concertationem sedauit, traduxitad modum, contentionem
cum eo colloquentiū temperauit, mores deniq; cōposuit. Et quanquā tantarū virtutū
subsidio diuinam consecutus fuerat præscientiam, tamen res futuras prænoscere non
in numero virtutum duxit: & propterea dedit consilium, ne in ea re temerè quisquam
operam & laborem collocaret. Nam neque res futuras ignorantem, quia eas ignoraret,
quenquam daturum pœnas: neque qui eas præsciret, ideò beatum, aut afficiendum ad-
miratione censuit. Siquidem veram beatitudinem in Deo sanctè colendo, & eius ser-
uandis legibus, positam esse. Quod si huius rei (dicere solitus est) cura cuiquam sit,
animum omni labe purget. nam illud solum posse eum perspicacem efficere, & rerum
futurarum scientem: Deo videlicet, quod futurum sit, præsignificante. Et neque ipse o-
ciari aliquando animum induxit: & qui præclarè vitam esset acturus, tum ad laboran-
dum hortatus est, tum ad secum considerandum, rationemque sedulò ineundam,
quid noctu, quidque interdiu etiam egerit. Quòd si quicquam contrà quàm debuerat,
commiserit, vti illud scriberet in tabulis, quò de reliquo tum à peccatis se temperaret:
tum ipsum puderet sui, si multa delicta in tabulis scripta offenderet, simulque vererē-
tur, ne tabulis eius fortè repertis, improbus ab alijs planè deprehenderetur. Porrò autem
in defensionibus eorum qui erant iniuria affecti, nemo plus operæ studijue posuit: adeò
vt eorum causa sæpe ad vrbes se contulerit. Nam multi grauiter apud eum conquesti,
coegerunt illum legationem pro se ad magistratus & primarios viros obire. Permagni
enim quisque æstimauit videre illum, loquentem audire, eiusque imperata facere. Qui
tametsi talis erat, studebat tamen ignotus esse, & in solitudine delitescere. Quod si quan
do ad opem egentibus ferendam in vrbem venire compulsus esset, negocio, propter
quod venerat, confecto, quamprimum ad solitudinem se recepit. Dicere namque sole-
bat, aquam piscibus alimento esse, solitudinem autem monachis afferre ornamētum:
atque illos cùm continentem attingant, vitam amittere: hos autem similiter cùm vr-
bes adeant, monasticam grauitatem perdere solere. Postremò, illis qui oculos in eum
conuertebant, se perfacilem & benignum præbuit: deditque operam, vt natura insolen
ti neque esset, neque videretur. Atque ad hæc pauca de Antonij vitæ institutis dicenda
adductus sum, vt ijs velut exemplis vtentes, accuratius de reliqua seuera ac sapienti vi-
tæ illius disciplina considerare possimus. Quamplurimos autem habuit discipulos, vi-
ros certè spectatissimos: quorum alij in Aegypto & Libya, alij in Palæstina, Syria & A-
rabia magna gloria fuêre. Singulique eorum, non minus quàm illorum magister, apud
quos ætatem agebant, vitam sanctè seuereque instituere, multos erudire, & virtutem
cum studio sapientiæ coniungere sedulò conati sunt: adeò vt, si qui vrbes & regiones
diligenter peragrare voluissent, perdifficilè fuisset vel Antonij sodales, vel eorum suc-
cessores reperire. Nam quomodo facilè reperiri possent hi, qui in vita multo magis stu-
duere latitare, quàm multi hoc tempore ambitione inflati se ipsos ostentare, & in ocu-
lis omnium statuere? Erant quidem eorum quos Antonij discipulos fuisse accepimus,
viri sanè spectatissimi cùm alij multi (quorum vitæ singillatim suis locis à me descri-
ptæ sunt) tum Paulus cognomento Simplex: quem ferunt hominem fuisse rusticum,
vxoremque habuisse forma perliberali & honesta. Quam cùm in adulterio deprehen-
disset,

Antonius litterarum ignarus et contemtor.

Antonio rerū futurarū præscientia quam ei facta.

Delicta in tabulis scribēda.

Ab vrbe quatenus abstinuerit Antonius.

Antonij apophthegma.

Antonij discipuli.

Paulus Simplex.

Sozomeni liber de monachorum successionibus.

A disset, placidè risisse: iureq; iurando se tum obstrinxisse, se non amplius vitam cum ea ac-
turum. Ac cùm ei qui stuprum vxori intulerat, dixisset, Habeto illam tibi: rectà in soli-
tudinem ad Antonium se contulisse. Dicitur præterea mansuetissimus fuisse, & omniū
molestiarum patientissimus. De quo iam ætate reuerà prouecto, & ad vitæ monasticæ
asperitatem tolerandam minus assuefacto (nuper enim in eam erat ingressus) varijs mo
dis periculum fecit Antonius, cumq; in re nulla ignauum comperit. Cui perfectæ vitæ
testimonio tributo, vtpote nullo iam præceptore egenti, vitam separatim degendi fe-
cit potestatem. Quod quidem Antonij testimonium Deus ipse confirmauit, Paulum-
que virum effecit planè illustrissimum, atque in affligendis expellendisque dæmonibus
magistro suo multò superiorem.

Pauli miracula.

De sancto Ammone, & qui in Olympo ætatem agebat Eutychiano: & Arij hæresi, vnde initium habuerit, quosq; arripuerit: & de orta inter episcopos dissensione.

CAPVT XIIII.

Vide Nicephor. lib. 8. ca. 41. ca. 5. Theodo. lib. 1. ca. 2. Socrat. lib. 1. cap. 3. In vita Cōstan. lib. 2. cap. 50. lib. 3. cap. 4. vide infra hoc lib. cap. 19. lib. 5. ca. 28.

PER idem ferè tempus Ammon Aegyptius monasticum vitæ genus exco-
luit. Quem fama est, suorum impulsione vxorem quidem duxisse: cum
ea tamen, vti viris licitum est, nunquam rem habuisse. Nam initiò vbi
nuptiæ factæ sunt, & vt sponsus spōsam acceptam in thalamum solus in-
troduxerat, Ac nobis (inquit) ô mulier, nuptiæ iam sunt celebratæ, & huc-
usque perductæ. Deinde quàm eximium bonum sit, posse virginem manere, sacrarum
literarum testimonijs in medium adductis, exponit, ad eum finem, vt solus posset habi-
tare. At cùm mulier orationem de virginitate seruanda laudaret, ægrè tamen ferret ab
ipso seiungi: Ammon in separato lecto dormiens, cum ea quidem vixit vnà ad decem
& octo annos, nō ita tamē vt disciplinam monasticā negligeret. Interea temporis mu-
lier eius virtutem adeò cœpit & æmulari, & admirari, vti putaret non modò iniquum
esse, tam egregium virum sua causa intra parietes domesticos occultari, verùm etiam
oportere vtrunque eorum in separatis domicilijs studio pietatis & sapientiæ se penitus
dicare. Atque vt istud fieret, à viro contendit. Ille autem cùm gratias egisset Deo, quòd
hoc consilium mulieris animo iniecerat: Tu ergo, inquit, has ædes teneto: ego alteras
mihi extruam. Itaque versus meridiem ad locum desertum, lacum Maream tangentē,
& circa Sceten & montem, qui Netria dicitur, situm profectus, viginti duos annos ibi
monasticum vitæ genus exercuit, bisque duntaxat in annos singulos vxorē vidit. Huius
diuini monasteriorum in illis locis positorum præsidis, multi ac memorabiles fuere di-
scipuli, vti eorum successiones à nobis expositæ declarabunt. Multæ ac diuinæ res eius
causa à Deo editę sunt, quæ à monachis Aegypti accuratè tenentur: quippe qui virtutes
veterum monachorum, per traditionem non scriptam, eamque successione à maiori-
bus suis descendentem, commemorando renouare permagni æstimarint. A me verò
illa duntaxat dicentur, quæ ad nostram noticiam peruenere. Is quidem, & Theodorus
suus discipulus quopiam fortè proficiscentes, fossam quandam quam lycum appellāt,
transire coacti sunt necessariò. Ac ne nudum alter alterum aspiceret, Ammon dat man
datum Theodoro, vt se inde paululum subduceret. Verùm vbi se quoque nudum con-
spicari erubuisset, subitò diuina virtute ac potentia in sublime sublatus, in aduersam
fossæ ripam transportatus est. Theodorus verò cùm aquam traiecisset, & Ammonis ve-
stem ac pedes minimè aqua madefactos cerneret, impensè orauit senem, vt causam ei
indicaret. Ac cùm Ammon causam illi dicere recusaret, Theodorus constanter affir-
mauit, se non alia conditione à rogando desiturū, nisi de ea certior fieret: pollicitusque
est, se dum viueret, nulli vnquam dicturum. Quibus verbis inductus Ammon, quod ac-
ciderat, verè confessus est. Illud præterea, quod iam narrabo, non minus certè habet ad-
mirationis, quàm quod modò dictum est. Iniusti quidam parentes filium à cane ra-
bido morsum, qui quàm primum vulnere periturus expectabatur, adductunt ad Am-
monem: & cum querelà ac lachrymis orant eum, vt filio curationem adhibeat. Quibus
ille: Non eget, inquit, mea curatione. Nam si vos bouem, quem furati estis, dominis vo-
lueritis reddere, extemplò filius vester conualescet. Quod quidem, vt dixerat, euenit.
Nam simul vt bos erat redditus, vulnus adolescentis sanatum est. Fertur porrò, cū Am-
mon iste mortem obiret, Antonium vidisse animam eius, diuinis potestatib. cum Psal-
mis & hymnis præeuntibus, in cælum sublatam esse. Ac quibusdam è familiaribus cau-
sam, cur tanta eum incessisset admiratio, scisciantibus (videbatur nam q; intentis ocu-
lis aerem intueri, & insignis miraculi visione obstupefactus esse) rem, vt gesta erat, ex-

Ammon Aegyptius eremita.

Ammonis cāsus cum vxore conuictus.

Item sine vxore.

Ratio Aegyptiorum monachorum vitæ qualis.

Theodorus Ammonis discipulus.

Nuditatis cōspectus.

Canis rabidi morsus miraculo curatus.

Ammonis defuncti anima ab Antonio in cælum deferri visa.

planauit. Postea verò quàm ex Scete quidam aduentantes, nunciarunt ipsam horam A qua mortuus est Ammon, prædictio Antonij vera esse planè ostenditur, adeò vt omnes vtrunque beatum prædicarent: alterum, quòd ex hac vita, ad ea quæ constat inter omnes verè bona esse, migrarat: alterum autem, quòd tam præclaro dignatus erat spectaculo, eoq; ex tanto loci interuallo sibi à Deo ostentato. Nam inter loca in quibus vterque ætatem degebat, intercedit multorum dierum via. Atque hæc quidem sint de Antonio & Ammone, vti narratum est ab his, qui cum illis vixerunt, à nobis commorata. Porrò auditione equidem accepi, Eutychianum quoque, regnante Constantino, sanctum & seuerum vitæ genus non sine magna laude coluisse, qui quidem circa Olympum in Bithynia domicilium suum habuit: quique, tametsi sectam Nouatianorum tuebatur, tamen diuinæ gratiæ factus est particeps. Quippe & sanauit morbos, & facta adeò mirabilia edidit, vt virtute, quæ in vita eius elucebat, Constantinum familiarem sibi & amicum effecerit. Nam cùm quidam ex satellitum numero id temporis teneretur in vinculis (suspectus enim de tyrannide, aufugerat ille quidem: sed conquisitus, circa Olympum comprehensus erat) & Eutychiani necessarij rogarent eum, vt pro vincto ad Imperatorem legatus quidem ire vellet, sed primùm omnium prouideret, vt homo solueretur è vinculis, ne grauiter & acerbè constrictus, morte præoccuparetur: fama est, eum à custodibus ad se accersitis contendisse, vt vinculis satellitem laxarent. Quod cùm illi negassent, Eutychianum ad carcerē veniisse, fores occlusas sua sponte ei patuisse, vincto denique excidisse vincula: postea autem Imperatorem, qui tum erat Constantinopoli, adiuisse, facileq; ab eo satelliti impetrauisse veniam. Nam solebat Constantinus res ab Eutychiano postulatas non illibenter concedere: quandoquidem hominem in magno sanè honore habuit. At de monachis qui eo tempore egregiè præter cæteros pietatis & sapientiæ studium excolebant, sint hæc à nobis breuiter disputata. Quòd si cuiquam sit curæ, res ab istis gestas accuratè cognoscere, vitas complurium eorum literis mandatas, si modò perquisierit, reperiet. Iam verò quanquam religio Christiana in cæteris omnibus rebus florebat, tamen disputationes quædam litigiosæ, quæ simulatione scilicet pietatis, & veræ Dei cognitionis eliciendæ, res ante minimè ex agitatas in controuersiam rursus deducebant, ecclesias vehementer perturbarunt. Harum disputationum author fuit Arius, ecclesiæ Alexandrinæ, quæ est in Aegypto, presbyter: qui licet initio doctrinæ Christianæ videretur perstudiosus esse, Meletio B tamen res nouas molienti adiumento fuit. Cuius partes cùm deseruisset, à Petro episcopo Alexandrino diaconus ordinatus est: & rursus ab eodem ecclesia eiectus, quandoquidem cùm Petrus fautores abdicasset Meletij, & eius baptisma improbasset, hic Arius in res à Petro gestas grauiter inuectus est, & quiescere nullo modo potuit. Vbi verò Petrus martyrio occubuerat, Arius, venia ab Achilla petita, non solum permissus est diaconatu fugi, verùm etiam ad presbyterij gradum elatus est. Postea verò Alexander eum permagni æstimare cœpit. Iste subtilitate differendi cùm primis excellens (dicebatur enim eiusmodi artibus imbutus esse) ad opiniones tam absurdas delapsus est, vti quod nunquam ante à quoquam dictum fuerat, non vereretur in Ecclesia palàm efferre: nimirum, Filium Dei ex nihilo ortum esse, tempus fuisse quando non erat, suo libero arbitrio vitij & virtutis capacem esse, conditum esse, factum esse: & alia multa, quæ eum, qui quò his sententijs patrocinetur, ad disputandum, & ad quærendum de singulis accedat, dicere verisimile est. Nonnulli autem occasione ex his verbis arrepta, accusabant Alexandrum, quòd has nouas aduersus Christianam religionem opiniones contrà quàm debuerat, pertulisset. At ille, ratus multo satius esse, vt rationes de rebus ambiguis ab vtraque parte proponerentur, quò videretur aduersarios non necessitate coegisse, sed persuadendo ad desistendum à contentione induxisse: ipse cum quibusdam ex clero sedens vt iudex † vtranque partem in certamen adducit: & vti in disceptationibus litigiosis vsu venire solet, vtraque vincere conatur. Nam Arius opiniones quas protulerat, acriter defendere laborat: alij autem, filium consubstantialem esse patri, & coæternum, asserunt. Conuocato rursus concilio, tanta cum contentione disceptatum est, vt nullo modo consentire inter ipsos possent. Itaque cùm adhuc quæstio anceps & controuersa videretur, ita primò quidem Alexander animo affectus erat, vt modò hos, modò illos laudaret. Ad extremum tamen, his qui filium consubstantialem patri, & coæternum asseuerabant, assensus est: iussitque Ario, vt contrarijs rationibus reiectis, eandem cum eo sententiam sequeretur. Verùm cùm ei persuadere non posset, & complures tum episcopi tum clerici eius diœceseos Arium verè dicere cēserent, illi, cum cæteris clericis eiusdē opinionis fautoribus, interdixit ecclesia. Ab

Eutychianus, licet Nouatianus, miraculis clarus.

Religio Christiana alioqui floren. litigiosis disputationibus perturbata

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 3.

Arius & Meletius dissensionis in ecclesia autores.

Arij dogma.

Disputationū litigiosarum fructus.

† Vide not. pag. 17. lat. 1. lin. 17.

Ario ecclesia interdictum, vna cum fautoribus eius.

A Ab eius partibus stabant, ex Alexandrina ecclesia presbyteri quidem, Aethalas, Achillas, Carpones, Sarmates, & Arius alter: diaconi autem, Euzoius, Macarius, Iulius, Menas, & Helladius. Hinc etiam factum est, vt non exigua populi pars ad eorū factionem se transferret: quippe nonnulli ita de Deo sentiendum arbitrati sunt: alij, quod quidem vulgò euenire solet, eos tanquam affectos iniuria, & indicta causa ecclesia eiectos commiserati. Vbi verò res Alexandriæ essent hoc loco constitutæ, Ariani beneuolentiam episcoporum singulas ciuitates administrantium sibi necessariò antè colligendam arbitrati, mittunt legatos ad eos cum literis de fide sua, contenduntque ab illis, vt si rectū ipsis videretur ita de Deo sentiendum, significarent Alexandro, vti minime ipsis succēseret: sin minus, docerent eos, quemadmodum sentiendum esset. Qui quidem conatus non parum eorum causam adiuuit. Nam hac illorum opinione in omnes ferè dispersa, ab omnibus passim episcopis de ea disputari cœptum est: quorum pars scripsere ad Alexandrum, ne admitteret Arianos in ecclesiam, nisi suam de fide opinionem abijcerent: pars autem orauit, ne istud faceret. Quare cùm Alexander quàm plurimos videret tum specie bonæ vitæ graues, tum probabiliter dicēdo perdisertos, Arianis subsidio venire, & maximè omnium Eusebium eo tempore Nicomediæ episcopum, virū illustrem, & in aula Imperatoris magno in honore habitum, scripsit ad omnes vbique episcopos, ne cum illis communicarent. Vndeardor vtriusque partis multo magis accensus est, & acrior, vt assolet, excitata contentio. Nam vbi fautores Eusebij Alexandrū sæpius orantes, minimè exorare possent: veluti affecti contumelia, iniquo animo ferre, & opinionem Arij longè maiore animorum contentione defendere cœperunt. Atque concilio in Bithynia coacto, scribere ad omnes episcopos, vt cū Arianis, tanquam rectè de fide sentientibus communicarent: efficerentque vt Alexander quoq; ipsorum amplecteretur communionem. Cæterùm vbi conatus eorum parum successit ex sententia, propterea quòd Alexander haudquaquā ipsis cederet: Arius mittit legatos ad Paulinum episcopum Cyri, & Eusebium cognomento Pamphilum, ecclesiam Cęsareæ Palæstinæ gubernantem, & Patrophilum episcopum Scythopolis, petitq; vt potestas sibi, vt potè gradum presbyterij antè adepto, vnà cum suis permittatur, populum sibi fauentem ad conuentus vocandi. Nam consuetudinem fuisse Alexandriæ, sicuti nunc est, vt licet vnus omnibus præesset episcopus, presbyteri tamen separatim ecclesias retinerent, B populumque sibi commissum ad conuentus cogerent. Isti cum aliis etiam episcopis in Palæstina in vnum congregati, postulationi Arij suffragati sunt: iusserunt que vt primū ipsi inter se conuentus quidem agerent, sed tamen se subijcerent Alexandro, & vt de pace cum eo facienda, deque communione mutua agere non desisterent.

Cum Ario sentientes qui.

Alexandrinæ ecclesiæ dissidium.

Eusebius Nicomed episc. Arij fautor.

Arius conuentus vocandi potestatem sibi & suis petit.

Conuentus cogendi ius presbyteros.

Quòd Constantinus, vbi resciuit inter episcopos contentionem, & disparem Paschatis celebrationem, admodum id dolenter ferens, Osium Hispanum Cordubæ episcopum, qui illorum controuersiam dirimeret, & litem de obseruando paschate componeret, Alexandriam miserit. CAP. XV.

Vide Nicephor. cap. 12. lib. 8. Vide Socr. lib. 1. cap. 4.

AT verò cùm multa concilia de hac re in Aegypto celebrata fuissent, & ita exardesceret contentio, vti ad ipsam Imperatoris aulam peruaderet, Imperator Constantinus nō mediocriter animo commotus est, propterea quòd cùm religio Christiana iam recens crescere incœpisset, opinionum dissensio multos à fidei Christianæ professione penitus auertit. Qua de re Arium & Alexandrum in crimen manifestò vocauit: & per literas illos eò redarguit, quòd con

Opinionū dissensione ecclesiæ concordia dissipata.

Extat epistola Imperatoris apud Euseb. in vita Constant. lib. 2. cap. 67. lib. 2. de vita Constant. vt apud Socratem lib. 1. cap. 4.

trouersiam, quæ cæteroquin occultari potuerat, in apertum protulissent: & contrarijs studijs inflāmati, tanta cum contentione mouissent ea quæ neque omnino quærenda, neque complectenda animo: & si fortè complexi fuissent, silentio tamen tegenda erant. Fieri enim potest, vt homines, tametsi in quadam religionis parte dissentiant, non mutuam tamen inter ipsos concordiam dirimant. At de diuina prouidētia vnam eandemq; fidem tenere necesse est. Quod autem ad eiusmodi subtiles & argutas quæstiones attinet, etiamsi nō in vna consentiant opinione, tamen consentaneū est eam in interiore cogitatione cōtinere. Iussit igitur, vt inani de his rebus disceptatione deposita, cō cordiam inter ipsos seruarent. Dolere enim se non mediocriter, quòd cum magno studio flagraret vrbes in Oriente sitas inuisendi, eorum contentione aditus sibi præclusus fuisset. Atque hæc quidem Alexandro & Ario scripsit Constantinus, partim quò eos incusaret, partim quò ad pacem cohortaretur. Porrò autem cùm certior factus esset, quosdam esse qui diem festum Paschæ alio penitùs more ac modo, quàm cæteros omnes, celebrarent, aberbè quoque tulit. Nam nonnulli vrbes versus Orientem incolentes, illo tempore ab alijs de hoc festo agendo dissensere: qui etsi à communione mu-

Vide Euseb. lib. 3. cap. 5. lib. 3. de vita Constant.

Paschæ celebrationis diuersitas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tua minimè temperarunt, istud tamen festum, propius ad Iudæorum consuetudinem A
accedentes, celebrare soliti sunt: qua quidem dissensione splendorem festi magnopere
obscurarunt. Itaque à Constãtino vehementer laboratum est, vt dissensione de vtraq;
Principijs obsta. re suscepta Ecclesiam prorsus liberaret. Ac quoniam hoc malum, si modò antè quàm
ad plures manaret, coerceretur, sanari posse existimabat, idcirco misit virum, quem cir
Osius Cordubæ episcop. ca se habebat fide & vitæ integritate præstantem, & superioribus temporibus ob varias
religionis Christianæ confessiones admodum nobilitatum, Osium dico, episcopum
Cordubæ, quò illos qui in Aegypto de fide digladiabantur, tum hos qui in Oriente de
festo Paschatis dissentiebant, ad concordiam reduceret.

De concilio Nicææ propter Arium coacto.

CAPVT XVI.

Concilium Nicææ inductum, anno 328.

MErùm vbi contrà, quàm expectabat, res succederet, & contentio reconciliationem concordiæ impediret: Osiusque ad pacem faciendam missus, re infecta reuerteretur: Constantinus indicit concilium Nicææ, vrbis Bithyniæ: scribitque ad omnes ecclesiarum præsides, vt ad diem præstitutum adsint. Huic concilio interfuêre ex episcopis, qui sedes tenebant Apostolicas, Macarius Hierosolymorum antistes, Eustathius episcopus Antiochiæ, Orontem fluuium tangentis, & Alexander Alexandriæ propter lacum Maream sitæ. Iulius autem episcopus Romanus, ætate quidem ingraueſcente præpeditus, abfuit: sed Vitus & Vincentius, eiusdem ecclesiæ presbyteri, pro illo adfuere. His accessere alij quãplurimi honesti & boni viri, ex varijs nationibus collecti: quorum alij non modò intelligendo prudenter, & disertè dicendo pollebant, verùm etiam tum sacrarum literarum cognitione, alioque doctrinæ genere præstabant, tum pia viuendi ratione admodum excellebant: alij autem, qui ob vtranque rem sunt magnam laudem consecuti, aderant episcopi, numero circiter trecenti & viginti: aderat quoque presbyterorum & diaconorum, qui eos (vt est verisimile) comitabantur, multitudo non exigua. Aderant etiam vnà viri differendi periti, qui illis inter disputandum subsidio essent. Multi autem ex numero sacerdotum, qui (vti euenire solet) tanquam ad causas suas ac priuatas disceptandas in vnum conuenerant, tempus opportunũ sibi iã oblatũ putarunt, & ad res corrigẽdas, quæ ipsorum animos offendissent. Itaque singuli libellum de criminibus quæ alijs B obijcerent, Imperatori offerre, & peccata in se admissa iam antè exponere cœperunt. Cùm autem istud in dies ferè singulos accideret, dat mandatum Imperator, vt singuli crimina, quæ alijs obijcere constituerant, ad certum diem proponerent. Vbi dictus dies venit, Imperator oblatis sibi libellis acceptis: Istæ, inquit, criminationes tempus quidẽ sibi præstitutum habent, diem videlicet magni iudicij: iudicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus. mihi verò non est fas, cùm homo sim, eiusmodi causarum cognitionem arrogare: præsertim cùm & qui accusant, & qui accusantur, sacerdotes sint. Nam non deberent se tales præbere, vt ab altero iudicentur. Age igitur, deletis criminibus, exemplum diuinæ clementiæ in danda mutuò venia imitati, iungamus amicitiæ fœdera: & fidei negocia, quæ nos in hunc locum conuenire compulerũt, seriò pertractemus. Hac habita oratione, Imperator iubet tũ criminationes illatas nullius momenti esse, tum libellos cumburi: diemq; præstituit, ad quem de rebus fidei vocatis in controuersiam decideretur. Interea temporis episcopi in vnum conuenientes, accersunt Arium: & opinionibus suis in medio positis, inter se differere cœperunt. Atq; cùm disputatio, vt erat verisimile, in varias distraheretur quæstiones: alij eorum, ijsque potissimum quos morum simplicitas induxit, ad fidem in Deum sine curiosa inquisitione amplexandum, nihil noui contra fidem, initio temporis Apostolorum traditã, moliendum censuerunt: alij affirmarunt, opiniones veterum, nullo iudicio explorata, neutiquam sequendas esse. Complures autem tum episcoporũm qui tunc in vnũ conuenerant, tum clericorum qui eos comitabantur, propter differendi acumen, & vium in eiusmodi orationis generibus non Imperatori solum, sed illis etiam, quos familiares circa se habebat, noti esse cœperunt. ex quorum numero fuit Athanasius, qui id temporis diaconus ecclesiæ Alexandrinæ, & cum episcopo Alexandro consuetudine coniunctus, maximam partem concilij de his rebus susceptis sustinere visus est. De

Vitus & Vincentius legati Iulij episcopi Rom in Concilio Nicæno.

Sacerdotes irreprehensibiles esse debere.

Criminationũ libelli à Constantino combusti.

Sententiarũ in Concilio diuersitas.

Athanasius Alexandrinæ ecclesiæ diaconꝰ.

Vide Euseb. de vita Constantini lib. 3. cap. 6. Theodori. li. 1. ca. 7. 8. Vide Nicephor. lib. 8. cap. 14. Socrat. lib. 1. cap. 5. 6. 7.

A

De duobus philosophis, qui duorum senum simplicitate cum illis differenti um, ad fidem conuersi sunt. CAPVT XVII.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 15.

QVidam præterea qui apud Gentiles pro sapientibus habiti erant, disputationibus in hoc concilio agitatis dedita opera interfuerunt: quorum nonnulli, quænam tandem Christiana esset doctrina, admodum scire auebant: alij odio in Christianos propterea inflammati, quòd superstitiosa Gentilium religio nuper antiquari cœpta erat, quæstionem de fide Christiana propositam ad inanem quandam verborum concertationem deduxerunt: adeò vt ipsi inter se digladiari, & secum pugnare viderentur. Fertur igitur, quòd, cùm quidam illorum præinsolenti dicendi arrogantia se inaniter iactaret, & sacerdotes petulanter irrideret: senex quidam simplex, ex illustrium confessorum numero, superbiam eius non tulit. Qui tametsi ineptæ subtilitatis & præstigiarum penitùs expers erat, tamen cum eo disputare cœpit. Ac cùm hæc res petulantibus, qui confessorem hominem simplicem esse cognoscebãt, risum moueret quidem: at modestis inijceret timorem, qui veriti sunt, ne cum viro dicendi perito congressus, haberetur pro ludibrio: tamen cũ facultas illi (cui, cùm talis & tam prouectæ ætatis esset, pudor erat resistere) data esset, liberè, quæ vellet, eloquendi: In nomine IESV Christi, inquit, philosophe audito. Vnus est Deus, cæli, terræ, & omnium rerum tàm oculis subiectarum, quàm eorum aciem fugientium opifex: q hęc omnia & virtute verbi fabricatus est, & sacrato spiritus sancti afflatu stabiliuit. Quare hic sermo, inquit, quem nos filium Dei nuncupamus, misertus humani erroris, & belluinæ viuendi rationis, ex virgine nasci, cum hominibus vnà versari, proque eisdem mortem oppetere voluit. Est quoq; iterum venturus, de ijs rebus quas quisque gesserit in vita, dicturus sententiam. Ista ita se habere, sine vlla alia curiosa indagatione pro certo credimus. Noli ergo in his quæ fide duntaxat rectè intelliguntur, curiosè refutandis laborem frustra consumere, quæreréue qui ista fieri aut non fieri possint. Quod si credis, mihi quædam sciscitanti responde. Quibus obstupefactus philosophus, Credo, inquit. Et gratijs illi actis, quòd ipsum deuicisset, non solum eadem cum sene ipse sentire, verùm etiam consilium dare cœpit illis, qui perinde erga fidem Christianã, atque ipse antè, affecti erant, vt iam doctrinæ Christianæ assentirentur: atque iusurandum adiecit, se non modò non sine numine diuino mutatum esse, sed etiam vi ac virtute quadam inexplicabili ad religionem Christianam conuersum. Fertur item miraculum huic non dissimile, ab Alexandro ecclesiæ Constantinopolitanæ episcopo editum. Nam cũ Constantinus fortè Byzantiũ aduenit, accessere ad eum quidam philosophi, criminiq; illi dedere, quòd haud rectam religionem coleret: quodque res diuinas mutare, nouumque cultum contra instituta cùm maiorum suorum, tum principum omniũ qui vel Græcis vel Romanis omni seculorum memoria præfuissent, in Rempublicam introducere studeret. Rogauere item, vt cum Alexãdro episcopo de doctrina Christiana disputarent. Alexander igitur in eo exercitationis genere haudquaquam exquisitè versatus, fortasse etiam vitæ bonitate fretus (erat enim vir perhonesta & spectata vita) Imperatoris iussu in disserendi certamen cum illis descendit. Philosophis autem in vnum coactis, cùm omnes disputare cuperent, postulauit Alexander, vt vnum, quẽ vellent, ad disputandum deligerent, cæteriq; præsentes audirent cum silentio. Itaque cũ vnus disputandi onus suscepisset, tum Alexander: In nomine IESV Christi, inquit, præcipio tibi, ne loquare. Quod vt primùm dixerat, homo euestigiò obstricto ore cõticuit. An non igitur maius miraculum meritò censendum est, loquelam homini, eique philosopho, tam facilè adimere, atque lapidem manu per verbum quoddam prolatum diuidere? quod à quibusdam de Iuliano Chaldæo gloriosè iactatum audiui. Sed de his quidem hoc modo.

Philosophi gentiles se Christianorum disputationibus miscuerunt in concilio Nicæno.

Simplici christianæ fidei confessione philosophus ad euangelium conuersus.

Alexandri episc. miraculũ, philosopho os obturantis.

Iuliani Chaldæi miraculũ.

Imperatoris ad Concilium coactum oratio. CAPVT XVIII.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 16.

EPiscopi autem, qui intelligendi prudentia multum valebant, Ario in medium adducto, accuratè in ea quæ erant ab eo proposita, inquirere cœperunt: caueruntque sedulò, ne in alterutram partem temerè sententiam pronunciarent. Vbi autem venit præstituta dies, in qua constitutum erat de rebus controuersis decidere, episcopi in palatium conueniunt, vti decreuerat Imperator, vti consilium vnà cum illis de rebus iniret. Ac cùm ad locum in quo sacerdotes erant, venisset transiens ad supremã partem cõuentus, in sella quadã sibi apparata assedit: omnibusq; qui aderãt in cõcilio dedit mandatum, vt considerent. Nam scamna parata erant quàm plurima,

Episcoporum in Concilio cũ Ario contendẽtium prudẽtia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

longo ordine per parietes aulæ palatij collocata. Erat hæc quidem aula omnium am-
Eusebij Pamphili oratio ad Constantinum. plissima, & præter cæteras excellens. Cùm verò omnes consedissent, surrexit Eusebius cognomento Pamphilus, ac Imperatorem oratione compellauit, hymnumque recitauit, quò eius causa Deo gratias ageret. Cùm autem dicendi finem fecisset, tum Im-
Constantini in Concilio Nicæno ad episcopos habita oratio. perator: Etsi (inquit) pro alijs rebus omnibus Deo gratiam habeo: pro eo tamen maximè, quòd vestrum hunc conuentum cerno: quandoquidem supra quàm sperabam accidit, vt tantus numerus sacerdotum Christi in vnum cogeretur. Est mihi quidem in optatis, vos omnes eadem sentientes, eandemq; amplexantes sententiam videre. Nam
Ecclesiæ Dei dissensio quouis malo grauior. ecclesiæ Dei dissensionem quouis malo grauiorem censeo. Itaque cùm mihi nunciata essent ea, quæ vtinam non audiuissem, vehementer animi discruciabar: cumque certior factus essem vos discordare mutuò, quos neutiquam deceret, præsertim cùm ministri Dei & pacis procuratores sitis, ob eam causam hoc sacrum Concilium conuo-
Diabolus interstitit in ecclesia discidij autor. candum curaui. Ac cùm Imperator sim, & vester conseruus, munus hoc à vobis postulo, Deo communi omnium moderatori gratum, & cùm mihi ad accipiendum, tum vobis ad dandum accommodatum: quod quidem non aliud est, quàm vt causas con-
Constantinus Latino sermone vsus in concilio, Græcum interpretè adhibuit. trouersiæ in medium proferatis, eisdemque finem imponatis concordem & tranquillum: vti exteris hostibus & tyrannis è medio sublatis, ipse vobiscum vnà istud trophæum contra inuidum dæmonem erigamus. Nam ille vestra bona vobis inuidens, hanc intestinam seditionem inuexit. Quæ cùm Imperator Latino sermone dixisset, vnus qui astabat, eadem Græco interpretatus est.

Quomodo Imperator, postquam ambas partes audiuisset, Arium, eiusq; sectatores condemnatos exterminauerit. CAP. XIX.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 18.

OVa re confecta, à sacerdotibus de fide disputari cœptum est. Imperator autem vtriusque partis rationibus non attentas solum, verùm etiam patientes aures præbuit. atque vt his qui bene dixerant, assensus est: sic illos qui certandi studio ducebantur, à contentione auocauit: cũ singulis denique, quatenus eorum sermonem assequi & intelligere poterat (nam ne
Constantinus Græcæ linguæ non ignarus. Græcæ quidem linguæ ignarus fuit) catenus benignè ac placidè disseruit. Ad extremum omnes sacerdotes inter se ipsi consensere, filiumq; patri consubstantialẽ esse suffragijs confirmauêre. Soli autem decem & septem dicuntur primò quidem Arij approbasse
17. Suffragatores Arij. opinionem: statim tamen pòst, complures quoque istorum ad communem omnium fidem ac sententiam se transtulisse. Cui etiam Imperator, quia hanc concilij consensionem à Deo approbatam opinatus sit, lubens suffragatus est. Eum autem qui concilij de-
Dissentientib. pœna exilium. cretis contraueniret, vtpote diuinas decisiones labefactantem, edixit exilio mulctandum esse. Cæterùm quanquam necessum putaui, quò Symbolum fidei tum approbatę, decæterò posteritati cùm ratum maneret, tum explorate cognitum esset, ipsam illius formulam ad veritatem planius declarandam hoc loco citare: tamen cùm pij viri, ijq; amici, & rerum eius generis periti me docerent, res eiusmodi à sacerdotibus solum & episcopis debere tum dici, tum audiri, eorum sanè approbaui consilium. Nam verisimile est, nonnullos, qui non sunt initiati mysterijs, hunc librum perlecturos.
Cur Symbolum Nicænum Socrates hic nõ proponat.
Symboli formula à solis episcopis & sacerdotibus tradenda.

De ijs quæ Concilium statuerit: & quòd damnato Ario, libros eius igni tradidit: ac de ijs qui concilio assentiri renuerunt, & Paschatis constitutione. CAPVT XX.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 18. 19.

VErùm ne, dum arcana (quæ reticẽda sunt, quoad fieri potest) occultantur, omnia concilij decreta incognita videantur: intelligendum est, Concilium, filium patri consubstantialem definiuisse: eos aũt qui dicebant, tempus fuisse, quando non erat, & antè quã nasceretur non extitisse, aut ex alia
Concilij Nicæni decreta. substantia vel essentia quã pa tris constare, aut cõuerti mutariue posse, abdicasse penitùs, & ecclesia Catholica alienos pronũciasse. Quam fidei formulã etiã approbauere Eusebius episcopus Nicomediæ, Theognis Nicææ episcopus, Maris Chalcedonis, Scythopolis Patrophilus, & Secũdus episcopus Ptolemaidis, vrbis Libyæ. At
Eusebius Pamphilus non statim assensus. Eusebius cognomẽto Pamphilus, primò paululũ hæsitauit: postea tamen, cũ formulã accuratius expendisset, eam sua quoq; approbauit sententia. Concilium aũt tum Ariũ, tum suæ opinionis fautores pariter abdicauit, decreuitq; ne veniret Alexãdriam. Quin-
Arij liber Thalia. etiam & verba quib. eius explicabatur opinio, & librũ quem de eadẽ ediderat, inscripseratq; Thaliam, legi vetuit. cuius libri stylus, vti audiui (nunquã enim illum legere contigit) ita dissolutus est, vt præ mollicia qua diffluit, Sotadæis cantib. similis videatur. Est
Sotadei cãtus prouerb. porrò intelligendũ, Eusebium episcopũ Nicomediæ, & Theognidẽ Nicææ episcopum, quamuis

A quamuis fidei formulæ consentirent, minimè tamen Arij approbasse abdicationem,
Arij scripta igni adiudicata. neque ei subscripsisse. At verò Imperator non solùm Arium mulctauit exilio: † verùm etiã episcopis omnibus & populis edictum scriptum misit, vt tum illum, tum eius opinionis fautores, impiorum numero ducerent: & si qui liber reperiretur ab illis scriptus, in ignem conijcerent: quo neque ipsius, neq; opinionis cuius author fuerat, vllum monimentum extaret. Quòd si quis aliquem librum eius occultare deprehenderetur, ac non illicò in publicum productum incenderet, vt capitis mulctaretur supplicio. Quinetiam epistolas ad ciuitates singillatim scriptas, quibus Arium & eius fautores damnabat, misit. Eusebium porrò & Theognidem ciuitatibus, quarum erant episcopi, exulare
Eusebij Nicomed. & Theognidis exilium. mandauit: scripsitq; ecclesiæ Nicomedensi, vt fidei, quam concilium tradiderat, adhæresceret, & orthodoxos eligeret episcopos, illisque obtemperaret: memoriam autem Arianorum obliuione obruere conaretur. Nam si qui eos vel laudare, vel eorum doctrinam amplecti aggrederetur, minatus est se illum supplicio affecturum. In quibus
Constantinus Eusebio infensus. literis declarauit præterea, se Eusebio valde infensum esse, vtpote q antea tyranni partes egisset, & ipsi struxisset insidias. Quare istarum literarum ab Imperatore scriptarum authoritate, Eusebius & Theognis ecclesijs, quibus præerant, eiecti sunt. Atque Nicomedensis ecclesiæ gubernationem capessit Amphion, Nicenę autem Chrestus. Atque con-
Amphion & Chrestus episcopi. trouersia de fide iam sublata, Concilio visum est, vt omnes diem festum Paschatis vno eodemque tempore celebrarent.
Vaio defessio Paschatis.
Paschatis celebrandi tempus.

† Vide annot. pag. 19. lat. 2. lin. 6.

Censura librorum.

Quòd Acesium, Nouatianorum episcopum, in concilium Imperator accersit. CAPVT XXI.

Vide Nicephor. li. 8. cap. 20. Vide Socr. lib. 1. cap. 7.

FErtur item, Imperatorem, quò omnium Christianorum prouideret concordiæ, Acesium episcopum ecclesiæ Nouatianorum ad concilium vocasse: ostendisseque ei concilij de fide & de festo Paschæ decisionem, quæ iam tum episcopo-
Acesius Nouatian episcop. ad concilium accersitus, & quid de eo sentiens Imperator. rum subscriptionibus confirmata fuerat: percunctatumque esse, vtrum ille eorum approbaret sententiam? Respondisse autem Acesium, Nihil noui decisum esse, concilijq; decretum laudasse. Sic namq; se ab incunte ætate didicisse tum credendum, tum festũ agendum esse. Cui Imperator: Cur ergo, inquit, cũ eadem sentias quæ cæteri, te ab eorũ communione segregas? Cùm verò in medium proferret Acesius dissensionem, quæ re-
Bgnante Decio inter Nouatũ & Cornelium intercesserat, & quomodo qui pòst baptisma peccato illo, quod peccatum ad mortem sanctæ Scripturę vocant, se obstringerent, mysteriorum communione indigni essent (nam non in sacerdotum, sed in Dei solius
Constantini in Acesium sententia. situm esse potestate, illud peccati genus ignoscere) Imperator accepto sermone, dixit: Erigito tibi scalam, Acesi, & solus in cœlum ascendito. Quæ quidem arbitror Imperatorem Acesio dixisse, non quòd eum laudaret: sed quòd homines existimarent, se minimè à peccati labe vacuos esse.

De canonibus quos Concilium posuit: & quòd, cùm canonem statuere vellet, vt quicunque ad sacerdotij dignitatem euecti essent, cum vxoribus, quas antequam sacris initiati erant, duxerant, non dormirent: in medium prodiens Paphnutius quidam confessor, intercedebat. CAPVT XXII.

Vide Nicephor lib. 8. cap. 19. Vide Socr. lib. 1. ca. 8. Theodori. lib. 1. cap. 7.

COncilium verò, ad mores eorum, qui in ecclesijs ætatẽ degunt, ritè instruendos omni cura & cogitatione incumbens, leges, quas vocant Canones, sanciuit. Ac dum est de hac re deliberatum, alijs visum est legem introducere, quæ iuberet, vt episcopi, presbyteri, diaconi & subdiaconi, cũ vxoribus quas antè duxissent quã essent sacris initiati, neutiquã dormirent. At Paphnutius confessor in medio consessus surgens, illi legi contradixit: nuptiasq; honorabiles, & consuetudinem virorum cum suis vxoribus continentiam vocauit. Postremò cõcilium hortatus est, vt talem legẽ minimè promulgaret. Nam rem esse ad ferendum difficilem: & fortasse causam illorum vxoribus fore, vt non satis castè vitam traducant. Ac veterẽ Ecclesiæ traditionem esse, vt qui cœlibes gradum sacerdotalem consecuti fuissent, postea minimè vxores ducerent: qui autem pòst nuptias ad eum ordinem vocati essent, hi ab vxoribus, quas habebant, minimè separarentur. Atque ista quidem, licet coniugij expers, suasit Paphnutius. Cuius sententiam approbauit concilium, & de hac re nullam legem tulit: sed eam in cuiusque arbitrio, non in necessitate poni voluit. De alijs autem rebus, vti sibi rectum videbatur, leges, quibus Ecclesiæ status gubernaretur, conscripsit. Verùm has, cùm apud multos extent, facile est cuique pro arbitratu perlegere.
Paphnutij de sacerdotum cõiugio memorabilis sententia.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Meletio, & quomodo sanctum Concilium pulcherrimè, quæ ad causæ eius cognitionem spectabant, disposuerit. CAP. XXIII.

Concilij Nicæni in Meletium & socios sententia.

His accedit, quòd cùm in res à Meletio in Aegypto fortè gestas accurate inquisitum esset, cõcilium contra eum pronunciauit sententiam, vt videlicet Lycum incoleret, nomenque solum retineret episcopi: atque de reliquo neque in vrbe, neque in pago vllum ecclesiæ ministrum ordinaret. Qui autem essent iam ab eo constituti, illi neque à communione quidem, neq; à ministerio excluderentur: sed tamen cæteris clericis in singulis ecclesijs ac prouincijs constitutis, essent honore inferiores. Quinetiam vt in loca demortuorum succederent, si modò tum suffragio populi idonei viderentur, tum episcopus ecclesiæ Alexandrinæ eos designaret: sed minimè liceret, quos vellent, suo ipsorum arbitrio deligere. Istud quidem concilio æquum putabatur, cùm secum consideraret, quàm temerario & præcipiti impetu ad ministros Ecclesiæ creandos, tum Meletius ipse, tum suæ opinionis fautores ferri consueuissent. Nam Meletius, cùm Petrus, qui pòst martyrio occubuit, eo tempore quo Alexandrinam regebat ecclesiam, propter persecutionem tum ingrauescentem, fugam cepisset, ministrorum ordinationes ad Petrum solum pertinentes sibi arripuit.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 19. Vide Theodorit. li. 1. cap. 9.

Quòd Imperator, vbi eos qui concilio interfuêre, Constantinopolim conuocasset, epulum publicum illis exhibuit: magnificè q; donatos, ad concordiam omnes hortatus est: ac quæ à Concilio diuino decreta fuerunt, Alexandriam & in omnes partes perferri curauit.

CAPVT XXIIII.

Romanos decimo quo que anno Imperatoris festiuitatẽ celebrandi.

His rebus à Concilio ad hunc modum decretis, accidit, vt dies festus iam anno vigesimo imperij Constantini vertẽte ageretur. Erat enim Romanis in more positum, vt decimo quoque anno imperij cuiusque Imperatoris diẽ festum celeberrimo hominum conuentu agitarent. Quapropter Imperator opportunum sibi tempus ad id, quod instituerat, oblatum arbitratus, totum concilium ad epulum inuitauit: omnesque donis, prout cuiusque dignitas poscebat, honorificè remuneratus est. Vbi verò domum iam redire constituerant, Imperator conuocatis in vnum omnibus, eos cohortari cœpit, vt tum in fidem concordarẽt, tum pacem inter ipsos mutuò amplexarentur, quò in posterum vitam tranquillam, & ab omni contentione vacuam degerent. Atque longa oratione in hanc sententiam habita, ad extremum iussit, vt preces pro se, pro liberis, pro imperio denique attentis animis funderẽt, & Deum assiduè precarentur. Quæ cum illis qui tum Nicæam venerant, † dixisset, & eiusmodi oratione instruxisset, literas quoque ad singulos cuiusque ciuitatis scripsit ecclesias, eo consilio, vt eos qui abfuissent à concilio, de rebus in eo tam præclarè administratis certiores faceret. Alias præterea literas separatim ad Alexandrinam scripsit ecclesiam, hortatus, vti omni dissidio ac simultate deposita, in fide à Concilio edita consentirent. Eam enim nihil aliud esse quàm Dei sententiam, consensu tot tantorum q; episcoporum per Spiritum sanctum stabilitam: & post accuratam inquisitionem, atque adeò exploratam disceptationem rerum omnium in controuersia positarum, comprobatam.

Exhortatio Constantini ad episcopos iam decessuros & in eosdem benignitas.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 26.

† Vide ante not. pag. 20 lat. 1. lin. 26.

PRIMI LIBRI FINIS.

HERMIAE

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBER SECVNDVS.

De salutiferæ crucis inuentione, & clauis sanctis, & quòd Helena Imperatoris mater, Hierosolymam profecta, templa exædificauit, aliaq; ibidem nonnulla Deo grata effecit, & de eius ab hac vita migratione. CAP. I.

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 28. 29. 30. 31. Vide Theodorit. li. 1. cap. 18. Socrat. li. 1. cap. 17. Vitam Constant. lib. 3. cap. 41. ac deinceps. item ibid. cap. 24.

CVM iam concilium Nicænum venisset ad exitum, & sacerdotes omnes domum reuertissent, Imperator supra modum ideo lætatus est, quòd Ecclesiam vniuersam de doctrina fidei consentientem videret. Atque vbi pro episcoporum concordia, pro se, pro liberis, pro imperio denique Deo gratias egisset, templum Hierosolymis circiter locum qui dicitur Caluariæ, ad honorem Dei illustrandum ædificare instituit. Per idem ferè tempus Helena Imperatoris mater venit Hierosolymam, cùm precandi causa, tum sancta illa loca visendi. Quæ quoniam pio animo erga religionem Christianam erat affecta, visa est sibi operæprecium factura, si lignum crucis venerandæ inuenire posset. Verùm neque illa, neque diuinum Domini sepulchrum tam facilè repertu erat. Nam veteres Gentiles, qui ecclesiam persecuti fuerant, quoniam Christianam religionem recens iam ortam concidere comprimereq; omnibus opibus viribusque laborabant, idcirco eum locum ingenti aggere suprà iecto obruerunt, inque maiorem altitudinem, vti etiamnum apparet, erexerunt. Quinetiam vniuerso loco tum sepulchri vnde Christus resurrexit, tum Caluariæ, muro vndique circundato, eum pro suo arbitratu exornare cœperunt. Nam primùm sternunt lapidibus, deinde fanum Veneris suprà extruunt, postremò simulachrum in eo statuunt: ad eum sanè finem, vt & qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere: & temporis diuturnitate vera causa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in obliuionem: quippe cùm Christiani neque eò tutò ipsi accedere possent, neque alijs indicare auderent, sed contrà omnibus pro certo confirmaretur in eo loco aliud esse nihil præter fanum Gentilium, & Veneris statuam. At verò tandem locus erutus est, & error, in quo stabiliendo tantopere laboratum fuerat, manifestò deprehensus: indicio, vti quidam memorant, Hebræi cuiusdam, versus Orientem habitãtis, qui auito quodam scripto admonitus, locum commonstrauit: sed, quæ verior est opinio, monstratione Dei Opt. Max. qui signis quibusdam & somnijs homines ad loci memoriam excitauit. Nam res diuinæ, mea quidem sententia, humano indicio non egent, cùm Deo visum sit eas patefacere. Itaque vt primùm locus ille Imperatoris mandato fuit perpurgatus, in profundo quadam in parte illius antrum, vnde Christus resurrexit, emersit: in altera autẽ parte eiusdem loci, tres inuentæ sunt cruces: † & aliud ligniculum separatim, quod tabulæ gessit similitudinem, verbis & literis non Hebraicis solùm, verùm etiam Græcis & Latinis inscriptum, quæ verba ac literæ non aliud complectebantur, quàm, IESVM NAZARENVM REGEM IVDAEORVM. Hæc ipsa verba, sicut in sacro Euangeliorum libro commoratum est, mandato Pilati præsidis Iudææ, supra caput Christi scripta fuerunt. Cæterùm adhuc erat perdifficile crucem Domini à reliquis duabus internoscere, discernereque, præsertim cùm non illius modò inscriptio ab ea diuulsa distractaque esset, verùm etiam ipsæ tres cruces promiscuè proiectæ, ordine earum (vt est verisimile) eo tempore quo corpora illis suffixa ablata erant, penitùs confuso & perturbato. Nam cùm milites IESVM in cruce mortuum reperissent, eum inde sublatum, primùm (vti literis sacris proditum est) sepeliendum tradiderunt: deinde quò latronibus vtrinque suspensis mortem maturarent, eorum crura cõfregerunt: postremò cruces nullo ordine, aliam alio in loco, proiecerunt. Nam quid curæ putes illis fuisse de crucibus ordine, quo prius erant, reponendis: præsertim cum singuli festinarent domum antè redire quàm aduesperasceret, & non ducerent operæprecium in crucibus hominum per vim interfectorum ordine collocandis aliquid temporis consumere? Quare cùm diuinum crucis Dominicæ lignum hac de causa adhuc etiam ignotum esse, & diuiniore quodam, quàm quod sit in humana situm potestate, egeret indicio, eiusmodi quiddam accidisse constat. Nobilis quædam mulier Hierosolymis in morbum grauissimum, cumque

Templum in Caluariæ loco Hierosolymis conditum.

Helena Constantini Imp. mater Hierosolymam profecta.

Veneris fanũ à Gentilibus in sepulchri Dominici loco extructum.

Sepulchri Dominici locus quomodo repertus.

Crucis, Domini inuentio.

Vide ante not. pag. 20. lat. 2. lin. 21.

Crucis inscriptio. Ioan. 19.

Cruces tres diuersæ.

Crux Domini quomodo inter cæteras cognita.

cumque planè insanabilem fortè incidérat: ad quam in lecto decumbentem Macarius episcopus Hierosolymorum, sibi Imperatoris matre, & alijs quos ipse circum se habebat, assumptis, venit: atque vt primùm precatus est, dederatque inspectantibus istud signum, nimirum eam esse Domini crucem, quæ mulieri adhibita, morbo illam liberaret, singulas cruces allatas, mulieri admouit. Verùm duabus illarum appositis, factum quidem ineptum & planè ridiculum visum est: quippe mors nihilominus mulierem erat iamiam occupatura. Sed simul vt tertia itidem fuit ei adhibita, derepentè aperuit oculos, & collectis viribus, extemplò è cubili sana exilijt. Fertur item, mortuum crucis virtute simili ratione ad vitam reuocatum. Huius autem crucis salutaris iam tum inuentæ, maxima pars adhuc etiam Hierosolymis in capsa argentea custoditur: reliqua verò ab imperatrice ad filium Cõstantinum deportata est. Quod ad clauos attinet, quibus corpus Christi confixum erat, memorant Imperatorem ex illis sibi confecisse galeam, & frenum equi, vt scriptum est à Zacharia propheta: & à quo prædictum, quòd in tempore isto, illud quod sit in frenum equi (his enim ferè verbis vtitur propheta) sanctum esset Domino omnipotenti. Ista quidem vt olim præcognita à sanctis prophetis, præuisaque fuêre: sic postea factis planè admirabilibus tum confirmata, cùm Deo tempus visum est eiusmodi rebus opportunum. Neque certè tantopere mirandum est, præsertim cùm ipsi Gentiles ingenuè fateantur hoc esse Sibyllæ carmen.

De virtute crucis vide locos adnotatos ad cap. 2. lib. 2. de Vita Cõstant.

Crucis Domini miracula.

Claui Domini è Const. in galeam & frenũ equi conuersi. Zach. 14.

Sibyllæ de cruce Christi testimonium.

O lignum fœlix, in quo Deus ipse pependit.

Istud enim ita esse, nemo, etiamsi acri studio contrà pugnare voluerit, pernegabit. Quare & lignum Crucis, & eius veneratio, à Sibylla præsignificata est. Sunt hęc quidem à nobis, sicuti accepimus, commemorata: quandoquidem ea ex viris, qui illa accuratè norunt, & ad quos eorum cognitio à patribus ad liberos successione quadam deriuata peruenit: & qui eadem ipsa pro facultate literis prodere, posterisque relinquere studuerunt, audiuimus. Eodem ferè tempore Imperator, cùm statuisset templum Deo exædificare, dat mandatum magistratibus, vt illud opus magnificè inprimis & splendidè fabricandum curent. Helena præterea eius mater duo templa construit: alterum, in Bethlehẽ, ad speluncã illam in qua Christus natus est: alterum in summo vertice mõtis Oliueti, vnde ad cælũ ascendit. Cuius pietatis & sanctimoniæ tametsi multa alia argumenta sunt, hoc vnum tamen vel maximum est. Nam fama est, eam tum Hierosolymis commorantem, omnes sacras virgines ad epulas conuocasse, illis ministrasse in conuiuio, appositisse cibaria, aquam manibus fudisse, aliaque obijsse munera, quæ à conuiuatorum seruis administrari solent. Eodem tempore etiam vrbes Oriẽtis perlustrasse, ecclesias in singulis ciuitatibus, honorificis exornasse monimentis: complures homines, qui fortunas amiserant, locupletasse: egentibus res affatim impertiuisse necessarias: complures denique, qui diu vel vinculis constricti, vel mulctati exilio, vel metallis effodiendis cruciati fuissent, in libertatem vindicasse. Pro quibus rebus videtur dignè à Deo remunerata esse. Nam vita, quam hic degebat, eius generis fuit, vt neque splendidior, neque illustrior esse potuerit. Augusta item fuit appellata, eiusque imagine numi signati. Thesauri quoq; imperatorij potestatẽ à filio adepta, eo pro arbitratu vsa est. Cũ autem hæc vita ei esset necessariò deserenda, mortem certè gloriosam obijt tum, cùm & annos circiter octoginta confecisset, & filium simul cum nepotibus Cæsaribus totum imperium Romanum gubernantem post se relinqueret. Deniq; nomen eius iam mortuæ (si quid hæc res iuuet) obliuione minimè obrutum est: sed sunt duæ vrbes, altera in Bithynia, in Palæstina altera, vtraque eius nomine nuncupata, velut pignus ad illius memoriam perpetuandam ætati posteræ relictæ. Sed de Helena hactenus.

Helenæ duo templa construxit.

Virgines sacras conuiuio accipit.

Helenæ alia etiam pietatis opera, dignitas, mors.

Helenæ duæ vrbes.

B

De ecclesijs quas Constantinus magnus extruxit: & de appellata cognomine eius ciuitate, quo pacto condita fuerit: & de ædificijs quæ in ea spectantur, & Michaelis archangeli templo, & de visis in eodem miraculis.

CAPVT II.

Templa à Constantino Imp. extructa.

IMperator autem, qui semper omni cura ac studio ad pietatẽ augẽdam incubuit, cùm in alijs locis ferè omnib. pulcherrima templa Deo ædificauit, tum maximè in vrbibus primarijs, vt Nicomedia Bithyniæ, Antiochia ad Oruntem fluuium sita, & Byzantio: quam vrbem æquales partes cum vrbe Roma in regendo administran doque imperio obtinere voluit. Nam vbi omnia ei ex sententia succederent, & exteros partim bello, partim fœderibus sibi adiunxisset, constituit vrbem extruere, quam

Vide Nicephor. lib. 8. cap. 4. Vide Socr. lib. 1. ca. 12. Theodor. lib. 1. ca. 15. Vide Euseb. lib. 10. cap. 5.

A quam & suo nomine appellare, & Romæ honore parem efficere in animo habuit. Atque profectus ad campum pro Ilio situm, non longè ab Hellesponto, paulò supra Aiacis tumulum (in quo loco fertur Achiuos, qui olim Troiam oppugnabant, & nauale & castra habuisse,) vrbis formam & magnitudinem describit, inque præcelso & edito loco portas extruit, quæ adhuc etiam à mari illac nauigantibus cernuntur. Ei verò ista molienti Deus noctu visus, alium locum quærere iubet: atque cum Byzantium, oppidum Thraciæ vltra Chalcedonem vrbem Bithyniæ situm, in memoriam ei redegisset, curaret, admonuit. Itaque Dei verbis obsecutus, oppidum quod Byzantium vocabatur, dilatare, & maximis amplissimisque mœnibus cingere cœpit. Ac cum ciues, qui erant indigenæ, non satis multos esse censeret ad vrbis magnitudinem, amplissimas ædes in plateis dispersè ædificare, viros hominum sermone celebratos cum familia sua Dominos illarum & habitatores constituere cœpit: quorum partem ex antiqua Roma, partem autem ex alijs nationibus accersiuit. Porrò autem vectigalia instituit, partim in ædificia & pulchritudinem vrbis, partim in alimentum ciuium insumenda: quinetiam quò vrbem alijs omnibus rebus instrueret, circo, puteis, porticibus, & cæteris id genus ædificijs magnificè ornauit: Nouam Romam appellauit, primariam vrbem omnium gentium, quę versus Septentrionem, Austrum, solem orientem, & mare mediterraneum, à ciuitatibus propter Istrum positis, & Epidamno, & alijs ad sinum Ionium locatis vsque ad Cyrenem, & Libyes illius incolas, prope locum qui Borium vocatur, habitant, imperiumque Romanum agnoscunt. Curiam item magnam, quam Senatum nominant, in ea constituit: eiusque senatoribus eosdem honores, eosdem dies sacros, qui Romanis veteribus tribui solent, assignauit. Denique in omnibus rebus vrbem illam suo nomine nuncupatam, Romæ, quæ est in Italia, parem studuit efficere: neque certè suus se fefellit conatus. nam virgula diuina (quod aiunt) tantum creuit, vt tum frequentia hominum, tum pecuniæ & diuitiarum abundantia Romam omnium consensu longè superaret. Cuius rei causam fuisse arbitror, partim pietatem tum conditoris, tum ciuitatis, partim incolarum erga egentes misericordiam & benignitatem. Etenim fides in Christum vsque adeò in ea ciuitate prouecta est, vt complures Iudæi, Græci verò ferè omnes, ibi ad religionem Christianam conuersi fuerint. Huc accedit, quòd principatum imperij adepta eo tempore quo Christi religio longè lateque manare cœpit, postea neque aris, neque delubris Gentilium se contaminauit, præterquam solùm dum regnaret Iulianus: quo quidem tempore, licet ad exiguum tempus error Gentilium renouatus fuerit, statim tamen pòst restinctus est. Hanc igitur ciuitatem Constantinus suo appellatam nomine, & velut recens ad Christi honorem extructam, multis maximisque ecclesijs exornauit. Cuius propenso studio Deus ipse opem tulit: & visionibus quibusdam confirmauit, ecclesias in ea vrbe ædificatas, sanctas & salutares esse. Ex quibus eam, quæ est in loco qui ἐξία, id est Vestæ sacer, olim dicebatur, sita, in maximo honore tum à peregrinis, tum à ciuibus ex illo tempore habitam fuisse constat. Idem tamen locus iam Michaelium nominatur, estque nauiganti ex Ponto Constantinopolim ad dextram positus: atque abest ab vrbe, si naue traijcias, circiter trigin- ta quinque stadia: sin autem sinum qui interiacet, pedibus aut equo vndique circuire velis, septuaginta. Loco verò istud nomen eò impositum est, quòd pro certo creditur, diuum Michaelem archangelum ibi apparuisse. Quod etiam ipse equidem, non parum in eodem loco beneficium adeptus, verissimum esse confiteor. Atque id ita se habere, argumento præterea esse possunt multæ aliæ res, quas compertum est ibidem gestas esse. Nam nonnulli in graues casus & pericula, è quibus nullo modo possent emergere, alij in morbos aut perturbationes corporis incognitas delapsi, simulac in eo loco Deum precati essent, calamitatibus, quibus premebantur, penitùs liberati sunt. Verùm quo pacto ista, & quibus hominibus euenerint, sigillatim persequi longum esset. Attamen quid Aquilino nobiscum etiamnum ætatem degenti, & in eodem foro causas agenti, eodem in loco acciderit, partim vt ab eo audiui, partim vt ipse conspicatus sum, iam opportunè commemorabo. Cum enim vehemens febris, eaque paulò ardentior ex flaua bili orta, eum occupasset: medici dedêre illi bibere medicamentum ad aluum purgandum, quod quidem euomuit. Atque simul cum vomitione bilis in omnes corporis partes diffusa, cutis extremitatem coloris specie sibi simili tinxit. Ex quo factum est, vt omnem cibum ac potum euomeret. Vbi autem longo temporis spacio istud perpessus fuerat, & nihil alimenti in stomacho conquiescebat, de morbo curãdo medici desperare cœperunt. Ac cum iam semimortuus esset, dat suis mandatum, vt eum in ecclesiam deportent: affirmatq; se ibi aut mortem obiturum,

Aiacis tumulus.

Byzantium, in Constantinopolim conuersum.

Vectigalia instituit.

Constantinopolis Nouæ Romæ appellata.

Curia.

Constantinopolitanæ vrbis celebritas.

Michaelium templum, vnde dictum.

Aquilinus miraculo à febre & ictero curatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut morbo liberatũ iri. Cui in ecclesia iacenti de nocte visio quædam diuina obiecta, iubet, vt cibum potione quæ ex melle, vino & pipere pariter mistis conficeretur, tingeret. Quæ quidem potio, cum esset calidissima, quamuis medicis, ex artis ratione eam considerantibus, morbis è flaua bile contractis contraria videretur, hominem tamen morbo recreauit. Accepi porrò, Probianum, vnum ex satellitibus, qui imperatorem in palatio stipabant, cum dolore pedum grauiter afflictaretur, in eo loco etiam cruciatu leuatum, & admirabili quadam ac diuina visione dignatum fuisse. Nam iste cum in tuo gentilis esset, postea tamen factus Christianus: quanquam omnia alia religionis nostræ instituta probabilia putabat, sanctam tamen crucem salutis omnium causam extitisse neutiquam admittere voluit. Cui sic animo affecto, visio diuinitùs oblata quãdam crucis effigiem, quæ in altari illius ecclesiæ statui solet, ante oculos proposuit: declarauitq; manifestò, res, quæcunq; à tempore quo Christus in crucem actus erat, vel ad vtilitatem humani generis communem, vel ad priuatam quorundam, seu à diuinis angelis, seu à pijs & perfectis hominibus gestæ fuerunt, non sine virtute crucis salutaris rectè gestas esse. Sed quoniam tempus opportunum minimè suppetebat ad ea omnia recensenda, quæ in hoc templo accidisse cognoui, ista solum commemorare consilium fuit.

Probianus pedum dolore liberatus.

De ijs quæ circa quercum Mambre à Constantino magno facta sunt: & templo quod illic posuit. CAP. III.

Quercus Mambre, qui & Terebinthi locus.

Genes. 18.

NEcesse porrò arbitror, res quoque à Constantino imperatore circiter quercum Mambre institutas persequi. Est idem locus quem nũc Terebinthum appellant, abestq; ab Hebron, quæ est ei ad meridiem finitima, stadia quindecim: ab Hierosolymis autem, circiter ducenta & quinquaginta. Quo in loco verus Dei sermo memorat, filium Dei vnà cum duobus angelis ad Sodomorum euersionem missis Abrahamo visum esse, prædixisseq; illi, filium natum fore. Ibi tum indigenę, tum Palæstini qui longius absunt, tum Phœnices & Arabes, quotannis æstate splendidũ conuentũ ad hoc vsq; tempus maxima frequentia celebrant. Eoq; commeant ad merces tum vendendas, tum emendas, mercatores quàm plurimi. nam ab omnibus festum in eo loco maximo studio agitur: à Iudæis quidem, quòd de patriarcha Abrahamo gloriantur: à Gentilibus autem, quòd angeli illic apparebant Abrahamo: à Christianis denique, quòd pio viro idem ille olim ibidem visus est, qui posteris temporibus propter salutem humani generis natus ex virgine se mundo palàm ostendit. Omnes igitur hunc locum, pro vt singulorum poscit religio, colunt: quippe pars in eo preces Deo omnium moderatori fundunt: pars ibi angelos inuocant, libant vinum, thus deniq;, aut bouem, aut hircum, aut ouem, aut gallum sacrificant. Singuli enim, quod sibi charum & pulchrum ducunt, cum toto anni tempore sedulò nutriuerint, illud ex voto tum pro se, tum pro suis nuncupato, † ad festi illius celebrationem reseruant. Omnes autem locum augustè venerantur, quo calamitates, quæ ira Dei inferri solent, effugiant: neq; rem habent illic cum vxoribus, vtpote quæ in festo illo pulchritudinis & maioris ornatus, si fortè spectari, aut aliquò exire ipsis contigerit, curam gerere consueuerint, neq; vlli intemperantiæ generi se dedunt: idq;, cum omnes tabernacula habeant pariter † locata, & somnum ac quietem promiscuè capiant. Est enim locus apricus, arabilis, & nullis vestitus ædificijs, præter ea duntaxat quę olim circa quercum fuêre ab Abrahamo fabricata, & præter puteum ab eodem constructum. Tempore verò, quo festum & conuentus celebratur, nemo ex illo puteo aquam haurit. Siquidem gentili quodam ritu alij lucernas accensas in eum imponere, vinum infundere alij, alij placẽtulas, alij nummos, multi vnguenta, aut incensos odores inijcere solent. Itaq; aqua, vt verisimile est, propter rerum iniectarum admistionem corrumpitur. Dum hæc isto modo à Gentilibus pro more, non sine voluptate geruntur: mater coniugis Constantini, quæ cò voti causa fortè concesserat, imperatori nunciat. Qui vt audiuit, episcopos Palæstinæ non mediocriter incusauit, tum quòd neglexerant officium, tum quòd locum verè sanctum libamentis & victimis impuris inquinari permiserant. Quàm piè autem eos increparit, declarant literæ ab eo ad Macarium episcopum Hierosolymorum, & Eusebium cognomẽto Pamphilum, & alios Palæstinæ episcopos de hac re conscriptæ. Quinetiam imperat episcopis Phœniciæ, vt conueniant in vnum, atq; ara, quæ ibi antè steterat, funditùs excisa, & statuis in ignem coniectis, ecclesiam dignam loci tum antiquitate, tum amplitudine exædificent: inq; posterum prouideant, vt locus à libamentis ac victimis vacuus & purus seruetur, quo nihil aliud in eo quàm Dei cultus secundum Ecclesiæ normam peragatur.

Ad Terebinthum solennis conuentus finitimarum gentium.

Sacrificia diuersa ad quercum Mambre.

Topographia quercus Mambræ.

Puteus Abrahami diuersi mode ab aduenis cultus.

Mater Constantini votum ad quercum indicat.

Quercus Mambre loch consecrari curat Constantinus.

VideNice. lib. 8. ca. 30. Constãtini vitam lib. 3. cap. 50. & Genes. 18.

† Vide antenot. pag. 22 la. 2. lin. 16.

† Videibi lin. 20.

Literę Cõstantini ad episcopos de cõsecratione Terebinthi seu Mambre.

Agatur. Quòd si quispiam veterem ritum ibi renouare aggrediatur, vt episcopi ipsi indicarent, vti grauissimo eum coerceat supplicio. Præsides igitur Ecclesiæ & Christi sacerdotes his imperatoris literis de officio admoniti, mandata eius re ipsa conficiunt.

Quomodo idolorum delubra euerterit, ac inde populorum animos magis ad colendum Christum impulerit. CAP. IIII.

VideNice. lib. 8. ca. 33. Vide Constant. vitã lib. 3. ca. 52.

QVoniam autem multi populi & vrbes in toto imperio adhuc inane illud in statuis colendis institutum reueriti veneratiq;, fidem Christianam auersabantur, atq; antiquitatis, consuetudinis patriæ, & veterum festorum magnam curam habebant: idcirco necesse Imperatori videbatur, subditos suos ita instruere, vt deos, quos antè coluerant, contemnerent: idque perfacilè esse, si modò primùm omnium eos ad delubra & simulachra in eisdem locata, aspernanda assuefaceret. ei autem ista instituenti, militum manu non erat opus: siquidem Christiani in palatio educati, cum literis Imperatoris vrbes peragrantes, eius decreta perfecerunt. Nam populi, sibi, liberis & vxoribus metuentes, ne quod incommodi, si resisterent, acciperent, se quietè gesserunt. Aeditui verò & sacerdotes, populi subsidio nudati, monimenta quæ in maximo precio habebant, & simulachra quæ vocantur διοστεῖα, id est, à Ioue delapsa, protulêre: suaq; sponte ex aditis & occultis fanorum recessibus ea produxêre: adeò vt ad ea loca quæ inaccessa & solis sacerdotibus nota erant, iam de reliquo omnibus patêret aditus. Rursus statuæ quæ ex preciosa materia constabant, resq; aliæ, si modò aliquid in illis resideret, quod vsui esse posset, igni probatæ sunt, pecuniæque inde confectæ in commune collatæ. Simulachra autem ex ære mirandum in modum fabricata, vndiq; Constantinopolim ad eam ornandam comportata, quæ adhuc etiam partim in plateis, partim in circo, partim in regia stant: ex quorum numero sunt Pythiæ Apollinis vatis simulachra, & ea quæ musas Heliconiades repręsentant, tripodes quoque qui in Delphis erant: & Pan ille multorum ore celebratus, quem Pausanias Lacedæmonius, & ciuitates Greciæ post bellum contra Medos gestum dedicarunt. Quod ad delubra attinet, nonnulla eorum ianuis, alia tectis nudata: quædam quæ fortè neglecta erant, sua sponte ruerunt, & solo æquata sunt. Per id temporis etiam fanum Aesculapij, quod Aegis (id est oppidum Siliciæ) & fanum Veneris in Aphacis circa montem Libanum & Adonim fluuium situm, diruta & funditùs deleta. Erant ambo quidem fana illustrissima, & magna veneratione à veteribus dignata: quandoquidem Aegeatæ gloriabantur, hominum corpora apud se, vi & potestate dæmonis noctu ibi apparentis, medicinam quę illis facientis, morbis liberata esse. In Aphacis autem memorant ignem per quandam inuocationem certo die, tanquam stellam à summo vertice Libani percurrentem, in vicinum fluuium se immersisse: quem ignem Vraniam (isto enim nomine nuncupabant Venerem) esse dixerunt. Quibus rebus ad hunc modum confectis, institutum quod Imperator moliebatur, processit ex sententia. Nam Gentiles, cum simulachra quæ antè & venerari & reuereri consueuerant, iam per contemptum hic illic proiecta, & stipula ac sordium congerie farcita viderent, cœperunt veteres suos deos despicatui ducere, & maiorum suorum errorem magnopere incusare. Quapropter alij, qui Christianos honoris causa sibi ab Imperatore tributi beatos putabant, ritum Imperatoris sibi necessariò sequendum existimarunt: alij, qui se in deliberando de religione Christiana attentius defixerant, vel signis vel somnijs, vel episcoporum aut monachorum congressu inducti, fidem Christianam recipere commodissimum sibi censuerunt. Ex quo quidem tempore populi ac ciuitates sua sponte à vetere suo instituto descíuere. Nam nauale vrbis Gazæ, quod Maiman appellant, quodq; valde superstitioni deditum esse & antè veteres ritus in dijs colendis cum primis admirari consueuerat, subitò vniuersum ad religionem Christianam conuersum est. Cuius habitatores, quò eos pietatis causa remuneraretur, magno honore affecit: & locum illum, qui ciuitas non erat, ciuitatem effecit, & nomine filij, qui summum inter filios honoris gradum obtinuit, Constantiam nuncupauit, illamq; dignitatem propter religionem ei tribuit. Simili etiam de causa Constantinam, vrbem Phœniciæ, imperatoris nomine appellatam cognoui. Sed singula literis persequi, magni laboris esset. Nam aliæ vrbes quàm plurimę eodem tempore sua sponte ad religionem Christianam se transtulere: & suapte voluntate, absque vllo imperatoris mandato, fana quæ erant apud se, & simulachra deturbauere, sacrasque extruxere ecclesias.

Simulachra diruta Constantinopoli asseruata.

Apollinis Pythij.

Masarũ Heliconiadum.

Tripodes delphici.

Panis.

Aesculapij & Veneris delubra diruta.

Vide Lil. Cyrald. de dijs gentium.

Vrania.

Maiuma.

Constantia & Constantina, vrbes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qua occasione Christi nomen, Constantino rerum potiente, in orbem vniuersum propagatum sit.

CAP. V.

VIm verò ad hunc modum per vniuersum imperium Romanum se dilataret Ecclesia, Christiana religio etiam ad ipsos Barbaros peruasit. Nam gentes circa Rhenum accolentes, fidei Christianæ se dediderunt. Celtæ item, & populi Galliæ vltimi, qui proximè ad Oceanum habitant, Gotthi etiam, & gentes illis finitimæ, quæ antè ad ripas Istri habitauerant, iampridem fidein Christum recepta, se ad cultum & humanitatem ciuiliorem conuerterant. Causa autē, cur omnes ferè Barbari Christianam religionem amplecti cœperint, fuere, † bella varijs temporibus, vtpote regnante Galieno, & imperatoribus à quibus ei successum est, à Romanis & exteris hominibus administrata. Nam cum infinita ferè & promiscua multitudo gentium ex Thracia in Asiam traiecisset, eamq; incursionibus factis occupasset, alijq; Barbari in alijs locis Romanis sibi finitimis idē præstitissent, multi sacerdotes Christi pariter captiui à Barbaris abducebātur. Qui quidem cum homines in illis locis morbis afflictatos sanarent, & dæmonibus occupatos solo nomine Christi filij Dei inuocato liberarent, & sincerum præterea ac pium vitæ genus colere, & virtutum præstantia obtrectatorum ora penitùs obturare viderentur: Barbari eos, cùm vitę, tum factorum admirabilium causa magnopere admirati, & eos valde prudentes esse, & se, si tam præstabiles hominum mores imitarentur, numenq; diuinum ad eorum exemplum colerent, Deum sibi propitium habituros. Itaq; ab illis, quid sibi agendum sit, doceri constituunt: discunt fidei nostrę præcepta, baptismum recipiunt, & conuentus more Christianorum celebrant.

Vide Nicē. ca. 33. lib. 8.

† Vide an. not. pag. 22. lat. 2. lin. 9.

Barbari cur passim Christianam religionem amplexi.

Quomodo Iberi in Christum crediderint. CAP. VI.

Iberes ad fidē conuersi.

EOdem Imperatore regnāte, fertur Iberes ad Christi fidem deductos esse. Et hæc quidem gens Barbara, robusta, & bellicosissima: Armeniam interiorem incolit, versus Septentriones. Hanc, fama est, suasu mulieris Christianę captiuę patriam & auitam religionē deseruisse: quæ mulier, quoniam fidei & pietatis plenissima erat, idcirco cum apud exteros ætatem ageret, nihil de consueto vitæ genere remisit: sed ieiunare, noctes diesq; precari, Deo cum laudibus gratias agere continuò solita est. Barbaris autem scisciātibus ab illa quorsum eiusmodi subiret molestias? respondet verè & ex animo, Christum filium Dei ita coli debere. At illis & nomen illiùs quem colebat, & cultus ac religionis modus valde peregrinus visus est. Forte fortunà adolescentulus ibi grauiter ęgrotare cœpit: quem mater per singulas ędes circunferens, ostendit. Nam istud facere, in more positū erat Iberibus, ad eum finem, vt si quis fortè reperiretur, qui morbum aliquem curauisset, eius opera alij eodem morbo laborantes facilè sanarentur. Vbi verò adolescentulus à nemine posset curari, defertur ad captiuam. At illa: Medicamenta, inquit, vel exvnguentis, vel ex emplastris confecta, neq; scio, neq; eorum vsum experientiamúe teneo: sed credo, ô mulier, Christum, quē colo, verum illum & præpotentem Deum, filium tuum sanaturum. Statimq; vt est pro adolescentulo precata, cum iamiam mori expectaretur, morbo liberatus est. Haud longo pòst tempore, regis illius gentis coniugem, quæ iam erat morbo insanabili interitura, simili ratione ad integram valetudinem restituit, Christū cognoscere docuit, eum largitorem sanitatis, vitæ, & regni, omnium deniq; dominum esse declarauit. Regina igitur, ea re quæ sibi accidisset, inducta, verba captiuæ vera esse credidit, estq; religionem Christianam amplexata, & magno in honore mulierem habuit. Rex autem & valetudinem tam citò restitutam, & miraculum fidei simul admiratus, rogat causam à coniuge: quam cùm didicisset, iubet captiuam donis remunerari. At horum, inquit regina, ei, licet valde preciosa sint, nulla cura est. nam solum Dei sui cultum magno æstimat. Quòd si igitur illi volumus gratificari, & tutò atq; adeò præclarè ætatem degendi studio ducimur, age nos quoq; Deum illum præpotentem veneremur, qui & seruator est: & reges, si ei libitum sit, in eo honorum gradu, in quo sunt, manere facit: & rursus potest perfacilè ex magnis viris abiectos, & ex inglorijs illustres efficere, & eos qui rebus asperis afflictantur, eripere. Quæ cum sæpius præclarè apud regem commemorasset, rex tamersi ancipiti distrahebatur cogitatione, non tamen induci potuit ad credendum: quandoquidem & rei nouitatem suspectam habuit, & auitam religionem admodum reueritus est. Non ita diu pòst, in syluam vnà cum suis ad venādum proficiscitur, vbi

Vide Nicē. lib. 8. ca. 34.

B Theod. lib. 1. cap. 24. Socrat. lib. 1. cap. 16.

Iberorū mos, ęgrotos circunferendi.

Miracula duo in Iberia per captiuam Christianam.

Regina Iberorum morbo leuata, Regem ipsum ad Christianismum pronocat.

A vbi de improuiso caligo densissima, & crassus aer illis vndiq; circumfusus, cœlum solemq; obscurauit. Ibi tum singuli sibi metuentes, ab se inuicem dissipati sunt. Rex autem solus oberrans, quemadmodum solet euenire hominibus, quorum animi in rebus arduis perplexi hærent, de Christo cogitare, eumq; Deum esse existimare cœpit: & in posterum illum colere prorsus animum induxit, si modò ex periculo, in quo constitutus erat, euaderet. Dum ista animo agitat, caligo subitò discussa est, & aer in serenitatem mutatus. Itaque solis radijs per syluam diffusis, inde emersit. Ac cum id quod sibi obtigerat, cum coniuge communicasset, accersit ad se captiuam: quoq; modo Christus sit colendus, docere iubet. Quæ cum regi exposuisset ea quæ mulieri fas erat vel dicere vel facere: ille conuocatis subditis, diuina beneficia, quæ tum sibi tum coniugi accidissent, palàm commemorat. Et quanquam mysterijs religionis Christianæ nondum erat initiatus, Christi tamen doctrinam subiectis impertit, & omnibus communiter Christum colere persuadet: ipse quidem viris, coniunx autem vnà cum captiua mulieribus. Ac breui pòst, communi totius suæ gentis consensu ecclesiam ædificare parat. Vbi verò parietes templi vndiq; erecti sunt, suppositis machinis, columnæ etiam tolluntur in sublime, & in basibus firmè locantur. Fertur tamen, prima & secunda erecta, tertiam columnam perdifficilem fuisse, ad loco suo statuendum: neq; peritorum artificum opera rectè locari, neq; hominum viribus, quamuis multi in ea in altum subuehenda laborarent, in suum locum induci potuisse. At eum nox aduentasset, & captiua sola (nam tum cæteri omnes, tum rex imprimis, inde animo anxio & conturbato decesserat) ibi totam noctem vigilans, Deum enixè precata esset, columnas facilè erectas fuisse. Nam quę ad mediam altitudinem erecta erat, obliquè suspensa hærebat, pedeq; in solo fixo manebat immobilis: idq; non alia de causa, quàm vt Iberum in Deum fides multò magis in de, quam ex antegressis miraculis confirmaretur. Nam cùm prima luce ad ecclesiam ac cederent, † columna, quæ pridie eius diei steterat immobilis (res planè admirabilis, & somnio similis) erecta quidem iā videbatur, sed exiguo tamen interuallo interiecto supra basim suspensa manebat. Quam rē omnibus cum stupore admirantib. & Christum verum Deū confitentibus, columna in conspectu eorū suopte nutu pedetentim delapsa, in basi, perinde ac si arte factum fuisset, se ipsam defigebat. His confectis rebus, reliB quæ columnæ facilè erectæ sunt: Iberesq; quod restabat operis, alacrioribus animis absoluerunt. Itaque ecclesia studio accurato ædificata, captiuæ admonitu, mittuntur legati ad Constantinum Imperatorem Romanum, societatē & fœdera cum eo facturi: petituriq; pro his rebus sacerdotes, qui ad suam gentem docendam mittantur. Cum autem Imperatori exposuissent, & quæ apud ipsos accidissent, & quo pacto vniuersa gens sedulò admodum Christum coleret, eorum legatione vehementer delectatus est. Qui cum omnia quæ volebant perfecissent, eos dimisit. Ad hunc modum Iberes fuere ad fidem in Christum inducti, & eum adhuc permagno studio colunt.

† Vide an. not. pag. 24. lat. 1. lin. 33.

Rex Iberorū Christianam Religionē amplectitur & subditis proponit templaque erigit.

Iberorū legatio ad Constantinum.

Quomodo Armenij & Persæ Christianæ religioni se dediderint.

CAPVT VII.

Vide Nice. lib. 8. ca. 35.

DEinceps autem religio Christiana ad gētes finitimas permanauit, & in multos diffusa est. Armenios autem iam antea se ad fidem Christi recepisse accepi. Nam fertur Teridatem, qui tum huic genti præerat, admirabili quadam & diuina visione, quæ circa illius ædes fortè apparuerat, non modò ad Christianam religionem vocatum esse: verùm etiam edicto omnibus subiectis imperasse, vt fidei Christi se addicerent. Postea verò ad vicinas gentes eadem peruasit religio, & ad multos vagata est. Quod ad Persas spectat, ex illis initiò Christianos arbitror factos fuisse nonnullos, qui propter consuetudinem, quam habebant cum Osroenis & Armenijs, in colloquium, vt verisimile est, cum diuinis viris qui ibi erant, venerant, & virtutis eorum periculum fecerant.

Teridates.

Armenij & Persæ quomodo ad fidem Christi addu-cti.

De Sapore Persarum rege, quanto contra Christianos odio exarserit: & Symeone Persidis episcopo: & Vsthazane eunucho, quàm strenuè martyrij certamen peregerit.

CAPVT VIII.

Vide Nice. lib. 8. c. 26. & coniunge seq. cap. 4. & illos mart. qui adnotati sunt ad c. 4. lib. 8. Eu. seb.

CVm autem tempore progrediente numerus eorum vehemēter crescret, adeò vt conuentus agere, & sacerdotes ac diaconos habere cœperint: hæc res non mediocriter offendebat animos magorum, qui velut tribus aliqua aut sacerdotalis stirps successione quadam religionem Persarum inde ferè ab initio administrauerant. Iudæos quoq; permagna affecit molestia, qui prę inuidia naturaliter quodammodo ipsis insita, religioni Christianæ semper infensi esse solent: & ob eam causam Syme-

Magi Persarū Christianis infensi.

Universidad de Deusto Biblioteca

Iudæi Christianæ religioni semper infensi.

onem id temporis Seleucię, & Ctesiphontis, vrbis in Persidę primariæ, archiepiscopum, A cœperunt apud Saporem tum regem Persarum accusare, quòd Imperatori amicus esset, quodq; ei res Persarum proderet. Quorum calumnijs persuasus Sapores, primò omnium, tributis immoderatis eò affligit Christianos, quòd ipsorum quàm plurimos voluntariam egestatem excolere norat. † Deinde viris difficilibus & inhumanis illorum tributorum exigendorũ potestatẽ dat, quo & inopia pecuniæ, & exactorum feritate coacti, suam religionem aspernari inciperent. De qua vna re summopere ab eo laboratũ est. Post hæc sacerdotes & ministros Dei gladio trucidari, ecclesias dirui, earum thesauros ac monimenta in publicum proferri, & Symeonem, vt regni Persarum & religionis proditorem adduci iubet. Itaque magi ope Iudæorum, qui in ea re eos alacri animo iuuabant, ecclesias demoliuntur: Symeonem comprehensum, & catenis ferreis vinctum ad regem deducunt. Qui se ibi & spectatum & strenuum virum præstitit. Nam cum Sapores eum, vt daretur in quæstionem introduci iussisset, neque veritus est quicquam, neque regem adorauit. Quare grauiter commotus rex, sciscitatur quid sit causæ cur iam neutiquam ipsum adoret, cum antè id fecisset? Cui Symeones, Non antè, inquit, deductus eram ad verum Deum prodendum, & propterea non recusabam debitos honores regi præstare: at iam idem ipsum facere fas non est. Nam iam pro pietate & nostra religione decertaturus venio. Quæ cum dixisset, iubet rex, vt Solem adoret. Quod quidem si facere velit, pollicetur se ei multa daturum munera, & in magno honore habiturum: sin autem detrectet, & illum & vniuersum Christianorum genus è medio sublaturum minatur. Vbi verò Symeonem neque minis terrere, neque promissis flectere posset, sed virili & constanti animo affirmantem se nunquam vel Solem adoraturum, vel suam ipsius religionem proditurum audiret: iubet in vinculis aliquandiu teneri, ratus (vt videtur) eum velle resipiscere. Quem in carcerem deductum conspicatus Vsthazanes senex, eunuchus, educator Saporis, & in familia regia principem locum obtinens, consurgens (sedebat fortè pro foribus palatij) eum honorificè salutat. At Symeones verbis illum contumeliosis increpare, & bile incensus vociferari cœpit: atque auerso vultu ideo præterijt, quòd cum esset Christianus, paulò antè vi coactus, Solem adorauerat. Quare Vsthazanes eunuchus fundere lachrymas, ingemiscere, vestem splendidam, qua erat indutus, exuere, & tanquam homo in luctu constitutus, nigram circunijcere cœpit: pro portis regiæ sedet, lamentatur, plorat cum gemitu, sicq; ait: Heu me miserum, qualem erga me Deum fore debeo expectare, quem iamdudum denegauerim? Nam ob hanc causam Symeones ne verbum mihi loqui dignatus, sic ore auerso properè prætergressus est. Vbi ista resciuit Sapores, illum accersit, rogat causam luctus, & ecqua illi in ædibus obtigisset calamitas? Cui Vsthazanes: In hisce ædibus, inquit, ô rex, nihil mihi accidit infortunij. Vtinam autẽ pro eo, quod mihi cõtigit, in omnia alia calamitatum genera incidissem: quippe id quidem certè fuisset toleratu multò facilius. Iam verò lugeo, quòd maneam in vita: quodq; cum dudum mori debuissem, adhuc tamen Solem videam, quem, quò tibi gratificarer, non reuera ex animo, sed specie solum simulata adorauerim: adeò vt vtraq; de causa mortem meritus sim, tum quòd Christi proditorem, tum quòd veteratorẽ erga te meipsum ostenderim. Quæ cum dixisset, cœli & terræ opificem Deum cum iureiurando testatur, se in posterum de ea sententia nunquam destiturum. Sapores aũt incredibilem eunuchi mutationem vehementer admiratus, grauiore quidem iracundia in Christianos exarsit, perinde quasi illi præstigijs hanc rem confecissent: sed tamen misericordia erga senem commotus, modò mansuetum, modò ferum se in illum ostendit: atque omnibus viribus laborauit, vt de sententia deduceret. Vbi nihil profecit, constanter asseuerante Vsthazane, Se nunquam tam stultum fore, vt pro omnium conditore Deo, res ab eo conditas colat, tum ira inflammatus, mandat caput ense ceruicibus abscindi. Ad quod suppliciũ à lictoribus deductus Vsthazanes, orat eos, vt paulisper expectent: rẽ enim se animo tenere, quã regi significare velit. Vocato igitur ad se eunucho sibi fidelissimo, iubet ista Sapori nunciare: Quam tandem beneuolentiã ab ineunte adolescentia ad hoc vsq; tempus, ô rex, erga tuam familiam præstiterim, & quanto studio cùm patri tuo, tum tibi inseruierim, nullis videor egere testibus: apud te præsertim, qui hęc satis exploratè cognita habeas. Quare pro omnib. officijs quæ in vos aliquando tã beneuolè contulerim, hoc mihi vnũ, velut remunerationis loco concede, vt his qui me ignorant, non videar tanquam infidus erga regnũ tuum, aut in aliquo maleficij genere deprehẽsus, istud supplicium subire. Et quò hoc pateat omnibus, fac præco palàm prædicet, caput Vsthazani amputatum esse, non quòd improbitatis cuiusquam in palatio ab ipso admissæ conuictus sit, sed quòd sit Christianus: & Deum suum, quo regis voluntati morem gereret, negare

Saporis Persarum regis in Christianos odium.

† Vide ad. not. pag. 24. lat. 2. lin. 20.

Symeonis archiepiscopi in confitẽda fide coram Sapore rege constantia.

Vsthazades al. Vsthazanes eunuchus ex abnegatore confessor factus.

Oratio Vsthazanis ad Regẽ Saporem.

Vsthazanes supplicij sui causam per præconem palàm prædicari petit.

Vsthazanis Eunuchi pœnitentia.

A negare noluerit. Atq; ista quidem regi nũciauit eunuchus. Sapores autem eadem, sicut Vsthazanes postulauerat, præconem prædicare iubet. Nam ratus est, alios prompto ac parato animo de religione Christiana descituros, si certiores fierent, nemini Christiano misericordiam tributam fore: quippe cum Vsthazanes senex, educator regis, ei familiaris & beneuolus, etiam esset interfectus. At Vsthazanes ad alium finem supplicij sui causam prædicari tam impensè desiderauit. siquidem cogitauit, quòd sicut, quando timore perterritus Solem adorabat, multis Christianis metum iniecerat: sic iam non pauciores ad suam animi magnitudinem & constantiam imitandam incitaret, si modò intelligerent, eum pro religione Christiana trucidatum fuisse.

De Christianis in Persia à Sapore neci datis, ac primùm Vsthazane, Abedechalaa, & Anania. CAP. IX.

Vsthazanis supplicium.

Vide Nicc. lib. 8. ca. 37.

HOc modo Vsthazanes vitã, quam hic in maxima gloria traduxerat, desecruit. Symeones autem de eius morte in carcere certior factus, Deo gratias pro illo egit. Postridie eius diei, qui erat sextus dies hebdomadæ, in quo ante celebrem diem festum resurrectionis, memoria salutaris Christi passionis quotannis recoli solet, decernit rex, vt Symeones gladio feriatur. Nam antè denuò è carcere deductus ad regem, forti & magno animo cum Sapore de fide Christiana disseruit: & neque illum, neque Solem adorare voluit. Eodem die centum alios quoque, qui erant in carcere, rex itidem obtruncari iubet. Ad extremum Symeonem, cum cæterorum omnium mortem oculis aspexisset, trucidari. Horum pars episcopi, pars presbyteri, pars ex alio clericorum ordine fuerunt. Cum omnes ad locum in quo erant necis supplicium subituri, deducerentur, princeps Magorum percunctatur ab illis, vtrum velint viuere, & eandem cum rege religionem colere, Solemque venerari? At vbi nemo eorum his conditionibus vellet in vita manere, rectà ad locum, in quo erant securi feriendi, deducuntur. Ac dum lictores in opus incumbunt, & in cæde martyrum occupantur, Symeones astans illis, dum interficiuntur, iubet bono animo esse, verbaq; apud eos facit de morte, de resurrectione, de pietate: & testimonijs ex Sacris literis depromptis confirmat, ita mori, esse verè viuere: atq; præignauia Deũ prodere, esse verè mori. Eos enim etiãsi nemo ipsis necẽ afferret, breui morituros: quãdoquidem à nemine in hanc lucem edito hic finis vitari potest. Post mortem verò, ea quæ sunt æterna, non eodem modo omnibus euentura: sed singulos velut trutina quadam examinatos, accuratam vitæ antè actę rationem reddituros: & hos pro rectè factis præmia percepturos immortalia, illos pro maleficijs pœnas sempiternas luituros: denique, pro Deo velle mori, esse in bonis summum, & rem multo beatissimam. Dum ista Symeones dicendo percurreret, & tanquam magister gymnasij præciperet quomodo in certaminibus se gererent, singuli aures attentas ei præbẽtes, ad necem cupidè gradiebantur. Lictor autem, postquam centum illos interemit, postremo in loco Symeonem obtruncauit: atq; Abedechalaam & Ananiam vnà, ambos senes, presbyteros ecclesiæ, cuius Symeones erat episcopus, pariter cum illo & cõprehensos, & in vincula cõiectos.

Centum Christiani simul cæsi, & vnà etiã Symeones.

Princeps Magorum.

Symeonis in consolandis martyribus et ad subeundũ supplicium exhortandis constantia.

Abedechalaã & Ananiæ, martyres.

De Pusice opificum Saporis præfecto, & filia eius, & Azade, martyribus. CAPVT X.

Vide Nicc. lib. 8. ca. 37.

ESodem temporis momento Pusices, præfectus omnium regis artificum, ibi fortè stans, cum videret Ananiam cui iam cædes parabatur, contremiscentem, Paulisper, inquit, ô senex, oculos occludito, & bono animo esto. nam statim lumen Dei videbis. Vix est hæc locutus, cum comprehensus est, & ad regem deductus. Atq; cum esset se Christianum cõfessus, quoniã libero ore apud regem pro religione Christiana & pro martyribus verba fecerat: idcirco quasi aliquod nefas dixisset, dabatur lictoribus mandatum, vt admodum peregrino & crudeli in primis mortis genere afficeretur. Lictores igitur collo eius circa tendinem perforato, illac linguam extrahunt. Porrò autem eius filia virgo, falsò à quibusdam in crimen vocata, comprehẽditur, eodemq; temporis articulo occiditur. Sequenti annò, eo ipso die, quo memoria passionis Christi recoli solet, cũ iam celebris dies festus resurrectionis expectaretur, exijt edictum Saporis crudelissimũ in vniuersam Persidẽ, quod iubebat, vt omnes qui se confiterentur Christianos, morti addicerentur. Quo quidem tempore multitudo Christianorum, quæ nè numerari quidẽ potest, securi percussa est. Siquidem magi eos ex vrbibus & vicis, in quibus latitabant, summa cũ diligentia eruerunt. Nonnulli aũt sua inducti voluntate, nemine eos ducente, se ipsi ideò indicarunt, ne silentio Christũ denegare viderẽtur. Ac dũ oẽs, qui erant Christiani, morte mulctarentur,

Perfecutio Christianorum.

Pusicis & filiæ eius martyrium.

Saporis edictũ

Magi Christianorum exploratores.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rētur, plurimi etiam, qui in ipso palatio ætatem egissent, mactati sunt: in quorum nu-
Azadis eunuchi martyriū. Regem monuit vt edicto suo tantum doctores Christianorum tollendos præciperet.
mero erat Azades cunuchus regi longè charissimus. Quem cum Sapores interfectum accepisset, incredibilem animo dolorem hausit: hancq; communem cædem sedauit, atq; solos religionis nostræ doctores trucidari iussit.

De Tarbula Symeonis sorore, & eius ac aliarum duarum martyrio.

CAP. XI.

Tarbulæ Symeonis sororis, & aliarū duarū martyrium.

PEr idem tempus regina in morbum delapsa, * Tarbula, soror Symeonis e- Vide Nice. lib. 8. ca. 27.
piscopi, sancta virgo, simul cum ancilla idem vitæ genus colente, & sorore eius, quæ post viri mortem abstinuit à nuptijs, & eandem viuendi rationem tenuit, comprehenditur. Causa autem, cur hæ mulieres fuerint comprehensæ, fuit, falsa criminatio à Iudæis in eas conficta, quòd videlicet ob mortem Symeonis iratæ, venena reginæ insidiosè parassent. Regina verò (solent enim ægrotantes malis omnibus facilè aures accommodare) calumniam veram esse, & maximè quidem, quòd erat à Iudæis obiecta, existimauit. Nam eiusdem erat cum Iudæis opinionis, ad eorum morem vitam instituebat, & veraces illos, sibiq; maximè benevolos putabat. Magi igitur Tarbulam & reliquas duas arreptas, morte condemnant. Accum serra dissectas patibulis suffixissent, effecerunt, vti regina spacium inter patibula intermissum transiret, perinde quasi morbus eo pacto depelleretur. Fertur hanc Tarbulam forma valdè liberali & honesta fuisse, magum quendam eam deperisse, mercedemque, vti cum illa rem haberet, clàm misisse: promisisse deniq;, si vellet ipsius parêre libidini, tum eam, tum socias saluas fore. At illam hanc turpitudinem ne audire quidem voluisse: sed nuncios verbis contumeliosis excepisse, intemperantiæ crimē cum probro illis obiectasse: se multo libentius velle mori, quàm virginitatem prodere, respondisse. Porrò cum edicto Saporis ratum esset, vti suprà demonstratum est, vt soli sacerdotes & doctores fidei Christianæ cōprehenderentur: Magi & eorum principes totā Persidem obeuntes, episcopos & sacerdotes grauibus afficiunt incōmodis, cùm in alijs locis, tū maximè omnium in Adiabenorum regione, quæ est pars Persidis, tota fidei Christianæ dicata.

Exemplum Virginitatis.

Apud Persas In episcopos & sacerdotes persecutio.

De sancti Acepsimæ martyrio, & alijs, qui cum eo mortem oppetebant.

CAPVT XII.

Acepsimæ episcopi martyrium.

B VIde Nice. lib. 8. ca. 27.

SVb idem tempus Magi Acepsimam quoq; episcopum, & complures ex eius clericis vnà quidem comprehendunt: sed cùm antistitem, velut prædā per insidias cepissent, eo contenti, cæteros, direptis illorum bonis, dimiserūt. At verò Iacobus quidam presbyter Acepsimam sua sponte sequitur: & potestate à magis postulata, in eundem carcerem cū eo concluditur: eique, vtpote ætate valde prouecto, lubens inseruit, subleuat quantum potest eius calamitates, & plagarum vibices sanat. Nam paulo pòst quàm erat comprehensus, Magi loris crudis, quò Solem adorare cogerent, eum acerbè verberarant: sed vbi nō cessisset, rursum conijciebant in vincula. Per idē tempus Aeithalas etiā & Iacobus presbyteri, Azadanes & Abdiesus diaconi, ob Christianā religionem in carcere iacuerunt crudelissimè à Magis cæsi. Multo autem iā dilapso tempore, princeps Magorum cū rege de illis cōmunicat: atq; nactus potestatem eos pro arbitrio suo torquēdi, nisi Solem adorarēt, mandatum Saporis illis qui in carcere tenebantur, significauit. Atq; simul vt respondissent, se nunquā prodituros Christum, neque Solem adoraturos, adeò crudelibus tormentis illos cruciauit, vt Acepsimas in fidei confessione fortiter perstans, mortē obierit. Cuius reliquias quidam ex Armenia, qui obsides erāt apud Persas, tumulo condidere. Alij autem, licet non minus acerbè quàm ille verberati, præter omnium opinionem in vita manserunt: qui cum in eadē perseuerarent sentētia, in carcerē demittò compingūtur. Quorū de numero fuit Aeithalas, cuius brachia inter vapulandum sic vsq; ab humeris violenta extensione diuulsa & eneruata fuere, vt manus tanquā mortuæ inde pendērent: quo factum est, vt alij cibum illius ori admouerent. Isto Sapore regnante, infinita multitudo presbyterorum, diaconorum, monachorum, sanctarum virginum, & aliorum, qui in ecclesiarum ministerio versabantur, & erga religionē præclarè animo affecti erant, egregia piæ vitæ testimonia dedit. Episcopi autem, quos accepi mortem in hac persecutione oppetiuisse, sunt, Barbasymes, Paulus, Gaddiabes, Sabinus, Mareas, Mocius, Ioannes, Hormisdas, Papas, Iacobus, Romas, Maares, Agas, Bochres, Abdas, Abdiesus, Ioannes Abramius, Agdelas, Sabores, Isaac, & Dausas: qui à loco quodam, qui Zaudæus dicitur, à Persis captiuus abductus fuerat, & illo tempore pro fide Christiana morte mulctatus, vnà cum Maurcamde Chorepiscopo & clericis, qui in eius diœcesi

Aeithalas, Azadanes, Abdiesus, Iacobus presb. martyrio affecti.

Martyria infinita sub Sapore.

Episcopi CCL. martyres.

A cesi erant, numero plus minus ducentis quinquaginta: qui comprehensi à Persis & captiui abducti fuerant.

De Millis episcopi martyrio, & eius vita: & quòd Sapores sedecim hominum milia, qui nominatim recensebantur, præter aliorum innumeram multitudinem, martyrio tradidit.

CAP. XIII.

VideNice. lib. 8. ca. 27.

Milles ex militare episcopus.

ERid temporis etiam Milles martyrio occubuit, qui primùm apud Persas militauerat: postea autem relicta militia, vitæ genus planè Apostolicū excolere cœpit. Fertur illum, cum esset episcopus vrbis cuiusdam in Persi de creatus, multos sæpenumerò cruciatus perpessum esse, verbera etiam & distractiones membrorum pertulisse. Ac cum neminem in ea ciuitate posset ad fidem Christianam traducere, ægrè & iniquo animo ferentem, ciuitatem execratum esse, indeq; decessisse. Non longo post tempore, cum primarij viri illius vrbis in regem peccassent, exercitum cum trecentis elephantis eò profectum, vrbem euertisse: & velut agrum colentes, in ea sementem feciſſe. Millem verò peram solum, in qua sacratum Euangeliorum librum habebat, secum gestantem, Hierosolymā precatum se contulisse: indeq; in Aegyptum ad visendos monachos, qui ibi ætatem degebant, concessisse. Quæ autē, quamq; admirabilia, & quàm diuina facinora ab isto Mille edita fuerint, testes sunt Syri, qui eius res gestas & vitam literis prodiderunt. Mihi certè satis visum est, hæc de eo, & de his, qui in Perside, regnante Sapore, martyrio obierūt, hactenus disseruisse. Nam tormēta illis inflicta, aut quinam fuerint, ex quóue loco, aut quo genere cruciamentorum martyrio defuncti sint, aut quibus supplicijs affecti, vix à quoquam percenseri potest: quippe cum tam varij cruciandi modi à Persis, tanto cum studio ad crudelitatem inuenti fuerint. Verùm, vt summatim dicā, fertur viros ac mulieres, quorum nomina recensebantur, martyrium id temporis pertulisse ad numerū sedecim millium: at multitudinem eorum, qui præter hos trucidati sunt, ne numero quidem cōprehendi posse: & propterea à perdifficilè visum esse Persis, Syris, & incolis Edessæ, qui multum de hac re laborabant, illorum nomina percensere.

Eius miracula.

Innumera Christianorū multitudo in Perside martyrio affecta.

B

Quomodo Constantinus Sapori scripserit, vt à Christianorum cæde temperaret.

CAPVT XIIII.

Constantius ad Saporem pro Christianis epistola.

POsteà verò quàm erat Constantino nunciatum, Christianos in Perside tam acerbè afflictatos, dolebat admodum, & vehementer angebatur: atq; cùm illis opem ferre niteretur, non tamen habebat quid ageret, quo vitam securam & tranquillam degerent. Accidit fortè, vt eodem tempore legati à rege Persarū ad ipsum accederent: quibus postulata concessit, & voti compotes dimisit. Iam verò sibi opportunum tempus oblatum arbitratus, Christianos in Perside Sapori commendandi: scripsit ad eum, se gratiam ingentem immensamq; illi habiturum, si erga illos, qui in ipsius ditione fidem Christianam profiteantur, se benignum velit ostendere. Nam religionis modum minimè culpandum esse: siquidem solis incruentis votis contenti sint ad placandum Deum, cui effusio sanguinis neutiquam grata acceptáue est, cum solo puro animo, cuius acies in virtutem & pietatem intenditur, delectari soleat. Ac propterea eos, qui ita crederent, iure laudandos esse. Pollicetur præterea, si huic religioni prouidere velit, Deum ei propitium fore: proq; argumento vtitur rebus, quæ tum Valeriano, tum sibijpsi obtigissent. Se namque propter fidem in Christum diuina ope roboratum, vniuersum imperium Romanum, exorsum ab Oceano ad solis occasum vergente, in suam potestatem redegisse: multa bella contra exteros prosperè gessisse, tyrannos profligasse: atq; ad eam rem neq; victimas, neq; diuinationes requisiuisse: sed ad victoriam consequendam signum crucis, quod suas copias antecedebat, & vota sanguinis ac sordium expertia, satis sibi attulisse subsidij. Valerianum autē tantisper Imperium feliciter administrasse, dum ecclesias nullis afficiebat incommodis. Verùm simul vt constituerat Christianos persequi, ira diuina exagitatum esse, & à Persis subiugatum: captiuum denique ab eisdem abductum, miserandum in modum interijsse. Hæc scripsit ad Saporem Constantinus, quo eius animum benevolum erga religionem Christianam redderet. Nam summæ ei curæ fuit, vt saluti Christianorum vbique, seu Romani illi, seu exteri fuerint, sedulò prouideret.

VideEuseb. in vita Constan. lib. 4. cap. 9. Videtheodorit. lib. 2. cap. 15. VideNice. lib. 8. c. 28.

Quòd

Quòd Eusebius & Theognis, Arij fautores, exhibito libello quòd Nicæno concilio assenturentur, suas vterque sedes recuperarunt.

CAPVT XV.

Arius ab exilio reuocatus

HAud ita diu post concilium Nicænum, Arius, qui eiectus fuerat in exilium, reuocatus est: sed tamen Alexandriam ingredi adhuc prohibitus: at pòst, vti suo dicetur loco, reditus in Aegyptum ei quorundam labore ac studio patefactus. Nec multũ iam temporis interfluerat, cum Eusebius episcopus Nicomediæ, Amphione qui in eius locum suffectus fuerat, eiecto, & Theognis Nicææ episcopus, cuius sedem Chrestus obtinuerat, suas ecclesias recuperarunt. Nam reuocati sunt, oblato episcopis pœnitentiæ libello, qui se habet ad hunc modum.

Vide Nicen. lib. 8. ca. 39. Vide Theodorit. lib. 1. ca. 19. 20.

Eusebij & Theognidis Arianorũ pœnitentiæ libellus.

Tametsi, cum antea à vestra sanctitate essemus condemnati, nostrum fuisset, ea quæ fuerant à vobis iudicata, tacitè & cum silentio tulisse: tamen quoniam absurdum erat, vt quæ essent nobis à calumniatoribus obiectata, iacere in silentio pateremur: idcirco vobis significauimus, nos fidei decisioni consensisse: atque vi & notione verbi ὁμοούσιου diligenter ponderata, paci nos totos addixisse, & nullum errorem secutos esse: sed tum, quòd ecclesiarum securitati prouidè consuleretur, ea quæ in nostram cogitationem venerant, vobis suggessisse: tum quòd illos qui nostro consilio & sententia acquiescere deberent, certa persuasione confirmaremus, fidei illi subscripsisse. Anathemati autem Ario à concilio denunciato, non ob eam causam non subscripsisse, quòd fidem illam incusaremus, sed quòd diffideremus, eũ eius generis hominem fuisse, qui erat accusatus: præsertim cum ex illis quæ priuatim ad nos ab eo tum per epistolas relata erant, tũ per eius conciones coràm habitas declarata, pro certo essemus persuasi, ipsum longè alium esse. † Quòd si sanctum concilium nostris verbis voluerit fidem adhibere, illa quæ vestro iudicio decreta sunt, non contradicendo impugnare, sed consentientibus animis confirmare decreuimus, & hoc libello consensum illum roboramus: non huc inducti, quòd exilium grauiter & iniquo animo ferimus, sed quòd libenter cupimus erroris vitare suspicionem. Nam si nos in vestrum conspectum venire permittatis, comperietis nos vestris decretis omnino suffragaturos. Et quoniam vestræ reuerentiæ visum est, illum qui istarum rerum reus agitur, humanitùs excipere, ad vos accersere: est planè à ratione alienum, vt qui crimine tenetur implicatus, accersatur, illisq; quæ ei obijciuntur respondeat, nos autem reticendo nosmetipsos culpæ conuincere videamur. Negrauemini igitur, sicut vestram decet reuerentiam, quæ tam propensa semper ad misericordiam esse solet, sanctissimum nostrũ Imperatorem de nobis in memoriã redigere, nostra postulata illi exponere, & maturè ea, quæ sunt prudentiæ vestræ consentanea, de nobis statuere. Hoc igitur constat, Eusebium & Theognidem tum resipuisse, tũ suas ipsorum ecclesias recuperasse.

Vide Socr. lib. 1. ca. 10.

† Vide anno. pag. 27. lat. 2. lin. 25

† Vide anno. pag. 27. lat. 1. lin. 29.

Ijdem ecclesijs suis restituti.

Quòd Alexandro Alexandriæ episcopo extremum diem oppetente, Athanasius impulsu illius episcopatum eius assumit: & narratio de eodem ab ineunte eius ætate, & quòd Antonio magno charus fuerit.

CAPVT XVI.

Athanasius Alexandri successor, anno 329.

EOdem tempore Alexander Episcopus Alexandriæ, cum iam de vita decessurus esset, suum in episcopatu successorem Athanasium reliquit diuina quadam impulsione, mea quidem sententia, ad ei suffragandum inductus: siquidem ferunt illum, cum conatus fuerat aufugere, inuitum ab Alexandro ad episcopatum illum capessendum cõpulsum fuisse, cuius rei testis est Apollinarius Syrus, qui sic scribit: Neque postea à bello destitere impij, sed vti in initio aduersus beatum huius viri magistrum arma sumpserant, & iste non aliter atque filius patri, ei aduocatus aderat: ita pòst in hunc ipsum, vt primùm in episcopatum successerat, impetum fecere. Qui tametsi aufugerat, ne in illo gradu locaretur, diuinitùs tamen denuò repertus est: quandoquidem diuinis quibusdam indicijs præsignificatum fuerat beato illi viro, qui episcopatum administrauerat, non alium, quàm hunc eius successorem fore. Nam cum ex hac vita vocaretur, essetq; iam morti vicinus: Athanasium, qui neutiquam aderat, nominatim appellat. Atque vbi eius gentilis, qui fortè aderat, cum nomen illud audiret, respondisset: obticuit ille, quasi eum non vocasset: Rursus vocat Athanasium: & quia hoc sæpius fecisset, ille alter Athanasius, qui aderat, deinceps silentio vsus est. Siquidem ille, qui aberat, significabatur. Quod etiam beatus ipse Alexander more prophetæ apertè indicauit, cum diceret: Athanasi, putas te posse effugere, non tamen effugies. Quibus verbis ostendit, eum ad certamen vocatũ esse. Hæc de Athanasio scribit Apollinarius. Cæterũ Ariani dicunt, cp Alexandro mortuo, quinquaginta-

Vide Nicen. lib. 8. ca. 44.

Vide Theodorit. lib. 1. ca. 21. 22. Socrat. lib. 1. ca. 11. 20.

Testimonium Apollinarij Syri de Athanasio.

A gintaquatuor episcopi, qui partibus Alexandri & Meletij fauebant, ex Thebaide & reliqua Aegypto in vnum coacti, communicarunt inter se de episcopo creando: & dato iureiurando, communibus suffragijs consenserunt de vno eligendo, qui ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula susciperet: sed septem eorũ, violato iureiurando, contra omnium voluntatem clàm Athanasium episcopum ordinasse: & propter eam causam multos tum ex populo, tum ex clericis Aegypti, eius vitasse communionem. Attamen ipse equidem credo, hunc virum non sine prouidentia diuina ad episcopatum ascendisse: quippe tum qui ad dicendum, tum ad intelligendum, tum ad resistendum insidijs aduersariorum admodum idoneus esset, qualem certè eius tempora in primis requirebãt.

Athanasius nõ absq; prouidentia diuina ad episcopatum vocatus.

† Erat quidem ad ecclesiæ negocia obeunda, & ad res sacras tractandas aptissimus. Atq; ab ineunte ferè ætate eius generis fuit, vt suopte ingenio ac natura, doctrina imbutus videretur. Cui quidem, cum nondum pubesceret, istud euenisse memorant. Diem festum popularem & valde splendidum, maximo hominum cœtu quotannis Alexandrini eo die, quo Petrus ipsorum episcopus martyrio occubuit, adhuc etiam agunt. Quem diem cum Alexander quoq; eorum antistes vnà celebraret, iamq; sacra peregisset mysteria, fortè expectauit conuiuas, qui secum pranderent. Cum solus esset, oculosq; ad mare cõuertisset, vidit longè ab se pueros in litore colludentes, & consuetudinem quodammodo episcoporum & ecclesiæ ritus imitatione exprimentes. Vbi autẽ in illo imitationis genere nihil inesse animaduertit periculi, lætatus est spectaculo, & ex rebus in ludo gestis voluptatem cepit. At tandem cum arcana mysteria imitando adumbrare incepe-rent, animo conturbatus est. Atque accersitis quibusdam principibus ex clero viris, pueros digito demonstrat: pueros comprehendi, & ad se adduci iubet. Percontatur ab illis de genere ludi, quibus verbis, quibúsue actionibus in eo vsi sint. Illi primo metu perterriti, dicere noluerunt. At cum quærendo instaret Alexander, indicarunt, Athanasium episcopum & principem ludi fuisse: puerosq; quosdam nondũ initiatos mysterijs, ab illo baptizatos esse. à quibus Alexander accuratè scisciitatur, quid sacerdos & episcopus ludi ipsis dixerit, fecerit ue, & quid ipsi vel respõdissent, vel ab eo didicissent. Postremò, vbi Alexander comperit, vniuersum ordinem ac ritum ecclesiasticum ab illis exquisitè seruatum, consilio sacerdotũ, quos circa se habebat, approbauit baptismum: & pueros semel in animorum simplicitate diuina gratia imbutos, rebaptizãdos non censuit, sed cæteris mysterijs, quæ solis sacerdotibus fas erat obire, in illis expleuit. Athanasium autem & cæteros pueros, qui partes presbyterorum & diaconorum inter ludendũ egissent, parentibus tradiderunt, Deo teste ad Ecclesiæ ministeria educãdos, vti in eo munere vitam transigerent, quod imitatione adumbrassent. Haud ita diu pòst Alexander Athanasium & conuictorem suum & scribam constituit. Itaq; præclarè educatus, & cùm in Grammaticorum, tum in rhetorum scholis accuratè institutus, cum iam vir esse inciperet, antequam erat creatus episcopus, his qui cum ipso in colloquium fortè venirent, se sapientem & disertum virum probauit. Vt autem Alexander obijt mortem, Athanasius, quem suum reliquerat successorem, indies in maiore gloria esse cœpit: quæ cùm suis ipsius virtutibus, cum testimonio Magni Antonij monachi confirmata est. Nam cum Antonius eius causa accersitus esset, venit in vrbes: & ad ecclesias accedens, his quæ Athanasius de Deo sentiebat, suffragatus est: deniq; in omnibus rebus sibi amicum habuit, & eius aduersarios atque inimicos detestatus est.

Alexandrino rũ festum, quo die Petrus eorum episcopus martyrium passus est.

Præsagium Alexandri de Athanasio.

Athanasij adolescentia, & educatio.

Antonij erga Athanasio testimonium.

Quòd Ariani & Meleciani Athanasium celebrem fecerunt: & de Eusebij apud Athanasium solicitatione, vt Arium susciperet: & quòd præ cæteris omnibus, Eusebius Pamphili & Eustathius Antiochiæ episcopus, de voce Consubstantialis summum inter se certamen inierunt.

CAPVT XVII.

Vide Nicen. lib. 8. c. 44.

POrrò Ariani & Meletiani nomen Athanasij maximè illustre reddiderũt: qui tametsi insidias illi tendere nunquam desistebant, tamen nullam aliquando causam ad eum capiendum reperire visi sunt. Primùm igitur Eusebius per literas illius animum tentare aggreditur, velitne Arianos in ecclesiam recipere. Quòd si renueret, verbis grauiter minatur, se illum male mulctaturum. Vbi verò Athanasius eius neutiquam cessit sententiæ, sed constanter asseuerauit, eos qui res nouas contra veritatem inuenissent, & ob eam causam essent à concilio Nicæno abdicati, minimè recipiendos esse: Eusebius toto animo cõnitebatur, vt Imperator ipse Arium recipiendum curaret, & ei reuertendi potestatẽ faceret. Verũ quemadmodũ hæ res confectæ sint, dicã equidẽ haud ita multò pòst. Illo tẽpore episcopi deintegrò cœpere inter se, dũ verbũ ὁμοούσιον nimis curiosè expẽdere laborãt, magno pere

Athanasius aduersariorũ suorum contentionibus et insidijs illustrior factus.

Episcoporum super ὁμοούσιῳ verbo discordia.

pere discordare. Nam pars, illos qui hoc verbum approbarent, loqui blasphemiam pu- A
tauerunt, vtpotè filium essentiæ expertem opinantes, & cum Montano & Sabellio sentientes: pars rursus, eos, qui contra sentirent, velut Gentiles auersantes, criminati sunt, quòd cultum multorum deorum introducere studebant. † In quibus rebus excutiendis Eusebius cognomento Pamphilus, & Eustathius Antiochenus, maximè omniũ sua ingenia exercuêre. Nam etsi vterq; filio propriam tribuit essentiam, tamen alter alterũ tanquam diuersa sentientem insimulauit. Eustathius quidem accusat Eusebium, vti Concilij Niceni de fide decreta innouantem: respondet autem Eusebius, se ea quidem approbare, sed Eustathium reprehendere, velut Sabellij opinioni deditum.

Eusebij & Eustathij dissidium.

†Vide anno. pag. 28. lat. 1. lin. 24

De Antiocheno Concilio: & quod præter æquum & iustum Eustathius abdicatus est, cooptato in eius sede Euphronio: & quid Constantinus Magnus concilio & Eusebio Pamphili, qui Antiochiæ thronum recusabat, scripserit.

CAPVT XVIII.

Eustathius episcopatu abdicatus.

Vide Nicen. lib. 2. c. 45. Vide Theodoritũ lib. 1. ca. 21. 22. Socrat. lib. 1. ca. 18. 20. Vitã Constant lib. 3. cap. 57. & seq.

MAque Concilio Antiochiæ conuocato, Eustathius episcopatu Ecclesiæ Antiochenæ abdicatur. Cuius rei veram causam fuisse crebro hominum sermone celebratur, quòd fidem Concilij Nicæni approbabat, quodq; Eusebium cum suis, Paulinum Tyri, & Patrophilum Scythopolis episcopum (quorum sententiam Orientis sequebãtur sacerdotes) vti sectę Arianę addictos detestatus est, eosq; palàm incusauit: simul autem, quod sacerdotij dignitati impuris factis dedecori fuisse deprehensus est. Propter cuius abdicationem maxima Antiochiæ seditio cõflata est: adeò vt parum abesset, quin multitudo gladios strinxisset, & tota ciuitas in graue periculum deuenisset.

Seditio Antiochiæ propter Eustathij abdicationem.

Quæ res vna eius causæ apud Imperatorem non mediocriter obfuit. Nam vt primũ nunciatum est Imperatori, has res accidisse, & populum in duas partes diuisum esse, acerbè tulit: & Eustathium, velut authorem seditionis, suspectum habere cœpit. Quamobrem vnum ex primarijs satellitibus suis mittit cum mandato, vt plebi terrorem injiciat, & seditionem sine tumultu & detrimento cuiusquam restinguat. Qui autem Eu- B
stathium abdicauerant, atque Antiochiam ea de causa conuenerant, quoniam induxerе animum, si vnum, qui suæ faueret opinioni, esset q; Imperatori notus, & literarum cognitione egregiè ornatus, illius ecclesiæ crearent antistitem, se alios sibi facilè obsequẽtes habituros: idcirco rectum statuerunt, sedem Antiochenam Eusebio cognomento Pamphilo deferre. De qua re scribunt ad Imperatorem literas, quibus significant, hanc rem populo valdè gratam esse. Ita enim postulatum erat ab omnibus, tam clericis quã laicis, quorum animi Eustathio infensi fuerunt. At Eusebius scripsit Imperatori, se nolle eum episcopatum capessere. Quem Imperator, quòd illum honoris gradũ repudiauerat, laudauit plurimum. Legem nanque esse, ecclesia sancitam, ne qui vnius ecclesiæ antistes creatus esset, ad alteram transferretur. Scripsit etiam literas cùm ad populum, tum ad Eusebium, eiusq; vehementer probauit sententiam: beatumque vocauit, quòd non ad vnius ciuitatis, sed ad totius orbis terræ episcopatum administrandum idoneus iudicatus esset. Scripsit autem ad populum ecclesiæ Antiochenæ de concordia, & quòd alterius ecclesiæ episcopum non deberent appetere: & quòd malum esset, rerum cupiditate duci alienarum. Aliam præterea epistolam separatim concilio dedit, in qua & Eusebium itidem, quòd episcopatum illum recusauerat, laudauit: & persuasum habens Euphronium Cappadocem præsbyterum, & Georgium Arethusium, viros esse spectatę fidei, iussit, vt vel alterum istorum pro suo arbitrio, vel alium, qui ipsis videretur idoneus, ecclesiæ Antiochenæ antistitem deligerent. Quare vt primùm literas accepere Imperatoris, Euphronium constituerunt episcopum. Eustathius autem, vti accepi, falsam sibi obiectam criminationem animo quieto & tranquillo ideò tulit, quòd illud sibi commodius fore putauit: vir quidem cùm in alijs rebus præstabilis & spectatus, tum in eloquentia iurèadmirandus: quemadmodum ex libris eius, qui extant, cognosci potest, in quibus & vetus loquendi ratio, sapientes sententiæ, verborum elegantia, & lepos in rebus explicandis non sine magna omnium commendatione elucet.

Euseb. Pamphili ab Constantino laudatus, obid, quod Antiochenum episcopatum oblatũ repudiauerit.

Lex de non transferendis episcopis.

Euphronius Antiochiæ episc creatus.

Eustathij scripta.

De Maximo, qui post Macarium Hierosolymorum sedem obtinuit.

CAPVT XIX.

Syuelster, Marcus, Iulius, Rom. episc.

Vide Nicen. lib. 2. c. 46.

PEr id tempus, cum Marcus post Sylvestrum ad exiguum tempus episcopatum Romanum gessisset, Iulius in illam sedem successit: in sedem autem Hierosolymorũ post

A post Macarium, successit Maximus. Quem fama est episcopum ecclesiæ Diospolitanæ à Macario ordinatum fuisse: sed à populo Hierosolymitano, ne eam sedem capesseret, impeditũ. Nam quia confessor erat, & vir alioqui spectatus, populi suffragijs decretum fuit, vt post mortem Macarij in illius vrbis episcopatum succederet. Itaq; cum multitudo ægrè ferret, se eo priuatã fore, cuius virtutem exploratè cognitã haberet, & seditio ex ea re oriri videretur: visum est Diospolitanis, aliũ episcopũ deligere, vti Maximus maneret Hierosolymis, & sacro episcopatus munere vnà cum Macario fungeretur, & post eius mortẽ ecclesiam illam solus gubernaret. Attamen intelligendũ est, quòd hi qui in hac re cognoscenda accuratius laborarint, affirmant, plebem istam omnia de sententia Macarij & fecisse, & summo studio conatã esse. Nam eum omni curaincubuisse, vt Maximus post se constitueretur episcopus memorant: propterea quòd mente complectebatur, illum, cùm rectam veramq; de Deo opinionem teneret, & ob fidei confessionem populo percharus esset, necessariò ad sibi succedendum reseruandum esse. Siquidẽ veritus est, ne se mortuo, Eusebius & Patrophilus, sectæ Arianæ fautores, tempus idoneũ nacti, illam episcopalem sedem alicui suæ opinioni dedito tribuerent. quandoquidem dum Macarius maneret in vita, nouis rebus studere cœperunt illi quidem: sed cum ab eo essent ea de causa ab ecclesia segregati, conquieuerunt.

Maximus Macarij successor Hierosol.

Macarij sollicitudo de successore.

De Meletianis & Arianis, quo pacto in vnum coaluerint: & Eusebio & Theognide, quomodo pestem Arianam de integro suscitare connixi sint.

CAPVT XX.

Vide Nicen. lib. 6. ca. 46.

DVM hęc geruntur, contentio inter Aegyptios ab initio concitata, longius manare cœpit. Nam quanquam in concilio Nicæno Ariana hæresis prorsus condemnata fuit: & Meletiani conditionibus illis, quas suprà cõmemorauimus, in ecclesiam recepti: & Meletius Alexandro in Aegyptũ reuerso ecclesias, quas iniquè occupasset, reddidit, ipseq; in Lyco iã ætatem degit: tamẽ non multo pòst, cũ erat è vita migraturus, Ioannẽ, vnum ex familiarib. suis, contra decretũ Nicæni concilij in suum locũ suffecit, sicq; ecclesias denuò conturbandi author & causa extitit. Ariani aũt cum Meletianos nouas res moliri cernerẽt, ipsi quoq; ecclesias turbare cœperunt. Nã vti in e- B
iusmodi tumultib. solet euenire, alij Arij laudabant opinionẽ, alij sacerdotes à Meletio ordinatos debere ecclesijs præesse æquũ iudicabant, eorumq; partibus se addicebant. Et quanquã Ariani & Meletiani antè inter se dissentiebãt, tamen cũ viderent multitudinẽ ad partes sacerdotũ ecclesiæ catholicæ deflectere, eã rapere in inuidiã, fœdera amicitiæ inter se ipsi iungere, cõmune odium inter clerum Alexandrinũ suscipere, promiscuè illis, cõtra quos disceptabãt, crimina inferre, & se mutuò defendere studuerũt: vsq; eò, vti progrediẽte tẽpore Ariani, licet cũ Meletianis de ecclesiarũ primatu decertarẽt, àpleriſq; Meletiani nominarentur: sed tamẽ eandẽ, quam Arius, de Deo opinionẽ tenere nõ desisterent. Ac quãuis vtriq; suã controuersiam ab se mutuò disceptari dijudicarią; recusarint, tamẽ contra omniũ opinionem in cõmunis simultatis aduersus orthodoxos sodalitate nõ inuiti consenserunt: singuliq; eorũ expectarunt, se facilè, quę sibi in optatis ecciderent, consecuturos. Tempore aũt procedente, habitum dogmatũ Arianorum ex dispurationibus de illis habitis nacti, eadẽ cum Arianis de Deo sentire cœperunt. Hincq; res Arianę ad priorẽ denuò tumultum reuolutæ sunt: atq; populus & clerus à mutua inter se cõmunione separati. Quinetiã cùm in alijs vrbib. tum maximè in Bithynię & Hellesponti ciuitatibus, tum Constantinopoli quoq;, dogmata Arij de integro accensa. Deniq; fertur, Eusebium episcopũ Nicomediæ, & Theognidem Niceę, cum falsa persuasione eum, cui Imperator libellum de actis concilij Nicæni custodiendum commiserat, circumuenissent, suas in eo subscriptiones deleuisse: iamq; conatos palàm docere, non existimandum filium patri consubstantialem esse. De qua re Eusebium, cũ esset accusatus, apertè ac liberè respõdisse Imperatori: atq; veste quadã, qua induebatur, demonstrata dixisse, Si vestis illa se inspectante diuideretur, se tamen nunquam affirmaturum vtranq; eius partem vnam eandemq; essentiam habere. Quibus verbis grauiter cõmotus est Imperator. Nam cum persuasum haberet, tales quæstiones post concilium Nicænum penitùs compressas fore, præter spem eas denuò excitatas vidit. Maximè autem omnium eius animum offenderant Eusebius & Theognis, quòd cum quibusdam Alexandrinis quos vt parum rectè de fide sentientes ad pœnitentiam agendam concilium reseruauerat, communicassent. Ob quam causam eos, velut dissidij authores, exilij causa solum vertere imperauit. A` nonnullis enim Imperatorem hac de re iracundia accensum, Eusebium & Theognidem exilio addixisse memoratum est. Verùm ea, quę de hac causa acceperam, ab illis qui eam accuratè tenebant, suprà explanaui.

Meletius nouæ turbæ author.

Arianorum cum Meletianis societas in opprimenda Catholica ecclesia.

Meletiani tandem Arianorũ opiniones imbiberunt.

Acta concilij Nicæni corrupta.

Euseb. et Theognis exilio multati.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ res contra Athanasium Ariani & Meletiani nequicquam commenti sint. A

CAPVT XXI.

POrrò autem isti duo rerum incommodarum, quæ deinceps Athanasio acciderunt, authores fuere. Nam cum multum authoritate & potentia apud Imperatorem postea valerent, Arium, vt eadem secum opinione & amicitia quoque coniunctum, Alexandriam reducere: Athanasium autem, vt aduersarium, ecclesia eijcere studuerunt. Quare eum apud Constantinum, vt seditionis & tumultus in ecclesia authorem, falsò insimulant: & quòd plerosque in ecclesiam ingredi cupientes prohiberet, cum liceret concordiam inter omnes constitui, si istud vnum permitteretur. Quas criminationes contra eum confictas, multi episcopi & clerici qui cum Ioanne conspirabant, quique continenter ferè ad Imperatorem accedebant, veras esse confirmauere: atque adeò dixere se orthodoxos esse, & tum eum, tum episcopos sibi subiectos cædis, vinculorum, plagarum iniustè inflictarum, vulnerum & incendij ecclesiarum accusauere. Vbi verò Athanasius etiam significasset Imperatori iniquas Ioannis & episcoporum sibi fauentium ordinationes, & non eas solum, verùm etiam innouationem decretorum concilij Nicæni, fidem corruptam, seditiones, & contumelias orthodoxis impositas, criminis loco illis obiectasset, Imperator deinceps non habebat cui crederet. Ac cum eiusmodi crimina ipsi sibi mutuò intenderent, & sæpe accusatores multi vtrinque multum exhiberent molestiæ, scribit Athanasio (multitudinis enim consensus inprimis sibi curæ fuit) vt nemo aditu ecclesiæ prohibeatur. Quòd si sibi post illud tempus id factum esse indicaretur, se sine mora missurum aliquem, qui illum Alexandria exturbaret. Cuius rei cognoscendæ si quis cupiditate vlla ducatur, legat Imperatoris epistolam, cuius partem hîc posui, quæ ita se habet: Cum consilij & voluntatis meæ rationem acceperis, fac omnibus in ecclesiam ingredi cupientibus liberum aditum præbeas. Nam si intellexero quenquam, qui ecclesiæ particeps fieri cupiat, vel impeditum abs te esse, vel introitu prohibitum, mittam aliquem è meis, qui mandato meo te de gradu dimoueat, locumque tuum alteri tribuat. At verò vbi rescripsit Athanasius, & Imperatori persuasit, non dandam esse Ario potestatem cum ecclesia catholica communicandi: Eusebius animaduertens se Athanasio tam acriter contrà nitente, non posse consequi quod animo instituerat, omnibus viribus laborandum censuit, vt Athanasius è medio remoueretur. Sed cum non satis causæ haberet ad conatum tam insidiosum suscipiendum, pollicetur Meletianis, se eorum causam cùm apud Imperatorem, tum apud eos, qui apud illum multum possent, adiuturum, si modò Athanasium accusare velint. Quamobrem Athanasius primùm in crimen vocatur, quòd tributum vestium linearũ Aegyptijs imposuerat: quod tributum eum etiam exegisse accusatores affirmarunt. Verùm Alypius & Macarius presbyteri ecclesiæ Alexandrinæ, qui ibi forte fortunà aderant, hoc falsum crimen diluerunt. At Athanasium hac de causa accersitum denuò accusant, quòd capsam auri quò Imperatori pararet insidias, cuidam Philumeno miserat. Cæterùm vbi intellexit Imperator accusatorum calũniam, facit potestatem Athanasio domum reuertendi. Quinetiam scripsit ad populum Alexandrinum, Athanasijq; singularem modestiam ei & fidem sanam testificatur, & quòd cum illo lubens in congressum & colloquium venerit, quodq; persuasum habuerit, eum virum planè diuinum esse: eumq;, cum inuidiæ causa accusatus esset, superiores partes ab aduersarijs consecutum. Porrò, Imperator cum accepisset, complures Aegyptiorum adhuc propter Arium & Meletium inter se digladiari, per epistolam eos hortatus est, vt Deum ante oculos statuerent, eiusq; iudicium mente complecterentur, & mutuam inter ipsos beneuolentiam seruarent: deniq; eos qui ipsorum concordiam per insidias dirimere conarentur, pro virili exagitarent. Qua quidẽ epistola scripta in hanc sententiam Imperator tum eos omnes communiter ad concordiam incitauit: tum laborauit sedulò, ne consensus Ecclesiæ distraheretur.

Vide Nicen. lib. 2. ca. 42.

Calumniæ in Athanasium.

Constantini ad Athanasium epistola.

B

De intentata in Athanasium propter Arsenij brachium calumnia.

CAPVT XXII.

MEletiani autem, quoniam prior conatus ipsos frustratus fuerat, alia duo crimina aduersus Athanasium contexuerunt: alterum, quòd sacrum calicem confregerit: alterũ, quòd Arsenio quodã interfecto, brachium eius amputauerit, & apud se ad magicam exercendam retinuerit. Iste Arsenius (erat autem clericus) cum in quoddam graue peccatum delapsus esset, dicitur se occultasse. verebatur enim, ne apud episcopum in iudicium vocatus, pœnas daturus esset. Quod cum ita accidisset, illi qui Athanasio

Vide Nicen. lib. 8. c. 48. Vide Socr. lib. 1. ca. 21. Theodorit. lib. 1. c. 30.

Athanasij accusatio calumniosa.

Alia crimina Athanasio intentata.

Arsenius.

A Athanasio machinabantur insidias, grauissimum inde crimen in eum confingere cœperunt: & propterea Arsenium diligenter conquirere. quem cum reperissent, benignè complecti, polliceri se ei omnem præstituros beneuolentiam, in tutoq; collocaturos: clàm deducere ad quendam familiarem & suarum partium fautorem, nomine Prinem, monasterij cuiusdam presbyterum. Arsenio igitur ibi occultato, sedulò per publicas plateas & per magistratuum conuentus circuire, dissipare rumorem, Arseniũ ab Athanasio interemptum. Postremò, ad hoc crimen Athanasio obijciendum, Ioannem quendam monachum subornare. Cuius facinoris indigni, atq; adeò turpis cũ fama vsq; eò in vulgus emanaret, vt ad aures etiam Imperatoris peruenire, Athanasius videns, quòd, quamuis fieri posset vt eiusmodi criminis insimulatus sese sustineret, difficile esset apud iudices, quorum animi talibus rumoribus antè occupati tenebantur, pro se respondere, fraudibus aduersariorum se strenuè opposuit: & quoad eius fieri poterat, omnibus fidem faciendo prouidit, ne veritas in occulto lateret. Erat tamen perdifficile hanc rem vulgo persuadere, præsertim cum Arsenius nusquam compareret. Itaq; cum secum considerasset, nulla alia ratione se ipsum posse suspicione liberari, nisi eũ viue re mõstraret, qui mortuus esse dicebatur: quendam ex suis diaconis virum fidelissimũ, Arsenium quæsitum mittit. Qui in Thebaidem profectus, quorundam monachorum indicio fit certior de loco, vbi Arsenius iam ætatem degebat. Verùm simul vt venit ad Prinem, apud quem latitabat Arsenius, ibi Arsenium neutiquam offendit (nam aduentu diaconi antè cognito, illum in inferiorem Aegyptum transtulerant) sed Prinẽ comprehensum deducit Alexandriam: & vnà cum illo Heliam, vnum ex eius familiaribus, qui dicebatur Arsenium aliò transtulisse. Qui duo ad præfectum præsidiariorum militum in Aegyptum versantium adducti, confessi sunt, Arsenium viuere, & apud ipsos antè delituisse, at iam in Aegypto commorari. De quibus rebus, vt acciderant, Imperatorem certiorem fieri cupiebat Athanasius. Ad quem rescripsit Imperator, vt in sacerdotio diligenter fungendo perstaret: & ea quę ad populum ritè gubernandum, & ad colendã pietatem pertinerẽt, sedulò prouideret: & Meletianorum insidias pro nihilo duceret. Se namq; exploratum habere, eos inuidia inflammatos eiusmodi falsa & cõmenticia crimina confinxisse, atq; tumultus contra ecclesiam excitasse: & se de cętero minimè permissurum, vt talia facinora admittantur: sed secundum leges ciuiles iudiciũ, nisi quiescant, exercitum, & sumpturum de illis supplicium, vtpote qui non modò innocentibus iniustè tendere insidias, verùm etiã rectum Ecclesiæ ordinem perturbare, & veram pietatẽ labefactare niterentur. Hæc scripsit Imperator ad Athanasium, iussitq; epistolam in communi populi conuentu legi, quò omnes ipsius voluntatẽ cognoscerent. Ex quo tempore Meletiani metu adducti, quietè se gesserunt: siquidem Imperatoris minas non parum sunt veriti. Itaq; ecclesia per vniuersam Aegyptum pacata, & à tam egregio episcopo administrata, indies magis magisq; creuit: quandoquidem tum ex Gentilibus, tum ex alijs sectis, non pauci ei adiecti fuerunt.

B

Ad Patrinem.

Constantini ad Athanasiũ literæ post relectas in eum calumnias.

Quod eo tempore interiores Indorum gentes, Frumentij & Aedesij captiuorum studio Christianam fidem amplexati sunt.

CAP. XXIII.

VIde Nicen. lib. 8. ca. 35. Socr. lib. 1. cap. 15. Theodori. lib. 1. ca. 23. Vitã Constant. lib. 4. cap. 50.

SVB idem tempus accepimus, Indos interiores (sic enim nostra memoria appellantur) ad quos doctrina & prædicatio Bartholomęi minimè peruenerat, à Frumentio sacerdote & doctore sacræ disciplinæ, qua imbuantur, fidem Christianam didicisse. Verùm vt in hoc miraculo, quod Indis accidit, intelligamus religionem Christianam non ex hominum ingenijs initium cepisse, vti quidam monstrosè fabulantur, causa cur Frumentius sit sacerdos institutus, explicanda est necessariò. Veteres philosophi Gentiles facilè præstantissimi, vrbes & loca ignota perlustrare magno æstimarunt. Nam sic Plato Sacratis amicus & familiaris fecisse dicitur, & in Aegyptum contendisse, quò eorum vrbes, instituta & mores cognosceret. Nauigasse etiam in Cilicià, vt crateres, qui illic erant, viseret, in quibus ignis velut ex fonte sine intermissione profusus, sua sponte erumpere cernitur. non rarò aũt ita redũdat, vt instar fluminis dilabatur, atq; adeò terrã depascatur vicinam, vti ad hoc tempus agri complures exusti videantur, & neq; sementẽ recipiant, neq; arborum consitionẽ, sicut de terra Sodomorum memoratur. Ad hos crateres visendos Empedocles quoq; accessit, vir apud Gentiles propter philosophię scientiam admodum celebris: qui quidem rerũ cognitionem, quam animo tenebat, heroico carmine persecutus est. Hic cum de ignis eruptione hęsitaret, seu quòd hoc modo mori satius putauit: seu istud verius dici potest, quòd ipse fortasse nõ nouit cur hoc immaturo mortis genere in eo loco occubu-

Indi interiores fidẽ Christ. à Frumentio edocti.

Platonis peregrinatio.

Crateres Aetnæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Democritii peregrinatio.

occubuerit, insilijt in ignem, sicq; interijt. Porrò autem Democritus Cous plurimas per-
uidisse vrbes, cœlum mutasse, peragrasse regiones, gentes varias cognouisse, vitam in
exteris nationibus ad annos octoginta traduxisse. Idem studium fuit in alijs præterea fe-
rè infinitis sapientibus Gentilib. tum qui quondam, tum qui recentiore memoria vixe-
runt. Quorum exemplum imitatus Meropius philosophus quidam Tyrius ex Phœni-
cia, ad Indos profectus est. Quem comitati sunt duo pueri, quorum alter Frumentius,
Aedesius alter appellatus est. Ambo illius consanguinei, & literis ab eo liberaliter insti-
tuti. Vbi autem eas vrbes & loca Indiæ, quæ commodè poterat, obijsset,† reuerti consti-
tuit. Atq; nauem quæ traiecit in Aegyptum, fortè nactus, cum in portum quendam seu
aquæ seu aliarum rerum necessariarum causa appulissent, Indi, qui illic habitabant, ac-
currentes, cùm cæteros omnes, tum ipsum philosophum Meropium, rupto, quod per-
cusserāt cum Romanis fœdere, trucidarūt. Pueros autem, vtpote ætate tenera miserati,
viuos ad regem suum deduxerunt. Quorum minorem natu pincernam suum fecit: ma
iorem nomine Frumentium, familiæ & pecuniarum administratorem: quippe eum &
prudentem, & ad illud munus obeundum valde idoneum esse perspexit. Cum verò se
ad prolixum temporis spacium tum vtiles regi, tum fideles præstitissent: rex iam mori-
ens relicta filio paruulo & coniugi regni hæreditate, eos beneuolentiæ causa libertate
donauit, copiamq; fecit, ætatem, quo in loco vellent, transigendi. Itaq; illi Tyrum ad
suos reuerti maturarunt. At regina, quoniam filius adhuc admodum adolescens erat,
contendit ab illis, vti vsq; eò regnum administrent, quoad filius ad robustam ætatē per-
ueniat. Qui reginam istud efflagitantem reueriti, tum palatium regis, tum regnum gu-
bernandum suscipiunt. Frumentius autem seu diuinis fortasse incitatus visionibus, seu
sua sponte, non tamen sine Dei impulsione, percontatur, Ecqui essent apud Indos Chri-
stiani aut mercatores Romani, qui eò commearent. atq; cum diligenter conquirendo
quosdam ibi esse comperisset, accersit ad se. Quos beneuolentia & humanitate summa
complectens, fecit vt precationis causa in vnum coirent, & more Romano conuentus
agerent: templisq; extructis, hortatus est, vt Deum assiduè colerent. Iam verò vbi filius
regis pubescet, eum & reginam, qui egerrimè eorum discessum ferebant, orant abeun-
di copiam: qua impetrata, decedentes inde cum gratia, ad ditionem Romanam reuer-
terunt. Aedesius cupidus visendi suos, Tyrum redit: vbi pòst presbyterij gradum obti-
nuit. Frumentius autem itinere in Phœniciam in aliud tempus dilato, rectà Alexandriā
proficiscitur. nam minimè sibi rectum videbatur, patriam & genus rerum diuinarum
studio anteponere. Veniens igitur cum Athanasio ecclesię Alexandrinæ præsule in col-
loquium, res apud Indos gestas exponit: docetq;, Christianos qui ibi sunt, opus habere
episcopo, qui ipsis præesset. Athanasius conuocatis sacerdotibus Alexandriam incolē-
tibus, cum illis super hac re init consilium, ordinatq; Frumentium Indiæ episcopum:
ratus eum tum maximè idoneum esse, tum posse religionem Christianam vehementer
propagare, apud eos præsertim, inter quos & nomen Christianorum primus prædicas-
set, & in quorū animis fidei Christi semina inseuisset. Itaq; Frumenti⁹ reuersus ad Indos
dicitur tā insigniter sacerdotio perfunctus esse, vt eius conata oēs laudarent, nō minus
illum quàm Apostolos admirati: quādoquidem Deus per eum multos mirandū in mo-
dum sanando, signa & prodigia edendo, eū reddidit planè illustrissimū. Sed qui fuerit a-
pud Indos sacerdotij & Christianæ religionis exorsus, ex his satis cognosci potest.

Meropij Philosophi in Indiam suscepta peregrinatio.

Meropij comites Frumētius & Aedesius.

Meropij mors.

Frumentius quomodo gratiam apud regem nactus.

Aedesius.

Frumentius Indiæ episc. ordinatus.

†Vide annot. pag. 30. lat. 2. lin. 4.

De concilio Tyrio, & temeraria sancti Athanasij abdicatione.

CAPVT XXIIII.

ATHanasio autem aduersarij per insidias de integro facessere molestiam, odium
apud imperatorem ei struere, & magnum accusatorum numerum contra eū
comparare cœperunt. Quorum importuno rogatu impulsus Imperator, conci-
lium Cæsareæ Palæstinæ cogi mandauit. Ad quod vocatus Athanasius, propterea non
obtemperauit, quòd fraudulentū iudicium tū Eusebij illius vrbis episcopi, tum alteri-
us Eusebij episcopi Nicomediæ, tum aliorum, quos circa se habebant, veritus est. Quare
licet grauiter vrgeretur, vt id temporis eò accederet, tamen circiter mēses triginta pro-
fectionem distulit. Postea autem, cum vehementius impelleretur, venit Tyrum. In qua
vrbe multi episcopi Orientis in vnum congregati, iubent eum criminibus obiectis re-
spondere. Nam Callinicus episcopus & Ischyrion quidam ex factione Ioannis, eum ac-
cusauerant, quòd calicem mysticum confregerat, quodq; solium episcopale deturba-
rat: & ipsum Ischyrionem, qui erat presbyter, sæpe in carcerem concluserat. Quinetiā
quòd nomine ipsius ad Hyginum Aegypti præfectum falsò delato, quòd videlicet in
imagines

Athanasius ad concilium vocatus, non comparet.

Callinicus & Ischyrion Athanasij accusatores.

Vide Nicen. lib. 8. cap. 49.

Vide Theodorit. lib. 1. cap. 30. 26. 27. 28 29. Socr. lib. 1. cap. 20. 21. Vitā Constant. lib. 4. cap. 41.

A imagines Imperatoris lapides coniecerat, vinculis constringendum curauerat. Itemq;
quòd Callinicum, episcopum ecclesiæ catholicæ, quę est in Pelusio, & conuentum cum
Alexandro agentem, propterea abdicauerat, quòd noluit alia conditione cum eo com-
municare, nisi de calicis mystici fractura, de qua erat in suspicionem vocatus, verū pro
certo cognosceret. Præterea, quòd Marco cuidam, qui fuerat presbyterio abdicatus, ec-
clesiæ Pelusianæ gubernationem commiserat, ipsumq; Callinicū à militibus custodiri,
verberibus cædi, & in iudicium adduci effecerat. Porrò Euplus, Pachomius, Isaac, A-
chilles, & Hermæon episcopi, factionis Ioannis illum insimularunt, quòd ab eo vapu-
larant. Deniq; omnes communiter ei obiectabant, quòd quorundam periurio ad epi-
scopatum ascenderat: idq; cum omnes episcopi asseuerassent, neminem debere prius or-
dinari, quàm crimina sibi illata diluerit: secq; ita in fraudem inductos, propterea ab illi-
us communione abstinuisse. Eum autem dedignatum esse causam suam persuadendo
obtinere: sed vi cogendo homines, & in vincula conijciendo, suam in sententiam per-
ducere laborasse. Ad hæc, crimen de Arsenio renouatum est: & vti vsuenire solet in
insidijs, quę de industria tēduntur hominibus, illi qui putabantur eius amici esse, ex im-
prouiso accusatores extiterunt: quinetiam tabulæ legebantur, in quibus scriptæ fuerūt
populi contra eum vociferationes, perinde quasi plebs Alexandrina propter eū ad con-
uentus in ecclesia agendos venire renuisset. Athanasius autem iussus pro se respondere
sæpe in iudicium ingressus, criminum sibi obiectorum alia diluit, de alijs diem ad deli-
berandum postulauit. Pendebat animi magnopere, cum videret & accusatores ad iudi-
cum nutum & voluntatem se accommodare, & multos contra se testes partim ex A-
rianis, ex Meletianis partim comparatos esse, & calumniatores, licet crimina falsa, quæ
ipse facilè refutauerat, intulissent, veniam tamen impetrasse: idq; maximè in causa tum
Arsenij, in qua obiectum erat ipsum magicæ exercendæ gratia brachium Arsenij exci-
disse: tum mulieris etiam cuiusdam, in qua accusabatur munera mulieri, quò suā cum
ea exploret libidinem, dedisse, & noctu præterea inuitam compressisse. Quæ vtraq; accu-
satio ridicula planè deprehensa est, & plena calumniæ. Namvbi mulier coram episco-
pis in vnum conuocatis hæc obijceret, Timotheus presbyter Alexandrinus, qui astabat
Athanasio (sic enim inter eos antè clàm conuenerat) ita affatur mulierem: Egóne te per
B vim compressi? Tum illa, An non tu quæso, inquit? tempusq; & locum, in quo com-
pressa fuerat, ostendit. Arsenium autem in medium adduxit Athanasius, ambasq; eius
manus integras iudicibus monstrauit: atq; contendit ab illis, vti accusatores de brachio
quod in iudicium intulerant, in quęstionē darentur. Nam Arsenius iste seu diuina im-
pulsione motus, seu (vt fertur) ab Athanasij insidiatoribus occultatus, fortefortunà, cū
quidam ei nunciasset,† episcopum eius causa in periculum incidisse, de nocte inde de-
cessit, & pridie quàm iudicium de Athanasio exerceretur, Tyrum appulit. Itaq; cum v-
trunq; crimen ita esset dilutum, vt purgatione non egeret, prius eorum credo in Actis
concilij ideo non extat, quòd res tam turpis tamq; ridicula non esset in tabulas Concilij
referenda. Quod autem ad posterius attinet, accusatores pro suis partibus defendendis
satis putabant dicere, Plusianum vnum ex episcopis qui Athanasio parebant, mandato
eius Arsenij domum incendisse, ipsum alligasse ad columnam, loris verberasse, in ædi-
culam deniq; compegisse: at Arsenium per fenestram inde aufugisse. Ac cum esset con-
quirendus, aliquandiu abditum delituisse: & quia non comparebat, hominibus opini-
onem fuisse non sine causa allatam, eum mortem obijsse. Ob quam causam episcopos,
qui partibus Ioannis fauebant, illum vt virum illustrem & confessorem quęsiuisse, rem
detulisse ad magistratus. Athanasius igitur ista animo agitans, cœpit vehementer per-
timescere: simulq; vereri, ne sui insidiatores occasionem nacti, se ex occulto interfice-
rent. Vbi verò sæpius de hac causa conuentum est, & consessus episcoporum tumultu
ac turba refertus, & tum accusatores, tum multitudo, quæ iudicio interfuit, vociferari
cœpit, Athanasium velut prestigiatorem, hominem violentum, indignum sacerdotio,
penitus è medio tollendum: illi, quibus mandatum ab Imperatore datum fuerat, vt cō-
cilio, quò omnia melius tranquilliusq; gererētur, interessent, admodum veriti, ne in se-
ditione (vti erat verisimile) impetu facto manus violentas illi afferrēt, clàm eum à foro
iudiciali subduxerunt. Ille aūt cum persuasum haberet, se non posse sine periculo Tyri
cōmorari, neq; tutū sibi esse contra tantū accusatorum numerū apud inimicos iudices
causam disceptare, Constantinopolim profugit. Concilium verò cū indicta causa con-
demnat, abdicat episcopatu: decernit deniq;, ne postea Alexandriæ habitet. Ne, inquit,
tumultus & seditiones, si adsit, concitare aggrediatur. Ioannem aūt, & omnes qui ab eo
stabant, vti incommodis per iniuriam affectos, in communionem recipit: & quam il-
lorum quisq; dignitatem in clero obtinuerat, cuiq; reddit. Episcopi porrò in eodē con-

Calumniæ in Athanasium nouæ.

Examen episcopi ordinandi.

Aliæ calumniæ in Athanasiū.

Athanasium quomodo criminationes diluerit.

De muliere compressa, calumnia detecta.

De Arsenio.

†Vide annot. pag. 31. lat. 2. lin. 11. 12.

Plusianus episcop.

Vulgus Athanasium clamores.

Athanasij Constantinopolim fuga & abdicatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cilio coacti, acta concilij Imperatori significarunt, scripseruntq; ad alios omnes vbiq; A
episcopos, vt minimè cum Athanasio cõmunicent, néue ad eum scribant, neu ab illo literas accipiant: quandoquidem & criminum, de quibus certiores facti fuissent, conuictus erat: & partim fuga, partim quòd causam suam in iudicio agere recusauerat, reus
Episcoporum contra Athanasium literæ ad Imp. deprehensus. Præterea per literas ostenderunt, se ad eiusmodi sententiã contra eũ pronunciandam ideo impulsos, primùm quòd ægrè admodum ferebant, quòd, cum Imperator anno præterito dedisset mandatum, vt episcopi Orientis, eius causa Cæsareæ in vnum conuenirent, ipse non eò accesserat: idq;, cum videret concilium longo tempore ipsum expectando fatigatum, quodq; etiam Imperatoris mãdata contempserat. Deinde, quòd cum permulti episcopi Tyrum conuenissent, hominũ multitudine stipatus eò venerat, & turbas ac tumultus in concilio excitarat, modò pro se respondere tergiuersando, modò episcopos sigillatim cõtumelijs onerando: interdum, cum vocaretur ab illis, dicto ipsorum minimè audiendo, aliquando iudicium subire indignè & grauiter
Falsi testes contra Athanasium. ferendo. Quinetiã planè compertũ esse, quòd calicem mysticũ fregerat, declararunt: testesq; ad eam rẽ adduxerunt, Theognidem Nicææ episcopũ, Marin Chalcedonis, Theodorum Heracleæ episcopum, Valentem item, Vrsacium & Macedonium: quos quidẽ se misisse in Aegyptum dixerunt, eo consilio, vt cum in pagum venirent, vbi calix fuerat confractus, verum elicerent. Hæc scripsere episcopi, singulaq; crimina (vt mos forensis fert) perstrinxere: dederecq; operam, vt calumniam Athanasio velut arte quadam con-
Paphnutij apophthegma, plenum maiestatis Theologicæ. texerent. Verùm complures sacerdotes qui aderant in concilio, hoc iudicium minimè syncerum esse existimarunt. Et ob eam causam dicitur, Paphnutium confessorem, qui concilio interfuit, prehendisse manum Maximi episcopi Hierosolymitani, ac monuisse vt surgeret. Nam non oportere se, cum essent confessores, & pro pietate tum oculos effossos, tum pedum flexus debilitatos haberent, concilio hominum perditorum communicare.

De templo quod Magnus Constantinus Hierosolymis in Golgatha condidit, & eiusdem dedicatione. CAPVT XXV.

Templi in Caluaria condiii consecratio. DVm hæc geruntur, circiter trigesimum annum imperij Constantini, cum templum Hierosolymis quod magnum vocabatur, in Caluariæ loco extructum B
esset: Marianus, vir nobilis, & scriba Imperatoris, accedens Tyrum, concilio tradidit literas, quibus erat mandatum, vt episcopi quàm maturimè Hierosolymam peterent, nouumq; templum consecrarent. Quinetiam istud quoq, (sic enim secũ ante deliberauerat) necessariũ putauit, vt episcopi qui Tyri in vnum conuenerant, lites inter ipsos susceptas primò omniũ dirimerent: sicq; deindeà discordia & offensione animorum purgati, ad templum dedicandum se conferrent. nam concordiam sacerdotũ tali festo peraccommodatã esse. Itaq; episcopi contendunt Hierosolymam, & non templũ
Anniuersalia sacra Hierosolymis. solum, verùm etiam thesauros & monimenta ab Imperatore illuc missa consecrant: quæ ad hoc tempus in eo templo manent reposita, multumq; admirationis propter suam magnificentiã & amplitudinem spectatoribus excitãt. Ex quo tẽpore ecclesia Hierosolymitana quotannis diem festum splendidè admodũ celebrat: adeò vt in eo initiationes sacrorum peragantur, & dies octo deinceps conuentus fiant: complures q; ex omnibus totius orbis terræ partibus, qui vndiq; ad sacra loca visenda confluerent, tempore, quo hic dies festus celebrabatur, eò conuenirent.

Vide Nicen. lib. 8 c. 30. Vide Theodorit. lib. 1. cap. 31. Vide Socr. lib. 1. ca. 27. Euseb. lib. 10. cap. 3.

De presbytero qui in animum induxit Constantino, vt Arium & Euzoium ab exilio reuocaret: & libello de illorum fide: & quomodo Arius à concilio quod Hierosolymis coiuerat, rursus in communionem acceptus fuerit.

CAPVT XXVI.

EOdem tempore Ariani tempus idoneum nacti, laborabant vt concilium episcoporum Hierosolymis cogeretur, & Arius atque Euzoius in communionem reciperentur. Ad quam rem audacius suscipiendam tali causa fuere inducti. Presbyter quidam erat sorori Imperatoris perfamiliaris, doctrinæ Arianæ laudator: verùm quòd illi sectæ fauebat, primò omnes celare nitebatur: sed longo temporis spacio dilapso, cum maiorem necessitudinem cum Constantia (hoc enim sorori Imperatoris nomen fuit) conflasset, nactus animi fidentiam, liberè cum ea colloquitur: queritur Ariũ patria iniustè pulsum esse, & inuidiæ priuatarumq; inimicitiarum causa ecclesia eiectũ ab Alexandro, qui ecclesiam administrabat Alexandrinam. Nam Alexander, inquit, cum videret illum à plebe magni fieri, cœpit graui in eum inuidia inflammari. Constantia autem tametsi ista vera esse credebat: tamen dum vixit, nihil noui contra cõcilij Nicæni

Vide Nicen. lib. 8. ca. 47. Vide Socr. lib. 1. ca. 19. & lib. 2. c. 2.

Constantiæ Constantini Imp. soror, per sacerdotem Arianismo imbuitur.

A Nicæni decreta molita est. At vbi in morbum incidit, & se iam mortẽ obituram suspicata est, fratrem, cum ad ipsam accederet, orauit beneficium, quod iam postremum peteret, sibi tribui. Petijt, vt presbyterum, quem dixi, in numero familiarium haberet: eique, vtpotè rectè de Deo sentienti, fidem adiungeret. Se namque mox morituram esse, & de cætero vitam hanc sibi minimè curæ fore: sed ei metuere, ne ipse, Deo irato, vel calamitatis aliquid acciperet, vel imperium turpiter amitteret. Nam quorundam suasu, iustos & bonos viros perpetuo exilio iniustè mulctatos esse. Qua de causa Imperator deinceps presbyterum sibi habuit coniunctissimum, authoritatem libertatemque loquendi concessit, communicauit cum eo de sororis postulatis, censuit denique causam Arij denuò disceptandam esse. atque, seu quòd hæsitaret, veræ ne essent calumniæ Ario obiectæ: seu quòd sorori gratificari cuperet, haud ita multò pòst, Arium reuocauit ab exilio, & formulam de sua in Deum fide edere mandauit. Ille igitur nouitate verborũ, quæ antè excogitauerat, declinata, aliam fidei formulam contexuit: verbisq; simplicibus, quæ sunt in sanctis literis vsitata, vsus est: atq; se obstrinxit iureiurando, ita reuera se credere, ita ex animo sentire, & aliud præterea nihil cogitatione complecti. Sic ergo se habet formula fidei ab ipso edita.

Constantinus sororis precibus inducitur ad reuocandum Arium.

Arius ab exilio reuocatur.

Religiosissimo sanctissimoq; domino nostro Imperatori Constantino, Arius & Euzoius.

» Nos quidem, sicut tua singularis erga Deum pietas, Domine Imperator, in manda-
» tis dedit, fidem nostram scriptis prodidimus, & de Deo cùm ipsi, tum cæteri, qui nobis-
» cum sunt, ita credere cõsitemur, vt sequitur. Credimus in vnum Deum patrem omni-
» potentem: & in Dominum Iesum Christum filium eius, ex ipso ante omnia secula ge-
» nitum Deum sermonem, per quem omnia facta sunt, cùm quæ in cælis, tum quæ in ter-
» ris: qui descendit & incarnatus est, & passus est, & resurrexit, & ascendit ad cælos, & ite-
» rum venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum, in carnis resurre-
» ctionem, in vitam futuri seculi, in regnum cælorum, in vnam Catholicam ecclesiam
» Dei, ab vna orbis terrarum ora ad alteram vsque se porrigentem. Hanc fidem à sacro-
» sanctis euangelijs accepimus, ipso Domino suis discipulis dicente: Euntes docete om-
» nes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & Spiritus sancti. Si verò ista nõ cre-
B dimus sicut vniuersa catholica Ecclesia, & Scripturæ docent, quibus quidem omninò
» fidem adhibemus: iudex noster Deus sit & in præsentia, & in futuro iudicio. Quapro-
» pter tuam pietatem obsecramus, Imperator sanctissime, vt quoniam viri Ecclesiastici
» sumus, & sensum cùm Ecclesiæ, tum sacrarum literarum tenemus, nos pro tua sancti-
» monia, quæ & pacem conciliat, & Deum augustè veneratur, omnibus controuersijs et
» inanibus argutijs sublatis, matri nostræ ecclesiæ scilicet, adiungas: vti & nos & Ecclesia
» tranquillè vitam degentes, inter nos mutuò pro pacato & pio regni tui statu, & pro vniuerso hominum genere omnes communiter consuetas preces peragamus. Hanc fidei formulam nonnulli ita callidè compositam esse dicebant, vt verbis solum ab Ariana doctrina discrepare, re ipsa cum eadem consentire videretur: quandoquidem voces in ea positæ talem facultatem dabant in vtranque partem ambigendi, vt sensus vterq; tum orthodoxorum, tum Arianorum ex illis colligi posset. Verùm Imperator Arium & Euzoium eadem cum episcopis in Concilio Nicæno coactis sentire arbitratus, re admodum delectabatur: attamen sibi non tantum sumpsit authoritatis, vt eos antè in cõmunionem reciperet, quàm causa ab illis, penes quos erat potestas, sicut Ecclesiæ norma postulat, & dijudicaretur, & diligenter examinaretur. Itaque illos mittit ad episcopos Hierosolymis id temporis conuocatos, scripsitque vt formulam fidei ab istis editã accuratè expenderent: atque vt concilium benignam de illis pronunciaret sententiã, si vel rectè de religione sentire videantur, perque inuidiam structæ sint insidiæ: vel cum nihil causæ habeant, cur factum iam de se iudicium incusent, resipiscere velint. Ex quibus literis illi, qui istorum causæ studebant, occasionem denuò nacti, eos in communionem receperunt. Atque cùm hoc fecissent, literas dedere Imperatori: scripsereque tum ad ecclesiam Alexandrinam, tum ad episcopos & clericos Aegypti, Thebaidis & Libyæ, eos hortati admodum vt Arium & Euzoium lubentibus animis reciperent: quippe tum eorum fidem veram esse, testimonio Imperatoris confirmatam fuisse (quam quidem fidem suis literis subiunxerunt) tum concilium iudicio Imperatoris suffragatum esse. Atque hæc quidem ad hunc modum Hierosolymis Arianorum studio facta esse cognouimus.

Formula fidei Arianæ qualis.

Matth. 28.

Arij formula fidei noua.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperatoris Constantini ad Concilium Tyri conuocatum epistola, & sancti Athanasij Arianorum impulsu proscriptione.

CAPVT XXVII.

Constantini Imp. ad episcopos Tyri congregatos epistola.

ATHanasius autem Tyro fugiens, venit Constantinopolim: atque accedens ad Imperatorem, coram episcopis, qui ipsum condemnauerant, de iniurijs acceptis conqueritur: orat Imperatorem, vt res Tyri iudicatæ, ipso audiente examinentur. Itaque Constantinus eius postulationem æquam arbitratus, epistolam ad Episcopos, qui Tyri in vnum conuenerant, scripsit ad hunc modum. Vide Nice. lib. 2. c. 30.

Victor Constantinus, Max. August episcopis, qui Tyri conuenerant, S.

Quanquam haud equidem scio cuius generis sint ea, quæ à vestro concilio non sine tumultu & magna contentionum procella decreta sunt: videtur tamen ipsa veritas, turbulenta quadam animorum vestrorum concitatione penitus labefactata. Nã vos dum simultatem, quã nullo modo vultis deponere, mutuò inter vos exercetis: ea, quæ veritatem attingunt, quæq; Deo grata acceptaq; sunt, omninò negligitis. Verùm diuina prouidentia perfectum iri spero, vt tum huius contentionis lues perspicuè deprehensa, prorsus dissipetur: tum nobis planum fiat, vósne, qui ibi in vnum conuenistis, vllam veritatis curam duxeritis: deq; rebus in disceptationem vocatis, neque gratia alicuius, neq; odio adducti, sententiam pronunciaueritis. Quapropter opus est, vt omnes vos ad meã pietatem properè accedatis, quò ratio rerum à vobis gestarum per vos accuratè reddatur. Quid verò causæ sit, cur hæc ad vos scribenda putarim, vosq; ad me per literas accersuerim, ex illis, quæ sequuntur, intelligetis. Mihi quidem ad locum quendã vrbis Constantinopolis, quæ à meo nomine nomen accepit, quæq; nostra beatissima patria est, proficiscenti (contigerat quidem id temporis in equo vehi) Athanasius in media platea, cũ quibusdam alijs, quos circa se habebat, adeò subitò & præter omnem expectationẽ fit obuiam, vt me profectò in permagnam traduxerit admirationem. † Ac Deum testor, qui res contuetur vniuersas, me primo aspectu, quisnam esset, neutiquam potuisse cognoscere: nisi quidam ex nostro comitatu, tum quis esset, tum quam iniuriã accepisset, nobis (vt par erat) de illis rebus, quas retulerunt, percontãtibus, manifestò declarassent. Ego tamen id temporis, neq; sum cum illo locutus, neq; sermonem contuli. Et quanq; ille rogabat, vt à me audiretur, ego tamen planè recusabam: & parum aberat, quin eum acerbius tractatum, omninò abigendum præcepissem. Ille verò aliud nihil postulabat, quàm vt nobis præsentibus, de iniuria, quam passus fuerat, opportunè posset expostulare. Quod quidem cum & mihi consentaneum rationi videretur, & tempora idẽ ipsum postularent, non inuitus equidem ista ad vos perscribenda curaui, vt omnes, qui ad cõcilium Tyri coactum cõueniistis, cuestigiò ad castra nostra maturaretis, req; ipsa vestrũ iudicium æquum sincerumq; commonstraretis, me audiente: quem ingenuum Dei famulum esse, vos ipsi non inficias ieueritis. Nam mea religiosa erga Deum obseruantia, pax vbiq; viget: & nomen Dei ab ipsis Barbaris, qui ad hoc tempus vsq; veritatem ignorarunt, sanctè ingenueq; extollitur. At constat inter omnes, eum, qui veritatem ignorat, ipsum Deũ quoq; ignorare. Attamen Barbari mea opera, qui ingenuus scilicet Dei famulus sum (sicut antè dictũ est) ad Dei noticiam venerunt, eumque sanctè colere dicerunt: quem quidem me in omnibus locis defendere, reque vera mihi benignè prouidere animaduertunt. Qua de causa in primis Deum cognoscere cœperunt: quem etiam nostri imperij metu inducti, religiosè colunt illi quidem: sed nos, qui sancta Ecclesiæ illius mysteria propugnare videri volumus (non enim dicam, obseruare) nos inquam, nullas alias res molimur, quàm eas, quæ discordiam & odium pariãt: & in summa, quæ ad exitium humani generis spectent. Sed facite, ad nos celerrimè, vt dixi, accedatis: hoc pro certo persuasum habentes, nos omnibus viribus laboraturos, vt quæ sancto Dei eloquio contineantur, ea integrè incorrupteque conseruentur: quibus quidẽ cum hostes religionis Christianæ, qui simulatione sacrosancti Christi nominis varias ac diuersas blasphemias in Ecclesiam inuexerunt, iam dissipati, protriti & extincti videantur, nulla ignominiæ infamiæue nota omninò inuri possit. Quæ cum scripsisset Imperator, alij metu perculsi, domum reuerterunt. At Eusebius & sui fautores ad Imperatorem profecti, concilium Tyri habitum iusta æquaque de Athanasio decreuisse constanter affirmarunt: testesque adduxerunt in medium Theognidem, Marin, Theodorum, Valentem & Vrsacium, atque persuaserunt ei, quòd Athanasius calicem mysticum confregerat: multaque alia falsè in eũ cõmenti, calumnijs, quod volebant, conficuti sũt. Nã Imperator, seu ꝙ ista vera esse credebat: seu ꝙ episcopos inter se de cæterõ, si Atha-

Athanasius Constantino equitanti ob iniam factus.

† Vide annot. pag. 32. lin. 22.

Constantinus ingenuus Dei famulus.

Testes falsi contra Athanasiũ producti.

Athanasius è medio remoueretur, concordaturos existimabat, dedit mandatum, vt ad Treuerim incolendam (quod est oppidum Galliæ ad occasum Solis spectantis) migraret. Cui obsecutus Athanasius, eò rectà se contulit. *Athanasius Treuerim relegatus.*

Quod Alexander episcopus Constantinopolitanus, Arium in communionem accipere recusauit: & quomodo Arius ad exonerandum aluum extimulatus, diruptus fuerit: & quid de Arij diruptione magnus Athanasius memoriæ prodiderit.

CAPVT XXVIII.

Vide Nice. lib. 2. c. 51. Vide Theodorit. lib. 1. cap. 14. Socrat. lib. 1. cap. 25. Vide supra lib. 1. ca. 14.

POst Concilium Hierosolymis celebratũ, venit in Aegyptum Arius. Accũ Ecclesia Alexandrina cum eo communicare recusaret, redijt denuò Constantinopolim. Cum autem suæ doctrinæ fautores, & quotquot Eusebij episcopi Nicomedienses parebant sententiæ, separatim de industria conuenissent, & concilium habere molirentur: Alexander, qui tum episcopalem sedem Constantinopolitanam obtinuit, intellecto eorum conatu, concilium impedire laborauit. Sed cum istud minimè successerit, palàm renuit fœdera amicitiæ cum Ario iungere: dixitq; nefas esse, nec Ecclesiæ institutа illud pati, vt sua atque aliorum omnium episcoporum, qui ex vniuerso ferè terrarum orbe Nicæam conuenerant, decisio irrita fieret. Eusebius igitur cum suis, vbi initio Alexandro verbis persuadere non possent, contumeliosè in eum insultare: & minis adiectis contestari, nisi ad certum diẽ Arium reciperet, eum ipsum iectum ecclesia, in exilium missum fore, eiusq; successorem cum Ario communicaturum. Ad hunc modum id temporis disceditur: atq; Eusebius eiusq; fautores diem præstitutum expectant, quò ea, quę fuerant minati, perficerẽt. Alexander autẽ Deum precatur, ne, quæ dixerat Eusebius, reipsa euenirent. Imperatorquoq; ab illis quodammodo persuasus, vt ipsorũ cederet sententiæ, Alexãdro grauissimum metũ iniecerat. Pridie ergo ante diem dictũ Alexander ad basin altaris procidẽs, totam noctẽ pronus humi iacebat, Deum enixè precatus, vti obstaret, quo minus conatus aduersariorũ contra se comparati, ad exitum perducerentur. Eodem die Arius sub crepusculum, cum se nescio quò conferret, derepentè aluo laxata compulsus, ad locum publicum ei rei destinatum pergit. Cum autem iam longo temporis spacio intermisso non exiret, quidam, qui foris illum præstolabantur, ingressi, eum mortuum in latrinis B iacentem offendunt. Vt primùm verò hoc palàm factum est, de eius morte non eadem omnium fuit opinio. Nam nonnulli, vel morbum repentinum eius cor oppressisse: vel eum præ nimia voluptate, quam à rebus ex sententia sibi succesſutis capiebat, animo defeciſſe, eodemq; momento occubuisse: alij autem illum, vt impium in Deum, pœnas debitas persoluisse arbitrati sunt: alij verò, qui eius sectã sequebantur, præstigijs magicis eum interfectũ fuisse rumorẽ dissiparunt. Verùm non fuerit absurdum, verba Athanasij episcopi Alexandrini de eius morte in medio ponere, quæ ita se habent: Ille ipse Arius, sectæ huius author & princeps, socius Eusebij, opera factionis Eusebianæ à Constantino Augusto, Imperatore beatissimæ memoriæ, accersitus, rogatusq; vt fidem suã scriptis proderet, scripsit quidem veterator ille: sed impudentes suæ impietatis voces occultare, dissimulanterque more diaboli sacræ Scripturæ verba nuda, & vt scripta sunt, citare laborauit. Deinde cum beatus Constantinus vrgeret, vt, si nullam aliã præterea opinionem teneret animo conclusam, ipsam veritatẽ testaretur (nam Dominus, inquit, si peieraueris, est te reuerà vlturus) iusiurandũ dedit miser, se nullã aliam habere, neq; cõtrà quàm scripserat, sentire, licet aliquando aliter dixisset. Quare extemplò inde, velut daturus pœnas, egressus, occubuit: atque pronus decumbens, crepuit medius. At tametsi mors est exitus vitæ omnibus hominibus communis, & nemo contumeliosè insectandus est, etiamsi hostis sit, qui obierit: præsertim cum cuique sit incertum, ipsúmne ante vesperum sit mors occupatura: tamen mors Arij, quoniam non, vt communis naturæ consuetudo fert, accidit, ob hanc causam meritò à nobis explicanda est. Cum Eusebius & eius fautores minarentur se Arium in ecclesiam introducturos: Alexander episcopus Constantinopolitanus, illis restitit. At Arius tamen vi & minis Eusebij consedere cœpit. Iam dies Sabbathi erat, & postridie eius diei conuentus in Ecclesia fieri expectatum est. Graue certamen erat inter eos, qui minas iactabant, & Alexandrum, qui precibus opem à Deo postulauit. Sed Dominus iudex constitutus, sententiam contra eos, qui iniuriam fecerant, tulit. Nam nondum Sol occiderat, cum Arius ad locum in quo occubuit, necessitate naturæ attractus est, & re vtraque, nimirum & communione & vita, cuestigiò orbatus. Qua re audita, beatus Constantinus admiratus est, proque certo nouit, Arium peieraſſe. Quocirca omnibus tum planum factum est, & Eusebianæ factionis minas in nihilum recidiſſe, & ſpe Arium fruſtratum esse. Rursus demonſtratum

Alexander Ario communicare recusat.

Alexander Deum precatur aduersus Arium.

Arij interitus

Athanasij, de Arij morte narratio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tum est,etiam insanã Arij doctrinam à Seruatore tũ in hac ecclesia,tum in ecclesia pri- A
mogenitorũ Dei excõmunicatam esse.Itaq; quem non magna incesset admiratio,cũ vi "
deat istos obnixè contendere,vt eum istum declarent,quem Dominus condemnarit: "
& cum animaduertat,ab hæresi eos vindicare,quos Dominus communione fidelium "
excluserit,neque permiserit illius hæresis authorem in ecclesiam introire? Hoc modo "
Arium mortem obisse accepimus.Et ob eam causam fama est,neminem eas latrinas,
in quibus moriebatur,longo tempore pòst frequentasse:sed cum iam ad eum locum
visendum,vtpote vsu publicum,homines confertim,vt in multitudine fieri solet,rue-
rent,cumq; introeuntes se mutuò cohortarentur,vt ab illis latrinis cauerent:locus po-
steris detestabilis factus est,propterea,quòd in eo Arius debitas impietatis suæ pœnas
persoluisset.Verùm vbi multum iam temporis præterierat,vir quidam locuples & po-
tens,sectæ Arianæ fautor,dedit operam sedulò,vt locum illum à rep.emeret.Quem cũ
emisset,priore eius forma deleta,ædes in illo extruxit,eo consilio, vti apud populum
veniret in obliuionem,& Arij mors neutiquam loci recordatione deinceps caperetur.

Latrinæ in quibus Arius mortuus est, detestabiles habitæ.

Quæ res consopito Ario Alexandriæ obuenerint,& quid Constantinus Magnus ad eos scripserit.

CAP. XXIX.

VErùm quanquam iam Arius è vita excesserat,non tamen controuersia de doctrina, quam ipse excogitarat,susceptа ad exitum venit: neque eius doctrinæ fautores illis, qui contrariam tuebãtur, insidias tendere destiterũt. Quinetiam cum populus Alexandrinus continenter vociferaretur,& precibus Deũ solicitaret pro Athanasij reditu, & magnus ille Antonius monachus de eo persæpè ad Imperatorem scriberet,obsecraretq́ eum vt Meletianorum sententiæ minimè assentiretur,sed eorum criminationes calumniarum loco duceret: Imperator tamen neutiquam persuaderi potuit, sed scripsit ad Alexandrinos literas, eisq́ue criminis loco pertinaciam & turbulentum animorum motum obiectauit: deditq́ue etiam mandatum clericis & sanctis virginibus,vt quietè se gererent: quinetiam constanter asseruit,se neq; destiturum de sententia:neq; Athanasium,vtpote seditiosũ & iudicio ecclesiastico condemnatum,reuocaturum.Rescripsit præterea Antonio, se non posse sententiam Concilij contemnere.Nam etsi pauci vel ad odium,vel ad gratiã iudicare solent:tamen non esse probabile,vt tanta illustriũ & spectatorũ episcoporum multitudo in simili errore versaretur.Athanasium autem contumeliosum esse, arrogantem,dissidij & seditionis authorem.Etenim,qui animo erant erga Athanasium alienato,hæc vitia potissimùm ei falsò obiecerant:propterea,quòd satis certò sciebãt, Imperatorem eius generis homines supra modum detestari.Porrò cum accepisset Imperator,ecclesiam in duas partes diremptam,atque alteram Athanasium,Ioannem alteram cum admiratione colere:iniquo animo tulit,& Ioannem mulctauit exilio. Hic Ioannes Meletij successor fuit:iussuq́; à concilio Tyri habito Ecclesiæ communicare, & vt tum ipse,tum omnes eiusdem cum eo sententiæ fautores, honores suos in clero capesserent.at quamuis istud minimè ex sententia aduersariorum Athanasij euenerit, tamen factum est.Verùm decreta episcoporum Tyri conuocatorum nihil omninò Ioanni profuere.Nam Imperator neq; precibus,neq; vllo postulationis genere induci poterat,vt beneuolo erga eum animo esset,quem suspicaretur multitudines populi Christiani ad tumultum & discordiam excitaturum.

VideNice. lib.8.ca.52. Vide Socr. lib.1.ca.23.

Constantini ad Alexandrinos literæ de Athanasio.

Item ad Antonium eremitã.

Vitia Athanasio ab eius osoribus obiecta solita.

Ioannes Meletij successor exilio multatus.

Quòd sancita contra hæreses omnes lege,Constantinus,ne alibi quàm in ecclesia conuentus agerentur,mandauerit:atq; hinc effectum esse,vt complures hæreses exoleuerint:& quòd Eusebius Nicomedensis,& Ariani,Consubstantiale subruere,veteratorie conati sint.

CAPVT XXX.

DOgma autem Arij, quamuis illud quidẽ per disceptationes à plerisq; laboratum esset,nondũ tamen peculiari alicui populo separatim attributũ est, aut nomine Inuentoris appellatum:sed omnes simul conuentus egerunt, & communicarunt inter se, exceptis solum Nouatianis, Cataphrygibus, Valẽtinianis, Marcionistis, Paulianis, & si qui alij alias iã inuentas hæreses consectarentur.Nam contra istos omnes legem tulit Imperator, mandauitq́ue vt templa ipsis adimerentur,ecclesijsq́; adiungerentur:& neq; in ædibus priuatorum,neque in loco publico conuentus haberent.Quinetiam illis exposuit,quòd præstaret cum ecclesia catholica communicare, atque ad eam accedere hortatus est.Hac lege promulgata, istarum sectarum memoria magna ex parte deleta est.Nã dum superiores regnarẽt Imperato-

VideNice. lib.2.ca.52.

Constantini lex contra hæreses.

Aperatores,omnes qui Christum colebant,tametsi opinionibus dissentirent, tamen eodem in numero ac loco habebantur à Gentilibus,& pari ratione torquebantur:nec poterant præ communibus calamitatibus curiosè in se ipsi inquirere. Et propterea singuli seorsum per se facilè in vnum conuenire,conuentus agere, crebrò in mutuum venire colloquium solebant:& licet essent numero pauci,non tamen disiuncti sunt. At hac lege sancita,hæretici,propter episcopos & clericos,qui eos assiduè obseruabant,facultatem minimè habuerunt,vel palàm,vel in occulto conuentus peragendi. Qua de causa complures eorum admodum perterriti,se Ecclesiæ catholicæ addixerunt. Alij autem, qui in eadem perstabant,sententia,quoniam neque in vnum conuenire permissi erant, neque poterant sine metu suæ opinionis fautores docere: idcirco nullis suæ sectæ successoribus post se relictis,è vita exiuerunt.Siquidem aliæ omnes ferè sectæ in initio perpaucos habebant æmulos,vel propter peruersitatem dogmatum,vel propter inuentorum & authorum suorum improbitatem. At Nouatiani,tum quòd duces suæ opinionis viros bonos sunt consecuti,tum quòd eandem quam Ecclesia catholica de Deo doctrinam tuebantur,ab initio permulti extiterunt,& manserunt hactenus, nec multum incommodi ex hac lege acceperunt.Nã Imperator,mea quidem sententia, dum institueret subditis suis non exitio esse,sed terrori solùm,de legis seueritate sua sponte nonnihil remisit.Quinetiã Acesius,qui id temporis Constantinopoli sectæ Nouatianæ episcopus fuit,quoniam propter vitæ integritatem Imperatori charus erat,non parum(vt est verisimile)suæ Ecclesiæ attulit præsidij.Cataphryges autem eadem afficiebãtur pœna,qua cæteri hæretici imperio subiecti:exceptis solum illis,qui Phrygiam incolebant, & in reliquis gentibus illis finitimis ætatem degebant. In quibus locis permulti Cataphryges & à temporibus Montani extiterũt,& adhuc sunt.Sub idem tempus Eusebius episcopus Nicomediæ,& Theognis Niceę episcopus,scriptis cœperunt formulam fidei à cõcilio Nicæno editam innouare,ac tametsi non auderent palàm denegare,filium patri consubstantialem esse(pro certò enim sciebant, Imperatorem ita sentire) aliam tamen formulam composuerũt, verbaq; fidei in cõcilio Nicæno editæ ab episcopis Oriẽtis,interpretationibus quibusdam additis, recepta esse, omnibus indicarunt. Quæ quidem formula & sensus eiusdem effecerũt,vt superior controuersia in disceptationem rursus vocaretur:& cum iam videretur sedata esse,de integro agitaretur.

Nouatiani hac lege minus quàm cæteri, impediti.

Acesius Nouatianus Constantino gratus.

Cataphryges.

Nicænæ fidei formula ab Eusebio & Theognide immutata.

De Marcello Ancyrano episcopo,& eius hæresi & abdicatione.

CAPVT XXXI.

VIDE Nice. lib.2.ca.52. Vide Socr. lib.1.ca.24.

VM hæc geruntur,episcopi Constantinopoli conuocati Marcellũ episcopum Ancyræ, quòd est oppidum Galatiæ, vt nouæ doctrinæ authorem(nam filium Dei principium ex Maria habuisse,& regnũ eius finem habiturum asseruit, & librum quendam de hac re composuit) gradu episcopali abdicarunt,ecclesia expulerunt:& Basilio, qui tum in dicendo,tum in docendo disertus putabatur,ecclesię Galatarum episcopatum detulerunt.Scripserunt item ad ecclesias in illis locis sitas, vt Marcelli librum conquirerent, eumq́; cremandũ curarent: & si quos reperirent eius opinionis fautores,eos ad fidem catholicam traducerent.Significarunt porrò,se non totum librum,quippe qui pluribus scriptus esset, subiunxisse suis literis: sed certas solum sententias in illis inseruisse,quę ostenderent Marcellum hęc quę modo diximus,sensisse. A nonnullis tamen dicebatur, ista à Marcello dicta esse, velut de eisdem solùm quærente:& ab Eusebio & suis sectatoribus ad Imperatorem per calumniam delata, perinde ac si Marcellus eadem constanter asseuerasset. Nam hos ei graniter succensuisse, quòd neq; in concilio Tyri vrbis Phœniciæ habito,ipsorum decretis consentiret,neq; Hierosolymis de Ario in ecclesiam admittendo concederet,neq; consecrationi magni templi ibi à Cõstantino ædificati interesse vellet:idq́; non alia de causa, quàm vt ipsorum vitaret communionem. Denique scripsere isti ad Imperatorem, hæcq́; ad calumniam probandam ei detulere, quòd ipsum quoque Marcellus ideò cõtumelia affecerit,quòd dedignatus esset cõsecrationem templi Hierosolymis extructi, sua præsentia honorare.Causa autem cur Marcellus accusatus sit,fuit Asterius quidam sophista Cappadociæ, qui cũ libros de religione Christiana opinioni Arij consentientes scripsisset,per oppida circumcursare,eosq́ue episcopis demonstrare cœpit: concilijs denique vbique conuocatis interfuit. Cui Marcellus contradicens, in opinionem Pauli Samosateni, seu sponte, seu imprudens, nescio,delapsus est. Verùm postea,cum in concilio Sardicensi ratione ostendisset, se haudquaquã ita sensisse, ad episcopatum denuò restitutus est.

Marcellus Ancyræ episc. ecclesia pulsus.

Basilius Galatarum ecclesiæ præfectus.

Asterius sophista.

Marcellus episcopatui suo restitutus.

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Constantinus Magnus paulò pòſt quàm ſacroſancto Baptiſmate initiatus erat, excedens è vita, in ſanctorum Apoſtolorum templo conditus eſt.

CAPVT XXXII.

IMperator autem, cum iam anteà imperium filijs ſuis Cæſaribus diſtribuiſſet, & partem illius, quæ vergit ad occaſum Solis, Conſtantino & Conſtanti, partem autem ad Orientem ſpectantem Conſtantio aſſignaſſet, quoniam corpore ægro iam & languenti fuit, id-eò Helenopolim aduenit, balneis ſua natura calidis vſurus. Ac cum morbo vehementius vrgeretur, Nicomediam deportatus eſt. Ibi autem cum in ſuburbijs commoraretur, ſacroſancto Baptiſmatis myſterio initiatus eſt. Qua re magnoperè delectatus, gratias egit Deo. Factoque teſtamento, imperium filijs, vt ſuprà demonſtratum eſt, diſpertiuit. Romæ autem antiquæ, & Conſtantinopoli, priuilegia quædam præ cæteris eximia reliquit: teſtamentum commiſit preſbytero illi, quem tametſi Arij fautor fuit, tamen ob vitæ integritatem Conſtantia ſoror eius iam moriens commendauerat. Cui iureiurando aſtricto mandauit, vt Conſtantio, ſimul vt accederet, illud daret. nam neque iſte, neque alius ex Cæſaribus patri morienti præſtò aderat. Quæ cum imperaſſet Conſtantinus, ad paucos dies vitam propagans, circiter quintum & ſexageſimum ætatis ſuæ annum moritur. Ex quorum annorum numero triginta & vnum regnauit: Chriſtianæ religionis fautor maximus, quippe qui primus Imperatorum ad Eccleſiam amplificandam acri ſtudio incubuerit, & eius ſplendorem ad ſummum perducere laborarit. In rebus item quas inſtituebat, haud ſcio an quiſquam fuerit fortunatior. Nam abſque diuina ope, vt mihi quidem videtur, nihil aggreſſus eſt: qui in bellis ab ſe contra Gothos & Sauromatas geſtis, victor fuit, & formam Reipub. ad ſuum arbitrium tam facilè commutauit, vt alium Senatum conſtitueret: aliam vrbem ſuo nomine appellatam, imperij primariam efficeret: atque religionem Gentilium, quam tum magiſtratus imperij, tum ſubditi tam diu coluerant, ſimul vt aggreſſus eſt, exiguo temporis ſpacio deleuit. Vbi vero de vita deceſſerat, corpus eius in loculo aureo conditum, Conſtantinopolim tranſportatum eſt, & ſuper feretrum quoddam in palatio B poſitum. Cui idem honos, idemque obſeruantiæ modus ab aulicis tributus eſt, ac ſi vixiſſet. Vt primùm autem Conſtantius, qui in Oriente verſabatur, de patris morte certior factus eſt, properè Conſtantinopolim contendit, atque funere & exequijs regalibus factis, eum in Eccleſia nomine Apoſtolorum nuncupata ſepeliuit: in qua quidem eccleſia Conſtantinus, dum vixit, ſepulchrum ſibi conſtruendum curauerat. Ab eo igitur, tanquam ex eius rei authore conſuetudine ducta, Imperatores Chriſtiani poſt mortem Conſtantinopoli ſepeliuntur, atque epiſcopi etiam: quippe cum dignitas ſacerdotalis, Imperij dignitati par ſit, imòv erò in locis ſacris primas partes obtineat.

Vide Euſeb. lib. 10 c. 8.
Vide Nicc. lib. 8. c. 51.
Vide Theodorit. lib. 1. cap. 34.
Socrat. lib. 1. cap. 18.
Vitam Conſtan. lib. 4. cap. 1. 2. 4. 6. lib. 4. 34. 35. 36.
Donatio Conſtantini.

Conſtantini Imp. baptiſm. teſtamentum, & mors.
Presbyteri Ariani fidelitas.
Conſtantini religio, & in rebus gerendis ſucceſſus.
Conſtantini ſepultura.
Imperatorum Chriſt. ſepultura Conſtantinopoli.

SECVNDI LIBRI
FINIS.

HER.

Conſtantini Fff. Anno Chr. 341.

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBER TERTIVS.

Tertius & quartus liber continent acta ſub filijs Conſtantini Magni, Conſtantino, Conſtantio, & Conſtante annis 25. Huc igitur annales iſtos refer, quos ſupra adnotauimus ad Socratis lib. 2.

Quòd poſt Conſtantini Magni obitum, Euſebius & Theognis denuò fidem Nicænam vellicare cœperunt.

CAP. I.

VideNicc. lib. 9. ca. 2. Socrat. lib. 2. cap. 2. Theodorit. lib. 2. ca. 1. 2.

RES, regnante Conſtantino, in Eccleſia geſtæ, ad hunc modum ſe habuere. Quo quidem mortuo, doctrina fidei à concilio Nicæno ſtabilita, in controuerſiam denuò vocatur. Nam hanc licet non omnes approbaſſent, tamen dum vixit Conſtantinus, nemo eam apertè reijcere auſus eſt. At vt primùm exceſſit è vita, complures qui etiam antea de hac fide prodenda in ſuſpicionem venerant, ab ea penitus deſciuerunt. Omnium autem maximè Euſebius & Theognis, epiſcopi Bithyniæ, tùmmoperè laborarunt, vt Arij regnaret opinio. Quam rem facilè perfectum iri arbitrati ſunt, ſi modò Athanaſium reditu ab exilio intercluderent, alterumq; ſuæ opinionis fautorem eccleſijs Aegypti epiſcopum præficerent. Atque iſta animo inſtituebant, adminiſtrum ſui conatus adepti preſbyterum illum, qui temporib. Conſtantini author fuerat Arij ab exilio reuocandi. Nã erat quoq; Conſtantio Imperatori percharus, propterea quòd ei patris teſtamentum ſaluum tradiderat: quinetiam authoritatem ob ſuam in rebus gerendis fidelitatem nactus, in familiaritatem tum imperatricis, tum eunuchorum, qui Imperatoris cubicularij erant, quiq; multum apud eBum gratia valebant, ſeſe immerſit. Eodem tempore Euſebius Imperatoris familiæ præfuit, qui cum eſſet opinionis Arianæ approbator, nõ imperatricem ſolum, ſed etiam aulicos permultos ad ſuam perduxit ſententiam. Hinc rurſus crebræ de fide diſceptationes priuatim & publicè ſuſceptæ, ſimulq; contumelię & ſimultates ortę: deniq; res Theognidi & ſuis proceſſit ex ſententia.

Nicena fides poſt Conſtantini obitum ruſſus labefactata per Euſebiũ & Theognidem.
Euſebius Nicomedenſ. Arianus.

De magni Athanaſij ex Gallijs reuerſione: & Conſtantini Cæſaris, Conſtantini magni filij, epiſtola: & tenſis rurſus ab Arianis contra Athanaſium inſidijs, & Acacio Birrhœenſi epiſcopo, ac bello inter Conſtantem & Conſtantinum ſuſcepto. CAP. II.

VideNicc. lib. 9. ca. 3. Vide Socr. lib. 2. c. 1. 2. Theodor. lib. 2. ca. 1. 2.

DVm hæc geruntur, Athanaſius ex Gallia ad ſolem Occidentem vergente Alexandriam reuertitur. Quem Conſtantinus, dum adhuc maneret in vita, reuocari in patriam iuſſerat. Fertur etiam, eum hoc idem in teſtamento ſuo præcepiſſe. At verò quoniam mors illum ante occupauerat, quàm res perfecta ſit, idcirco filius eius Conſtantinus, qui Gallis verſus ſolis occaſum præfuit, fecit Athanaſio poteſtatem Alexandriam reuertendi, literasque eius cauſa ad populum Alexandrinum dedit. Quas literas hoc loco ponere ſtatui, quæ ſunt ſcriptæ his verbis:

Conſtantinus Cæſar populo eccleſiæ catholicæ Alexandrinæ, S.

Conſtantinus Conſtantini F. & eiuſdẽ ad eccleſ. Alexandrinam literæ.

Vide Socr. lib. 1. cap. 3.

MEſtræ prudentiæ minimè obſcurum arbitror, quid cauſæ fuerit, cur ſacroſanctæ legis & doctrinæ euangelicæ interpres Athanaſius à patre meo in Galliam ad tempus relegatus ſit: ne ſcilicet per nefariam improborum quorundam perſ. uerſitatem (nam agreſtis infeſtorum & crudelium hoſtium immanitas, eius capiti pe- ſ. riculum intenderat) vulnera planè inſanabilia ſuſtinere coactus fuiſſet. Quocirca vt ſ. hanc nequam hominum malitiam effugeret, ex illorum quaſi faucibus, qui ei ſtruebant inſidias, ereptus eſt: iuſſuſque vt ſub mea ditione vitam degat: quò non aliter, ac ſi in ea ciuitate verſaretur, in qua antehac vixerat, omnibus rebus ad vitam neceſſarijs (licet eius eximia virtus diuina ope freta, graues aſperioris fortunæ ærumnas pro nihilo putet) abundare circunfluereque poſſit. Quamobrem cum pater meus Conſtantinus

De Athanaſio & relegato prius, & iam reuocato, Imp. ſenẽtia.

Auguſt. dignus ſanè ob res præclarè geſtas qui ſempiternæ memoriæ commendetur, A haberet in animo, epiſcopum illum ad propriam ſedem locumque veſtræ cum primis sanctimoniæ gratia, reſtituere, & morte (vt ſors humana fert) antè occupatus occumberet, quàm id quod erat ſibi in optatis, explere poſſet: conſentaneum certè exiſtimaui, vt ipſe inſtitutum tam pij Imperatoris mihi exequendum ſuſciperem. Quanta autem obſeruantia & honore hominem complexus fuerim, ab eo ipſo, ſimulatq; in veſtrum conſpectum venerit, facilè intelligetis. Nec mirum ſanè, me iſtud humanitatis officiũ erga illum declaraſſe. Nam cum quędã veſtri deſiderij quaſi effigies, tum grauis hominis perſona ante oculos mentis obuerſata, animum meum ad hoc ipſum commouit, vehementerq; cohortata eſt. Deus vos, fratres mei chariſſimi, ſua prouidentia diu ſeruet incolumes. Iſtarum literarum ſubſidio Athanaſius reditum cõſecutus, eccleſias Aegypti denuò adminiſtrauit. At Ariani iſtud grauiter tulere, neq; animo tranquillo potuere conſiſtere: hincq; crebrę ſeditiones concitatæ. Quæ res cauſa fuit, cur nouæ inſidię Athanaſio denuò tenderẽtur. Nam Euſebiani eum apud Imperatorem magnopere inſimulabant, quòd homo ſeditioſus eſſet: quodq; contra leges eccleſiaſticas, non iudicio epiſcoporum, ſed ſuo ipſius arbitrio reuertiſſet. Verùm quemadmodum iſtorum inſidijs Alexandria rurſus expulſus ſit, mox idoneo loco dicetur. Per idem ferè tempus, Euſebio cognomento Pamphilo mortuo, Acacius epiſcopatum Cæſareę Palæſtinę capeſſit. Qui ſtudioſus Euſebij imitator factus, & ab eo in Sacris literis inſtitutus, cùm ad inueniendum quid diceret, tum ad inuenta oratione explicanda adeò aptus fuit vt perdiſertus euaderet, multosque libros memorabiles poſt ſe relinqueret. Non ita diu pòſt Constantinus Imperator, in bello contra Conſtantem fratrem ſuum illato, in Aquilia à ducibus Conſtantis interficitur. Quare imperij Romani pars quæ ad ſolis occaſum ſpectat, Conſtanti: pars autem quæ vergit ad ſolem orientem, Conſtantio ceſſit.

Nouæ inſidiæ Athanaſio inſtructæ.

Euſebij Pamphili mors. Acacius.

Conſtantini iunioris mors. Vide Cuſp. & Oroſ.

De Paulo Conſtantinopolitano epiſcopo, & Spiritus ſancti oppugnatore Macedonio.

CAPVT III.

Paulus Conſtant epiſcopus, Alexandri ſucceſſor.

INterea temporis moritur Alexander, inq; epiſcopatum Conſtantinopolitanum Paulus poſt eum ſuccedit: quem epiſcopatum, vt Ariani & Macedoniani memorant, contra ſententiam Euſebij epiſcopi Nicomediæ, & Theodori Heracleæ, vrbis Thraciæ epiſcopi (penes quos vt epiſcopos finimos, electio epiſcopi Conſtantinopolitani erat) ipſe ſibi per ambitum acquiſierat: ſed, vt multis in ore eſt, ob teſtimonium Alexandri, cui ſuccedebat, ab epiſcopis, qui tum fortè in vrbe commorabantur, ordinatus eſt. Nam Alexander, cum annos iã nonaginta octo natus eſſet, quorũ viginti tres in epiſcopatu præclarè ac fortiter gerendo contriuiſſet, cumque eſſet de vita deceſſurus, ſciſcitantibus ſuis clericis, cui eccleſiæ adminiſtratio deferenda eſſet: Si virum, inquit, pietate ſpectatum, aptumq; ſimul ad docendum quęritis, Paulum eligite: ſin hominẽ ad res ciuiles gerendas, & conſuetudinem cum principibus habendam idoneum deſideratis, Macedonius priores obtinet.

Vide Nicen. lib. 9. ca. 4. Vide Theodor. lib. 2. cap. 4. Vide Socr. lib. 2. cap. 4. 5. Sozo. infra lib. 3. cap. 5. 6. 8. 22. li. 4. cap. 20. 26.

Macedonius.

Quinetiã fautores Macedonij, vtriq; quidem teſtimoniũ ab Alexandro tributum conſtãtur: ſed teſtimoniũ de rebus ciuilib. procurandis, & de eloquentię præſtantia Paulo, teſtimonium autem pie vitę Macedonio datum prędicant. nam Paulum vitam delicatam & diſſolutam conſectatum calumniabantur. Ex quorum confeſſione conſtat, Paulum diſertum virum fuiſſe, & ad docendas eccleſias præſtabilem. Quem rerum euentus teſtificantur, neque vitam effuſam egiſſe, & intemperantem, neque ad conſuetudinem principum aptum fuiſſe. Nam inſidias aduerſariorum (quales viriſimile eſt viros in eiuſmodi rebus ſolertes machinari) ab ſe minimè depulit: imò verò etiam cum multitudini percharus eſſet, malitia eorum qui id temporis doctrinam fidei in concilio Nicæno confirmatam reijciebant, non parum accepit incommodi. Ac primùm in crimen, quòd vitam neutiquam piè egerat, vocatus, eccleſia Conſtantinopolitana eijcitur. Ad extremum, addicitur exilio: vbi per inſidias eorum qui cędem illi machinabantur, miſerandum in modum ſtrangulatum occubuiſſe ferunt. Cæterùm iſta quidem pòſt acciderunt.

Paulus eccleſia eiectus, etiamq; exilium & interitus.

De tumultu propter Pauli ordinationem exorto.

CAPVT IIII.

PEr id temporis autem maximus tumultus eccleſiam Conſtantinopolitanam, propter electionem epiſcopi occupauit. Nam dum vita ſuppeditabat Alexandro, Arianorum libertas in anguſtum coacta eſt: & populus, oculis in illum coniectis, eius nutum

Vide Nicen. lib. 9. ca. 4.

A tum ſecuti ſunt, & Deum laudibus extulerunt: idque maximè poſt calamitatem adeò exinopinato Ario illatam, quem diuina vltione, precibus ac votis Alexandri inuecta, ad eum modum, quem diximus, extinctum eſſe credebant. Quare ſimulatq; Alexander obijt mortem, populus in duas factiones diuiſus, contentionibus opinionum & pugna palàm cœpit exardeſcere. Atq; ab Arianis laboratum eſt, vt Macedonius, ab illis autem qui filium patri conſubſtantialem credebant, vt Paulus crearetur epiſcopus: quorum quidem certè vicit ſententia. Poſt Pauli electionem, reuerſus eò Imperator (nam illo tempore fortè aberat) rem iniquo animo tulit, perinde ac ſi epiſcopatus homini indigno tributus fuiſſet. Itaq; fraudulento impulſu aduerſariorum Pauli concilium cõuocans, Paulum exturbauit eccleſia, & Euſebio epiſcopo Nicomediæ ſedem Conſtantinopolitanam tradidit.

Euſebius in Pauli locum ſuffectus.

De prouinciali Concilio Antiochiæ celebrato, quod abdicato Athanaſio, Gregorium in eius locum ſubrogauit: & de duabus fidei expoſitionibus, & quinam illis conſenſerint: & de Euſebio Emiſeno: & quòd Gregorio Alexandriam ingreſſo, Athanaſius fugiens Romam ſaluus peruenit.

CAPVT V.

Vide Nicen. lib. 9. ca. 6. Vide Socr. lib. 2. ca. 2. 3. 6. 8. Vide Theodor. lib. 2. cap. 4.

HIS confectis rebus, Conſtantinus Antiochiam, quod eſt oppidum Syriæ, contendit. Iam verò cùm eccleſia, quam tum amplitudine tum pulchritudine præ cæteris eximiam Conſtantinus adhuc in vita manens, Conſtantio filio adminiſtro ad eam rem vſus, ędificare cœperat, ibi tum ad exitum perducta eſſet: opportunum tempus Euſebianis, qui illud ſedulò moliebantur, videbatur ad Concilium cogendum oblatum. Quare iſti cum alijs eiuſdem opinionis & doctrinæ fautoribus, qui huic concilio tum intererant, numerum nonaginta nouem epiſcoporum conficientes, conuenerunt ex multis locis Antiochiam, ſimulatione quidem vt nouam eccleſiam conſecrarent: ſed reuera, ſicut euentus declarauit, vt decreta concilij Nicæni abrogarent. Eo tempore Placitus, Euphronio mortuo, eccleſiæ Antiochenæ præfuit, & iam quinq; annos poſt mortem Conſtantini in eo munere obeundo contriuerat. Vbi verò omnes epiſcopi in vnum conuenere, & Conſtantius etiam adfuit, complures eorum indignari, & grauiter Athanaſium accuſare cœperunt: quòd ſcilicet legem de ſacerdotio ſancitam, quam ipſi tulerant, contempſerat: quòdq; prius eccleſię Alexandrinæ adminiſtrationem occuparat, quàm poteſtas eſſet ei à concilio permiſſa. Adiecerunt pręterea, eum ciuibus cauſam mortis extitiſſe, propterea quòd cum in ciuitatem intraret, ſeditione excitata, multi occiſi, non pauci in iudicium adducti eſſent. Itaq; grauiſſima calumnia his rationibus contra Athanaſium contexta, decernunt, vti Gregorius eccleſiæ Alexandrinæ antiſtes conſtituatur. Quo facto, ad quærendum de fide ſe transferunt: & quamuis decreta concilij Nicæni minimè arguerent, tamen mittunt ad epiſcopos cuiuſq; ciuitatis literas, quib. docent, ſe, cum ſint epiſcopi, Arium minimè ſecutos eſſe (quî enim fieri poteſt, inquiunt, vt eum ſequantur, cum ſit ſolum preſbyter?) ſed cognitores eius fidei factos, ipſum potius admiſiſſe: ſe autem non aliter credere, quàm fides ab initio tradita præſcriberet. eam verò eſſe, quam Epiſtola ſuę ſubiunxerant, in qua de nomine Eſſentiæ patris aut filij, vel verbi Conſubſtantialis, nulla omnino mentio facta erat: ſed ſenſu adeò anceps & ambigua fuit, vt neque Ariani, neque concilij Nicæni fautores compoſitionem verborum, quòd ſacræ literæ eiuſmodi minimè complecterentur, inſectari poſſent. Nam omiſſis illis nominibus quæ vtraq; pars haud probabat, ea in formula fidei poſuerunt, quę erant tum ab Arianis, tum ab orthodoxis conceſſa. Siquidem filium ſimul cum patre eſſe, vnigenitum eſſe, Deum eſſe, ante omnia extitiſſe, carnem aſſumpſiſſe, paternam expleuiſſe voluntatem, & alia itidem confeſſi ſunt. Verùm vtrum coæternus ſit, & conſubſtantialis patri, an contrà, neutiquam in formula inſeruerunt. At verò cum eos iſtius formulæ poſteà, vt eſt veriſimile, pœniteret, aliam præterea rurſus ediderunt, quę in alijs quidem rebus, mea quidem ſententia, fidei concilij Nicæni (niſi quidam fortè ſenſus à me minimè intellectus, in verbis obſcurè incluſus ſit) penitùs conſentit: ſed his verbis, Filium patri conſubſtantialem eſſe, reiectis: pro illis, Eius diuinitatem nec conuerti poſſe, nec mutari, dixerunt: eumque eſſentiæ, conſilij, potentiæ & gloriæ patris conformem imaginem eſſe, & primogenitum omnis creaturæ. Hanc fidei formulam, his verbis ſcriptam, dixerunt ſe comperiſſe Luciani fuiſſe formulam, viri ſpectatiſſimi, & in ſanctis literis ſummè eruditi, qui Nicomediæ martyrio occubuit. Veráne iſta ſint, an propriam ac ſuam fidei formulam titulo martyris inſignire laborarint, non habeo equidem dicere. Huic concilio,

Placitus Antiochiæ epiſcopus.

Athanaſij accuſatio.

Gregorius Alexand. epiſc. eiecto Athanaſio.

Rurſum fidei Nicenæ innouatio alia.

Luciani martyris formula fidei.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Episcopi celebriores illius concilij.

interfuerunt, non Eusebius solum, qui post Paulum eiectum Nicomedia translatus, se- A dem, Constantinopolitanam occupauit: verùm etiam Acacius, Eusebij cognomento Pamphili successor: & Patrophilus, episcopus Scythopolis: & Theodorus Heracleæ, quæ antè Perinthus appellata fuerat, episcopus: Eudoxius item episcopus Germaniciæ, cui post mortem Macedonij ecclesiæ Constantinopolitanæ gubernatio delata erat: & Gregorius, ad episcopatum ecclesiæ Alexandrinæ delectus: qui eadem inter ipsos senti- re id temporis omnes confessi sunt. Quinetiam Dianæus Cæsareæ Cappadociæ episco- pus, & Georgius episcopus Laodiceæ, quæ est vrbs Syriæ, alij denique complures, qui ecclesias primarias easque illustres administrabant. Quibuscum vnà adfuit quoque Eu-

Eusebius Emisenus.

sebius cognomento Emisenus, genere oriundus ex Edessa nobili ciuitate Osroenorum, ab ineunte ætate (vt mos patrius fert) sacris in literis educatus, deinde disciplinis huma- nioris literaturę institutus, idq; à magistris qui illo tempore ibi ętatem degebant. Postea autem ab Eusebio cognomento Pamphilo, & Patrophilo Scythopolis Antistite inter- pretibus & magistris suis sanctos scripturæ libros exquisitius perdidicit. Qui profectus Antiochiam, simul vt Eustathius fortè propter criminationem à Syro sibi illatam ab- dicatus erat, consuetudine Euphronij, Eustathij successoris, multùm vsus est. Inde etiā quoniam sacris initiari renuebat, Alexandriam concessit, scholasq; philosophorum ibi frequentauit. Quorum disciplinis accuratè institutus, redijt Antiochiam, & cum Placi- to, qui Euphronio succedebat, commoratus est. Postea verò quàm in ea vrbe forte for- tuna cōcilium erat conuocatum, ab Eusebio episcopo Constantinopolitano ad sedem ecclesiæ Alexandrinæ capessendam designatus est. Nam putabat illum tum propter pi-

Eusseb. Emisenus episcopatū oblatum recusat.

am vitæ institutionem, tum propter singularem in dicendo facultatem, animos Aegy- ptiorum à benevolentia, qua Athanasiū complectebantur, facilè auocaturum. At vbi hunc episcopatum capessere recusauit, ratione secum inita, quàm paratum in odium a- pud Alexandrinos incurreret, qui videre non poterant, alterum in locum Athanasij surrogatum: ecclesiæ Alexandrinæ episcopatus Gregorio, Emissenæ autem ei tributus

Astronomiæ indiciariæ studium damnatum.

est. Ibi tumultu oborto, cum esset ideo accusatus, quod eam partem astronomiæ, quæ rerum euentus prædicit, profiteretur, inde fugit, venitque Laodiceam, ad Georgium il- lius ecclesiæ episcopum, necessarium & familiarem suum. Qui cum eo profectus An- tiochiam ad Placitum & Narcissum episcopos, perfecit vt Emesam reuerteretur. Plu- rimi illum fecit Constantius imperator, secumque, cùm bellum contra Persas gesturus B esset, deduxit. fertur item, Deum multa per eum edidisse miracula, vti Georgius Lao- dicensis testatur: qui cùm ista, tum alia præterea de eo commemorat. Verùm iste, licet vir tam insignis esset, non tamen eorum effugit inuidiam, quorum animos alienæ vir- tutes vehementer excruciare solent. Nam in crimen adductus est, quòd Sabellij tuere- tur opinionem: cum tamen iam tum decretis concilij Antiocheni suffragaretur. At ve rò Maximum Hierosolymorum episcopum, dedita opera ab hoc concilio abfuisse fe- runt: eumque pœnituisse, quòd in fraudem impulsus, sententiæ fuisset eorum, qui A- thanasium abdicauerant, suffragatus. Porrò autem neque episcopus Romanus, neque alius quispiam vel ex episcopis Italiæ, vel ex illis, qui longè vltra Romam habitabant, ad istud concilium conuenit. Dum hæc administrantur, ac Franci Romanorum agros in finibus Galliæ sitos populantur: parsque imperij ad solem orientem spectans maxi- mis terræ motibus concutitur, & maximè omnium Antiochia: hoc concilio ibidem confecto, Gregorius proficiscitur Alexandriam, ingenti militum manu stipatus: quibus erat imperatum, vt pacatum ei & tutum in vrbem introitum prouiderent. His subsidio etiam fuere Ariani, qui non de hac re solum, verùm etiam vt Athanasium è ciuitate pel- lerent, magnopere laborarunt. Quare Athanasius non parum veritus, ne populus ipsi- us causa aliquid acciperet incommodi, nocte subsequenti conuentum in ecclesia egit. Atq; cum iam milites ad ecclesiam venissent, precibus quibusdam peractis, primò psal-

Callida Athanasij fuga.

mum recitari iubet Athanasius. dum concentu quodam psalmus cantatur, milites ac- quiescunt, illud tempus ad inuadendum Athanasium parum idoneum arbitrati. Inte- rim Athanasius per mediam canentium turbam clàm egreditur, & Romam con- tendit: Gregorius verò sedem Alexandrinam occupat. Ob quam causam populus grauiter commotus, ecclesiam nomine Diony- sij, qui ibi fuerat episcopus, nuncupa- tam incendunt. *De*

De Paulo, qui mortuo Eusebio ad episcopatum restitutus est: & de Hermogene, ductore exercitus, trucidato: & quòd Constantius ab vrbe Antiochena Constantinopolim profectus, tum Paulum extur bat, tum contra ciuitatem ira commotus est: deinde Macedonio in ancipiti relicto, Antiochiam reuertitur. CAP. VI.

Vide Nicc. lib. 9 ca. 7. Vide Socr. li. 2. c. 9. 10.

HOc modo conata eorum qui hęresim fidei catholicæ aduersariam tueban- tur, prosperè successerūt: quippe cum & hi qui doctrinam in concilio Ni- ceno confirmatam studiosè defendebant, abdicati essent: & episcopales se- des primariæ, nempe Alexandriæ vrbis Aegypti, & Antiochię quod est op- pidum Syriæ, & Constantinopolis etiam, ciuitatis ad Hellespontum sitæ ab Arianis occupatæ: quibus episcopi eam imperij partem incolentes moram gesserūt. At ecclesiæ Romanæ præsul, & episcopi ac sacerdotes versus occidentem solem habi- tantes, hanc iniuriam & contumeliā ecclesiæ factam, suam ac propriam duxerunt. Nā cum semper inde vsq; ab initio, concilij Nicæni sententiam approbassent, idem sentire eodemq; animo esse hactenus non destiterunt. Itaq; Athanasium ad se accedentem be- neuolè exceperunt, & criminationem illi obiectam in se seruarunt. Quibus de causis grauiter commotus Eusebius, scripsit ad Iulium, vt ipse decretorum Tyri de Athanasio sancitorum iudex esset. Attamen non ita diu post concilium Antiochiæ celebratum, antè quàm de Iulij sententia certior factus esset, de vita decessit. Quare hi qui Constanti- nopoli fidem concilij Nicæni summo studio amplecterentur, Paulum in ecclesiam de- duxerunt. Eodē tempore Theognis Nicææ episcopus, Theodorus episcopus Heracleæ, & alij eiusdem sectæ episcopi, qui tum fortè Constantinopoli aderant, subsidio eorum qui erant ex multitudine aduersaria adiuti, in altera ecclesia conuenere, & Macedoniū ecclesiæ Constantinopolitanæ designauere episcopū. Hinc crebri in vrbe concitati tu- multus, bellis nō dissimiles. Nam multitudine vtrinq; confligente, quàm plurimi per- ierunt. Atq; ciuitas tanta seditione redundauit, vt res ad Imperatorē, qui tum erat An- tiochiæ, perferretur: qui inflāmatus iracundia, iussit vt Paulus vrbe denuò eijceretur. Imperatoris aūt mandata executus est Hermogenes, dux equitatus: qui in Thraciā mis- B sus, itinere per Constantinopolim facto, vi militum perfecit, vt Paulus ecclesia expelle- retur. Verùm cum multitudo minimè istud fieri permitteret, imò verò Paulum aliqua ex parte defendere niteretur, & milites violentius, quod imperatū erat, perficere labora rent, vrbis illius milites ad domum Hermogenis profecti, eā incendunt, Hermogenem trucidant, & fune ligatū per ciuitatis plateas trahunt. Qua re audita, Imperator consce- so equo, perrexit Constantinopolim, eo animo, vt plebē graui aliquo afficeret incom- modo. Sed cum eos sibi obuiam factos lachrymis & precibus veniā petere cerneret, illis quidem pepercit: sed tamen dimidiatam partem frumenti, quod pater eius Constanti- nus congiarij loco quotannis ex vectigalibus Aegyptijs, ciuib. in commune tribuerat, a- demit: ratus fortasse, complures delicijs & nimia affluentia languentes, ad seditionē esse paratos. Iræ aūt impetum in Paulum transtulit, iussitq; illum è ciuitate pelli. Porrò au- tem Macedonio succensuit, tum quòd author putaretur cædis ducis Hermogenis, & a- liorum complurium: tū quòd antè episcopus crearetur, quàm ipse consensisset. Verùm re illa in medio relicta, cum iā neq; eius electioni suffragatus esset, neq; refragatus, An- tiochiam reuertit. Dum hæc aguntur, Ariani Gregorium, vtpote in sua ipsorum doctri- na stabiliēda tardum & negligentem, & Alexādrinis cum propter graues casus qui eius in vrbem introitu ibi accidissent, tum propter ecclesiæ incendium valde odiosum, inde transtulerunt: inq; eius locum substituerunt Georgium genere Cappadocem, qui ab il- lis maximi æstimabatur, tum quòd in rebus agendis promptus ac diligens, tum quòd e- iusdem cum ipsis opinonis perstudiosus esset.

Occidentis episcopi dolēt ab Orientalibus fidem Nicenā oppugnari.

Paulus in Eusebij locum suffectus.

Macedonius Constantinop. episcopus destinatus.

Paulus ecclesia & vrbe pulsus.

Imperator ob Hermogenis ducis cædē Constantinopolitanos multat.

Paulū expellit, Macedonio succenset.

Georgius Cappadox, expulso Gregorio suffectus Alexandriæ.

De archiepiscopis qui à partibus orientalibus pulsi, Romam confugerunt: & quid pro illis Iulius Romanus pontifex scripserit: & quòd eius literis Paulus & Athanasius sedes suas rursum receperunt, tum etiam quid orientales archiepiscopi Iulio responderunt.

CAP VII.

Vide Nice. lib. 2. cap. 8. Socr. lib. 2. cap. 11.

AThanasius aūt fugiens Alexandria, Romam aduentauit. Eodem tempore Paulus etiā Constantinopolitanus episcopus fortè illò accessit, & Marcellus quoq; episc. Ancyræ, & Asclepas Gazæ episcopus: qui cum doctrinę Arianæ aduersaretur, in crimē vocatus est ab Arianis quibusdā, quòd altare euerterit, & fuerit propterea abdicatus. Cu ius locum in ecclesia Gazę administranda obtinuit Quintianus. Itemq; Lucius episcop.

Orientales episcopi suis sedibus eiecti Romam confugiunt.

Asclepæ accusatio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quintianus. Lucius.

Adrianopolis, ab alijs accusatus, sua quam regebat ecclesia spoliatus, Romę etatem de- A
git. Quorum criminationes cū episcopus Romanus intellexisset, & omnes fidei concilij Nicæni consentientes reperisset, in communionē recepit. Ac cum propter sedis dignitatem cura omniū ad ipsum spectaret, singulis suam ecclesiā restituit: scripsitq; ad e-
Iulij Rom ep. ad episc Orientis litera. piscopos Orientis, eosq; incusauit, quòd incōsultò de hisce viris iudicassent, ecclesiasq; perturbassent, cùm decretis concilij Nicæni stare nollent. Deditq; mandatum, vt quidā illorum omnium nomine ad diem constitutū accederent, perspicuè declaraturi sentētiam, quam de his tulerant, æquā iustamq; esse. Quinetiam minatus est, se de reliquo nō passurum eos inultos esse, nisi nouis rebus studere desisterent. Ista quidem scripsit Iulius. Athanasius aūt & Paulus ad suas sedes reuertuntur: literasq; Iulij episcopis Orientis
Athanasius & Paulus ad suas sedes reuersi. mittunt. Quibus illi grauiter commoti, conueniunt Antiochiæ in vnum, & epistolam verbis elegantibus ornatam, & diserè, vt rhetorum mos fert, compositam ad Iulium
Orientis epis. ad Iuliū Rom. epistola. scribunt, eamq; plenam ironiæ, & minarum non expertem grauissimarum. Nam quan-
Ecclesiæ Rom. primatus. quam literis suis fatebantur, ecclesiam Romanā primas apud omnes ferre, vtpote quæ Apostolorum schola & pietatis metropolis (licet authores religionis Christianæ primùm ex Oriente eò venissent) iā ab initio fuisset: tamen indignati sunt, se posteriores ideo ferre, quòd magnitudine ecclesię superarentur: idq;, cum virtute & pio viuendi instituto longè superiores essent. Quinetiam criminis loco Iulio obijciebant, quòd cum Athanasio & reliquis cum eo episcopis communicauerat: & ægrè admodum ferebant, perinde ac si tum concilium fuisset, tum ipsorum sententia abrogata. Quod factum, vt iniquum, & à lege ecclesiastica discrepans insimularunt. His de causis cū eum ad hunc modum criminati essent, & sibi factam iniuriā testati, Iulio pacem & communionem pollicebantur, si modò abdicationē eorum, qui ad ipsum profugerant, approbaret: sin autem resisteret ipsorum decretis, contraria se facturos prædicebant. Nam episcopos & sacerdotes Orientis, qui ipsos antegressi fuerant, minimè refragatos esse episcopo Romano, cum Nouatus erat ecclesia ab eo eiectus. De rebus aūt quas contra concilij Nicæni decreta gesserant, nihil ei rescripserunt: cum tamen significarent se multas habere causas, quibus commodè facta sua excusare possent. Verùm dixerunt superuacaneum esse, de his in præsentia se purgare, præsertim cum in omnibus suis actis omnino iusticiā violasse suspecti essent. Iulio quidem ista eos scripsisse constat. B

Quomodo deiecto Paulo, vicissim in episcopatum Constantinopolitanum Macedonius suffectus est. CAPVT VIII.

Vide Nicer. lib. 9. ca. 9. Socrat. lib. 2. cap. 12.

Imperatorū iussu Paulus iterū eiectus. Episcopos autem quos abdicauerant, rursus apud Constantium Imperatorē accusant. Hic illo tempore Antiochiæ ætatem degens, scribit Philippo præfecto Constantinopolitano, vt ecclesiam illam denuò Macedonio reddat: Paulum autem vrbe expellat. Præfectus verò seditionem populi veritus, antè quàm mandatum Imperatoris palàm factum est, ad balneum publicum,
Zeuxippus balneum. cui nomen erat Zeuxippus, illustre illud quidem atq; amplissimum, proficiscitur: eoq; accersit Paulum, quasi de negocijs publicis cum eo communicaturus. Cui statim vt venerat, literas ostendit Imperatoris: atq; clàm per regiam, quæ balneum attingebat, eum ad mare deduci, collocari in nauigio, Thessalonicam subuehi, vnde maiores eius oriundos ferunt, iussit: deniq; sententiam contra illum tulit, vt omnino extra eam imperij partem quæ ad orientem solem vergit, se teneret. Illyricum & vlteriores regiones ingredi non vetuit. Egressus demum è tribunali, in quo iudicium aduersus Paulum dederat, secum in curru habens Macedonium, ad ecclesiam perrexit. Populi autem multitudo (nam his rebus gestis infinitus numerus in vnum collectus est) ecclesiam ilico com-
Macedonius restituitur magna ciuium calamitate. pleuit. Nam singuli tum Ariani, tum Pauli fautores, enixè laborarunt, vt alteri alteris anteuerterent. Vbi verò præfectus & Macedonius vnà ad fores accessit ecclesiæ & multitudo, quo introitus illis pateret, à militibus ad cedendum impulsa, cedere ideo non potuit, quòd loca interiora referta erant: milites rati multitudinem populi dedita opera restitisse, multos gladijs confecerunt: complures item ab se mutuò protriti interierunt. Quare edictum Imperatoris hunc habuit exitum: atq; Macedonius ecclesiarum administrationem obtinuit. Cum Paulus hoc pacto ex inopinato ecclesia Constantinopolitana priuatus esset, Athanasius veritus Constantij Imperatoris minas ex occulto
Athanasij fuga propter nouas calumnias. fuga salutem quæsiuit. Nam Constantius ei mortem eò minatus fuerat, quòd Ariani criminati fuissent, seditiones ab eo conflatas esse, & illo in vrbem introeunte multos extinctos. At illud in primis Imperatori bilem mouit, quòd eum frumenti congiariū, quod Constantinus pauperibus Alexandriæ donasset, vendidisse, indeque quæstum fecisse prędicabant.

Quòd

A *Quòd Romanus pontifex pro Athanasio ad Orientales episcopos scripserit: quodq; Romam missi sunt episcopi, qui crimina, quæ episcopis Orientalibus obiectabantur, vnà cum episcopo Romano examinarent: & quomodo Constans Cæsar eos domum remiserit.*

CAPVT IX.

Vide Nicer. lib. 9. ca. 10. Socr. lib. 2. cap. 14.

Athanasium Romam vocatus. At verò cum episcopi Aegypti hæc falsa esse scripsissent, Iulius certior factus non tutum esse Athanasio in Aegypto vitam agere, eum ad se accersiuit. Ad illos autem, qui Antiochiæ in vnum conuenerant (nam fortefortunà id temporis eorum acceperat epistolam) scripsit, atque adeò incusauit, quòd clàm contra fidem concilij Nicæni nouas res moliti fuerant,
Iulij ad Orientales epistola. quodq; contra leges ecclesiæ ipsum ad concilium non vocarant. Nam legem esse ad sacerdotij dignitatem spectantē, quæ pronunciat acta illa irrita esse, quæ præter sententiā
Prærogatiua episcopi Romani. episcopi Romani constituuntur. Ea autem, quæ Tyri & in Mareote aduersus Athanasium decernebantur, iniqua esse. Atq; calumniam de Arsenij brachio confictam, in illis criminatur: in his autem, Athanasij à Mareote absentiam. Postremò, literarum pertinaciam reprehendit. Quibus omnibus rationibus adductus est, vt Athanasio & Paulo (nam haud ita diu post Athanasius ipse in Italiam profectus, de iniurijs quas accepe-
Iuliꝰ causam Athanasij & Pauli ad Constantem refert. rat, conquestus est) opem ferendam iudicaret. At cum literis apud episcopos Orientis, de rebus propter quas scripsisset, nihil proficeret, causam Athanasij & Pauli ad Constantem retulit. Qui quidem dedit literas ad fratrem Constantium, vt quosdam episcopos Orientis Romam mitteret, de abdicatione Athanasij & Pauli responsuros. Itaque ad hanc rem deliguntur tres: Narcissus, episcopus Irenopolis, quæ est vrbs Ciliciæ: Theodorus Heracleæ, quod est oppidum Thraciæ, episcopus: & Marcus, episcopus Arethusæ, ciuitatis Syriæ. Qui in Italiam profecti, acta sua constanter tutati sunt: Imperatorique persuadere conantur, iustum æquumq; fuisse iudicium concilij in Oriente celebrati. At verò cum rogarentur de fide sua, formulam fidei ab se Antiochiæ compositam occultauere, atq; aliam scriptis mandatam commonstrauere, eamq; etiam à fide in concilio
Constans Orientalium legatos reiecta remittit. Nicæno approbatæ discrepantem. Vt autem Constans vidit eos hisce viris iniustè insidias struxisse, & neq; criminis alicuius, neq; vitæ malè actæ causa, sicut abdicationes præ-
B se ferebant, sed propter dissentientem fidei opinionem, eorum communionem auersatos esse: illos haud voti compotes domum remisit.

De prolixa fidei expositione, & quæ in Sardicensi concilio gesta fuerunt: & quod Orientales episcopi Iulium episcopum Romanum, & Osium Hispaniæ episcopum, quòd cum Athanasio & alijs communicabant, abdicarint.

CAPVT X.

Vide Nicer. li. 9. ca. 12 Vide Socr. lib. 2. ca. 15.

Triennio verò iam intermisso, episcopi Orientis aliam fidei formulā, quam μακρόστιχον, id est prolixam, vel multas lineas complectentem nominabant, propterea, quòd multò pluribus verbis ac nominibus quàm priores formulæ, conscripta erat, episcopis Occidentis miserūt. In qua vt essentiæ Dei nullam fecere mentionem: sic illis, qui filium Dei asserebāt vel ex nihilo ortū esse, vel ex alia essentia quam Dei patris constare, vel tempus seculúmue fuisse, quando non erat, anathema indixere. Quam formulam ab Eudoxio episcopo iam tum Germaniciæ, & Martyrio & Macedonio ad se perlatam, episcopi Occidentis non receperunt. Nam responderunt, se decretis Concilij Nicæni velle acquiescere, & præter ista nihil amplius curiosè exquirendum putauerunt. Cum autem Constans Imperator postularet à fratre beneficij loco, vt Athanasius & reliqui, qui in eadem causa erant, ad sedes proprias restituerentur: & propter Arianos, qui contra nitebantur, literis nihil profecit: & Athanasius ac Paulus ad eum accedentes peterent, vti Concilium cogeretur, propterea quòd ipsis, quò vera sanaque doctrina tolleretur, paratæ fuissent insidiæ: sententia vtriusque Imperatoris decretum est, vt episcopi partis vtriusque ad statum diem Sardicen, vrbem Illyrij, conuenirent. Episcopi autem Orientis Philippopoli, quæ est vrbs Thraciæ, coacti, scribunt episcopis Occidentis iam Sardicæ congregatis, vt pellant è Concilio Athanasium & Paulum, vtpotè abdicatos: se alioqui ad Concilium minimè venturos dixerunt. Postea Sardicem profecti, constanter affirmarunt, se minimè in eam ingressuros ecclesiam, in qua simul conuenirent illi, quos ipsi abdicauerant. Ad quæ rescripserunt episcopi Occidentis, se nunquam ab eorum communione refugisse: neque iam velle ab ea refugere, præsertim cum Iulius episcopus Romanus, causa eorum accuratè cognita, illos neutiquam condemnasset. Eos autem adesse, atq; tū ad causam suā disceptandā, tum ad crimina sibi illata rursus diluēda paratos esse. Verū

μακρόστιχον fidei formula.

Occidentis episcopi seruant acta concilij Nicæni.

Episcoporum Orientis & Occidentis literæ aduersariæ, de Athanasio & Paulo.

Universidad de Deusto
Biblioteca

postquam his rebus per literas significatis nihil profecerunt,& iam dies præstituta præterierat,in qua de causis,ob quas in vnum conuenerant,iudicandum erat, ad extremũ ea mutuò consensu ad illos scripserũt,ex quibus maior iam odij flamma, quàm antea, in eorum animis accensa est:quinetiam separatim per se in vnum coacti, acta contraria sanciuerunt. Quare episcopi Orientis,decretis suis,quæ de Athanasio, Paulo, Marcello & Asclepa ediderant,stabilitis,primùm Iulium episcopum Romanum,quòd primus omnium cum istis communicarat: deinde Osium confessorem, cùm propter eandem causam,tum propterea,quod amicus fuerat Paulino & Eustathio , qui Ecclesiæ Antiochenæ antistites fuissent: deinceps Maximum Treuiris episcopum, quòd primus cum Paulo communicarat,& eius Constantinopolim reuersionis author extiterat, & episcopis ex Oriente in Galliam profectis ecclesiæ communione interdixerat, abdicarunt. Præter istos abdicarunt etiam Protogenem episcopum Sardicæ, & Gaudentium: alterum quidem,quòd Marcelli susceperat patrocinium, quem ante suffragio condẽnauerat: Gaudentium autem,quòd cõtrario studio ducebatur,quàm Cyriacus, cui successerat, & magnificiebat eos,quos ille abdicauerat. Hæc cum decreuissent, omnibus episcopis per literas significarunt,ad eum finem,vt istos neq; in communionem admitterent,neque scriberent ad eos,neque literas ab illis scriptas reciperent. De Deo autẽ eo modo sentire iubebant,quo formula fidei epistolæ subiuncta præscriberet: quæ vt nullam verbi Consubstantialis fecit mentionem , sic illis communione ecclesiæ interdixit,qui dicerent tres esse deos,aut Christum non esse Deum,aut patrem & filium & Spiritum sanctum eundem esse,aut filium ingenitum,aut tempus seculúmue fuisse quando non erat.

Iulius Roma. episc. item Osius, Maximus, Protogenes et Gaudentius, ab Orient. lib. episcopis abdicati.

Quòd contrà Osius,& ij qui idem cum eo sentiebant,Orientales archiepiscopos in alio consessu, gradu priuabant,& aliam fidei expositionem proferebant.

CAPVT XI.

Athanasij, Marcelli & Asclepæ innocentia asserta.

EX altera parte autem Osius,& qui cum eo in vnum conuenerant,culpa vacuos esse declararunt tum Athanasium,cui episcopi Tyri coacti iniuriam per insidias fecissent: tum Marcellum,qui ingenuè fatebatur,se nunquam ea sensisse,quæ falsò sibi obiecta essent: tum Asclepam,qui Eusebij cognomento Pamphili,& aliorum iudicum sententia ad episcopatum restitutus fuisset. Quòd autem ista vera essent,ostenderunt ex commentario quodam , in quẽ istorum iudicium relatum erat. Tum Lucium denique,quòd accusatores eius non cõparerent: atque ad singulorum ecclesias scripserunt, vt eos pro suis haberent episcopis eorumque reditum expectarent,Gregorium autem episcopum Alexandriæ, & Basilium Ancyræ,& Quintianum Gazæ,neque nominarent episcopos, neque cum illis vllã haberent communionem, neq; pro Christianis quidem ducerent. Porrò Theodorum Thracem,Narcissum Irenopolis episcopum, Acacium episcopum Cæsareæ Palestinæ, Menophantum Ephesi, Vrsacium Singidonis,quæ est vrbs Mysiæ,Valentem Mursorũ, quod est oppidum Pannoniæ,& Georgium Laodiceæ episcopum(licet ad hoc concilium cum episcopis Orientis non venisset)gradu episcopali abdicarunt. Istos propterea sacerdotio priuarunt,& communione,quòd filium à patris essentia separarant: quodq; eos,qui iampridem propter hæresim Arianam fuerant abdicati,ad se receperant, & ad altiores diuini ministerij gradus extulerant. Postremò,cum illis his de causis denunciassent anathema,& alienos ab ecclesia pronunciassent,scripserunt ad omnes episcopos literas,vt rebus ab ipsis iudicatis suffragarentur,& secum de fide consentirent. Eodem tempore quoque aliam fidei formulam ediderunt, pluribus quidem verbis scriptam, quàm quæ in Concilio Nicæno edita fuisset : sed tamen eandem complectentem sententiam,& verbis non multum ab illa discrepantem. Ad extremum, Osius & Protogenes, qui Principem locum inter episcopos Occidentis,qui Sardicæ conuenerant, obtinebant,veriti ne quibusdam viderentur decreta concilij Nicæni innouare,scripsere ad Iulium,& testati sunt,se illa quidem rata habere: sed quò facilius intelligerentur, eadẽ pluribus verbis explicasse,eo consilio, ne Arianis, qui breuitate formulæ fidei in eo concilio editæ abutebantur , facultas ex verbis daretur imperitos in absurdam aliquam opinionem rapiendi . His rebus ex vtraque parte confectis, Concilium dimissum est, & ad suam quisq; sedem reuertit. Est quidem hoc concilium celebratum Ruffino & Eusebio Coss. anno decimo post mortem Constantini. Eò conuenêre ex vrbibus versus solem Occidentem sitis,episcopi numero circiter trecenti: ex Oriente autem,septuaginta sex. Cum quibus vnà aderat Ischyrion,cui aduersarij Athanasij episcopatum Mareotis detulissent.

Item Lucij.

Gregorius, Basilius, Quintianus, item alij abdicati.

Occidentis episcoporum formula fidei Nicæna ampliata.

Sardicense cõcilium, quando & à quib. celebratum.

Quòd

Quòd postquam concilium Orientales & Occidentales episcopi inuicem discordabant: & Occidentales quidem Nicænam fidem probè tenebant, Orientales verò propter dogma tuendum in plerisq; turbas concitarunt.

CAPVT XII.

Vide Nicen. lib. 9. ca. 13. Vide Theodorit. lib. 2. cap. 15. Socr. lib. 4. cap. 19.

POST istud Concilium episcopi Occidentis & Orientis neque consuetudine deinceps vti mutua, vt hi solent,qui sunt eiusdem opinionis, neque communicare inter se voluere: sed episcopi Occidentis ad Thraciam vsque se ab alteris seiunxere, Orientis autem vsque ad Illyrium. Ecclesiarum verò status, vt est verisimile, dissensionibus magnoperè conturbatus fuit,& obtrectationum aculeis obiectus. Nam tametsi antè de doctrina fidei dissidebant,tamen mutuò inter ipsos communicãtibus,non tantum mali inde accidit: quandoquidem similem tenere de fide sententiam putabantur. Ecclesia autem versus solem obeuntem sita, quoniam patrum decretis ritè gubernata erat,omninò à contentione,& captiosis verborum argutijs, quæ inde nasci solent,libera & vacua fuit. Nam quamuis Auxentius episcopus Mediolani,& Valens & Vrsacius ex Pannonia oriundi,impensè laborarẽt,opinionem Arij in illam imperij partem traducere,tamen eorum conatus haudquaquã successit ex sententia : quãdoquidem sedis Romanæ antistes, & alij episcopi ac sacerdotes studiosè præcauerunt, & illius hæresis germina amputarunt. Pars verò Imperij ad solem Orientem vergens, etsi post concilium Antiochenum dissidere,& à fide Concilij Nicæni palàm iam dissentire cœpit: tamen,meo quidem iudicio,si complurium mentem spectes,in eandem reuera sententiam quasi pedibus itum est,concessumque,filium ex patris essentia constare. At verò quidam contentionis studio adducti, contra verbum Consubstantiale pugnarunt. Nam alij in initio huic voci , vti mea fert opinio, aduersati , videri superatos esse(quod plerisq; solet accidere) turpe duxerunt. Alij autem,propter habitum ex crebris de eisdem rebus disputationibus acquisitum,ad sic de Deo sentiendũ inducti,postea de sententia deduci non potuerunt. Alij verò, quibus erat satis exploratè cognitum, non contendendum esse,vt alterutri parti gratificarentur, vel propter potentiam , vel propter familiaritatem,vel propter alias causas, quibus homines adduci consueuerunt ad largienda ea,quę parum sunt consentanea,vel vt liberè illis rebus indulgeãt ob quas meritò reprehendi deberent,de veritate deflexerunt. Multi, qui ridiculum putarent in eiusmodi verborum concertationibus tempus terere,in sententia concilij Nicæni acquieuerunt. At præter cæteros omnes,qui in Oriente ætatem degebant, visi sunt decretis concilij Nicæni mordicus adhærescere, Paulus episcopus Constantinopolitanus, Athanasius Alexandriæ,& tota monachorum multitudo: quinetiam Antonius magnus qui adhuc in vita manebat,& qui cum eo versabantur omnes : alij deniq; quàm plurimi cùm in Aegypto,tum in alijs Romanorum prouincijs. Ac quoniam in istorum mẽtionem incidi,percurram oratione eos, quos in illo imperio illustres fuisse accepi.

Episcoporum Orientis & Occidentis dissidium.

Ecclesiæ Occidentalis concordia.

Consubstantiale verbum oppugnatum.

Nicæni symboli assertores in Oriente, quinquies.

Sanctorum virorum,qui illa tempestate in Ægypto illustres fuerunt,enumeratio: puta Antonij, duorum Macariorum, Heraclidis, Cronij, Paphnutij, Pontubastis, Arsisij, Serapionis, Pityrionis, Pachomij, Apollonij, Acuph, Hilarionis, & complurium id genus.

CAPVT XIII.

Vide Nicen. lib. 9. c. 14. lib. 11. c. 27. Socr. lib. 4. cap. 18. 19.

EXordium verò capiam ex Aegypto,& duobus monachis, qui Macarij nominabantur,quiq; cum summa laude monasterijs in solitudine Sceti , & monte, qui ibi est,positis præerant. Quorum alter in agris Aegypti, alter in vrbe natus (erat enim Alexandrinus genere) & ita institutis ciuilibus educatus,vt ἀστὸς, id est, vrbanus appellaretur. Ambo autem viri sanctissimi, diuina præscientia & sapientia eximia imbuti,dæmonibus terribiles,rerum denique admirabilium & sanationum effectores. Aegyptium verò, fama est mortuum ad vitam reuocasse,quò homini, qui contrà sentiret,posset persuadere,mortuorum fore resurrectionẽ. Vixit annos circiter nonaginta: quorum sexaginta in solitudine contriuit. Qui simul vt studio monasticæ & seueræ disciplinæ,cum adhuc adolescens esset,se dedidit,sic in eo excelluit,vt à monachis πανὶ πάνυ ἀκριβογέρων, hoc est,adolescens senis mores & grauitatem præ se ferens,nuncuparetur. Vbi autem annum iam ætatis egit quadragesimum,presbyter ordinatus est. Alter verò diu post presbyter institutus, qui nullum non ferè seueræ vitæ ac disciplinæ modum expertus est, atque quædam instituta viuẽdi ipse excogitauit: & quæ ab alijs acceperat, ea omninò exquisitè excoluit : adeò vt præ cutis duritie pili barbæ non enascerentur. Eodem tempore,eodemque in loco, monasticam degebant vitam Pambo, Heraclides, Cronius

Macarij duo.

ἀστὸς.

πανὶ πάνυ ἀκριβογέρων.

Pambo, Heraclides, Cronius, Paphnutius, Pontubastes, Arsisius, Serapion, Pityrion, Pachomius, eremitae Tabinisiotae.

Cronius, Paphnutius, Pontubastes, Arsisius, magnus Serapion, Pityrion, qui Athenis vi. Axerat, & Pachomius, qui Præses fuit eorum, qui vocantur Tabinisiotæ. Quibus quidem habitus erat & vitę institutio, à reliquorum monachorum disciplina in quibusdam rebus discrepans, in virtutis contemplatione aciem mentis defigens: animum sic tum ad rerum terrenarum despicientiam, tum ad cælestium indagationē excitās, vt cùm è corporis custodia migraret, aditum ad cælum haberet perfacilem. Isti ad exemplum Heliæ Thesbitis, pellibus se induebant, vt singuli ex pelle corpori circumiecta (sicut mihi quidem videtur) virtutem Prophetæ semper in memoriam reuocantes, strenuè contra cupiditates venereas confligerent: atque studio, quo ad eius vitam imitandam incendebantur, & spe similium præmiorum cōsequendorum inducti, multò alacriore animo se à voluptate temperarent. Fertur item, eos indumenta alia, quàm quibus monachi Aegypti vti solebant, sibi comparasse, quo specimen darent seuerioris cuiusdam viuendi disciplinæ: neque tamen temerè & inconsultò à cæterorum monachorum habitu variasse. Nam tunicis se induebant manicis carentibus, quo docerent, se manus habere ab iniuria & contumelia facienda penitùs alienas: caput integumento, quod cucullum appellare solent, operiebant: quò ostenderent, se vitam perinde simplicem, atque sinceram degere, atque pueros lacte nutritos, quorū caput, quod in membris obtinet principatum, eiusmodi tiaris obuoluitur, vti tum tegatur ab æstu & frigore, tum vndiq; foueatur. Habebant prætereà cingulum, & humerale, quorum altero lumbos circundantes, humeros & brachia altero amicientes, significarunt, se ad Deo seruiendum, & ad ea opera exequenda, quæ ab eo præcipiuntur, paratos esse. Non sum equidem nescius, de his aliter ab alijs, idque pluribus verbis, commemoratum esse: sed tamen mihi hæc solum dixisse sat est. Pachomium verò aiunt primùm in spelunca vitam monasticam coluisse: eique sanctum angelum visum esse, præcepisseq; vt adolescentes monachos in vnum cogeret, atque vnà cum illis ætatem ageret. Nam eum in monastico viuendi genere præclarè exercitatum: & ob eam causam debere præesse monachorum conuentibus, vt multis prodesset: eosq; educaret legibus, quas esset ipse daturus. Dedisse autē illi tabulam, quam monachi adhuc seruant: in qua inerat scriptum quoddam, quod copiam faciebat singulis, tantum comedendi, bibendi, operandi, iciunandi, vel secus, quantum natura ferret. His verò, qui largius posset comedere, opera laboriosiora imposuit: B faciliora autem & minus molesta, his qui corpora iciunijs & abstinētia castigarent. Præscripsit prætereà, vt multas ædiculas extruendas curaret, & in singulis vt tres monachi habitarent: in vna tamen domo vt omnes cibum caperent, vescerentur cum silentio, et ad mensas sederent vultu operto, ad eum finem, vti nec videre, vel seipsos mutuò, vel aliud quicquam præter mensas & apposita cibaria: vt nullus peregrinus vnà cum illis epularetur, nisi duntaxat illac iter faciens exciperetur hospitio. Si quis cum ipsis habitare cuperet, vt primò omnium ad triennium grauioribus laboribus exerceretur, & ita eorum cōuictus particeps fieret: vt vestiretur pellibus, & caput tiaris laneis tegeret: has autem tiaras tanquam punctis purpureis notari iussit. Quinetiam vt tunicis lincis, & zonis vterentur, mandauit: vt item cincti, in tunicis simul & pellibus dormirent: idque sedendo in sellis ita constructis, vt vtrinq; circunseptæ, stratum cuiusq; in se continerent. Vt prætereà primo hebdomadæ, & vltimo die, ad diuinorum mysteriorum cōmunionem altari accedentes, soluerent zonas, & pelles deponerent: vt duodecies in singulos dies orarent, & sub vesperum itidē: toties etiam noctu: hora nona, ternis vicib. Cum cibum caperent, vt ante singulas preces psalmum cantarent. Postremò, vt totus conuentus in quatuor & viginti classes distribueretur, & singulę singulis literis Græcis vocarentur. verbi gratia, vt simpliciores nuncuparentur iota: vt vafri ζ, vel ξ: vt alij aliarum literarum nominib. appellarentur, quemadmodū forma literæ rationē vitæ classis cuiusq; aptè videretur exprimere. His legib. suos discipulos instituit Pachomius, vir cū primis benignus, & Deo valde charus, adeò vt prænoscere futura, & persæpè cū sanctis angelis in colloquiū & congressum veniret. Degit aūt ętatē in Tabenna insula Thebaidis: vnde Tabennesiotę ad hoc tēpus vsq; nominantur. His legib. vitā instituentes, sunt maximā famæ celebritatē consecuti: eorumq; ita creuit multitudo, vt viri ad septem milia vnà ætatem traducerent. Nam conuentus eorum, qui insulam Tabennam incolebant, quibuscum vixit Pachomius, circiter mille & trecentos numero habebat. Cęteri autem in Thebaide & Aegypto habitabant. Vna est viuendi ratio ac disciplina omnibus, & omnia omniū cōmunia. Conuentū aūt, qui est in Tabenna insula, matris loco ducunt, & qui illi præsunt, patres & principes arbitrantur. Per idem tempus Apollonius quoq; ob monasticam viuendi disciplinam in magna laude fuit: quem ferunt quindecim annos natum, in solitudine vitā coluisse monasticā: at cum annum iam ætatis quadragesimū ageret,

Aegyptiorum monachorum habitus, & eius mystica significatio.

Pachomius diuinitùs alijs monachis præfectus, deq; tabula eidem data, & legibus eius monastici.

Tabenna insula, à qua Tabennesiotæ monachi dicti.

Apollonius eremita.

A ageret, diuino iussu ad loca ab hominibus habitata se recepisse. Habuit hic etiam in Thebaide conuentum monachorum. Erat quidem Deo summè charus, admirabiliū tum curationum, tum signorum quasi architectus & effector. Erat prætereà eorum, qui se vitæ monasticæ dedebant, magister bonus & perhumanus. Eius item preces ita exaudiebantur à Deo, vt nihil non eorum, quæ ab eo petebat, effectum redderet. nam cum perfectè sapiens esset, sapienter postulabat ea, quæ diuinum numen lubens solet concedere. Eisdem temporib. etiam sanctum Acuph vixisse conijcio: quem audiui, ex eo tempore quo primùm Christum in persecutionis tempestatibus pro Christiana religione excitatis, ingenuè confessus est, neque falsi quicquam dixisse, neque vllam rem terrenā concupiuisse: sed tamen, quæ à Deo posceret, consecutū omnia, & à sancto angelo magistro omne virtutis genus didicisse. Sed de monachis Aegypti sint hæc quidem hactenus à nobis commemorata. Iam verò etiam Palæstina ab Aegyptijs edocta, par vitæ monasticæ genus ingressa fuerat. Quo quidem tempore sanctus Hilarion ibi percelebris fuit. huic patria erat pagus nomine * Thanatha, ab australi parte Gazæ situs, propè torrentem, quem indigenæ pagi nomine nuncupant, in mare illabentem. Is Grammatici cuiusdam scholam Alexandriæ frequentans, in solitudinem, quò videret Antonium, profectus est. In cuius colloquium & congressum cum venisset, decreuit monastico viuendi generi se similiter dicare. Cum autem esset aliquantisper ibi commoratus, in patriam reuertit. nam non dabatur ei facultas illic ex animi sententia acquiescendi, propterea quòd multi indies ad Antonium accederēt. Vbiverò parentes reperit mortuos, fortunas suas fratribus & viris opis indigentibus distribuit. Accum nihil sibi omninò reliquisset, propter mare, in loco deserto (qui aberat à pago, in quo natus erat, circiter viginti stadia) tempus ætatis degit: habitauit autem in parua quadam domo, ex latere, storea & confractis tegulis constructa: cuius latitudo, altitudo, & longitudo ea fuit, vt cum staret, caput inclinare, cum iaceret, pedes contrahere cogeretur. Omninò enim se ad ærumnarū tolerantiam, & ad mollitiem vincendam assuefecit. Deniq; continentia modesta ac seuera, eorum quos nos norimus, nemini secundus: quippe contra inediā, sitim, frigus, æstum, contra alias etiam perturbationes, contra illecebras quasq; corpus & animum titillantes, animo virili certauit. Erat spectatus moribus, oratione grauis, et B in sacris literis exquisitè eruditus. Postremò, adeò Deo charus, vti ad sepulchrum eius etiamnum complures tum morbis vexati, tum exagitati dæmonibus curentur: atque id fit non apud Palæstinos modò, vbi iam sepultus est, verùm etiam (quod summè mirandum videtur) apud Cyprios, vbi antè sepultus fuerat. Nam dum in Cypro versabatur, fortè obijt mortem: à cuius insulæ indigenis tumulo conditus est, & magno in honore & veneratione habitus. Posteà verò Hesychas, discipulus eius facilè illustrissimus, reliquias illius clàm abreptas deportauit in Palæstinam, inq; suo monasterio sepeliuit, ex quo tempore dies festus, maxima hominum frequentia & summo splendore quotannis ab indigenis celebratus est. Nam Palæstinis in more more positum est, bonos ac pios viros, qui apud ipsos vixerint, eo honoris genere afficere: quod quidem erga Abrilium, Anthedonium, Alexionē ex Bethagathone, & ex Asalea Alaphionē (viros eodē tempore, eodemq; regnāte Imperatore, monasticū viuendi genus tam piè, tantaq; animi magnitudine excolentes, vt in vrbibus & pagis illius regionis, superstitioni Gentiliū admodum deditis, Christianam religionem magnoperè amplificarent) declararunt. Per idem tempus circiter Edessam Iulianus exquisitissimum genus disciplinę monasticæ exercuit: qui velut corporis expers, talē vitæ institutionē ac modū secutus est, vt carne carere, & ex ossibus atq; cute solùm constare videretur. quæ causa fuit, cur Ephraim scriptor Syrus opus de eius vita contexuerit. Quinetiam Deus ipse, hominum de illo confirmauit opinionem: quandoquidem dedit ei facultatem tum ejiciendi dæmones, tum morbos cuiusq; generis sanandi: q̄ quidē non medicamentis, sed precibus ab eo fa ctitatum est. Eodē tempore illa imperij pars, multis alijs quoq; viris ecclesiasticis, qui se totos in seuera viuendi disciplina ponebāt, admodū floruit: vtpotè in agro Edessenorū, in Abidenorum oppido, quod circa montem Gangalium situm est: ex quorum numero fuere Daniel & Simeon. Verùm de monachis Syriæ hæc quidem in præsentia dicta sint. Posteà autem, diuina largiente gratia, de illis accuratius differemus. Apud Armenios verò, Paphlagones, & Ponti incolas, fertur Eustathium ecclesiæ Sebastiæ, quæ est vrbs Armeniæ, Episcopum, primùm cœpisse vitam monasticam, & austeram illius institutionem colere: à cibis ad viuendum necessarijs, & à vestibus, quibus vtendum est, abstinere: morum & vitæ accuratè traductæ authorem extitisse: adeò vt nonnulli constanter affirmēt, librū Basilij Magni Cappadocis qui ἀσκητικὸς, id est, de vita ac disciplina monastica, inscribitur, ab eo editū fuisse. Dicitur porrò, præ nimis exquisita disciplinæ norma

Acuph eremita.

Hilarion.

** Thanatha pag. al. Tabatha.*

Palæstinorum mos.

Abrilius.

Alexio.

Alaphio.

Iulianus eremita.

Ephraimi Iuliani.

Daniel & Simeon monachi.

Eustathius Sebastiæ episc. monachorū pater apud Armenios.

Basilij ἀσκητικὸς, eidem attributus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

norma ad absurdas obseruationes delapsus esse, easq; à legibus ecclesiasticis penitùs dis- A crepantes. Attamen sunt quidam, qui illum crimine eripiant: incusentq; nonnullos ex cius discipulis, quòd nuptias reprehendāt: quòd in ædibus eorū, qui matrimoniū contraxerint, orare renuant: quòd presbyteros qui habent vxores, contemnant: quòd diebus Dominicis ieiunent: quòd in ædibus agant conuentus: quòd diuites omnino à regno Dei exclusos pronuncient: quòd detestenter eos, qui carnibus vescuntur: quòd tunicas & stolas communiter † quidem vsitatas induere nullo modo velint, sed peregrino & insueto vestitu vtantur: quòd deniq; alia quàm plurima innouare studeant. Vnde mulieres non paucæ adductæ in fraudem, primùm viros deseruerunt: deinde cum non possent se temperare à stupro, grauiter peccarunt. Nonnullæ autem pietatis simulatione caput tondere, & cōtrà quàm deceret sexum muliebrem, virilem habitum induere. His de causis episcopi finitimi Gangris, quæ est vrbs primaria Paphlagonum, in vnum conuenerunt, & istis ecclesia catholica interdicunt, nisi singula dogmata, quæ modò recensuimus, secundum decreta concilij reijciant. In quo concilio fama est, Eustathium declarasse se non pertinaciæ, sed piæ & seueræ disciplinæ causa hæc introduxisse, & docuisse suos mutare habitum, & non aliter atq; reliquos sacerdotes † passim incedere. Qui quidem cùm vitam ita institueret, inter concionandum magnam hominibus excitauit admirationem. Et tamen, si verum dicere volumus, in dicendo neutiquam disertus erat (nam dicendi artem neutiquam exercuerat) sed ingenio planè admirabilis, & tam aptus ad persuadendū, vt multos tum viros tum mulieres, qui in stuprum se totos effuderant, ad temperantem & moderatam vitam traduxerit. Porrò commorant illum operam sedulò dedisse, vt virum ac mulierem, qui secundum institutū ecclesiæ virginitatem professi fuerāt, & tamen erant de congressu inter ipsos accusati, à mutua consuetudine auocaret. At cum frustra laborem suscepisset, vehementer ingemuisse, dixisseq; : mulierem quandam, quæ legitimo matrimonio viro copulata erat, cum suas de castitate conciones audiuisset, à consuetudine, qua coniugibus cum prijs viris vti liceat, se abstinuisse: at hos nefaria inter se vsos coniūctione, sua oratione nequaquam à turpitudine abduci potuisse. Quare in ea orbis terræ parte exquisitū monasticæ disciplinæ genus talem habuisse authorē, memoriæ proditum est. Thraces aūt, Illyrici, & cæteri Europæ incolæ, tametsi conuentus monachorū adhuc non haberent, B tamen viris, qui illud seuerum viuendi genus excolebant, nō penitus caruerunt. Apud quos id tēporis percelebris fuit Martinus, Sabariæ, quod est oppidum Pannoniæ, illustri genere natus: in armis & re militari cū magna gloria versatus, deniq; præfectus cohortis erat. Qui cum Dei cultum omnib. rebus præponeret, seueram & monasticā vitæ rationem consectatus est. Primùm apud Illyricos ætatem degit: ac cum verā fidem tueri prompto animo contenderet, & quosdam illius regionis episcopos Arij doctrinam olere deprehendisset, insidijs appetitus, & sæpe palàm verberibus cæsus, demum in exiliū pulsus est. Qui cum Mediolanum venisset, solus vitam egit. Inde etiam cum Auxentij illius vrbis episcopus, qui erga fidem concilij Nicæni parum sano ac syncero animo affectus erat, ei parasset insidias, se clàm subduxit. Atq; ad aliquod temporis spacium radicibus herbarum contentus, insulam, quam Gallinariam vocant, incoluit. est illa quidem insula parua, & ædificiorum expers, in Tyrrheno mari posita. Postea verò episcopus ecclesiæ † Tarraconensis constitutus est. Vsq; cò item in miraculis edendis processit, vt mortuum excitasse credatur, aliaq; signa edidisse, Apostolorū signis non inferiora. In eadē imperij parte Hilarium per idē tempus vixisse accepimus, virum & vitę institutione & doctrinæ præstantia planè diuinum: qui exilij Martini propter veræ religionis studium se participem, & velut socium effecit. Sed de viris, qui illo tempore pietatis & ecclesiæ institutis obsecuti, sanctum & seuerum vitæ genus colebant, ista, vti à me literis prodita sunt, accepi. Erant tamen permulti alij, ijq; valde illustres, qui eodē tempore in ecclesijs magna cum laude vixerunt: in quorum numero facilè primas tulēre, Eusebius episc. Emesæ, Titus Bostræ, Serapion Thmuætensis episcopus, Basilius Ancyræ, Eudoxius Germanicię, Cæsarea Acacius, & Cyrillus, qui sedem Hierosolymitanam administrauit. Monimenta autem doctrinę suę, quę tum scripsere, tum post se reliquēre, sunt multa sanè, & admodum memorabilia.

Gangrense cōcilium in Eustathium.

Eustathius ad tis dicendi imperitus, persuadendi tamen vi præditus.

Monachi quo tempore nondum in Europa.

Martinus Sabariensis. etiā monachus. & Tarraconensis episc.

Gallinaria insula.

Hilarius.

† Vide anno. pag. 42. lar. 2. lin. 8.

† Curt. Tu ronensis & verè legit Niceph.

Doctores eius ætate celebriores qui.

De Didymo cæco, & Aetio hæretico.

CAP. XIIII.

Didymus Alexandrinus, cæcus.

SVb idem tempus Didymus etiam scriptor ecclesiasticus, magna gloria fuit, sacræ scholæ Alexandrinæ in qua sanctæ literæ ac disciplinæ docebantur, præfectus: in cuius animo sapientia cuiusque modi habitauit, adeò vt non poëtas solum & oratores, sed

Vide Nicephor. li. 9. c. 17. 36.

A sed Astronomiam etiam, Geometriam, Arithmeticam & philosophorū opiniones accuratè percalluerit. quarum rerum omnium cognitionē sola mente, & sensu audiendi consecutus est. Nam cū adhuc adolescentulus, elementa primū discere aggrederetur, lumina amisit. Iam verò vt primùm pubescere cœpit, literarum & doctrinæ cupiditate inflammatus, eos qui hæc docebant, adijt, soloq; auriū subsidio illorum disciplinam cōbibit. Verū tantas in sapientiæ studio fecit progressiones, vt etiā obscuras Mathematicorum præceptiones assecutus sit. Dicitur porrò linearū formas in tabula altius aliquanto incisas digitis attingendo: quinetiam syllabas, voces, & quæ deinceps doceri solent, cōprehensione mentis, crebraq; auditione, & rerum quas acceperat recordatione perdidicisse. Atq; istud sanè non vulgare erat miraculum. Quinetiam multi fama illius commoti, Alexandriam aduentarunt, partim eum audituri, partim duntaxat visuri. Arianis autem, dum doctrinam concilij Nicæni constanter tueretur, non parum exhibuit molestiæ. nam facilè auditores in suam perduxit sententiam: quod quidē non vi verborum perficere visus est, sed mira persuadendi ratione, dum vnumquē q; in rebus quæ erāt vocatæ in controuersiā, velut sui iudicem cōstitueret. Qui autem ecclesiæ erant catholicæ, eū summo studio & beneuolentia prosequebantur. nam cōuentus monachorum in Aegypto vitā degentium, eum admodum cōmendarunt: & Antonius quoque ille magnus, quē ferunt eodem tempore, ad fidē Athanasij suo testimonio confirmadam è solitudine Alexandriā profectum, ista Didymo dixisse: Non graue tibi, neq; molestū debet esse, Didyme, illis carere oculis, quorum lacertæ, mures, & alia minuta abiectaq; animalia participia sunt: sed beatum & iucundum potius quòd oculos habes similes angelorum, quib. verè Deum contēplaris, & veram cognitionem exquisitè perspicis. Porrò autem apud Italos, & illius partis Imperij incolas, Eusebius & Hilarius, de quo suprà dixi, propter singularem patrij sermonis & eloquentiæ præstantiam magna in laude fuerunt. Hilarij autem libros de fide, etiam ab his qui contrariam tuebantur fidei catholicæ opinionem, admodum cōmendatos esse prædicant. In eodē numero fuit Lucifer, quem hæresis cuiusdā suo nomine nuncupatæ inuentorē fuisse fama est. Eodē tempore Aetius quoque, magnopere etiā ab illis qui fidei Catholicæ aduersabātur, laudatus est: vir dialecticæ peritus, valdeq; ad ratiocinandū idoneus: in pugnis verborū B satis exercitatus, eiq; ne vni rei operam reuera nauans. Tandem verò velut remerè & inconsultò de Deo disserens, ἄθεος, id est, impius, vel sine Deo, nominatus est. Ferunt præterea eum cùm medicinam Antiochiæ, quæ est vrbs Syriæ, primùm exerceret, studioseque ecclesias frequentaret, & de sacris Scripturis dissereret, venisse in familiaritatē Galli Cæsaris: qui tum magnā ducebat rationē veræ religionis, & eos quib. pietas curæ fuit, amicè admodū & benevolè cōplectebatur. Itaque verisimile est, Aetiū, cùm ob tales disputationes in amicitiā Galli intrasset, istud genus differendi diligenter excoluisse, quo maiore in gratia apud eū se poneret. Etenim dicitur Aristotelicā etiam disciplinā percurrisse, & magistros eiusdē Alexandriæ crebro adijsse. Itēque præter istos, erant alij numero cōplures in ecclesijs, qui cùm ad docendū, tum ad differendum de sanctis literis idonei fuerunt. Verùm oēs enumerare, magni laboris est. Neque cuiquā molestum videatur, quòd quosdam eorum quos percensui, cū errorum & sectarum vel authores fuerint, vel fautores, laudibus extulerim. Nam eos propter eloquentiam & dicendi facultatem planè admirabiles fuisse, equidem fateor: de doctrina autem viderint illi, penes quos est potestas de ea iudicandi. Nam illa neque scribere instituī, neque sunt accōmodata historiæ: cuius munus est, vera narrare, nihilque adijcere de suo. Quare quicunque eo tempore, vti ad nos perlatum est, vel Latini, vel Græci sermonis periti, ob doctrinam & eloquentiam sunt maximam laudem & famæ celebritatem consecuti, in eorum numerum, quos commemorauimus, sint à nobis relati.

Antonij eremitæ ad Didymum verba, cæcitatis eius consolatoria.

Hilarij scripta.

Lucifer hæreticus.

Aetius ἄθεος.

Gallus Cæsar.

Historiæ usus.

De sancto Ephraim. CAPVT XV.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 16. Vide Theodorit. li. 4. cap. 27.

PEr idem tēpus, præter cæteros in magna laude vixisse, & ecclesiā catholicam cùm primis exornasse visus est Ephraim Syrus: qui Nisibæ natus, genus ex illius vrbis indigenis duxit. Hic disciplina monastica vitā instituens, cū neq; à quoquā didicisset, neq; expectaret se talē euasurū, derepentè in linguæ Syriacæ peritia tantū profecit, vt summarū philosophiæ præceptionū intelligentiam adeptus sit: & non solū facilitate ac splendore orationis, sed etiā sententiarum crebritate atq; sapientia Græcos scriptores facilè præstātissimos superarit. Nam istorū scripta si quis vel in Syriacam velit, vel in aliā linguam cōuertere, & condimenta (vt ita dicam) Græcarum argutiarū adimere, statim deprehendetur priorē venustatē amisisse. At verò in libris Ephraim idē minimè accidit. nam non modò cū ei adhuc vita suppeditaret, verū hoc tempore etiam, eius scripta in

Ephraim Syrus, eiusque scripta.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Græcum sermonem vertuntur: atque orationis vis & elegantia nō multo inferior est A ea, in qua primùm edita sunt: sed cū Græcus etiam illa Græcè legat, perinde ea admiratur, atq; si Syrus esset, & Syriacè legeret. Quinetiam Basilius qui Cæsareæ, vrbis primariæ Cappadociæ postea episcopus fuit, hunc hominē eruditionis causa in primis admiratus est, & summè laudauit. Quapropter Ephraim iure optimo mihi videtur hoc laudis testimonium, prolatum ore Basilij (quem omnium sui temporis eloquentissimum fuisse inter oēs constat) ab omnibus Græcis, qui tum propter doctrinā in magna admiratione fuerunt, cōsecutus. Dicitur porrò tricies centenas myriades carminum, si omnia simul numerare velis, cōscripsisse: eaq; haberi in manib. multorū, qui fuerunt eius discipuli, quique studiosè illius doctrinā imitati sunt: quorū illustrissimi fuerunt Abbas, Zenobius, Abraham, Meras, & Symeon: de quib. tum Syri, tum quotquot doctrinæ Syriacæ diligenter operā nauant, magnopere gloriantur. Pari ratione etiam Paulonā, Aranad, propter eloquentiam laudant illi quidem: tamen eos à pia doctrina per errorem desciuisse memorant. Neq; equidem ignoro, olim quoque similiter apud Osroenos fuisse viros eloquentissimos, Bardesanem, authorē sectæ cuiusdam ipsius nomine appellatæ, & Harmonium eius filium: quem dicunt Græcorum disciplinis educatum fuisse, ac primū patrium sermonem astrinxisse numeris, & modis musicis cantorumq; coetib. tradidisse, ad quē modum etiam hoc tempore canunt Syri: nō quòd carminibus ab Harmonio scriptis, sed quòd eodē genere concentus & numerorū vtantur. Nam cū Harmonius neque à paterna hęresi, neq; ab opinionibus, quas philosophi Gentiles de animo, de ortu corporis & interitu, & de regeneratione tenent, omnino vacuus esset, cumque ea quæ scripserat, ad lyram composuisset, & easdem opiniones suis scriptis admiscuisset: Ephraim videns Syros & verborum elegātia, & numerosis modis concentus mirè delinitos, atq; eo pacto ad similiter cū Harmonio sentiēdū assuefactos, quāuis Græcæ literaturæ esset expers, tamen in numeris versuū Harmonij cōprehendendis se attentè defixit, & ad modos carminū eius, alia carmina doctrinæ ecclesiasticæ cōsentiētia cōposuit: cuius generis sunt ea quidē, quæ hymnos diuinos, & laudes virorū qui vitā à perturbationib. animi vacuā degebant, cōplectuntur. Ex quo quidē tempore Syri modos ab Ephraim fusos, iuxta concentū Harmonij obseruātes canunt. Quantū igitur ingenio excelluerit, hinc facilè cōiectura capi potest. Quod aūt attinet ad institutionē vitæ, se bonis operib. & exquisita viuendi disciplina nobilitauit, quietemq; & tranquillitatē vehementer amplexatus est. Grauis præterea erat, & sibi vsq; eò ab hominū calumnijs cauebat, vt etiā aspectum cuiusq; mulieris sedulò vitarit. Nā fama est, mulierem quandā vita dissolutam & moribus planè impudentem, seu vt hominem tentaret ipsa, seu ab alijs mercede cōducta istud cōnaretur, quodā tempore dedita opera ei ex aduerso obuiā in angiportu prodijsse, illumq; intentis oculis aspexisse. Eum aūt acriter increpasse mulierem, iussisseq; vt terrā intueretur. Mulierē verò respōdisse: Quí possum ipsa istud facere, quę nō ex terra, sed ex te edita sum? est enim æquius, vt tu terrā aspicias, ex qua ortum habes: ipsa aūt vt te intuear, vnde procreata sum. Itaq; Ephraim mulierē valdè admiratus, quod inter eos acciderat, libro quodā accuratè descripsit: quē librum, qui sunt inter Syros diserti, in numerum librorum illorum, qui sunt accuratè ab eo elaborati, referunt. Est etiā memoriæ proditum, illum, quanquā antea iræ moderari non poterat: tamen ex eo tempore quo vitā monasticam excolere cœperat, nunquam visum esse à quoquam ira incensum. Itaque cùm multis diebus, vti solebat, ieiunasset: minister, qui obsonium ei deferebat, ollam fregit. Quem cùm Ephraim videret pudore & metu perculsum: quin bono animo es, inquit, atque eamus ad obsonium, quoniam illud ad nos non venit. Quare circiter ollæ fragmenta accumbens, cœnauit. Porrò autem quàm strenuè inanem gloriam repressérit, ex eo quod modò dicetur, satis potest intelligi. Quodam tempore quidam ei ad episcopatum gerendum suffragati, comprehendere hominem conantur, vti ad locum in quo crearetur episcopus, deducerent. Quod simul vt intellexit, in forum cursitat: atque incompositè incedendo, vestem lacerando, & cibum palàm capiendo, se furere monstrat. Vbi verò hi, qui eum comprehenderant, illum è mentis potestate exiuisse arbitrarētur, & appetitio qua ad eū constituendum episcopum ferebantur, restincta esset, ille idoneum tēpus nactus, clàm aufugit: & tantisper latitauit, dum alter eius loco creatus esset episcopus. Verùm ista de Ephraim dixisse contentus ero. De quo tametsi eiusdem loci indigenæ & norunt multò plura, & cōmemorant: tamē vnū solū prętereā, quod ab eo nō longè ante mortē gestū est, quoniam mihi quidē videtur admodū memorabile, hoc loco literis mandabo. Cū fames vrbem Edessenorum iam longo tempore antè occupasset, Ephraim è domo, in qua monasticā degebat vitā, egressus, eos quibus suppetebant facultates, grauiter incusauit: quòd videlicet cùm minimè oportere-

Basilij eloquentia.

Ephraimi discipuli. Paulonas.

Aranad.

Bardesanes. Harmonius.

Hymni Ephraim, & vitæ austeritas.

Ira moderatio.

Inanis gloriæ contemptus.

Edessenorum fami quomodo occurrerit.

A oporteret, tribules inopia rerum necessariarum confectos negligerent, diuitias suas studiosè seruarent, idq; ad suum ipsorum damnum, & cruciatum animæ suę: quā non modò diuitijs cuiusq; generis, verùm etiam ipsi corpori, & alijs rebus omnibus præponendam sapienter demonstrabat. quā quidem illos pro nihilo ducere, re ipsa planè ostendit. Illi igitur hominem & eius verba reueriti, dixere ad hunc modum: Nobis quidem opes minimè curæ sunt, sed cui eas distribuendas committamus, admodum incerti sumus: præsertim cùm omnes ferè lucri cupiditate ardeant, & hanc rem velut mercaturam ad quæstum faciant. Tum Ephraim scisciatur ab illis: Qualis quæso ipse vobis videor? Qui cùm fidelem, spectatum admodum & bonum virum, & talem esse, qualem opinio de eo habita ostendebat, confiterentur: Vestrūm, inquit, causa, hoc quicquid est negocij mihi mea sponte sumo. Atque argento ab illis accepto, circiter lectulos trecentos in publicis porticibus constituit: & non eorum solū, quos fames in morbum conieccrat, curam suscepit, verùm etiam peregrinos, & eos qui egestate rerum ad vitā necessariarum coacti, ex agris eò venerant, benignè tractauit. Vbi autē fames extincta est, redijt in domum, in qua antea ætatē degerat. Paucis verò post interpositis diebus, obijt mortē: qui quanquam in ordine clericali ad diaconatum solùm elatus erat, tamen nō minus omnium sermone ob virtutem celebratus est, quàm hi qui propter sacerdotij dignitatem, institutionem bonæ vitæ, & excellentem doctrinam in magna admiratione fuerunt. Quare sint ista quidem tanquam indicia quædam virtutis illius, quæ in Ephraim elucebat. Nam de eo pro dignitate dicere, atque omnino quo pacto ille, & alij singuli qui per idem tempus monasticę disciplinæ se dedebant, vitam & mores instituerint, & apud quos ætatem degerint, accuratè disserere, scriptorem sanè requirat qualis ille ipse fuit. A me quidem certè tum propter doctrinæ tenuitatem, tum propter ignorationem & virorum ipsorum, & rerum præclarè ab illis gestarum, haud fieri posse vi. deo. Nam nōnulli in solitudine delituerunt: alij in turba ciuitatum vitam degentes, se opinione hominum abiectos, & nihil à vulgo differre ostenderunt: qui quamuis virtutem sedulò excolerent, tamen veram sunt de se ementiti opinionem, quò minimè ab alijs laudarentur. Nam dum ad bona futura, quibus rectè facta remunerantur, aciem mentis acriter intenderent, testem suorum operum Deum solum effecerunt: gloriam B autem, quæ ab hominibus virtuti tribui solet, omnino pro nihilo putarunt.

Ephraimi mors.

Asceterarum alij solitudinē alij hominum cœtu colucrūt.

De statu rerum tunc temporis: & quòd Imperatorum & Archiepiscoporum mutuo consensu Christi dogma amplificatum sit. CAP. XVI.

Vide Nicephor. li. 9. cap. 20. Item ca. 49. Theodorit. li. 4. ca. 23.

PRorsùs cùm præsides etiam ecclesiarum eo tempore vitam accuratè transigerent, & populi ab eiusmodi pastoribus instituti nō sine causa se ad Christum sanctè colendū studiosè cōpararent, religio Christiana in dies singulos creuit: & propter ardēs pietatis ac virtutis studiū, atq; adeò facta admirabilia ecclesiasticorum virorum sanctorū & pie vitam degentium, Gentiles superstitionis præstigijs obcæcatos attraxit ad se, atque traduxit. Istas res quoq; auxēre Imperatores, qui non minus studij in ecclesijs amplificandis, quàm pater, posuerūt: clericis, liberis eorum, & familiæ, eximios honores & immunitatem quoq; tribuerunt: atque non modò paternis suffragati sunt legibus, sed proprias etiam ac suas contra eos qui simulachris immolare, eadem colere, aut vllum alium ritum Gentilis religionis ob seruare aggrederentur. Delubra item vbique vel in vrbibus, vel in agris posita, occludi mandarunt: quæ quidem distribuebant ecclesijs, quæ vel locis ipsis, vel eorum materia egere viderentur. Nam maxima ab illis suscepta cura est, vt ecclesiæ, quę temporis diuturnitate ruinosæ essent, reficerentur, aliæ autem è primis iactis fundamentis magnificè ædificarentur: ex quarum numero fuit ecclesia Emesæ, illustrissima illa quidem, & pulchritudine planè insignis. Quinetiam lege sanciuerunt, vt nullus Iudæus seruum ex alia secta emeret. Quod si secus faceret, seruum publicum esse. Porrò si quisquam circumcideretur, vt lex Iudæorum postulat, capitis supplicio & bonorū amissione mulctari. Nam cùm omnibus modis religionem augere studerent, huic rei etiam prouderunt, vt nemo impunè eos qui ex eo genere non essent, ad ritum Iudæorum attraherent: sed vt hi qui spem in religione Christiana posuerant, in ecclesia continerentur. Nam religio Christiana maximè ex populo gentili creuit.

Religio Christiana quomodo creuerit.

Constantis & Constantij Imp. in promouenda religione studium & leges.

Leges aduersus Iudæos.

Christianismus ex gentilitate potiss. auctus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De opinione liberorum Constantini: & Homousij & Homoiusij differentia, & vnde effectum sit, vt Constantius à recta fide diuerterit. CAPVT XVII.

A

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 20. Socr. li. 1. ca. 19 lib. 2. cap. 2. Theodorit. lib. 2. cap. 3.

QVinetiam isti Imperatores de ipsa religione primò opinionem paternam tenuere. Nam ambo fidē concilij Nicæni approbarunt: in qua Constans quidē ad extremū vitæ diem perseuerauit. Constantius autem, etsi aliquandiu in ea perstitit opinione: poſtea tamen voce Consubstantiali reprehensa, de priore sententia depulsus est, verùm filium patri substantia similem confiteri non omnino recusauit.

Constantij Imp. à vera fide deflexio.

Eusebius aūt, & alij nonnulli episcopi, q id temporis in Oriente propter doctrinæ & vitæ piè institutę prestantiā in magno honore habebantur, filiū patri consubstantialem dicere: & filiū patri substantia similē inter se, vt scimus, differre voluerunt. Nā hanc vocem ὁμοούσιον, id est consubstantiale, in corporib. propriè intelligi: velut hominū, & cæterorum animaliū, arborum, & plantarū, quæ ex simili substantia cōstant, similemq; ortū habent. At verò ὁμοιούσιον, id est, substantia simile, in reb. corporis expertibus, vt in Deo & angelis, cerni: cū alterutra res per se, secundū propriam substantiā ac suam intelligatur. Eiusmodi rationibus etiā Imperator Constantius de priore sententia deductus est. Et cū in eadē opinione, vti ipse conijcio (si modò sensum solū spectemus) cū patre & fratre esset, verbum tamen cum verbo cōmutans, pro cōsubstantiali, Simile substantia dixit. Nā hoc quidē harum rerum interpretib. visum est, qui constanter affirmarent, istud nomē ad rem significandā multò exquisitius esse. quòd si quis aliter diceret, cum visum iri rē corpore vacantem pro corpore intelligere: quod quidē pleriq; stultum existimarunt. Dixerunt enim, ex rebus quæ oculis cernuntur, nomina ad res mente sola perceptas exprimendas sumenda esse: nihilq; esse in verbo periculi, si non in sensu erratum esset.

Ὁμοούσιον quid ab ὁμοιούσιος differat, quo non satis animaduerso decipitur Constātius.

Rursus de Homousio, & Ariminensi concilio, quomodo, vnde, & qua de causa conuocatum est. CAPVT XVIII.

Vide Nicephor. lib. 9. ca. 20. 39. 40. 41. Vide infra Sozom. lib. 4. cap. 16.

NEc mirum sanè, Imperatori istud contigisse: cùm permulti etiam episcopi, qui fidei concilij Nicæni consentiebant, hoc nomen sine cōtentione admisissent: q quidem vtroque verbo, discrimine omni remoto, ad vnā eandemq; rem significandam vsi sunt. Quare mihi quidem videtur illa oratio, quæ tam insolenter ab Arianis iactata est, multum à veritate discrepare. aiunt enim, post concilium Nicænum complures episcopos, ex quorum numero fuere Eusebius & Theognis, renuisse deinceps, filium patri consubstantialē dicere: Constantinumq; ea re grauiter cōmotum, exilio eos addixisse. At cùm somnium, aut (vti ipsi prædicant) vera visio sorori Imperatoris diuinitùs oblata esset, quod isti episcopi rectè de Deo sentirent, quodque iniustè in exilium missi essent, Imperatorē inde eos reuocasse: sciscitatumque ab illis esse, quid causæ esset, cur à decretis concilij Nicæni dissentirent, idque, cùm ipsi formulæ fidei in eo concilio editæ essent facti participes: eos autem respōdisse, quòd neutiquā ex animo ei assensi fuissent: sed quòd vererentur, ne ille (vt erat verisimile) contentionem de hac re susceptā improbans, à religione Christiana, velut ambigua & plena controuersiæ, ad Gentilium superstitionem se transferret, & ecclesiā, quoniam nuper fidem Christi receperat, & adhuc lauacro minimè tinctus erat baptismatis, persequi inciperet. Qua audita satisfactione, ferunt Constantinum veniam illis tribuisse: prouidisseque vt aliud rursus concilium cogeretur. At verò dum ista institueret, morte antè occupatum, quàm posset ea perficere: ac propterea filio Constantio, vtpote maiori natu, quàm Constans erat, dedisse in mandatis, vt hanc rem perficiendam curaret: quippe imperium ei nihil profuturum, nisi diuinum numen primò omnium fide consentiente ac concordi coleretur. Itaque Constantium patris voluntati obsequentem, concilium Arimini conuocasse: ex qua re maximè eorum mendacium perspicuè deprehenditur. Nam Arimini conuenêre ad concilium episcopi Hypatio & Eusebio Coss. cùm iam Constātius post mortem patris in imperij administratione circiter viginti duos annos confecisset: multaque interea temporis concilia celebrata essent, in quibus de his vocibus Consubstantiali & Substantia simili, disceptatum fuisset. Omnino autem nemo filium patri substantia similem opinari voluit, quoad Aetius grauiter de hac re disseruisset. Ad quam doctrinam tollendam, Imperatoris mandato episcopi tum Arimini, tum in Seleucia, eodem tempore in vnum conuenerunt. Quare constat, non mandatum Constantini, sed Aetij disputationem, causam concilij Ariminensis verè fuisse. Atque quòd ista quidem ita se habeant, in sequenti quoque sermone ostendemus.

Consimili ὁμοουσίου & ὁμοιουσίου distinctione etiam catholici aliqui decepti sunt.

Ariminense cōcilium, eiusq; causa.

B

Quòd

Quod epistolis Constantij reuersus Athanasius, sedem suam capesserit: & de episcopis Antiochenis, & alterna Constantij & Athanasij petitione, & numinis in hymnis celebratione. CAPVT XIX.

A

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 21. 22. 23. 24. Vide Socr. lib. 2. ca. 18.

CONstans autem rebus gestis in concilio Sardicensi cognitis, scripsit ad fratrem Constantium literas, vti Athanasio & Paulo ecclesias suas redderet. Vbi verò intellexit fratrem diem de die ducere, scripsit denuò, vt vel viros istos reciperet, vel se ad bellum gerendum pararet. Constantius igitur cùm de hac re cum episcopis Orientis communicasset, stultum putauit ob eam causam bellum ciuile & intestinum suscipere. Quo quidem consilio inductus, Athanasium ex Italia accersit: datq; illi potestatem publicos currus, quibus rediret, capiendi, atque crebris literis ad ocyus reuertendum hortatur. Athanasius autem eo tempore in Aquileia vitam agens, acceptis Constantij literis, venit Romam, cum Iulio, quid sibi agendum sit, constituturus. qui eum perhumanitùs dimisit, deditq; eius causa ad clerum & populum Alexandrinum literas, quibus tum eum, vtpote multis periculis nobilitatum, magnopere (vti par erat) laudaret: tum ecclesiæ Alexandrinæ reditum tam præclari episcopi gratularetur: tum denique, vt eadē cum illo sentiret, hortaretur. Inde verò Antiochiam, vrbē Syrię, in qua iam tum cōmorabatur Imperator, rectà cōtendit: cuius vrbis ecclesias iam administrabat Leontius. Nam post exilium Eustathij, fautores sectæ Arianæ Antiochiæ sedē obtinebant: primū Euphronius, deindè Placitus, tum Stephanus: quo, velut episcopatu indigno, inde dimoto, ad extremum Leontius episcopatum illum gessit: quem quidem, vt à fide catholica auersum, deuitauit Athanasius. Atq; cum illis qui Eustathiani vocabantur, cōmunicauit, conuentu in ædibus priuatis peracto. Vbi autem Constantium beneuolum erga se, & facilem expertus est, & putauit suam sibi ecclesiam restitutam fore: Imperator admonitus ab Arianæ sectę præsidibus, Sum equidem, inquit, paratus ad promissa præstanda, quibus impulsus te accersiui. Quare ipse beneficium, quod ego abs te petam, iure debes mihi concedere. Id quidem est, vt ex multis ecclesijs, quæ tuæ ditioni subijciuntur, vnam habeant illi, qui tecum cōmunicare detrectent. Cui Athanasius: Maximè, inquit, ô Imperator: quandoquidem æquum, imò verò necesse est, tuis mandatis obtemperare: neq; profectò tibi equidem contradicam. Verùm cùm Antiochiæ quoque sint, qui communionem eorum qui aliter atque nos de religione sentiunt, omnino refugiant, idcirco simile beneficium abs te mihi tribui postulo: vt videlicet isti itidem in hac vrbe vnam habeant ecclesiam, in qua liberè ac sine metu in vnum conueniant. Postulatione igitur Athanasij ab Imperatore, velut æqua approbata, cōmodum visum est Arianis rem silentio præterire: quippe existimarunt, suam opinionem propter Athanasium nullam omnino apud Alexandrinos progressionem facturam, præsertim cùm ille non modò ad suæ doctrinæ fautores in eadem firmè continendos, verùm etiam ad pelliciēdos aduersarios satis haberet virium & facultatis. Apud Antiochenos autem, si istud fieret, primùm Eustathianos, qui multi erant numero, cōuentus facturos: deinde, vti simile veri erat, nouas res molituros, cùm imprimè suos in vnum cogere possent. Quandoquidem Arianis etiam ecclesias occupantibus, totus clerus ac populus Antiochenus eorum opinionibus non penitùs obsequeretur: sed in cœtus pro more, dum Deum hymnis collaudabāt, distributi, sub fidem hymnorum singuli suam opinionē declararent, & alij non patrem modò, sed filiū etiam, vt pote patri honore æqualem, gloria efferrent, alij patrem in filio esse dicerent, atque per hanc præpositionem In, filium patre inferiorem ostendere conarentur. Tandem, his rebus ita comparatis, Leontius, qui sectæ Arianæ deditus, illo tempore sedē episcopalem Antiochenam gubernaret, incertus animi quid ageret, tametsi non aggrederetur eos qui hymnis fidei concilij Nicæni consentientibus Deum laudarent, prohibere (metuebat enim, ne populus seditionem conflaret) tamen manu ad caput, quod iam valdè canescebat, admota, dixisse fertur: Hac niue liquefacta, multum erit luti. Quo significare voluit, se mortuo, dispares illos hymnorū modos tandem in populi seditionem recaīu ros, quando episcopi, qui ei succederent, nullo modo passuri essent, itidem se populi arbitrio in omnes partes circumferri.

Athanasius Constantij literis reuocatus intercedente Constante.

Leontius Antiochiæ episc.

Athanasij & Constantij Imp. alterna petitio.

Ariani per Athanasium in angustias coacti.

Hymnorum in ecclesia diuersitas pro diuersitate sentientium.

Leontij dicta.

Quòd Constantius pro Athanasio Aegyptijs scripserit, & de Hierosolymitano concilio. CAPVT XX.

Vide Nicephor. li. 9. cap. 25. Vide Socr. lib. 2. ca. 12.

IMperator autem dimittit Athanasium in Aegyptū, scripsitq; pro eo literas cùm ad episcopos & presbyteros cuiusque ciuitatis, tum ad populum ecclesiæ Alexandrinæ: quibus & vitam eius piè actam, & probitatem morum commendauit: cosq; cohortatus est, vti ei, vtpote suo antistiti, parentes, precib. & orationibus Deum religiosè colerent.

Constantij pro Athanasio literæ.

Quòd si qui maleuolentia suffusi, se seditiosos ostenderent, eos secundum leges de eiusmodi hominibus sancitas, pœnas daturos. Dedit præterea mandatum, vt literæ contra Athanasium & eius communionis participes scriptæ, è tabulis publicis eximerent: atq; vt clerici quoque illius pristina immunitate, quæ ipsorum ministerijs tributa fuerat, fruerentur. De qua re scripsit etiam ad Aegypti & Libyæ præsides. Athanasius autem cùm venisset in Aegyptum, quotquot sectæ Arianę deditos cognoscebat, eos abdicauit: quorum verò fidem habebat exploratè cognitam & probatam, illis ecclesiarum concredidit administrationem, fidemq; concilij Nicæni tenere, eiq́ue studiosè adhærescere iussit. Dicitur porrò per alias quoque nationes eodem tempore iter faciens, si quas fortè ecclesias ab Arianis occupatas offenderet, eodem modo cum illis egisse. Itaque istud demum ei criminis loco obiecerunt: quòd scilicet in vrbibus nihil ad se pertinentibus ministros ecclesiæ instituere auderet. Verùm cũ inuitis etiam aduersarijs res propter reditum ei prosperè succedere, & propter amicitiam Constãtis Imperatoris à nemine cõtemni, sed in maiore quàm antè honore haberi videretur: complures etiam episcopi inimicitijs erga illum depositis, cum eo communicarunt, in quorum numero fuere episcopi Palæstini. nam cũ id temporis per Palæstinam transiret, eum benevolè & humanitùs exceperunt: atque concilio Hierosolymis coacto, Maximus & alij episcopi pro eo scripsere ista:

Athanasij in ecclesijs per Aegyptum repurgandis studium.

Concilij Hierosolymitani ad Aegyptios pro Athanasio epistola. CAP. XXI.

Sanctum concilium Hierosolymis coactum, episcopis Aegypti & Libyæ, & presbyteris quoque & diaconis, & populo Alexandriæ, charissimis & cùm primis desideratis fratribus in Christo, S.

Hierosolymitani concilij pro Athanasio literæ.

DEo vniuersarum rerum moderatori, fratres charissimi, pro admirabilibus beneficijs, cùm quæ omni tempore in nos, tum quæ modò in vestram eccle- Vide Nicephor. lib. 9. cap. 26. Vide Socr. l. 2. cap. 19. siam contulerit, Athanasium pastorem vestrum, & dominum ac collegã nostrum vobis reddendo, nullo modo dignas gratias agere possumus. Nam quis aliquando sperare poterat, se oculis ista aspecturum, quæ vos iam estis re ipsa consecuti? Sed vestræ preces sine dubio sunt exauditæ ab omnium rerum gubernatore Deo, qui vestræ curam gerit ecclesiæ, qui vestras lachrymas & lamenta intuitus est: ac propterea vestris orationibus aures clemens adhibuit. Eratis enim tanquam oues abiectæ, malè vexatæ, non habentes pastorem. Et ob hanc causam, qui verus pastor est, & suarum ouium diligens curator, in vos de cælo respexit: & quem desiderabatis, vobis benignè restituit. Quinetiam nos omnia quæ ad pacem Ecclesiæ faciant molientes, & vestræ aspirantes charitati, eum antè amicè amplexati sumus, quàm ad vos venerit. Atque cum eo communicantes, has salutationes ad vos, & vota nostra gratulandi causa per illum misimus ad eum finem, vt intelligatis tum nos vinculo charitatis cum eo colligatos esse, tum vos debere pro religiosissimis sanctissimisq; Imperatoribus. Deum sedulò precari, qui vestro perspecto desiderio, & eius sincera pietate cognita, illum vobis honorificentissimè restituere dignati sunt. Quare obuijs (vt aiunt) vlnis eum complexi, debitas preces cum gratiarum actione Deo, qui hoc beneficium vobis tribuerit, pro eo adhibere laborate: quò vos perpetuò, Dei largiente gratia, lætemini: & Dominũ Deum laudibus efferatis in Christo Iesu, Domino nostro, per quem patri sit gloria in perpetuum: Amen.

Valentis & Vrsacij Arianorum ad episcopum Romanum confessio: quòd falsa confictaq́; fuerint, quæ contra Athanasium loquuti sunt. CAPVT XXII.

ATque hæc quidem concilium Hierosolymis conuocatum, ex Palæstina scripsit ad hunc modum. Vnde certissimum extabat argumentum, episcopos Tyri congregatos iniustè Athanasium condemnasse. nam Valens & Vrsacius, qui cum Theognide, vt suprà dictum est, in Marcotem proficiscebãtur, quæsitum, vtrum sacrum calicem, sicut ab Ischyrione accusatus fuerat, confregisset, nec ne: pœnitentia inducti, hæc ad Iulium episcopum Romanum scripsere. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 27. Vide Theodorit. lib. 2. cap. 19.

Domino beatissimo Papæ Iulio, Vrsacius & Valens, S.

Valentis & Vrsacij Arianorum pro Athanasij innocentia testimonium.

Quoniam nemini obscurum est, nos per literas nostras, quibus tuæ sanctitatis literis respondimus, iam pridem Athanasio grauiter obtrectasse: & ea de causa, quam significabamus, in fraudem deductos, non potuisse rationem facti nostri reddere: idcirco apud tuam pietatem præsentibus omnibus presbyteris, fratribus nostris, ingenuè confitemur, omnia quæ antè hoc tempus ad aures nostras de prædicto Athanasio peruenerũt, falsa

A falsa esse, commenticia, & ab eo reuera omnino aliena. Quamobrem cum illo deinceps communicandi magna cupiditate ducimur: idque maximè, quod tua pietas propter insitam sibi bonitatem nostro errori ignoscere dignata est. quinetiam hoc quoq; confitemur, si quando nos episcopi Orientis, vel Athanasius ipse, præ malitia in iudiciũ de hac re vocare voluerint, nos ab eo quod tu statueris, minimè descituros. Ario autẽ & eius propugnatoribus, qui non modò dicunt, tempus fuisse quando filius Dei non erat, & Christum ex nihilo constare, verùm etiam negant Christum Deum esse, & filiũ Dei antè secula extitisse, (sicut in superiore nostro libello Mediolani edito ostẽdimus) & hoc tempore & aliàs semper anathema denũciamus. His literis nostra ipsorum manu scriptis confitemur rursum, nos hæresim Arianam, vti antè dictum est, & eius defensores perpetuò condemnasse. *Eorundem Arianismi reiectio.*

Ego Vrsacius huic meæ confessioni coràm subscripsi.
Similiter etiam & ego Valens.

Quare quæ Iulio confitebantur, sunt ista quidem: quæ autem scripsere ad Athanasium, hoc in loco quoque à me sunt ponenda necessariò. Sic enim se habent:

Eorundem ad magnum Athanasium, pro ineunda cum eo concordia, Epistola: & quomodo reliquis Orientalibus episcopis suæ cuique sedes redditæ fuerint: quodq́; rursus ejecto Macedonio, Paulus episcopatum recuperauit. CAPVT XXIII.

Domino ac fratri Athanasio episcopo, Vrsacius & Valens episcopi, S.

Eorundem ad Athanasium epistola.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 27. Vide Theodorit. lib. 2. cap. 19.

OCcasionem quidem nacti, frater charissime, per fratrem & compresbyterum nostrum Musæum, qui ad te venit, literas dãdi, per hunc ad te ex Aquileia salutẽ mittimus: petimusque abs te, vt sano ac sincero animo nostras literas legas. Atque si per literas nobis responsum dederis, efficies profectò, vt nos de tua nobiscum reconciliata gratia ad modum confidamus. Nam te scire volumus, nos tecum & pacem habere, & communionem ecclesiasticam. Has quidem res ita se habere, salutatio à nobis per istas literas ad te missa, satis magno indicio est.

Episcopis Orientalibus sedes suæ restitutæ.

Athanasius igitur ab ea imperij parte, quæ vergit ad solis occasum, in Aegyptum reuertit. Paulus item, Marcellus, Asclepas, & Lucius, suas episcopales sedes recuperarunt: quandoquidem ex literis Imperatoris, hisce quoque facta est potestas ad sua redeundi. Quinetiam Paulo Constantinopolim ingresso, cessit Macedonius, & separatim per se conuentus egit. Ancyræ autem, cùm Marcellus in eam intraret, Basilio ex illa Ecclesia depulso, maximus tumultus fortè ortus est. Cæteris verò episcopis ad suas sedes non ita difficilis patebat aditus.

TERTII LIBRI FINIS.

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBER QVARTVS.

De Constantis Augusti cæde, & rebus quæ Romæ euenerint.

CAPVT I.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 27. Socrat. lib. 2. cap. 20.



ATQVE ista quidem ita accidisse cognouimus. Quarto autem anno post concilium Sardicense, Constans in Gallia versus solem occidentem sita, interficitur: Magnentius verò, qui cædem ei per insidias parauerat, omnem eius ditionem in suam potestatem redegit. Porrò Bretannio quidam Sirmij à militibus Illyricis Imperator declaratus est. Maxima autem pars istarum calamitatum in damnum antiquæ Romæ propterea recidit, quòd Nepotianus, filius sororis Constantini Imperatoris, cùm multos gladiatores sibi asciuisset, de imperio decertare cœpit. Verùm iste quidem à militibus Magnentij trucidatus est. Constantius verò, vbi summa imperij ad ipsum solum redijt, Imperator renunciatus ad tyrannos è medio tollendos omni cura & cogitatione incubuit. interim Athanasius concessit Alexandriam, conciliumq́ue episcoporum Aegypti cogendum curauit, quò decreta tum Sardicæ de ipso, tum in Palæstina sancita, suffragijs suis quoque confirmarent. *Constantis mors.* *Bretannio Imp. declaratus.* *Nepotianus cæsus.* *Constantius solus Imp. renunciatus.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd Constantius Athanasium rursus abigit: & qui Consubstantiale propugnabant, exilio multati, & A de Pauli Constantinopolitani morte: & quòd Macedonius iterum ad sedem restitutus, multa nepharia designauit: & de Martyrio & Marciano martyribus.

CAPVT II.

Constantij inuenda religione inconstantia.

IMperator autem Constantius calumnijs Arianorum inductus, non in eadē quidem præstabat sententia: sed contra acta concilij Sardicensis iamdudum promulgata, iubebat eos qui ab ipso potestatē ad suas sedes reuertendi nacti fuissent, denuò in exilium pelli. Quo quidem tempore Marcello rursus eiecto, Basilius ecclesiam Ancyræ occupauit: Lucius autem cōiectus in vin- Theodori. lib. 2. ca. 13.
cula, interijt: Paulus perpetuo addictus exilio, Cucusum, oppidum Armeniæ, abductus est: in quo quidem oppido obijt mortem, morbóne an vi extinctus, pro certo equidem dicere non queo. Percrebescit tamen adhuc fama, eum laqueo à Macedonianis strangulatum. Vbi verò in exilium missus est, Macedonius ecclesia Cōstantinopolitana occupata, præsidijs monasteriorum complurium, quæ ipse Constantinopoli extruenda curauerat, & fœderibus cum finitimis episcopis percussis se ipsum muniens, dicitur Pauli fautores varijs affecisse incommodis, ac primū ecclesijs eos exturbasse: deinde vim illis ideo attulisse, vti cum ipso communicarent, vnde factum est, vt multi verberibus grauiter cæsi perierint: postremò alios fortunis, vrbe alios priuasse: alios in fronte notis ab illo compunctos fuisse, vt præ cæteris insignes essent. Qua re intellecta, Imperatorē factum condemnasse, in crimen vocasse Macedonium. Eodem tempore igitur cùm Macedonius ob hanc causam esset episcopatu ecclesiæ Constantinopolitanæ abdicatus, malum ad cædem prorupit. Nam cùm alij nonnulli, tum Martyrius & Marcianus obtruncati sunt, quos, vtpote Pauli conuictores, à Macedonio fertur præfecto traditos esse: & cùm accusarentur tanquam authores necis Hermogenis, & seditionis contra eum conflatæ, fortiter mortem oppetiuisse. Quorum alter subdiaconus erat: alter, videlicet Marcianus, cantor, & sanctarum Scripturarum lector. Horum quidem insigne sepulchrum est, pro mœnibus Constantinopolis extructum, & velut monumentum martyrum, templo circundatum: quod templum ædificare cœpit quidem Ioannes, Sisinius autem absoluit, perfecitque: qui duo postea ecclesiæ Constantinopolitanæ fuere antistites. Nam indignum censuerunt, eos honore martyrij carere, quos Deus ipse honore affe- B cerat: quandoquidem locus, ad quem abducti securi percussi sunt, cū antè inaccessus esset, à spectris purgatus est, inque eo homines dæmonijs agitati, morbo liberati, atq; multa alia præterea miracula ad eorum sepulchrum edita. Sed de Martyrio & Marciano hæc hactenus. Quod si eadem cuiquam minimè credibilia videantur, nullius penè negocij erit, ab illis, qui ea ipsa exploratè cognita habent, accuratius perdiscere. etenim istis multo sunt fortasse admirabiliora narraturi.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 29. Socrat. lib. 2. ca. 21. 22.

Pauli Constantinopol interitus.

Macedonius ecclesia Constantinopol. potitus, inordinatos se facit.

Macedonius episcopatu abdicatus.

Martyrij & Marciani cædes.

Ad horum sepulchra templum ædificatum, & varia miracula edita.

Quòd Constantius ducto in Illyrios exercitu, Sirmium venit: & de Bretannione & Magnentio, & quòd Constantius, vbi Gallum Cæsarem renunciauerat, illum ad populos Orientales amandauit. CAPVT III.

PEr idem ferè tempus, cùm Athanasius fuga salutem quæsiuisset, Georgius cos qui in Aegypto eius opinioni assentire renuebant, grauiter vexauit. Imperator autem bello contra Illyrios suscepto, venit Sirmium: quo in oppido pactis quibusdam conditionibus, Bretannio illi fit obuiam. Nam militibus, qui eum Imperatorem declarauerant, in alteram partem traductis, & solum iam Constantium Imperatorem & Augustum esse vociferantibus (vt enim ista fierent, tum ab ipso Constantio, tum à suis impensè antè laboratum fuerat) Bretannio, vt intellexit proditionem, pronum se abiecit ad pedes Constantij, ab eoq; supplex veniam postulauit. Constantius igitur, ablato ei ornatu imperatorio, & purpura, hominis misertus est, vitæque priuatæ degendæ fecit potestatem, & omnia ad victum & cultum necessaria ei ex publico subministrari mandauit: dixitque rem multò accommodatissimam esse ei, vtpote ætate prouectiore, vt decæterò cura imperatoria liberatus, ætatem in ocio & tranquillitate ageret. Vbi autem res contra Bretannionem gestæ hunc habuere exitum, Constantius ingentem exercitum aduersus Magnentium in Italiam misit. Gallum autem consobrinum, cùm Cęsarem eum designasset, amandauit in Syriam, vti partes Imperij versus Orientem defenderet.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 30. Socrat. lib. 2. ca. 20. 22. Theodorit. lib. 2. ca. 15.

Bretannio abdicatus, & Constantius solus Imperator declaratus.

Gallus Cæsar designatus.

Quòd

Quòd postquam Cyrillus ecclesiæ Hierosolymitanæ gubernacula post Maximum susceperat, rursus maxima Crucis figura pluribus diebus conspecta est, quæ solem ipsum splendore superabat.

CAPVT IIII.

EOdem tempore Cyrillo post Maximum ecclesiam Hierosolymitanam administrante, signum Crucis in cælo visum est: quod clarè admodum resplenduit, non vt cometes solet, diffusis radijs, sed luce multa in vnum conferta, valde denso iubare & perlucido emicuit. Tantum pertinebat in longitudinem, quātum est interualli inter Caluariæ locum, & montem Oliuarum. Quindecim autem stadia supra locum in cælo suspensum hæsit. Latitudo verò longitudini proportione respondit. Quo quidem, velut insigni miraculo, omnes obstupuerunt: ita vt singuli ædibus, foro & opere, quod quisque fortè habebat in manibus, relicto, pariter cum liberis & vxoribus in ecclesiam conuenerint, & vno ore Christum laudibus celebrarint, & Deum lætis animis confessi sint. Quæ res ad nostram regionem quoque perlata, non mediocriter omnes obstupefecit. Vide Socrat. lib. 7. cap. 47. Nā quanquā visio ipsa nō admodum diu continuata est, tamen quia ex omnib. (propè dixerim) terræ oris, vti fieri solet, homines vel precandi, vel loca illa visendi causa Hierosolymam aduenissent, res, quas id temporis aspexissent, suis indicarunt. Erat etiam Imperator de hoc visu certior factus, cùm per alios complures nuncios, tum per literas Cyrilli. Dicebatur autē à viris rerum eius generis peritis, hanc visionem diuina quadam prophetia in sanctis literis quoq; præsignificatam fuisse. Quod quidem certè cùm ita accidisset, multos cùm gentiles, tum Iudæos ad fidem Christianam deduxit.

Crucis signum in cælo conspectum.

Veteribus visitata peregrinatio ad visenda Hierosolyma.

De Photino Sirmij episcopo, & eius hæresi: & concilio contra eum Sirmij coacto, & tribus fidei libellis: & quòd Photinus post abdicationem renuit venire vocatus: vtq; à Basilio Ancyræ episcopo inanis ostentator sui conuictus sit. CAPVT V.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 31. Socrat. lib. 2. ca. 24. 25. 26.

SVb idem tempus Photinus ecclesiæ Sirmij antistes, qui iam antè hæresis cuiusdam author fuerat, cùm Imperator ibi præstò esset, palàm suam doctrinam asserere non dubitauit. Et quoniam ingenio tum ad benè dicendum, tum ad persuadendum multū valebat: idcirco multos ad suam opinionē traduxit. Qui tametsi affirmauit vnum Deū B omnipotentem esse, qui proprio verbo condidit vniuersa: tamen quòd filius Dei ante secula generatus sit, & extiterit, nullo modo concedere voluit, sed Christū ex Maria genitum docuit. Quod quidem dogma, cùm apud multos vulgatum esset, magnopere offendit animos episcoporum, tum Occidentis, tum Orientis: quandoquidem hoc cōtra cuiusque opinionem nouatum esse arbitrati sunt. Etenim à sententia tum eorum qui fidem in concilio Nicæno traditam cum admiratione amplexabantur, tum eorum qui approbabant Arij doctrinam, omnino discrepare comperiebatur. Imperatori præterea bilem mouit: qui eodem tempore Sirmij vitam agens, concilium ideo conuocauit. Ad quod cōuenere ex Orientis episcopis cùm alij, tum Georgius ecclesiæ Alexandrinæ antistes, Basilius Ancyræ episcopus, & Marcus episcopus Arethusæ: ex episcopis autem Occidentis, Valens Mursorum episcopus, & Osius cōfessor, qui quoniam concilio Nicæno interfuisset, inuitus huic concilio præsto fuit. Nam quanquam haud longè antè Arianorum insidijs exilio cōdemnatus fuerat, ab Imperatore tamen, qui opera ac studio eorum, qui Sirmij in vnū conuenerant, ad eā rem impulsus erat, ad conciliū accersitus est. Siquidē arbitrabantur, si vel persuasione, vel vi, eum qui vir tam illustris erat, & ab omnib. mirificè laudatus, ad suæ sententiæ suffragandum possent inducere, fore vt ipsorum dogma testem locupletē haberet. Vt primū igitur Sirmij coacti sunt (proximus hic quidem annus erat post consulatum Sergij & Nigriani, in quo nullus consul, vel ex Occidente, vel ex Occidente, propter statum Reip. à tyrānis tum fortè perturbatum, designatus est) primùm, Photinum abdicarunt, vtpote opinioni Sabellij & Pauli Samosateni fauentē. Deinde, contra ea, quæ antè in cōcilijs fuerant decreta, tres fidei formulas edidērunt, quarum vnam Græcè, reliquas duas Latinè conscribebant: quę in multis neq; ipsæ sibi, neque formulis antè compositis, vel verbis vel sensu consentiebāt. Atque est illud quidem intelligendum, formulam Græcè scriptam, filium patri neque consubstantialem, neque substantia similem asseruisse: sed illis qui dicerent eum sine principio esse, aut essentiā Dei velut dilatatā illum procreasse, aut eum patri honore parem & non inferiorē sentirent, anathema indixisse. Alterā autem, quæ Latino sermone scripta erat, tum de ἐσίᾳ quā Latini substantiam vocant, tum vtrum filius patri cōsubstantialis, aut substātia similis sit, vetuisse disserere: propterea q̄ voces illæ neq; in sanctis reperiuntur Scripturis,

Photinus & eius hæresis.

Sirmiense concilium.

Osius cur inuitus eidem ad esse coactus.

Annus consulatu carens.

Sirmiensis concilij acta.

Tres fidei formulæ diuersæ.

1.

2.

Scripturis,neq; hominum cogitatione aut intelligentia facilè comprehendi possunt. A Quinetiam præcepisse,aut omnes confiterentur patrem filio honore,dignitate,deitate, & ipso nomine paterno maiorem esse : atque putarent filiũ cum cæteris omnibus creaturis patri subiectum esse:& patrem nullum habere principium : filijq; generationem omnibus,præterquam patri soli,incognitam esse.Fertur verò,cùm hæc formula iam edita esset,episcopos laborasse,vti eam tãquam temerè & imprudenter compositam reuocarent,eo consilio vt corrigerent:Imperatoremque idem ipsum mandasse, atq; supplicium minatum esse illis se inflicturum,qui eam occultarent. Verùm cùm semel edita esset,in occulto latêre non potuit.Tertiam verò formulam sensu cum alijs formulis iam olim editis penitùs consensisse,præterquam quòd Substantiæ nomen sustulit:hãque causam,cur id fecerit,attulisse, quæ est his ferè verbis explicata. Quoniam nomen Substantiæ,quod à patribus simplici animo in formula fidei positum est, à vulgo autẽ incognitum,non parum propterea attulit offendiculi,quòd in literis Sacris non extat: idcirco placuit concilio,vt tolleretur,† & nulla omnino mentio fieret illius,præsertim cum sanctæ Scripturę substantiæ patris aut filij,nusquam meminerint. Substãtia enim aut patris, aut filij, aut Spiritus sancti,ne nominari quidem debet.Itaque nos,sicut literæ sanctæ loquuntur,filium patri similem dicimus. Atque hæc quidem de fide, præsente ipso Imperatore, decreta fuere . Osius verò initio quidem istis consentire renuit:at pòst vi compulsus,& verberibus,vt fama est, licet senex, grauiter cæsus, consensit,eisdemque subscripsit.Placuit præterea concilio,postquam Photinum abdicauerat, eius animum tentare,si quomodo posset à priore sententia deduci. At ille,tametsi episcopi eum ad hoc cohortabantur,& episcopatum,si propriam ac suam reijceret opinionem, atque ipsorum formulis fidei suffragaretur,ei redditurus promittebant: tamen induci non potuit,sed ad disputationem eos prouocauit.Quare cùm episcopi ad certum & statutum diem in vnum conuenissent, & iudices quidam, qui & doctrina & authoritate eo tempore primas in palatio obtinere viderentur, ex mandato Imperatoris concilio præsiderent,Basilius episcopus Ancyræ partes susçipit contra Photinum disputandi.Ac cùm differendi certamen propter multa ac varia vtriusque tum interrogata,tum responsa longius procederet,& celeres scribæ rationes vtrinque allatas exciperent,Basilius superior discessit.Photinus autem condemnatus exilio, ne sic quidem suam defendere opinionem destitit:sed libros tum Latino tum Græco sermone conscriptos edidit, quibus non suam modò,verùm etiam falsas aliorum opiniones probare ostendereque laborauit.De Photino & eius hæresi hæc hactenus dicta sunt.

3. *Substantiæ nomen sublatũ.*

Osius vi adactus subscribit.

Basilij Ancyræ episc. cum Photino disputatio.

Photini exilium.

B

De Magnentij & Siluani tyrannorum interitu,& Iudæorum in Palæstina tumultu: & quòd Gallus Cæsar,dum res nouas moliri putaretur,interfectus est.

CAPVT VI.

Magnentij tyrannis,et fuga.

DVm hæc geruntur, Magnẽtius antiqua Roma occupata, multos tum exordine senatorio,tum ex plebe trucidauit. Qui cũ accepisset duces Constantij iam propius ad bellum cum ipso gerendum accedere, secessit in Galliã versus solis occasum sitam. Quo in loco,multis prælijs inter vtrumque exercitum cõmissis,nunc hi,nunc illi vsque eò fuere superiores , quoad Magnentius ad extremum deuictus,Mursam,quod est castellum Galliæ,profugit . Qui cùm videret milites suos, vtpote victos,animis cadere,in loco edito consistens,eos confirmare conatus est.Illi autem,cùm,sicut alijs imperatoribus acclamare consueuerant, † Magnentio quoq; illustre laudis testimonium tribuere in animis haberent , imprudentes atque adeò inuiti Cõstantium pro Magnẽtio Augustum esse clamarunt. Vnde Magnẽtius coniecturã faciens,imperium sibi à Deo minimè donatum esse, illo castello relicto,vlterius progredi constituit . Verùm cùm exercitus Constantij persequeretur, præ-

Mursa.

Maxentij & Decennij interitus.

lio circa Montioseleucum facto,solus fugam capessens, Lugdunum salutis causa confugit.In qua vrbe & matrem interfecit, & fratrem quoque , quem Cæsarem creauerat: ad extremum manus graues ipse sibi attulit.Neque ita multò pòst Decennius,alter eius frater,laqueo sibi necem consciuit . At tumultus Reip.ne sic quidẽ compressi ac sedati sunt. Nã haud ita diu pòst,Siluanus quidam in Gallia ad solẽ occidentem vergente tyrannidẽ exercere cœpit:quem breui pòst duces Constantij è medio sustulere. Porrò Iudæi Diocæsareæ cùm Palæstinã,tum cæteras gentes finitimas occupauere: sumptisque armis,amplius Romanis parêre renuêre.Quib. rebus cognitis, Gallus Cæsar ætatem iã tum Antiochiæ degẽs,misso exercitu,eos subiugauit,& Deocæsareã euertit.Qui cũ rem præclarè gessisse visus esset,prosperitatem haudquaquam ferre potuit,sed instituit animo,occupare tyrannidem . Cuius conatus nouus ex cæde tum Magni Quæstoris,tum Domi-

Siluani tyranni interitus.

Iudæi rebelles victi.

Diocæsarea euersa.

A Domitiani præfecti Orientis,quos interfecerat, Imperatori Constantio patefactus est. Qua re Constantius grauiter commotus,eum accersit ad se. Qui cùm aufugere nõ posset(erat enim metu perculsus)iter facere perrexit. iam verò cùm non longè à Plabonæ insula abesset,iussu Imperatoris interfectus est,ad tertium suum consulatum,Constantij autem septimum.

Gallus Cæsar interimitur.

De Constantij ad vrbem Romam profectione, & concilio in Italia collecto: & quid Arianorum insidijs Athanasio magno obtigerit. CAPVT VII.

Vide Nicephor.lib.9. cap.33.

VBi verò Constantius,tyrannis occisis, se malis quæ casu inuecta fuerãt,penitùs liberatum existimauit : decedens Sirmio,Romam antiquam concessit. Nam ibi triumphum de victoria contra tyrannos parta agere constituit.Et quoniam arbitrabatur se posse episcopos primarios vtriusq; partis ad eadẽ de fide sentiendum inducere,eodem tempore concilium in Italia cogi mãdauit.Interim Iulius,cùm ecclesiæ Romanæ episcopatum ad annos vigintiquinq; administrasset,moritur:cui succedit Liberius.Iam verò hi qui fidem concilij Nicæni reijciebant, tempus opportunũ ad calumnias orthodoxis contexendas se nactos arbitrati, impensè admodum apud Imperatorem laborarunt, vti omnes quos antè ipsi abdicauerant, ecclesijs eijcerent:tum quòd doctrinam ipsorum opinioni repugnantem tuerẽtur:tum quòd dedissent operam dum adhuc viueret Constans,vti inimicitiæ inter eum & fratrem Constantium,penes quos imperium erat, susciperentur. Constantem enim fratri,vti antè demonstratum est,denunciasse,se bellum contra eum facturum , nisi Athanasium & alios episcopos reciperet.Maximè autem omnium Athanasium insimularunt:qui præ nimio odio,quod aduersus eum conceperant, neque dum Constanti vita suppetereret,neque dum Constantius illum benevolentia complecti simularet, simultatem in eum exercere desierunt:sed Narcissus Cilix,Theodorus Thrax , Eugenius Nicensis,Patrophilus Scythopolitanus , Menophantus Ephesius, & alij episcopi numero circiter triginta, Antiochiæ in vnum cõgregati,alijs omnibus scripsere episcopis,illum contra ecclesiæ leges Alexandriã reuertisse : & non concilij sententia, sed contentione eorum qui eiusdem erant cum eo opinionis, culpæ expertem declaratum esse: & propterea iusserunt,vt neque cum eo communicarent,neque ad eum scriberent : sed cum Georgio,quem ipsi episcopum ordinauerant. Verùm Athanasius ista crimina pro nihilo tum putauit:quippe qui res multo grauiores esset postea subiturus. Nam simul vt interijt Magnentius,Constantius,qui solus iam imperio Romano potitus est, eò omne suum studium contulit,vt episcopos Occidentis, ad eorum opinioni consentiendũ qui filium patri consubstantialem esse denegarent,induceret. At verò istud primò nõ aperta vi efficere,sed eis duntaxat persuadere conatus est , vt rebus contra Athanasium aperta ab episcopis Orientis iudicatis suffragarẽtur.Nam sic cogitabat,si Athanasius communi omnium sententia è medio remoueretur,se res ad religionem pertinentes facilè ex sententia confecturum.

Athanasius Arianorum odio rursum vexatur.

Constantij in religionis negocio violẽtia.

De Mediolanensi concilio, & Athanasij fuga. CAPVT VIII.

Vide Nicephor. li. 9. cap.31. Theodorit. li.2.ca.15.

COncilio igitur impulsu Imperatoris Constantij Mediolani conuocato, ex Oriente pauci episcopi illò aduentarunt : propterea quòd alij morbo, vt est verisimile,præpediti,alijitineris longitudine deterriti,eò accedere recusabant. Atepiscoporum Occidẽtis ibi congregati sunt trecenti & amplius.Cùm aũt episcopi Oriẽtis postularent,vt Athanasius condemnaretur,atque adeò omnino pelleretur Alexandria:alij quidem vel metu,vel fraude,vel ignoratione rerum gestarum inducti, assenserunt:soli autẽ Dionysius episcopus Albę,quę est vrbs primaria Italię,& Eusebius Vercellorum,quod est oppidũ Liguriæ,episcopus,& Paulinus episcopus Treueris, & Rhodanus,& Lucifer contrà vociferati sunt: testatique, non oportere Athanasium tam temerè condemnare. Nam si illud fieret, malum non eo in loco acquieturum,sed ad insidias decretis rectè vereque de Deo sancitis struendas, & ad fidem concilij Nicenę euertendam progressurum: atque ad has res perficiendas tum Imperatorem, tum Arianos, omni cura & cogitatione incumbere. Atque isti, quia tum libere in concilio locuti essent,addicebantur exilio, & Hilarius vnà . Causam autem concilij Mediolani cogendi, quam ipsi memorarant,veram fuisse,euentus rerum comprobauit . Nam haud ita diu pòst concilium Arimini, & alterum Seleuciæ conuocatum est : quod vtrumque res nouas moliri cõtra decreta concilij Nicæni aggressum est,quemadmodũ mox demonstrabo. Athanasius verò quoniã persuasum habebat,sibi in palatio Imperatoris paratas insidias,ipse neq; ad Imperatorẽ venire ausus est,neq; in rem suã esse existimauit.Itaq; quinq; episcopis Aegypti ad eam rẽ delectis(ex quorũ numero fuit Serapiõ Thmuetensis,

Mediolanense concilium.

Athanasius ab alijs damnatus, ab alijs defenditur.

Arimini & Seleuciæ concilia coactum.

Serapiõ episc.

Thmuetensis, vir tum vitæ institutione sanctissimus, tum oratione disertus) eos ad Imperatorem, iam tum in ea imperij parte quæ ad solem occidentem spectat, ætatem degentem, mittit. Quibuscū vnà mittit quoq; tres suæ ecclesiæ presbyteros, qui tum Imperatoris gratiā sibi reconcilient: tum ad calumnias aduersariorū, si opus sit, respondeāt: tum deniq; alias res obeant, quas ecclesiæ & ipsi cōmodissimas fore animaduerterent. Athanasius ab Imp. vocatus. Non multò aūt pòst, quàm illi Alexādria soluissent, recepit Imperatoris literas, quæ eū ad aulam vocabant. Qua re & ipse Athanasius, & populus ecclesiæ grauiter conturbati sunt, & ancipiti cura ac dubia distracti. Nam neq; Imperatori, qui opinionē à fide alienā tueretur, morē gerere tutum: neq; ei resistere, extra periculū esse existimarunt. Attamē Athanasius mansit Alexandriæ: & qui literas attulerat, re infecta reuertit. Sequenti aūt æstate alter Imperatoris mandato cum magistratib. eiusdē gentis accedens ad Athanasium, coegit eū ex vrbe exire, clerumq; illius ecclesiæ grauiter exagitauit. At cū primùm populum ecclesiæ causa magnos sumere spiritus, & ad bellum se instruere videret: iste quoque labore frustrà suscepto, inde decessit. Non longo verò temporis spacio intermisso, copiæ, quas Latini legiones vocāt, ex reliqua Aegypto & Libya illò accersuntur. Legiones. Atque simul vt nunciatum est, Athanasium in ecclesia nomine Theonæ nuncupata occultatum esse, præfectus ordinum militarium acceptis militib. & Hilarius (qui Imperatoris iussu iā secundò venerat, vt has res maturaret) ex inopinato & tempore iam importuno, ruptis fenestris ingrediuntur in ecclesiam: & cū vndique conquisiuissent, Athanasium intus non offenderunt. Athanasius Imperatoris insidijs elapsus. Nam fertur, quòd sicut diuinis indicijs admonitus, multa alia quoque pericula sæpe effugerat, sic hanc eorum irruptionem à Deo sibi præsignificatam habuit: & propterea illico ecclesia egressus est. milites autem venisse ad fores ecclesiæ: & perexiguo temporis momento post eius abitum iam dilapso, factum est, vt eum comprehendere non possent.

Quòd multis modis ab Arianis cùm esset petitus insidijs Athanasius, varia pericula sibi à Deo, vtpote homini diuino, patefacta vitauerit: & quàm grauiter post eius discessum à Georgio afflicti fuerint Aegyptij. CAP. IX.

Athanasius rerum futurarū præscius: & quomodo à Deo admonitus, pericula vitarit.

NEque profectò cuiquam dubitandum est, quin iste vir planè diuinus fuerit, vereque quod esset futurū præuiderit. Nā res multò sanè admirabiliores, quā quæ sint à nobis iam cōmemoratæ, de eo accepimus: quæ perspicuè testificantur, eum rerū futurarum habuisse scientiā longè exquisitissimam. Vide Nicephor. lib. 9. cap. 34. B Nā eo pacto primo anno, cū Constans adhuc in vita maneret, quādo Imperator Cōstantius cogitabat eum graui aliquo malo afficere, fuga capta, apud familiarem quendā latitauit: & lōgo tempore intra terræ recessum, in quodā obscuro domicilio, quod aquæ antè fuerat receptaculum, vitā egit. Quæ res omnib. incognita fuit, præterquā ijs apud quos delitescebat: & ancillæ, quę tam fidelis videbatur, vt sibi negocium ei ministrandi concreditū haberet. Cæterùm cùm vehementer laboraretur ab Arianis, vti hominē viuum caperēt, ancilla donis & pollicitationib. vt est credibile, impulsa, eū Theodori. li. 2. ca. 14. Socrat. lib. 2. cap. 23. iam indicatura erat. Verùm insidijs eorum à Deo illi præsignificatis, aliò antè demigrauit, quā eum possent comprehendere. Athanasij latibulum. Ancilla aūt pœnas dedit, vtpote quæ contra dominos suos mentita fuisset: qui etiam ea de re fugæ se mandassent. Nam non leue crimē illis qui vel exciperent hospitio Athanasiū, vel occultarent, obiectabant quidem Arianī: sed tanquā edictis Imperatoris aduersantes, & delinquentes quoque in Remp. in iudicium vocabant. Aliud præterea huic nō dissimile Athanasio alio quoque tēpore accidisse, auditione accepi. Etenim cū tali de causa fugiens in Aegyptum, aduerso flumine Nilo nauigio subueheretur, & quidā de eius profectione per indices certiores facti persequerentur, eo cōsilio vti eum cōprehenderent: diuinitùs de illis qui persequebantur præmonitus, his qui vnà secum nauigabant enunciauit, iussitque versus Alexandriam reuerti. Athanasij fuga in Aegyptum, & Alexandriā reditus. Ac dum secundo iam flumine nauigat, insidiatores aduerso flumine subuectos prætergressus, ad vrbē Alexandriā confugit, ibique propter populi frequentiā & multitudinem ædium tutius latitauit. Itaque his de reb. & alijs permultis, quæ similiter ab eo præsignificabantur, ex Gentilib. aduersarijs suis, & Arianis, in crimen falsò vocatus est, quòd eas per præstigias magicas conficeret. Athanasius magicarū præstigiarum insimulatus. Nā fama est, quodam tempore, cùm per plateas ciuitatis incederet, fortè fortuna coruum versus eum volitantē crocitasse: turbamque Gentilium casu astantē, eum tanquā præstigiatorem irrisisse: atque adeò ab illo postulasse, vt quid dixisset coruus, ipsis memoraret. Illum autem leniter subridentem respondisse, Cras: quòd Latino sermone diem proximè sequentem significat. Quare cùm istam vocem emiserit, obnunciat vobis, diem crastinum vobis peracerbum futurum. præmonstrat enim, vobis mandato Imperatoris prohibitum fore, ne vestrum diē festum

A festum, qui proximè sequitur, celebretis. Quæ Athanasij prædictio, licet ipsis vid eretur ridicula, vera tamen extitit. Athanasij prædictio vera. Nam die crastino literæ Imperatoris sunt magistratibus ciuitatis redditæ, quæ iubebant, ne Gentilibus amplius potestas permitteretur vel ad fana sua accedendi, vel consuetos ritus & conuentus celebrandi. Itaq; festus dies, qui tum fortè incidit, isq; Gentilibus venerandus ac magnificus, sublatus est. Verùm quòd Athanasius dono prophetiæ imbutus fuerit, ista quidem dixisse sat est. Vbi verò, vti antè dictum est, manus eorum qui ad ipsum comprehendendum venissent, effugerat, clerus eius & populus ecclesias aliquandiu tenuerunt: vsque eò nimirum, quoad præses Aegypti, & præfectus militum eiusdem regionis, omnes qui ei obtemperabant, inde ejicerent: easque, illis qui Georgium cupidè expectabant, traderent. Georgius Athanasij successor violentus. Haud ita multò pòst venit Georgius ipse, & ecclesias sibi subiecit: quippe qui multo violentius, quā modus sacerdotum & consuetudo postulat, regere instituerit, atque cùm alijs omnibus se terribilem præbere, tum erga Athanasij fautores crudelem se ostendere studuerit: adeò vt tum viri, tum mulieres, vincula & plagas eius opera subirent: vnde factum est vti eū tyranni loco ducerent. Qui cùm hac de causa odio omnibus esse cœperit, plebs ad iram incitata, eum in ecclesia fortè versantem adorta est, atque parum aberat quin illū confecisset. Itaque quoniam in tantum discriminis adductus, ægrè euaserat incolumis, maturè ad Imperatorem profugit. Qua re confecta, Athanasij fautores ecclesias denuò occuparunt: sed tamen non ita longo tempore eas tenere permissi sunt. nā præfectus militum Aegypti, his qui à Georgio starent, illas iterum reddidit. Secūdum ea, scriba Imperatoris, qui ex numero notariorum fuit, missus Alexandriam, ad supplicium de Alexandrinis sumendum, multos torsit grauiter, & verberibus cruciauit. Breui pòst Georgius quoque eò reuertitur: & ob eas causas quæ sunt modò cōmemoratæ, vti credibile est, illis multò maiori terrori fuit: & ideo in grauius odium, quàm antea, vocatus, tum quòd Imperatorem ad complures acerbè affligendos incitasset, tum quòd à monachis Aegypti (quorum opinionem populus sequebatur: & eorum testimonia propterea vera ducebat, quòd virtutem assiduè excolerent, & piè viuendi disciplinæ se totos traderent) propter peruersam fidē & intolerandā arrogantiam admodū insimulatus fuisset.

De Liberio pontifice Romano, quas ob causas à Constantio in exilium eiectus sit: & Felice, qui illum subsequutus est. CAPVT X.

B

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 35. Theodorit. lib. 2. ca. 15.

ITæ quidem res etsi non eodem tempore, tamen aliæ deinceps ex alijs Athanasio & ecclesiæ Alexandrinæ post Constantis mortem obtigerunt: suntque à me hoc loco, quò historia magis perspicua sit, commemoratæ. Concilio verò quod Mediolani celebratum erat, iam nulla re in eo confecta, dimisso: Imperator omnes qui aduersarijs Athanasij contradicerent, de medio remouit, exilioq; condemnauit. Athanasij fautores exilio damnati. Qui cū plurimum laboraret, vt ecclesia vbique de doctrina fidei secum consentiret, & episcopi de eadem inter ipsos concordarent, constituit omnes episcopos in Occidentem accersere. Verùm cùm cerneret animo, hoc propter longinquitatem locorum & maris interiecti perdifficile factu esse, incertus erat animi quid ageret, non tamen à suscepto cōsilio penitùs destitit: sed in eadem perstans sententia, prius quàm venit Romam, & pompam triumphi (sicut Romanis in more positum erat) contra victos celebrauit, Liberio episcopo Romano ad se accersito persuadere conatur, vt sententiæ episcoporum, quos circa se habebat (ex quorum numero fuit Eudoxius) assentiretur. Liberius Ro. episc. ab Imp. relegatus. Quem ipsi refragantem, constanterq; affirmantem, se nunquam illud facturum: iussit Berœā vsq;, quod est oppidum Thraciæ, relegari. Dicitur autem, præter hanc, aliā quoque fuisse causam, cur Liberius exularit: nempe quòd cum Athanasio communicare non recusauit, sed audacter & liberè in eius defensione contradixit Imperatori: qui nō solū eum accusabat, q̄ ecclesias affecisset iniuria, quòd ex duobus fratrib. suis alterum, videlicet maiorem natu, peremisset: alterum aūt, Constantem nempe, quoad eius fieri poterat, ipsi inimicum reddidisset: verū etiam iudicium cū aliorum omnium episcopo rum, tum eorū maximè qui Tyri ad eum condemnandū in vnum conuenerant, aduersus illum protulit. Quib. quidem episcopis, vtpote vel odio, vel gratia ad sententiam de eo ferendam adductis, neutiquā fidem adhibendam esse, dixit Liberius: postulauitque ab Imperatore, vt fides in concilio Nicæno tradita subscriptionibus omnium vbique episcoporum confirmaretur: & illi qui propter eius defensionem in exilio ætatem degerent, domū reuocarentur. Athanasius ab Imp. accusatus à Liberio defenditur. Quibus rebus ritè constitutis, requirebat præterea, vt neq; publici currus, neq; pecunia cuiquam episcoporum tribueretur, ne vel molestiæ quicquā, vel damni alijs afferre viderentur: sed omnes proprijs ac suis sumptibus Alexandriam cōuenirent, in qua vrbe tam de eo qui fecerat iniuriā, quàm de his qui eandē acceperant,

Universidad de Deusto
Biblioteca

diligenter cognosceretur,in crimina inquireretur,& accurata de eorum veritate habe-
retur quæstio. Quinetiam testimonium Valentis & Vrsacij de Athanasio(quod quidē
literis mandatum Iulio,qui sedem ecclesiæ Romanæ ante eum rexerat,vti tum veniam
peterent:tum acta ab se in Mareote sancita,falsa essē declararēt)cùm ei ostendisset,con-
tendit ab illo,vt Athanasium absentem minimè condemnaret: neq; rebus id temporis
decretis fidē adiungeret,quippe cùm fraus & insidię quæ in illis versarentur,iam perspi-
cuè deprehensæ essent. Neq; fratrū causa expectaret vltionem fieri per manum episco-
pi,quam Deus non ad hanc rem,sed ad mysteriorum sanctificationem, & ad omnem
iustam bona mque actionem exequendam paratam esse voluit. Quapropter,Impera-
tor cū Liberius eius imperatis hoc modo restitisset, dedit mandatum,vt in Thraciam,
nisi intra biduum sententiam mutaret,relegaretur. Cui Liberius: Mihi,inquit, ô Impe-
rator,dies ad deliberandum non est opus. Iam olim enim ista & deliberata sunt à me,
& decreta. Itaque iam ad hinc discedendum paratus sum. Fertur item,Imperatorem ei
iam,cùm in Thraciā abduceretur,quingentos aureos misisse: illum autem eos minimè
recepisse,sed dixisse ei qui attulerat: Abi,& nuncia illi qui hoc aurum misit,vt ipsum
det suis assentatoribus & histrionibus,quos continua egestas præ insatiabili cupiditate
in dies singulos grauiter premit:quippe qui perpetuò appetant diuitias, nec vnquam sa
tiari possint. Nos autem Christus, qui patri in omnibus rebus similis est,nutrit, & om-
nia bona nobis suppeditat. Itaque hac de causa Liberius ecclesiæ Romanæ episcopatu
priuatus est. Cui præficitur Felix,illius cleri diaconus:quem aiunt fidei concilij Nicæni
semper consensisse:& omnino,quantum pertinebat ad religionem, reprehensione ca-
ruisse:atque ob id solum in crimen vocatum esse,quòd non modò Arianos ministros
ecclesiæ ordinaret, verùm etiam quòd eorum communione vteretur. Imperator verò,
vt primùm Romam ingressus est,& ingens ibi populi multitudo pro Liberio clamorē
edidit, eumq; denuò habere postulauit:consilio cum episcopis qui secum erant initio,
decreuit eum reuocare,& populo petenti reddere, si modò episcopis,quos secum habe-
ret,consentire in animum induceret.

Episcopi manus ad quid à Deo destinata.

Liberij in exilium ab Imp. relegati libera vox.

Liberius Imperatoris mu. nō auersatur.

Liberio episcopatu Ro. priuato suffectus Felix.

De Aetio Syro, & Eudoxio, cui post Leontium Antiochiæ episcopatus obtigit: & de Consubstantiali. CAPVT XI.

SVb idem ferè tempus palàm,quā de Deo habebat opinionē, docuit Aetius,diaconus
eo tempore ecclesiæ Antiochenæ à Leontio institutus: qui eiusdem cum Ario opi-
nionis fuit. nā filium Dei creatum esse,ex nihilo ortum, & patri dissimilem asseruit: vir
valde litigiosus,& in disputationibus de Deo susceptis adeò audax,vti ab illis doctrina
discrepare,quibus cū opinione consentiret,videretur. Et propterea ejectus ex eorū eccle
sia,prætexuit ideo se illorū vitare communionem, quòd contrà quàm deberent, cum
Ario communicassent. Nam Arius, inquit, cū pœnitentia adductus,iusiurandum da-
ret Cōstantino Imperatori,se cū episcopis,qui ad cōcilium Nicænum conuenerant,de
doctrina fidei penitùs consentire, planè peierauit. Atque ista quidem hoc modo cōme-
morantur. Porrò dū Imperator adhuc in ea imperij parte,quę spectat ad solis occasum,
ætatem degeret,nunciatum est,Leontium episcopum Antiochiæ,è vita abijsse. Itaque
Eudoxius orat Imperatorem,quoniam illi ecclesiæ opus esset custode,vt ipse ea de re in
Syriam redire possit. Quo impetrato, properè contendit Antiochiam,illiusque ecclesiæ
sibi ipse episcopatum assumit:idque sine consensu tum Georgij episcopi Laodiceæ,tum
Marci Arethusæ episcopi(qui duo id temporis inter episcopos Syriæ perillustres fuere)
tum denique aliorum penes quos electio erat. At verò multis in ore est, cum istud e-
gisse de sententia Imperatoris: quicum eunuchi in palatio vitam degentes eadem de re
diligenter egissent,qui quidem pariter cum Eudoxio dogma Aetij defenderunt,filium-
que patri dissimilem asseuerarunt. Quapropter Eudoxius, simulac episcopatu eccleſiæ
Antiochenæ potitus est, parta iam liberè & audacter loquendi potestate, palàm hanc
hæresim defendere non dubitauit. Atque Antiochiæ veniens in congressum cum il-
lis qui hanc opinionem tuerentur(ex quorum numero erant, Acacius Cæsareæ Palæ-
stinæ episcopus, & Vranius episcopus Tyri, qui cum verbo Consubstantiali, etiam
scopi Occidentis eidem suffragati essent. Ofius enim cum quibusdam alijs ibi epi-
scopis, quò Valentis, Vrsacij & Germanij pertinax contentio tolleretur, vi quidem
compulsus,Sirmij,vt antè diximus, concessit,vt voces Consubstantialis,& Substantia
similis, minimè à quoquam proferrentur,tum quòd in sanctis literis neutiquam repe-
rirentur: tum quòd substantiam Dei curiosè indagare, hominum captum longè supe-
raret. Postquam autē literas Osij hac de re scriptas, vti volebant,consecuti sunt, epistolā
Valenti,

Aetij hæresis Arianæ non dissimilis.

Arij periurium.

Eudoxius Leontio succedit.

Cōsubstātiale. Substantia similis.

B *Vide Nicephor. lib. 9. cap. 36. Theodori. lib. 2. ca. 25. Socrat. lib. 2. cap. 28.*

A Valenti,Vrsacio & Germanio miserunt,illisque egerunt gratias: atque causam, cur e-
piscopi Occidentis ad rectè de fide sentiendum deducti essent, ipsis attribuerunt.

Eudoxio res nouas moliente, literæ ad episcopos, vt eum reprimerent, à Georgio Laodicensi episcopo scriptæ sunt:& de missis Ancyra ad Constantium legatis. CAPVT XII.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 36. Theodori. lib. 2. ca. 25. Socrat. lib. 2. cap. 32.

VBi verò Eudoxius res nouas ad hunc modum moliri cœpit, cōplures ecclesiæ An-
tiochenæ, qui ei aduersarentur, inde ejecti sunt: qui cū literis Georgij episcopi Lao-
diceæ, Ancyram, quod est oppidum Galatiæ, rectà cōcesserunt. Nam Basilius fortefor-
tunà eodē tempore ad ecclesiā, quam ædificauerat, consecrandam cōplures episcopos
suæ ecclesiæ finitimos conuocauerat,quibus literas Georgij tradidit, quæ ita se habent:

Basilius conuocatis episcopis ecclesiam ædificatam consecrat.

Dominis honoratissimis, Macedonio, Basilio, & Cecropio, Georgius in Domino S.

Georgij Laodicens. episc. literæ.

NAufragium fidei quod ab Aetio factum est, vniuersam penè Antiochiam occupa-
» uit. Nam Eudoxius discipulos execrabilis Aetij,qui sunt à vobis honoris eccleſia-
» stici gradibus dimoti,ad se asciscitos,in clerum ascribit: & ipsum Aetium hæreticum ha-
» bet in eorum numero,quos summo honore prosequitur. Quare subuenite huic tam il-
» lustri ciuitati, ne eius naufragio totus orbis terrarum etiam euertatur. Atque vos, qui
» iam sitis in vnum coacti,vnà cum cæteris qui ad vos fortè sint conuenturi,subscriptio-
» nes ab alijs quoque episcopis exigite, ad eum finem, vti Eudoxius tum ipsum Aetium
» ejiciat ecclesia Antiochena,& discipulos eius in clerum delectos inde amandet. Quòd
» si pergat cum Aetio filium patri dissimilem vocare,& hos qui istud dicere audeant,illis
» qui contradicant,anteponere, actum est penitùs, vt antè dixi, de ecclesia Antiochena.
» Ista quidem literæ Georgij complexæ sunt. Episcopi autem Ancyræ congregati, simul
vt Eudoxij fidei innouandæ studium exploratè perspectum erat,ex decretis de doctrina
fidei literis proditis,quæ vnà cum episcopis,in quorum congressum & colloquium An-
tiochiæ venerat,sanciuisset, rem Imperatori significant: postulantque aliquā fieri pro-
uidentiam, vt quæ essent in Sardicensi,Sirmiano, alijsque concilijs decisa,rata stabiliaq;
manerent:in quibus quidem concilijs consensum est, filium substantia patri similem
esse. Deliguntur autem ad legationem apud Imperatorem obeundam, Basilius ipse e-
piscopus Ancyræ,Eustathius episcopus Sebastiæ,Leontius Cizyci episcopus, & Leon-
tius presbyter ex Thalamepoli Regia. Vt primùm veniunt ad aulam Imperatoris,of-
fendunt ibi Asphalium, presbyterum Antiochiæ, hæresis Aetij fautorem maximum,
qui iam res pro quibus venerat confecisset: essetque modò cum literis, quas ab Impera-
tore accepisset,inde decessurus. Cæterùm hæresi per legatos qui Ancyra venerant, indi-
cata,Constantius Eudoxium condemnat:recipit denuò ab Asphalio suam,quam ei de-
derat,epistolam,hæcque scribit:

Episcoporum legatio ad Imperatorem.

Asphalius presbyter quid profecerit apud Imp.

Constantij Imperatoris epistola, vt Eudoxius, & qui illum sequebantur, expellerentur. CAPVT XIII.

Victor Constantius Max. August. Sanctæ ecclesiæ Antiochenæ S.

» EUdoxius,non à nobis missus, ad vos venit: neque quisquam sic putet. Ab eo enim
» lōgè absumus,vt eiusmodi hominibus fauere velimus. Quòd si præter cætera,istud præ-
» terea cōminiscuntur:certè perspicuum est,eos in Deum Opt. Max. falsò ementitos esse.
» At ecquæ res sunt,à quib. se sua sponte abstineant illi, qui dominandi libidine accensi,
» ciuitates inuadere,& velut transfugæ,ex vna & alia deuolare, omnes deniq; recessus ac
» latebras potentiæ & facultatum augendarum studio rimari non cessant? Fama est præ-
» terea,apud hos esse præstigiatores quosdam & sophistas, quos ne nominare quidem fas
» est: officinā planè maleficam,& maximè impiam. Omnino certè & vos ipsi horū con-
» spirationem perspicitis:omnino etiā ex verbis ipsius hæresis, tum eius authorē agnosci-
» tis,tum cæteros qui ad eandē hæresim propagandam operam ac studium conferunt: à
» quibus hoc vnum duntaxat laboratur,vt populum sui erroris cōtagione inficiant. Cæ-
» terùm veteratores isti,& audacia ad omnia proiecti, iam tale quiddā apud quosdam iu-
» ueniliter iactitarunt:quòd nos simus eorū ordinatione,qua ipsi se ministros ecclesiæ or-
» dinarint,lætati. Ista quidem ab illis decantantur, qui talia passim iactare solent. Ve-
» rùm res neque omnino ita se habet,neque propè ad id quidem accedit. Quin reuocate
» quæso in memoriam verba prima, quæ tum habebantur, cùm de fide deliberatum est:
» quibus quidem demonstrabatur,Seruatorem nostrum filium Dei, substantia patri simi
» lem esse. At verò generosi isti, ea quæ temerè sibi succurrunt,de Deo effutientes, eò im-

Constantij Imp. ad Antiochenos epistola, contra Eudoxium.

In ambitiosos & verum nouarum cupidos episcopos.

Universidad de Deusto
Biblioteca

pietatis processerunt, vti cùm res à veritate alienas ipsi asserant, tum easdem alios doce. A
re moliantur. In quorum caput licet hanc impietatem tandem recusaram credamus: "
tamen interim placet eos à conuentibus ecclesiasticis, & communi populi congressu "
prohibere. Etenim in præsentia illis ea prædicere cogor, quæ breui pòst, nisi à rabie ista "
se temperent, sunt profectò subituri. Qui quidem (nam quid est quòd non tentent, quò "
malum hoc adaugeant?) improbissimos homines tanquam ex mandato in vnum co- "
gunt, hosque, errorum scilicet duces, qui venerandum sacerdotum habitum adulterãt, "
in clerum ascribunt: perinde ac si ipsis liceret agere & ferre omnia. Atqui quis est inter "
viuos numeratus, qui istos possit ferre? qui quidem vrbes impietate referciunt, suam su- "
perbiam vi occultare studeant: atque hoc vnum opus ipsis voluptati est, nimirum vt bo- "
nis perpetuò inuideant. Ac desinat tandem malitiosa hæreticorum conspiratio diui- "
nis episcoporum sedibus insidias tendere. Iam tempus est, vt veritatis alumni in lucem "
prodeant: hique veniant in medium, qui domicilijs ac sedibus relictis aufugerunt, me- "
tuque iampridem implicati fuerunt. Nam & horum sapientia exploratè perspecta est: † Curt. notat Christ. hic non Græca Eu. sebij sed Nicephor. verba seq. ex cap. 36. lib. 9.
& nulla noua machinationis ratio excogitari potest, quæ illos impietate queat exime-
re. Bonorum officium est, fide patrum viuere, hancque, vt dictum est, adaugere, neque
vltrà curiosè inquirere. Cohortarer autem eos, qui licet serò ex hoc erroris barathro se
exemerint, vti assentiantur huic decisioni, quam episcopi literarum sanctarum valde
periti de Deo Opt. Max. aptè & conuenienter sanciuerint. Ex illo quidem tempore hæ-
resis Anomianorum, id est, eorum qui filium patri dissimilem assererent, inualuisset, †
nisi Imperator ipse episcoporum opera & diligentia interceßisset.

Anomianorũ hæresis. Vide Niceph. lib. 9. ca. 36.

Quòd Sirmium cùm venisset Constantius, reuocatum denuò Liberium Romæ restituit: ac Felici, vt simul cum eo sacerdotio fungeretur, permittit. CAPVT XIIII.

Liberius reuocatus.

HAud longo tempore pòst, Imperator Roma Sirmium reuersus, rogatu le- *Vide Nicephor. li. 9. cap. 37. Theodori. li. 2. cap. 17.*
gatorum, quos episcopi Occidentis ad ipsum miserant, Liberium Berœa
reuocauit. Atq; præsentibus legatis episcoporum Orientis, & quibusdam
sacerdotibus, qui erant fortè in exercitu, in vnum coactis, compellere
tentauit eum fateri, filium patri non esse consubstantialem. Instabant por-
rò, & Imperatorem ad hanc rem incitabant, Basilius, Eustathius, & Eleusius: qui apud B
eum authoritate & gratia plurimum poterant. Hiq; id temporis, cũ decreta de Paulo Sa-
mosateno, & Photino Sirmiano, quinetiam formulam fidei in ecclesiæ Antiochenæ
consecratione editam in vnum libellum congessissent, causa conficta, nimirum quòd
quidam simulatione huius verbi Cõsubstantialis, hæresim priuatim stabilire molirен-
tur, conantur, vt Liberius & * Athanasius quoque, Alexander, Seuerianus & Crescens,
qui in Aphrica sacerdotij munere fungerentur, huic consentiant. Consentiunt itidem
Vrsacius, Germanius episcopus Sirmij, Valens Mursorum episcopus, & quotquot O-
rientis episcopi ibi fortè aderant. Vicissim autem confessionis fidei formulam à Libe-
rio adduxerunt, quæ illis qui filium patri non substantia & cæteris rebus omnibus simi-
lem asseuerarent, interdixit ecclesia. Nam cùm Eudoxius, & cæteri cum eo Antiochiæ
hæresis Aetianæ fautores, epistolam Osij nacti fuissent, rumorem dissiparunt, Liberium
quoque verbum Consubstantiale reiecisse, asseruisseque filium patri dissimilem esse.
Vbi verò hæc res legatis episcoporum Occidentis hoc pacto successere, Imperator dat
Liberio potestatem Romam reuertendi. Atque episcopi Sirmij congregati, scribunt li-
teras Felici tum Romanæ ecclesiæ Antistiti, & clero eiusdem ecclesiæ, vti Liberium re-
cipiant: & ambo pariter sedem Apostolicam administrent, communique consensu &
concordia sacerdotio illo fungantur: atque tum casum acerbum, qui in electione Feli-
cis obtigisset, tum exilium Liberij obliuione deleant. Nam populus Romanus Liberiũ,
tum quòd in alijs rebus vir excellens & spectatus erat, tum quòd Imperatori animo a-
deò excelso & constanti in fide defendenda contradixerat, tam eximiè charũ habuit,
vt seditionem planè maximam eius exilij causa conflaret, resque ad cędẽ prorumperet.
Haud ita diu post moritur Felix, solusque deinceps Liberius ecclesiæ illi præest. Quod
quidem non sine diuina prouidentia factum est, ne sedes Petri à duobus præsu-
libus gubernata (quæ est planè nota dissidij) & à sacrosanctis ecclesiæ le-
gibus aliena, vlla infamiæ macula aspergeretur.

**Non Athanasius ille Alexandrinus, sed alter eodẽ nomine appellatus.*

Felicis Rom. episc. mors.

Commendatio sedis Romanæ.

Quòd

A *Quòd propter Aetij hæresin & res Antiochiæ nouatas, decreuit Imperator, vt Nicomediæ concilium ageretur. Sed cùm terræmotus & pleraq; interim alia interuenissent, primum id Nicææ, deinde verò Arimini & Seleuciæ celebratum est: pòst de Arsacio confessore pauca referuntur. CAPVT XV.*

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 38. Soerat. lib. 2. cap. 29. Theodori. lib. 2. ca. 21.

ATque Sirmij quidem hęc gesta sunt, quo quidem tempore propter metum Imperatoris ecclesia Orientis & Occidentis, in doctrina fidei consentire visa est. De rebus autem Antiochiæ nouatis, & de hæresi Aetij, Imperator constituit concilium Nicææ cogere. At cũ Basilius ciusq; fautores propter-
ea renuerent, quòd olim in ea vrbe de fide inquisitum fuisset: placuit idem *Nicomediæ cõcilii indictio, terræmotu abrogatur.*
Nicomediæ, quæ est vrbs Bithyniæ, cõuocare: & episcopos cuiusq; gentis, qui tum ma-
ximè idonei viderentur ad res prudenter considerandas, tum ad intelligendũ, acutè di-
ferteq; dicendũ cùm primis valerent, ad certum diem eò diligenter accersere, vti singuli
pro omnibus suæ gentis sacerdotib. concilij fierent participes, rebusq; iudicatis interes-
sent. Iam verò cũ multi episcopi essent in itinere, nunciatum est, grauem calamitatem
Nicomediam occupasse. Deumq; vniuersam vrbem terræmotu concussisse. Postquam
autem fama vbiq; percrebuit, ciuitatẽ funditùs euersam esse: impedimento fuit, quo mi-
nus episcopi longius in itinere progrederentur. Nam fama, q̃ quidem solet efficere, his
qui longè aberant, nunciauit, hanc cladẽ non modò eos afflictasse quos reuera afflicta-
uerat: verùm etiam Nicæam, Perinthum, & alias vrbes finitimas, quinetiam Constan-
tinopolim in eiusdem calamitatis societatem venisse promulgauit. Qui quidem casus
non mediocri dolore affecit episcopos, qui sanæ doctrinæ fauebant, propterea quòd ec- *Ethnicorum calliditæ aduersus Christianos.*
clesia, quæ tam magnificè in ea vrbe extructa fuerat, terræmotu cõquassata corruit. Vn-
de homines nostræ religioni infensi, arripuere occasionem Imperatori nũciandi, quòd
multitudo episcoporum, & aliorum virorum, puerorum & mulierum, qui spe inducti
se in ea ecclesia fore incolumes, eò profugerant, ibi oppressa perijsset. Quod quidẽ mi-
nimè verum fuit. Nam hora secunda diei, quo die nullus in ecclesia ageretur conuen-
tus, terræmotus vrbem inuasit. Atq; ex episcopis solus Cecropius episcopus ipsius vrbis *Cecropius episcopus terræmotu obrutus.*
Nicomediæ, & alius ex Bosphoro extra ecclesiã oppressi interierunt. Quinetiam ciui-
tas tam exiguo temporis momento terræmotu concussa est, vt qui cuperent aliò con-
B fugere, non possent: sed prima periculi aggressione, quo quisq; stetit loco, in eo magna
ex parte aut seruatus est, aut perijt. Est præterea multis in ore, Arsacium hanc antè vidis- *Arsacius Persa confessor & vates, terræmotum frustra prædicit.*
se calamitatem, quàm acciderit: qui genere Persa fuit, & ex milite, qui Imperatoris leo-
nes nutriebat, insignis cõfessor regnante Licinio factus, relictaque militia in arce Nico-
mediæ intra murum monasticam disciplinam exercens habitauit. Quo in loco diuina
visio ei oblata, iussit ex vrbe egredi, quò vitaret cladem, quæ esset eam postea occupatu-
ra. Qua re confecta, maturè ad ecclesiam profectus, dat mandatũ clericis, vt Deo preces
supplices sedulò adhibeant, & orationes ad eum placandum faciant, quò clades, quam
vrbi minatus fuerat, ab ea depelli posset. Vbi autem illis fruſtrà persuadere conatus est,
& pro ludibrio habitus, simul vt calamitatem eos nec opinãtes oppressuram præsigni-
ficauerat, ad arcem reuertitur, & humi in faciem proiectus, Deum precatus est. Interea
temporis vrbe terræmotu concussa, complures obtriti perierunt: qui autem supererãt, *Nicomediæ terræmotu obtritæ descriptio.*
in agros & solitudinem profugerunt. Siquidem, velut in ciuitate opulenta & ampla, sin-
gulis in ædibus ignis accensus fuit: in focis, furnis & caminis balneorum, & eorum qui
eas exercent artes quib. igni opus sit, adeò vt tectis ædium terræmotu disturbatis, flãma
eorum materiem occuparet, lignisque aridis (vt est verisimile) admixtis, & rebus oleo &
pinguedine perfusis, quæ facilè incendi solent, affatim nutrita cresceret: atque in om-
nes partes serpens, ac tandem velut in vnum confluens, efficeret, vt tota vrbs instar v-
nius (penè dixerim) rogi videretur. Et quoniam in hac clade ad ædes accedi non posset,
qui incolumes ex terræmotu euaserant, ad arcem procurrerunt. Arsacius autem in *Arsacius quomodo interijt.*
turri, quæ steterat inconcussa, pronus decumbens, sicut se, cũ orare cœpisset, extenderat,
mortuus repertus est. Fama verò est, eum à Deo precibus contendisse, vt ante cladem *Arsacij mors & miracula*
mortem oppeteret: moriq; maluisse, quàm calamitatem oculis cernere vrbis illius,
in qua primùm Christum cognouerat, & ecclesiastica disciplina imbutus fuerat. Sed
quoniam ad hunc virum nostra delapsa est oratio, intelligendum est: eum præ amore,
quo Deus illum complexus est, potuisse dæmones abigere, & homines eisdem agitatos,
illis purgare. Nam cùm quidam vexatus dæmonio per forum gladio stricto curreret,
omnesq; fugerent ab eo, & tumultus vrbẽ occuparet: Arsacius factus illi obuiam, Chri-
stum nominauit, verbo hominem deiecit, eum extemplò dæmone purgauit, & ad sa-
nam mentem reduxit. Edita sunt etiam ab illo multa alia opera, quæ supra facultatem

Universidad de Deusto
Biblioteca

humanam artem quę putanda sunt. Quorum hoc vnum fuit: Erat fortè draco, vel aliud A serpentis genus, quod viatores qui illac transirent, antè flatu suo peremit, quàm oculis eorum cerneretur. nam in quodam specu propter viam oblituit. Ad quem locum accedens Arsacius, orauit: serpens autem sua spōte egreditur è specu, & capite bis ad terram alliso, seipse interfecit. Atque ista commemorarunt hi, qui dicebant se ea ab illis audiuisse, qui ipsum Arsacium oculis aspexissent. Episcoporum verò, sua ad concilium profectione propter calamitatem Nicomediæ cœlitùs illatam impedita, pars noua Imperatoris decreta expectarunt: pars, quam habebat de fide opinionem, scriptis declararūt. Imperator autem, quoniam incertus erat quid ageret, scripsit ad Basilium literas, à quo scisciatus est, quid de concilio fieret. Qui cùm eum ob pietatem, vt videtur, per epistolam laudasset, & de clade Nicomediæ inuecta exemplis è sacris historijs petitis consolatus esset: hortatur, vt concilium maturet, & ne desistat à proposito, præsertim cùm studium pro pietate susceptum sit: neq; episcopos ad hanc rem cōuocatos, cùm iam domo exierint, sintque in itinere, re infecta, dimittat. Locum autem concilio designauit, pro Nicomedia Nicæam vrbem, vt ibi de fide ritè decideretur, vbi iampridem de eadē quæri cœptum est. Atque hæc quidem rescripsit Basilius Imperatori, ratus ita se illi rem gratam significaturum, propterea quòd ipse initio concilium Nicææ congregari statuerat. His literis Basilij acceptis, Imperator primùm dat mandatum, vt ineunte æstate, episcopi omnes Nicæam conueniant, exceptis illis, quibus inualetudo esset impedimento: hique suo loco presbyteros, vel diaconos, quos vellent, eò mitterent, qui ipsorum declararent sententiam, & de rebus controuersis consilium inirent, vt communiter omnes de omnibus inter se concordarent. Deinde, vt decem episcopi ex partibus Occidentis, & totidem Orientis, quos concilium communi sententia deligeret, ad palatium suum vnà venirent, sibique quæ decreta essent, exponerent: ad eum finem, vt ipse quoque non cognosceret solum, vtrum conuenienter Scripturæ sacræ inter se consensissent: verùm etiam, quid optimum factu videretur, decerneret. At verò his confectis rebus, inito rursus consilio, iussit vt omnes aut vbi iam essent, aut in proprijs ecclesijs vsque eò manerent, quoad locus concilio præscriberetur: significaretuŕque ipsis, vt illò accederent. Postremò scribit Basilio, vt per literas sciscitetur ob omnibus Orientis episcopis, quo in loco concilium commodè celebrari posset: vti sub initium veris istud omnibus constaret. Nam Nicæam locum concilio habendo minimè iam opportunum censuit, propterea quòd gens illius vrbis terræmotibus afflictata in mœrore esset. Basilius autem literis Imperatoris prępositis suis literis, episcopis cuiusque gentis significat, vti maturè consilium de re capiant: & quàm primùm locum qui ipsis opportunus videretur, indicarent. At cùm, vt in eiusmodi rebus euenire solet, non omnes vnum eundḗque locum delegissent, iter suscipit Basilius ad Imperatorem, qui tum Sirmij commorabatur: & cùm alios quosdam ibi offendit episcopos priuatis ac suis negocijs occupatos, tum Marcum Arethusium & Georgium episcopum Alexandriæ. Vbi verò iam visum est concilium Seleuciæ, quæ est vrbs Isauriæ, cogendum: Valens cum suis (hic enim iam Sirmij fortè aderat) Anomianorum hæresi delectatus, laborat, vt episcopi qui erāt in castris, formulæ fidei quam habebat in promptu, subscribant: in qua formula nomē Substantiæ minimè positum fuit. Interea dum de concilio habendo scriò laboratum est, Eudoxius, Acacius, Vrsacius & Valens, quoniam inducebant in animum, quòd episcoporum omnium, alij formulæ fidei in concilio Nicæno, alij fidei in consecratione ecclesiæ Antiochenæ editæ fauerent: atque quòd vtraque fidei formula nomen Substātiæ contineret, & filium patri in omnibus rebus similem assereret: quinetiam quòd si in vnum omnes conuenirent, fore vt reuera Actij condemnarent opinionem: quam ipsi, licet ab vtraque formula discrepantem, laudabant. idcirco perficiunt, vt episcopi Occidentis Arimini, episcopi autem Orientis Seleuciæ, vrbis Isauriæ, in vnum conueniant, eo consilio, quòd putabant facilius esse paucis quā omnibus persuadere: & si quidam ipsorum ad hoc, quidam ad illud concilium profecti, efficerent vt vtrunque concilium suæ suffragaretur sententiæ, rectè esset: sin minus, vt alterum saltem, quò hæresis Actij non omnium suffragijs reijceretur. Atque in ijs rebus illis fuere subsidio, tum Eusebius primarius eunuchus familiæ Imperatoris, qui & necessitudine cum Eudoxio, & opinione etiam coniunctus fuit, tum complures alij potentes viri, qui Eusebio gratificari studebant.

Nicæa vrbs iam concilij locus.

Nicæa etiam terræmotu afflicta.

Seleuciæ & Arimini concilium coactū.

De rebus gestis in Ariminensi concilio. CAPVT XVI.

IMperator verò quoniam persuasum habuit, neque ex vsu esse vel Reip. propter impensas, vel episcoporū propter longa itinera, vt in vnum locum omnes conuenirent, concilium

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 39. Socrat. lib. 2. cap. 29.

A concilium in duas partes distribuit: scribitq́; episcopis, qui id temporis tum Arimini, tum Seleuciæ conuenerant, vt primùm de his quæ in fide ambigua viderentur, decidérent. Ad extremum, vti lex ecclesiæ postulat, causas etiam episcoporum qui quererentur, se vel iniustè abdicatos esse, vel in exilium missos (quorum vnus erat Cyrillus episcopus Hierosolymorum) disceptarent, deque criminibus, quibusdam episcopis illatis, accuratè iudicarent. Nam alij alios accusauerant: Aegyptij autem Georgium rapinæ & contumeliarum insimulabant. Rebuśque omnibus dijudicatis, decem vtriusque partis ad aulam accederent, qui quæ acta essent, ipsi renunciarent. His mandatis impulsi, singuli eum ad locum conueniunt, ad quem conuenire imperatum erat: atque concilium Arimini prius coactum est: ad quod concilium congregati sunt amplius quadringenti episcopi. De Athanasio quidem hi, qui infenso animo atque inimico erga eum affecti erant, commodissimum duxerunt, vti nulla omnino institueretur actio. Cùm autem quæri cœptum est de fide, Valens & Vrsacius in medium simul prodeuntes (quibus subsidio fuere Germanius, Auxentius, Caius & Demophilus) postulant, vt formulæ fidei iam antè editæ, antiquentur: teneaturq́; ea, quam dudum Sirmij Latino sermone composuerant, quæ filium patri similem secundum Scripturas docuit: atque vt nulla fieret in Deo mentio substantiæ. Quam formulam etiam Imperatorem approbasse dicebant: eaḿque à concilio recipiendam esse necessariò: atque concilium decæterò non debere curiosè quid quisque sentiret inquirere, ne dissidia & contentiones inde nascerentur, cùm verba in disceptationem accuratamq́; disquisitionem vocarentur. † Nam præstare imperitius disserere, modò rectè de Deo sentiant, quàm inanes verborum argutias introducere, quæ sunt cum captiosis dialecticorum præstigijs cognatione quadā coniunctæ. Significabant autem obscurè, imò verò apertè arguebant verbum Consubstātialis, vtpote nec in sanctis literis repertum, & multis obscurum & ignotum: volebant́que vt pro eo diceretur, filium patri rebus in omnibus similem secundum Scripturas. Vbi verò formulam ista complectentem, quam ipsi secum eò antè attulerant, perlegerunt, complures nihil opus esse noua fidei formula constanter affirmabant: sed acquiescendum decretis, quæ ante suam ætatem erant de fide sancita. Se iam in vnum cōuenisse, vt si quid contra ista nouaretur, prohiberent. Postulant item ab istius formulæ

B authoribus, vt si ea quæ lecta erant, nihil noui contra ea decreta continerent, vt palàm ipsi dogma Arij reijciant: quod quidem dogma ab ipsius Arij ætate hactenus omnibus ecclesijs causa tumultus extitisset. Hoc postulatum cū Vrsacius, Valēs, Germanius, Auxentius, Demophilus & Caius facere recusarent, concilium iubet, formulam fidei tum aliarū sectarum, tum episcoporū qui Nicææ olim conuenerant, legi: vti sectæ reijcerentur, decretaq́; concilij Nicæni omnium confirmarentur suffragijs: atque in posterum nemo ea argueret, aut concilium cogi de illis postularet, sed eisdem iam olim editis cōtentus acquiesceret. Nam absurdum esse, quòd quasi iam credere inciperent, eiusmodi nouas fidei formulas conscriberent, & temporis antegressi traditionē reprehenderent: quā traditionem non modò ipsi obseruassent, verùm etiā qui ante se rexissent ecclesias, tenuissent: quorū complures per fidei in tormentis confessionem, & martyrium è vita migrauerant. Atq; hi, istis rationibus adductis, postulāt, ne quid nouarū rerum in cōcilio tentaretur: Valentem autem & Vrsacium, qui huic postulationi morem gerere nollent, sed instarent vt formula fidei, quam ipsi protulerant, confirmaretur, abdicant, & formulam quæ modò in concilio perlecta fuerat, irritā esse decernunt. Quinetiam absurdum putant, vt huic formulæ talis præponeretur titulus, qualē habuit, cū Sirmij edita est: nempe, Præsente Constantio, æterno, magno, Augusto, Eusebio & Hypatio Coss. quē admodum Athanasius quoq; ad suos scribit necessarios, his verbis: Ridiculū planè esse, Constantiū Imperatorem æternum nominare, filiū autem Dei negare æternum esse: & certum tempus huic formulæ præponere, non alio consilio quàm vt fides veterum patrum & sacerdotum, qui ante hoc tempus vixerint, coargueretur. His rebus Arimini gestis, Valens & Vrsacius iniquo ferentes animo se abdicatos esse, properè ad Imperatorem contendunt.

† Vide anot. pag. 53. la. 2. lin. 31.

Arimini concilium.

Sirmij concilium.

Consubstantialis verbum improbatum.

Arimin ensis cōcilij sanctio.

Valens & Vrsacius abdicati.

Ariminensis Concilij ad Imperatorem Constantium epistola. CAP. XVII.

COncilium autem, viginti episcopos ad eam rem delectos, mittit legatos ad Imperatorem, atque hæc ad eum Latino sermone scribit.

Concilij Arimini congregati epistola ad Constantium Imperatorem conscripta:

Quoniam tum mandatum Dei, tum tuæ pietatis edictum ita postulat, idcirco ea quæ olim de fide fuerūt decreta, nostris suffragijs stabilienda iudicamus. Nā cuncti episcopi ex omnib. ciuitatibus ad Occidentē sitis, Arimini in vnū conuenimus, vt fides Ecclesiæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ariminensis concilij acta.

catholicæ fieret illustrior, & illius aduersarij perspicuè deprehenderentur. Postquam igitur diu deliberatum est, placuit, eam fidem quæ ex antiquis ducta temporibus hactenus permansit, quæque à prophetis, ab Euangelistis, ab Apostolis denique per gratiam Domini nostri Iesu Christi, tui imperij defensoris, conseruatorisque valetudinis, prædicata sit, firmè retinere, retentamq; perpetuò defendere. Absurdum enim, imò nefas cer tè videbatur, quicquam commutare in illis, quæ rectè vereque definita essent, quæque fuissent ab omnibus in concilio Nicæno coactis, tui patris Constantini, Imperatoris illustrissimi subsidio accuratè exquisita, excussaq; : quorum denique doctrina & sententia per omnium hominum aures mentesque peruasisset, palamq; esset prædicata. Cuius vnius doctrinæ vi, Arij hæresis expugnata, prorsusque extincta: cuius etiam adiumento, non ea solum, sed aliæ quoque hæreses extirpatæ. Cui profectò aliquid adijcere, tutum non est: & ab ea quicquã detrahere, periculosum. Quòd si alterutrum istorum eueniat, erit tanta aduersarijs impunitas proposita, vt quod libeat, licenter exequantur. Itaque Vrsacius & Valens, quoniam iampridem animos suos Ariano dogmate implicaue rant, & nostra erant propterea communione segregati, non modò illos, vt eiusdem communionis denuò fierent participes, pœnituit delictorum, quæ se admisisse sua ipsorum conscientia planè arguebat: verùm etiam, vt ipsorum scripta testantur, veniam obnixè postulauêre. Quibus de causis omnia eis crimina remissa fuerunt, atq; condonata. Ista quidem eo tempore gerebantur, quo concilium Mediolani habitum est, præsentibus ecclesiæ Romanæ presbyteris. Cùm igitur intelligamus Constantinum, principem certè omnium posterorum memoria post mortem celebrandum, diligenter elaborasse, vt fides illa Nicææ literis prodita, accuratissimè perquisita exploratáque esset: absurdum sanè videretur, eo iam post acceptum baptismum vita defuncto, & ad tranquillitatem sibi debitam profecto, aliquid in ea nouare: & tot sanctos confessores ac martyres, qui huius authores inuentoresque fuerunt, quique, vt vetus Ecclesiæ Catholicæ poscebat institutum, omnino senserunt, inque eo perstiterunt perpetuò, prorsus contemnere. Quorum fidem ad tui imperij tempora Deus per Dominum nostrum Iesum Christum perduxit: cuius auxilio sic tuum creuit imperium, vt vniuersi orbis terrarum gubernacula teneas. At contrà miserabiles illi, & animo præditi planè deplorato, nefario impetu incitati, se impiæ doctrinæ præcones denunciare, & totum veritatis institutum euertere studuerunt. Nam vt primùm concilium ex tuo edicto in vnum coibat, ij suæ fraudis inuolucrum retexerunt: & simulatque Germanium, Auxentium & Caium, qui seditionem ac discordiam induxissent, pari opinionum varietate irretitos animaduertebant, tentauerunt per dolũ & tumultum aliquid noui decidere. Quorum doctrina inconstans & incerta, totam blasphemiarum turbam longè superauit. Verùm vbi intellexere eos neque eiusdem opinionis esse, neque in perditis eorum conatibus cum illis conspirare, ad nostrum consessum se transtulerunt, perinde ac si iam contrariam doctrinam scriptis mandare in animo haberent. At non longo tempore pòst, eorum mentes sunt facilè patefactæ. Quocirca vt status Ecclesiæ non eiusmodi iactaretur fluctibus, & omnia turba ac tumultu volutata miscerentur, percommodum videbatur, vt tum vetera decreta firma stabiliaque manerent, tum isti à nostra communione excluderentur. Atque ob hanc causam legatos ad tuam clementiam cũ literis misimus, qui te doceant mentem ac sententiam concilij : quibus quoque dedimus mandatum, vt authoritate in primis, testimonioq; legum olim rectè sancitarum veritatem cõfirmarent: atq; adeò tuæ significarent æquitati, non vt Vrsacius & Valens dixerunt, pacem futuram esse, si instituta ritè & legitimè facta euertantur (qui enim fieri potest, vt pacis authores sint hi, qui pacis vincula ruperint?) sed dissidium & seditionem inde cùm in alijs ciuitatibus, tum in ipsa ecclesia Romana excitatam fore. Quamobrem tuam clementiam obtestamur, vt benignis auribus ac vultu placido nostram legationem excipias, neque permittas quicquam nouari ad contumeliam eorum qui vita excesserint: sed nobis facias potestatem in his quæ sunt à maioribus (quos quidem ingeniosè & prudenter Spiritu sancto illis opem ferente, omnia transegisse constat) decreta sancitáque, firmè perseuerandi. Nam ea quæ ab istis nouata sunt, in credentium animis incredulitatem inserunt: in infidelium autem, crudelitatem. Obsecramus etiã, vt episcopis, qui in exteris regionibus vitam degunt, quique & ætatis ingraueſcentis molestia & paupertatis onere grauiter afflictantur, tuo mãdato copia fiat domum tutò reuertendi, quò ecclesiæ episcopis suis minimè destitutæ maneant. Porrò autẽ istud præter cætera flagitamus, ne q̃d vel detrahatur veterib. decretis, vel omnino adijciatur: sed omnia, tum q̃ patris tui pietas idẽ postulabat, tũ quod vsq; ad hoc tempus obseruata fuerunt, rata firmaque permaneant: neque decæterò nobis quicquam de ijs rebus fa

Eorundem ad pristinum errorem relapsus.

Nicænæ fidei nihil addendum aut detrahendum. Vrsacij & Valentis pœnitentia.

Epiſcoporum petitio apud Imp.

cessas

Epiſcopos ſuis ſubditis adeſſe debere.

A cessas negocij, aut à nostris ipsorum ecclesijs nos abesse sinas: sed episcopi versentur cum
» suis ipsorum gregibus, vti precibus, & Deo sanctè colendo tranquillis animis vacent, o-
» rentque sedulò pro tua salute, imperio & pace: quam Deus tibi sempiternam benignus
» largiatur. Legati nostri tum subscriptiones, tum nomina episcoporum ad te perferunt:
» qui etiam sacrarum literarum testimonijs tuam benignitatem, ea quæ ad decreta perti-
» nent, satis accuratè docere possint.

De concilij legatis, & Imperatoris epistola: & quomodo prolatæ ab Vrsacio & Valente formulæ, concilium postea consenserit: & de conciliabulo Nicææ habito, & quamobrem legatos Nicææ detinuerint. CAPVT XVIII.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 41. Socrat. lib. 2. cap. 31. 32. 33. Theodoret. lib. 2. cap. 22. 23.

EPistola quidem concilij Ariminensis, ita se habet. Vrsacius autem & Valens legatos à concilio missos præuertentes, formulam fidei, quam in concilio perlegerant, Imperatori ostendere, conciliumq; falsò insimulare cœperunt. Imperator verò grauiter propterea fortasse cõmotus, quòd formulam fidei, quæ se præsente Sirmij confirmata fuisset, reiecissent, hos duos in magno honore habere, legatos autem concilij contemnere, eosque longa mora fatigatos negligere. Tandem verò, licet serius, scripsit ad concilium, excusatione pro se allata, quòd iter quoddam necessarium, quod quidem esset iam ad Barbaros susceptus, ipsum districtũ teneret, & propterea se nõ potuisse legatos illius videre. Itaq; dedisse eis mandatum, vt Adrianopoli ad suum reditum expectarent, vti cùm Reip. negocia rectè constituta essent, animo à curis vacuo illorũ legationem audiret, diligenterque cognosceret. Nam oportere eum qui de rebus diuinis disceptaret, animum ab alijs rebus penitùs habere liberum. Hæc ferè ad concilium scripsit Imperator. Quibus rescripsit concilium, constanter affirmando, se neutiquam à decretis, quæ statuerat, velle discedere: idemq; legatis suis tum scripsisse, tum præcepisse. Itaq; orat, vt eos cum beneuolentia aspicere, mandata, quæ ipsis dederat, audire, & literas perlegere dignetur.

Vrsacius & Valens legatos Synodi præueniunt apud Imp.

Constantij ad concilium rescriptum.

Legati concilij ab Imp. nec-dum recti.

Altera concilij ad Imp. epistola.

Nam rem ei permolestam debere videri, vt tot ecclesiæ, eo regnante, episcopis suis carerent. Oportere igitur ipsos, si modò ita illi visum esset, ad suas ecclesias ante hyemem redire. Quæ cùm scripsissent, & epistolam tum compositione, tum verbis ad deprecandum aptam contexuissent, aliquandiu quidem præstolati sunt. Sed cùm nihil ab legatis suis acciperent, ad suam quisque ciuitatem reuertitur. Quare quòd episcopi Ariminicongregati, initiò decretis concilij Nicæni suffragati sunt, ex his quæ diximus, satis constare poterit. Iam verò, quemadmodum postea formulæ à Valente & Vrsacio allatæ assenserint, dicendum arbitror. Est quidem varius de hac re sermo ad me perlatus. Nam nonnulli prædicant Imperatorem, quoniam episcoporum Arimino contra suã voluntatem decessionem contumeliæ loco ducebat, dedisse facultatem Valenti ac suis fautorib. primùm ecclesias Occidentis pro ipsorũ arbitrio administrandi: deinde formulã fidei Arimini perlectam diuulgandi: tum ejciendi eos ecclesijs, qui huic subscribere recusarẽt: postremò, alios in eorũ loca sufficiẽdi. Istos verò hinc licentiam nactos,

Formulæ à Valente & Vrsacio allatæ quomodo concilium Ariminense postea assenserit.

† Vide anot. pag. 35. lat. 1. lin. 31.

† vi cõpulisse episcopos huic fidei formulæ subscribere: complures aũt, qui resisterent, ecclesijs exturbasse, & primũ omnium Liberiũ episcopum Romanum. Quibus rebus contra episcopos Italiæ confectis, consilium de ecclesijs † Orientis eodem modo tra-

† Vide ibidem lin. 33.

Liberius ecclesia pulsat.

ctandis cepisse. Atque peragrantes Thraciam, venisse Nicæam, vrbem eiusdem regionis: concilioque ibi coacto, formulam Arimini perlectam in Græcum vertisse sermonem, eam diuulgasse, ratam feciſſe: dissipasse denique rumorem, fidei formulam Nicææ compositam, à concilij generalis sententia stabilitam comprobatamque esse. Istas verò res dedita opera Nicææ Thraciæ transegisse, atque sermonem ad hunc modum disperſisse, quòd simpliciores homines nominis similitudine deceptos, & hanc formulam esse quæ olim Nicææ vrbis Bithyniæ confirmata fuisset, arbitrantes, facilius ad eidẽ formulæ assentiendum inducerent. Atque hi quidem ista hoc modo commemorant. Alij dicunt, cùm episcopi in concilio Ariminensi congregati, longa expectatione fatigati essent, propterea quòd Imperator ipsis respondere haud dignatus est, neque eos ad sua reuerti permisit: fautores sectæ Arianæ subornasse quosdam, qui cæteros episcopos commonefacerent, rem planè indignam esse, vt omnes episcopi ac sacerdotes propter Substantiæ nomen inter se dissiderent, præsertim cùm liceret filium patri similem dicere, causasque contentionis tollere: atque episcopos Orientis nunquam acquieturos, nisi Substantiæ nomen ex fidei formula eximeretur. Cùm autem isti partium dissentientium conciliatores eiusmodi rationes veteratorie confinxissent, concilium inde inductum, formulæ ab Vrsacio cõpositæ cõsensisse. Vrsacium autẽ cum suis veritos, ne legati ex concilio ad Imperatorem missi, redeuntes, cùm inficiationem, quã episcopi

Liberius ecclesia pulsat.

Nicææ Thraciæ confirmata fidei formula qualis.

Dolus malus episcoporum. Nicæa Bithyniæ.

Occidenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

Occidentis initiò fecerant, tum causam cur vox Consubstantialis sublata sit, planam fa- A cerent: non modò legatos Nicææ Thraciæ continuisse, causis allatis, iter fore difficile, tum propter hyemem, tum propter inopiam iumentorum, quæ ad publicos cursus sumi solent: verùm etiam persuasisse, vt formulam ab ipsis Arimini lectam, in Græcũ sermonem ex Latino conuerterent, ipsiq; mitterent episcopis Orientis. ita enim futurum esse, vt per hanc formulam, quã ad eum finem confecerant, suum conatum ex sententia ad exitum perducerent: & tamen dolum minimè deprehensum iri ab his, qui probare niterentur, quòd episcopi Arimini conuocati, non sua sponte nomen Substantiæ, sed causa episcoporum Orientis, qui illud nomen auersabantur, reiecissent. Quod quidẽ perspicuè falsum est. Nam omnes, paucis exceptis, filium patri substantia similem asseuerarunt: inq; eo vno dissederunt, quòd pars filium patri consubstantialem, pars autem substantia similem esse dicerent. Atque de hac re hi quidem hoc modo, illi illo commemorant.

ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον discrimine, in quo vnius litræ versatur momentum, concilium diuisum est Arimini.

De ijs quæ Orientalibus ecclesijs contigerunt: quodq; Marathonius, & Eleusius Cizyci episcopus, & Macedonius, eos qui Consubstantiale profitebantur, exagitabant: & quòd Nouatianorum ecclesia translata est, & ipsi cum orthodoxis communionem habuerunt.

CAPVT XIX.

Tumultus in ecclesijs Orientis. Cyrillus Hierosol. episc. Macarius. Eleusius. Marathonius.

DVM ista, vt dictũ est, in Italia geruntur, tumultus maximi in Orien- Vide Nicephor. lib. 9. cap. 42. Socr. lib. 2. cap. 31.
te, antè quã concilium Seleuciæ esset coactum, fortè excitati sunt. Nã Acacius & Patrophilus, Maximo abdicato, rectionẽ ecclesiæ Hierosolymitanæ Cyrillo deferunt. Macedonius autẽ tum Constantinopoli, tum in finitimis vrbib. propterea turbas ciebat, quòd Macarius ministros ecclesiæ ordinare cœperat: habebatq; adiutores ad eã rem, Eleusium & Marathonium: quorum alterum, qui iam antea diaconus suæ ecclesiæ fuerat, & diligens procurator cœnobiorum monasticorum, quæ erant in egestate, & in quibus & viri & mulieres ætatẽ degebant, episcopum Nicomediæ creauit: alterum, nempe Eleusium, episcopum Cizyci, qui non sine magna laude ac splendore in aula Imperatoris antè satellitem egerat. Ambos quidem vita satis spectata & integra fuisse prædicant: sed tamen studiosè laborasse, vt eos qui filiũ patri cõsubstantialem

Macedonij in ecclesia turbæ.

assererent, grauiter diuexarent: verùm non ea acerbitate, qua Macedonius, in illos vsi B sunt. Iste enim, eos qui secum communicare renuebant, non modò exagitauit, verùm etiam in catenas coniecit, traditiq; iudicibus: nonnullos vi secum communicare compulit. Quinetiam pueros & mulieres nondum sacris initiatos mysterijs, violẽter rapuit, ipseq; eos inuitos mysterijs initiauit. Porrò autem multas multis in locis diruit ecclesias, causa eiusmodi pro se allata, quòd Imperator mandatum dederat, vt templa eorum qui filium patri consubstantialem affirmarent, disturbarentur. Quam etiam ob causam ecclesia Nouatianorum Cõstantinopoli, propter Pelargum posita, deiecta est.

Nouatianorũ ecclesia Constantinopoli deiecta, & translata.

Quo quidem tempore ferunt Nouatianos strenuum facinus edidisse: quibus fortasse, vtpote de verbo Consubstantiali secum consentientibus, catholici subsidio venerunt. Nam cùm hi quibus impositum erat negocium huius ecclesiæ demoliendæ, Nouatiani, ad vnum omnes simul coacti, pars materiem ecclesię deijcere, pars eandem ad Sycas, quæ sunt in vlteriore continenti eregionè Constantinopolis sitæ, transportare cœpit: eorum molitio & conatus celeriter ad exitum perductus est. nam in opere illo faciendo non viri solùm, verùm etiam mulieres & pueri socios se adiunxêre. Singuli enim illud opus, velut munus Deo offerre supra modum lætabantur. Eodem studio & ratione eadẽ ecclesia ista denuò ædificata est: & post illud tempus quo hoc factũ est, Anastasia nuncupata. Nam Constantio mortuo, Iulianus in imperium succedens, reddit Nouatianis locum, & ibi deintegrò extruendæ ecclesiæ potestatem facit. Quod quidem factum est non sine propenso populi studio, qui ad illud opus operã suam lubens contulit, & materiam ex Sycis denuò transtulit. Sed hæc postea gesta sunt. Illo autem tempore parum aberat, quin Nouatiani & catholici penitùs conspirassent. Nam eadem de Deo sentiẽtes, cõmuniter ab Arianis exagitati, in similib⁹ calamitatib. cõstituti, se mutua cõplecti beneuolentia, in vnũ conuenire, pariter orare cœperunt (catholicis enim nulla quidem fuit ecclesia relicta, sed omnes ipsis erant ab Arianis ablatæ) atque quoniam (vt est credibile) ex assidua consuetudine se sine causa inter ipsos dissensisse arbitrabantur, decreuerunt inter se deinceps communicare. Quod planè factum fuisset, si non inuidia, credo, paucorum, qui affirmabant causam veterem extare, cur hoc facere recusarent, propensum ad eam rem multitudinis studium retardasset.

Anastasia ecclesia Nouatianorum.

Catholicorum & Nouatianorũ cõcordia quomodo dissoluta.

De

De ijs quæ Mantinæi à Macedonio gesta sunt: & quòd ob translatum Constantini Magni sepulchrum, sede sua eiectus est &c: & de Iuliani Cæsaris creatione. CAP. XX.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 42.

PEr idem tempus Eleusius quoq; ecclesiam Nouatianorum, quæ erant Cyzici, funditùs diruebat. Istis verò malis vexabantur Nouatiani illi potissimùm, qui Mantinæum & reliquam Paphlagoniam incolebant. Nam Macedonius, vbi intellexit cõplures esse in illis locis Nouatianos, & ecclesiasticos viros qui ibi erant, non satis habere virium ad eos inde expellendos: persuasit Imperatori, vt quatuor militũ cohortes eius rei gratia illò mitteret. Sic enim fore putabat, vt homines armorum insueti, cùm armatos viderent, statim præ metu ad ipsius opinionem se trãsferrent. Quod quidem secus omnino accidit. Nam multitudo ex Mantinæo effusa, pars falcibus, pars securibus, pars alijs instrumentis, in quæ fortè incidebat, se armare, & cum militibus congredi cœperunt. Grauique prælio commisso, Paphlagones quàm plurimi, milites ferè omnes ceciderunt. Vnde factum est, vt Macedonium, velut tam grauis calamitatis authorem, plerique eius necessariorum insimularent. Imperator quoque ab eo alienatus, deinceps odio habere cœpit. Accessit etiam alia maior simultatis causa, quæ fuit eiusmodi. Macedonius loculum Imperatoris Constantini aliò transferre constituit. nam ecclesia in qua erat positus, visa est ruinam minari. Atque è populo alij illud fieri facilè passi sunt, alij restiterunt: quandoquidem arbitrabantur rem planè impiam esse, & perinde se habere, ac si è tumulto corpus denuò effoderetur. Quibus fuere auxilio hi, qui doctrinam concilij Nicæni propugnabant: qui neque corpus Constantini, vtpote eiusdem doctrinæ fautoris, contumelia affici sinebant: & Macedonij conatibus omni cura, credo, & cogitatione aduersabantur. At verò iste nihil de illis moratus, loculum transtulit ad ecclesiam, in qua est sepulchrum Acacij martyris. E` multitudine autem hi factum laudare, illi arguere, adeò vt ipsa ecclesia alij in alios impetum facere cœperint: & ad extremum ecclesia & locus vndique situs, sanguine & cæde redundarit. Imperator, qui adhuc in imperij parte versus Occidentem commorabatur, his rebus nunciatis, grauiter commotus est. Accusat Macedonium tum contumeliæ in patrem factæ, tum casus infelicis quo populus affiictus erat: atque graue odium in eum concepit. Qui cùm in Orientem proficisci constituisset, esB setque iam iter ingressus, Iulianum consobrinum ad se accersit, Cæsarem eum creat, & in Galliam ad solis occasum vergentem mittit.

Nouatianorũ ecclesia Cyzici diruta.

Paphlagonũ clades.

Macedonius Imperatori insidijs Constantini Imp. corpus à Maced. translatum.

Iulianus Cæsar creatus.

De Seleucensi concilio. CAPVT XXI.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 43. Theodori. lib. 2. ca. 28.

DVm hæc geruntur, episcopi Orientis numero circiter centum & sexaginta, Seleuciam, quod est oppidũ Isauriæ, conueniunt, Eusebio & Hypatio Coss. Eò etiam accessit Leonas, satelles aulæ imperatoriæ, propter dignitatis splẽdorem clarus: qui de mandato Constantij concilio interfuit, vt eo præsente de fide accuratè inquireretur. Adfuit etiam Lauritius, præfectus militum Isauriæ, vt si qua re opus esset, præstò foret. nam id negocij Imperatoris literæ ei imposuerant. In primo congressu aberant cùm alij nonnulli episcopi, tum Patrophilus episcopus Scythopolis, & Macedonius Constantinopolitanus episcopus, & Basilius Ancyræ. Causa quidem absentiæ alia alijs extitit, Patrophilo autem lippitudo: morbus verò Macedonio. At non deerat suspicio, quòd crimina, quorum accusati erant, admodum veriti, eo tempore aberant. Cùm autem alij propter istorum absentiam nollent de rebus controuersis haberi disceptationem, Leonas tamen iussit disceptari. Vnde alij primùm de fide differendum esse, alij in vitas eorum, qui erant inter ipsos accusati, necessariò inquirendum asserebant: ex quorum numero fuit Cyrillus Hierosolymorum, & Eustathius Sebastiæ episcopus. Causa autem huius contentionis inter eos fuerunt Imperatoris literæ, quæ partim hoc, partim illud significarunt. Ex qua contentione factum est, vt alij alios deinceps æquo animo ferre non possent, sed in duas factiones diuiderentur. Eorum tamen vicit sententia, qui voluerunt primũ omnium de fide quæri. Vbi verò ad disceptationem ventum est, placuit quibusdam, vt nomen Substantiæ omnino tolleretur: ijque proponunt formulam fidei, quã non ita pridem Marcus Sirmij composuerat. Hanc approbauerant cũ episcopi alij qui fortè in castris aderãt, tum Basilius episcopus Ancyræ. At à maiore parte laboratũ est, vt fidei formula in dedicatione ecclesiæ Antiochenæ edita, rata haberetur. Prioris sententiæ patrociniũ susceperein primis Eudoxius, Acacius, Patrophilus, Georgius episcop⁹ Alexãdriæ, Vranius Tyri episcopus, & alij triginta duo: posterioris autẽ, Georgius episcopus Laodiceæ, quæ est vrbs Syriæ, Eleusius Cyzici, & Sophronius episcopus Pompeiopolis, quod est oppidum Paphlago-

Seleucense cõcilium anno 363. Leonas.

Lauritius.

Primus concilij congressus.

Factiones duæ.

Seleucẽsis cõcilij acta.

De fidei formula dissensio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paphlagoniæ: quibus alij complures assensi sunt. Acacius autem & eius fautores, ido-neum tempus sibi oblatum arbitrãtes, ab alijs de doctrina fidei dissentiendi: & ista simulata causa, crimina sibi illata diluendi, quanquam antè suis ipsorum literis, quas Macedonio episcopo Constantinopolitano scripserant, confessi erant, filium cùm alijs rebus omnibus, tum ipsa substantia patri similem esse, tamen iam priori suæ confessioni impudenter repugnarunt. Ac cùm vtrinque magna cõtentione disceptatum esset, clamare Syluanus episcopus Tarsi, Non ferendum esse, vt vlla alia noua fidei formula, præter eam quæ erat Antiochiæ probata, introduceretur: sed eam solam tenendam esse. Quare grauiter commoti Acaciani, surgentes è concilio egrediuntur. Reliqui tum ea quæ erant Antiochiæ decreta, perlegebant: postridieq; eius diei in ecclesiam conuenientes, foribus occulsis, cũ iam soli essent, ea decreta suis suffragijs confirmabant. Quas res ita constitutas admodũ incusauit Acacius: atque formulam fidei, quã ipse composuerat, Leonæ & Lauritio monstrauit. Tertio pòst die, cùm alij nonnulli, tum Macedonius & Basilius, qui superiorib. diebus abfuerant, ad concilium conueniunt. Acacius, & eius sectatores, nulla alia conditione in consessum episcoporum venire volebant, nisi hi quos abdicauerant ipsi, & in iudicium adduxerant, inde prius exirent. Quod quidẽ factum est. Nam qui partes aduersarias tuebantur, hoc propterea concedebant, quòd suspicabantur Acacium hanc occasionem concilij dissoluendi captare, quòd tum hæresis Aetiana in disquisitionem hoc tempore neutiquam veniret, tum ipse eiusq; fautores iudicium de criminibus sibi obiectis effugerent. Vbi autem omnes præstò adfuere, Leonas dixit, se libellum habere sibi ab Acacianis traditum. Hic libellus non alius erat, quã formula fidei cũ proœmio quodam: quod quidem alios penitùs latebat. Nam Leonas, vt pote fautor Acacianæ factionis, dedita opera istud episcopos celauerat: vt primùm verò perlectus est hic libellus, concilium admodum tumultuari. Declarabat enim idẽ libellus, quamuis Imperator mandatũ dedisset, nihil ad fidem stabiliendam adducendũ præter sanctas literas: quosdam tamen episcopos, quorum alij erant variarum gentium sententijs abdicati, alij contra leges Ecclesiæ instituti, alias res adduxisse, sicq; concilium grauiter conturbasse: quinetiã quosdam ipsorũ contumelijs afficere, alios loqui prohibere cœpisse: deniq; affirmasse, se à fide Antiochiæ stabilita haudquaquam descituros, etiamsi illi qui ibi inquisitioni de fide tum susceptæ vnà aderant, istius formulæ authores fuissent. Porrò autẽ, quoniã voces hæ, Consubstantialis, & Substantia similis, etiam B num complurium animos perturbant, & nonnulli iam nouam vocem excogitare, & filium patri dissimilem dicere instituunt, idcirco voces Consubstantialis, & Substantia similis, reijciendas esse, vtpote à sacris literis alienas: reijciendam quoq; Dissimilis, atq; filium patri similem planè fatendum. Est enim, vt quodam in loco ait Paulus, imago inuisibilis Dei. Hæc quidem Acaciani in suo libello præfati, deinceps subiunxerunt fidei formulam, quæ neq; cõcilij Nicæni, neq; concilij Antiocheni decretis consensit: sed ita omnino fuit composita, vt nec Ariani, nec Acaciani quicquam delinquere viderentur, si suo ipsorum more credere pergerent. Nam verbis, pro quibus opinio Arij à concilio Nicæno reiecta erat, penitùs prætermissis, hisque vocibus silentio præteritis, nimirum Quòd filius quantum ad deitatem spectat, mutari non possit, quodque substantiæ, consilij, potentiæ & gloriæ patris expressa imago sit, vti in concilio Antiocheno dictum est: confitebantur se credere in patrem, filium, & Spiritum sanctum: nominibusq; communibus ad singulas personas significandas adiunctis vtebantur, quæ neque suæ, neq; contraria sentientium doctrinę repugnabant: & qui aliter credebant, ecclesia catholica alienos pronunciabant. Atque libellus à Leona adductus, hæc ferè complexus est: cui Acacius ipse & eius sectatores subscripserant. Quo quidẽ perlecto, Sophronius Paphlagon vociferatus, Si (inquit) in dies singulos propriã ac suam voluntatem exponere, sit idem ipsum quod fidei formulã edere, accurata veritatis cognitio nos planè deficiet. Ac cùm Acacius assereret, nihil obstare quo minus noua fidei formula ederetur: quandoquidem formula fidei in concilio Nicæno cõposita, etiam semel mutata fuerat: Eleusius, qui deinceps sæpius ei respondebat, At conciliũ iam (inquit) congregatum est, non vt discat ea quæ didicerit, neq; vt aliam fidem recipiat quàm quæ à concilio Antiocheno sit approbata: sed vt ei, siue viuat, siue mortẽ obeat, firmè adhæreat. Cùm igitur disceptatio hoc pacto progrederetur, ad alterã quæstionem delapsi sunt: rogaruntq; Acacianos, qua in re filium patri similem faterentur. A quibus cùm responsum esset, volũtate solum, non substantia similẽ esse: alij omnes Substantia similem asserebant: grauiterq; Acacium ob librum quem conscripserat, ediderat q;, quiq; satis declarabat, eũ antè in eadem cũ illis opinione fuisse, redarguebant. Vbi verò Acacius diceret, non de libris quenquam in crimen vocãdum, & disputatio ad maiorem contentionẽ prolaberetur: ad

Congressus secundus.

Syluanus Tarsi episc.

Acacij formula fidei.

Tertius congressus.

Acacij libellus concilium perturbat.

Sophronij Paphlagonis vox in diuersas fidei formulas.

Acacianorum impia sententia reprehensa.

Ad extremum Eleusius Cyzicenus, Vtrum (inquit) vel Basilius, vel Marcus seorsum res vllas transegerit, vel isti, vel Acaciani se de rebus vllis mutuò insimularit, nihil profectò concilij interest. Neque præterea, vtrum fidei formula ab ipsis edita rectè an secus se habeat, curiosè inquirere necesse esse: sed eam, quæ est à nonaginta septem veteribus patribus episcopis Antiochiæ stabilita, sequi oportere. Quod si quis aliam præterea introducat, eum cùm à pietate, tum ab ecclesia alienum esse. Vt verò omnes qui vnà aderãt, ista approbauerant, concilium dimissum est. Postero autem die Acacius & Georgius in vnum conuenire recusarunt. Quinetiam Leonas, qui planè iam ab eorum partibus stabat, vocatus ad concilium, non accessit. Atq; illi qui ad eum accersendum ibãt, Acacianos in eius ædibus offenderunt. Cumq; contenderent ab eo, orarentq; vt veniret ad concilium, dixit se nolle, propterea quòd cõcilium inter se dissideret: sibi autem ab Imperatore mandatũ esse, vt ea conditione cum illis præstò adesset, si modò in vnum coacti inter ipsos consentirent. Vbi verò tempus hoc pacto terebatur, reliqui episcopi qui Acacianos crebrò accersebãt, & Acaciani modò postulauerãt, vt certi episcopi ad ædes Leonæ conuenirent: modò affirmauerant sibi negocium ab Imperatore datum, vt de cæteris iudicarent, & neque eandem fidem confiteri, neque criminibus sibi obiectis respondere, neque disceptationi causæ Cyrilli, quem ipsi abdicauerant, interesse volebant, & non erat qui eos cogeret: cùm alios nonnullos, tum Georgium episcopum Alexandriæ, Acacium Cæsareæ episcopum, Vranium Tyri, Patrophilum Scythopolis, & Eudoxium episcopum Antiochiæ abdicant. Compluribus item alijs communione ecclesiæ vsq; eo interdicunt, quoad criminibus sibi illatis respondeant. Quæ autem in concilio gesta erant, ad cuiusque episcopi ecclesiam scribunt. Pro Eudoxio verò episcopũ Antiochiæ designant Auianum, presbyterum eiusdem cleri. Quem comprehensum Acaciani Leonæ & Lauritio tradunt. Hi eum à militibus tum custodiri iubent: postea autem addicunt exilio. Hunc exitum, vt complectar breui, habuit concilium Seleuciæ cõuocatum. Quòd si quis teneatur desiderio singula accuratè cognoscendi, ex commentarijs de his editis, quos notarij in ipso concilio conscripserunt, facilè perdiscet.

Eleusij Cyzicẽi sententia.

Concilij dissensio.

Episcopi alicuot abdicati.

Auianus pro Eudoxio episcopo exilio mulctatus.

De Acacio & Aetio: & quòd Imperator cum duorum conciliorum legatis, Ariminensis scilicet & Seleucensis, vt idem ambo sentirent, sedulò agebat. CAP. XXII.

B *Vide Nicephor. lib. 9 cap. 44. Vide Theodorit. lib. 2. ca. 27. 28.*

HIS rebus ita confectis, Acaciani maturè ad aulam Imperatoris contendũt: alij autem singuli domum reuertuntur. Decem verò qui ad Imperatorem proficiscantur, designati, sicut erat imperatum, communi omnium sententia designati, ibi decem illos quos concilium Ariminense itidem miserat, reperiunt. Reperiunt etiam Acacianos, qui quidem iam eos qui multum authoritate & gratia in aula poterant, ad suam sententiam perduxerant, eoq; pacto sibi Imperatoris conciliauerant beneuolentiam. Nam ferebatur, ex aulicis alios eiusdem fuisse cum ipsis opinionis, alios ecclesiæ opibus corruptos, alios orationis lenocinijs & persuadentis authoritate dignitateq; in fraudem inductos. Nam Acacius neutiquam videbatur vnus è multis, sed natura distertus tum ad intelligendum, tum ad dicendum, tum ad eas res, quas apud animum proposuerat, re ipsa perficiendas: quinetiã illustri præfuit ecclesiæ: & Eusebium cognomento Pamphilum, cuius episcopatum eo mortuo administrauit, præceptorem se habuisse iactauit: cuius etiam libros consecutus, opinione eorum alijs doctrina antecellere videri voluit. Qui cùm talis esset, facilius ea quæ instituebat confecit. Dum isti viginti episcopi ex vtroque concilio missi, verfabantur Constantinopoli, & alij nonnulli, qui ibi tum fortè aderant: primùm Honorato, quem Imperator, ab imperij partibus versus Occidentem solem positis non ita pridem reuersus, summum præfectum Constantinopolis designauerat, dabatur potestas, de causa Aetij, præsentibus magni consilij principibus cognoscendi. Postea verò, cùm Constantius ipse vnà cum magistratibus in eandem inquireret, deprehenditur Aetius malè & peruersè de fide sentire: adeò vt tum Imperator, tum alij, verbis eius, vtpote blasphemia refertis, grauiter commouerentur. Dicitur porrò, Acacianos prætexuisse, hanc suam hæresim ex ignoratione ortam esse: deditaque opera laborasse, vt Imperator & eius proceres de causa Aetij (eum enim oratione inexpugnabilem fore putabant) coràm disceptarent: qui si ab Aetio victi essent, futurum esse, vt auditores ipsa persuasionis vi & facultate necessariò caperentur, & ita sine vllo negocio hæresis illa prævaleseceret. Verùm vbi istud contrà quàm sperabant, euenit, formulam fidei Arimino deportatam protulisse: & qui à concilio Seleuciæ habito missi erant, censuisse, vt eam reciperent: affirmasse item, se à nomine Substantiæ nullo modo velle discedere:

Episcopi vtriusque concilij Constantinopolim missi.

Acacius præceptoris celebritate gloriatur.

Acacij eloquentia & existimatio.

Honoratus præfectus.

Aetij error et eloquentia inexpugnabilis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ac iureiurando adhibito asseueraſſe, ſe nunquã filium patri diſſimilem ſenſiſſe: paratos A denique eſſe, hæreſim illam prorſus reijcere. Cæterum cũ præter ipſorum opinionem episcopi Occidentis Arimini nomen Subſtantiæ prætermiſiſſent, tum conſtanter aſſeruiſſe, eiuſmodi formulam ſibi optatiſſimam eſſe. Nam ſi efficeretur vt nomen Subſtantiæ tacitum eſſet, tacitum quoque fore nomen Conſubſtantialis: quam ſcilicet episcopi Occidentis, propter reuerentiam aduerſus concilium Nicænum, plurimi faciebant. Porrò autem Imperator ad hanc formulam approbandam ideo induEctus eſt, quòd rationem duceret multitudinis episcoporum qui Arimini conuenerant: quodq; confitendo filium vel ſimilem patri, vel conſubſtantialem eſſe, nihil eſſet errati, nihilq; ſua (vt ſibi quidem videbatur) intereſſet, ſi nominibus quæ literæ ſacræ nõ norant, minimè vteretur: fatereturq; eandem ſignificationem ineſſe nomini Simili, quod quidem & par erat Conſubſtantiali, & omnis controuerſiæ expers. Itaque cùm in hac eſſet ſententia, dat mandatum episcopis, vt fidei formulæ in concilio Ariminenſi editæ conſentiant. Et quãuis ſe pararet poſtridie ad pompam, quæ more Romano, Calend. Ianuarijs in creandis conſulibus fieri ſolet, celebrandam, tamẽ totum illum diem & magnam partem noctis ſequentis conſumere decreuit, quoad episcopi, qui Seleucia illò venerant, formulæ fidei ex concilio Ariminenſi allatæ ſubſcriberent.

Imperator diſſidentes inter ſe epiſcopos cõponere ſtudet.

Quòd Acacius ac ſui, concilium Ariminenſe comprobarunt: & abdicatorum episcoporum recenſio, & crimina propter quæ amoti ſunt. CAPVT XXIII.

Maris & Vlphilæ epiſcopi.

ACaciani autem aliquandiu Conſtantinopoli cõmorati, accerſiuerunt episcopos ex Bithynia: in quibus erat Maris episcopus Chalcedonis, & Vlphilas Gothorum episcopus. Qui cũ eſſent ad numerum quinquaginta in vnũ coacti, formulam fidei Arimini perlectam ſtabiliuerunt: hoc quidem adiecto, vt in poſterum nemo eſſentiam in Deo, aut ſubſtantiam omnino nominaret: & alia quæq; formula, vel quæ facta eſſet, vel quæ poſtea fieret, hac ſola excepta, penitus reijceretur. His rebus geſtis, Aëtium diaconatu abdicant, propterea quòd non modò libros conſcripſerat plenos contentionis, & ad oſtentationem ſolum ſapientiæ cuiuſdam ab Eccleſiæ inſtituto prorſus diſcrepantis accommodatos: verùm etiam diſputationes blaſphemia refertas habuerat, & tumultus ac ſeditionis eccleſijs author extiterat. A nõnullis autem commemoratur, q̃ non ex animo, ſed quò opinione de ſe ab Imperatore concepta (accuſabantur enim Aetij doctrinæ fauere) ſe penitùs libera- B rent, iſtum abdicabant. quinetiam occaſione arrepta ex ira Imperatoris, qua contra Macedonium ob eas cauſas quas antè citauimus exardeſcebat, eum Eleuſium episcopum Cyzici, Baſilium episcopum Ancyræ, Eortaſium Sardenſium, & Dracontium Pergami episcopum, de gradu dimouent. Et quamuis de doctrina fidei ab iſtis diſſentirent, tamẽ in illis abdicandis non fidem inſimulabant: ſed communiter quidem omnes criminabantur, quòd eccleſias conturbarant, & decreta eccleſiaſtica violauerant. Priuatim autem ſingulis ſingula obiectabant crimina: Baſilio, quòd Diogeni preſbytero Alexandria Ancyram aduentanti, chartas abſtuliſſet, eumq; verberaſſet: quinetiam, quòd mandaſſet magiſtratibus, vt clericos Antiochiæ, vt Cilices, etiam Galatas, & Aſianos propter fluuium Euphratem accolentes, indicta cauſa exilio & alijs ſuppliciorum generibus mulctarent. Vnde factum eſt, vt tum conijcerentur in vincula: tum præterea in milites, qui eos abducebant, bona ſua, ne qua ipſos afficerent contumelia, conſumerent. Eum porrò accuſabant q̃ cũ Imperator iuſſiſſet Aetium & quoſdam eius fautores Cecropium vſque abduci, quò criminibus ipſis illatis reſponderent, perſuaſiſſet ei, cui hãc rem mandaſſet Imperator, vt quæ ipſi placerent, ea exequeretur. Itemque, quòd Hermogeni præfecto & principi Syriæ per literas ſignificaſſet, tum quínam, tum quem in locũ eſſent relegandi: quod etiam cùm Imperator hos ab exilio reuocaret, eos redire nõ permiſiſſet: ſed tum principibus, tum ſacerdotibus reſtitiſſet. adiungebant præterea, quòd clericos Sirmijad ſeditionem contra Germanium conflandam incitaſſet: & per literas eos apud episcopos Africæ inſimulaſſet, quòd cũ eo, Vrſacio & Valente communicarant. His accedit, quòd in crimen adductus, crimen negaſſet, deq; eo peieraſſet: & perſpicuè deprehenſus, periurium per cauillationem eludere conatus eſſet: & non Illyricis modò, Italis & Afris, diſcordiæ & ſeditionis, verùm etiam calamitatum quæ in eccleſia Romana accidiſſent, author & cauſa fuiſſet. Adhæc, quòd cùm ancil lam in vincula conijciendam curaſſet, eam falſum teſtimonium contra heram dicere coëgiſſet. Adde his, quòd virum, qui turpem vitam & flagitioſam degebat, & non, vt lex poſtulat matrimonij, cum muliere rem habebat, tum ſancto baptiſmatis tinxiſſet lauacro, tum miniſterio diuino præfeciſſet: quodq; circulatorem, qui eçdem patrarat, non ab eccleſia ſegre-

Vide Nicephor. cap. 45. lib. 9. Theodori. lib. 2. ca. 27.

Ariminenſis fidei formula recepta.

Aetij abdicatio.

Alij etiam epiſcopi ſede moti ab Acacianis.

Baſilio Ancyræ epiſc. obiecta crimina.

A ſia ſegregaſſet. Poſtremò, quòd ad ſacram menſam cõiurationes feciſſet, & tum iureiurando ipſe ſe obſtrinxiſſet, tum clericos ad iurandum quoque impuliſſet, vt ſe mutuò non accuſarent: & quòd hoc callidè excogitaſſet ille ipſe, qui clero præerat, quò accuſatorum criminationes effugeret. Atque hæc quidem ſunt crimina, vt comprehendam breui, pro quibus Baſilius abdicatus fuit. Euſtathius autem accuſabatur, primùm quòd cùm eſſet preſbyter, à patre Eulalio episcopo Cæſareæ Cappadociæ condemnatus fuiſſet, & à precum communione ſeparatus. Deinde quòd Neocæſareæ, quod eſt oppidum Ponti, à concilio communione Eccleſiæ interdictus: & ab Euſebio episcopo Conſtantinopolitano, propterea quòd quarundam rerum malè adminiſtratarum, quas habebat ſibi cõmiſſas, condẽnatus fuerat, abdicatus. Tum, quòd à concilio Gangrenſi propterea episcopatus gradu deiectus erat, quòd contrà quàm debuerat, docuiſſet, feciſſet, ſenſiſſet: quòd etiam in concilio Antiocheno periurij conuictus eſſet: quodq; decreta concilij Melitinæ coacti euertere aggreſſus fuiſſet, & cũ multis criminibus teneretur implicatus, iudicis partes ſuſcipere, & eos qui alterius erant opinionis, incuſare non dubitaſſet. Eleuſium verò abdicabant, quòd Heraclium quẽdam genere Tyrium, ſacerdotem Herculis, qui ibi colebatur, præſtigiarum magicarum inſimulatum (qui, cùm de ipſo eſſet habenda quæſtio, ſe ea de re fugæ mandauerat, ætatemq; degebat Cyzici) inconſideratè diaconũ, quòd ſe ſimularet fidem Chriſti amplecti, deſignarat: & cũ poſtea intelexiſſet eum talem eſſe, non ab eccleſia ſegregaſſet. Denique quòd viros ab eccleſia condemnatos, qui Cyzicum venerant (qualis fuit Maris, episcopus Chalcedonis, qui huic cõcilio intererat) temerè & ſine iudicio miniſtros Eccleſiæ inſtituiſſet. Eortaſium gradu mouebant, quòd ſine conſenſu & approbatione epiſcoporum Lydiæ, Sardenſis creatus †Vide annot. pag. 58. lat. 2. lin. 29. fuiſſet episcopus. Dracontio denique Pergami adimebant episcopatum, quòd primùm in Galatia, deinde Pergami episcopus cõtra leges eccleſiæ conſtitutus eſſet. † His confectis rebus, denuo in vnum coacti, abdicant Siluanum episcopum Tarſi, Sophroniũ Pompeiopolis, quæ eſt vrbs Paphlagoniæ, epiſcopum: Elpidiũ Satalorum, & Neonem Seleuciæ vrbis Iſauriæ epiſcopum. Abdicant autẽ Siluanum, quòd non modò alijs tum Seleuciæ, tum Conſtantinopoli, contumaciæ author extitiſſet: verũ etiam Theophilum antè ab episcopis Palæſtinæ, epiſcopum Eleutheropolis ordinatum, & contra voluntatem iureiurando aſtrictum, ſe non alium episcopatum ſuſcepturum, Eccleſiæ Caſtabalenſis antiſtitem præfeciſſet. Abdicant Sophronium, quòd eccleſiam rebus ei oblatis defraudaſſet, easq̃ ad ſuum quæſtum vendidiſſet: quinetiam quod ſemel atque iterũ ad concilium vocatus, vix, aut ne vix quidẽ acceſſiſſet: quippe qui induxiſſet animum, criminibus ſibi intentatis apud ipſos minimè reſpondere, ſed exteros iudices ad ſuam cauſam cognoſcendam deligere. Abdicant Neonem, quòd dediſſet operam, vt priuatim in ſua eccleſia Anianis crearetur, Antiochiæ episcopus: quodq̃ nonnullos Sacrarum literarum legumq̃ eccleſiæ ignaros, & vitam inconſideratè diſſoluteq; inſtituentes, episcopos deſignaſſet: qui quidem poſtea poſſeſſionem pecuniæ ſacerdotij adminiſtrationi anteponebant, & ſcriptis planè teſtabantur, ſe malle cum opibus vllo eccleſiaſtico miniſterio fungi, quàm ſine illis episcopatum gerere. Deniq; Elpidium abdicant, primùm quòd ſe ſocium Baſilio, quo tumultus cieretur, adiunxiſſet, & author extitiſſet ſeditionis: deinde quòd Euſebium gradu dimotum, contra decreta concilij Melitinenſis ad dignitatem preſbyterij reſtituiſſet: poſtremò, quòd Nectarium quendam, cui †Vide ibidem pag. 59. lat. 1. lin. 15. propter pactum & iuſiurandum violatum eccleſiæ communione interdictum eſſet, miniſterio eccleſiæ præfeciſſet, idq̃ cùm per leges eccleſiæ ei nullam † dignitatem eccleſiaſticam deferre liceret.

Eleuſius eum abdicatus.

Eortaſius eum gradu ſuo motus.

Item Dracontius, Siluanus.

Sophronius.

Neo.

Elpidius abdicatus.

Cur Cyrillus Hieroſolymitanus epiſcopus abdicatus ſit, & mutuæ epiſcoporum tunc temporis diſſenſiones, & quòd Meletius ab Arianis ordinatus ad Sebaſtiæ epiſcopatum, pulſo Euſtathio euectus eſt. CAP. XXIIII.

Vide Nicephor. lib. 9. cap. 46. Theodori. lib. 2. ca. 31.

PRorsùs vnà cum iſtis Cyrillus episcopus Hieroſolymitanus abdicatur, propterea quòd cũ Euſtathio & Elpidio, qui concilio Melitinenſi (cui etiam ipſe interfuiſſet) obnixè aduerſabantur, cõmunicaſſet, quodq; poſt abdicationem in Palæſtina factam, veniret cũ Baſilio & Georgio episcopo Laodiceæ in communionem: atque quòd cùm episcopus Hieroſolymorum conſtitutus eſſet, velut ſedis iam Apoſtolicæ antiſtes, cum Acacio episcopo Cæſareæ de iure Metropolitano diſſẽſiſſet. Vnde factum eſt, vt inimicitias inter ſe ſuſciperent, & alter alterum, vtpote nõ verè ſincereq; de Deo ſentientem, criminaretur. Etenim vterque antè in ſuſpicionem venerat: alter, quòd doctrinæ Arij faueret: alter, Cyrillus ſcilicet, quòd eos qui filium patri conſubſtantialem

Cyrilli abdicatio & falſo ei obiecta crimina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ecclesiæ bona à Cyrillo vendita pro subleuandis pauperibus.

assererent, sequèretur. Itaque Acacius, cùm hoc animo esset, reliquis episcopis eius gen. A tis, eiusque opinionis fautoribus in vnum conuocatis, ipse prius Cyrillum tali de causa abdicat. Cùm fames agrum Hierosolymitanum occuparet, multitudo rebus ad victum necessarijs destituta, ad Cyrillum, vtpote episcopum, opis implorandæ causa confugit. Cui cùm pecuniæ ad eam subleuandam non suppeterent, thesaurum ecclesiæ & sacra aulæa vendidit. Qua re confecta, fama est quendam animaduertisse mulierem scenicam monumento precioso, quod ipse Ecclesiæ donauerat, amictam esse: curiosè ab ea quæsiuisse, vnde illud haberet? comperisse, mercatorem ei vendidisse, mercatori autem episcopum. Acacium verò, hac causa allata, Cyrillum abdicasse. Quam rem ita se habere, auditione equidem accepi. Episcopos autem, quos abdicatos esse suprà demõstrauimus, Acaciani Constantinopoli expulerunt. Alijs verò, qui vnà cum illis adhuc erant, ad decem numero, qui abdicationi istorum episcoporum subscribere nolebant, mandatum dederunt, vt separatim ab alijs ad tempus ætatem degerent, & neq; diuino fungerentur ministerio, neque ecclesias vsq; eò administrarent, quoad abdicationi illi subscriberent. Quod si non intra sex menses resipiscerent, & omnibus huius concilij decretis actisq; assentirentur, futurum esse, vt illi quoq; abdicarentur: & episcopi cuiusque gentis iu vnum conuenientes, alios in eorum loca sufficerent. Vbi verò hæres ab illis non deliberatæ solùm, verùm etiam re ipsa perfectæ sunt, scribunt ad omnes omnium gentium episcopos, clericosq;, vt has obseruent, atq; adeò exequantur. Non multò verò pòst, ab Eudoxianis alij in aliorum loca substituti sunt. Nam Eudoxius ipsum in locum Macedonij, Athanasius in locum Basilij, & Eunomius (qui author postea fuit hæresis cuiusdam suo nomine appellatæ) in locum Eleusij surrogatus est. Denique pro Eustathio Meletius ecclesiæ Sebastiæ constituitur episcopus.

Episcopi orthodoxi ab Acacianis pulsi.

Alij in pulsorum locũ suffecti.

Macedonij episcopi Constantinopolitani mors, & quid inter docendum dixerit Eudoxius: & quòd Eudoxius & Acacius summopere contendebant, vt tum Nicænam, tum Ariminensem fidem è medio tollerent, & quantus hinc tumultus ecclesijs euenerit.

CAPVT XXV.

Macedonij abdicati mors. Eudoxius succedit anno 364.

MAcedonius verò ecclesiæ Constãtinopolitanæ episcopatu abdicatus, quodã in loco circa portas vrbis reliquum tempus ætatis degit, ibiq; mortem oppetit. Eudoxius aũt illius Ecclesiæ capessit gubernacula. Ad decimum verò consulatũ Constantij, Iuliani verò Cæsaris tertium, primo tempore quo conuentus in dedicatione magnæ illius ecclesiæ, quã Sapientiæ nomine nuncupant, agebantur, fertur, Eudoxium conscenso episcopi solio, quòd populum doceret, in ipso concionis exordio dixisse: Patrem impium esse, filium autem pium. Quo dicto cũ populus tumultuari inciperet, Conquiescite, inquit, Patrem impium dico, quia neminem colit: filium verò pium, quia patrem colit. Quod cùm dixisset, risus auditoribus excitatus est. Est porrò ab isto & Acacio communi consensu maximè laboratum, vt omnes in obliuionem decretorum concilij Nicæni adducerentur: quinetiam formulam fidei Arimini perlectam, cum appendiculis, quas ipsi, quasi eam meliorem effecturi, adiecissent, passim in vniuersum imperium miserunt: iusseruntque, idq; de Imperatoris mandato, omnes qui ei subscribere recusarẽt, exilio mulctari. Nam ferunt hoc studium ab illis susceptum esse, quòd putabant facilè se ac sine negocio conatum suum ad exitum perducturos. Quod quidem calamitatum initium erat planè maximarum. Siquidem perturbatio non dissimilis his quas commemorauimus, per totum imperium peruasit: itemque persecutio par ferè illis, quas Gentiles Imperatores iam olim excitauerant, omnes omnium ecclesias occupauit. Nam licet quibusdam, quantum ad cruciatus corporis attinebat, remissior videretur: prudentibus tamen, propter dedecus, multo reuerà acerbior. Nam vtrique, & qui persecutionem ciebant, & qui erant eadem afflictati, de ecclesia fuerunt. Itaque eo turpior clades erat, quòd quæ hostes facere solent, eadem in tribules facta sunt. Atqui sacra lex vetat, tales nos ostendere etiam aduersus exteros & peregrinos.

Eudoxij absurda cõcio.

Nicænã et Ariminensem fidem è medio tollere conati Acacius et Eudoxius.

Persecutio Christianorũ in Christianos, acerbior quã Ethnicorum in Christianos.

Quòd postquam ab episcopatu excidérat Macedonius, contra Spiritum sanctum linguam exacuit: & quod Marathonius cum alijs, eius hæresim auxit. CAP. XXVI.

ISta quidem nouitas à multis approbata, indies magis magisque creuit, & ad aliarũ rerum nouandarum studium serpsit. Atque arrogantia elata, patria & auita instituta cœpit contẽnere, leges proprias ac suas cõdere. Eadem enim cũ veteribus de Deo sentire noluit: sed peregrina dogmata excogitãs, non cessauit noua nouis sedulò accumulare: quẽadmodũ etiam hoc tẽpore accidit. Nã simul vt Macedonius episcopatu ecclesiæ Constantino-

Vide Nicephor. li. 9. cap. 46. 47. Vide Theodorit. lib. 2. ca. 27. 28.

A Constantinopolitanæ abdicatus fuit, deinceps ab Acacio & Eudoxio opinione dissentire cœpit. Siquidem filium Deum esse, & cum alijs rebus omnibus, tum substantia patri similem asseruit. At Spiritum sanctum non eiusdem cum patre ac filio honoris participem esse docuit, sed ministrum eum & famulum vocauit: eademq; de illo quæ de angelis verè dici possint, disseruit. In cuius opinionis cum eo societatem venere Eleusius & Eustathius, & quotquot eo tempore ab illis qui contrariam sectam sequebantur, abdicati fuerant: quorum quidem doctrinæ non exigua populi multitudo, tum Constantinopoli, tum in Bithynia, Thracia, Hellesponto, tum denique in alijs nationibus finitimis paruit. Etenim vitam, cui populus maximè solet animum attendere, non malè instituebãt. Nam incessus grauis illis, & viuendi ratio similis monachorum fuit: oratio non indiserta, indoles ad persuadendum apta, qualem etiam eo tempore Marathonium fuisse tradunt: qui cùm quæstor publicus esset militum præfectis inseruientium, multas collegit diuitias: & vt primùm militiam deseruit, ad conuentus ægrorum & pauperum cura ac studio subleuandos se totum contulit. Postea verò suasu Eustathij episcopi Sebastiæ vitam monasticam amplexatus est, & conuentum monachorum Constantinopoli coegit, qui etiam ad hoc tempus successionis serie continuatus manet. Hanc hæresim partim studio, partim pecunia adeò auxit Marathonius, vti nõ sine causa, vt mihi quidem videtur, Macedoniani à nonnullis Marathoniani vocarentur. Nam solus iste cum collegis suis monachis causa extitit, quò minus hæc hæresis Constantinopoli penitùs extincta esset. Etenim ex eo tempore quo Macedonius abdicatus erat, ad imperium vsque Arcadij, Macedoniani neque ecclesiam neque episcopos habebant. Nam illud minimè ab Arianis permissum est, qui omnes secum doctrina & opinione dissentientes ecclesijs eiecere, grauibusque affecere supplicijs. Itaque perdifficile esset omnes episcopos & sacerdotes, qui tum è suis ciuitatibus pulsi erant, enumerare. Nulla enim gens Romano subiecta imperio ab hac calamitate, credo, vacua libera quefuit.

Macedonius ab Acacio & Eudoxio dissentit: eiusque hæresis. Eleusius & Eustathius Macedonij sectatores.

Marathonius à quo Marathonitæ dicti qui fuerant Macedoniani à Macedonio.

Macedoniani ecclesiam habere ab Arianis prohibiti.

Quòd Ariani, cùm suæ opinionis esse diuinum Meletium existimassent, Sebastia accersitum ecclesiæ Antiochenæ præficiunt. Sed vbi ille orthodoxum esse se indicauisset, pudore suffusi, moto eo, Euzoium in eius locum substituunt. Meletius autem, cùm illum auersarentur qui Consubstantiale propugnabant, eo quòd ab Arianis ordinatus erat, seorsum conuentus agebat. CAP. XXVII.

B

EOdem tempore, Eudoxio ecclesiam Constantinopolitanam gubernante, multi sedem Antiochenam magno studio ambire cœperunt & contentiones ac seditiones variæ (quod credibile erat in rebus eiusmodi euenire) tum in clero, tũ in populo fortè ortæ sunt. Nam singli eum, quem sperabant secum fide consensurum, ad ecclesiam regendam delegerunt. Nondum enim desierant de doctrina fidei dissidere, neq; adhuc in Psalmorum hymnorumque cantu consenserant: sed quod canebatur singuli ad suam opinionem, vt antè dictum est, accommodabant. Cùm igitur hic esset Antiochenæ status ecclesiæ, percommodum visum est Eudoxianis, Meletium Sebastia Antiochiã transferre, virum tum ad dicendum, tum ad persuadẽdum valde idoneum: ipsa quoq; vitæ ratione spectatum, & cum ipsis iam antè etiam opinione coniunctum. Nam fama & existimatione eius futurum putabant, vt non modò incolas Antiochiæ, verùm etiam vrbes finitimas, & maximè olim Eustathianos, qui ita de Deo, sicut concilium Nicænum tradiderat, sentiebant, omnino ad suam sectam attracturos. Sed longè ipsos sua fefellit opinio. Nam vt venit Antiochiam, dicitur magnam populi multitudinem tum Arianorum, tum cõmunionis Paulini in vnum conuenisse, partim quòd eum, de quo tam celebris fama ante eius aduentum eò permanauerat, oculis viderent: partim quòd, quid dicturus, & quibus partibus esset suffragaturus, intelligerent. Etenim fama iam illò peruaserat, eum doctrinæ concilij Nicæni approbatorem esse. Quod quidem euentus rei planè declarauit. Nam tametsi principiò eo genere concionum, quod ad mores informandos pertinet, publicè vtebatur, ad extremum tamen filium eiusdẽ cum patre substantiæ esse palàm asseruit. Dicitur porrò, archidiaconum illius cleri, dũ adhuc concionaretur, ad eum accurrisse, & manu admota, eius os obturasse: eum autem manu multò euidentius, quàm voce, sentẽtiam suam populo indicasse. Nã primùm tres tantum digitos palàm, vt omnes viderent extendisse: deinde eosdem rursus compressisse, vno solo porrecto. Qua quidem manus suæ figura, tanquam effigie quadam populo expressit, tum quæ sentiret, tum quę dicere instituisset. Cùm autem hic conatus archidiaconum frustratus esset, & ore dimisso manum Meletij prehendisset, Meletius, cũ linguam haberet liberã, clariore voce & oratione planiore suã declarauit opi-

Quæ spe Meletius Sebastia Antiochiam translatus ab Arianis.

Meletij orthodoxa concio, etiam digitis expressa.

Vide Nicephor. li. 9. cap. 48. Theodorit. lib. 2. ca. 31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nionem,populumq́; cohortatus est decretis concilij Nicæni adhærescere: ingenueq́; apud auditores testificatus,eos qui aliter sentirent,à veritate penitùs aberrare. Vbi verò non intermisit eadem ipsa quantũ poterat aduersus archidiaconũ, ipsum impedire conantem,modò ore efferre,modò manu vicissim demõstrare, & in vtraque re enixè prę-
Meletio eccle- standa homini in omni genere certaminis exercitato se similem præbere: Eustathiani
sia pulso suffe- exclamare,gestire,& præ gaudio tripudiare: Ariani aũt animos demittere cœperunt.
ctus Euzoius. Qua re audita, Eudoxiani grauiter succensere, sedulò operam dare, vt Meletius vrbe il-
la pellatur. Eũ denuò accersere ad se,quò pœnitentia adductus, tum opinionem muta-
ret,tum ea quæ dixerat,corrigeret. At cũ de sententia minimè desisteret, Imperatoris
mandato & exturbatus ecclesia est,& in exilium eiectus. Quo facto,sedes ecclesiæ An-
tiochenæ Euzoio delata est:qui quidem iam antea simul cũ Ario abdicatus fuerat. Me-
letij aũt fautores,se ab Arianis segregantes,conuentus separatim egerunt. Nam qui ab
initio filium patri consubstantialem asseuerabant, hi cũ illis communicare propterea
detrectarunt,tum q́ Meletius ab episcopis Arianis creatus fuerat episcopus: tum quòd
hi qui eum sequebantur,à sacerdotibus quoque Arianis baptizati. Atque isti quidem,
licet doctrina fidei consentientes,ob hanc causam diuisi sunt. Imperator autem,simul
vt accepit Persas res nouas moliri,venit Antiochiam.

Quòd Acacius, & residui sectæ eius homines, haudquaquam conquieuerunt: sed & Consubstantiale subuertere,& Arij hæresim statuere laborarunt. CAPVT XXVIII.

Vide Nice- ACaciani verò adhuc quiescere non poterant: sed Antiochiæ rursus in vnum cum
phor. lib. paucis quibusdam congregati,decreta,quæ ipsi sanciuerunt,insimulabant:statue-
9.cap.49.
Acacianorũ bantq́ue nomen SIMILE, ex formula fidei Arimini & Constantinopoli perlecta ex-
hæresis. i mendum esse:& filium patri tum substantia,tum voluntate dissimilem esse, & ex
Aetiana hære- nihilo ortum,sicut Ario iam ab initio placuerat, docebant. Quibus fuêre subsidio se-
sis. ctatores Aëtij,qui primus post Arium his nominibus palàm ausus est vti. vnde factum
Aetius ἄθεος est,vt tum ipse ἄθεος,id est, auersus à Deo,tum eius doctrinæ approbatores Anomiani,&
dictus,eius au- Exucontij: id est, filium patri dissimilem,& ex nihilo ortum statuentes. Ac cũ fauto-
tem assecle res decretorum concilij Niceni scisciterentur ab illis,quemadmodum,cùm filiũ Deum
Anomiani. de Deo confiterentur,cum dissimilem patri,ex nihilo ortum,idque contra suam ipso-
Exucontiani. rum fidei formulam,asserere auderent:respondebant,Paulum Apostolum dixisse, O-
Roman.11. mnia ex Deo esse:& filium in hac voce, OMNIA, includi: hacque ratione scriptum à se B
propositum,in quo fidem secundum diuinas Scripturas exposuerant, intelligendum
esse. Atque istud quidem hoc modo inuertere,captioseque eludere conati sunt. Ad ex-
tremum,cùm non possent his qui eos accusarent,arguerentque,satis plenè respondere:
lecta denuò fidei formula Constantinopoli approbata,decedunt,& ad suas ipsorum ci-
uitates reuertuntur.

De Georgio Alexandrino episcopo,& Hierosolymorum archiepiscopis: & quòd post Cyrillum,cùm episcopi tres illic præfuissent,talem Cyrillus in Hierosolymorum sedem denuò reuersus sit. CAPVT XXIX.

Vide Nice- EOdem tempore,Athanasio adhuc in occulto latitante, Georgius Alexandriam re-
phor.li.9. uersus,cùm Gentiles,tum Christianos,qui opinione ab ipso discrepabant, grauibus
cap.49.
Georgij Ale- affecit incommodis. vtrosque ad suam religionem per vim traducere conatus est: & si
xandrini episco qui renuerent,eos acerbè exagitauit.Habebatur odio tum à viris principibus,propterea
pi rabies in quòd ipsos contemnere,& magistratibus imperare: tum etiam plebi, quòd tyranni par-
catholicos & tes agere,& omnes potentia superare visus est. Sed maximè omnium Gentilibus inui-
Gentiles. sus erat,& quòd immolare idolis ipsos,& quòd dies festos patrios agere prohibuerat: &
quòd militibus ac duce Aegypti cum armis in vrbem introductis, statuas,monimenta,
& omnia fanorum ornamenta abstulerat. Quæ res causa extitit, cur sit postea interfe-
ctus,vti mox dicam. Porrò Cyrillo abdicato,vt diximus, ecclesiæ Hierosolymita-
Herennius Cy- næ episcopatum capessit Herennius: cui successit Heraclius: ei autem de-
rilli successor, inceps Hilarius. Nam hos eo tempore illam rexisse ecclesiam,ad im-
ité Heraclius, perium vsque Theodosij,accepimus:cuius temporibus,Cyril-
& Hilarius. lus ad eam dignitatis sedem reuertit.

QVARTI LIBRI FINIS.

HERMIAE

A *Constãtio defuncto succedit Iulianus, anno Christi 366.*

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII ECCLESIASTICÆ HISTORIÆ LIBER QVINTVS.

Hic liber quintus vnà cum primis duobus capitibus libri sexti continet acta sub Iuliano Apostata anno vno & septem mensibus: Referigitur huc authores ipsos,quos supra adnotauimus ad Socratis li.3.

De Iuliani præuaricatoris defectione, & morte Imperatoris Constantij. CAP. I.

Vide Nice- DVM in ecclesia versus Orientem hæres hoc modo gestæ sunt, Iulia-
phor.lib.9. nus Cæsar, Barbaris, qui prope Rhenum incolunt, prælio deuictis,
cap.30. multos eorũ interfecit, alios viuos cœpit. Qui cùm id temporis per-
Item li.10.c.1. illustris videretur,& propter modestiam & suauitatem morum mi-
Theodori. litibus admodum charus esset,ab illis Augustus declaratus est. Atque *Iulianus Imp. declaratus.*
lib.3.ca p.1. nulla,vt est verisimile,de hac re excusatione purgationéue apud Cõ-
Socrat.li.2. stantium vsus, magistratus ab eo constitutos mutauit:literasq́ue il- *Iuliani à vera*
cap.37. lius,quibus Barbaros Romam ad bellum contra Magnentium gerendum vocauerat, *fide defectio.*
dedita opera eis ostendit. Porrò autem, cùm iam antea fidem Christianam professus
fuisset,subitò mutata religione,se pontificem nominauit: Gentilium delubra adire,
immolare simulachris,suos subditos ad id genus religionis impellere cœpit. Atque cũ
à Persis in Romanos irruptionem factum iri expectaretur, & Constantius ob hanc cau-
sam commoraretur in Syria,iste ratus se sine vllo prælio facto Illyrios in suam pote-
statem redacturum,iter ad eos capessit: causam simulat suæ profectionis,quòd rectà ad
Constantium sui purgandi causa iret, ne scilicet videretur sua sponte contra eius vo-
luntatem imperij insignia à militibus suscepisse. Fertur autem,cùm primùm fines Illy- *Ad Iuliani in*
rij ingrederetur,vites post vindemiam circiter Vergiliarum occasum vuis acerbis mini- *Illyrium aduẽ*
meque maturis onustas visas esse:rorem que tum in eius,tum in comitum suorum ve- *tum prodigia.*
stes ex aëre delapsum,singulis guttis signum crucis in eas impressisse. Quæ res cùm visæ
fuissent,non ipse solum,verùm etiam alij,qui cum comitabantur, vuas haud maturas
intempestiuè apparentes,aliquid boni portendere:rorem autem demissum,vestẽ cuius-
B que,in quam fortè cadebat,tali nota casu ac fortuitò signasse existimarunt. At verò ab *Ostentorũ in-*
alijs dicebatur,ostentorum alterum significare, Imperatorem immaturo ætatis suæ tẽ- *terpretatio du-*
pore, non aliter atque vuas immaturas periturum, & imperium eius ad exiguum tem- *plex.*
pus duraturum:alterum indicare,religionem Christianam cælestem esse, & omnes fi-
gura crucis signari oportere. Quæ coniecturæ fuêre eorum, qui doctrina & religione
ab Imperatore dissentiebant:neque certè,vt videtur,à veritate aberrauêre. nam tempo-
ris progressio vtrunque verè dictum esse demonstrauit. Vbi verò Constantius in ani-
mum induxerat,contra Iulianum bellum gerere, relicta expeditione aduersus Persas
instituta,properè Constantinopolim contendit. Quo quidem in itinere ad fontes Mo- *Constantij*
psi inter Cilices & Cappadoces,qui prope Taurum incolunt, mortem obijt: annos na- *mors.*
tus circiter quadraginta quinque,quorũ viginti vnà cum patre,viginti autẽ alios,& præ-
terea quinque post patris mortẽ imperauit.Quo mortuo,Iulianus iã Thraciã obtinuit:
non diu pòst Constantinopolim profectus, Imperator declaratus est. Gentiles autem *Iulianus Imp.*
rumorem dissipabant,eum à vatibus ac dæmonibus,qui mortem Constantij, & rerum *declaratus.*
commutationem illi præsignificabant, antequam è Gallia discederet,fuisse ad hanc ex-
peditionem suscipiendam excitatum. Sanè fuisset probabile,istarum rerum scientiam
Prænotionem vocasse,nisi ipsum,qui imperij iam dulcedinem velut in somnio solum
degustasset,quamprimùm vitæ exitus occupasset.Nam stultũ arbitror affirmare, quòd
is cùm naturalem Constantij mortem, & suam ipsius cædem à Persis faciendam præui-
disset,se sua voluntate morti ante oculos propositæ obijceret: quæ quidem mors ei a-
pud vulgus hominum nihil aliud conciliaret, quàm notam insciticæ, & rei militaris i-
gnorationis opinionem:populo autem Romano tantum apportaret periculi,vt
†Vide an- parum abesset quin aut totum,aut maxima eius pars in discrimen addu-
not.pag. ceretur,in ditionem ac potestatem Persarum veniendi. Atque ista
61.lat.2. quidem,ne prætermissa viderentur,† sunt ad hunc modum
lin.6. à nobis commemorata: de quibus, vt quis-
que volet, ita existimet.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De educatione, & viuendi consuetudine Iuliani, & de eiusdem ad imperium accessione. A

CAPVT II.

Christianorũ anxietas ob executionẽ impendentis persecutionis.

MOrtuo verò Constantio, grauis persecutionis terror Ecclesiæ iniectus est: atque partim tempus diuturnum interiectum, quo eiusmodi periculorum fuerant insueti: partim veterum cruciamentorum recordatio, partim imperatoris in religionem Christianam odium effecit, vt Christiani acerbius in expectanda persecutione affligerentur, quàm in eadem perferenda. Nam fertur, Iulianum statim ab initio imperij sui, omni exuto pudore, adeò apertè fidem in Christum denegasse, vt hostijs, dæmonum inuocationibus, quas Gentiles ἀποτροπαίους, id est, propulsatrices malorum vocant, & sanguine victimarum mactatarum lauacrum baptismatis, quo nos expiari solemus, deleuisse, initiationem ecclesiæ abiecisse: & ex eo tempore tempus ætatis priuatim & publicè in animalium incisionibus, in victimis & alijs nefandis ritibus peragendis, quos Gentilium mos fert, contriuisse. Atque fama est, quodam tempore ei viscera animalis inspectanti, signum crucis in eisdem apparuisse corona circundatum, & nonnullos, qui eius diuinationis erant participes, in metum coniectos esse: quippe qui inde conijcerent, religionem Christianam deinceps vires acquisituram, & doctrinam Christi perpetuò duraturam. Coronam enim crucis signo circumiectam, tum victoriæ indicium esse, tum æternitatis: propterea quòd in rotundum ambitum ducta, omni ex parte initium habet, & in seipsa desinit. At principem artis diuinandi, Imperatorem bono animo esse iussisse. nam victimas mactatas res prosperas illi, & ex animi sententia fluentes portendere: quippe cùm notam religionis Christianæ circuncludere, & in vnum coarctare viderentur, ne latius propagetur, néue liberè quò velit peruadat, præsertim cum circulo velut termino quodam circumscribatur. Nunciatũ est mihi præterea, quòd cùm fortè in adyta quædam celeberrima, eaq; terribilia maximè, seu mysterij cuiusdam obeundi, seu oraculi consulendi causa descendisset, & spectra, quæ machinationibus quibusdam vatum, & magicis præstigijs apparere consueuerant, ei ex improuiso obiecta essent, præ terrore ac metu earum rerum quæ agebantur, oblitus (nam ætate paulò prouectiore ad hanc disciplinam se transtulerat) consueto more, quo, cùm esset Christianus, & in grauibus periculis constitutus, vti solebat, se ipsum signo Christi consignauit: quo facto, spectra è vestigio euanuerunt, & conatus vatis impeditus est. At princeps sacrorum qui de hac re itidem hæreret, simul vt intellexit causam cur dæmones fugissent, factum Iuliani scelus appellauit: iussitque, tum vt animo excelso esset ac virili, tum vt postea nihil quod ad Christianorum professionem spectaret, vel faceret, vel cogitaret. Qua re confecta, eum denuò ad mysteria peragenda deduxit. Itaque Christianis ex studio Imperatoris in his rebus posito, vt dolor non mediocris, ita metus longè grauissimus incussus est: & maximè omnium quòd antea Christianus extitisset. Nam ex pijs & religiosis parentibus ortus, & ab ineunte ætate, vt ritus ecclesiæ postulat, initiatus, sanctas literas didicit, & in eisdem ab episcopis & alijs viris ecclesiasticis educatus fuit. Siquidem pater ei, & Gallo etiam, fuit Constantius, germanus frater Constantini Imperatoris & Dalmatij: cuius filius eodem nomine appellatus, qui Cæsar declaratus fuerat, à militibus post mortem Constantini interfectus est. Quare Iulianus & Gallus patre orbati, etiam cum Dalmatio in periculum necis incederunt. Verùm Gallum morbus, quo forte vexabatur, insidijs eripuit, propterea quòd quàm primùm morte naturali occasurum expectaretur. Iulianum autem ætas tenera liberauit: quippe qui octauum ætatis suæ annum nondum confecisset. Quibus ita præter omnium opinionem conseruatis dabatur mandatum, vt ætatem degerent in Macello: qui est locus planè regius, ad Argeum montem, non longè à Cæsarea situs: in quo est magnificum palatium, balnea, horti, & fontes perennes. Ibi igitur & cultu & educatione digna principibus dignati sunt: ibi disciplinis & exercitationibus illi ætati accommodatis instructi: ibi denique ab artis dicendi magistris, & à sanctarum literarum doctoribus ita instituti, vt in numerum cleri ascriberentur, & libros ecclesiasticos ac diuinos populo perlegerent. Porrò autem & moribus & factis euidentem pietatis signi ficationem dederunt: quippe sacerdotes, & alios bonos viros religionisque Christianæ studiosos plurimi facere, templa frequentare, debito honore sepulchra martyrum colere visi sunt. Nam ferunt eos illo tempore valde laborasse, vt sepulchrum Maniæ martyris amplissimo templo circundarent, opusque inter ipsos dispertiuisse, ac dum alter alterum sumptu & magnificentia superare contenderent, rem planè admirabilem accidisse, omninoque incredibilem, nisi quòd multi, qui eadem ab eis qui oculis

Vide Nicephor. lib. 10. c. 30. 31. Theodorit. lib. 3. cap. 2. Socrat. lib. 3. cap. 1.

Iuliani à vera fide defectio & superstitio.

Crucis signum corona circumdatum Iuliano apparet.

Signi duplex interpretatio.

Iulianus crucis signo perperam vsus in præstigijs. B

Iulianus initio Christianus.

Iuliani genus Gallus Dalmatius.

Macelli locus.

Educatio Iuliani.

Cultura sepulchrorũ martyrum.

Maniæ martyr.

Alis illam aspexissent, se audiuisse memorarent, ad nostram vsque ætatem in vita mansissent. Siquidem partem operis à Gallo susceptam, pulchrè progressam esse, & ex animi processisse sententia: sed opus Iuliani partim corruisse, partim ex ipsis fundamentis è terra euulsum esse: partim non sustinuisse ad solum coagmentari, sed extemplò, velut vi quadam ex aduerso vrgente, & infrà trudente, inde repulsum fuisse. Rem omnibus visam esse reuera prodigij similem: & à multis ex euentu solum iudicatam: nonnullos tamen ex ea coniecisse, eum non syncero ac sano animo erga religionem nostram affectum fuisse: sed quia Imperator qui tum regnabat, erat Christianus, simulatione quadam pietatem colere præ se tulisse. Dicunt præterea, illum principiò congressu frequenti & colloquio varum inductum, paternam prodidisse religionem. Nam aliquantò pòst ira Constantij placata, cùm Gallus in Asiam profectus, Ephesi, in qua vrbe magnam facultatum vim habuit, commoraretur, Iulianum Constantinopolim reuersum, in disciplinam magistrorum qui ibi fortè docebant, se tradidisse. Ac cùm ingenij bonitate præstaret, & doctrina facilè crescret, non in obscuro latuisse. Nam habitu hominis priuati incedens, cum multis (vt fit in magna hominum frequentia, & in vrbe regia) in colloquium veniisse: & quoniam frater erat Imperatoris, & ad res administrandas admodum idoneus videbatur, plerosque omnes eum imperio potiturum arbitratos esse. Itaque cùm talis sermo de eo multis esset in ore, ei datum fuisse in mandatis, vt Nicomediæ ætatem ageret. Qua in vrbe Maximus Ephesius philosophus in eius consuetudinem fortè incidens, illum & philosophiam docuit, & odium religionis Christianæ in eius animo inseuit: & tanquam vates, illud quod vulgò de eo ferebatur, verum esse affirmauit. Ille autem, quod multis solet accidere, cum metu rerum incommodarum grauiter affligeretur, in spem bonam per fraudem à Maximo inductus, eum charum habere cœpit. Quibus rebus Imperatori nunciatis, timore perculsus, cutem abrasit, & vitam monasticam simulauit, secretò tamen aduersam religionem amplexatus est. Vbi autem ætate robusta esse cœpit, paratiore animo cùm ad has res inductus est, tum easdem executus. Artem, si quæ res futuras prædicere profiteretur, ea admirari, & eius cognitionem (quam quidem exercere, Christianis nefas est) necessariã ducere cœpit, deq; ea periculum facere animum induxit: atq; ex eo tempore cũ his qui eiusmodi rerum periti erant, amicitiam iunxit. Qui B cùm hoc animo esset, Nicomedia in Asiam cõcessit. Et cum viris eius professionis ibi in congressum veniens, multò acriore studio in eas res accensus incubuit. Cũ autem Gallus eius frater, qui Cæsar fuerat creatus, & reb. nouis studere per iudices declaratus, interfectus esset: Cõstantius eum quoq; imperij cupiditate flagrare suspicatus, custodes ei apposuit. Sed cũ Eusebia, vxor Cõstantij, veniã pro eo petiuisset: ille cũ se purgasset Constantio, Athenas profectus est, causa quidẽ simulata, vt prædicant, qp ibi doctrinæ scripto rum Gentiliũ operam nauare, & scholas frequẽtare vellet: sed reuera, vt cũ vatibus illã vrbem incolentibus, de reb. suis cõmunicaret. Quẽ inde reuocatum Cõstantius Cæsarẽ constituit. Atq; sua ei sorore desponsa, in Galliã versus Occidentem sitam misit. Nam Barbari, quos antè ad auxilium sibi cõtra Magnentium ferendum mercede cõduxerat, cũ nullo vsui ad eam rem fuissent, Galliam populari cœperunt. Iulianus igitur, quoniã adhuc erat adolescens, ducibus, qui ipsum comitabantur, curam rerum agendarũ imposuit. Qui cùm tardius rem gerere viderentur, ille ipse iam Cæsar declaratus, quantum in ipso situm erat, belli administrationi prouidere, militum animos ad pugnam alacriores efficere, vt periculis se audacter offerrent, hortari, & cuiq; eorum Barbarum interficienti, certam mercedẽ proponere cœpit. Vnde gratus acceptusque militibus factus, segnitiam ducum Constantio significauit: vt primum verò alter dux missus est, cõgressus cum Barbaris, prosperè rem gessit. Qui cùm legatos de fœderibus ad eum misissent, Constantijque pro se adducerent literas, quibus in ditionem Romanorum accersiti fuissent: is legatum, qui ea de re venerat, dedita opera dimittere cunctatus, magnum hostium numerum nec opinantem adortus, deuicit. Dicitur præterea Constantium, quo eius vitæ pararet insidias, eum huic bello præfecisse. Verùm mihi quidem haud sanè istud videtur probabile. Nam in cuius situm erat potestate eum in initio minimè Cæsarem creare: quid causæ est, cur hoc fecerit, cur sororem ei in matrimonium collocarit, cur denique illi de segnitie ducum querenti auscultauerit: inque eorum locum, alium industrium virum, quò bellum rectius administraretur, miserit, nisi eum charum habuisset? Verùm quantum ipse coniectura assequor, Constantius, quoniam in initio eum beneuolentia complectebatur, idcirco Cæsarem designauit. At vbi contra suam voluntatem Augustus declaratus est, vel metu, quòd eum & fratrem, cùm essent adolescentes, iniuriosè tractauerat: vel inuidia, vt est verisimile, quòd parẽ honorem

Galli & Iuliani fratrum dispar religio prodigio detecta.

Iulianus Maximi Ephesij discipulus.

Iulianus monasticam vitã simulat.

Magicis artibus est deditus.

Galli cædes.

Iulianus à Cõstantio Cæsar creatus.

Iuliani de barbaris victoria.

Iulianus cur à Constantio cõtra barbaros missus.

honorem adeptus erat, impulsus, per Barbaros, qui ad fluuium Rhenum habitabant, A insidias eius vitæ parandas curauit. Sed de his rebus aliter ab alijs commemoratum est.

Quòd Imperator renunciatus Iulianus, Christianam religionem labefactare, & Paganismum callidè inducere conatus est. CAPVT III.

Iuliani contra veram religionem studia.

VBi solus est imperio potitus, in Oriente Gentilium delubra aperire, & quæ *Vide Nicephor. li. 10. cap. 1.* eorum neglecta corruerãt, reficere: quæ autem deturbata fuerant, denuò ædificare, quinetiam aras erigere mandauit, atque ad has res perficiendas multa tributa excogitauit. Vetera præterea & patria ciuitatum instituta, atque sacrificia renouare, ipseque palàm in loco publico idolis immolare, offerre illis libamenta: & eos qui harum rerum studiosi erant, magno in honore habere cœpit. Horum autem sacrorum professoribus, sacerdotibus, interpretibus, & statuarum cultoribus pristinos honorum gradus reddere, rata facere ea quæ veteres imperatores de his sanciuerant: decernere illis immunitatem ministeriorum, & rerum quoque aliarum, sicut antè habuerant: frumenti congiaria ædituis ablata restituere: iubere, vt à profanis esculentis se puros conseruent, & abstineant ab illis, quatenus conuenit ijs qui ad prædicta mysteria iure suo, vt Gentiles loquuntur, accedere possunt. Dat porrò mandatum, vt tum cubitus, quo Nili inundationem metiri solent, tum monimenta vetera auitaque ad Serapidem pertinentia restituantur. ea nanque iussu Constantini ecclesiæ allata fuerunt. Itemque ad commune consilium persæpe scripsit ciuitatum illarum, quas ad Gentilium religionem conuersas intellexerat: hortatus, vt quæcunque vellent dona abs se peterent. At vrbes quæ in fide Christiana perseuerabant, ei admodum inuisæ fuerunt: adeò vt neque eas adire ipse, neque legatos illarum, cùm de eis qui ipsis grauiter incommodassent, conquestum venissent, admittere voluerit. Verbi gratia: cùm Persæ eo tempore in fines imperij Romani irruptionem facturi expectarentur, Nisibenis, qui legatos ad eum de hac re miserãt, quoniam fidei Christianæ omnino adhærescebant, & neque delubra aperire, neque sacra idolorum frequentare volebant, idcirco minatus est, se neque subsidio illis venturum, neque excepturum legatos eorum, neque in ipsorum vrbem, vtpote scelere contaminatam, prius ingressurũ, quàm illi suo hortatu persuasi, se ad Gentilium religionem transferrent. Porrò ciuibus B Constantiæ, quæ est vrbs Palæstinæ, non dissimilia obiectabat crimina, eorumque ciuitatem ciuibus Gazæ tribuit. Istam nanque vrbem Constantiam, sicut ex superiore sermone didicimus, cùm esset nauale Gazæ ciuitatis, & Maiuma vocaretur, Constantinus, simul vt intellexit eam religioni Christianæ in primis deditã esse, ciuitatis honore decorauit, filijque Constantij appellauit nomine: atque dedit mandatum, vt sui iuris esset, suisque legibus ipsa se gubernaret: arbitratus sanè iniquum esse, vt ditioni Gazæ vrbis superstitioni Gentilium supra modum addictæ, parêret. Verùm vt primum Iulianus ad imperium regendum accessit, ciues Gazæ, Constantiæ ciuibus litem intendebant. Atque Iulianus constitutus iudex, Constantiam, quæ Gaza abest circiter viginti stadia, Gazæ adiudicauit. Quæ ex eo tempore suo priore nomine orbata, pars vrbis Gazæ maritima nuncupatur. Magistratus autem ciuiles, belli duces, & Resp. vtriusq; communis est: soloque Ecclesiæ statu & gubernatione duæ videntur hoc tempore ciuitates distinctæ. Nam vtraque seorsum suum habet episcopum, suum clerum, celebres quoq; dies festos martyrum, memorias episcoporum qui in ipsis ecclesiam rexerint, distinctos denique agrorum vndique iacentium fines, quibus etiam altaria ad vtrunque episcopatum spectantia distinguuntur. Itaque quidam episcopus Gazæ, qui hac nostra vixit ætate, episcopo mortuo qui antè ecclesiam Maiumatensem administrauerat, laborauit, vt vterque clerus sibi subijceretur: Non enim fas est, inquit, vt vni vrbi duo præsidiãtur episcopi. At cùm Maiumatenses huic rei refragarentur, concilium gentis illius in vnum locum coactum, causam cognouit: alterumq; creauit episcopum. Nam iniquum omnino existimauit, vt qui ob pietatem priuilegia ciuitatis recepissent, ij tametsi iudicio Gentilis imperatoris statum sacerdotij mutatum haberent, ordine ecclesiastico & honoribus sibi olim tributis penitùs spoliarentur. Cæterùm ista pòst, hoc modo accidisse accepimus.

Christianæ fidei vrbes Iuliano exosæ.

Nisibis.

Constantia Palæstinæ.

Maiuma.

Constantia Gazæ adiudicata.

Agri episcopatib. adaucti, vide infra cap. 5.

Quibus

A *Quibus malis Iulianus Cæsarienses affecerit: & de Maris Chalcedonensis episcopi linguæ in loquendo libertate.* CAPVT IIII.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 4. Socrat. lib. 3. ca. 10. 11. Theodori. lib. 3. cap. 7.

SVb idem tempus Imperator iste Cæsaream, ad montem Argium sitam, vrbem amplam, locupletem, & regionis Cappadociæ primariã, ex numero ciuitatum deleuit, & Cæsaris priuauit nomine: quod quidem nomen regnante Claudio, cũ Maza iam antè appellata fuisset, obtinuerat. Nã contra ciues eius ciuitatis dudum grauissimum odium conceperat, tum quòd omnes fidem Christianam profiterentur, tum quòd olim fana Iouis, vrbis patroni, & patrij Apollinis diruissent. Quinetiam vniuersæ ciuitati grauiter succensuit, iratusque est, quòd templũ Fortunæ, quod solum eo regnante supererat, à Christianis euersum esset: atque Gentiles, qui in ea vrbe pauci numero erant, valde incusauit, quòd non illud facinus vlti fuissent: & si fortè calamitatis aliquid ideo subeundum esset, quòd non libentibus animis pro Fortuna subijssent. Omnes præterea opes, omnemque pecuniam ecclesiarum tum in Cæsarea, tum in confinijs eius positarum, diligenter vestigari, inque medium afferri, atque statim trecentas libras auri ærario publico solui: & clericos omnes in numerum militum, qui præfecto illius regionis parebant, asscribi iussit: quæ res & plurimum sumptus requirit, & in exercitibus Romanis maximo probro ducitur. Itemque multitudinem Christianorum vnà cum vxoribus & liberis censeri, & non aliter atque in pagis fieri solet, tributa pensitare mandauit. Atque cum iurciurando minatus est, neque ab ira se, neque ab affligenda ciuitate temperaturum, neque permissurum Galilæis (sic enim Christianos per contumeliam appellare solebat) capita sua ceruicibus retinere, nisi delubra idolorum quàm primum de integro extruerẽt. Cuius minæ fortasse re ipsa expletæ fuissent, nisi celerius ipse è vita migrasset. Siquidem initio non propterea misertus est Christianorum, quòd clementior fuit ijs qui iam antè ecclesiam persecuti fuissent: sed quòd ex præteritis rebus comperit, supplicia Christianis irrogata nihil ad confirmandam Gentilium religionem attulisse adiumenti, sed eo pacto fidem Christianam maximè auctam esse, & fortitudinem eorum qui pro illa mortem sua sponte oppetiuerant, multo plus splendoris & gloriæ consecutam. Vnde non quòd illis parcebat, sed quòd gloriam hanc eis inuidebat, haud necesse censuit ad eos de sententia deducendos, vel igni, vel ferro, vel verberatione corporum vti, vel in mare demergere, vel viuos in terram defodere, quæ antea studiosè ab alijs tyrannis facta fuissent: sed ratione & hortationibus populos persuadendos esse putauit, vt ad religionem B Gentilium se reciperent: & ita se, quod instituerat, facilè perfecturum, si non vi illos cogere conaretur, sed præter omnium opinionem clemens erga eos & humanus videretur. Nam ferunt Marin Chalcedonis episcopum ei Constantinopoli Fortunæ sacrificanti accessisse, palàm vt impium contumelijs affecisse: ἄθεον, id est, auersum à Deo, & desertorem fidei appellasse: Iulianum autem ei solam cæcitatem (venerat enim, vtpote senex, & suffusione oculorum laborans, alterius manu ductus) probri loco obiecisse. Sed vbi irridere etiam, & in Christum, vt solet, blasphemiam loqui cœpit, dicereque, Non te Galilæus, Deus tuus, sanabit: Marin respondisse, At ego gratiam Deo meo habeo, quòd cæcus sum, ne te, qui à pietate excideris, oculis aspiciam. Imperatorem igitur nullo dato responso, eum præterijsse. Putasse enim, eo pacto religionem Gentilium multò magis roboraturum, si se populo Christiano, præter omnium expectationem, patientem & mansuetum ostenderet.

Caesarea Cappadociæ, quæ Maza prius, quomodo à Iuliano afflicta.

Clerici in militum numerũ ignominiosè adscripti.

Galilæi, à Iuliano vocati Christiani.

Iulianus cur in persequendis Christianis factus remissior.

Christiana fides persecutionibus aucta.

Maris episcopi in Iulianum παῤῥησία.

Quòd in exilium pulsos Christianos reuocauit, vt hoc pacto ecclesiam magis diuexaret: & quæ mala contra Christianos excogitarit. CAP. V.

Vide Nicephor. lib. 10. ca. 5. Socrat. lib. 3. cap. 9. lib. 4. ca. p. 30.

DVm hæc acri studio molitur, omnes qui propter religionem, regnante Constantio, in exilium pulsi fuerant, reuocauit, & proscriptis bona sua lege restituit. Quinetiam populo præcepit, ne quis quenquam Christianum vel iniuria afficeret, vel contumelia, néue ad immolandum eos inuitos traheret. Qui autem eorum sua sponte ad aras fortè accederent, vt hi primùm dæmones, quos Gentiles ἀποτροπαίους id est, depulsores malorum vocant, placarent, iussit: & expiationibus, quibus ipsi vti solent, purgarentur. At clericis omnem immunitatem, honorem, & frumenti congiaria ipsis à Constantino donata, ademit: legesque eorum causa conditas abrogauit, & eos denuò curijs addixit. Porrò à virginibus & viduis, quæ in clerum erant propter egestatem ascriptæ, ea exigi mandauit, quæ ante ab ærario publico accesserant. Nam cùm Constantinus res ecclesiæ ritè disposuisset, ex vectigalibus cuiusque ciuitatis, ea quæ erant satis ad res comparandas necessaria, clero cuiusque Ecclesiæ erogauit,

Christiani pro scripti à Iuliano reuocati.

ἀποτροπαῖοι.

Iuliani in Christianos vexationes.

Aufert reditus ecclesijs à Constantino assignatos: Vide supra cap. 3. vide etiã Constit. Apost. lib. 2. cap. 24. et quæ ibi not. Fran. Turr.

Universidad de Deusto
Biblioteca

erogauit,illudque lege ſtabiliuit:quæ lex ex eo tempore quo moriebatur Iulianus, ha- A
ctenus diligenter obſeruata fuit. Hanc exactionem multò crudeliſſimam fuiſſe & a-
cerbiſſimam prædicant. Atq; tabulæ à patribus confectæ ad eum finem, vt res quas ex
lege Conſtantini acceperant,ita demonſtratæ reſtituerentur, de his quæ erant à Iulia-
no exacta,planè teſtificari poſſunt. Verùm Imperator odium aduerſus religionẽ Chri-
ſtianam conceptum, non his rebus exſaturauit: ſed flamma iræ contra fidem incen-
ſus,nullum perditi conatus genus prætermiſit,quò eccleſiam Dei euerteret. Nam pe-
cuniam,monimenta,vaſa ſacra ex ea abſtulit:delubra,regnante Conſtãtino,& filio et-
iam Conſtantio diruta,eos qui ea demoliti fuerant, aut denuò ædificare, aut pecuniæ
ſummam quæ ad illud præſtandum ſatis æſtimaretur, perſoluere coegit. Atque non
modò hi qui neutram harum rerum præſtare poterant, verùm etiam ſacerdotes,cleri-
ci,& alij multi Chriſtiani,dum de pecunijs quæ ſacræ erant, & eccleſiarum propriæ,in-
quiſitio fieret,grauiter torquebantur,& in carceres etiam conijciebantur. Quare ex his
omnibus coniectura capi poteſt, cum, quanquam in cædibus faciendis,& ſupplicijs ad
corpus cruciandum excogitandis,paulò moderatior fuit his, qui ante Eccleſiam fue-
rant perſecuti,in alijs tamen rebus longè fuiſſe crudeliorem. Nam conſtat illum in o-
mnibus acerbè & grauiter eam afflictaſſe, præterquam quòd epiſcopos & ſacerdotes
temporibus Conſtantij exilio addictos reuocauit. Ac fama eſt, cum non miſericordia
adductum, iſtud de illis mandatum dediſſe: ſed vt vel ipſi ob mutuam inter ſe ſuſce-
ptam contentionem,bello inteſtino oppugnarent Eccleſiam,& à ſuis ipſorum legibus
inſtitutisque deſciſcerent: vel vt ille ipſe Conſtantij exiſtimationem maleuola obtre-
ctatione læderet.Nam ei iam mortuo odium per vniuerſum imperium ſe concitatu-
rum putabat,ſi tum Gentiles,vt ſuæ religionis fautores, obſeruantia coleret: tum his
qui eo regnante,propter Chriſtum grauiter cruciabantur, tanquã iniuria affectis,miſe-
ricordem ſe præberet. Quinetiam eunuchos, velut in eum beneuolos,è palatio exegit.
Euſebium item,qui in eius aula principem locum tenuerat,morte mulctauit. Etenim
cum iſto priuatim ſibi intercedebant inimicitiæ, propterea quòd Gallum fratrem in-
ſidijs ab eo paratis interfectum ſuſpicabatur. Aetium porrò hæreſis Eunomianæ autho-
rem, exilio à Conſtantio condemnatum, & ſuſpectum præterea ob conſuetudinem
quam cum Gallo habuerat,literis perhumanitùs ſcriptis:factaque ei poteſtate quoque B
iumentorũ quæ ad curſum publicum ſubminiſtrari ſolent,ad ſe accerſiuit. Adde his
Eleuſium epiſcopum Cyzici,cui ſimili de cauſa tum in mandatis dedit,grauiſſima mul-
cta ei præſcripta,vt ſuis ſumptibus intra bimeſtre ſpacium eccleſiam Nouatianorum,
quam imperante Conſtantio diruerat, denuò ædificaret. Denique alia etiam complu-
ra reperire licet,quæ propter odium Imperatoris Conſtantij ipſe partim fecerat,partim
ab alijs fieri permiſerat.

Comparatur Iuliani perſecutio ſuperioribus.

Conſtantio etiam mortuo Iulianus odiũ concitare molitus.

Euſebius cur à Iuliano necatus.

Aetius reuocatus ab exilio.

Ite Eleuſius. Iuliani iuſſu renouata Conſtantinopoli Nouatianorũ eccleſia.

De Eleuſio vide Socrat. lib. 2. cap. 9. & lib. 2. cap. 30.

Quòd Athanaſius apud virginem quondam pudicam & formoſam delitescens, poſt ſeptem annos exactos comparuit, & Alexandriam ingreſſus eſt.

CAPVT VI.

EOdem tempore Athanaſius, qui hactenus eodẽ in loco delituerat,in quo
ætatem antè degerat, nunciata Conſtantij morte, noctu in Alexandrinã
eccleſia viſus eſt. Quæ res omnib. permagnã ideo admirationẽ excitabat,
quòd adeò repentè præter expectationem omniũ acciderat. Nam cũ frau-
dulento impulſu neceſſariorum Georgij, & Imperatoris mandato,præfe-
ctus ordinum militarium Aegypti ſedulò conatus eum comprehendere, vti ſuprà de-
monſtratum eſt,minimè quod volebat cõſecutus eſſet : Athanaſius fuga ex eius mani-
bus elapſus ad imperium Iuliani,quo de nunc agitur, apud quandam ſacratã virginem
in ipſa vrbe Alexandria latitauit:quã quidem virginẽ pulchritudine tantũ omnibus il-
lius temporis mulieribus antecelluiſſe accepimus,vt ſicut omnibus in eam intuentibus
miraculum putabatur,ſic viris modeſtiam & cõtinentiam profitentibus fugienda vide
retur,ne ex ſuſpicione labes aliqua ipſis aſpergeretur infamiæ. Erat enim, in ipſo etiam
ætatis flore, pudica cum primis & caſta: quæ res, etiam ſi naturæ adiumentum ei non
accedat,afferre tamen ad inſignem corporis pulchritudinem ſolet non parum orna-
menti. Nam vt verum dicamus, non vt quibuſdam placet,qualia ſunt corpora,talem
conſueuiſſe eſſe animum, ſed ex animi inſtitutis mores corporis effingi ſolere: & qua-
lem rem quiſq; fortè animo inſtituat,talem ipſum quoq; videri eo tempore, quo eam
inſtituat. Cui quidem ſententiæ, nemo certè credo,ſi modò in eam accuratè inquirat,
omnino contradicturus eſt. Athanaſium autem ferunt diuina viſione, quæ eum ita
ſaluum fore ſubmonuerat,impulſum, ad hanc virginem profugiſſe: ac mihi profectò
in rei

Athanaſius per VII annos Alexandriæ delitescens, repentè apparet.

Formæ coniũcta caſtitas, inſigne virginum decus.

Corporis mores ex animi inſtitutis fingi.

A in rei euentum intuenti, iſta non ſine diuina prouidentia adminiſtrata videntur: vt ſci-
licet tum Athanaſij neceſſarijs,ſi quis ab eis curiosè de eo quærere aggrederetur, vel iu-
rare cogeret,nihil exhiberetur negocij: tũ ille ipſe apud hanc occultatus,tutò poſſet de-
liteſcere.quæ quanquam ob pulchritudinem non ſatis integrum putauit, vt ſacerdos
ſecum ætatem degeret, ne inde in ſuſpicionem vocaretur: tamẽ propter animi magni-
tudinem eum in ſuas ædes excepit, & ſumma prudentia ac cautione adhibita ſeruauit
incolumem : & tam fidam cuſtodem,miniſtramq; tam ſedulam ei ſe præbuit,vt pedes
eius lauaret, & res ad victum neceſſarias,aliasq; etiam omnes quas natura,dum vrget ne
ceſſitas,nos ſubire cogit,ipſa ſola ſubminiſtraret : quinetiam libros, quibus opus habe-
bat,ab alijs pro eo mutuò acciperet:& tametſi iſta ad prolixũ temporis ſpacium facta
eſſent,tamen ne vnus quidem ex ciuibus Alexandrinis omnino ea cognoſceret.

Virginis ſacræ in Athanaſiũ apud ſe latitantem officia.

De Georgij epiſcopi Alexandrini, propter ea quæ in Mithrio acciderunt, interfectione: & quòd interfectus camelo impoſitus, contumeliæ cauſa populo ſpectandus circumducebatur : & quid ea de re ſcripſerit Iulianus. De Theodorito ſacrorum Antiochiæ vaſorum cuſtode: & quòd propterea Iulianus præuaricatoris auunculus genitalibus eius à vermibus exeſis, interijt. CAP. VII.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 6. & li. 9. c. 25. Vide Socr. li. 1. cap. 16. & li. 3. ca. 2. & quæ nos ibi notauimus.

AThanaſius igitur ad hunc modum conſeruatus, & præter omnium expe-
ctationem in eccleſia viſus,vndè veniſſet,ne vnus quidem intellexit. Po-
pulus autẽ Alexandrinus maximo ob hanc rem exultans gaudio, eccle-
ſias illi reddidit. Quare Ariani inde electi, priuatis in ædibus ſeparatim
conuentus egerunt: atque Lucium pro Georgio, ſuæ hæreſis epiſcopum
deſignarunt.Siquidem Georgius iam caſu fuerat interfectus. Nam ſimul ac magiſtra-
tus palã prædicarunt Conſtantium de vita deceſſiſſe, & Iulianũ Imperatorẽ declaratũ
eſſe,multitudo Gentilium,Alexandriam incolentium ſeditionẽ conflauit. Atq; clamo-
re edito,& conuicijs iactatis,impetum in eum faciunt, velut iamiam interfecturi. Verũ
impetu in præſentia repreſſo, illo quidem tempore eum in vinculis ſolum tenebant:
ſed non ita diu pòſt,prima luce properè ad carcerem concurrentes, illum trucidabant.
Quem deinde camelo imponunt,totumque diem contumelijs lacerant, poſtremò ſub
B crepuſculum igni cremandum tradunt. Neque tamen me fugit Arianos prædicare,hãc
cladem à fautoribus Athanaſij Georgio inflictam eſſe. Verùm facilius adducor vt cre-
dam,facinus Gentilium fuiſſe,cùm conſidero multò plures odij in eum cauſas illis ſup-
petiuiſſe:maximè autem omnium, quòd ipſorum ſtatuas & delubra contumelioſè de-
formaſſet,& ſacrificia ac ritus patrios prohibuiſſet. Auxit item in eum odium poten-
tia,quam in aula conſecutus fuerat.Siquidem populus erga eum, non aliter ac ſolet er-
ga homines qui potentia & authoritate multum valent, animo affectus,eum planè in-
tolerandum putauit.His accedit facinus quoddam id temporis fortefortunà in loco
quem illi Mithrium appellant,admiſſum.quem quidem locum olim ab hominibus
deſertum,Conſtantius eccleſiæ Alexandrinæ donauerat. Georgio autem eum perpur-
gare aggredienti, quò eccleſiam ibi extrueret, abditus quidam receſſus extitit: in quo
ſtatuæ fortaſſe,& inſtrumẽta quædam eorum,qui vel alios myſterijs dæmonum quon-
dam ibi initiare,vel ab alijs initiari ſolent,reperta ſunt : quæ inſpectantibus ridicula cer
tè,& admodum peregrina videbãtur.Quæ Chriſtiani in loco publico propoſita habere
ludibrio,& Gentiles irridere cœperunt.Gentiles igitur in vnum locum frequentes con
gregati,pars gladijs,pars lapidibus,pars alijs inſtrumentis, in quæ fortè incidebant, ſe
armantes, Chriſtianos adoriri,ac multis occiſis, alios ad religionis noſtræ contume-
liam cruci ſuffigere, plurimis grauia imponere vulnera. Itaque Chriſtiani opus,
quod incœperant,inchoatum reliquerunt: Gentiles verò, Iuliano Imperatore iam
declarato, Georgio necem attulerunt. Atque iſtud quidem ita ſe habere, teſtis locu-
ples eſt Imperator ipſe : quod ſanè minimè confeſſus fuiſſet, niſi eſſet à veritate com-
pulſus. Maluit enim, mea quidem ſententia, Chriſtianos, quàm Gentiles, Georgij
fuiſſe interfectores. Sed tamen facinus minimè occultabat. nam videtur in epiſtola ad
Alexandrinos de hac re conſcripta, grauiter illis ſuccenſere : ſed literis ſolum eos co-
arguit, ſupplicium condonauit: reuerentia,vt ipſe ait,adductus cùm erga Serapidem
eorũ conſeruatorem, tum erga Alexandrum conditorem vrbis, tum denique erga Iu-
lianum ſuum auunculum, qui antea Aegypto & Alexandriæ præfuerat : vir Genti-
lium ſuperſtitioni cum primis deditus, & in Chriſtianos grauiſſimo odio incenſus,
adeò vt quantum in ipſo ſitum erat,contra Imperatoris voluntatem Chriſtianos ad

Athanaſius ex eccleſijs reſtitutus.

Georgij epiſcopi cædes, & in mortuũ Iuliani ad Alexandrinos epiſtola de nece Georgij.

Odij, quo Georgius laborauit, cauſæ.

Mithrium locus à Conſtantio Eccleſiæ donatus.

Mithrij purgatio magnæ cladis cauſa Chriſtianis.

Iuliani Imperatoris auunculus Chriſtianos etiam vexat.

Universidad de Deusto Biblioteca

cædem vsque & sanguinis effusionem afflictarit. Nam memoriæ proditum est, cùm id A temporis seriò moliretur preciosissima monimenta ecclesiæ Antiochenæ in Syria posita, quæ quidem plurima erant numero, in Imperatoris æraria transferre, & ecclesias quoque occludere, omnes illius clericos fugæ se mandasse: solumque Theodoritum presbyterum minimè ab vrbe secessisse. quem, quoniã thesaurum istum, vtpote eius custos, indicare poterat, Iulianus primùm comprehendit: deinde verberibus grauiter cædit: postremò cum quæstione de illo omni tormenti genere habita, forti animo & virili respondisset, seq; in confessione fidei præclarum virum ostendisset, securi feriri mandauit. Vbi verò vasa sacra abripuerat, proiectis illis in terram, cœpit petulanter in Christum illudere, blasphemias pro sua libidine iacere, ad extremum super vasa sedere, sicque factam iam contumeliam adaugere. At ilico pòst, membrum genitale, & meatus illi quos natura ad necessitatem circa illud locauit, ei contabescunt: & carnes illis corporis partibus circundatæ, putrescentes, in vermes conuertuntur: morbus denique ita creuit, vt artem medicorum longè superaret. Nihilominus tamen medici partim reuerentia erga Imperatorẽ, partim metu adducti, nullum non medicamenti genus in eo experti sunt. Et quanquam complures aues magno precio comparatas mactantes, pinguedinem earum ad partes putredine exesas applicabant, & vermes ad cutis euocabant extremitatem, nihil tamen profecerunt. nam in intimis partibus abditi, ad carnes viuas integrasque serpsere, & nunquã à rodendo destitêre, donec hominem enecassent. Itaque hanc cladem, vt videtur, ira diuina ei inflixit. Quod etiam accidit tum thesauri regij custodi, tum alijs nonnullis ad amplos dignitatis gradus in aula Imperatoris elatis: qui contra ecclesiam iuueniliter insultantes, velut ab ira diuina condemnati, exitum vitæ vt mirandum, ita planè miserabilem consecuti sunt.

Theodoritus presbyter Antiochenæ ecclesiæ thesauri custos.

Eiusdem cædes.

Iuliani anus culi genitalia à vermibus exesa.

Ecclesiæ insultantium aliquot miseri mors.

De sanctorum Eusebij, Nestabi & Zenonis, in ciuitate Gazæ martyrio.

CAPVT VIII.

SEd quoniam huc nostra prouecta oratio est, & de Georgij & Theodoriti nece disseruimus, tempus iam videtur postulare, vt de Eusebio, * Nestabo & Zenone fratribus mentionem faciamus. Quos populus Gazæ eodem tempore odio prosecutus, domi occultatos comprehendit: ac primùm B nire, & contra eos grauiter propterea vociferari cœperunt, quòd sacra ipsorum profanassent, eisdemque ad religionem Gentilium delendam, afficiendamque contumelia, superioribus temporibus abusi fuissent. Qui partim clamando, partim se inuicem incitando ira accensi, in eorum necem auidè feruntur. Atque ipsi se mutuò instigantes, quod à populo in seditione fieri solet, ad carcerem cõcursare: eosq; inde deductos, modò pronos, modò supinos trahere, interdum ad terram allidere, iam cædere, alij saxis, lignis alij, alij alijs rebus fortuitu oblatis, sicq; crudelissimè interfecerunt. Accepi etiam, mulieres è textrinis egressas, radijs illos confodisse. Quinetiam coqui in foro pars lebetes aqua feruenti ebullientes à focis arripere, inque illos effundere, pars verubus transfigere. Vt verò eos discerpserant, & capita ita confregerant, vt cerebrum interram efflueret: extra vrbem deducunt ad locum, in quo animalia expertia rationis mortua proijci solent. Atque accenso rogo, eorum corpora comburunt: reliqua autem ossa, quæ ignis neutiquam absumpserat, ossibus camelorum & asinorum, quæ ibi proiecta erant, admiscent: adeò vt perdifficile esset ea inter ossa reperire. Attamen nõ diu sic latuerunt. Siquidem mulier quædam Christiana, quæ non ex vrbe Gaza orta fuerat, sed ibi suum domicilium collocauerat, iussu diuino ea noctù ex alijs ossibus selegit: atque in ollam iniecta, Zenoni eorum consobrino seruanda dedit. Nam ita Deus ei mandarat in somnijs: & virum etiam mulieri indicabat, quo in loco ætatem degeret: & antè, quàm eum videret, ostendebat. quandoquidem & ei ignotus erat, & propter persecutionem quæ recens concitata fuerat, in occulto latitabat. Nam parum aberat, quin ipse quoque à Gazæ ciuibus comprehensus, trucidatus fuisset. Qui dum populus in consobrinis eius necandis occupatus teneretur, nactus tempus idoneum profugit Anthedonem, vrbem maritimam, quæ Gaza aberat circiter viginti stadia: quæque id temporis similiter superstitioni Gentili dedita erat, & cultu ac venerationi statuarum cæcata. Vbi verò per iudices ibi Christianus cognoscitur, grauiter virgis ab Anthedonijs tergo cæsus, ejicitur vrbe: & ad nauale Gazæ profectus, ibi abscondi⁊us delituit. Quo in oppido mulier in illum fortè incidens, reliquias dedit: qui ad tempus eas domi seruauit. At vbi episcopatum illius ecclesiæ sortitò cœpit,

** Nestare, al. Eusebij, Nestabi & Zenonis fratrum martyrium.*

Vide Niceph. li. 10. cap. 8.

Gazensis populi in martyres crudelitas.

Martyrũ ossa noctu colleta.

Anthedon.

Zeno Christianus virgis cæsus.

A cœpit (quod quidem accidit regnante Theodosio) extra vrbem extruxit ecclesiam, & altare in ea erexit, martyrumque reliquias ibi reposuit, propter reliquias Nestoris confessoris: qui cum istis Zenonis consobrinis, dum viuerent, vnà versatus fuerat, atque simul cum illis à populo comprehensus, vinculorum factus erat & plagarum socius. Quem cùm inter trahendum, qui eum trahebant, pulchrum habere corpus viderent, eius miserti sunt, & ante portas vrbis adhuc spirantem quidem, expectantem tamen breui moriturum, proiecerunt. Quem quidam inde sublatum ad Zenonem deportabant: apud quem, dum vlceribus eius & plagis adhibitæ sunt curationes, è vita migrauit. Ciues autem Gazæ, dum facinoris à se admissi considerant magnitudinem, suprà modum extimescere incipiunt, ne Imperator ipsos inultos minimè relinquat. Iam enim fama emanauerat, quòd ægrè admodum ferebat, & decimum quenque è populo necare constituerat. Sed hoc perspicuè falsum erat, & rumor solum, vt crẽdibile est, popularis: qui multorum animos conscientia maleficiorum exterritos occupauerat. Nam Imperator hoc facinus à ciuibus Gazæ perpetratum (quemadmodum pro scelere, quod contra Alexandrinos à Gentilibus in Georgium commissum est, fecerat) ne litis quidem coarguit: sed solùm eum qui illius gentis tum præfectus erat, magistratu abdicauit, habuitque pro suspecto: & in iudicium adducens, humanitatis officium esse duxit, cum morte neutiquam condemnare. Eum tamen vehementer incusabat, quòd quosdam ex ciuibus Gazæ, qui seditionis & cædis authores dicebantur, in vinculis tenuerat eo consilio, vt secundum leges pœnas persoluerent. Nam quid causæ erat, inquit, cur ad supplicium abducerentur hi, qui paucos Galilæos pro iniurijs, quas ipsis sæpe ac deis suis intulerant, probè vlti fuissent? Atque hæc quidem à multis sunt hoc modo commemorata.

Reliquiæ martyrum reconditæ.

Nestoris reliquiæ & martyrium.

Iulianus Gazensium in martyres iniuria non offensus.

De sancto Hilarione, & virginibus Heliopoli à suibus interemptis: & de inaudito Marci Arethusiorum episcopi martyrio.

CAP. IX.

Vide Niceph. li. 10. cap. 9.

PEr idem tempus Hilarion etiam monachus à populo Gazæ quæsitus, profugit in Siciliam. ibi ligna ex desertis montibus colligens, & humeris portans, quadam in vrbe ea vendidit: eoque pacto, quantum sat erat ad quotidianum victum, sibi comparauit. Verùm tandem à viro quodam nobili dæmone agitato, quo ipsum liberauerat, quisnam & qualis esset indicatus, concessit in Dalmatiam. Qua in regione quoque cum maxima miracula diuina virtute edidisset adeò vt mare eius precibus recessu prohibitum, aridum vndique inundatione obruisset, inde denuò secessit. Nam ei haud volupe erat, apud eos qui ipsum laudarent, commorari. Itaque loca subinde commutando, obscurus esse, & celebrem famam de eo peruagatam crebris migrationibus delere laborauit. Postremò Cyprũ prætuectus, Paphum appulit: atque rogatu illius qui tum Cypri erat episcopus, ibi commoratus contentus est: inque loco qui Charbyris dicitur, monasticum vitæ genus excoluit. Quòd autem martyrio iste non occubuerit, fuga in causa fuit. Atque fugiebat propterea, quòd sanctum Euangelij præceptum est, vt persequentes nos non expectemus. Quòd si qui comprehensi fuerint, vt animo excelso sint & robusto, vimque & violentiam à persecutoribus illatam strenuè euincant. Neque hæc scelera, quæ suprà nobis sunt narrata, apud ciues Gazæ solum, & Alexandrinos, contra Christianos admissa erant: sed qui Heliopolim ad Libanum sitam, & Arethusam Syriæ incolunt, hos crudelitate longè superasse videntur. Nam isti virgines sacras (incredibile quidẽ dictu, nisi quidam eorum qui eodem tempore vixerunt, idem ipsum narrassent) quæ à populo conspici minimè solent, in loco publico veste nudatas, tum ad commune omnium qui eas intueri volebant, spectaculum, tum ad ipsarum contumeliam consistere cogebant: atq; vt primùm eo quo libitum erat modo in eas insultarãt, ad extremum illarum capillum tondebant. Quinetiam eas dissecabant bifariam, & ad illarum intestina deuoranda porcos prouocabant, viscerum extremitate consueto illis alimento operta, quò porci non tam facilè ea internoscerent, sed consuetum alimentum necessariò appetentes, carnes etiam humanas discerperent. Ad hanc quidem contra sacratas virgines crudelitatem, vti cõsilio, Heliopolitani adacti sunt ex eo, quòd vetitũ ipsis fuerat, ne virgines suas, sicut patrius mos antè tulerat, homini fortuitu occurrenti prius stuprandas traderent, quàm cum viris, quibus desponsæ erant, congrederentur. Nam Constantinus fano Veneris Heliopoli diruto, primus apud eos ecclesiam ædificauerat: legeque prolãbuerat, ne consueta stupra admitterent. Portrò autem Arethusij Marcum, suum episcopum, iam admo-

Hilarion monachus.

Eiusdem miracula, & migrationes.

Charbyris.

Christianorũ fuga licita.

Heliopolitarũ in sacratas virgines crudelitas.

Heliopolitarũ turpis mos sublatus.

Marci Arethusij episc. martyrium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

admodum senem, canicie & vita pie acta venerandum, miserabiliter occiderunt. quip- A
pe contra eum iampridem odium conceperant, tum quòd Gentiles eius impulsu mul-
to alacrius, quàm suasu Imperatoris Constantij, se ad fidem Christi transtulerant: tum
quòd delubrum apud ipsos longè augustissimũ, magnificentissimeq; extructum, ab illo
deturbatũ fuerat. Vbi verò imperium Iuliano delatum est, videns populũ in se conci-
tatum, simulq;, Imperatoris edicto vel vt pecuniæ summam, quæ satis æstimaretur ad
delubrum de integro extruendum, persolueret, vel ipse idem denuò ædificaret, condẽ-
natum: animoq; cõplexus neutrum à se posse fieri, atque præsertim posterius, quod ne
Christiano quidẽ fas erat, ne dum episcopo, primo tempore fuga suæ vitæ consuluit.
Verùm vt intellexit multos propter se in discrimen venire, tum distractionem mem-
brorum, tum iudicia, tum tormenta cum his coniuncta subeundi, redijt Arethusam, &
Arethusiorũ in Marcum epis. rabies. sua sponte se populo tradidit, vt quod libitum erat, in ipsum ederẽt. Illi autem ob idẽ
ipsum factum, quod vt homine verè pio & sapiente dignum laudare debuerant, ab eo
se contemni arbitrati, omnes gregatim in eum irruere, raptare per plateas, trudere, vel-
lere, singuli denique membra promiscuè ferire cœperunt. In hoc facinus non viri solũ,
sed mulieres etiam, & alij omnes cuiuscunque essent ætatis, studio alacri & ira quoque
incensi, acriter incumbebant: adeò vt etiam aures eius tenuibus quibusdã funiculis a-
uellerent. Pueri præterea, qui scholas frequentabant, factũ hoc pro ludo habere. Quin-
etiam eum in sublime elatum, instar globi inter se voluere vltrò citroq;e, tum ab se
proijcere, tum denuò excipere stylis, quibus eum acerbè & crudeliter pupugerunt. Vbi
verò corpus vulneribus vbique deformatum erat, & ipse nihilominus adhuc spiritum
ducebat, illũ melle & liquamine vngunt, imponunt in sportulam, quæ tota ex iuncis
contexta erat, in sublimi denique suspendunt. Quo quidem tempore cùm vespę & apes
ad eum aduolarent, carnemq;e eius exederent, ferunt eum Arethusijs dixisse, Se in sub-
lime positum esse, videreq;e eos infra humi repentes: qua re, ea quæ tum sibi, tum eis
Marci in Arethusios scomma. pòst euentura essent, præsignificasse dicunt. Traditum est præterea, eum qui tum illius
loci præfectus erat, virum licet superstitioni Gentilium in primis deditum, moribus ta-
men alioqui adeò præstabilem, vt etiã adhuc celebris fama de eo percrebesceret, Marci
constantiam & patientiam admiratum, liberè Imperatorem tum admonuisse, tum in-
cusasse, propterea quòd ipsis ab vno sene, qui tot & tam grauibus tormẽtis adeò magno B
ac forti animo se opposuerat, deuictis, turpis meritò nota inureretur dedecoris: & tum
Laudata etiã ab Ethnicis Marci Arethusij in martyrio constantia. ipsi omnibus ridiculi, tum illi contra quos eiusmodi facinora ediderant, illustres &
glorioſi viderentur. Itaque beatus iste Marcus tam generosa mente Arethusiorum fu-
rori, & multiplicibus tormentis ab illis sibi inflictis restitit, vt etiam sit ab ipsis Gentili-
bus magnam laudem consecutus.

De Macedonio, Theodulo, Tatiano, Bucere, Basilio, & Eupsychio, qui ea tempestate vitam martyrio finierunt.

CAP. X.

Myrum opp. EOdem tempore Macedonius quoq;, Theodulus & Tatianus, genere Phry- *Vide Nice phor. lib. 10. cap. 10.*
ges, martyrium excelsis animis subierunt. Nam cũ Myri, quod est oppidũ
Phrygiæ, præfectus illius prouinciæ delubrum ibi aperuisset, & illud ipsum
temporis diuturnitate sordibus oppletum perpurgasset, isti noctu in illud
ingressi, simulachra confregerunt. Vt verò alij, tanquam huius facinoris
authores fuêre comprehẽsi, & iam erant supplicium ea de re subituri, hi se ipsos indica-
runt. Ac cùm liceret ipsis nihil sustinere incommodi, si modò idolis immolare vellẽt:
præfectus, quoniam nullo modo poterat eis persuadere, vt vel hac re vna pro delictis
admissis satisfacerent, multis eos ac varijs tormenti generibus afflixit: postremò in cra-
ticulas, subdito igni, imposuit. Qui cũ arderent, dixêre præsidi: Si carnes assas cupis, A-
Macedonij, Theoduli & Tatiani martyrium. machine (hoc enim illi nomen fuit) versa altera nostra latera ad ignem, ne si semiassi si-
mus, tibi gustanti insuaues videamur. Atq; hi quidem ad hunc modum viriliter decer-
tantes, mortem in tormentis obierunt. Aiunt præterea Busirim Ancyræ, quæ est vrbs
Galatiæ, nobile ac strenuum pro fidei confessione certamen confeciſſe. Quem tum qui-
dem hæresis eorum qui Encratitæ vocabantur, fautorem, præses prouinciæ illius, quòd
iuueniliter in ritus Gentilium insultauerat, comprehendit, cædereq;e verberibus con-
stituit. atque publicum in locum ad equuleũ deducens, sublimem suspẽdi iubet. Tum
Busiridis mira in martyrio perferendo constantia. Busiris manibus ad caput sublatis, sua nudauit latera, & ad præsidem dixit: Non esse o-
pus, vt lictores in ipso tum in equuleum tollendo, tum inde rursus deponendo labo-
rem frustrà susciperent. se enim absque eorum opera, quo ille vellet modo, latera sua
præbere tortoribus paratum esse. Quam eius pollicitationem licet præses admiraretur,
tamen

Atamen in experiundo multo magis obstupuit. Nam cùm latera eius vnguibus tantisper
lacerarentur, dum visum esset præsidi: manibus ad cælum sublatis, patienter admodũ
tolerauit. Ac plagas libenti animo excipiens, in vincula postea coniectus est. Non diu
autem pòst, cùm nunciatum esset Iulianum interfectum esse, inde dimissus est: & ad
imperium vsque Theodosij vitam propagauit: condemnataq;e sua priore hæresi, se
ad ecclesiam catholicam recepit. Fertur item Basilium presbyterum ecclesiæ Ancyræ,
& Eupsychium ex patricijs Cæsareæ Cappadociæ oriundum, qui nuper duxerat vxo-
rem, & etiamnum velut sponsus nouus erat, eodem tempore per martyrium è vita *Eupsychij & Basilij Ancyræ presbyteri martyrium.*
migrasse. Eupsychius quidem, quantum ipse coniectura assequi possum, propter fanum
Fortunæ, quo de id temporis diruto Cæsareæ ciues, vt suprà demonstrauimus, ad vnũ
omnes in Imperatoris odium incurrerant. Qui autem ad illud demoliendum ma-
nus ipsi admouebant, pœnas dederunt, partim mulctati morte, partim exilio condem-
nati. Basilius autem religionis Christianæ perstudiosus, quamdiu regnauit Constan-
tius, tamdiu Arianis duntaxat impugnandis operam nauauit: & eam ob causam sen-
tentia & decreto Eudoxianorum conuentus agere prohibitus est. Sed vbi Iulianus so-
lus administrabat imperium, varia circuiuit loca, quò sedulò hortaretur Christianos,
vt suæ religioni mordicus adhærescerent, & ne Gentilium victimis se & libamentis
polluerent, proq;e nihilo ducerent honores ab Imperatore sibi delatos: eos enim ad
tempus solum durare, & ad extremum mercede sempiterni exitij remuneratum iri.
Dum ista sedulò molitur, non in suspicionem solum à Gentilibus, sed etiam in odium *Iulianus etiã supplicijs Christianos sciens ac volens esse cit, etiamsi dissimulet.*
vocatur: stansq;e in loco publico, ac videns eos hostias immolantes, grauiter inge-
miscit: orat Deum, vt nullus Christianus illo errore capiatur. Ob quam causam illico
comprehensus, traditur præsidi prouinciæ: atque in singulis certaminibus multa per-
pessus tormenta, constanti animo ac virili martyrium sustinuit. Atque tametsi ista
quidem hoc modo præter Imperatoris Iuliani sententiam acciderunt: tamen constat,
alios non paucos, eosq;e generosos viros, eo regnante, atque adeò volente, martyrio
occubuisse: de quibus omnibus, licet varijs temporibus martyrium subirẽt, vno tamen
in loco, quò planior fieret historia, pariter disseruimus.

De Lucifero & Eusebio Occidentalibus episcopis: & quòd Eusebius, simul cum magno Athanasio reliquis q; episcopis, concilio Alexandriæ conuocato, Nicænam fidem corroborarunt: Spiritum sanctum eiusdem esse cum patre & filio naturæ decernentes: & quid de substantia & subsistentia constituerint.

CAPVT XI.

Vide Nice lib. 10. cap. 15. Socrat. lib. 3 cap. 7. POst reditum Athanasij, Lucifer Carallorum, quod est oppidum Sardiniæ, *Caralli opp. Vercellæ opp.*
episcopus, & Eusebius Vercellarum, quæ est vrbs Liguriæ in Italia, ex The-
bis superioribus reuerterunt. Nam ibi, regnante Constantio, in perpetuo
exilio ætatem degere iussi fuerant. Eusebius autem, quò res ecclesiæ com-
muni consensu corrigerentur, concessit Alexandriam, vt concilium vnà
cum Athanasio ad decreta concilij Nicæni stabilienda cogeret. Lucifer verò, diacono *Luciferi & Eusebij ab exilio reditus.*
vnà cum Eusebio, qui pro se concilio interesset, misso, Antiochiam, quoniam ecclesia
illa iam tumultibus perturbata erat (nam & Ariani, quorum antistes fuit Euzoius, in-
ter se diuisi sunt: & fautores quoque Meletij, vt antè disseruimus, à suæ opinionis & do- *Arianorum et Meletianorũ dissensio.*
ctrinæ hominibus dissenserunt) rectà profici scitur: ibiq;e, cùm Meletius nondum re-
uertisset ab exilio, Paulinum designauit episcopũ. Interim multi multarum ciuitatum
episcopi Alexandriæ vnà cum Athanasio & Eusebio congregati, decreta concilij Nicæ-
ni confirmant: Spiritum sanctum patri & filio consubstantialem confitentur, & trini- *Trinitatis assertio.*
tatem nominant: quinetiam docent omnibus credendum esse, hominem, quem Deus
verbum assumpsit, & corpore & animo perfectum esse: quemadmodum veteribus ec-
clesiæ & sapientibus patribus ita placuit. Ac quoniam controuersia de substantia & sub-
sistentia ecclesias turbabat, crebræ de his vocibus contentiones disputationesq; oriebã-
tur. Idcirco valde sapienter, mea quidẽ sententia, decretum est, vt statim ab initio, cum *Substantiæ et subsistentiæ vocibus quatenus vti permissum.*
de Deo esset sermo, hisce vocabulis minimè quisquã vteretur, nisi cùm Sabellij opinio-
nem fortè conaretur refellere, ne inopia verborum eandem personam videretur
tribus nominibus appellare: sed triplici facta distinctione, vnam quamque
separatim cogitatione complecteretur. Atque hæc quidem isto mo-
do ab episcopis Alexandriæ coactis decreta sunt. Apud quos qui-
dem episcopos Athanasius, quò se de fuga purgaret, li-
brum, quem de ea re scripserat, recitauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Paulino & Meletio Antiochenis episcopis: & quòd Eusebius & Lucifer inuicem dissidebant, & quòd Eusebius & Hilarius Nicænam fidem propugnabant.

CAPVT XII.

Eusebij erga Luciferum ob seruantia. Paulinus episc. creatus.

HOc dimisso concilio, Eusebius profectus Antiochiam, populum dissensione distractum reperit. Nam qui fauebant Meletio, in vnum cum Paulino conuenire noluere, sed separatim egere conuentus. Et quanquam Eusebius grauiter & iniquo animo patiebatur, quòd Paulinus contrà quàm oporteret, absque omnium consensu creatus fuerat episcopus: nequaquam tamen Luciferum apertè incusauit, ne quid de eius fama detraheret: sed se ab vtriusque partis communione temperans, pollicitus est ea se in concilio correcturum, quæ vtrisque offensioni esse viderentur. Ac dum populum ad concordiam adducere studebat, Meletius ab exilio reuersus, cùm suæ opinionis fautores ab alijs segregatos offendisset, seorsum cum his extra vrbem, Paulinus autem cum suis intra vrbem conuentus egit. Nam hunc, vtpote mansuetum, & ob piam vitæ institutionem, ætatemque prouectam planè venerandum, Euzoius sectæ Arianæ antistes minimè ex vrbe reiecerat, sed vnam ei tribuerat ecclesiam. Eusebius autem, cùm quod animo instituerat, neutiquam consecutus sit, decessit Antiochia. Lucifer verò se ab eo propterea contumelia affectum ratus, quòd Pauli ordinationem minimè approbauerat, grauiter succensuit, & cum eo cõmunicare recusauit: & decreta concilij Alexandrini, velut ex contentione nata, insimulare aggreditur: quæ res vna causa & origo fuit sectæ eorum, qui ab eius nomine Luciferiani vocabantur. Nam qui vnà cum illo his de rebus grauiter offendebantur, se ab ecclesia separarunt. At ille ipse, licet animo alienato & cum primis offenso esset: tamen cùm per diaconum, quem vnà cum Eusebio miserat, confessus fuisset se decretis concilij Alexandrini editis staturum, Ecclesiæ catholicæ consentiens, Sardiniam reuertitur. Eusebius autem regiones Orientis peragrans, eos qui fidem contempserant, in rectam viam reducere studuit: & quemadmodum de Deo sentiendum esset, docuit. Dein Illyriam properè pertransiens, venit in Italiam. Ibi Hilarium episcopum Pictauorum, quod est oppidum Aquitaniæ, qui in eisdem rebus corrigendis ante eius aduentum laborauerat, reperit. nam Hilarius iamdudum ab exilio reuersus, Italos & Gallos docuerat, quæ dogmata essent amplectenda: & contrà, quæ fugienda. Etenim vir erat lingua Latina disertus, librosque sanè valentes, vt antè dixi, ad dogmata Arij oppugnanda, scripsit. ad hunc modum igitur doctrinam concilij Nicæni in ea imperij parte, quæ ad solem occidentem vergit, ab Hilario & Eusebio defensam & propugnatam accepimus.

Meletij ab exilio reditus.

Luciferi cum Eusebio dissensio.

Luciferiani hæretici.

Pictauorum episcopus.

Hilarius Nicænæ fidei assertor.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 17. Socrat. lib. 3. cap. 8.

B

Quòd Macedonius, & qui illi addicti erant, cum Acacianis discordabant: & quid pro se responderint.

CAP. XIII.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 18.

DVm hæc geruntur, Macedonij sectatores, quorum è numero fuit Eleusius, Eustathius, & Sophronius, iam tum palàm Macedoniani appellari cœpti, & velut in separatum cœtum segregati, atque morte Constantij impunitatem nacti, conuocant in vnum Seleuciæ suæ opinionis fautores, & concilia quædam habent: in quibus & abdicant Acacianos, & fidem Arimini stabilitam reijciunt: formulæque fidei Antiochiæ editæ, & pòst à concilio Seleuciæ congregato confirmatæ, suffragantur. Ac cùm criminis loco illis esset obiectum, quòd cũ Acacianis dissiderent, quippe cùm antè cum eisdem tanquam eiusdem opinionis communicassent: per Sophronium Paphlagonem in Oriente respondebant, quòd quoniam episcopi * Occidentis filium patri consubstantialem asseruerant, Aërius autem eum substantia patri dissimilem docuerat: & illi separatas patris & filij subsistentias vocabulo CONSVBSTANTIALIS in vnam confusè colligauerant, hic autem proprietatem naturæ filij à patris natura admodum disiunxerat: idcirco ipsi piè fecissent, quòd filium patri substantia similem dixerant: & mediam hanc viam, quoniam vtrique illi ad contraria extrema deflexissent, sibi delegerant ad insistendum. Atque hi quidem illis à quibus erant accusati, hoc modo se purgare conabantur.

Macedoniani Acacianos abdicant.

Abdicationis causa. Sophronius Paphlago.

** Al. in Oriente.*

Quòd

Quòd rursus Athanasius exularit: & de Eleusio Cyziceno episcopo, & Tito Bostrorum: & familiæ vnde scriptor hic prognatus sit, commemoratio.

CAPVT XIIII.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 19. 20.

IMperator verò, cùm accepisset Athanasium conuentus in ecclesia Alexandrina agere, & liberè populum docere, & multos Gẽtiles eius suasu ad fidem Christi traductos: dat mandatũ, vt exeat Alexandria. Quòd si ibi maneret, grauissima ei supplicia irrogata fore. Causam autem ad eum incusandum simulauerat, quòd cùm ab imperatoribus, qui ipsum antegressi fuerant, esset exilio condemnatus, potestate à nullo accepta, ipse suopte nutu sedem episcopatus denuò occupasset. Nam se non feciss potestatem his quos Constantius in exilium miserat, ad ecclesias suas regendas, sed in patriam solum reuertendi, dicebat. Cùm verò Athanasius propter hoc Imperatoris edictum esset fugam facturus, videretq; multitudinem Christianorum circa se lachrymas profundentem: Bono animo, inquit, estote. nebula enim est, & breui euanescet. Quæ cũ dixisset, ad iter se parat: & ecclesia amicis, quibuscum arctiore amoris vinculo colligatus erat, commendata, ex vrbe egreditur. Dum hæc geruntur, ciues Cyzici de rebus suis, & de reficiendis Gentilium delubris legatos ad Imperatorem mittunt: quorum curam ac studium in rebus sacris positum laudat ille quidem, & sua ipsis postulata concedit omnia. Eleusium autem illius vrbis episcopum in carcerem conclusit, vtpote qui illorum fana vastasset, delubra affecisset contumelia, parasset ædes ad viduas alendas, monasteria sacris virginibus extruxisset, & Gentiles ad ritus patrios contemnendos induxisset. Interdixit præterea Christianis peregrinis, qui cum eo erant, vrbis Cyzici introitu: causamque attulit, quòd esset verisimile eos religionis ergò seditionem concitaturos: quippe cùm Christiani, qui in ciuitate habitabant, quique idem de Deo sentiebant, subsidio essent illis futuri: quorum nonnulli lanificio publico operam dabant, alij cudendæ monetæ artem exercebant. Qui cùm essent quàm plurimi, in duas numerosas classes diuisi erant, & ex veterum Imperatorum mandato vnà cum liberis & vxoribus domicilia sua Cyzici collocabant: atque certum tributum quotannis B ærario publico pensitabant, alij chlamydes militares, nouam ac recentem monetam alij. Quanquam autem omnino secum statuerat Iulianus, religionem Gentilium stabilire: tamen inscitiæ putauit esse, populum qui victimas immolare nollet, vel cogere vi, vel supplicio afficere. Tanta enim erat eorum multitudo, vt magistratus cuiusque ciuitatis ægrè illorũ numerũ subducere, & in tabulas referre potuerint. Porrò eos neq; in vnum conuenire, neque pro arbitrio preces facere vetuit. Certò enim nouerat, res, in quibus conficiendis libera voluntate opus est, per vim nunquam posse rectè geri. At verò clericos & ecclesiarum antistites vrbibus exigere maturauit. Quorum ab ecclesijs b sentia (dicam equidem quod verum est) moliebatur populi conuentus dirimere: ita vt neque conuenirent in vnum, neque doctores haberent, neque sacra perciperent mysteria, denique vt temporis diuturnitate in suæ ipsorum religionis obliuionem venirent. Illudque simul considerabat, quòd clerici populum ad dissidium inter se inducerent. Illudque simul considerabat, quòd clerici populum ad dissidium inter se inducerent. Itaq; cùm in hunc modũ perfecissent, vt neq; seditio facta esset, neque vlla fieri poterãt. Itaq; cùm in hunc modũ perfecissent, vt neq; seditio facta esset, neque vlla fieri poterãt. Itaq; cùm in hunc modũ perfecissent, vt neq; seditio facta esset, neque vlla fieri expectaretur: Eleusiũ, & eos qui cum illo erant, Cyzico exire iussit. Itemque ciuibus Bostri per præconem publicum mandauit, vt Titum illius tum ecclesiæ episcopum sua ciuitate pellerent. Ac postquam minatus fuerat, tum eum, tum clericos eius in crimen vocaturum, si à populo vlla conflaretur seditio: Titus libellum ad eum misit, estq; testatus, quòd quamuis Christiani Gentilibus aduersarij essent, tamen quietè & tranquillè se gererent, & suis hortationibus inducti, nihil omnino seditiosum cogitarent. Quibus ex verbis cũ Titum plebi inuisum & odiosum reddere pararet, scripsit ad ciues Bostri literas, eumque vt populi accusatorem apud illos insimulauit: nimirum quòd dixerat, populum non sua sponte, sed suis hortationibus se à seditione temperasse. Itaque populum incitauit, vt illũ velut sibi infensum è ciuitate exturbaret. Eiusmodi scelera permulta etiam in alijs locis, vt est credibile, partim Imperatoris mandato, partim furore & temerario populi impetu fortè edita sunt: quorũ causa Imperatori attribui poterit, hoc pacto. Nam eos qui maleficia tam nefaria admittebant, legibus neutiquã coercuit: sed propter odium quo religionem nostram prosequebatur, licet verbis eos increparet videretur, re ipsa tamen ad similia patranda adhortatus est. Vnde Christiani in singulis ciuitatibus & pagis, etiam illo neutiquam persequente, fugam ceperunt. Cuius fugæ cùm alij complures meorum maiorum, tum auus meus particeps fuit: propterea quòd cùm patre Gentili natus esset, & ipse cum vniuersa familia, & hi qui erant genere

Athanasius denuò Alexãdria in exilium pulsus.

Athanasij à pophthegma.

Eleusius carceri inclusus.

Cyzici introitus cum prohibiti Christiani.

Vi nunquam rectè fieri, in quibus libera voluntate opus est.

Eleusius Cyzico exire iussus

Titus Bostri episc. item pulsus.

Iulianus iniuriarum Christianis passim illatarum author.

Christianorũ fuga.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Bethelia. Alaphionis orti, primi in Bethelia, pago ditioni Gazensium subiecto, multis homi- A

Pantheon delubrum. nibus frequentato, & delubra habente, tum ob vetustatem, tum ob structuram ab habitatoribus magno in honore habita: & maximè omnium illud quod Pantheon vocabatur, supra cliuum quendam hominum manu factum, velut supra arcem positum, & toti pago vndique eminens. Et quantum coniectura assequor, locus inde nomen traxit, & in Syriaca lingua in Græcam translatum, domicilium deorum propter illud delubrum Pantheon appellatum est. Ferunt autem illis qui ex horum familijs sati sunt, Hilarionem monachum religionis Christianæ recipiendæ causam & authorem extitisse. Nam cùm Alaphion iste dæmonio agitaretur, & quidam tum Gentiles tum Iudæi incantationibus ad dæmonem eijciendum, & alijs quibusdam superstitiosis ineptijs crebrò multumque vsi, nihil proficerent: Hilarionem, inuocato nomine Christi, dæmonium expulisse, & hominem ad fidem Christi deduxisse. Meus autem auus in sacris literis interpretandis magnam laudem est adeptus: vir erat ingeniosus, & talis, qualis non in obscuro latêre debeat: humaniore etiam literatura mediocriter institutus, ita vt Arithmeticæ expers non esset. Quamobrem Christianis, qui Ascalonem, Gazam, & loca finitima incolebant, perquàm charus erat: propterea quòd ambiguas sanctarum literarum sententias, & ad religionem aptè & apertè ac facilè ad omnium intelligentiam dissoluere poterat. Virtus autem eorum qui altero ex genere orti sunt, vix è quoquam oratione explicari potest. Nam hi primi hoc in loco ecclesias ac monasteria fundarunt, eaque tum vitæ integritate tum benignitate in peregrinis & egentibus excipiendis ipsi exornarunt. Qua ex familia boni viri, qui ad nostram vixêre ætatem, nati sunt: quibuscum iam ætate valde prouectis ipse, cùm essem adolescens, versatus sum. Sed de his postea plura differentur.

Alaphion per Hilarionem monachũ à dæmonio liberatus. Sozomeni auus.

De studio quod Iulianus in stabilienda gentilium religione, & nostra euertenda, posuerit: & epistola, quam ad quendam gentilium archiepiscoporum miserit.

CAPVT XV.

Iuliani in Christianismo supprimendo, & promouendo Gētilismo, studium. Vide Nicephor. li. 10 cap. 21.

IMperator cùm iampridem studeret, vt religio Gentilis per vniuersum imperium peruaderet: iniquo animo tulit, cùm videret eam religione Christiana, laude & hominum approbatione inferiorem esse. Nam tametsi delubra patefacta fuêre, & sacrificia, atq; dies festi patrij Gentilium B in singulis vrbibus sibi ex sententia procedere videbantur: tamen discruciabatur animi, cùm secum cogitaret, quòd si eius conatu nudarentur, foret vt ista omnia breui commutarentur. Maximè aũt omniũ eum angebat, quòd audiret, vxores etiam, liberos & seruos multorum sacerdotum fidem Christi profiteri. At verò cùm existimaret, religionem Christianam maximam ex vita & moribus eorum qui eam sequebantur, commendationem consecutam: instituit animo, delubra Gentilium tum apparatu, tum ordine religionis Christianæ adornare: subsellijs præterea & primarijs sedibus, doctoribus lectoribusque gentilis doctrinæ & exhortationum, quinetiam precibus in certas horas diesque, præscriptis, † monasterijs item virorum & mulierum, qui sapientiæ studio se dicauerant, collegijs etiam peregrinorum & pauperum, reliqua denique in egentes benignitate religionem Gentilem nobilitare: porrò peccatis voluntarijs & non voluntarijs, secundum Christianorum traditionem, post pœnitentiam, castigationem ex æquo respondentem constituere. Dicitur præterea imitatus esse in primis formulas literarum episcopalium, quibus solebant se inter ipsos certiores facere de peregrinis, quò proficiscerentur, & vnde venissent, vt tanquam noti atque adeò amici propter signi testimonium hospitio exciperentur, diligenterque curarentur. Quæ cùm instituisset, seriò laborabat, vt Gentiles his Christianorum institutis assuescerent. Sed quoniam istud fortasse multis videtur incredibile, idcirco non aliunde quàm ex ipsis Imperatoris literis, idem ipsum, quod iam dixi, verum esse ostendam. Sic enim scribit.

Iuliani in Christianismo supprimendo, & promouendo Gētilismo, studium. Gentilium sacerdotum liberi & vxores Christiani plerique. κατεγωγοῖοις. Iulianus instituit dæmoniũ cultores laicos & ecclesiasticos. Vide Can. Apost. Episcopalium literarum formulæ. Vide Can. Apost.

Iuliani Imperatoris epistola ad Arsacium pontificem Galatiæ scripta.

Quòd quidem nondum religio Gentilium ex nostra procedat sententia, impedimento sunt hi qui eam profitentur. Quæ aũt à dijs nobis donata sunt, ea splendida sunt, magna sunt, excellentiora sunt quã quæ omnino vel optari vel sperari poterãt. Nam in tam exiguo temporis spacio (sit quidẽ Nemesis nostris verbis propitia) tantam ac talem rerum mutationem paulò antè ne optare quidem quisquam audebat. Sed quid est causæ, cur id hisce, perinde ac si nihil amplius opus esset, conquiescamus, ac non potius conuertamus oculos ad ea quibus impia Christianorum religio creuerit, id est, ad

A ad benignitatem in peregrinos, ad curam ab illis in mortuis sepeliendis positam, & ad
„ sanctimoniam vitæ, quam simulant? Quorum singula à nobis verè exequenda esse cen
„ seo. Neque satis est, istud solum institutum sanctè obseruari: sed velim omnes nostros
„ sacerdotes omnino, qui Galatiam incolunt, vel minis impellas, vel ratione persuadeas,
„ vt sint honesti: vel sacerdotali ministerio abdices, si non vnà cum vxoribus, liberis &
„ famulis, dijs colendis sedulò animos attendant: & ne patiantur seruos, aut filios, aut
„ coniuges Galilæorum impiè in deos segerere, & impietatem pietati præponere. Dein-
„ de sacerdotem quemque hortare, ne accedat ad spectacula, néue in taberna bibat,
„ neu artem aliquam aut opificium turpe infamémue exerceat. Et qui tibi in his rebus mo-
„ rem gerunt, eis honorem tribuito: qui autem resistunt, expellito. Porrò xenodochia
„ multa in singulis ciuitatibus extruito, vt peregrini nostra benignitate fruantur: neque
„ solum hi qui nostram colant religionem, sed alij quoque, si qui pecuniarum indigeãt.
„ At ratio, qua res tibi ad hoc institutum necessariæ abundè suppetant, à me interim
† Videantur pag. 60. lit. r. lin. ar. excogitata est. † Nam triginta millia modiorum tritici in tota Galatia, & sexaginta
millia sextariorum vini in singulos annos dari iussi: quorum quintam partem in pau-
„ peres, qui sacerdotibus inseruiunt, insumendam esse mando: quod reliquum est, pe-
„ regrinis & mendicantibus subleuandis distribuendum. Nam turpe profectò est, cùm
„ nemo ex Iudæis mendicet: & impij Galilæi non suos modò, sed nostros quoque alant:
„ vt nostri auxilio, quòd à nobis ferri ipsis debeat, destituti videantur. Quare doceto
„ Gentiles in eiusmodi ministeria pecuniam conferre, & pagos Gentilium ex fructibus
„ dijs offerre primitias, & eiusmodi beneficentiæ officijs assuefacito, planumque illis fa-
„ cito hoc nostrum olim munus fuisse. Nam Homerus Eumæum sic loquentem facit.

Iuliani in pe. regrinos & pauperes mu. nificentia.

Hospes si nostris succederet aduena tectis
Victor, acciperem placidè. Sum dives, egensq́,
A Ioue: parua mea est (fateor) sed grata facultas.

Iulianus dignus erat quẽ subulci potius, quã Euangelia, siue dicta suis epistolis inseruiret.

„ Neque igitur permittamus, alios nostrorum imitatione bonorum nobis laudem
„ præripere, vt ipsi propter socordiam turpitudine & infamia afficiamur: immò potius,
„ ne pietatem erga deos penitùs prodere videamur. Quòd si re ista sedulò obire accepe-
„ to, maxima sanè lætitia gestiam. Præsides domi ratò inuisas, sed scribas ad eos literas
B sæpissimè. Ingredientibus illis in vrbem, nemo sacerdos obuiam prodeat: nisi quando
„ ad templa deorum accedunt, solum intrã vestibula. Eos intrantes nullus miles præce-
„ dat: sequatur autem, qui vult. Nam simul vt ingreditur limen delubri, priuati personã
„ induit: siquidem ipse, vt nosti, his qui intus sunt, præes, propterea quòd diuina lex istud
„ postulat. Et qui tibi parent, sunt reuera pij: qui autem præ arrogantia resistunt, osten-
„ tatores sunt, & inanis gloriæ appetentes. Pessimunti opem ferre paratus sum, dummodo
„ matrem deorum sibi propitiam reddant. At si eam contemnant, non modò culpæ affi-
„ nes erunt, verùm etiam, quod dictu acerbius est, in grauissimam apud nos offensionem
incurrunt.

Pessimantijs imperat cultũ nouercæ Dæmonum si se propitium habere velint.

Nam scelus infandum est, dextram præstare benignam
Illis qui superis indicunt bella beatis.

„ Persuade igitur illis, vt si à me curam de se suscipi cupiant, omnes vnà se deorum ma
„ tri supplices præbeant.

Quòd Iulianus Christianos, vt tyranni suspicionem euitaret, astutè circumuenendos, supplicijs afficiebat: & quòd crucis insigne deleuit, milites q́, vt inuitè sacrificarent, induxit.

CAP. XVI.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 22.

AT tametsi Imperator, dum ista ageret, scriberetque, putauit facilè subiectos sua sponte à fide Christiana descituros, & omnia quæ ad religionem Christianã delendam facerent, sedulò molitus est: neminem tamen inducere potuit. atq; eos apertà vi cogere planè dispudebat, ne tyranni partes agere videretur. Attamẽ de suo studio nihil remisit, sed omnia quæ ad religionem Gentilium facere viderentur, machinatus est: atque subiectos, & maximè omnium copias militares, has quidem sua ipsius, illos autem magistratuum opera, ad eam deducere laborauit. Omnes autem omnino ad illam profitendam cùm reuera assuefacere conaretur, illud quod in signis militaribus Romanorum principem locum obtinebat, quodque Constantinus diuino mandato, vti suprà commemoratum est, in insigne crucis commutauerat, ad veterem effigiem & figuram traducere decreuit. Nam dedit operam, vt in publicis imaginibus iuxta ipsum Iupiter

Iuliani astutia in Christianis circumuẽniendis.

Antiquato Crucis labaro pristinum reuocauit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quali forma se pingi vellebat Iulianus.

iupiter depingeretur, velut è cælo apparens, coronam & purpuram, quæ sunt imperij insignia, ipsi præbens: Mars item & Mercurius in eum intuentes, & tanquam obtutu oculorum testificantes, quòd vir esset tum in dicendi arte, tum in re militari spectatus. Ista quidem, & alia quæcunque ad cultum Gentilitium spectabant, imaginibus admiscerì imperauit: ad eum finem, vt non modò simulatione honoris imperatori decreti subiectos res vnà depictas latenter venerari cogeret: verum etiam, vt veteribus institutis ad suam libidinem abutens, omni solertia & mentis acumine adhibito, voluntates subditorum clàm in fraudem induceret. Nam sic cogitabat: Si hoc illis persuaderet, se multò facilius, quæ in animo habebat, decæterò effecturum esse: sin repugnare animaduerteret, in illos, vtpote nouas res contra Romanorum institutа molientes, & cũ in Rempublicam tum in imperium peccantes, absque vlla venia vindicaturum. Quare pauci profectò erant, qui dolum eius intellexêre: qui quidem cùm, vt moris erat, adorare renuerent, pœnas dedêre. Multitudo autem (quod fieri solet) præ ignoratione & mente simplici legi veteri se omnino parêre putauit: & ita inscitia decepta, ad imagines colendas accessit. Verùm Imperator nihil ne ex hoc quidem conatu profecit. Ac tametsi hæc eius astutia perspicuè deprehensa est, tamen nihil de contentione animi ac studio remisit: sed omnem, vt dicitur, mouit lapidem, vt subiectos ad parem secum religionis modum sequendum deduceret. Atque quanquam quod tum moliebatur, ab eo quod suprà diximus, penitus non discrepauit: tamen & magis omnibus apparuit, & maiore cum violentia fusceptũ est, & causa fuit nonnullis qui in aula militabant, maioris constantiæ & fortitudinis. Vbi ènim tempus aduenit, vt Imperator milites remuneraret, (quod quidem Calendis apud Romanos, & diebus festis natalibus tum Imperatorum, tum primarum vrbium imperij omnino fieri solet) cùm secum consideraret quàm simplex natura, quamque insulsum esset militum genus, & quàm facile propter consuetã auaritiam, quæ in eo inesse solet, pecunia vinci posset: & singulis qui ad munus accipiendum accedebant, datum esset in mandatis ab his qui Imperatori astabant, vt incensum offerrent (in proximo enim erat & thus positum, & ignis) perinde quasi hoc olim fuisset apud Romanos decretum, ibi tum alij absque metu præsentiam animi & magnitudinem declararunt, neque incensum offerre voluerunt, & donum ab Imperatore accipere prorsus renuerunt: alij simulatione legis & antiquitatis confisi, se deliquisse neutiquam in animum induxerunt: alij autem vel lucro, quod proponebatur, velut inescati, vel metu & perturbatione propter suppliciũ quod imminebat perculsi, licet intelligerent se iam ritum Gentilitium exequi, minime tamen isto scelere sese obstringere detrectarunt. Eorum autem qui præ ignoratione in hoc peccatum incidebant, nonnulli dicuntur, cùm amicè inter se epularentur, sibi mutuò, vti in potando fieri solet, propinantes, Christum super poculis nominasse. Quendam autem è conuiuis interpellasse eos, ac dixisse: permirum esse illos voluisse nomen Christi inuocare, quem paulò antè denegauerãt: eo scilicet tempore, quo dono ab Imperatore accepto, thus in ignem imposuissent. Quod simul vt audiuêre, intellexereque quod facinus conscisuissent, illico inde properè egressi palàm per plateas cursitare, clamare, lachrymas fundere, Deum ipsum & omnes homines testari, se Christianos esse, & in ea fide permanere: atque ignoratione illius quod factum erat (si verum omnino dicendum esset) solam manum, animo prorsus repugnante, Gentilitatis labe pollutam fuisse. Vbi autem ad Imperatorem veniunt, proiecto ad pedes eius quod dederat auro, valde constantibus & generosis animis postulant vti suum ac proprium munus reciperẽt: hoc est, vt necem subirent. Nam rem plane esse, cuius ipsos nunquam pœniteret, si pro scelere, quod inconsideratè admisissent, toro corpore, idq; propter Christum, pœnas persoluerent. Imperator verò licet ea re grauiter commotus, noluit tamen eos interficere, quòd inde illis honos tribueretur martyrij: sed è militum numero exemptos, aula sua exturbauit.

Donatino dando milites ad pagimsimum reuocare conatur.

Christi nomen etiam super poculis prolatum.

Insignis quorundam pœnitentia qui imprudentes honorem exhibuerant idolis.

Iulianus inuidet pœnitentibus martyrũ.

A *Quòd Iulianus Christianis forum, iudicia, & gentilium literarum cognitionem interdixit: & de Basilio magno, Gregorio Theologo, & Apollinario, qui Iuliano restiterunt, & ad gentilium formam sacras literas conuerterunt: ac præcipuè Apollinarius, & Gregorius Nazianzenus, quorum alter admodum Rhetoricè pleraq; conscripsit, alter carmine heroico præstantissimos quosq; poetarum imitando expressit.*

CAPVT XVII.

Vide Nicephor. lib. 10. cap. 24. 25. Theodori. lib. 3. cap. 7. Socrat. lib. 3. cap. 14.

HOc animo fuit etiam aduersus omnes Christianos Imperator. siquidem cùm nihil haberet criminis, quod illis posset obijcere: arrepta tamen ex eo occasione, quòd idolis immolare recusarent, ius Reipublicæ eis denegauit: & neque in communes hominum congressus, neque in forum venire, neq; iudicium exercere, neque gerere magistratum, neq; vllum dignitatis gradum obtinere permisit. Porrò autem vetuit, ne Christianorum liberi poetas & alios scriptores Gentiles perdiscerent, néue horũ doctores adirent. Nam non mediocriter eius animũ offendebat, non solum Apollinarius Syrus, vir omni doctrinæ genere & orationis formis instructus, verũ Basilius quoq; & Gregorius Cappadoces, qui omnib. illius ætatis rhetoribus laudem præripiebant, atq; alij eodem tempore quãplurimi diserti viri: quorum alij sunt decreta concilij Nicæni, alij hæresim Arianam amplexati. Hinc igitur solum, quoniam magnam ad persuadendum facultatem posse parari censebat, vetuit ne Christiani Gentilium disciplinis instruerentur. Quo quidem tempore Apollinarius, quem dixi, quòd sua multiplici doctrina & bonitate ingenij oportunè multis prodesset, ad exemplar poematis Homeri, veterem Hebræorum historiam vsque ad regnum Saulis carmine heroico cõscripsit, & totum opus in viginti quatuor libros distribuit, singulisq; singularum literarum Græcarum nomen imposuit, numero earundem & ordine omnino seruato. Comœdias quoq; composuit fabulis Menandri similes: itemq; Tragœdias Euripidis, & Lyricos Pindari versus imitatione adumbrauit. Ad summam, argumentis è sanctis literis depromptis, de illis ad similitudinem earum disciplinarum quæ ἐγκύκλιαι appellãtur, scripsit: breuique temporis spacio opera edidit, quæ numero, dicendi vi, ipso orationis habitu, sermonis proprietate, forma deniq; & dispositione scripta Gentilium, qui in his rebus, cũ primis excellebant, exæquarunt: adeò vt nisi antiquitatem admirarentur homines, & quibus assueti fuerint, ea chara habe rent, lucubrationes Apollinarij non minoris quàm veterum scriptorum æstimarent, casq; itidem docerent: eiusq; ingeniũ eo magis suspicerent, quòd veterum singuli in vno genere separatim elaborarunt: iste aũt ad omne genus scripti animum applicãs, vim & virtutem cuiusq;, cũ vsus postularet, accuratè expressit. Non obscurus est ille quidẽ liber, quem aduersus Imperatorem Iulianum, siue aduersus philosophos Gentiles pro veritate inscripsit: in quo sine vllis sacrarum literarum testimonijs planè ostendit, eos in illo quod de Deo sentiendum est, per errorem vehementer lapsos esse. Quæ irridens Imperator, episcopis eius temporis facilè præstantissimis scripsit hæc verba: *Legi, intellexi, improbaui.* Ad quæ rescripsere episcopi: *Legisti quidem, sed nõ intellexisti: nam si intellexisses, non improbasses.* Sunt qui hanc epistolam Basilio ecclesiæ Cappadociæ antistiti attribuãt: neque id sanè immeritò. Sed siue eius sit, siue alterius: qui eam scripsit, quisquis fuerit, iure tum propter magnitudinem animi, tum propter eruditionem debet laudari plurimùm.

Iulianus Christianos arcet à pub. munerib.

Ascholis pub.

Apollinarius Syrus.

Basilius magnus.

Gregorius Nazianzenus.

Apollinarij scripta.

Epica.

Comica.

Tragica.

Lyrica, quæ occasione & fine scripta.

Eiusdem liber contra philosophos.

Christianorũ libros improbantis Iuliani modus quomodo obiter attingitur.

De Iuliani oratione cui titulus est Μισοπώγων, & Daphne apud Antiochiam, & eius descriptione, & reliquiarum sancti Martyris Babylæ translatione.

CAP. XVIII.

Vide Nicephori. li. 10. cap. 27. 28. Socrat. li. 3. cap. 15.

IMperator verò cùm bellum contra Persas gerere moliretur, venit Antiochiã, quæ est vrbs Syriæ. Cũ autem plebs vociferaretur, quòd rerum ad victum necessariarum permagna esset copia, percarè tamen venderentur: Imperator, credo quò populum alliceret, mandauit vt res in foro venales minori precio, quã quo æstimari deberẽt, vẽderentur. Cumq; ea de re cupedinarij inde aufugerẽt, factũ est vt res necessariæ plebẽ deficerent. Antiocheni igitur hanc rẽ grauiter & iniquo animo ferentes, Imperatorẽ contumelijs afficere, & in barbã eius, q; paulò prolixior erat, illudere: illiusq; monetã, quę tauri effigie signata erat, irridere cœperunt. Nam ei per conuiciũ obijciebant, mundum ab eo imperiũ administrante, non aliter atque à tauris ferocibus, qui cornua in sublime iaciunt, labefactatũ iri: quæ sumque esse. Ille aũt primò ardens iracũdia, minatus est se Antiochenos malè habiturũ, Tarsumq; trãsferre constituit. At postea, ira mirandum in modũ mitigata, verbis duntaxat contumeliam

Iuliani irrisio Antiochiæ rerum venalium pretia imminuentis.

Iuliani barba.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Misopogon Iuliani liber.

contumeliam illam vltus est: pulcherrimoque libro, quem μισοπώγωνα, id est, odium Barbæ inscripsit, aduersus Antiochenos edito. Quinetiam Christianis qui in ea vrbe erant, non dissimilem se præbuit, superstitionemque Gentilium roborare contendit. Sed quæ res id temporis ad Babylæ martyris tumulum, & ad fanum Apollinis quod

Daphne suburbium Antiochiæ eiusque descriptio.

erat in Daphne acciderunt, operæ precium profectò est commemorare. Atque hinc initium narrandi faciam. Daphne, est suburbium Antiochiæ percelebre, nemore multis cupressis vestito cinctum, alijsque arboribus cupressis admixtis variatum. Subter arbores autem terra, pro temporum vicissitudine, alios alijs succedentes flores benè olentes cuiusque generis producit. Locus autem vndique ramorum & foliorum densitate, quæ solis radios ad solum vsque terræ haud penetrare sinit, velut tecto, vel vmbra potius, circumfusus est. Est etiam, tum propter abundantiam & pulchritudinem aquarum, tum propter temporum æquabilitatem, tum denique propter placidorum

Daphne Ladonis F. in arborem.

ventorum flatum peramœnus, & ad oblectationem valde accommodatus. Itaque apud Gentiles in fabulis est, Daphnem filiam Ladonis fluminis Arcadiæ, cum Apollinem amatorem fugeret, in arborem suo nomine appellatam, conuersam fuisse. Apollinem autem ne sic quidem perturbatione illa animi liberatum, ramis arboris, quam amabat, se coronasse, ipsam arborem complexum esse: & locum sibi, si quisquam alius, charum, prærogatiua præ cæteris honorasse. In Daphnem igitur suburbium ingredi, cum eius generis esset, turpe modestis viris existimabatur. Nam & situs loci, &

Vide Metamorph. O. uidij.

Daphne ipsa loci oportunitate ad lasciuiam inuitat.

Vide Liliū Giraldū de Diijs Gentium.

natura erat ad lasciuiam accommodata: & materia fabulæ, quæ fuit planè amatoria, leui arrepta occasione, in animis corruptorū adolescentiū duplo maiorē amorē insecuit. Nam res in fabulis descriptas, velut causam ad se excusandos afferentes, vehementius incēdebantur: & omni exuto pudore, ad facta libidinosa cupidè ferebantur: nec poterant vel seipsos obtemperare, vel temperantes homines eo in loco secum videre. Nam si quisquam eorum absque amica fortè in Daphne versaretur, stupidus planè, inhumanus, & tanquam scelus quoddam, aut pestis detestabilis fugiendus videbatur. Erat hic locus reuera in magna veneratione apud Gentiles, & magno æstimatus. Nam

Apollo Daphnæus.

eximia Daphnæi Apollinis statua in eo fuit, & delubrum magnifica opera & sumptuosa constructum: quod fama est à Seleucio patre Antiochi, à quo Antiochia nomen accepit, ædificatum esse. Credebatur etiam ab his qui istas res colere solent, aquam in eum locum ex fonte Castalio influere, quæ facultatem diuinandi hominibus tribuebat, paremque vim & idem nomen cum ea quæ est in Delphis, obtinebat. Quinetiam

B

Castalia aqua

iactitant, Adriano priuatam etiamnum vitam degenti, imperium ei obuenturum, in eo loco prænunciatum fuisse. Nam dicunt eum, cùm folium fonte Daphnes tinxisset, hausisse inde rerum futurarum cognitionem in folio planè descriptam: ac cùm ad imperium gubernandum peruenisset, fontem aggere obruisse, eo consilio, vt alijs non liceret ex eo discere futurarum rerum scientiam. Sed hæc quidem narrantur accuratè ab ijs, qui curam ac studium in fabulis contexendis posuerunt. Vbi verò Gallus, frater Iuliani, Cæsar à Constantio designatus, Antiochiæ ætatem degit, quoniam Christianus erat, quia in primis eos qui pro religione Christiana martyrium obierant, colebat, constituit hunc locum purgare tum superstitione Gentilium, tum intemperantium hominum contumelia. Atque cùm persuasum haberet se facile hoc perfecturum, si mo-

Babylæ martyris loculus translatus.

dò ecclesiam ibi in delubri loco extrueret: trāstulit in Daphnem loculum Babylæ martyris, qui ecclesiam Antiochenam præclarè admodum rexisset, martyrioq; occubuisset. Ex quo quidē tempore dicitur dæmonium nullum oraculum, vti consueuerat, edidisse. Videbatur quidem primò istud propterea accidisse, quòd victimis iam carebat, & cultu illo quo antè dignatus fuerat. Sed postea tamen ab eo ipso patefactum est, quòd martyr, cuius corpus in proximo repositum erat, impedimento fuit, quò minus istud, vt solet, præstaret. Etenim quanquam Iuliano solo imperium Romanum gubernante, libamentis, nidore & copia hostiarum abundabat: nihilominus tamen conticuit, ad extremumque responso dato, perspicuè causam superioris silentij per se declarauit. Nā cùm Imperator animo instituisset de rebus, de quibus ei libitum erat, oraculum, quod

Oraculum Daphnes cur obmutuerit.

in eo loco fuit, tentare, accedens ad delubrum, dæmoniū monumentis & victimis magnificis honorat: oratque vt res, quas moliebatur, non negligeret. Dæmonium igitur ei, si non planè & apertis verbis ita significabat, se nimirū propter Babylam martyrē, cuius bustum vicinum erat, oracula dare non potuisse: tamen respondit, locum refertum esse cadauerib. mortuorum, idq; obstare quo minus oracula ederet. Quo audito, Imperator licet multa essent cadauera in Daphne condita: tamen quoniam conijciebat martyrē solum esse oraculis impedimento, dat mandatum, vt bustū martyris inde in alium locum transferretur. itaque Christiani in vnum congregati, bustum circiter quadraginta

Iuliani mandatū de transferendo Busto martyris Babylæ.

A ginta stadia in Vrbem trahunt: vbi iam martyr, in loco qui ab eo nomen accepit, repositus iacet. Ferunt eo tempore viros & mulieres, iuuenes & virgines, senes & pueros, mutua ipsorum cohortatione incitatos, per totum iter Psalmos cantasse. qui quamuis simularent, se, quò labores itineris leuarent, cecinisse: tamen canebāt reuerà ardenti studio & propensa erga pietatem voluntate incensi, propterea quòd Imperator aliter omnino atque ipsi de Deo sentiebat. Psalmos autem ordiebantur hi qui eos canere accuratè norant: multitudo autem simul voces fudit cum concentu, huncque versum addidit: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.

Psalmos cantāsse dicitur.

Quòd propter reliquiarum eius translationem, multas Christianis clades Iulianus inflixit: & de sancto confessore Theodoro: & quòd delapso cælitus igne, Daphnæi Apollinis templum conflagrauit. CAP. XIX.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 28. Socrat. lib. 3. cap. 16. Theodori. li. 3. ca. 9. 10.

B hanc causam Imperator, perinde quasi contumelia affectus fuisset, irā exardescere cœpit: & propterea constituit supplicia Christianis irrogare. Verùm Salustius eius præfectus, licet professione Gentilis, illud quidem consilium non probauit: sed tamen cùm resistere non posset, mandatum Imperatoris reipsa exequitur: & postridie multos comprehendit Christianos, & in vincula conijcit. Ac primùm omnium adolescentem quendam, cui nomen erat Theodorus, in medium productum, ad equuleū applicat. Ille diu acutis tortis suffossus, neque tormentis succubuit, neque præfecto supplicem se præbuit: sed ita se gessit, vt nihil videretur sentire doloris, quinetiam velut spectator cruciamentorum sibi inflictorum, toleranter ac placidè plagas accepit, Psalmumque cecinit rursus eundem, quem pridie cecinerat: atque ita planè ostendit, quàm non curaret ea, pro quibus in iudicium adductus fuisset. Præfectus autem constantiam adolescentis admiratus, cū veniisset ad Imperatorem, res ab eo gestas illi exposuit: dixitque, nisi celerius ab instituto desisteret, fore vt & ipsi omnibus haberentur ludibrio, & Christiani plus inde laudis & gloriæ colligerent: quod consilium cùm magis approbaretur, qui erant comprehensi, vinculis liberabantur. Dicitur porrò, Theodorum, cùm à quibusdam rogatus esset, num dolorem sensisset tormentorum? respondisse, se non omnino omni sensu doloris caruisse: verùm adolescentem sibi astitisse, qui doloris morsus sedasset: tenuissimo B linteo absterssisse sudores, aqua frigidissima corpus perfudisse, qua & ardores restinxit, & ærumnas subleuauit. Videtur quidem certè mihi hoc non solius esse hominis, quantumuis generosi, vt corporis afflictationem adeò contemnat, nisi qui fortè robore & vi diuina adiutus fuerit. Itaque Babylas martyr ob eam causam, quam suprà demonstrauimus, & in Daphne conditus est, & inde rursus translatus. Qua re confecta, haud ita diu pòst ignis ex improuiso in delubrum Apollinis Daphnæi irruens, totum tectum & ipsam statuam flamma penitùs absumpsit: atque parietes solùm, quibus delubrum erat circundatum, columnas præterea, quæ tum vestibula tum posteriorem partem ædificij sufful ciebant, nudatas reliquit. Atque vt Christiani putabant ignem illum cælitùs in dæmonem delapsum esse: sic Gentiles rumorem dissiparunt, illud facinus à Christianis dedita opera perpetratū. Quæ opinio cùm superior esset, sacerdos Apollinis adducitur in iudicium, vti, quis incendij author fuisset, indicaret. Atque licet multis verberibus cæsus, grauiterque cruciatus, neminem tamen omnino indicauit. † Qua repotissimum inducti Christiani, constanter affirmarunt, ignem non ab hominibus per insidias iniectum, sed diuina vltione à cælo demissum, in delubrum irruisse. Atque ista hoc modo accidisse accepimus. His rebus in Daphne propter Babylā martyrem à Deo confectis, Imperator, credo, cùm certior factus esset, ecclesias quasdam in honorem martyrum esse prope Apollinis Didymæi fanum, quod est pro Meleto situm, ædificatas: scripsit ad præsidem Cariæ, vt si tectum iam & mensam sacram haberent, eas incenderet: sin earum ædificia ex dimidia parte duntaxat perfecta essent, fundamentis distributis solo æquaret.

Saluſtius Iuliani præfectus.

Theodori constantia Iuliani contra Christianorum pietatem & gloriam.

Theodori refessoris martyrium quomodo celebratum.

Theodori responsum ad eos qui de supplicij patientia quærebāt.

Daphnæi Apollinis incendium.

† Videa n. nor. pag. 7. Galæa. lin. 7.

Iulianus mandat vt martyrum templa Apollini Didymæo vicina destruātur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Christi statua quæ Paneadi habebatur: quam cùm diruissent destruxissentq; Iulianus, suam ibidem erexit: & quomodo ea icta fulmine, collapsa sit: Et de fonte Emaus, in quo pedes suos lauit Christus: & Perside arbore, quæ Christum in Ægypto adorauit, & miraculis per eam editis. CAP. XX.

A

Vide Nicephor. li. 10. cap. 30. 31.

ILlud porrò dicetur à me, quod etiam regnante Iuliano accidit: quod quidem vt Christi potentiam planè indicat, ita iram diuinam aduersus Imperatorem accensam euidenter ostendit. Cū certior factus esset Cæsareæ Philippi (est ea quidem vrbs Phœniciæ, quam Paneadem vocant) præclaram esse Christi statuam, quam mulier, quæ sanguinis profluuio laborabat, cū

Cæsarea Philippi. Paneas. Christi statua Paneade. Iuliani statua fulmine deiecta, quā erexerat in locum statuæ Christi.

eiuet morbo liberata, ibi collocauerat: eam deturbauit, suamq; in eius loco posuit. Quo facto, ignis violentus de cælo delapsus, statuam illam circiter pectus persecuit, caputque vnà cū collo in terram deiecit, atq; in faciē humi ea in parte defixit, quæ fuerat à pectore diuulsa. Ex quo quidē tempore ad hodiernum diē atra, tanquā fulminis ictu ambusta, manet. Id temporis igitur Gentiles statuā Christi tanta cum violentia trahebant, vt eam cōfringerent. At Christiani postea eius fragmenta cum collegissent, in ecclesia po-

Herba ex basi statuæ Christi nascens.

suerunt, vbi etiā adhuc custoditur. Ex basi, supra quā hæc statua locata erat, herba quædam, vti narrat Eusebius, quæ morbis cuiusq; generis mederi solet, enascebatur: quę quidem cuius generis esset, nemo nostrorum medicorum, qui vel scientia valebant medēdi, vel experientia, omnino nouit. Neq; certè mihi mirum videtur, à Deo, cùm ad carnē humanam sumendā ipse veniisset, beneficia adeò noua & peregrina hominibus delata esse. Nam cùm alia quā plurima miracula in quibusdam ciuitatib. & pagis edita sunt, quæ solis indigenis fuerunt per traditionē à temporibus Christi & Apostolorū ductam cognita: tum istud etiam reuera, quòd modo hoc in loco commemorabo. Est vrbs Pa-

Nicopolis, quæ prius Emaus.

læstinę, quæ iam Nicopolis dicitur, cuius quidem vt pagi (sic enim iam tū fuit) diuinus Euangeliorum liber facit mentionē, eamq; Emaus appellat. At Romani, capta Hierosolyma, & parta contra Iudæos victoria, eam Nicopolim nuncupabant: nomine ex euentu belli impositō. Ante hanc vrbem, propter triuium (in quo Christus post resurrectionem à mortuis cum Cleopha incedens, simulabat se ad alterum pagū properè contendere) est fons quidam salutaris, in quo non homines modò, qui ægrotant, loti curā-

Emaūtis fons salutaris.

B

tur: verùm etiam alia animalia, quæ varijs morbis laborant. Nam ferunt Christū vnà cum discipulis, quodam tempore è via ad fontem illum diuertisse, inq; eo lauisse pedes, & aquā ex eo tempore vim morbis medendi habuisse. Memorāt præterea, arborem esse, quæ Persis dicitur, Hermopoli, quod est oppidum Thebaidis, cuius fructus aut foliū,

Persis arbor Hermopoli.

aut particula aliqua corticis ægrotis admota, morbos à compluribus depulerit. Nam traditum est, Ioseph, cùm propter Herodem, assumptis secum Christo & Maria sancta Deipara, fugisset, venisse Hermopolim. Atque simul vt portæ appropinquauit, istam arborem, licet planè maximam, aduentu Christi turbatam esse, atque ad solum vsque se inflexisse, & Christum adorasse. Atque hæc quidem de hac arbore, sicut à multis audiui, à me commemorata sunt. Quæ quidem, si quid ego iudico, vel significabat Christum iam in vrbe adesse: vel (vt verisimile est) non modò arborem, quam incolæ propter magnitudinem & pulchritudinem lege Gentilitia venerabantur, dæmone iam, qui ibi colebatur, ob Christum talium rerum euersorem, qui eo in loco comparebat, perhorrescente, sua sponte commotam esse: verùm etiam omnes Aegyptiorū statuas, aduentante tum Christo, iuxta prophetiam Esaiæ, concussas. Itaque dæmone inde abacto, arbor, quò rei gestæ testimonio esset, remansit ibi, fidelesq; morbis liberauit. Atque vt Aegyptij & Palæstini istarum rerum, sic alij singuli aliarū, quæ apud ipsos gestæ sunt, testes locupletes existunt.

Matth. 2.

Iosephi vna cum Christo ac Maria in Aegyptū ad uentus.

Statuarum in Aegypto concussio.

Esa. 19.

Quòd Christianis infensus Iulianus, Iudæis templum Hierosolymis restaurandi facultatem dedit: quorum plures summa operem aggressos, flamma erumpens absumpsit: & de crucis figuris quæ in eorum vestibus, qui operi insistebant, apparuerunt.

CAP. XXI.

ETsi verò Imperator odio habuit Christianos, & infenso animo in eos atq; inimico fuit: tamen aduersus Iudæos eorumque patriarchas ac duces beneuolum se & manifuerum declarauit: scripsitque ad populum, vt pro se suoque regno preces funderent. Verùm hoc ab eo factum est, quantum ego coniectura assequi possum, non quòd eorum approbaret religionem, quam norat velut matrem fuisse religionis Christianæ, quippe quæ eosdem habeat & prophetas & patriarchas: sed quòd Iudæi capitali odio Christianos prosequerentur. & propterea laboratum est ab eo, vt cultu atq; obseruantia, qua erga illos vsus est, hos, quos odio prosequebatur, grauiter angeret. Fortasse etiā eo

Causa cur Iulianus erga Iudæos manifuerit, qua Christianos.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 32. 33. Socrat. lib. 3. cap. 17.

A eo pacto illos facilius ad cultum gentilē & sacrificia adduci posse putabat, quippe cùm sanctos Scripturæ libros, non sensu spiritali, vt Christiani, & etiam ipsi sapientiores Hebræi, sed literali solum (vt ita dicam) interpretarentur. Atque cum hoc animo fuisse, conatus eius planè declararunt. Nam accersitis gentis illius principibus, cohortatus est eos, vt legem Moysis audirent: & patria instituta ipsis in memoriam redegit. A quibus cùm esset responsum, templo Hierosolymitano iam diruto, nec fas sibi esse, nec morem patrium ferre, vt cū iam è sua vrbe primaria essent eiecti, alibi istud præstarent: suppeditat illis ex communi pecuniam, qua templum de integro extruant, eo consilio, vt eandem cum maioribus religionis formam obseruent, eodemq; modo sacrificent. Illi igitur non complexi animo, istud secundū sacras prophetarum vaticinationes minimè posse fieri: omni cura ac studio in opus incumbere, & peritis architectis in vnum coactis, materiam ad ædificium parare, locum denique perpurgare cœperunt. Quinetiam tāta animorum alacritate laborem in has res conferre, vt etiam eorum vxores rudera è loco gremijs exportarent, monilia & reliquum mundum muliebrem libentibus animis in opus impenderent. Alias res omnes huic suscepto operi tum Imperator, tum alij Gentiles, tum cuncti denique Iudæi postposuerunt. Nam Gentiles, licet Iudæis infensi, in huius laboris societatem cum illis venere: propterea quòd hoc modo persuasum habebant, se suum conatum posse perficere, & Christi prædictiones perspicuè falsas ostendere: Iudæi autem & idem ipsum cogitabant, & tempus se idoneum ad templum denuò ædificandum nactos arbitrabantur. Itaq; simulac veteris ædificij reliquias è loco sustulerant, effoderant, & solum purgauerant: dicitur postero die, quo primum iam essent fundamentum iacturi, terræmotus ingens factus esse, & lapides terræ cōquassatione è solo eiecti: & ex Iudæis perijsse hi, tum qui operis curam susceperant, tum qui ad illud spectandum venerant. Etenim ædes templo vicinæ, & porticus publici in quibus versabantur, derepentè corruerunt. Atque eorum qui his ruinis oppressi erant, numero quidem complures, alij extemplò interierunt, alij semimortui inuenti sunt, quorum & crura fuerunt & manus mutilatæ: alij alias corporis partes labefactatas habuerunt. Postea verò quàm Deus terrā concutere desijt, rursus Iudæi, qui supererant, opus aggrediuntur, perinde ac si propter Imperatoris mandatum necessariò suscipiendum

Iudæi scripturæ literam nō sensum sectātur vt Christiani.

Iudæis à Iuliano pecunia ad templum extruendum suppeditata.

Iudæorum et paganorum in templo restaurando commune studium.

Templum terræmotu ruinosum dirutum

B esset: quinetiam, quòd ipsi magno illius absoluendi desiderio tenerentur. Nam natura humana in his rebus quæ ad voluptatem pertinent, ad id sæpius inclinatur, quod sibi detrimento esse solet: atque id vnum profuturum putat, quod ipsa cupit perficere: hinćque reuera in fraudem inducta, neque quid conducat, solertia perspicere: neque periculis admonita, vel modestiam animi discere, vel ad id, quod decet, redire potest. Quod quidem certè Iudæis id temporis accidisse censeo. Nam cùm prioris incepti frustratione diuinum numen illorum conatum damnasse euidentissimè demonstrauit: idem tamen, quanquam frustra, totis viribus tentare conabantur. Fertur enim, vt secundò opus aggressi sunt, ignem subitò è fundamentis templi erupisse, multosque absumpsisse. Atque istud ab omnibus & liberè dicitur, & pro certo creditur, & à nemine vocatur in dubium: præterquam quòd quidam prædicant, flammam in ipsos vi ad templum accedere cupientes ex aduerso irruisse, illudque fecisse, quod modò commemoratum est: alij autem id ipsum contigisse, simul vt rudera exportare cœperunt. Cæterū siue hoc verum esse quis, siue superius assentiatur, alterutrum parem videtur admirationem excitare. Aliud item accidit, priore illo & euidētius sanè, & multo admirabilius. Non omniū Iudæorum amictus signo crucis notatus fuit, & vestimēta habuerunt stellis quodāmodo variata, perinde quasi textorum artificio maculis distincta fuissent. Quo factum est, vt alij eorum continuò Christum Deum esse existimarent: iniquoque animo tulisse, quòd templum de integro ædificare constituerant, alij paulò pòst ad ecclesiam se transferrent, initiarentur mysterijs, hymnis & precibus Christum pro suis improbè factis placarent. Istis rebus si quis fidem minimè adhibendam putet, sit persuasus saltem ab his qui eas ab earum spectatoribus acceperunt, quiq; adhuc in vita manent: sit etiam persuasus cùm à Iudæis ipsis, tum à Gentilibus, qui opus inchoatum reliquerunt, imò verò ne inchoare quidem potuerunt.

Iudæi igne è fundamentis templi eruptente sublati.

Iudæorum vestes crucis signo notatæ.

QVINTI LIBRI FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER SEXTVS.

De Iuliani in Persas expeditione: & quòd ibi deuictus, lethale vulnus accepit, ac quid Libanius de eius interfectore prodiderit.

CAPVT I.

Iuliani in Persas expeditio. Edessa Christianam religionem ab Apostolorū tempore professa.

SVNT iam suprà à me commemorata ea omnia, quæ ecclesijs accidisse, regnante Iuliano, cognoui. Cui ineunte vere cùm visum esset prælio cõtra Persas decertare, properè fluuiũ Euphratem traijcit. Atq; prætergressus Edessam, propter odiũ fortasse incolarum (quippe ciuitas illa iam vsq; ab Apostolorum temporibus vniuersa Christianam religionem professa fuerat) ad Carras venit. Quo in loco cũ delubrũ Iouis offendisset, hostias immolauit, & suo more precatus est. Qua re confecta, ex copijs quæ ipsum comitabantur, armatos homines ad viginti millia misit ad fluuium Tigrim, partim vti locis eum fluuiũ tangentibus præsidio essent: partim vt sibi, cũ eos fortè accerseret, opportuno tempore adesse possent. Porrò literas ad Arsacium præsidem Armeniç, & Romanorũ socium scripsit, vt in hac expeditione subsidio sibi veniret: quibus quidẽ in literis de se extra modũ gloriosè prædicare, se vt valde ad imperium gerendum idoneum insolenter extollere, & vt amicum illis quos ipse pro deis habuit, arroganter efferre: Constantium autem, cui successerat, velut ignauum & impium conuicijs lacerare: ipsi deniq; Arsacio verbis admodum contumelioſis minitari non veritus est. Et quoniam eum Christianum esse acceperat, quò suam in eum augeret contumeliam, etiam nefandas in Christũ blasphemias loqui (istud enim nusquam non audacter agere consueuerat) cũ superba quadam iactatione contendit: cui etiam significauit, Deum, quem coleret, nequaquam eum defensurũ, si imperata negligeret. Quibus rebus ritè, vt ipse putabat, constitutis, acceptis secum copijs Romanorum, B eas per Assyriam ducit: atq; vrbibus quibusdam & castellis partim proditione, partim bello captis, sine vlla consideratione aut consilio, ad ea solum quæ ante pedes erant, nullam eorum quæ à tergo reliquit, rationem ducens, neq; quòd sibi eadẽ via reuertendũ esset, animo complectens, oculos adiecit: & quẽcunq; locum cepit, eum miserandum in modũ populatus est: cellas penarias, & alia id genus ædificia partim subruit, partim incendit. Dum aũt proficiscebatur ad Euphratem, nõ longè abfuit Ctesiphone. Est ea quidẽ vrbs magna: & iam, loco Babylonis, sedes regia est Persarum. à qua non lõgè fluit Tigris. Ac cũ nauibus propter terram interiectã Ctesiphonẽ appellere nõ posset, cumq; necessariò cogi videretur aut vrbem illã præterire, aut nauigia relinquere: tandem quibusdã captiuis de ea re rogatis, fossam reperit temporis lõginquitate obstructã, oppletãque, qua naues transmitti possent. Itaq; effossa inde egestaq; colluuie, quæ nauib. posset esse impedimẽto, Euphratem per eam in Tigrim deriuauit. Atq; hac nauibus cum exercitu traductis, ad vrbem venit. Verùm cũ Persæ magno apparatu equitum armatorum, & elephãtum instructi, ad ripas Tigris apparerent, & Iulianus videret exercitum suum in terra hostili inter duos maximos fluuios obsessum, & siue ibi maneret, siue eadem via reuerteretur, in periculo versari fame intereũndi, præsertim vrbibus & pagis per quos venerat vastatis, & nullas iam res ad commeatum necessarias habẽtibus: præmijs cœlestibus propositis, milites in ludis Circensibus spectandis occupatos tenuit. Interim verò nauicularijs mandatum dederat, vt nauium onera & cõmeatum exercitus abijcerent, eo consilio, vt milites (sic equidẽ audiui) cùm viderent se propter rerum ad victum necessariarum penuriam in periculo vitæ constitutos, maiores animos sumerent, & alacrius cum hostibus pugnarent. His rebus ita comparatis, Imperator vocatis ad se postcœnam ducibus ac centurionibus, milites nauibus imponendos curat. Illi, Tigri noctu traiecto, vbi iam ad vlteriores fluminis ripas appulsum est, nauibus egrediuntur. Ex Persis autem qui eorum aduentum sentiebant, defendere se, & mutuò cohortari cœperunt: alij adhuc dormientes à Romanis oppressi sunt: die verò illucescente, committitur prælium. Romani multis & ex suis amissis, & ex hostium copijs interfectis, primũ fluuium traijciunt: deinde castra ante Ctesiphontẽ ponunt. At quoniã placuit Imperatori nõ vlterius progredi, sed in sui imperij fines redire, nauibus propterea succensis, quòd propter earum custodiam multi milites causarij essent, ad reuertendum se parãt, fluuio Tigri

Vide Niceph. li. 10. cap. 34. Theodorit. lib. 3. ca. 20. Socrat. lib. 3. cap. 19.

Ctesiphõ vrbs.

Euphrates in Tigrim deriuatus.

Commeatus militibus à Iuliano sublati.

Cum Persis prælium.

A Tigri ad læuam relicto. Atq; primùm, captiuorum ductu, in regionem fertilem & omnibus abundantem rebus ad vitam necessarijs veniunt. At postea senex quidam, qui pro omnium Persarum libertate mortem oppetere cupiebat, primũ à Romanis dedita opera se capi permisit: cùm tamen præ se ferret, inuitum se captum esse. Deinde ad Imperatorem deducitur. Tum rogatus de via, & vera dicere visus, persuasit Romanis, fore, vt si ipsum sequerentur, celerrimè cum exercitu suo ad suos ipsorum fines peruenirent: & quòd iter solũ triduo, ad summum quatriduo molestũ & difficile esset: & quòd pro eo tempore cõmeatum secum ferre deberent, propterea quòd terra deserta erat, & inculta. Imperator igitur astuti senis verbis inductus, constituit illac proficisci. Vbi verò aliquantò longius processerunt, & confecto iam tridui itinere, in locis eisdem impediti hæserunt: senex captiuus vocatus in quæstionem, confitetur, se pro salute suorum vltrò ad mortem gradi, & paratum esse omnia cruciamentorum genera lubenter subire. Cùm aũt copiæ Romanæ partim itineris longitudine, partim inopia rerum ad victum necessariarum animos demitterent: in eas iam languentes, exercitus Persarum impetum facit. At graui prælio facto, derepentè violentus excitatus ventus, cælum solemq; nubibus obduxit, aëriq; admiscuit puluerem. Ac cùm tenebræ vndique & crassa caligo circunfusa esset, eques quidam incitato cursu, hasta Imperatorem percussit, lethaleq; ei inflixit vulnus: quem cùm ex equo deiecisset, abijt, penitùs ab omnibus ignotus. Quem Persam nonnulli, alij Saracenum fuisse prædicant. Sunt etiam, qui militem Romanum eum fuisse affirment: hancq; ei plagam ideo imposuisse, quòd iniquo animo ferret, illum temeritate & audacia exercitum Romanum in tanta pericula conieciſſe. Porrò Libanius Syrus, sophista, consuetudine ei & amicitia coniunctissimus, de „ eius interfectore scribit ista: Si quisquã sit, qui aueat audire, quisnam eum interfecerit, „ nomen equidem non habeo dicere. Sed quòd ex hostium numero non fuerit, est argu„ mento planè euidentissimo, cùm nemo hostis ob plagam illi inflictam sit quicquã ho„ noris à rege Persarum consecutus. Imò verò, tametsi rex eius interfectorem per præco„ nes ad dignitatis gradum vocauit, & pollicitus est se eum, si vellet comparere, amplis „ præmijs remuneraturum: tamen ne cupiditate quidem honorum inductus quisquam „ hoc facinus sibi arrogauit: & propterea magna hostibus habẽda est gratia, quòd rerum, „ quas minimè gessissent, gloriam sibi neutiquam attribuebant: sed faciebant nobis pote„ statem, interfectorem inter nos ipsos conquirendi. Nam quibus, dum viueret, incom„ modare visus sit: hi quoniam secundum leges ab eo sancitas minimè vitã instituebant, „ idcirco & olim eius vitæ insidias struxerant, & iam facultatem nacti ei vitam ademe„ runt. Huc accessit quoque cùm alia iniuria, quæ eos ad facinus istud impulit, quæ tamen „ eo regnante nihil præstare potuit: tum maximè deorum cultus, cui illi de industria prorsus aduersari sunt.

Senis Persæ dolo Iulianus deceptus.

Libanij sophistæ de Iuliani morte narratio.

Quòd vltore Deo è medio sublatus est: & de visis, quibus plerisq; mors eius significabatur: deq; responso illo, quòd fabri filius feretrum illi fabricaret: & quòd hausturn è vulnere sanguinem, in Christum iaculatus est: & quantæ clades propter illum, vniuersum Romanum imperium exceperint. CAPVT II.

Vide Niceph. li. 10. cap. 35.

ATque dum ista scribit Libanius ad hunc modum, subindicare vult, interfectorem Iuliani Christianum fuisse: quod fortassis verum erat. Neq; enim incredibile est, quẽdam è militum numero id temporis animum induxisse, quòd nõ Gentiles solùm, verùm etiã alij, omnes eos, qui tyrannos quõdam occidebant, ad nostram vsq; ætatem admodum laudare solent: quippe qui pro omnium libertate mortẽ oppetere non dubitarent: sieq; etiã ciuium, cognatorum, & amicorũ salutem lubentibus animis tuerentur. Atq; ægrè certè reprehendi potest, præsertim cũ propter Deum & religionẽ, quam approbabat, tam fortem ac strenuũ se ostenderit. Equidẽ quisnam huius cædis administer fuerit, nihil certi possum dicere, præter ea quæ modò dicta sunt. Sed tamen, vti hi qui de ea re consentientibus sententijs disserunt, affirmant, vera sanè est ea opinio, quæ est ad nos perlata: quæ tradit, eũ vltione diuina è medio sublatum esse. Cuius rei certissimum argumentum est diuina visio, quã cuidam ex necessarijs eius oblatam accepi. Nam dicitur, cùm ad Iulianum, qui iam erat in Perside, ire maturaret, in loco quodam qui erat in via publica situs, diuersatum: & ædium penuria coactum, in ecclesia, quæ ibi erat, dormiuisse: & secundum quietem vel rem gestã vidisse, vel saltem somniasse, complures ex Apostolis & Prophetis in vnũ coactis, grauiter de Imperatoris contumelia aduersus ecclesias facta cõquestos esse: iniuisseq; consilium, quid in hac causa faciendũ esset. Ac cũ diu de ea re esset deliberatum, & adhuc eorũ animi velut in dubio versari viderentur, duos è medio surgentes, cohor-

Iuliani interfector quis.

Tyrannicidæ laudandi.

Iulianus diuina vltione è medio sublatus.

De Iuliani cæde præsagio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tatos reliquos, vt bono animo essent, propereque tanquam ad delendum Iuliani impe- A
rium è concilio egressos. Hominem illum, qui has res tam admirabiles contemplatus
fuerat, iter decæterò neglexisse: Atque dum metu perculsus, hæsitaret, quis huius visio-
nis exitus futurus esset, secundò eodem in loco somnum cepisse, vidisseque eundem
Apostolorum & prophetarum conuentum: atque ex improuiso velut è via in conci-
lium ingressos illos, qui superiore nocte ad Iulianum expugnandum abierant, cæteris-
que nunciasse eum occisum esse. Eodem die Didymus, vir ecclesiasticus, & diuinæ sa-
pientiæ ac pietatis perstudiosus, Alexandriæ ætatem degens, supra modum dolebat, nō
modò ob Imperatoris scelera contra Christianam religionem admissa: sed etiam, quòd
cæco errore vagabatur, & ecclesias contemnebat. Itaque ieiunare & Deum hac de re
supplex orare cœpit. Qui cùm ob hanc causam animo adeò solicito ac mœsto esset, vti
sequenti nocte nihil comederet, fortè in solio assidens, somno oppressus est: atque velut
extra se positus, videbatur sibi videre equos albos in aëre cursare: & qui in eis vehebantur, eos ita prædicare: Nunciate Didymo, hodie Iulianum hac ipsa hora interfectum
esse, ipseque idem illud Athanasio episcopo significet. Didymus igitur illicò somno so-
lutus, surrexit, cibumque cepit. Ac de visione tum familiaris Iuliani, tum Didymi ista e-
quidem accepi: & neuter eorum, in his quæ fuerat contemplatus, à veritate aberrauit,
sicut postea indicatum est. Quòd si cuipiam hæc non satis videantur ad ostendendum,
eum Dei nutu, cuius ecclesias vastabat, trucidatum esse: is reuocet etiā in memoriā va-
ticinationem, quā vir quidam ecclesiasticus prædicebat. Nam cùm Iulianus bellum es-
set contra Persas facturus, & minatus fuisset se post bellum ecclesias grauiter afflictu-
rum, & petulanter insultaret, filium fabri nihil illis afferre posse subsidij: vir quem dixi
modò, hanc de eo pronunciauit sententiam: Iste fabri filius arcam ei ligneam ad mor-
tem parat. Porrò autem ille ipse Iulianus, post plagam acceptam, ex aliqua parte intel-
lexit à quo læsus fuisset, neq; calamitatis suæ causam omnino ignorauit. Dicitur enim,
cùm erat sauciatus, sanguinē è vulnere expressum, in aërem proiecisse, & velut in Chri-
stum sibi apparentem intuitus, eum suæ necis insimulasse. Alij autem memorant, eum,
cùm sanguinem manu ostendisset, illum in aërem iecisse, perinde atq; soli iratum, quòd
Persis veniisset subsidio, & se non seruasset incolumem: præsertim cùm suæ natiuitatis,
sicut astronomorum scientia indicabat, velut dominus esset & moderator. At cùm B
esset reuera moriturus, vtrum Christum viderit nec ne (vti solet accidere, quando ani-
ma è corporis custodia egreditur, & res diuiniores, quàm quæ ab homine conspici pos-
sint, videt) haud equidem habeo dicere. Neque enim istud ab adeò multis dicitur: ve-
runtamen, vt planè falsum reijcere non audeo: quippe cùm credibile sit, alia etiam his
multo admirabiliora contigisse: non alia de causa, quàm vt constare possit, religionem
Christianam non hominum studio & industria constitutam stabilitamque esse. Deni-
que toto tempore quo iste regnauit Imperator, Deus visus est grauiter commotus esse:
& propterea imperium Romanum permultis in nationibus ei subiectis, varijs calami-
tatum generibus affligi permisit. Nam terra grauissimis motibus continenter concussa:
& ædificijs ruentibus, neque domi cuiquam, neque sub dio versari tutum erat. Atque
vti ex his quæ mihi narrata fuerunt, coniecturam facio, vel eo ipso imperante, vel secun
dum saltem gradum post Imperatorem obtinente, clades Alexandriæ vrbi Aegypti
inflicta accidit. Quo quidem tempore mare cùm in suum locum recessisset, denuò im-
petu repentino æstuans, extra suos terminos erupit, & longè lateque aridum vndis ob-
ruit: adeò vt cùm aqua recessisset, scaphæ marinæ in domorum tegulis repertæ sint. At-
que eo die quo ista acciderunt (quem γενέσια, id est, natalitia terræmotus vocant) festum
quotannis Alexandrini etiamnum agunt: in quo quamplurimis per totam vrbem lu-
cernis accensis, & precibus ad gratias Deo agendas fusis, cum magno splendore hunc
diem festum, & non minore cum reuerentia celebrant. His accedunt diutinæ siccitates,
quæ eiusdem Imperatoris temporib. & fructus, & aëris salubritatem labefactarunt.
Hinc tanta rerum ad victum necessariarum penuria orta est, vt homines fa-
me compulsi, pabulo, quo animalia ratione carentia vti solent,
vescerentur. Quinetiam pestis secuta est, quæ suos secum
aduexit morbos, & hominum corpora extinxit.
Verùm de Iuliano hæc hactenus.

Didymo Alexandrino per visionem interitus Iuliani significato.

Christus Iuliano per cōtumeliam filius fabri dictus.

Vaticinium de morte Iuliani.

Moriturorum res diuiniores cernere.

Sub Iuliani imperio crebra prodigia.

γενέσια, Alexandriæ festū quale.

Siccitas, fames horrēda, pestis.

De

De Iouiani imperio, & quòd suscepto regno multa iustè legitimèq; statuerit.

CAPVT III.

Iouianus Imperator anno Christi 367. Vide Nicephor. li. 10. cap. 28 29 Socrat. lib. 3 cap. 19. Theodor. lib. 4. cap. 1.

Sextus liber hinc porrò continet acta sub Iouiano, Valentiniano primo, & Valente eius fratre, Annis 16. & mense vno. Huc igitur eos authores refer quos supra adnotauimus ad Socratis lib. 3 & 4.

POst Iulianum, communi exercitus consensu Iouianus capessit imperium. Quem cùm milites in hostili terra Imperatorem delegissent, ipse se Christianum esse clara voce professus, imperium recusauit: neque imperij insignia vsque eò suscipere voluit, quoad milites, cognita recusationis causa, se itidem Christianos esse clamassent. Ac cùm rerum status in periculo cōstitutus esset, & propter malam Iuliani gubernationem admodum perturbatus, & exercitus penuria commeatus valde laboraret, necesse ei videbatur, pactis quibusdam cōditionibus, pacem cum Persis facere: & ob eam causam aliquid de tributis, quæ Romanis antè pensitauerant, remittere. Cumque præterea experientia didicisset, imperium propter iram diuinam in Iulianum, qui ante ipsum regnauerat, accensam, acerbè afflictatum fuisse: abiecta omni cunctatione, scripsit ad præsides nostrarum prouinciarum, vt in ecclesias frequentes cōuenirent, & diuinum numen studiosè colerent, docerentq; suos solam religionem Christianam verum Dei cultum in se complecti. Porrò ecclesijs & clericis, viduis & virginibus immunitatem reddidit: & si quid aliud vel ad commodum, vel ad honorem religionis nostræ à Constantino ac liberis suis aut donatum, aut lege sancitum fuisset, postea autem à Iuliano illis ablatum. Misit item ad secundum præsidem generalem edictum, quod iubebat, vt qui sacratam virginem vel ad nuptias contrahendas pellicere conaretur, vel lasciuo solum obtutu aspiceret, maximè omniū si per vim rapere tentaret, capitis supplicio mulctaretur. Istam legem ideo tulit, quòd quidam improbi viri, regnante Iuliano, tales virgines vel vi, vel persuasione ad hanc corruptelam inductas, sibi connubio iunxissent: quemadmodum fieri solet, cum religionis statu perturbato, turpis libido id genus sceleris conscisendi impunitatem proponit.

Iouianus Imp. declaratus. Christianus. Iouianus Pōtifex imperare non vult.

Ecclesiæ status restauratus à Iouiano. Iouiani edictum de S. virginibus.

Quòd denuò motus in Ecclesia exorti sunt: & de Antiocheno concilio, quod fidem Nicæni confirmauit: & quid ad Iouianum Imperatorem scripserit.

B

CAPVT IIII.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 40. Theodori. lib. 4. ca. 2. 3.

IAm verò quæstiones de integrò, & disputationes de doctrina fidei ab ecclesiarum præsidibus agitari cœptæ sunt. Nam dum regnabat Iulianus, propterea quòd summa religionis Christianæ omnino in discrimine versaba-tur, à disceptando omnes se temperarunt: communiterq; inter se Deum supplices orabant, vt ipsis propitium se ostenderet. Atq; ita natura humana comparatum est, vt cùm ab exteris iniuriam acceperint, cum suis concordiam habeant & pacem: cùm autem sint malis ab exteris importatis liberati, ipsi inter se seditionem & discordiam cōcitent. Sed quibus Rebusp. aut gentibus illud acciderit, non est in præsentiarum commemorandum. Per idem ferè tempus Basilius episcopus Ancyræ, Siluanus Tarsi, Sophronius Pompeiopolis, & alij, qui vnà cum his sunt hæresim Anomianorum auersati, & filium patri non consubstantialem, sed substantia similem dixerunt, libellum ad Imperatorem mittebant: in quo fatebantur, gratias Deo agendas esse, quòd eum imperio Romano præfecerat. Postulabantque, vt vel acta concilij Ariminensis ac Seleucensis rata manerent: & ea quę quorundum studio ac potentia decreta fuissent, abrogarentur: vel vt modus ille, qui ante concilia habita in ecclesijs seruatus fuisset, teneretur: daretur q; potestas omnibus vbiq; episcopis, vt quo in loco ipsi vellent, separatim, nullo alio cum illis communicante, in vnum conuenirent: & vt ea quæ instituebantur à nonnullis, qui aliquid seorsum moliri, & ita homines in fraudem impellere cuperēt, vti regnante Constantio acciderat, neutiquam ex eorum sententia procedere permitterentur. Significabant etiam, se ad castra nolle accedere, ne molestiam ei exhibere viderentur. Attamen si ipse eis copiam faceret, se suis ipsorum vsos iumentis, hoc perlubenter facturos. Atque hi quidem ista scripsere ad Iouianum. Eodem tempore, concilio Antiochiæ Syriæ conuocato, fides concilij Nicæni confirmata est: ibiq; omnium sententijs decretum, vt filius patri sine cōtrouersia cōsubstantialis esse crederetur. Huic cōcilio interfuere, Meletius, qui id temporis ecclesiam Antiochenam gubernabat: Eusebius episcopus Samosatenus: Pelagius Laodiceæ, quæ est vrbs Syriæ: Acacius Cæsareæ Palæstinæ: Irenion Gazæ: & Athanasius Ancyrę episcopus. Quibus rebus cōfectis, concilij decreta significabant Imperatori per literas scriptas his verbis.

Sublatis persecutionibus externis pullulant dissentiones intestinæ.

In ecclesia discordiæ vndę.

Antiochenum concilium in quo Nicena probatur fides.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Samiſs. Deoque chariſs. Domino noſtro Iouiano, victori Auguſto, concilium epiſcoporum Antiochiæ in vnum ex varijs prouincijs conuocatorum, S.

Synodi Antiochenæ ad Iouianum epiſtola.

Tuam pietatem, Imperator ſanctiſſime, cũ primis laborare, vt eccleſiæ pax & concordia ſtabiliatur, nobis exploratũ eſt. Neq; ſumus neſcij, te ſapienter conſideraſſe, formam veræ & orthodoxæ fidei ad hanc concordiã confirmandam valere maximè. Idcirco ne in eorum numero, qui doctrinam veritatis adulterare ſtudent, habeamur: viſum eſt tuæ prudentiæ ſignificare, quòd fidem ſancti cõcilij iam olim Nicææ congregati & approbemus, & teneamus: quandoquidem vocabulum Conſubſtãtialis, quod quibuſdã videtur parum rectè in ea poſitũ, eſt proba à patribus cõmodaq; interpretatione explanatũ: quæ quidẽ interpretatio oſtendit, filium ex patris ſubſtãtia genitum: patri ſecundũ ſubſtantiam ſimilẽ: & neq; affectionẽ vllam in eius inexplicabili generatione debere intelligi, neq; vocabulum Subſtantiæ apud ſanctos patres ad conſuetudinẽ Græci ſermonis capi, ſed ab illis poni ad euertendum illud peſtiferũ dogma, Chriſtũ ſcilicet ex nihilo ortum eſſe, ab Ario impiè introductum: quod etiam iſti Anomiani, id eſt, qui filium patri diſſimilem ſtatuunt, nuper exorti, multo audacius impudentiusq; ad eccleſiæ concordiam labefactandã aſſeuerant. Quamobrẽ exemplar fidei ab epiſcopis Nicææ coactis expoſitæ (quam ſanè vehementer amplectimur) his literis quibus animorum noſtrorum ſententiam tibi declarauimus, ſubiungere placuit. Atq; hæc quidem decreuere epiſcopi, qui eo tempore Antiochiæ in vnum conuenerãt, formulamq; fidei à concilio Nicæno editam, eiſdem verbis, quibus erat conſcripta, ſuis literis ſubiunxere.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 40.

Conſubſtantialis vocabulum.

Arij dogma. Anomiani.

De magno Athanaſio, qui maiorem in modum ab Imperatore colebatur, quodq; Aegypti eccleſiæ illi traditæ ſunt: & de magni Antonij viſione.

CAPVT V.

Athanaſius Antiochiam profectus.

DVm hæc geruntur, Athanaſius etiam epiſcopus Alexandriæ, conſilio ſuo cũ quibuſdam familiaribus ſuis communicato, neceſſarium putauit Imperatorem, qui Chriſtianus erat, viſere. Atque profectus Antiochiam, poſtulata ſua Imperatori exponit. Sunt tamen qui dicunt, Imperatorem eũ ad ſe accerſiuiſſe, vt quid de religione & ſana doctrina agẽdum eſſet, ab illo cognoſceret. Vbi verò res eccleſiæ ritè, quoad eius fieri poterat, cõſtituerat, de reditu cœpit cogitare. Euzoius aũt epiſcopus ſectæ Arianæ Antiochiæ, * Probatium eunuchum, ſectæ eiuſdem Alexandriæ anteſignanum, conſtituere laborauit. Lucius igitur genere Alexandrinus, vnus ex preſbyteris, quos Georgius ordinauerat, cũ Euzoius eiusq; fautores iſtud inſtituiſſent, ad Imperatorẽ accedit: grauiter criminatur Athanaſium, primùm quòd toto tempore, quo epiſcopatum geſſerat, crimi nibus implicatus tenebatur: deinde quòd à ſuperioribus Imperatoribus ſæpe erat exilio condemnatus: poſtremò, quòd author diſcordiæ in religione, & tumultus extiterat. Itaque poſtulat, vt alter eius loco eccleſiæ Alexandrinæ crearetur epiſcopus. At Imperator (norat enim inſidias, quæ erant tum Athanaſio paratæ) criminibus ei illatis neutiquam auſcultauit: ſed Lucio quidem, cùm minis adiectis, in mãdatis dedit, vt quieſceret: Probatio autem, & alijs eunuchis, quos circum ſe habebat, vtpote eiuſmodi tumultuum authoribus, imperauit, vt tandẽ modeſtiam diſcerent. Athanaſium verò, quem præſens congreſſus & colloquium ei chariſſimum reddiderat, miſit in Aegyptum, cũ mandato, vt quo ſibi luberet modo eccleſias & populum regeret. Nam dicitur illũ tum ob virtutem, qua præditus erat, tum ob vitam piè actam, tum denique ob prudentiam, & præſtantiam doctrinæ, laudaſſe plurimum. Ad hunc modum ergo fides in concilio Nicæno ſtabilita, quanquam ad aliquod temporis ſpacium interiectum, vt ſuprà docuimus, oppugnata fuerat, tamen iſto Imperatore regnante, caput denuò extulit. Verùm non ita diu pòſt pari ratione agitari cœpit. Nam non in his ſolum, vt eſt veriſimile, quæ temporib. Conſtantij eccleſiæ contigerũt, prædictio Antonij monachi expleta eſt, ſe reſtabant adhuc ea quæ poſtea ſub Valente facta ſunt. Traditum eſt enim, Antoniũ, priuſquam Ariani eſſent eccleſiarum potiti gubernaculis, regnante Conſtantio, ſecundum quietem multos altare inſultãtes calcibus & ſacram menſam euertentes vidiſſe: illicoque prædixiſſe, tumultum ex adulterinis permixtisque doctrinis ortum, & rebellionem ex illis qui alienam ab eccleſia catholica opinionem tenerent, excitatam, eccleſiam Dei poſtea occupaturam. Atque hæc quidem verè ab eo & viſa eſſe & prædicta, res cum quæ ante hoc tempus, tum quę pòſt accidebant, manifeſtò declararunt.

Vide Nicephor. li. 10. cap. 41. 42.

*Euzoius. * Probatium, al. Athanaſij de euſatio.*

Athanaſius Iouiano Imp. chariſſ.

Fides Nicæna diu oppugnata tandem euituit.

Antonij monachi viſio.

Iouiani

Iouiani mors: & de vita Valentiniani, & ipſius in Deum fiducia, & quomodo ad imperium peruenerit, & quòd Valentem fratrem ſuum in imperij partem aſſumſit: & de opinionum & morum eorundem diſcrepantia.

CAPVT VI.

Iouiani mors.

IOuianus verò imperij adminiſtratione circiter octo menſes perfunctus, dũ proficiſcitur Conſtãtinopolim, in Dadaſtanis, qui eſt locus Bithyniæ, inter vias mortẽ obit: vel ꝓ largius, vti quidam prædicãt, cœnauerat: vel quòd odorem domus, in qua dormiebat, recens calce illitæ ferre non poterat. Nam multis carbonibus, quò locus tepeſceret, ibi accenſis (erat enim iam hyems) vaporem inde excitatum, parietes ſupra modum madefeciſſe dicunt. Vbi verò exercitus venit Nicæam, vrbem Bithyniæ, Valentinianum, virum bonum & dignum planè imperio, Imperatorem declarat. nam ibi tum fortè aderat, ab exilio reuerſus. Fertur enim, Iulianum cum ſummam imperij Romani adminiſtraret, iſtum Valentinianum, qui præfectus cohortis erat, ex albo militum quiin exercitu Iouiani vocabantur, exemiſſe, & perpetuo addixiſſe exilio: ſimulatione quidem, quòd milites ſibi ſubiectos, cùm contra hoſtes pugnãdum eſſet, parum commodè inſtruxerat, ſed reuera hinc inductus eſt. Cùm Iulianus adhuc in Gallia, quæ ad occidentem ſolem vergit, ætatem ageret, ad quoddam delubrum iuit ſacrificatum: ſimulque cum eo fuit Valentinianus. Nam Romanis vetus erat mos, vt præfecti militum, qui Iouiani & Herculiani vocabantur (ſunt hæ quidem duæ cohortes ex militibus primarijs conſtitutæ: quarum altera ab Hercule, ab Ioue altera nomen traxit) Imperatorem proximè à tergo præſidij cauſa ſequerentur. Valentinianus autem cùm eſſet limen delubri tranſgreſſurus, & ſacerdos ritu Gentilitio viridis oliuæ ramuſculos madefactos manu tenens, introeuntes illis aſpergeret, gutta in ſuam veſtem delapſa, ægrè admodum & grauiter tulit. Chriſtianus enim erat: & propterea ſacerdotem, qui ipſum aqua aſperſerat, conuicijs adoratur. Aiunt præterea eum, etiam Imperatore Iuliano inſpectante, tantum veſtis ſuæ cum ipſa gutta excidiſſe, abieciſſeque, quantum gutta madefecerat. Vnde Iulianus ei admodum infenſus, iratusque, non multò pòſt condemnauit exilio, vt nimirum Melitinam, vrbem Armeniæ, perpetuò incoleret, cauſa quidem ſimulata, quòd milites ſibi ſubiectos negligenter admodum gubernaſſet. Noluit enim videri propter religionem vllo cum afficere incommodo, ne inde aut martyris, aut confeſſoris honos illi tribueretur: ſiquidem hac de cauſa alijs etiam Chriſtianis pepercerat, quia videret eos ex periculorum ſuſceptione (vti ſuprà demonſtratum eſt) tum gloriam ſibi conſequi, tum religionem ac fidem Chriſti vehementer confirmare. Ac ſimul vt imperium Romanum Iouiano delatum eſt, iſte Valentinianus ab exilio Nicæam reuocatus, mortuo iam fortè Iouiano, & conſilio ab exercitu & his qui tum primos magiſtratus gerebant, inito, omnium ſuffragijs Imperator deligitur. Poſtea verò quàm inſignia ſuſceperat imperij, & milites clamarant, vt alterum ſibi velut ſocium imperij adiungeret, Me, inquit, ad imperandum deligere, ô milites, penes vos erat: ſed cùm iam à vobis delectus ſim, conſortem imperij, quem poſtulatis, non in veſtra, ſed in mea ſolius poteſtate deligere ſitum eſt. Quinetiam vos, qui meo iam imperio ſubiecti eſtis, conquieſcere: me autem, vtpote Imperatorem, quid agendum ſit, conſiderare conuenit. Atque hac oratione id temporis milites affatus, eorum minimè ceſſit ſententiæ. Verùm haud multò pòſt profectus Conſtantinopolim, fratrem conſortem imperij declarauit. Atque partes imperij, quæ ad ſolem orientem ſpectant, ei tradidit: quæ autem ab Illyrijs ad Oceanum occidentalem pertinent, quinetiam omnem eregionè continentem ad extremas vſque oras Libyæ, ſuæ ipſius ſubiecit ditioni. Ambo quidem profeſſione Chriſtiani erant: ſed tamen opinione diſcrepabant, & moribus. Nam Valens, quò ſalutari aqua baptiſmatis expiaretur, Eudoxio epiſcopo ad illius myſterij initiationem miniſtro vſus eſt, fidei Arianæ ſe addixit: atque iniquo animo paſſus eſt, quòd non ſibi liceret omnes vi ad eandem ſecum opinionem amplectendum cogere. Valentinianus autem fidei concilij Nicæni adhærẽſcens, ſicut ijs qui ei fauebant opitulatus eſt, ſic contrariam doctrinam ſequentibus nihil omnino exhibuit negocij.

Iouiani milites: de quibus paulò poſt. Herculiani milites.

Valentinianus miles Chriſtianus gentiliſmum auerſatus, à Iuliano multatur exilio.

Valentinianus Imp. declaratus, conſortem imperij ſibi adiungit renuit.

Valentem fratrem ſibi conſortem adiungit.

Valens Arianus.

Quòd

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quòd rursus ecclesijs pertubatis, concilium Lampsaci coactum est: & quod Ariani qui Eudoxium sequebantur, cùm superiores essent, illos quidem orthodoxam tenebant, vnà cum Meletio ecclesijs submouebant. CAP. VII.

Hypatianus Heraclææ episcopus.

VBi verò decessit Constantinopoli Valentinianus, perq; Thraciã Romam versus iter fecit: episcopi Hellesponti & Bithyniæ, & alij omnes qui filium patri consubstantialem asserendum putabant, mittunt ad eum pro se legatum Hypatianum Heracleæ, quod est oppidum Perinthi, episcopum, oratum vt sibi de doctrina fidei ritè constituenda in vnum conueniendi potestas permitteretur. Qui cùm venisset ad Valentinianum, & episcoporum postulata ei exposuisset: respondit ille, sibi, qui vnus è laicorum numero erat, non licere, se eiusmodi negocijs interponere: Et ideò sacerdotes & episcopi, inquit, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, vbicunq; ipsis lubitum fuerit, in vnum conueniant. Quo responso ad legationem Hypatiani dato, Lampsaci concilium cogunt. Atq; vbi ad bimestre spacium de rebus fidei deliberatum est, tandem decernunt, acta Constantinopoli, opera ac studio Eudoxij & Acacij cum suis sancita, abroganda esse: deinde formulam fidei, quã velut ab episcopis Occidentalibus editam, explodendam protulerant, quosdam que ad eidem subscribendum impulerant, facto promisso,† quòd opinionem eorum qui filium patri dissimilem prædicant, penitùs reijcerent: cui promisso neutiquam steterunt. Tum doctrinam illam ratam fore, quæ filium patri substantia similem asserit. Nam adiectionem huius vocis, Similis, ad planam personarum distinctionem necessariam esse. Porrò formulam fidei in consecratione ecclesiæ Antiochenæ editam, & Seleuciæ omnium episcoporum consensu confirmatam, in omnibus ecclesijs tenendam. Quinetiam, vt qui ab his qui filium patri dissimilem asseuerabant abdicati, suas ipsorum sedes, vtpote ecclesijs per nefas eiecti, denuò reciperent. Quòd si quis eos insimulare vellet, pari periculo obnoxium fore. Iudicesque constitui episcopos tum illius gentis orthodoxos, tum alios, qui ex finitimis prouincijs ad eam ipsam conuenirent ecclesiam, in qua testes sunt rerum à singulis in vita gestarum. Quæ cùm decreuissent, & Eudoxianos non vocassent solum, verùm etiam locum illis dedissent pœnitentiæ, hique tamen minimè obtemperarent, decreta omnibus vbique ecclesijs significarunt. Ac quoniam suspicabantur (vti erat certè verisimile) Eudoxium aulam Imperatoris, ad suis partibus fauendum inducturum, atque ipsis calumniam intenturum: statuerunt eius conatum præuertere, & acta concilij Lampsaceni Imperatori indicare. Quod & fecere. Siquidem Valenti è Thracia reuertenti (fratrem enim Romam antiquam proficiscentem, aliquot dierum viam comitatus fuerat) Heracleæ obuiam fiunt. At verò Eudoxius & Imperatoris & aulicorum animos iam, vt volebat, sibi conciliauerat. Itaque Imperator legatis qui ex concilio Lapsaceno venerant, iussit, vt doctrina fidei cum Eudoxio consentirent. Sed cùm illud denegassent, & fraudem Constantinopoli factam, & consilia contra decreta concilij Seleucensis suscepta Eudoxio criminis loco obiecissent: Valens inflammatus iracundia, iubet tum illos in exilium ire, tum ecclesias eorum alijs tradi. Interim verò ipse in Syriam concedit. Nam verebatur, ne Persæ fœdera ad triginta annorum spacium regnante Iouiano, facta rumperent. Cæterùm cùm hi nihil nouarum rerum molirentur, Antiochiæ commoratus est. Quo quidem tempore Meletium episcopum addixit exilio: Paulino autem propterea pepercit, quòd vitæ eius sanctimoniam reuerebatur. Porrò eos qui Eudoxij communionem repudiabant, exturbari ecclesijs, pecunijs mulctari, cædi verberibus, & alijs tormentis affligi mandauit.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 3. Socrat. lib. 4. ca. 2. 3. 4.

Lampsaci concilium coactũ, eiusq; decreta.

† *Vide ad not. pag. 76. lat. 2. lin. 4.*

Valens concilio Lampsaceno aduersatur.

Meletij exilium. Paulini sanctimonia.

De Procopij defectione, & incredibili eius exitu: & Eleusio Cyziceno, & Eunomio hæretico: & quomodo Eleusio successerit. CAP. VIII.

Procopij contra Valentem expeditio.

EOdem quidem tempore, vti cõiectura assequi possumus, res his multò grauiores ab eo perpetratæ fuissent, nisi bellum, quod tum à Procopio motum fuerat, obstitisset. Nam iste Cõstantinopoli, occupata tyrannide, & magno exercitu breui tempore collecto, contra Valentem ire maturat. Valens autem ex Syria reuersus, circiter Nacoliã, vrbem Phrygiæ prælio cum eo congreditur. Quem quidem cũ proditione Agelonis & Gomarij, qui eius duces erant, viuũ cepisset, non ipsum solum, sed etiã proditores eius miserandum in modum interemit. Nã hos, licet se illis beneuolũ fore iurasset, ferris medios dissecuisse traditur. Procopij autem crura, cũ duas arbores non longè distantes inflexisset, singula ad singulas arbores alligauit; quo facto, arbores denuò se in altũ attollere permisit: quæ cũ se ad consuetum locũ erigerent, hominẽ in duas partes distraxerunt. Hoc cõfecto bello, Niceã venit. Cùm

Vide Nicephor. li. 11. cap. 4. 5. Socr. lib. 4. cap. 3. 5. 6.

Procopij & proditorum eius interitus.

Eunomius Cyzici episc. creatus pulso Eleusio.

A Cùm autem imperij statum pacatum cerneret, denuò cœpit eos exagitare, qui aliter atque ipse de Deo sentirent. Et maximè omnium episcopis, qui Lampsaci in vnum conuenerant, succensuit: propterea quòd & episcopos Arianos abdicauerant, & formulam fidei Arimini compositam reiecerant. Qui cũ hoc modo ira exardesceret, deducit Cyzico Eleusium: atq; concilio episcoporum eidem, cui ipse, opinioni fauentium conuocato, cogere illum eorum fidei communicare conatus est. Qui primò fortiter restitit. verùm cùm & exilium vereretur, & fortunarum amissionem (ista enim, si non pareret, Valens ei minatus fuerat) imperata facit. At statim pòst eum pœnituit. nam Cyzicum reuersus, palàm in ecclesia peccatum suum confessus est, & alterum eius loco episcopũ creari iussit. Nam haud consentaneum esse, vt ipse, qui suam fidem ac religionem prodiderat, sacerdotio amplius fungeretur. At Cyziceni ob reuerentiam, quam erga piam eius vitæ institutionem habebant, eum summa complectentes beneuolentia, alterum episcopum habere noluerũt. Quibus rebus cognitis, Eudoxius Cõstantinopoli opinionis Arianæ antistes, Eunomium Cyzici creat episcopum. nam eum, quoniam dicendo erat disertus, Cyzicenos orationis vi ad suam doctrinam facilè perducturos putauit. Vbi autem venit Cyzicum cum mandato Imperatoris, egresso inde Eleusio, ecclesiarum illius vrbis capessit administrationem. Qui verò doctrinæ parebant Eleusij hi ecclesia extra mœnia vrbis ædificata, ante ciuitatem conuentus peregerũt. Verùm de Eunomio, & hæresi eius nomine nuncupata, dicam equidem paulò pòst.

Valens episcopis Lampsaceni concilij inquior.

Eleusij pœnitentia & confessio.

Quòd grauiter mulctati sint qui eo tempore fidem Nicænam profitebantur: & de Agelio Nouatianorum antistite. CAPVT IX.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 5. Socrat. lib. 4. cap. 6.

NOn dissimilibus porrò afficiebantur incommodis etiam illi, qui Constantinopoli doctrinam concilij Nicæni propugnabant. quorum incommodorum socij fuere quoque Nouatiani. Nam Imperator cùm reliquos omnes vrbe exigi, tum ecclesias Nouatianorum occludi mandauit. Cæterùm autem ecclesias non erat causa cur occluderet. nam iampridem eæ, regnante Constantio, ipsis ademptæ fuerant. Quinetiam Agelium, qui temporibus etiam Constantij ecclesiæ Nouatianorum Constantinopoli præfuerat, mulctauit exilio. Is quidem dicebatur vitam cum summa omnium admiratione secundum leges ecclesiasticas instituisse. vixit enim (quod in pia vitæ ratione ac disciplina facilè primas obtinet) à pecuniarum possessione liber: atque ipsa vitæ institutio illud planè declarauit. nam vna solum vtebatur tunica, & sine calceis semper incedebat. Non ira mulò pòst ab exilio reuocatur: suas ipsius recuperat ecclesias, & conuentus liberè ac sine metu agit. Quarum rerum Marcianus quidam causa extitit, vir sanè cùm vita, tum doctrina admirabilis, qui iam olim quidem in regia satellitem egerat, at iam tum bresbyter sectæ Nouatianæ erat, docebatque filias Imperatoris Anastasiam & Carosam præcepta Grammaticæ: quarũ nominibus sunt balnea Constantinopoli etiamnum appellata. Itaque ob reuerentiam erga hunc, & gratiam, hęc, quę modò diximus, Nouatianis concessa sunt.

Nicænæ fidei assertores varijs vexati, itẽ Nouatiani.

Agelij exilium, & vitæ sanctitas.

Marcianus ex satellite presbyter. Anastasiæ & Carosæ Imp. ff.

De Valentiniano iuniore, & Gratiano, & persequutione quam excitauit Valens: & quòd, qui Consubstantiale tuebantur, ab Arianis & Macedonianis diuexati, Romam legationem mittunt. CAPVT X.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 6. Socrat. lib. 4. cap. 6.

SVb idem tempus Imperatori Valentiniano in Occidente filius natus est, patris nomine nuncupatus. Non multò pòst filius eius Gratianus, quem, antequam regimẽ susciperet imperij, in lucem ediderat, Imperator creatus. Eodem tempore quanquam grando instar lapidum, præter communem naturæ consuetudinem, præceps delabebatur in terram, & terræmotus maximi cũ alias ciuitates, tum Nicæã Bithyniæ magnopere labefactabant: Valens tamen & Eudoxius Christianos, qui doctrina fidei abs se dissentirent, grauiter persequi nõ desierunt. Atq; cũ conatus eorum aduersus fautores Niceni concilij ipsis ex animi sententia iã succedere videbatur (nam hi quidẽ maiore in parte imperij Valentis, & maximè in Thracia, Bithynia, Hellesponto, & alijs regionibus hisce longius distantibus, neque ecclesias habebant, neque sacerdotes) tamen contra Macedonianos, qui in ea orbis parte numero multo plures erant, cœpere iracundia admodum efferri: in quos furorem conuertentes, non mediocriter diuexarũt. Qui metu malorum impendentium perterriti, legationibus inter ipsos mutuò ad singulas vrbes missis, commodissimum sibi putarunt, ad Valentinianum Imperatorem & Romanũ episcopum profugere, & cõmunioni fidei illius potius, quã Eudoxij aut Valentis ac suorũ aulicorum se adiungere. Vbi verò ista rectè se habere visa sunt, tres ex suis deligunt, Eustathium episcopum Sebastiæ, Siluanum Tarsi, & Theophilum Castabalorum episcopum quos ad

Valentiniani & Valentiniani F.

Gratianus Imp. creatus. Grando Terræmotus.

Valentis & Eudoxij contra Nicænæ fidei assertores iniuriæ. Macedoniani etiam afflicti.

Valentinianum

Macedoniorum ad Imp. Valentinianum & Liberiū Ro. epis. legati pro Nicænæ fidei subscriptione.

Valentinianum mittant: scribuntq; literas tum ad Liberium episcopum Romanum, A tum ad reliquos episcopos Occidentis (vtpote qui fidem ab Apostolis ductam, ratam firmamq; tenerent, & præ cæteris deberent religioni prospicere) vti legatis suis, quantū in ipsis situm esset, subsidio esse, & cum illis consilium de rebus agendis inire vellent: exponerentq;, quid ad statum Ecclesiæ ritè constituendum optimum factu videretur. Qui cùm in Italiam venissent, certiores facti sunt Imperatorem esse in Gallia, vt contra Barbaros illi regioni finitimos, bellum faceret. Verùm cùm via in Galliam difficilis esset, & periculosa propter bellum, literas dedere Liberio. Atque rebus, de quibus venerant legati, cū eo communicatis, non Arium solum, verùm etiam eius opinionis fautores ac doctores condemnant: reijciunt etiam omnem hæresim fidei concilij Nicæni aduersantem, vocabulumq;, Consubstantialis recipiunt, vtpote idem significans quod Substantia similis. Itaque Liberius, simul vt confessionem istarum rerum ab illis scriptis proditam accepit, cum eis communicauit: scripsitq; ad episcopos Orientis, eosque ob concordiam & fidei cōsensum laudauit, atq; quid cū legatis eorum actum sit, significauit. Confessio autem Eustathij, & collegarum illius, hæc quidem fuit.

Eustathij, Siluani, & Theophili, ad Liberium Romanum episcopum confessio.

CAP. XI.

Domino, Fratri, & Collegæ nostro Liberio, Eustathius, Siluanus, & Theophilus, in Domino ſ.

Macedoniano rū episcoporū confessio ad Liberium miſſa.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 7. Socrat. lib. 4. cap. 11.

VT omnem occasionem insanæ hæreticorum confidentiæ, qui ecclesiæ catholicæ graues afferunt offensiones, omnino adimamus: concilia episcorum rectè de religione sentientium, quæ Lampsaci, Smyrnæ, alijsque variis in locis aliquando habita fuerint, nostro approbamus consensu. Cuius synodi legationem obeuntes, literas ad tuam benignitatem, & ad alios episcopos Italiæ aliarumque regionum ad solem occidentem vergentium attulimus: ex quibus planum fiet, nos fidem catholicam tenere seruareque, quæ in sacrosancto concilio Niceno, temporibus beati Constantini Imperatoris, à trecentis decem & octo episcopis confirmata fuit, atque adeò inuiolata stabilisque permansit: in qua vox Consubstantialis ad peruersam Arij doctrinam expugnandam sanctè pieq; posita fuit. Nam propriarum manuū subscriptionibus planè confitemur, nos non aliter atque illos patres, quos diximus, sentire, sed eandem fidem cum illis & antehac seruasse, & iam seruare, & ad extremum vsque spiritum seruaturos esse: Arium autem, impiam illius doctrinam, eius discipulos, omnesque Patropassianos, Marcionistas, Photinianos, Marcellianos, & Pauli deniq; Samosateni sectatores penitùs condemnare. Istorum doctrinæ, omnibus idem cum illis sentientibus, omnibus etiam erroribus qui sacrosanctæ fidei prædictæ à sanctis patribus piè & catholicè in vrbe Nicæa expositæ aduersantur, itemq; fidei formulæ in concilio Ariminensi recitatæ, vtpote fidei sancti concilij Nicæni, quod diximus, prorsus repugnanti (çui quidem, dolo & quorundam periurio, propter nomen vrbis Nicææ quæ est in Thracia, delusi, Cōstantinopoli subscripsimus) nominatim anathema indicimus. Porrò formulam fidei in concilio Nicæno editam, suæ confessioni eisdem verbis subiunxerunt. Atque literas Liberij de rebus modò gestis cum accepissent, in Siciliam nauigarunt. Qua in insula concilio celebrato, & eisdem rebus ab episcopis illius loci decretis, ad extremùm cùm hæc omnia confecissent, domum reuerterunt. B

De concilio Tyanis celebrato: & eo quod in Cilicia expectabatur futurum, nisi id Valens soluisset: & persecutione quæ eo tempore feruebat: & quòd Athanasius magnus iterum sese fugæ mandans delituerit: & postea, datis ad eum Valentis literis, in publicum prodiens Aegypti ecclesias gubernarit.

CAPVT XII.

Concilij Tyanis celebratum.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 9. 10. Socrat. lib. 4. cap. 12. Theodori. lib. 2. ca. 29.

EOdem tempore, dū Eusebius episcopus Cæsareæ Cappadociæ, Athanasius Ancyræ, Pelagius Laodiceæ, Zeno Tyrini, Paulus Emesæ, Otreus Meletinæ, Gregorius Nazianzi episcopus, & multi alij qui regnante Iouiano Antiochiæ decernebant, doctrinā, quòd filius sit patri consubstantialis, tenendā esse: dum inquā isti omnes Tyanis conciliū habent, literę Liberij & aliorum episcoporū Occidentis recitantur. Ex quib. permagnam capientes læticiam, scripserunt omnibus ecclesijs, vt tum decreta episcoporum Occidentis, tū literas Liberij & aliorum episcoporū Italiæ, Africæ, Galliæ ad occasum solis spectantis, & Siciliæ (horū enim literas quoq; legati ex concilio Lampsaceni ad eos missi attulerant) diligenter perlegerent: deinde numerum omnium (concilium namq; Ariminense multitudine longè superabant) secum subducerent: tum vt doctrinæ

A doctrinæ se illis, & communionis socios adiungerent: deinceps vt in ea sententia se esse suis ipsorum literis declararent: postremò, vt ad certum diem, quem præstituerant, dum adhuc ver esset, Tarsi Ciliciæ in vnum conuenirent. Atque hi quidem hoc modo ad conueniendum in vnum locum se mutuò ipsi cohortati sunt. Cùm autem iam concilium Tarsi cogeretur, circiter triginta quatuor episcopi Asiani in Caria, quę est regio Asiæ, in vnum congregati, studium in ecclesiæ concordia stabilienda positum probabant illi quidem: sed tamen vocabulum Consubstantialis reijciebant, constanterq; affirmabant formulam fidei Antiochiæ & Seleuciæ editam tenendā esse, quippe quæ etiā antè à Luciano martyre composita habebatur: & non sine multorū tum periculorum, tum laborum susceptione, ab his qui ipsos ætate anteibant, confirmata. Imperator verò impulsu Eudoxij conciliū quod in Cilicia futurum expectabatur, partim literis, partim minis diremit. Quinetiam singulis cuiusq; gentis magistratibus dedit mandatum, vt episcopi temporibus Constantij abdicati, & iterū regnante Iuliano ad sacerdotia sua restituti, ecclesijs expellerentur. Quo quidē mandato etiam magistratus Aegypti impulsi, Athanasiū ecclesijs illius regionis priuare, & vrbe Alexandria eijcere laborarunt. Nam literæ Imperatoris non leuē complectebantur pœnā: sed omnibus exæquo magistratibus, & militibus quoq; illis subiectis, quinetiā curijs ingentis pecuniæ mulctam irrogabant, & corporis præterea cruciatū minabantur, nisi imperata facerent. Itaq; multitudo Christianorum in vnum coacta, postulabat à præside, vt non temere & inconsultò episcopum Athanasiū vrbe exturbaret: sed consideraret secum accuratius, quid esset literis Imperatoris definitum. Eas enim contra illos solos valere, qui temporibus Constantij in exiliū missi, postea regnante Iuliano redierant. At Athanasium dicebant, tametsi temporib. Constantij exularat, ab eodem tamen reuocatū fuisse, & ad episcopatum restitutū. Iulianum verò cum alios omnes reduxisset, eum vnum in exilium ire compulisse: quem Iouianus rursus domum reuocauit. Hac oratione habita, cū ei persuadere non possent, restiterūt eius conatibus, & vim afferri episcopo non permiserunt. Quare cū populus vndiq; confluxeret, ac ingens tumultus ac turba cieretur, adeò vt omnes seditionem futuram expectarent: præses de his rebus gestis Imperatorem facit per literas certiorem, & interim Athanasium in vrbe manere patitur. Multis verò diebus B intermissis, cùm iā tumultus videretur sedatus esse, Athanasius clā ex vrbe egreditur, & in locum quendā separatim se abdidit. Nocte verò intempesta præses Aegypti, & præfectus prætidiariorum militum ad ecclesiam, in qua domicilium habebat, contendunt. Eò cùm peruenissent, & illum in tabulatis quæsiuissent, consilio, quod intenderāt, frustrà suscepto, inde recesserunt. Nam putabant, cùm populus iam in superioris tumultus obliuionem venisset, & omnes somno se dedissent, futurum esse, vt facilè deinceps, si modò aggrederentur, mandatum Imperatoris conficerent, vrbemque conseruarent à seditione liberam. Sed cùm Athanasius minimè esset repertus, omnes non sine causa magna incessit admiratio. Et siue diuina quadam vi, siue quorundam indicio prēmonitus secesserit, vtrumq; certè eōdem spectabat. Quinetiam, vt tam opportuno tempore, tum præcognosceret insidias, tum vitaret, maioris videtur esse prouidentiæ, quàm quæ homini attribui queat. Sunt tamen alij qui dicunt, eum, cùm mente perciperet temerarium populi tumultum, & vereretur, ne cladis, quæ inde fortè accideret, ipse author & causa videretur, toto hoc tempore in patris monumento delituisse. Atque hoc modo Athanasium istud euitasse periculum accepimus. Haud diu pòst Imperator Valens scripsit literas, vt rediret, ecclesiam que denuò capesseret. Suspicor equidem Valentem non de suo ipsius consilio has literas scripsisse: sed vel quòd opinionem de Athanasij virtute omnium animis insitam non paruo æstimabat: quodque verisimile erat, Valentinianum, cùm fidem concilij Nicæni propugnaret, ipsum hac de re incusaturum: vel quòd metuebat, ne cùm tam multos Athanasius haberet fautores, tumultum eius causa cierent, & res nouas non sine Reip. damno molirentur. Arbitror præterea, sectæ Arianæ antistites (vti sanè credibile est) non adeò magno studio ad eum Alexandria pellendū incubuisse, propterea quòd complectebantur animis, si vrbe eiectus esset, denuò molestiam Imperatoribus exhibiturum, indeque nacturum occasionem cum illis in colloquium veniendi, & Valentem quidem fortasse in suam sententiam perductorum: Valentinianum autem, vtpote eiusdem doctrinæ fautorem, ad iram contra ipsos inflammaturum. Nam eius virtutem in his quæ regnante Constantio acciderant, satis experti, maximè ab illo metuebant. Siquidem eo tempore ita omnes aduersariorum profligabat insidias, vt haud inuiti ecclesias Aegypti ei concederent: & tamen ipse vix literis Constantij eò adduci posset, vt Alexandriam reuerteretur. Causam igitur, cur Athanasius non esset, perinde atq; cæteri episcopatu priuatus, hanc sanè fuisse conijcio.

Aliud Tarsi institutum, à Valente solutum.

Athanasius rursum exulare iussus, resistente populo, tamen se etiā subducit.

Valentis literis reuocatus Athanasius.

Causæ cur Valens Athanasius ab impetore reuocatus sit.

Cæteros autem persecutio, similis ferè persecutioni Gentiliũ, exagitauit. Nam qui ipsorum doctrinam respuebant, illis non modò parabantur exilia, verùm etiam ecclesiæ auferebantur, alijsque tradebantur. Aegyptus interim, dum Athanasio vita supperebat, istarum calamitatum prorsus expers fuit.

Quòd posteà Eudoxium, Ariani Demophilum ad Constantinopolis sedem extulerunt: sed qui vera pietate erant præditi, Euagrium renunciant: & de persecutione, quæ inde subsecuta est. CAP. XIII.

Eudoxij mors. Demophilus succedit Euagrius ab orthodoxis electus.

IMperatori autem Valenti visum est, Antiochiam ad ripas Orontis fluuij sitam proficisci. Cumque iam esset in itinere, Eudoxius, ecclesiarum Constantinopolitanarum administratione ad vndecim annos perfunctus, moritur. Cui succedit Demophilus, ab Arianis ad eas ecclesias regendas delectus. Interim doctrinæ concilij Nicæni propugnatores opportunum tempus ibi ex his rebus oblatum arbitrati, Euagrium quendam suffragijs suum eligunt episcopum: quem creat Eustathius, ecclesiæ Antiochiæ, quæ est in Syria, antistes. Nam à Iouiano reuocatus ab exilio, Constantinopoli id temporis in occulto vixit, suæ opinionis fautores sedulo docuit, & vt in eadem de Deo opinione ac sententia manerent, magnopere cohortatus est. Hinc Ariani ad seditionem concitati, eos, quorum studio & labore Euagrius delectus fuerat episcopus, acerbè persequebantur. Quibus rebus intellectis, Imperator Nicomediæ ad tempus iter suum inhibuit. Ac veritus ne ciuitas Constantinopolis ex seditione aliquid damni acciperet, tantum militum numerum eò mittere constituit, quantum ad seditionem comprimendam satis esse putabat. Quinetiam dedit in mandatis, vt tum Eustathius Cyziam, quæ est vrbs Thraciæ, exilij causa incoleret: tum Euagrius aliò relegaretur. Atq; hęc ad hunc modum gesta fuisse traditum est.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 15. Socrat. lib. 4. cap. 13. Theodori. li. 4. ca. 22.

Eustathij et Euagrij relegatio.

De pijs octoginta legatis, quos Valens Nicomediæ agens, medio mari vnà cum ipso nauigio concremandos curauit. CAPVT XIIII.

Arianorũ in orthodoxos rabies.

ARiani autem (vt hominibus, quibus res prosperè & ad voluntatem fluunt, solet accidere) multò facti audaciores, illis, qui ab se doctrina & opinione dissentiebant, cruciatus penè intolerabiles per insidias pararunt: adeò vt nonnulli contumelioso tractati, magistratibus traditi, in carceres conijcti & damnis quę inde eueniebant, fortunis pedetentim spoliati, decreuerint ab Imperatore obnixè contendere, vt malis quibus premebantur, aliqua ex parte leuarentur. Ad quam rem octoginta viros ecclesiasticos deligunt: in quibus principem locum tenuerunt Vrbanus, Theodorus, & Menedemus. Qui vbi venere Nicomediam, libellum, in quo sua scripserant postulata, Valenti Imperatori tradunt. Ille verò licet iracundia ea de re vehementer arderet, non tamen patefecit iræ suæ magnitudinem: sed clàm præfecto dedit mandatum, vt eos comprehensos occideret. At præfectus populi seditionem veritus, præsertim si tot pij viri, qui nihil iniqui admiserant, sic per nefas interficerentur, simulat se eos exilio addicturum. Itaque, perinde ac si in exilium mitterentur, in naue imponit: quod quidem illi forti ac generoso animo passi sunt. Cùm autem esset ad medium sinum qui Astacius dicitur, nauigatum, nautæ, naue, sicut ipsis erat imperatum, igni succensa, in scapham desiliunt. Nauis autem secundo vento acta ad * Dacibizam, qui est locus partis illius Bithyniæ quæ mari adiacet, ad portum appellitur: quæ simul vt terram attigit, vnà cum ipsis viris flammis absumpta perijt.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 17. 18.

Astacius sinus Dacibiza al. Dacidem Nauigium cũ 80 piorum legatis incendio absumptum.

De discordia inter Eusebium Cæsariensem episcopum, & Basilium magnum: & quòd hinc fiduciam sumentes Ariani, Cæsariensium ecclesiam adorti, profligantur.

CAPVT XV.

VAlens autem relicta Nicomedia, iter Antiochiam versus capessit. Quo quidem in itinere cũ ad Cappadociã peruenisset, orthodoxos pro more suo grauibus afficere incommodis, & ecclesias eorum Arianis tradere laborauit. Quod se facilè ex sententia perfecturum propterea sperabat, quòd inter Basilium & Eusebiũ, qui tum Cæsariensem gubernabat ecclesiã, ex dissensione quadam susceptæ erant inimicitiæ. Quã etiam ob causam Basilius in Pontũ secesserat, & ibi cũ monachis sanctam & seueram viuendi disciplinam excolentib. vnà viuebat. Populus autem, & maximè hi qui & animi magnitudine præ cæteris & sapientia excellebant, cœperunt Eusebiũ suspectũ habere: & velut causam, cur Basilius, vir ob piam vitã, & eloquentiam singularẽ ab omnibus pleno ore laudatus, inde fugeret, penitus deserere, & cõuentus separatim agere cõstituerũt. At

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 16. Socrat. lib. 4. cap. 13. Theodori. lib. 4. c. 22.

Basilij & Eusebij dissensio.

Basilij in Ponto secessus.

AAt Basilius non alia de causa in monasterijs Ponti vitę quietę se dederat, quàm vti ecclesia, quę cæteroqui rebellione Arianorum grauiter exagitabatur, et iam sua causa aliquid damni acciperet. Itaque Basilij absentia, & odiũ populi aduersus Eusebiũ conceptum, effecere, vt Imperator, & episcopi quos circa se habebat (semper enim versabantur cum eo Ariani) multo maiore animorum alacritate conata perficere aggrederentur. Verũ res ipsis parum succedit ex sententia. Nam Basilius, eorum in Cappadociã aduentu nunciato, relicto Ponto, sua sponte venit Cæsaream, reditq; in gratiam cum Eusebio: atque opportuno tempore sua doctrina ecclesiæ subsidio fuit. Valens igitur conatu depulsus, vnà cum episcopis inde re tum infecta decessit.

Basilius cum Eusebio in gratiam redit.

Valens Imperator Basilium magnum in suam opinionem inducere nititur, sed frustra.

CAPVT XVI.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 18.

ATque postea in Cappadociam reuersus, Basilium, Eusebio iam mortuo, episcopum illius loci constitutum offendit. Quem cùm inde expellere animo instituisset, ab incœpto desistere coactus est. Nam simul vt istud est aggressus, traditum est, nocte sequenti eius coniugi graues terrores obiectos esse: & Galatem filium, quem vnicum habebat, celeri & acuto morbo oppressum interijsse. Vnde existimatum est ab omnibus, Deum vindicem conatuum cõtra Basilium susceptorum, filium, quò parentes affligeret, è medio sustulisse. Idem quoque Valens ipse suspicatus est: eoque filio iam extincto, ei molestiam exhibere destitit. Atque idem, dum superstes erat filius, & morbo vexabatur statim moriturus, misit ad illum nuncium, oratum, vti pro eo ægroto precaretur. Porrò autem vbi Imperator venit Cæsaream, præfectus accersito Basilio, iubet opinioni Imperatoris se addicere. Cui contradicenti, mortem minatur. Basilium tum dixisse ferunt, se illud facturum maximi, & summi beneficij loco habiturum, si quam primùm ex corporis vinculis eximeretur. Vbi verò præfectus iusserat, vt tum eo die, tum nocte sequenti consilium caperet, & ne inconsideratè se in apertum conijceret periculum, sed postridie eius diei adesset denuò, suamq; sententiam declararet: Mihi, inquit, consilio non est opus. nam idem qui iam sum, cras etiam futurus sum. Cùm enim sim creatura, non queo animum inducere, vt vel mei similem adorem, Deumque confitear: vel tibi & Imperatori me in religione socium adiungam. Etenim quanquam estis viri cumprimis illustres, & non exiguæ orbis terrarum parti imperatis: non tamen propterea vestræ voluntati, cùm sitis homines, obsequi oportet, & fidem in Deũ negligere: quam nunquam vel publicatione bonorum, vel exilio, vel morte denique mulctatus, proditurus sum. Siquidem horum nihil me excruciare poterit. Etenim opes non habeo, præterquã vestem lacerã, & paucos libros: sicque terrã incolo, quasi semper ex ea migraturus. Corpus autẽ præ imbecillitate, vna sola plaga accepta, & sensum doloris, & tormenta superabit. Quæ cùm liberè Basilius & audacter dixisset, præfectus eius admiratus virtutem, Imperatori renunciat. Ille, cùm natalis dies festus Christi iam celebraretur, cum principibus viris & stipatoribus ad ecclesiam accedens, ac munera sacræ mensæ offerens, venit cum Basilio in colloquium: & eum tum ob sapientiam, tum quòd tanto cum ornatu, tamq; decenter sacerdotio fungeretur, conuentusque ageret, laudauit. Sed tamen haud diu pòst aduersariorum calumnia inductus, iussit eum in exilium ire: noxq; iam aduenerat, qua istud perficere constituit. At ex improuiso febri occupatus est filius eius, indeque in morbum repentinum & periculosum coniectus. Pater igitur filium adhuc viuentem lugens, se humi prosternit. Cumque animo dubio esset & perplexo, laboraretque omnibus modis vitæ filij consulere, facit potestatem suis familiaribus, vt Basilium accersant, vti filium decumbentem inuisat. Nam quem nuper contumelia affecerat, ei præ pudore veritus est ipse per se istud imperare. Simul vt aduenit Basilius, fit puero morbus remissior: adeò vt multi tum affirmarent, quòd puer non interijsset, nisi Imperator Arianos pro puero vnà cum Basilio precaturos vocasset. Fama est præterea, præfectum in morbum eodem tempore etiam incidisse, sed cùm supplex à Basilio petiuisset, vt pro se oraret, conualuisse. At ista fortasse, dum in Basilio considerantur, non tantum habere videbuntur admirationis, præsertim, cùm esset vir & ipsa viuendi disciplina sanctissimus, & propter doctrinæ præstantiam summè ab omnibus prædicatus.

Basilij libera contra Valentis præfectum fidei suæ confessio.

Basilij pauperies.

Basilius accersitus vt pro Imp filio ægroto precaretur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Basilij & Gregorij Theologi societate: qui cum summa vtrique doctrina claruissent, Nicæni concilij decreta strenuè propugnabant.

CAPVT XVII.

Basilij & Gregorij theologi societas, & eruditio, &c.

EOdem tempore vixere & iste Basilius, & Gregorius: pariq; virtutis studio accensi, magna nominis celebritate fuere. Nam ambo, cũ adhuc adolescentes essent, Himerio & Proæresio, sophistis id tẽporis facilè præstantissimis, se in disciplinã Athenis tradebant: postea autem Antiochiæ Libanio Syro. Tandẽ & sophistarum arte, & dictione causarũ neglecta, se piæ viuendi rationi, quam lex præscribit Ecclesiæ, se dedebant. Porrò autem, cũ aliquandiu in disciplinis philosophorũ Gentilium versati fuissent, & sanctarum literarum explanationes ex libris tum Origenis, tum eorum qui & ante illum & pòst in libris ecclesiasticis interpretandis magnam sunt laudem consecuti, accuratè didicissent, in eo quidem ipso tempore concilij Nicæni fautoribus multum adiumenti attulerunt. Nam vterq; hanc doctrinam contra Arianos strenuè defendebat: perspicueque demonstrabat, quòd neque de alijs rebus, neque de opinionibus Origenis, quibus in primis nitebantur, rectè vereq; sentirent. Quinetiam communi consensu, vel sorte potius, vti à nonnullis accepi, pericula inter ipsos partiebantur: & Basilius vrbes Ponti peragrans, non solum multos ibi monachorum conuentus constituebat: verùm etiam populum tum docere tum persuadere vt eandem fidei doctrinã, quam ipse, amplecteretur. Gregorius aũt, qui episcopatum Nazianzi (quod est oppidum paruum) post patrem obtinuit, ea ipsa de causa cũ alia loca, tum Constantinopolim maximè omnium, vbi continenter ferè versabatur, adijt: atque breui pòst, multorum episcoporum suffragijs illius ciuitatis episcopus designatus est. Nam cùm neq; catholicus episcopus, neq; ecclesia orthodoxorũ in ea vrbe esset, periculũ erat, ne decæterò doctrina concilij Nicæni ibi prorsus exploderetur.

Gregorius Nazianzi episc.

De persequutione Antiochiæ, quam Orontes amnis alluit, suscitata: & Thomæ Apostoli templo apud Edessænos, & conuentu ibidem congregato, & Edessænorum confessione.

CAPVT XVIII.

Nicænæ fidei assertores miserè tractati.

Edessæ templũ diui Thomæ.

Modesto præfecti alapa ab Imp. inflicta.

Edessenorum constantia.

Modesti cum muliere ad martyrium currente colloquium.

VBi autem Imperator venit Antiochiam, omnes omnino qui in cõcilij Nicæni doctrina præstabant, tum in ea ciuitate, tum in vrbibus finitimis grauiter exagitauit, illisq; cuiusque modi irrogauit supplicia: adeò vt nonnulli affirment, complures eorum eius mandato partim alijs modis trucidatos, partim in Orontem fluuium proiectos fuisse. Porrò aũt cùm esset certior factus, illustrem esse Edessæ ecclesiam diui Thomæ nomine nuncupatam, ad eam visendam se contulit. Qua in vrbe omnibus ecclesiæ orthodoxis ablatis, cũ vidisset populum ecclesiæ catholicæ in campo ante ciuitatem conuentus egisse, dicitur verbis cõtumelijs præsidem generalem arguisse, & pugnum in maxillam eius inflixisse, proptereà quòd contra suum mandatum eiusmodi conuentus fieri permisisset. Modestus igitur (hoc enim præsidi nomen fuit) quamuis ab Edessænis opinione discreparet, eàm tamen illis significauit, vt cauerent, ne postridie eius diei solitum in locum precandi causa conuenirent. Nam sibi Imperatorem in mandatis dedisse, vt si qui ibi fortè comprehenderentur, grauibus coercerentur supplicijs. Atque hæc quidem illis minabatur præses, sedulò prospiciens, quò tum eorum vel pauci, vel nemo in discrimen veniret, tum ille ipse Imperatoris iram effugeret. At Edessæni, spretis penitùs eius minis, multo maiore studio quàm antea, consuetum locum compleuerunt. Qua re nunciata, Modestus quid ageret, omnino non habuit. At licet rerum præsentium status eum incertum animi reddidisset, tamen in campum ire perrexit. Interim mulier, filio manu secum tracto, & amiculo, contrà quàm sexum muliebrem deceret, negligenter sibi circumiecto, perinde quasi ad rem optatam festinans, cohortem militum, quæ præsidem anteibat, perrupit. Quod cũ vidisset Modestus, iubet eam cõprehendi: accersit ad se, causam festinationis rogat. Tum illa: Vti, inquit, ocyus ad campum, in quo populus ecclesiæ catholicæ coactus est, veniam. Tùne sola, inquit Modestus, nescia es præsidẽ actutum eò profecturum, & quos ibi offenderit, interfecturum? Imò verò, inquit audiui: & propterea cursu celerrimo mihi opus est, ne post tempus veniam, & ita martyrio à Deo oblato destituar. At cur quæso, inquit præses, puerũ tecum ducis? Vt ille quoq;, inquit, communis afflictationis particeps fiat, parq; præmium consequatur. Itaq; Modestus virilem mulieris animum admiratus, ad palatiũ reuertitur. Atq; cùm de illa cum Imperatore cõmunicasset, persuasit ei, vti quod instituerat, minimè perficere laboraret: præsertim cùm & turpitudinis nõ parũ, & non minus incõmodi complecti videretur. Quare tota Edessænorum ciuitas ad eum modum quem diximus, doctrinam fidei ingenuè confessa est.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 17. 19. Theodori. lib. 4. ca. 17. Socrat. lib. 4. ca. 21. 22.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 21. 22. Socrat. lib. 4. cap. 14. Theodor. li. 4. ca. 12. 13. 14. 15. 16.

Post quam

Post quam magnus Athanasius fato suo perfunctus est, Lucio Ariano sedes eius traditur, qui multis Ægypti ecclesias incommodis afflixit: & de Petro, qui Athanasio succedens, erepta fuga Romam perrexit. CAP. XIX.

Athanasij mors.

Petrus ab Athanasio suffectus carceri mancipatur.

Lucius Athanasio ab Arianis suffectus.

Arianorum in orthodoxos rabies.

Petrus carcere elapsus Romam profici. scitur.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 26. Socrat. lib. 4. cap. 16. 17. Theodori. lib. 4.

EOdem ferè tempore Athanasius episcopus ecclesiæ Alexandrinæ, cùm eo sacerdotio circiter annos quadraginta sex perfunctus esset, exijt è vita. Itaque morte eius quàm primùm per Arianos nunciata, breui tempore pòst Euzoius, sectæ Arianæ Antiochiæ antistes, proficiscitur Alexandriam, & cum eo vnà etiã Magnus Quæstor ab Imperatore missus. Qui duo Petrũ, cui Athanasius episcopatum cõmiserat, comprehensum, in carcerem concludunt: traduntque Lucio ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula. Hinc factum est, vt Aegyptij erga ex teros offensiore animo essent: & calamitates aliæ ex alijs ortæ, populum ecclesiæ catholicæ adhærentem magnopere premerent. Nam simul vt Alexandriam venit Lucius, & ecclesias occupare aggreditur, plebe ei resistente, causa seditionis clericis & sacris virginibus falsò attributa est. Arianis autem hostilem in modum per vrbem grassantibus, orthodoxorum alij fugiunt, alij in fuga comprehensi sunt, & vinculis constricti, in custodia asseruati: pòst inde educti, & grauibus affecti supplicijs. Nam pars vngulis acutis & flagris bubulis cæsi: pars ardentibus ignis facibus afflictati. Instar miraculi sanè videbatur, si cui vita post hæc tormenta suppeteret. Atque antè quàm hæc suppliciorũ genera subirent, mori certè, aut exilio mulctari, optabile putabatur. Sed de his hoc modo hactenus. Petrus verò episcopus clã è carcere elapsus, concẽsa naue, ad episcopũ Romanũ, vtpote eiusdem secũ fidei fautorem traiecit. Ariani autẽ, licet numero pauci, ecclesijs potiti sunt. Per id tempus sequebatur edictum Imperatoris, vt qui concilij Nicæni doctrinam amplexarentur, omnes, de quibus Lucius mandatum daret, tum Alexandria, tum reliqua Aegypto pellerentur. Nam præsidi prouinciæ ita imperatum erat. Euzoius autem, rebus, quas moliebatur, ex sententia gestis, redijt Antiochiam.

De monachorum in Ægypto persecutione: & sancti Antonij discipulis, qui ob rectam fidei dogmata in paruam quandam insulam relegati, deportati erant: & de miraculis, quæ ab illis facta fuere. CAPVT XX.

Lucij episc. in monachos Aegyptios rabies.

Macarij duo, Pambo, Heraclides, Antonij discipuli

Monachorum miracula.

Monachi in insulam relegati.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 27. 28. Socrat. lib. 4. ca. 16. 17.

BVcius verò, adiuncto sibi præsidiariorum militum præfecto, cũ magna hominum manu ad bellum contra monachos in solitudine gerendũ contendit. Nam fortassè persuasum habebat, si eos qui tranquillitatis studio ducebantur, exagitaret, se illos ita in suam perducturum sententiam: & Christianorũ voluntates, qui in vrbibus habitabãt, eo pacto facillimè ad se conuersurum: quandoquidẽ multi & diuini viri id tẽporis monasterijs illius regionis præerant, & omnes opinionem Arij detestabantur. Quorũ testimonijs etiam populus obsecutus, eandem quam illi doctrinam amplexatus est: qui de dogmatis religionis differe, aut inaniter garrire neque voluit, neque nouit: sed veritatem credidit penes illos esse, qui virtutem factis declarabant: quales tum ex monachis Aegyptijs facilè principes fuisse accepimus duos Macarios, de quibus antea facta est mentio: Pambo, & Heraclidem, & reliquos Antonij discipulos. Lucius igitur arbitratus non posse fieri, vt doctrina Ariana in animis orthodoxorum penitùs insereretur, nisi posset efficere vt monachi isti secum opinione consentirent: quoniam illis persuadere non poterat, vi cogere aggreditur. Sed tamen ne sic quidem, quod volebat consecutus est. Nam se ita comparauerant, vt mortem, si opus esset, opperere, & ceruices sua sponte gladijs subijcere mallent, quàm decreta concilij Nicæni negligere. Fertur eodem tempore, quo expectabant milites in se impetum facturos, quendam, cuius membrorum articuli diuturno morbo ita debilitati erant, vt pedibus consistere non valeret, ad ipsos apportatum fuisse. Quem vbi oleo vnxerant, iubebant in nomine Christi, quẽ Lucius persequebatur, surgere, atque domũ abire. Itaq; homo ille derepentè sanatus, palã prædicauit, doctrinæ istorum assentiendũ, penes quos etiam Deus ipse veritatem esse suo testimonio confirmauerat: qui quoq; & Lucium damnauerat, exaudieratq; preces istorum, eius implorantium auxilium, & ægrotum deniq; ad pristinam valetudinem restituerat. Attamen qui hisce monachis tendebant insidias, neutiquam hac re ad pœnitentiam impellebãtur: sed noctu eos comprehensos, in insulam quandam Aegypti paludibus circundatam deducebant. Hanc viri superstitiosi & religionis Christianæ mysterijs haudquaquam initiati incolebant: siquidem delubro planè vetustissimo, quod apud ipsos erat, multum venerationis cultusque tribuerunt. Postquam verò monachi eo appulêre, memorant, illis in insulam iam ingressuris filiam sacerdotis dæmone agitatam obuiam prodijsse.

Quæ cùm curreret, clamaretq́;, homines insulares re adeò improuisa atque admirabili obstupefactos, eam secutos esse. Vbi aũt venit ad nauem, quæ sanctos illos senes eò aduexerat, humi prouolutam, eos supplicè obtestari, & voce magna sic clamare cœpisse: Quid ad nos, ô magni Dei famuli, venistis? nam hæc insula, nostrum vetus domicilium est. Nemini quicquam facessimus negocij: sed hîc omnib. mortalibus incogniti delitescimus, istis paludib. vndiq; circũcluſi. Quòd si vobis ita placuerit, occupate nostrã possessionẽ, & vestram propriã facite: nos cedemus. Atq; hæc quidẽ hasce profudit voces. Vt autem Macarij dæmonium increpauerant, puella ad sanam mentem redijt. Qua de causa eius pater cum sua familia, quinetiam omnes insulæ habitatores, ad fidem Christi se transtulerunt. Postremò delubrũ suum vbi diruerant, in ecclesiam cõmutarunt. Quæ res Alexandrinis nunciatæ, non mediocriter animum Lucij diuexabant. Nam parum aberat, quin à suis ipsius fautoribus in odium vocatus fuisset: vtpote qui non hominibus, sed ipsi Deo bellum apertè denunciasset. Itaq; confestim mandatum occultè dat, vt Macarij cum suis comitibus ad sedes suas ac solitudinem reuertantur. Aegyptum igitur hoc modo conturbauit Lucius. Per idem ferè tempus ea regio non solum Didymo, viro pia viuendi disciplina præstanti, qui id temporis quoque floruit, verùm etiam alijs excellentibus hominibus nobilitata fuit: in quorum virtutem, quinetiam in virtutem monachorum ibi etiam ætatem degentium intuens, Lucio cum suis restitit. Ecclesia item Aegypti catholica, licet persecutionis procellis iactata, tamen ipso numero & multitudine Arianos valde obscurauit.

Dæmoniacæ puellæ ad monachos relegatos oratio.

Macarij dæmõẽ pellunt.

Didymus.

De Scytharum fide, & gentis illius episcopo Bretannione: & locorum quæ Nicæni concilij dogmata profitentur, enumeratio. CAPVT XXI.

IDem porrò eodem tempore tum apud Osroenos accidit, tum etiam apud Cappadoces, qui duos viros habebant apud se, & diuinos planè, & disertissimos: Basilium dico episcopũ Cæsareæ Cappadociæ, & Gregoriũ Nazianzi episcopum. Syria item, & gentes finitimæ, quinetiam Antiochia omniũ maximè, perturbatione ac tumultu redundauit: quandoquidem cõplures ibi Ariani erant, ecclesiasq; tenebant: non pauci autem orthodoxi, quos Eustathianos & Paulianos vocabant, quibus quidem, vt suprà demonstrauimus, Paulinus præfuerat, & Meletius. Quorum dissidijs Antiochia, quoniam parũ aberat quin tota pestifera doctrinæ Arianæ contagione infecta fuisset, ægrè admodum Imperatoris & potentum aulicorum conatibus resistere potuit. Quòd si constantes & fortes viri illas fortè rexissent ecclesias, populus, vt est verisimile, à priore sua opinione minimè discsiuisset. Porrò autem Scythas prædicant simili de causa in ea ipsa fide persistere. Gens ista multas quidem habet vrbes, pagos, & castella: sed principatum obtinet Thomis, quæ est vrbs magna & opulenta, prope mare posita, ad læuam cũ quis ad pontum Euxinum nauigat. Vetus cõsuetudo est, quæ ibi etiamnum seruatur, vt vnus episcopus totius illius gentis ecclesijs præsit. Itaque tempore, de quo iam loquimur, illas administrauit Bretannio, quando etiam Imperator Thomim aduenit. Postquam autem accessit ad ecclesiam, & pro more suo ei persuadere conatus est, vt cum Arianis communicaret: Bretannio constanter admodum apud Imperatorem & liberè pro doctrina concilij Nicæni locutus, recessit ab eo, & ad alteram ecclesiam se contulit. Quem populus quoq; secutus est. Ferè autem ab vniuersa ciuitate eò concursum est, partim quò Imperatorem viderẽt, partim quòd aliquid nouarum rerum eum moliturum expectarent. Valens igitur cum suis derelictus, illud velut contumeliæ loco factum, grauiter tulit. Atque Bretannionem comprehensum in exilium deduci mandauit: quem non multò pòst denuò reduci permisit. Nam cùm videret, credo, Scythas episcopi exilium iniquo animo pati: non parum veritus est, ne nouis rebus studerent: quos quidem & fortes esse, & ipso locorum situ imperio Romano necessarios, quippe qui impetum Barbarorum illam orbis partẽ incolentium propulsarent. Itaque Imperatoris conatus sic à Bretannione compressus est, viro cùm in alijs rebus spectato, tum ob diuinam virtutem adeò insigni, vt etiam ipsi Scythæ laudis testimonium ei tribuerent. His ergo de causis Imperatoris ira in cunctum totius orbis terræ clerũ, ecclesijs solum Occidentis exceptis, suam vim exercuit. Nam Romanis versus occasum solis habitantibus præfuit Valentinianus, qui & doctrinæ concilij Nicæni approbator fuit, & piè admodum in Deum affectus: adeò vt neque sacerdotibus quicquam imperare, neque nouare aliquid in institutis Ecclesiæ, quod sibi deterius videretur, vel melius, omnino aggrederetur. Nam quamuis esset optimus sanè Imperator, & ad res gerendas valde accommodatus, tamen hæc suum iudicium longè superare existimauit.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 29.

Eustathiani. Pauliani.

Scytharum fides. Thomis.

Bretannio episc. in exilium ablegatus revocatur.

Valẽtinianus orthodoxæ fidei approbator.

Quòd

A *Quòd cùm id temporis quæstio de Spiritu sancto agitaretur, eandem habere illum cum patre & filio substantiam decretum est.* CAPVT XXII.

DVm hæc geruntur, controuersia, quæ iam pridem incepta fuerat, nimirum vtrum Spiritus S. patri & filio consubstantialis censendus esset, iam magis magisque creuit: deque ea multæ disputationes plenæ contentionis, non minores illis, quæ antè de Deo Verbo susceptæ fuissent, institutæ. In hac re quidem & hi qui filium patri dissimilem, & illi qui eum substantia patri similem asserebant, inter se consenserunt. Nam vtriq; Spiritum sanctum administrum, & tertium à patre tum ordine, tum honore, quinetiam substantia diuersum esse affirmabant. At qui filium patri consubstantialem putabant, hi de Spiritu sancto idem ipsum censebant. Quam doctrinam in Syria Apollinarius Laodicensis, in Aegypto Athanasius episcopus, in Cappadocia & ecclesijs Ponti Basilius & Gregorius strenuè propugnabant. Quæ controuersia cùm contendendi studio, vti credibile est, in dies magis magisq; cresceret, episcopus Romanus de ea certior factus, scripsit ad ecclesias Orientis literas, vt vnà cum sacerdotibus & episcopis Occidentis trinitatem & consubstantialem esse, & gloria æqualem existimarent. Quo facto, singuli rebus ab ecclesia Romana semel iudicatis acquieuerunt, hæcque controuersia finem habere visa est.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 30.

Spiritus S. ait patri & filio consubstantialis.

Trinitas consubstantialis.

De Liberij Romani pontificis obitu, & Damaso qui post illum præsidebat: & quòd Occidentalis ecclesia vniuersa rectam de fide opinionem tenebat, excepta Mediolanensi, & Auxentio eius episcopo: & de concilio Romano, quod sedem Auxentio adimebat, & eius decretis. CAP. XXIII.

PEr idem ferè tempus, mortuo Liberio, Damasus ecclesiæ Romanæ sedem capessit. In qua electione * Vrsacius diaconus cõpetitor eius fuit: qui suffragijs præteritus, iniquo animo tulit. Et ideo ab obscuris quibusdam episcopis ex occulto episcopus institutus, populum distrahere, & conuentus separatim agere laborauit. Diuisa autem multitudine, pars istum, pars Damasum pro episcopo suo habuerunt. Itaque populus adeò magna contentione, vt verisimile est, & seditione exarsit, vt malum ad vulnera & cædem prorumperet: vsque eò videlicet, dum præfectus vrbis Romæ multos tam ex plebe quàm ex clero supplicijs coercuisset, conatumque Vrsacij repressisset. De doctrina autem, sicut antea, neque Romani, neque vlli alij in Occidente inter se dissentiebant, sed omnes concilij Nicæni decreta approbabant, atque trinitatem tum honore æqualem, tum potentia censebant: Auxentio solo excepto, qui cùm esset eo tempore ecclesiæ Mediolanensis antistes, vnà cum alijs quibusdã res nouas moliri, & contra cõmunem episcoporum Occidentis consensum doctrinã Arianam defendere, & idem cum his qui non filiũ solum, sed Spiritum sanctũ quoq; patri dissimilẽ (quæ controuersia posteris excitata erat) existimabant, sentire in animũ induxit. Atq; cũ episcopi Galliæ, & agri Venetorum, alios etiã nonnullos apud se eadem ferè conari significassent, breui tempore pòst multi multarũ gentium episcopi Romæ in vnũ congregati, cùm Auxentium, tum alios qui eidem fauebant doctrinæ, à sua cõmunione alienos esse pronunciarunt, fidemq́; à concilio Nicæno cõfirmatam, ratã manere statuerunt: deniq; decreta cõcilij Arimini cõsis huic repugnãtia, irrita esse, propterea q́ neq; episcopus Romanus, neq; alij item cõplures illis consenserãt: imò verò etiã quòd à multis, qui illi cõcilio intererant, eadem ipsa decreta improbata fuerant. Quę ita gesta esse, & cõstituta, testis est epistola Damasi episcopi Romani, & cæterorũ cum eo id temporis simul coactorũ, ad episcopos Illyrici scripta, quę ita se habet.

Vide Nicephor. lib. 11 cap. 30. 31. Socrat. lib. 4. ca. 24.

Liberij mors. Damasus Ro. episc.

** Vrsinus, in hist. Socratis. Vsacius.*

Auxentij Mediolanensis episcopi error.

Concilium Romanum contra Auxentium.

Episcopi ad sanctum concilium Romæ conuocati, Damasus, Valerianus, & cæteri, dilectis fratribus episcopis qui sunt in Illyrico, in Domino S.

„ Etsi nobis pro certo persuasum est, sacerdotes Dei sanctissimi, vos sacrosanctam
„ fidem, quæ doctrina Apostolorum fundata est, firmè retinere, eamq́ue populo præ-
„ dicare, quæ certè à decretis patrum nulla ex parte discrepat (non enim conuenit sa-
„ cerdotes Dei aliter sentire, à quibus par est reliquos erudiri) tamen significatum est
„ nobis à fratribus qui in Gallia & in agro Venetorum habitant, nonnullos ad hære-
„ sim amplexandam omni studio incumbere. Quod quidem malum ne existat, non mo-
„ dò præcauere debent episcopi: verùm etiam quicunque errores vel inscitia, vel simpli-
„ citate eorũ qui peruersas interpretationes secuti sunt, in ecclesiã inuecti videntur, his se
„ opponere: consilioque prouidere, ne deinceps in varias discrepantesq́; doctrinas denuò

Universidad de Deusto
Biblioteca

prolabantur imperiti, sed quoties dissentientes opinionibus ipsorum auribus inculca- A
tæ fuerint, firmè patrũ sententijs adhærescant. Hac de causa à nobis decisum est, vt Au- "
xentius nominatim condemnetur. Quare omnes legis diuini doctores, qui ditioni Ro- "
manæ subijciuntur, consentire, & fidem varijs doctrinis nequaquam contaminare de- "
bent. Etenim vbi primùm vitiosa hæreticorum doctrina & blasphemia vigere incipe- "
ret (quemadmodum hoc tempore Arianorum lues, quam Deus auertat, latissimè ser- "
pit) trecenti decem & octo episcopi, patres nostri, habito Nicææ concilio, hoc muro ad "
arma diaboli arcenda fidem nostram cinxêre, & hoc antidoto venena depulêre morti- "
fera, sic vt crederetur vnam esse patris & filij deitatem, virtutem vnam, vnam rem, quin- "
etiam Spiritum sanctum vnam eandemq; cum illis substantiam habere. Eum autẽ qui "
aliter sentiret, à nostra communione alienum iudicarunt. Quam salutarem decisionẽ "
& decretum planè venerandum nonnulli postea violare labefactareq; studuerunt. At "
verò initiò, quod peccatum erat ab illis qui Arimini formulam fidei concilij Nicæni "
nouare retractaréue coacti sunt, aliqua ex parte propterea sarciebatur, quòd de disputa- "
tione alio tempore habita fatebantur à veritate abductos, quam nequaquam sententiæ "
concilij Nicæni aduersari cogitabant. Siquidem numerus episcoporum qui erant Ari- "
mini in vnum congregati, præiudicij vim habere non debet: præsertim cùm formula "
illa composita sit, neque episcopo Romano, cuius sententia præ cæteris omnibus expe- "
ctanda erat, neque Vincentio, qui tot annis episcopatum integrè gesserat, neque alijs ei- "
dem consentientibus: cumq; etiam, quod est omnium maximum, illi ipsi, vti antè dixi- "
mus, qui in fraudem illecti, à veritate deflexisse visi sunt, & pòst ad meliorem mentem "
denuò traducti, planè testentur, hanc formulam sibi magnopere displicere. Itaque ve- "
stra integritas manifestò videt, hanc fidem solam, quæ authoritate Apostolica Nicææ "
stabilita est, firmè perpetuò tenendam esse. Atque de hac ipsa fide tum episcopos Orien- "
tis, qui sẽ de Ecclesia catholica esse profitentur, tum Occidentis etiã episcopos nobiscũ "
vnà gloriari constat. Porrò autem breui credimus, eos qui alia opinione tenentur irre- "
titi, ipso conatu & à nostra communione segregandos, & nomine episcoporum priuã- "
dos: vt tandem populo ipsorum errore liberato, detur respirandi locus. Nam multitu- "
dinis error tamdiu nullo modo corrigi poterit, quamdiu episcopi eodem tenentur im- "
plicati. Quocirca facite, vt vestræ reuerentiæ iudicium cum omnium Dei sacerdotum "
iudicio, cui vos firmè & constanter adhærere credimus, omnino consentiat: quod can- "
dem vobiscum rectam credendi viam nos quoque debeamus insistere. Vestra chari- B
tas, quæso, ad nos rescribat. Valete fratres honoratissimi.

Nicæni concilij decreta murus aheneus contra diaboli arma.

De sancto Ambrosio, quònam pacto ad episcopatum euectus sit, & quòd populo pietatis suasor extiterit: & de Nouatianis in Phrygia, & de Paschate.
CAPVT XXIIII.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 32. Socrat. lib. 4. ca. 23. 25. Theodori. lib. 4. c. 2.

EPiscopi igitur Occidentis sic remedio, contra eos qui apud se nouis rebus studebant, maturè inuẽto, fidem ipsis ab initio temporibus Apostolorũ traditam studiosè con- seruabãt: adeò vt perpauci alienã à catholica ecclesia doctrinã, solo ferè Auxentio exce- pto, sectarentur. Atq; nõ longo tempore pòst, iste Auxentius è medio sublatus est. Quo mortuo, populus ad seditionem concitatur, propterea quòd non vnum omnes ad epi- scopatum Mediolanensis ecclesiæ capessendum deligebant: vnde non parum ciuitati creatur periculi. Nam singuli, cũ eum quem cupiebant, ad episcopatum efferre non pos- sent, minas iactare, vti in eiusmodi tumultibus vsuenire solet, cœperunt. Itaq; Ambro sius tũ gentis illius præfectus, veritus populi mòtũ, profectus ad ecclesiam, consiliũ de- dit, vt à contentione desisterent: redegit quoq; eos in memoriam legum, concordiæ, & bonorum quæ pax secum afferre solet. Ac nondum de his rebus finem dicendi fecerat, cùm ex improuiso oẽs ad eum, vtpote suasorẽ concordiæ, communibus suffragijs epi- scopatum deferunt, iubentque lauacro baptismatis tingi (adhuc enim haud fuerat no- stræ religionis initiatus mysterijs) atq; vt sacerdotiũ illud capessat, obtestantur. Vbi verò ille hũc dignitatis gradũ repudiare, diẽ de die ducere, & re ipsa eum refugere conaretur, populusq; instare pergeret, & non alia cõditione quicquã de contentione sua remissu- rum affirmaret, nunciata sunt ista principibus in palatio viris. Quæ simulac ad aures Valentiniani Imperatoris perlata fuere, dicitur orasse Deum, & ei gratias egisse, q̃ quem ipse ad præfecturam gerendam extulisset, ille ad fungendum sacerdotio delegerat.

Atque de ardenti populi ad Ambrosium desiguandum studio, & de illius re- cusatione certior factus, coniectura ducebatur ad suspicandum, Deum ista ad concor- diam in ecclesia Medialonensi conciliandã prouidentia sua administrasse: & propterea quã celerrimè eũ episcopũ creari mãdabat. Qui simul vt initiatus est mysterio salutaris baptismatis,

Auxẽtij mors.

Ambrosius ex vrbis præfecto episcopus delectus.

Ambrosius baptizatus, & qualem se episcopum declararit.

A baptismatis, & sacerdotium sumpsit, ecclesiam sibi commissam, quæ diu propter admi- nistrationem Auxentij dissidio laborauerat, ad consentientem de Deo ac religione do- ctrinam deduxit. Verùm qualẽ se Ambrosius iste, postquam erat creatus episcopus, præ- stiterit, & quã animò excelso, quamq; piè sacerdotio perfunctus sit, pòst idoneo loco di- cetur. Sub idem tempus Nouatiani in Phrygia, contrà quã antè consueuerant, cœperũt diem festum Paschatis eodem die, quo Iudæi, celebrare. Nam tametsi Nouatus, illius sectæ author, eos quos peccatorum admissorum pœnitebat, in communionem haud- quaquam recepit, & istud solum dogma in ecclesiã introduxit: tamen non aliter atque ecclesia Romana post æquinoctiũ vernũ istum diem festum tum ipse, tũ eius succesꝰo- res vsque eò celebrarunt, quoad quidã in Phrygia Nouatiani episcopi, Imperatore re- gnante, cuius tẽpora iam persequimur, in vicum Gazũ (qui est locus Phrygiæ, vnde fon- tes fluuij Sangarij erumpunt) profecti, quoniã ob hanc rem etiam cum illis qui doctrina ab ipsis dissentirent, communicare renuebant, legem tulerunt, vt diem festum Azymo rum & Paschatis eodem tempore, quo Iudæi, agerent. Cuius concilij neque Agelius, Nouatianorum Constantinopoli episcopus, neq; episcopus Niceæ, aut Nicomediæ, aut Cotylij (quæ est vrbs Phrygiæ non obscura) particeps fuit: quos inter suæ sectæ fautores administratoresq; ecclesiarum, facilè principes, & velut columina Nouatiani dicunt. Qua etiã de causa, quomodo ipsi inter se dissentire, & in varias factiones diuisi, separa- tim conuentus agere cœperunt, opportuno tempore dicam.

Nouatianorũ Pascha.

Gazus vicus.

Cotylius.

De Apollinarijs patre & filio, & Vitalio presbytero: & quam ob causam in hæresi prolapsi sint. CAPVT XXV.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 12.

PEr id temporis Apollinarius hæresim suo nomine nuncupatam palàm defende- re non dubitauit: atque cùm multos ab ecclesia diuisisset, separatim conuentus e- git. Cui ad suam doctrinam stabiliendam subsidio fuit Vitalius presbyter Antioche- nus, vnus ex clero, qui Meletio parebat: vir sanè, si quisquam alius, ob piam viuendi ra- tionem & mores spectatos perillustris, studio etiam erga eos quibus præfuit singulari, atque propterea à populo summa veneratione dignatus. Aliquanto pòst tamen à Me- letij communione se separauit, & Apollinario addixit: illisque qui Apollinarij opinio nem Antiochiæ sectabantur, se ducem præbuit, atque sua sancta vitæ institutione non exiguum numerum in suam perduxit sententiam: qui nomen ab eo adepti, adhuc et- iam ab Antiochenis Vitaliani appellantur. Dicitur quidem, in hunc errorem quadam animi offensione inductum: nimirum quòd à Flauiano suo tum compresbytero (ad quem postea sedes ecclesiæ Antiochenæ delata est) se contemptum ideo putauit, quòd prohibitus erat eum, cùm esset episcopus, vti consueuerat, visere. Nam cùm se despicatui duci arbitraretur, humano more animo perturbatur, ad Apollinarium se confert, cum eo communicat, & amicum sibi facit. Cuius opera factum est, vt huius se- ctæ fautores in alijs quoque ciuitatibus sub suis & proprijs episcopis conuentus agerẽt, ritibus ab institutis ecclesiæ catholicæ alienis vterentur: & præter sacros hymnos ab ec- clesia institutos, cantiunculas quasdam numeris astrictas, quas Apollinarius excogita- uerat, cantarent. Nam Apollinarius iste, præter aliam doctrinam, poeticæ præterea & numerorum omnis generis peritus fuit: quarũ rerum illecebris multos ad animos sibi attẽdendos induxit. Quinetiam viri dum potabant, dum opera faciebant, mulieres au- tem dum texebant telas, eius cantilenas cecinerunt. Nam carmina studio relaxando, fe- stis & alijs cuiusque temporis opportunitatibus accommodata composuit, eaq; omnia ad laudes Dei prædicandas instituta. Quam quidem hæresim ad multos serpere, Da- masus episcopus Romanus & Petrus Alexandrinus episcopus certiores facti, primi o- mnium concilio Romę conuocato, eam alienam esse ab ecclesia catholica pronuncia- runt. Fertur porrò, Apollinarium præfracta quadam & nimis abiecta animi imbecilli- tate res fidei ac religionis nostræ nouare cœpisse, idq; tali causa inductum. Cùm Atha nasius episcopus ecclesiæ Alexandrinæ, post exilium, quod fuerat regnante Constantio perpessus, redire in Aegyptum iussus esset, ei iter fortè per Leodiceam facienti Apolli- narius familiaris & amicus inprimis factus est. Et quoniã communicare cũ Athanasio execrabile quiddã videbatur Arianis (è quorum numero fuit Georgius, illius vrbis epi- scopus) idcirco Apollinarius ecclesia per contumeliã expellitur, perinde ac si contra ca- nones & leges sacerdotũ in congressum cum Athanasio veniisset. Atq; eum Georgius nõ de his rebus solũ accusauit, verùm etiam peccata quę iam olim pœnitẽtia deleuerat, cri- minis loco obiecit. Nam dum Theodotus cui Georgius successit, Laodiceã sem eccle- siam adhuc regebat, Epiphanius illius ætatis sophista insignis hymnum in Bacchi lau- dem ediderat: quo præceptore vsus Apollinarius (adhuc enim adolescens erat) vnà cum

Apollinarij hæresis.

Vitalius huius assertor.

Vitaliani.

Apollinarij poetica.

τὸ Διόλλιον.

Apollinarius qua causa ad hæresin suam adductus.

Epiphanius sophista.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum patre, eodem ipso nomine vocato, Grammatico sanè haud obscuro, ad illū hymnum audiendum proficiscebatur. Vbi autē hymnum recitare orsus est Epiphanius, eos qui mysterijs Bacchi haud initiati, quiq; profani erant (vti consuetudo fert eorum qui talia dicendo se ostentare solent) foras exire iubet. At neq; Apollinarium adolescentem, neque eius patrem senem, neque quenquam alium Christianum qui fortè aderat, ab se audiendo excluſit. Qua re cognita, Theodotus episcopus iniquo animo & grauiter tulit: & vt laicis aliquantum obiurgatis veniam tribuit, sic ambos Apollinarios palàm delicti criminatus, ab ecclesia segregauit. Erat enim vterque ex clero: pater quidem presbyter, filius autem etiamnum literarum sanctarum lector. Quodam autem temporis spacio intermisso, Theodotus eos, cùm lachrymis & ieiunijs debitam pro peccatis pœnitentiam egissent, in ecclesiam denuò recepit. At Georgius, vbi eum est consecutus episcopatum, & Apollinarius in consuetudinem & familiaritatem Athanasij, vti dictum est, venerat, cum à communione excludit, & ab ecclesia alienum pronunciat. Quem dicunt ab eo sæpe petiuisse, vt se in communionem reciperet. Verùm cùm illud impetrare non posset, graui quadam animi offensione pulsus, ecclesiam turbare, & doctrinæ nouitate hanc, quā diximus, hæresim introducere cœpit: & quantum in ipso situm erat, arte dicendi aduersarium vlcisci, atq; vehementer arguere, quòd cū doctrina sacrarum literarum inferior esset, præstantiorē se non vereretur abdicare. Ita sanè priuatæ inter clericos varijs temporibus susceptæ inimicitiæ, maximo detrimento Ecclesiæ fuerunt, & religionem in varias sectas distraxerunt. Cuius rei hoc satis est argumenti. Nam si Georgius pari ratione, atque Theodotus, Apollinarium, cùm eum pœnituisset culpæ admissæ, in ecclesiam recepisset, non arbitror hanc hæresim, eius nomine nuncupatam, ortam aliquando fuisse. Ea enim est humana natura, vt cū despecta sit, obstinatione insolescat, & tum contentionis, tum rerum nouandarum studio flagrare incipiat: at cū æquales partes ferat, soleat se moderatè gerere, & intra eosdem rationis velut cancellos manere.

Apollinarij duo excommunicati pro piè auditum Bacchi hymnum.

Georgius epis. Apollinario iniquior.

Ex Clericorū priuatis simultatibus maxima semper detrimenta ecclesiæ orta.

De Eunomio, & præceptore eius Aetio, & illorum tum gestis, tum dogmatis: quodq; ij primi vnam in baptismo immersionem adinuenerunt.

CAPVT XXVI.

Eunomij, siue Anomianorū hæresis.

PEr idem ferè tempus, Eunomius ecclesiæ Cyzicensis pro Eleusio creatus episcopus, hæresis Arianæ fautor, alteram præterea hæresim in ecclesiam inuexit, quam alij ex eius ipsius nomine appellant: alij hæresim vocant Anomianorum. Quidam memorant, istum Eunomium primùm ausum esse asserere, diuinum baptismatis lauacrum vnica immersione debere peragi: sicque traditionem ab Apostolorum temporibus ad hoc vsque tempus obseruatam violasse: quinetiam disciplinam viuendi diuersam ab Ecclesiæ disciplina inuenisse, quæ ipsa seueritate & exquisita obseruatione nouitatē doctrinæ obtegeret. Magnus quidē erat verborū artifex, certandiq; & ratiocinandi studio vehementer delectabatur: quales esse complures eiusdē hæresis sectatores licet animaduertere. Nam neque piam alicuius vitam, neq; mores, neque benignitatem in egentes tantum laudant, nisi ipsorum faueat opinioni: quantum, si litigiosus in disputando, atque adeò ratiocinationibus videatur superiores ferre. Talis enim, præter cæteros pius existimatur. At verius credo (vti etiam alijs videtur) dicunt hi, qui tradunt, Theophronium Cappadocē & Eutychium istius sectæ fautores, cùm temporibus Imperatoris qui proximè successerat, se ab Eunomio diuisissent, nonnulla cū in alijs Eunomij decretis, tum in sacro baptismate nouare cœpisse, non in trinitatē, sed in mortem Christi baptizandum esse asserentes: Eunomium aūt nihil in hac re nouasse, sed de ea idē ab initio ip Arius sensisse, inq; illa sententia permansisse. Qui simulatq; episcopus Cyzici factus est, à suis ipsius clericis accusatum esse, quòd nouæ doctrinæ author extiterat. Quo quidem tempore Eudoxium, sectæ Arianæ Constantinopoli antistitem, ei accersito fecisse protestatem, de religionis doctrina apud populum concionandi. Verùm cùm nihil in doctrina orthodoxorum improbasset, Eudoxium eum hortatum esse, vt rediret Cyzicū: dixisse verò Eunomium, se nolle in posterum versari cum his, quos haberet suspectos. atque hanc fuisse causam, cur se ab Arianis segregasset, simulasse: cùm reuera se ab illis propterea separasset, quòd Aëtium suum magistrum illi in communionem non recepissent: denique ipsum in sua pristina perstitisse sententia, neque transuersum digitum (vt aiunt) à priore opinione discessisse.

Theophronij & Eutychij hæresis in solo mortis Christi nomine baptizans.

Eudoxius.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 13. 11.

Atq; hæc quidem alij hoc modo, alij secus cōmemorant. Verùm siue Eunomius, siue alij quidā ista in hac traditione baptismatis nouarint, quicunq; ea solū ratione ac modo baptizati sint, in simili videntur (mea quidem sententia) versari periculo, ac si absq; baptismate

Aptismate de vita decederent. Quòd si secundum Ecclesiæ ritum ab Apostolorum temporibus obseruatū, antè baptizati, ipsi se rebaptizare non poterant: tum certè, aut quod in ipsis minimè factum fuerat, initio illi introduxere: & quod neque erat in ipsis, neque per alios factum fuerat, id in alijs effecere: aut ex principio, quod nō prius extiterat, atq; adeò suopte ingenio istud dogma commenti, quæ ipsi minimè acceperant, alijs tradidere: quod quidem summæ insciticæ fuit. Nam istud confitentur etiam ipsi, eos qui baptismi mysterio nequaquam sunt initiati, non posse alios baptizare: & qui non sit modo ab ipsis tradito baptizatus, haud quaquam baptizatum videri, vtpote qui nō sit ritè eo mysterio initiatus. Quinetiam testes ipsi sunt, quòd quoscunque ad suam opinionem traducant, eos rebaptizent, etiamsi antea secundū ecclesiæ catholicæ traditionem eodem fuissent initiati mysterio. Quæ res certè Ecclesiā non mediocriter conturbauit: quinetiam dogmatum discrepantia, quorum alia ex alijs nascebantur, impedimento fuit, quo minus complures, qui fidem Christianā recipere animum induxerant, eam reciperent. Nam in dies singulos acres disputationes susceptæ erant, & (vti, cùm hæreses principiò oriuntur, solet accidere) inter doctores (qui siue studium spectes, siue orationis vim, haud vulgares sanè erant) vehementer agitabantur: adeò vt liceat conijcere, parum abfuisse quin complures Ecclesiæ catholicæ ad suam attraxissent opinionem, nisi Basilius & Gregorius Cappadoces illis fortiter restitissent: atque etiam imperium Theodosij, quod paulò post sequebatur, eorum conatū repressisset: & hæresium authores & duces ex imperij partibus, quæ erant à populo magis frequentatæ, in loca desertiora relegasset. Cæterum ne vtriusq; hæresis dogma nos omnino lateat, intelligendum est, opinionis Eunomij Aëtium Syrum primū inuentorem fuisse, asseruisseq;, filium patri dissimilem esse, creatum esse, & ex nihilo (vti Arius vult) cōstare. Cuius dogmatis fautores, Aëtiani vocabantur. Verùm (vt suprà, cùm de imperio Constantij disserebamus, dictum est) cū alij filium patri consubstantialem, alij substantia similem esse asseuerarēt: & illis, penes quos id temporis imperium erat, similem patri dicendum, vti concilium Ariminense decreuerat, visum esset: Aëtius quidem, vtpote blasphemiam in Deum locutus, exilio condemnatus est: hæresisque excogitata ab eo, interea temporis quodammodo extincta, propterea quòd neque Eunomius de ea, neq; alius quispiam doctus liberè differere ausus est. At verò Eunomius, vt primùm ecclesiæ Cyzicensis pro Eleusio episcopus constitutus est, non amplius omnino potuit quiescere: sed apud populum concionari, & opinionem Aëtij in medium denuò adducere cœpit. Itaque homines, vti sæpe fieri solet, obliti eius qui primùm hanc hæresin inuenerat, eius sectatores Eunomianos ideo appellabant, quòd Eunomius eam renouare, & maiore cum audacia, quàm qui illam in initio tradidisset, stabilire laborauit.

Anabaptismi illicitus.

Eunomianorū anabaptismus.

Dogmatum discrepantia multū à Christianismo suscipiendo impedijt.

Aetius Eunomiani dogmatis author.

Aetiani.

Aetij exilium.

Eunomius Aetianæ hæreseos renouator.

Eunomiani.

Quæ Gregorius theologus de Apollinario & Eunomio in quadam ad Nectarium scribit epistola: & quòd philosophia monachorum qui illo tempore vixerunt, eorum hæresis restincta est. Nam Orientem propemodum vniuersum, istorum duorum hæresis peruadebat. CAP. XXVII.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 13.

PRorsùs Eunomium eadem cum Aëtio sensisse, necessariò fatendum est. Et enim ille ipse Eunomius gloriatur se Aëtiū habuisse magistrum: quod quidem liberè sæpenumero in suis ipsius scriptis testificatur. Gregorius autem Nazianzenus episcopus, in epistola quadā ad Nectarium eo tempore episcopum Constantinopolitanū, Apollinarium insimulat his verbis: Male „ hoc, quod velut gremio nostro continetur, Eunomius licet magnum sit, nō tamen cō„ tentus est: sed damni loco duerit, si non omnes in eandem secum perniciem rapiat. At„ que ista quidem sunt fortasse aliqua ex parte ferenda. Sed inter Ecclesiæ calamitates ea „ omnium planè acerbissima est, quod Apollinaristæ suam doctrinam tam liberè & au„ dacter in vulgus efferre permittantur. Qui quidem, nescio quomodo, tuo permissu „ parem nobiscum libertatem sibi conuentus agendi comparārunt. Et quanquam tu Dei „ gratia adiutus, in diuinis mysterijs adeò cumulatè eruditus es, vt non solum cauſam „ Dei verbi accuratè agere noris, verùm etiam omnia ea quæ ab hæreticis contra sanā fi„ dem acutè excogitata sunt, plenè perspexeris: tamen non fuerit fortasse incommodum, „ vt tua amplitudo per meam tenuitatem certior fiat, libellum quendam Apollinarij in „ meas manus venisse, in quo omnia quę ad hæreticā prauitatem stabiliendā pertinent, „ breuiter percurrit. Nam in eo asseueranter affirmat, quòd in œconomia incarnationis „ vnigeniti Dei filij non esset caro ad nostram naturam reparandam aliunde assumpta, „ sed quòd ab æternitate carnea illa natura in filio Dei inesset. Atq; quò hanc absurdā opi„ nionē confirmet, sententia quandam Euangelij, quam malè interpretatus est, profert, „ quæ ita se habet: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cęlo, filius hominis.

Eunomius Aetij discipulus.

Greg. Nazianzeni de Eunomio testimonium.

Apollinaristæ.

Apollinarij hæresis.

Ioan cap. 3.

Sic

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Cor. 15.

Sic, vt priusquam descenderet, filius hominis fuerit, descenderitque eandem secum ad. A ferens carnem, quam iam in cælo habebat, æternam scilicet & consubstantialem. Citat porrò quandam Apostoli sententiam: Quòd secundus homo de cælo. Deinde asserit, hominem illum qui de cælo venerit, mentem non habere, sed deitatem vnigeniti mentis naturam suppleuisse, & in hominis coagmentatione tertiam partem ad animam & corpus (quæ in eo, vt humana fert natura, inerant) adiunctam esse: quippe mens in illo non erat, sed Deus verbum eius locum supplebat. Neque hac absurda doctrina contentus acquieuit: sed quod est omnium maximè pestiferū, ipsum vnigenitum Dei filium, iudicem vniuersitatis, authorem vitæ, & mortis euersorem, mortalem esse affirmauit, inque sua ipsius diuinitate passum esse: & triduo illo quo corpus mortuum erat, diuini tatem quoque eius pariter mortuam esse, & ita à patre denuò ex morte excitatam. Cætera autem quæ his absurdis opinionibus adiungit Gregorius, oratione persequi longum esset. Itaque quid de Deo senserint Apollinarius & Eunomius, & quomodo singuli, quibus ista curæ sunt, ex his quæ commemorauimus considerent. Quòd si de eiusmodi rebus accuratius erudiri secum instituerint, ex scriptis vel istorum ipsorū, vel aliorum plura de illis conquirant: quandoquidem mihi certè ea cùm ad intelligendum, tum ad oratione explicandum, non sunt tam facilia. Quòd autem ista dogmata non præualuerint, neq; ad valde multos manarint, nō modò causis quas suprà percēsuimus, sed etiam monachis eius ætatis in primis ascribi debet. Nam quotquot in Syria, Cappadocia, & regionibus circumiacentibus vitam colebant monasticam, doctrinæ concilij Nicæni mordicùs adhæsere. Nam parum aberat quin tota illa regio à Cilicia ad Phœnices vsque secta Apollinarij: Eunomij autem, à Cilicibus & monte Tauro ad Hellespontum ferè & Constantinopolim, infecta fuisset. Vterque enim gentes tum quibus cum versabantur, tum vicinas, facilè ad suas opiniones perduxerunt. At verò idem ferè istis accidit, quòd antè Arianis acciderat. Nam populus in hisce regionibus monachos, quos diximus, propter virtutem & rectè facta magnopere admiratus, eos verè de fide sentire credebat: & qui aliter sentirent, illos, vtpote doctrinis adulterinis corruptos, detestabatur: non aliter sanè atque Aegyptij, qui monachorum suorum doctrinam secuti, Arianis strenuè restiterunt.

Monachos eius ætatis, hæresistis, ne præualeret, maximè obstitisse.

Monachorum veterum sanctia admiratus.

De viris sanctis qui in Ægypto id temporis floruerunt: scilicet Ioanne, Ore, Ammone, Beno, Theona, Copreteilo, Elia, Apella, Isidoro, Serapione, Dioscoro, & Eulogio. B

CAPVT XXVIII.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 34.

IAm quidem se offert occasio, vt eorum qui in orbe Christiano se vitæ monasticæ id temporis dedebant, mentionem faciam: totque ex illorum numero persequar, quot pro virili mea parte potero. Nam ea ætas sanctissimorum virorum copiam effudit planè maximam. In ijs autē quos in Aegypto floruisse cognouimus, Ioannes facilè primas tenebat: cui Deus non minus quàm antiquis prophetis, res futuras, alijsque hominibus obscuras patefecit: largitusque est ei etiam facultatem medendi illis, quos perturbationes corporis & morbi insanabiles diuexabant. Huic addo Orem, qui ab ineunte adolescentia in solitudine ætatem degerat, assiduè Deum hymnis celebrans. Vixit herbis & radicibus quibusdam: aquam, sicubi reperit, bibit. Vbi autem grandis natu factus est, iussu diuino in Thebaidem translatus, plurimis præfuit monasterijs. Neque etiam ipse facultatis diuina edendi miracula expers fuit. nam precibus solùm morbos & dæmones expulit. Qui licet literarum ignarus, libris tamen non eguit ad recordationem: sed quicquid mente complectebatur, illud nulla delere poterat obliuio. In ea etiam orbis terrarum parte Ammon monasticū vitæ genus excolebat. Iste Tabenniositis præfuit, triaq; circiter millia habuit discipulorum. Item Benus & Theonas conuentus rexêre monachorum, viri diuina præscientia & prophetia repleti. Traditur quidem, Theonam doctrinæ Aegyptiorum Græcorum & Latinorum peritum fuisse, & ad triginta annorum spacium silentium exercuisse: Benum autem à nemine vnquam visum vel ira arsisse, vel iurasse, vel mentitum esse, vel temerarium, leue aut abiectum verbum dixisse. Eodem tempore fuêre Copres, Helles, & Elias. Ferunt Copræ à Deo tributum esse, vt ægrotationes & morbos varios sanaret, & imperaret dæmonibus: Hellen autem à puero ferè in disciplina monastica institutum, plurima edidisse miracula: sic, vt ignem gestaret in sinu, & vestem non vreret. qua re vna monachos, qui vnà cum eo degebant ætatem, magnopere ad illum imitandum incitatos esse: præsertim cùm ad piam eius viuendi rationem, diuinam miraculorum edendorum vim adiunctam cernerent. Per idem tempus Elias, non longè ab Antinopoli vitā egit monasticam, cùm iam decem esset & centum annos natus: ante quod tempus solus ad septuaginta annos solitudinem incoluisse dicitur. Et

Monachi Aegyptij celebriores.

Ioannes monachus.

Or.

Ammon.

Benus.

Theonas.

Copres.

Helles.

Elias

A Et quanquam ætate adeò prouecta erat, non tamen ieiunijs & seuera viuendi disciplina se exercere destitit. Inter istos item Apelles tum percelebris fuit: qui in monasterijs Aegypti circa Achorin plurima edidit miracula. Istum, cùm in opere fabrili teneretur occupatus, (hanc namque artem profitebatur) spectrum dæmonis noctu, habitu mulieris formosæ, quàm continens esset, tentare cœpit. Qui ferro quod iam poliebat, ex igni extracto, dæmonis faciem exussit: dæmon autem cum fremitu & eiulatione aufugit. Per id temporis inter monachos lōgè illustrissimi patres erant, Isidorus, Serapion, & Dioscorus. Isidorus monasterium vndique cinxit muro: & sedulò prouidit, ne quisquā eorum qui intus erant, egrederetur, res tamen omnes haberet ad vitam necessarias. Serapion prope Arsenoitem vitam egit, & monachis circiter decem millibus præfuit: quos omnes sic instituit, vt proprijs laboribus res necessarias tum pararent sibi, tum alijs egētibus suppeditarent. Tempore verò æstatis mercede conducti, solebant frug es demetere, inducti satis frumenti & sibi reponebant, & alijs monachis impertiebantur. Dioscoro autem non plures quàm centum fuêre in disciplinam traditi. Qui cùm esset presbyter, sacerdotio summa cum diligentia perfunctus est: inque eos qui ad sacra accedebant mysteria, accuratè inquisiuit, & exquisitum de illis exercuit iudicium: adeò vt nisi mente antè perpurgata, & nullius admissi sceleris conscia, ipsi accedere non auderent. Itemque in dandis sacris mysterijs Eulogius presbyter eodem tempore, etiam multò accuratius in hominum vitam inquirere solebat: quem ferunt, cùm sacrum faciebat, mentes accedentium mysteria ita præsciuisse, vt peccata eorū palàm coargueret, & res in cuiusque mente occultatas perspicuè contueretur. Itaque eos qui aliquid delicti admiserant, aut de aliquo improbo facinore consilium iniuerant, ad tempus arcebat ab altari, peccatumque eorum planum omnibus fecit: quos postea pœnitentia purgatos, denuò ad mysteria admisit.

Apelles.

Isidorus.

Serapion.

Dioscorus.

Eulogius.

De monachis in Thebaide degentibus, Apollo, Dorotheo, Piammone, Ioanne, Marco, Macario, Apollonio, Moyse, Paulo qui vitam Pherinæ agebat, Paco, Stephano, & Pior.

CAPVT XXIX.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 35. 36.

IN istorum numero Apollo quoque fuit, qui vixit in Thebaide. Hic cū pubescere inciperet, vitæ monasticæ se dicauit. Qui cùm in solitudine ad quadraginta annos vixisset, diuino oraculo iussus, speluncam ad radices montis cuiusdam, locis ab hominibus habitatis vicini, occupauit. Qui etiā præ B miraculorum multitudine breui magnam nominis celebritatem est consecutus, & plurimis præfuit monachis. nam ram vtilibus ad vitam disciplinis vtebatur, vt multos alliceret. Sed quænam fuerit eius disciplinæ ratio, & quanta quamq; diuina fecerit miracula, Timotheus ecclesiæ Alexandrinæ antistes accuratè narrat: qui non illius modò, sed aliorum etiam complurium, de quibus facta est à me mentio, vitas literis persecutus est. Eodem tempore erant præterea multi pij viri, qui hoc vitæ genus studiosè colebant circa Alexandriam, ad duo circiter milia: quorum alij solitudines accolebant, alij prope Mareotem & confines Libyes habitabant. inter quos facilè illustrissimus fuit Dorotheus, genere Thebanus: cuius hæc vitæ ratio erat. Interdiu lapides ex mari, quod erat in proximo, colligere, inque annos singulos paruulam domum extrue re solebat, & eam dare his qui sibi domum ædificare non poterant. Noctu autem folia palmarum nectebat, textura tortili, & ex illis sportulas conficiebat, quibus victum sibi suppeditaret. Cibus erat illi panis sex vnciæ, & fasciculus minutorum olerum: potus autem, aqua. Quod genus seueræ disciplinæ cùm ab ineunte ætate excoluisset, ne in ipsa quidem senectute remisit. Nunquam visus est vel super stoream, vel super lectum dormire: vel pedes, quò corpus relaxaret, extendere: vel sua sponte quieti se tradere: nisi quòd, dum aut opus faciebat, aut capiebat cibum, à natura coactus clausit fortè oculos: adeò vt non raro ei inter comedendum dormiscenti cibus ore excideret. Nam quodā tempore somno supra modum oppressus, inscius in stoream delapsus est. Ob quod factum magno affectus dolore, submissa voce dixit: Si angelos poteris ad dormiendum impellere, poteris etiam hominem seueræ disciplinæ deditum. Seipsum quidem significauit, dicto ad somnum fortasse relato: vel ad dæmonem, qui studiosis actionibus impedimento esse solet. Cui quidem ita se affligenti accedens, Cur, inquit, ita corpus conficis? Quia illud, inquit, me conficit. Præterea Piammon & Ioannes, id temporis quoq; circiter διόρυχον Aegypti, celeberrimis præfuere monasterijs. Exquisitissimè autem sacerdotio (presbyteri enim erant) & summa cū reuerentia perfungebantur. Traditum verò est, Piammonem quodam tempore cùm sacrum faciebat, vidisse circa sacram mensam stantē angelum Dei, & monachos præsentes in libro scripsisse, absentes verò inde deleuisse. Ioanni aūt tantam vim contra ægrotationes & morbos donauerat, vt multos

Apollo.

Timotheus Alexandrinus.

Dorotheus, et seuerum eius dem vitæ genus.

Piammon & Ioannes monachi.

podogra laborãtes, & articulos membrorũ habentes reſolutos, ſanaret. Per illud idem A
Beniamin. Beniamin, ætate admodum prouectus, circa Scetin in monaſtica vitæ diſciplina tempus ætatis ſummo cũ ſplendore triuit: cui Deus largitus fuerat, vt ſola tactione manus, aut oleo, ſupra quod orabat, abſq; medicamentis ægrotos omni morborũ genere liberaret. Qui cũ talis eſſet, dicitur in aquã intercutem delapſum, ita corpore intumuiſſe, vt per fores domus, in qua ætatẽ degebat, efferri non potuiſſet, niſi poſtes vnà cũ foribus demoliti fuiſſent. Inter ægrotandũ autem cùm in lecto iacere non poſſet, circiter octo menſes in ſella latiſſima ſedisſe: & licet alios morbis vexatos ſanare conſueuiſſet, neutiquam tamen ægrè tuliſſe, quòd ſe ipſo morbo, quo laborabat, eripere non poſſet: imò verò eos qui ipſum viſebant, conſolatũ eſſe, orauiſſe vt pro anima ſua Deo preces funderent: de
Marcus. Apollonius. Moyſes Aethiops. corpore ſe nihil laborare: Quandoquidẽ, inquit, cùm rectè valeret, nihil me iuuit: & cũ iam affligatur, nihil lædit. Eodem tempore Marcus ille multorum ſermone celebratus, Apollonius iuuenis, & Moyſes Aethiops in Sceti ætatem egere. Fertur, Marcũ, cùm adhuc adoleſcens eſſet, manſuetũ in primis & temperantem fuiſſe, ſacras literas memoria tenuiſſe: adeò etiam Deo charum, vt Macarius cõſtanter affirmaret, cũ ipſe eſſet preſbyter Cellinorum, eum nunquam à ſe ea myſteria accepiſſe, quæ fas eſt ſacerdotibus in ſacra menſa hominibus initiatis dare, ſed angelum ei illa dediſſe: cuius manum ſolum ad iuncturam vſq; brachij ſe vidiſſe dicebat. Macario autem data eſt à Deo gratia, vt dæ-
Macarius, ex homicida monachus. mones prorſus contemneret. Cauſa verò cur ſe initiò vitæ monaſticæ addixerit, fuit cædes non voluntaria. Nam cùm adhuc puer eſſet, & oues circa lacum Maream paſceret, quendam ex æqualibus inter ludendum fortè interemit. Itaque veritus vt daret pœnas, fugit in ſolitudinem. Poſt hæc cùm triennio ſub dio vixiſſet, paruulam ſibi domum ibi conſtruxit, in qua vigintiquinque annos ætatem degit. iſtud quoq; de eo memorant hi qui idem ipſum ab illo audiuêre, quòd magnam pro calamitate illa gratiam haberet,
Apollonius, è mercatore monachus. cædemq; eam non voluntariam appellaret ſalutarem, quippe quæ piæ diſciplinæ ſibi, & beatæ vitæ cauſa extitiſſet. Apollonius verò, quãuis reliquo vitæ tempore mercaturam exercuiſſet, tamen ætate iam ingraueſcente, ad Scetin profectus eſt. Ac cũ ſecum conſideraret, ſe per ætatẽ nec ſcribere poſſe diſcere, neq; vllam aliam artẽ, ſuis ipſius pecunijs omnia cũ medicamentorum, tum rerum aliarum ægrotis neceſſariarum genera coemiſſe traditur: & quotidie à primo mane vſque ad horam nonã per ſingula monacho- B
Moyſes, ex latrone monachus. rum oſtia perrexiſſe, quò ægrotos inuiſeret. Quod genus diſciplinæ cùm neceſſarium ſibi & accõmodatum comperiſſet, in eo, quod reliquũ erat ętatis, trãſegit. Cùm aũt iam eſſet è vita migraturus, ea quæ poſſidebat, alteri tradidit: deditq; in mandatis, vt eadem ipſe pietatis officia obiret. Moyſes verò, cũ ſeruus eſſet, ex ædibus domini ſui propter improbitatem eiectus eſt: atque ad latrocinium conuerſus, manipulo latronum præfuit. Qui poſt multa admiſſa ſcelera, poſt multas cædes factas, repentina facta mutatione, vitæ monaſticæ ſe tradidit, atq; ex inſperato ad piæ viuendi diſciplinæ perfectionẽ venit. Nam cũ præ firma corporis conſtitutione, quam ex priore vitæ ratione conſecutus fuerat, adhuc efferueſceret, & viſis voluptatũ ſibi obiectis cõmoueretur, infinitis ferè exagitationis generib. corpus macerare cœpit: nunc exiguo pane ſiue obſonio vtendo, modò operis faciendo plurimum, aliquando quinquageſies orando, interdum ad ſexennium ſingulas noctes integras ad preces faciendas pedibus conſiſtendo, totoq; illo ſpacio neque flectere genua, neque oculos ad ſomnum capiendum occludere voluit: non rarò etiam noctu per monachorum domicilia tranſiens, hydriam cuiuſq; clàm aqua impleuit. quæ res erat ſanè valde laborioſa. nã locus vnde aquam hauriebant, ab alijs decẽ ſtadia, viginti ab alijs, à nonnullis amplius triginta abfuit. At tametſi ſeriò operã dabat crebris exercitationibus vires debilitare, & corpus grauib. laboribus premere: tamẽ magna ex parte vtraq; non minus integra, quã antè, remanſerunt. Nam traditum eſt, latrones quodã tempore in domum, vbi ſolus vitã colebat monaſticam, irruptionẽ feciſſe: eum illos omnes comprehendiſſe, cõſtrinxiſſe vinculis: & cũ quatuor eſſent numero, humeris impoſuiſſe, deportaſſe in eccleſiam, cauſam illorum monachis collegis permiſiſſe, perinde atque ſibi licere non putaret quenquam vllo afficere incommodo. Memorant enim, nemini tam egregiam à vitioſitate ad virtutem mutationem accidiſſe: quandoquidem & in diſciplina monaſtica peruenit ad ſummum: & id à Deo conſecutus eſt, vt ingentem dæmonibus inijceret terrorem, & preſbyter monachorũ in Sceti ætatem degentium fieret. Qui cùm talis eſſet, multos poſt ſe optimos reliquit diſcipulos: & circiter ſeptuagintaquinque annos natus, exiuit è vita. Eodem regnante Imperatore, vixere
Paulus eremita. Paulus & Pachon, Stephanus & Moyſes, ambo Libyes, & Pior etiam Aegyptius. Paulus quidem domicilium habuit in Pherme, qui eſt mons in Sceti: cui fuere diſcipuli nõ pauciores quingentis. Nullum opus faciebat: neque à quopiam quicquam cibi accepit, præter-

A præterquam id ſolum quod edebat. In precibus ſolum ſe defixit, & in dies ſingulos trecentas orationes Deo, velut tributum quoddam reddidit. Ac ne per imprudentiã in numero erraret, trecentis lapillis in ſinum cõiectis, ad ſingulas preces ſingulos inde eiecit lapillos. Conſumptis igitur lapillis, conſtabat ſibi, orationes lapillis numero pares ab ſe expletas eſſe. Pachon verò id tẽporis in Sceti magna cum nominis celebritate vixit: quẽ conſtat ita vitã ab ineunte ætate ad ſummã ſenectutem inſtituiſſe, vt quãuis corpore eſſet benè conſtituto, tamen neq; perturbatio animi, neq; dæmon eum ignauũ in rerum continentia, earum quas virum piæ viuendi diſciplinæ dicatũ reprimere decet, aliquando deprehenderit. Stephanus circiter Marcotẽ, non longè à Marmarica habitauit: quẽ memoriæ proditum eſt, exquiſitum in primis, & perfectiſſimum diſciplinæ genus excoluiſſe, & ad ſexaginta annorum ſpacium monachum fuiſſe ſpectatiſſimum, & Antonio magno familiarem. Manſuetus erat, & valde ſapiens: in colloquio dulcis & fructuoſus, atq; ad animos eorum qui mœrore premebantur tũ permulcendos, tum ad ſolatium ac iucunditatem traducendos, etiamſi doloribus neceſſarijs antè occupati fuiſſent, admodum habilis idoneusq;. Similem quoq; ſe præbuit ſuis ipſius calamitatibus. Nã cùm graui morbo, & inſanabili illo quidẽ opprimeretur, adeò vt membra eo corrupta medicis excidenda traderet: tamen opus facere, foliaq; palmarũ manibus contexere complicareque non deſtitit. Atque eos qui aderant, cohortatus eſt, vt de ſuis calamitatibus non dolerent: neq; aliud quicquam cogitarent, niſi quòd ea, quæ à Deo fiunt, omnino ad bonum finem ſpectarent: & quòd ſibi vtile foret, in eiuſmodi cruciatus incidiſſe: idque pro peccatis fortaſſe, pro quibus præſtaret hîc pœnas, quàm poſt hanc vitam, perſoluere. Moſes autem, cùm ob manſuetudinem & charitatem erga omnes, tum ob morborum curationem, quam precibus ſolum effecit, magnam laudem conſecutus fuiſſe traditur. Pior, cùm ſtatuiſſet ab ineunte adoleſcentia vitæ monaſticæ ſe conſecrare, eo ipſo temporis veſtigio, quo ea de cauſa paternis ædibus egreſſus ſit, ſpopondit Deo, ſe deceterò neminem ex ſuis aliquando oculis aſpecturum. Poſt annos quinquaginta, ſoror accepit eum adhuc viuere. Quę cũ præ immenſo gaudio nuncij tam inſperati eſſet penè obſtupefacta, quieſcere non potuit, niſi fratrem oculis intueretur. Quam ætate prouectam, lamentantem, & implorantem in hac re auxilium, epiſcopus illius loci commiſeratus, ſcripſit ad præſides monachorum in ſolitudine degentium, vt Piorem ad ſe mit-
B terent. Qui iuſſus, eò profectus eſt: quippe cùm non poſſet illis contradicere. Nam non fas erat monachis Aegypti, credo item alijs, imperatis reſiſtere. Ille igitur, vno ſecum aſſumpto, venit in patriam. Atq; ſtans pro foribus domus paternæ, ſignum dedit ſe veniſſe. Vbi verò fores crepare ſenſit, oculis occluſis, ſororem nomine compellauit, dixitq;, Ego Pior, frater tuus. age, me contuere, quantum lubet. Illa igitur mirè hac de re oblectata, gratias Deo egit. Is autem cùm prope fores precatus eſſet, reuertitur ad locum in quo habitabat. Ibi puteo defoſſo, aquam reperit amaram: qua quidem aqua potionis loco ad extremum vitæ diem vſus eſt. Poſterum autem tempus, diſciplinæ illius & continentiæ ſeueritatem euidenter declarauit. Nam eo mortuo, cùm non pauci vitam monaſticam in eodem loco exigere conarentur, nemo eorum aquam ferre potuit. Equidẽ ipſe mihi pro certo perſuadeo, non fuiſſe ei difficile, ſi nõ tam auſterum diſciplinæ modum ſequi decreuiſſet, precibus aquam amaram in dulcem conuertiſſe: præſertim cùm perfeciſſet, vt alio quodã in loco, vbi nulla aqua omnino extiterat, aqua erumperet. Nã memoratum eſt, Moſen cum ſuis monachis quodam tempore, quando puteum defodiebant, quoniam neq; vena, quam ſe reperturos ſperabant, appareret, neq; aqua in profundo emergeret, ab opere iam deſtituros fuiſſe, niſi Pior circiter meridiẽ illis fortè interueniſſet: qui cũ eos ſalutaſſet, diffidentiæq; & imbecillitatis animi arguiſſet, deſcẽdit in foſſam, & orauit. Cumque terram ligone iam tertiò percuſſiſſet, aqua confeſtim erupit, & foſſam compleuit. Pior precibus factis, diſceſſit. Qui à Moſe & monachis eius rogatus vt cibum apud ipſos caperet, noluit: ſed dixit, ſe non ea de cauſa ad eos miſſum, atque rem ob quam ipſe venerat, iam eſſe confectam.

Preces ſingulis diebus ad numerum certum fuſæ.

Pachon.

Stephanus.

Moſes Libycus.

Pior.

Monachorum Aegypti obedientia.

De monachis qui in monaſterijs Scetis vixerunt, Origene, Didymo, Cronione, Arſiſio, Putabaſte, Arſione, Serapione, Ammonio, Euſebio & Dioſcoro fratribus, & ijs qui Longi nominabantur, & Euagrio philoſopho. CAP. XXX.

a Origenes adnaboreta.
b Didymus.
c Cronion.
d Arſiſius.
e Putabaſtes.
f Arſion.
g Serapion.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 27.

EOdem tempore in monaſterijs Scetis floruerunt, [a] Origenes ſenex, vnus ex diſcipulis Antonij magni, qui adhuc ſupererat: & [b] Didymus, & [c] Cronion annos à circiter decem & centũ natus: & magnus [d] Arſiſius, & [e] Putabaſtes, & [f] Arſion, & [g] Serapion, qui eiſdem cum Antonio vixere temporibus: quiq; cũ in diſciplina monaſtica conſenuiſſent,

Universidad de Deusto
Biblioteca

monasterijs iam tum in eo loco positis præfuerunt. Rursus alij cõplures præclari & bo- A
ni viri, quorum alij erant adolescẽtes, alij ad robustam ætatẽ peruenerant, in magna ce-
lebritate vnà cum illis vixerunt. Porrò Ammonius, Eusebius & Dioscorus, per idem
tempus magni nominis fuêre: isti fratres erant inter se, & propter corporis staturam,
Longi vocabantur. Traditum est, istum Ammonium ad perfectissimum monasticæ vi-
tæ ac disciplinæ modum venisse: voluptatem & mollitiem fortiter deuicisse: literarũ
fuisse & doctrinæ adeò studiosum, vt Origenis, Didymi, & aliorum scriptorum eccle-
siasticorum libros diligenter euoluerit: à primo tempore ætatis ad extremum vitæ diẽ
nihil, præter panem, quod igne coqueretur, gustasse. Qui cũ à quibusdam comprehen-
sus, episcopus crearetur, quoniam illis, qui ad se ea de re venerant, precibus persuadere
non poterat vt abirent, præcisa auricula, dixit: Me deinceps ne volentem quidem lex sa-
cerdotum creari permittit. Nam neminem qui non sit integris membris, sacerdotem
debere institui. Itaque hac re audita, decessere illi quidem: sed vbi intellexere hæc esse
Iudæis solum obseruanda, ecclesiæ autem Christi, membra corporis minimè curæ es-
se, sed vt sacerdos duntaxat sit integris moribus, reuerterunt denuò, virum comprehen-
suri. At ille se obstrinxit iureiurando, si vim ei afferre conarentur, linguam quoque ex-
cisurum. Hi igitur, ne hoc faceret veriti, abierunt. Qua de causa Ammonius παρώτης, id
est auricula carens, deinceps nuncupatus est. Qui cum non multò pòst, temporibus sci-
licet proximi Imperatoris, Euagrius versabatur: vir sapiens, illustris, & cùm acutus ad
intelligendum, tum ad dicendum disertus: quinetiam ad rationes ac vias quæ ad virtu-
tem ducunt, & prauitatem, discernendas valde perspicax: itemque idoneus in primis
ad suggerenda ea quæ his sequenda, illis cauenda viderentur. Verùm quantum præsta-
ret doctrina, ex libris quos posteris reliquit, satis constare poterit. Fertur etiam ingenij
modestia excelluisse, & adeò omnem arrogantiam & fastidium repressisse, vt neq; cùm
iure laudaretur, populi plausu se insolenter efferret: neque cùm vituperaretur iniustè,
contumeliam sibi factam ægrè pateretur. Genus quidem duxit ex Iberibus, qui ad pon-
tum Euxinum accolunt: sed in disciplinam traditus est Gregorio episcopo Nazianzi, &
ab eo in sacris literis institutus: cuius etiam archidiaconus fuit eo tempore, quo Con-
stantinopolitanam rexit ecclesiam. Hunc quidem formosum aspectu, & vestitu exqui-
situm, cũ quidam è magistratuũ numero zelotypia laborans, motum suæ coniugi ac fa- B
miliarem esse intellexisset, mortem ei machinari cœpit. Atq; dormienti Euagrio cùm
cædes per insidias re ipsa inferretur, dicunt visionem quandam, terribilem illam quidẽ,
sed tamen salutarẽ, diuinitùs oblatam esse. Videbatur enim videre, se in maleficio quo-
dam deprehensum esse, & catenas ferreas manibus ac pedibus iniectas. Cumque iam de-
duceretur in iudicium, & supplicio afficeretur, ad se quendam accessisse, ac demonstras
se librum Euangeliorum, pollicitumq; esse, si vrbe egrederetur, se è vinculis eum solu-
turum: ac iusiurandum ab illo postulasse, quòd ita faceret. Se autem manu ad librum
admota, iurasse, se id sine dubio facturum. Itaque è vinculis exemptum, & illico somno
solutum esse. Sicque diuinæ visioni sibi secundum quietem obiectæ obsequentem, peri-
culum euitasse. Postea autem cùm animum induxisset, vitam colere monasticam, reli-
cta Constantinopoli, Hierosolymam concessit. Aliquanto pòst ad monachos qui in
Sceti ætatem agebant, visendos profectus, inter eos vitã traducere magnopere cupiebat.

Ammonius, Eusebius, Dioscorus, Longi fratres.

Membris captum neminẽ sacerdotẽ creandum, quatenus verum.

παρώτης

Euagrius.

Visio Euagrio oblata vitam ei conseruat.

De Nitriæ monachis, & monasterijs quæ Cellia vocabantur: & Rhinocururæ monachis, Nigro, Dionysio, & Solone.

CAPVT XXXI.

Nitriæ appellatio.

ISTum locum appellant Nitriam, propterea quòd est pagus finitimus, in quo ni- *Vide Nicæ phor. lib. 11. cap. 38.*
trum colligunt. Non exigua quidem hominum multitudo ibi monasticam di-
sciplinam exercebat. Erant namque monasteria circiter quinquaginta conti-
gua, quorum pars conuentus, pars homines separatim ab alijs vitam degentes habuere.
Porrò autem cùm iter facias in interiorem solitudinem, ibi est alius locus, qui à Ni-
tria abest stadia ferè septuaginta, cui nomen erat Cellia. in eo sunt cellæ monachorum
permultæ sparsim positæ, qua de causa hoc nomen habuit. Tantũ inter se distant, vt qui
in ipsis habitant, neq; videre se inter ipsos, neq; omnino audire possint. Conueniunt o-
mnes in vnum, & primo hebdomadæ ac postremo die conuẽtus celebrant. Quòd si quis
fortè absit, eum abesse planè inuitum constat, vel afflictatione aliqua, vel morbo præpe-
ditum: ad quẽ visendum curandumq; non oẽs statim eunt, sed varijs temporib. singuli,
quicquid habẽt ad morbũ leuandum accommodatũ, secum deferũt. Hac causa excepta,
nõ colloquũtur inter se, nisi quò sermonẽ vel ad cognitionẽ Dei, vel ad animę vtilitatẽ
pertinentem

Monasteria so. contigua. Cellia.

Silentium monachorum.

pertinentem conferant: idque cùm aliquis veniat, quo aliquid ab eo qui id ipsum expli- A
care norit, perdiscat. Hasce quidem cellas incolunt hi, qui ad id, quod in disciplina mo-
nastica summum est, peruenerint, seque ipsos ritè instituere, & soli vitã degere possint,
propter quietem ab illis seiuncti. Atque hæc quidem sint à nobis breuiter de Sceti, deq;
monachis ibi seuêram ac sanctam vitam excolentibus, commemorata. Quòd si cuiusq;
vitam singillatim persequi niteremur, opus fortasse propter longitudinem apud non-
nullos in reprehensionem incurreret. Nam cùm suas ac priuatas viuendi disciplinas
constituerent, opera, instituta vitæ, exercitationes, rationem victus, & tempora cuique
ætati accommodata distribuerunt. Porrò Rhinocurura post illud tempus viris pijs *Rhinocurura.*
non aduenticijs, sed ea in vrbe natis, floruit. Quorum facilè optimos vitæ monasticæ se
dedisse accepi: noui etiam ipse Melanem ecclesiæ eiusdem episcopum, & Diony- *Melas. Dionysius.*
sium, qui à parte vrbis ad septentriones vergẽte monasterium habuit: noui quoq; Solo-
nem Melanis fratrem, & eius in episcopatu successorem. Fertur præterea, eo tempore,
quo erat imperatum, vt episcopi cuiusque ciuitatis, qui doctrinæ Arianæ aduersaban-
tur, è sedibus suis pellerentur, eos qui ad Melanem pellendum venerant, offendisse eum
tanquam infimum ministrum, lampades ecclesiæ parantem, habentemque baltheum,
quo pallium cingebatur, oleo sordidatum: in lampades denique lychnos inserentem.
Quem cùm pro episcopo rogassent, respõdisse, Eum ibi esse, seq; illum monstraturum.
Extemplò verò homines eos de via fessos in ædes episcopi deduxisse, mensam appositi-
se, epulis, quæ fortè suppetebant, excepisse. Postquam autem epulati sunt, lauisse manus
(illis enim inter epulandum ministrauerat) & ita se eis indicasse. Illos hominem admi-
ratos, confessos esse cur venissent: reuerentia tamen erga eum inductos, cõcessisse ei po-
testatem aufugiendi. Eum tum dixisse, tantum abesse vt idem supplicij genus subire re-
cusaret, quod episcopi secum doctrina fidei consentientes subirent, vt etiã lubenti ani-
mo id ipsum amplecteretur. Eius generis igitur institutis disciplinæ à puero exercitatus,
in virtute monastica perfectus euasit. Solon autẽ factus ex mercatore monachus, non *Solon, ex mercatore monachus.*
parum ipse quoque inde percepit vtilitatis. Nam fratre suo Melane, & monachis
qui ibi pium illud viuendi genus sedulò colebant, præceptoribus vsus, tum in Dei cul-
tum summa animi alacritate incubuit, tum erga vicinos perbenignus fuit.

Quare ecclesia Rhinocurensis eiusmodi ab initio nacta antistites, ex eo tempore
B ad nostram vsque ætatem eorum institutis vti, & bonos ac pios viros efferre non desti-
tit. Quinetiam clericis illius ecclesiæ ædes communes, communis mensa, alia denique
omnia communia.

De Palæstinæ monachis, Hesycha, Epiphanio, postea Cypri episcopo, Ammonio, & Syluano.

CAPVT XXXII.

Vide Nicẽ phor. lib. 11. cap. 39.

Palæstinæ monachi.

POrrò autem Palæstina, propter viros, qui ibi disciplinam monasticam exercebant,
magnopere floruit. Nam complures eorum, quos, dum de Constantij disserebam im-
perio, enumeraui, adhuc eandem cum magna gloria excolebant disciplinam. quorum
consuetudine alij nonnulli vtentes, ad id, ꝙ in virtute summũ est, peruenere, maiorem-
que gloriæ quasi cumulum monasterijs illius regionis adiecere. Ex quorum fuere nu- *Hesychas. Epiphanius.*
mero, Hesychas, Hilarionis sodalis: & Epiphanius, qui postea Salaminæ, quæ est vrbs
Cypri, fuit episcopus. Atque Hesychas eo ipso in loco, in quo magister eius, vitam egit
monasticam. Epiphanius autem circiter Besanducem pagum, in tractu Eleutheropoli-
tano situm, vnde etiam ortus fuerat, in eodem vitæ genere colendo se collocauit. Qui
ab ineũte ætate à monachis præstantissimis institutus, & in Aegypto longissimo tempo-
re eadem de causa versatus, in disciplina monastica cùm apud Aegyptios, tum apud Pa-
læstinos illustrissimus habitus est: postea quoque apud Cyprios in non minori gloria
fuit, apud quos electus est primariæ vrbis totius insulæ episcopus. Vnde, credo, in vni-
uerso prope dixerim orbe terrarum est maximam nominis celebritatem consecutus.
Nam cùm in multitudine hominum, & in vrbe ampla, eaque maritima, sacerdotio
fungeretur, ob præstantiam virtutis, qua etiam negocijs ciuilibus occupatus vsus est,
breui cum ciuibus, tum peregrinis cuiusque nationis notus factus est: illis quidem, vt
qui eum coràm vidissent, eiusq; piæ vitæ fecissent periculum: his autem, vt qui illis idem
de eo narrantibus fidem adiunxissent. Qui antè quàm in Cyprum profectus est, etiam
Imperatore, cuius tempora iam persequimur, regnante, in Palæstina ætatem degebat. *Salamanes. Physcon. Malachion. Crispion.*
Quo quidem tempore in monasterijs percelebres erãt, Salamanes, Physcon, Malachiõ,
& Crispion fratres. Qui circa Bethelea pagum in tractu Gazensi situm (erant enim ex
patritijs illius loci oriundi) vitam traduxêre monasticam. Cuius quidem vitæ ac disci-
plinæ præceptorem Hilarionẽ habuêre: à quo cùm domum vnà concederent, fertur

Vide infrà lib. 7. cap. 5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Malachionē è medio illorum abreptum esse, ex eorum cōspectu euanuisse: atq; ex im- A
prouiso rursus visum esse, eandem viam cum fratribus insistentē: paulò pòst verò è vita
migrasse: qui tametsi adhuc adolescens erat, illis tamen qui in disciplina monastica cō-
Ammonius. senuerant, neq; pia viuendi ratione, neq; ardēti in Deū amore inferior fuit. Itemq; Am-
monius decē inde circiter stadia prope Chapharcobrā, pagum quoq; Gazensem, à quo
genus duxit, habitauit: vir sanè, qui vitā monasticam cū exquisitè in primis, tum summa
Siluanus. cum animi magnitudine excoluit. Siluanus etiā, cui ferunt propter eximiam virtutem
angelum coràm ministrasse, etsi Palæstinus genere fuit: id temporis tamen credo, in Ae-
gypto disciplinam monasticam sectatus est. At postea in monte Sina aliquandiu com-
moratus, deinceps ad torrentem quendam in Geraris conuentum plurimorum bono-
rum ac piorum virorum maximum planè & celeberrimum in vnum congregauit: cui
Zacharias. post eius mortem diuinus ille præfuit Zacharias.

De Syriæ monachis, Batthæo, Eusebio, Barge, Ala, Abbo, Lazaro, Abdaleo, Zenone, Heliodoro, Eusebio apud Carras, Protogene, Bito, Aone. CAP. XXXIII.

Vide Nicephor. cap. 40. lib. 11.

Syriæ & Persidis monachi, Batthæus, Eusebius, Barges, Alas, Abbos, Lazarus, Abdaleus, Zenon, Heliodorus. Cœnoi.

SEd abeamus iam ab his, & ad monachos Syriæ ac Persidis, quę est Syriæ finitima, veniamus: qui ita multitudine creuerunt, vt cū monachis Aegypti numero cō-
tendere possent. In quibus præter cæteros excellere tum videbantur Batthæus, Eusebius, Barges, Ales, Abbos, & Lazarus, qui pòst creatus est episcopus: Abdaleus etiā, Zenon, & Heliodorus: qui omnes apud Nisibenos circiter montem qui dicitur Sigo-
ron, in monastico disciplinæ genere ætatem contriuerunt. Hos quidem qui tale genus disciplinæ nuper inchoauerant, βόσκους, id est, pastoritios, vel syluestres vocabant: quod nomen illis ideo impositum est, q̄ neq; ædes habent, neq; panē obsoniúmue comedūt, neq; vinum bibunt: sed semper in montibus ætatem degentes, Deum precibus & hym-
nis (vt ritus postulat ecclesiæ) sine intermissione celebrant. Cū autem tempus venit cibi capiendi, non aliter atq; palantes, singuli arrepta falce, montem peragrant, quò herbas ad vitam sustentandam demetant. Atq; hunc disciplinæ modum isti quidē coluisse tra-
Eusebius anachoreta. duntur. In Carris verò Eusebius, solus in angustum locū sua sponte conclusus, monasti-
Protogenes. cam vitam egit: Protogenes etiam, qui post Bitum id temporis episcopum, ecclesiam il-
Bius episc. lam regebat, eandem viuendi viam secutus est. Bitum autem illum dico, multorum sermone celebratum, quem prædicant Imperatorem Constantinum cùm primò vidis-
set, confessum esse, quòd Deus iamdudum illum hominem sibi in visionibus ostendis- B
Aones. set, iussissetq; vt quodcunq; diceret, illi fidem adhiberet. Aones item habuit in Phadana
Phadana. domicilium, in quo disciplinam monasticam exercebat. Est is quidem locus, in quo la-
cob nepos Abrahami è Palæstina egressus, cum Rebecca adhuc virgine, quam pòst du-
xit vxorem, in noticiam & familiaritatem venit. Nam lapide ex fonte qui ibi erat amo-
to, primùm illius gregem aquauit. Commemorant hunc Aonem primum omnium
apud Syros, nō aliter atq; Antonium apud Aegyptios, istam exquisitam viuendi ratio-
nem, quæ est ab omnium hominum societate remota, instituisse.

De Edessæ monachis, Iuliano, Ephrem, Syro, Barsę, & Eulogio: præterea verò & de ijs qui Cælesyriam incolunt, Valentino, Theodoro, Maroso, Basso, Bassone, & Paulo: ac de illis etiam qui sunt in Galatia & Cappadocia, & alijs in locis viris sanctis, & qua de causa acciderit, quòd sancti qui olim vixerunt, longæui fuerint.

CAP. XXXIIII.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 40. 41. 42.

Gaddanas. Azius. Iulianus monachus. Ephraim Syrus. Barses. Eulogius. Lazarus epis.

CVm isto Aone Gaddanas & Azius vnà vixêre, qui pari virtutis studio incendeban-
tur. Prope verò vicinam Edessam, & vrbes illi finitimas, eodē tempore facilè præ-
stantissimi monachi fuere Iulianus, & Ephraim Syrus: de quibus tum disputabamus, cū
sumus in imperio Constātij explanando versati. Adde his Barsen & Eulogium, qui am-
bo pòst creabantur episcopi non vrbis alicuius, sed honoris causa, qui veluti vitæ piè an-
teactæ compensatio in proprijs monasterijs illis deferebatur. Ad quem modum Laza-
rus quoque, de quo supra diximus, episcopus fuit. Atq; hi quidem sunt monachi, quos
ipse cùm apud Syros, tum apud Persas etiam eorum confines in disciplina monastica
Monachorum Syriæ studia et disciplina. eo tempore primas obtinuisse accepi. Quibus omnibus communis disciplina fuit, vt
comprehendam breui, animæ quàm maximam curam gerere, eamque consuetudine
ad res huius seculi relinquendas paratam efficere: in precibus, ieiunijs, & diuinis hym-
nis magnum vitæ partem consumere: pecuniam, ciuiliū rerum tractationem, indulgē-
tiam curamq; corporis omnino contemnere. Nonnulli istorum monachorum ad per-
Batthæus. Alus. Heliodorus. fectissimam continentiam peruenêre: verbi gratia, Batthæus tanta vsus est continentia,
tantaque inedia, vt vermes ex eius dentibus serperent. Alam quoque ferunt ad spacium
octoginta annorum panem non gustasse: Heliodorum etiam multas integras noctes nihil

A nihil somni cepisse, & pariter integras hebdomadas ieiunasse. Porrò Cœlesyria, & tota illa regio quæ supra eam sita est, sola Antiochia excepta, seriùs est illa quidem ad Chri- *Cœlesyriæ monachi.*
sti fidem traducta: sed tamen ne ea quidem viris ecclesiasticis vitam monasticam co-
lentibus caruit. Qui tanto fortiores videbantur, quanto magis incolis eius regionis, o-
dio habiti erant, & insidijs appetiti: quibus magno sanè animo & excelso restiterunt,
non vlciscendo se ipsi, neque pœnas ab aduersarijs sumendo, sed contumelias Genti-
lium & plagas sibi inflictas magna cū alacritate sustinendo. Quales fuisse audiui Valen- *Valentinus et Theodorus monachi*
tinum (quem alij ex Emesa, ex Arethusa alij genus duxisse prædicant) & eius gentilem *Tittis opp.*
Theodorum: ambos Tittis, quod est oppidum in tractu Apameensi positum, natos. Ma- *Maroſas.*
rosam etiam ex Nechelis, & Bassum, & Bassonem, & Paulum ex pago Telmiso ortum: *Bassus.*
qui cum multos monachos multis in locis in vnum congregasset, & ad monasticam *Basso.*
disciplinam, quemadmodum oporteat, excolendam traduxisset, ad extremum in loco *Paulus.*
quodam qui lugatus dicitur, maximum ac celeberrimum conuentum monachorum
constituit. Quo quidem in loco etiam cùm vitam ad longissimum tempus protraxis-
set, (ad nostram enim ætatem, egregiè & valde piè disciplina monastica exercitatus vi-
xit) mortuus est, ibique sepulchro cōditus. Quinetiam cæteri monachi, quos cōmemo-
rauimus, omnes ferè ad prolixum temporis spacium vitam propagarunt. Atque Deus *Monachorum longæuitas.*
certè, vt mihi quidem videtur, tam longam vitam hisce hominibus largitus est, vt re-
ligio Christiana per eos amplificaretur. Etenim tum Syros ferè omnes, tum Persas, tum
Saracenorum quàm plurimos à Gentilitate ad suum ipsorum, hoc est, ad verum Dei
cultum traduxêre: ipsiq; in illis regionibus disciplinam monasticam exorsi, permultos
sibi similes effecêre. Porrò Galatas arbitror, Cappadoces, & horum finitimos, atq; mul-
tos alios præterea id temporis, viros habuisse ecclesiasticos, qui & monasticum viuendi
genus exercebant, & veterem Christi religionem studiosè excolebant. Complures autē
erant, qui in vrbibus & pagis conuentus habebant. Nam neq; veterum monachorum
traditioni erant assuefacti, neque præ hyemis acerbitate, quæ ob naturam loci semper
ibi solet euenire, in solitudine fortasse ætatem agere non poterant. Inter monachos au-
tem, quos illic vixisse accepi, primas tulit Leo, qui postea ecclesiæ Ancyræ episcopus *Leo monach. & episcopus.*
creatus est: & Prapidius, qui iam licet valde grandis, in multis pagis munere fungitur *Prapidius.*
episcopali. Præest etiam pauperum domicilio, cui nomen Basilias, celeberrimo illi qui- *Basilias prochotrophium à D. Basilio extructum.*
B dem, à Basilio episcopo Cæsareæ Cappadociæ exædificato: à quo & initiò nomen acce- B
pit, & adhuc retinet.

De tripode ligneo, & Imperatoris ex elementorum connexione successuri exploratione, & philosophorum cæde, & astronomia. CAPVT XXXV.

Vide Nicephor. li. 11. cap. 45. Socrat. lib. 4. cap. 15.

SVnt hæc quidem à me de viris ecclesiasticis, qui tum disciplinam colebant mo-
nasticam, eatenus commemorata, quatenus eadem ipsa cognoscere potui. Quo
quidem tempore omnes propè philosophi Gentiles extincti sunt, idque hac de *Philosophi eius ætatis plerique interfecti.*
causa. Nonnulli eorum qui alijs in Philosophia præstare putabantur, incrementum re-
ligionis Christianæ ægrè admodum ferentes, iniuere consilium de prænoscendo, quis *Tripodis è lauro fabrefactio, & inde diuinatio.*
esset Valenti in Imperio successurus. Qua de re cum omnia omnis generis diuinandi
genera experti fuissent, ad extremùm tripodem ligneum è lauro fabricati, inuocationes
dæmonum, & verba execrabilia pro more suo vsurparunt: adeò vt ex coniunctione sin-
gularum literarum per tripodis machinam & diuinationem significatarum, futuri no-
men extaret Imperatoris. Philosophi igitur cùm Theodorum, virum inter satellites
Imperatoris insignem illum quidem & illustrem, sed Gentilem, Imperatorem fieri aui-
dè expeterent, vtq; ordo literarū vsq; ad D huius nomini conueniret, in fraudem indu-
cti sunt, dū hac coniectura nixi, Theodorū imperio potiturum expectarent. Quo illorū
conatu indicato, extra modum ira exardescere cœpit, quasi saluti suæ insidias compa-
rassent. Ob quam causam tum Theodorus, tum tripodis opifices comprehensi sunt: *Valentis in Philosophos indignatio.*
mandatumque, vt ille igni, hi autem gladio necarentur. Pari ratione omnes illustrio-
res in toto imperio philosophi eadem ipsa de causa extincti. Quinetiam cum Impera-
toris ira nullo modo comprimi posset, etiam in eos qui philosophi non erant, sed illo-
rum duntaxat vestitu vtebātur, inuidiæ flāma peruasit: sic vt qui alias artes profiteban-
tur, neque crocotis, neque pallijs philosophorum se induere vellent, idq; ob periculi
metū, ne viderentur ex eorum numero esse, qui vaticinia illa & ritus ad tripodem pere-
gissent. Istam quidem implacabilem Imperatoris iram, atque adeò crudelitatem,
addo etiam philosophorum temerarium facinus, philosophis indignum & impru-
dentem conatum, à bene sanis hominibus arbitror meritò damnandum. Nam cum
hac insciti impulsus, animū induxisset eum interficere, qui esset sibi in imperio succes-
surus, neq; vitæ illorū qui diuinatione de ea re vsi fuissent, neq; eius de quo diuinassent,

pepercit: quinetiam, vti ferunt, neq; eorum quidē, qui tum eodē nomine, si modò illustres essent, appellabantur, vel saltē simile nomen habebant, cuius primæ literæ à Th. vsque ad Deædem essent. Porrò philosophorum huc processit amentia, vti crederent, in sua situm potestate, vt tum Imperatorem è medio tollerent, tum denuò excitarent. At quamuis eiusmodi res decretis, quæ raro astrorum cursu semel statuta sunt, ascribi deberent: tamen oportuerat eum, qui esset futurus Imperator, expectare. verùm si istud consilij & voluntatis diuinæ opus sit, quid est cur quisquam eas ideo curiosè peruestiget? Nam præsensione aut studio humano, quod est à Deo decretum, sciri omnino nō potest: quòd si posset, non tamen rectum esset existimare, eos, homines cùm sint, licet omnium sapientissimos, melius quàm Deum posse de rebus consilium capere. At verò si cupiditate illius, quod erat futurum, prænoscendi, eò imprudentiæ ferebantur, vt periculo velut ante oculos proposito se vltrò offerrent, legesque olim à Romanis, eo videlicet tempore cùm gentilitatem profiteri, & immolare idolis periculo caruit, promulgatas contemnerent, non eadem mente fuere & sententia, qua Socrates: qui cùm saluus esse posset, cumq; etiam cicutam, idq; contra æquum & bonum bibiturus esset, reuerentia tamen erga leges, in quibus natus educatusq; fuerat, è carcere, etiam cùm posset, fugere noluit.

Philosophorū temerit. as in diuinando, ex qua Valens arrepta occasione grassatur in oēs, quorum nomina incipiebant à syllabis his dua bus, Theod, vt sunt, Theodorus, Theodotus Theodulus, Theodorius Theodosius & cōsimiles.

Socratis erga leges reuerentia.

De Valentiniani Imperatoris in Sauromatas expeditione, & eius in Gallia morte, & Valentiniani Iunioris electione, ac persecutione sacerdotum: oratione que Themistij philosophi, qua magis humanus ac facilis in illos, qui ei repugnabant, effectus est.

CAPVT XXXVI.

SEd de hisce rebus liberum cuique pro arbitratu & iudicare, & dicere. Cùm Sarmatæ in loca quædam imperij ad solem occidentem vergentis incursionem fecissent, Valentinianus bellum contra eos suscepit. Illi autem de numero militum & apparatu eius certiores facti, legatos ad eum de pace mittunt. Quos cùm vidisset, scisciatur num omnes Sarmatæ tales essent? A quibus cùm esset responsum, Sarmatarū facilè præstantissimos ad eam obeundam legationem venisse, ira supra modum incenditur. Atque grauiter vociferatus, Quàm miserè, inquit, actum est cum subiectis meis, & quàm infeliciter cecidit, vt ad me Romanū imperium deferretur, cum Sarmatæ, gens planè barbara, quorum isti sunt præstantissimi, non contenti sint in suis ipsorum finibus vitam agere: sed in meum imperium inuadere, & contra ipsos Romanos denique bellum facere, vel somniare audeant. Qui cū hoc modo æstuaret, & contenta voce ista proferret, adeò extra modum eius extendebātur intestina, vt & venam & arteriam rumperet: magnaque sanguinis copia effusa, in castello quodam Galliæ è vita exiret, cùm iam natus quidem esset annos circiter quinquaginta quatuor, imperium autem præclarè admodum & cum magno splendore gubernasset tredecim. Sexto autem post eius mortem die, Valētinianus iunior eius filius eiusdem nominis, à militibus Imperator declaratur. Cuius creationi Valens & Gratianus eius frater, quamuis primò iniquo animo paterentur, quòd milites imperij insignia antè ei tribuerant, quàm ipsi permisissent, non multò post tamen suffragati sunt. Eodem tempore Valens Antiochiæ, quæ est in Syria, ætatem degens, maiore odio indies in suæ opinionis aduersarios exardescere, acerbè eos affligere & exagitare cœpit. Cùm verò Themistius philosophus librum ei dedicaret, hortabatur, docebatque, non oportere mirari dissensionem, quæ in ecclesiasticis opinionibus versabatur, cùm multò inferior multoque minor sit, quàm quæ extaret apud Gentiles. Nam permultæ apud ipsos sunt opiniones, & dissensionem ob multitudinem dogmatum susceptam, complures contentiones de eiusmodi rebus, & disceptationes excitare necessum est. Siquidē Deo fortasse visum sit, vt ipse non facilè noscereturb, & variæ existerent de eo opiniones, quo singuli magis eum venerentur, cùm exquisitam eius cognitionem comprehendere non possint: secum reputantes, quantus sit & cuiusmodi ille quidem, ad cuius cognitionem venire cogitant.

Valentiniani in Sarmatas expeditio, & mors, anno 379.

Valētinianus iunior Imp. electus.

Themistij pro Christianis oratio.

Gentiliū maior opinionū, quā Christianorum varietas et dissēsio.

De Barbaris qui trans Istrum habitabant, quo pacto ab Hunnis sedibus pulsi, ad Romanos confugerint, ac Christiani facti sint: & de Vlphila & Athalarico, & ijs quæ inter eos acta fuerunt, & quomodo Ariana lue infecti sunt.

CAPVT XXXVII.

HAc oratione à Themistio habita, Imperator etsi factus animo aliquantò mansuetior, non tam acerba aduersarijs, vt anteà, supplicia irrogauit: non tamen iram suā contra sacerdotes accensam penitùs restinxisset, nisi curæ de Rep. sibi iniectæ fuissent impedimento,

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 33. Vide Amianū lib. tertio. Socrat. lib. 4. cap. 48.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 48.

Apedimento, quò minus ad eiusmodi scelera suum studium & operam conferret. Nam Gotthi, qui trans Istrum fluuium antè habitabant, & alijs imperabāt Barbaris, ab Hunnis inde exacti, in fines Romanorum venere. Hæc autem Hunnorum gens Thracibus & Gotthis qui ad Istrum accolunt, ante hoc tempus fuerat omnino incognita. Hique omnes minimè intelligebant se vicina inter se loca incolere, propterea quòd lacus maximus inter eos interiectus erat: sed singuli terram quæ lacum attingebat, extremam oram fuisse illius partis orbis in qua ipsi habitabant, & nihil deinceps esse præter mare & aquam arbitrabantur. Verùm fortè fortunà bos œstro percitus, lacum transmittit, sequitur bubulcus. Qui cùm terram trans lacum vidisset, tribulibus suis nunciat. Sunt alij qui dicunt, ceruum quibusdam Hunnis venantibus, cùm per lacum ab illis fugeret, monstrasse viā, cuius extrema pars aqua operta fuit. Eos autem lacu transmisso regionē tum ob cæli temperationem, tum ob bonitatem soli ad agriculturam idonei magnopere admiratos, reuertisse, & gentis suæ principi quæ aspexerant nunciasse. Primò igitur exigua militum manu de viribus Gotthorum fecisse periculum, postea autem cum omnibus copijs illos aggressos prælio deuicisse, & omnem eorum regionem occupasse. Gotthos verò, quos persequebantur, in Romanorū fines trāsijsse: & Istro fluuio traecto, misisse legatos ad Imperatorem: pollicitos, esse se de reliquo Romanis socios futuros: sibi concedi, vt quo in loco vellent, habitare possent, orauisse. Eius legationis principatum obtinuisse Vlphilam episcopum. Quæ res cùm ipsis successisset ex sententia, libera permissa potestate, Thraciam incoluisse. Haud adeò diu pòst, seditione intestina inter eos conflata, bipartitò diuisos esse. Atque alteri factioni Athalaricum, Phritigernem alteri præfuisse. Prælio igitur inter eos commisso, Phritigernē, re malè gesta, auxilium à Romanis petijsse. Quod cùm Imperator Valens ei concessisset, & milites Romanos qui erant in Thracia, ei subsidio venire permisisset, prælio redintegrato, victoriam consecutos esse, & Athalaricum suo exercitu in fugam vertisse. Atque quò gratiam Valenti referret, & se ei in omnibus rebus amicissimum fore confirmaret, se eius de fide & religione sententiæ addixisse: persuasisseque barbaris sibi subiectis, vt eadem sentirent. At verò non istum solum causam fuisse puto, cur vniuersa Gotthorum gens ad hoc tempus vsque Arianis adiuncta sit: sed quòd Vlphilas eorum episcopus, licet initiò ab Ecclesia Catholica nihil dissentiret: tamen pòst, regnante Constantio, per insciti am, vnà cum Eudoxio & Acacio, vtpote ex episcoporum numero qui in cōcilio Nicæno conuenerant concilio Constantinopoli habito, interfuit. Qui simul vt eò venit, dicitur, cùm principes sectæ Arianæ cum eo de religione disseruissent, essentque polliciti legationem ei apud Imperatorem ex sententia confectā fore, si modò se ipsorum opinioni vellet addicere, vel necessitate compulsus, vel quòd eam de Deo opinionem meliorem iudicaret, communioni Arianorum se adiunxisse, & totam suam gentem ab ecclesia catholica separasse. Nam Gotthi ab eo doctore ad pietatem & verum Dei cultum amplectendum instituti, & per eum ad mansuetiores mores traducti, in omnibus rebus facilè eius consilio paruerunt: pro certo persuasi nihil ab eo vel dici improbè, vel fieri, sed omnia ad vtilitatem eorum qui ardenti pietatis studio flagrabant, transigi. Quinetiam maximum dedit suæ virtutis specimen, infinita pericula pro religione Christiana tum subeundo, cùm ijdem ipsi Barbari Gotthi, quos diximus, adhuc religionem Gentiliū coluerunt. Primus præterea fuit qui literas apud eos inuenerit, literasq; sacras in patriū sermonem conuerterit. Quare & Barbari prope Istrū omnino sectā Arianam sequebantur, hæc quidē causa fuit. Per idem tempus magnus numerus eorum qui Phritigerni parebant, propter Christum martyrio è medio sublati sunt. Nam Athalaricus, cū Vlphilas multos eius ditioni subiectos ad religionem Christi deduxisset, iniquo animo ferēs, perinde quasi auita & patria religio nouata fuisset, eorum complures multis ac varijs mulctauit supplicijs: quorum pars in iudicium adducta, cū viriliter & magno animo fidem Christi defendisset, interfecta est: pars, nulla pro se habita oratione, trucidata. Siquidem fertur, eos quibus huius rei conficiēdæ negociū Athalaricus imposuerat, statuam quandam in curru collocatam per singula Christianorum tabernacula circūduxisse, iussisseq; vt eā adorarent, eiq; hostias immolarent. Quod cùm facere recusassent Christiani, tabernacula cum ipsis hominibus incendio absumpsisse. Porrò aliam cladem hac multo miserabiliorem eodē tempore quoq; accidisse accepi. Nam multi tum viri, tum mulieres (quarum aliæ pueros secum aduexerant, aliæ infantes recens natos, & adhuc sugentes vbera) violentiæ eorum qui ipsos ad sacrificandum compellebant, succumbentes, ad tabernaculum ecclesiæ quæ ibi fuit, profugerunt. Qui omnes, tabernaculo illo à Gentilibus incenso, pariter extincti sunt. Non longo tempore pòst, Gotthi ad mutuā fuere inter ipsos concordiam adducti: qui insolentia elati,

Gotthi ab Hunnis pulsi.

Gothorū supplicatio.

Vlphilas episcopus.

Phritigernis victoria. Athalaricus victus.

Gotthorū gens cur Arianismo addicta.

Vlphilas Arianus.

Vlphilas literas Gothis rēperit & literas sacras interpretatus est.

Athalarici in Christianos vexationes.

Supplicia Christianis ab Athalarico inflicta.

Thraces

Universidad de Deusto
Biblioteca

Thraces à Gothis vastati.

Thraces grauibus afficere incommodis, vrbes eorum & pagos vastare cœperunt. Qua re A audita, Valens, experientia rei, quantum errasset, edoctus est. Nam cũ putaret Gothos, vtpote semper in armis exercitatos, tum sibi, tum subiectis suis vtiles fore, copias tũ Romanas contempsit: & pro militibus qui ex vrbibus & pagis Romanorum conscribi solebant, aurum exegit. Verùm de spe depulsus, relicta Antiochia, properè Constantinopolim contendit. Quo quidem tempore persecutio ab illo contra orthodoxos excitata, sopita est. Mortuo autem Euzoio, Theodorus in eius locum suffectus, Arianis præfuit.

Theodorus Euzoij successor Arianus.

De Mauia Saracenorum regina: & quòd Moses eorum episcopus, fœdera quæ inter illos & Romanos rupta fuerant, institutionem à Christianis accipiens, rursus instaurauit: & narratio quædam de Ismaelitis & Saracenis, & eorum dijs, & quomodo à Zacomo, eorum principe, vt Christi fidem amplecterentur, primum inducti sint.

CAP. XXXVIII.

Mauiæ reginæ cũ Romanis bellum.

PEr idem tempus, mortuo Saracenorum rege, rupta sunt cum Romanis fœdera. Nam Mauia eius coniunx imperium illius gentis administrans, Phœnicum & Palæstinorum vrbes, vsque ad Aegyptios, qui partem illam quæ Arabium dicitur, incolunt, ad læuam cũ Nilum aduerso flumine nauiges, vastauit. Neque bellum erat leue, quale à mullere parari putaretur: sed grauiter, vt ferunt, & inuicto animo ab ea cum Romanis pugnatum est: adeò vt præfectus militum in Phœnicia, à duce omnium equestrium & pedestrium copiarum in Oriente auxilium peteret: duxque se ad id vocatum rideret, & eum qui se vocauerat, à pugna abstinere faceret: & tamen cùm expeditionem cõtra Mauiam hostem fecissent, in fugam verterentur, & ægrè auxilio præfecti militum in Palæstina & Phœnicia salui euaderent. Nam simul vt eum venisse in discrimẽ vidit, extra pugnam, id quod ille iusserat, in expeditione illa consistere stultum putauit. Itaque properè occurrit Barbaris, atque ei opportunitatem fugæ totius capiendæ suppeditauit: illeq; ipse etiam pedem referens, inter fugiendum iaculatus est, & hostes à tergo vrgentes telis repulit. Istaque quidem cùm multi ex illius loci incolis adhuc commemorant, tum apud Saracenos in cantibus recitantur. Cùm autem bellum ingraueſceret, videbatur necessarium legatos ad Mauiam de pace mittere. Quam quidem fama est legatis respondisse, se nullo modo B fœdera cũ Romanis percussuram, nisi Moses, qui in solitudine finitima vitam agebat monasticam, vir tum ob piã viuendi rationem, tum ob signa diuina & miracula ab eo edita insignis, suæ gentis crearetur episcopus. Itaque præfecti militũ, qui ista renunciabant, Imperatoris iussu cvmprehendunt Mosem, & ad Lucium deducunt. Moses verò, præsentibus magistratibus, & multitudine in vnũ coacta, Noli, inquit, me creare episcopum: siquidẽ ne nomen quidem, nedum liquorem episcopalem dignè, vt meretur, viribus sustinere valeo. Quod si verò mihi hoc munus, cũ sim eo planè indignus, Dei voluntate deferatur, eum qui est cæli & terræ opifex testor, quòd tuas manus sanguine & cruore sanctorum virorum respersas mihi non impones. Tum Lucius: Si adhuc, inquit, quæ sit mea fides ignores: & tamen me, antequã eam habeas perspectã, detesteris, iniuriã facis: sin autem de ea ab his qui me falsò insimulant, certior factus sis, nihilominus tamen à me de illa audito, & meorũ verborum tu ipse iudex esto. Imo verò, inquit Moses, quæ sit tua fides, mihi planè minimè obscurum est: atque cuiusmodi sit, etiam testes sunt episcopi, presbyteri. & diaconi, qui per te in exiliũ pulsi sunt, & metallorũ venis effodiendis diuexati. Tu igitur has res ignotas existimas, quę sunt omnino à Christo, & ab illis qui rectè de Deo sentiunt, alienæ? Quæ cùm dixisset, iurassetq; se nunquam à Lucio velle episcopum creari: magistratus Romani reiecto Lucio, eum ad episcopos qui iam tum ætatem in exilio degebant, rectà deducunt. A' quibus Moses creatus episcopus, ad Saracenos se contulit: quibus cũ Romanis fœdere coniunctis, episcopatu ibi perfungitur: & perpaucis ibi repertis, qui religionẽ Christianam profitebantur, multos ipse ad eam profitendã traduxit. Hæc quidem gens ab Ismaele filio Abrahami duxit originẽ, nomenq; accepit: & propterea veteres à progenitore eos Ismaelitas appellabant. Verũ quo spurij generis maculam, & ignobilitatẽ Agar matris Ismaelis (serua enim fuit) penitus obliterarẽt, se Saracenos, velut à Sara coniuge Abrahami prognatos nominarunt. Qui genere inde ducto, omnes more Hebræorum circunciduntur, & à carne suilla abstinent, multosque alios Iudæorum ritus obseruant. Quòd autem omnino eisdem legibus & viuendi institutis non vtantur, vel temporis longinquitati tribuendum est, vel quòd gentib. finitimis permixti sunt. Nã Moyses multis pòst seculis natus, solis Hebræis qui sunt ex Aegypto egressi, leges dedit: & vicini eorum, qui (vt credibile est) valde erant superstitiosi, auitam viuendi disciplinam ab Ismaele deriuatam (ex cuius vnius præscripto

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 46. Theodori. lib. 4. ca. 21. Socrat. lib. 4. ca. 29.

Saracenorum cantus de hostibus deuictis.

Moses eremita ad episcopatum adductus.

Moses cũ Lucio episc. colloquium.

Moses opera Saraceni cum Romanis fœdere coniuncti, et ad Christianismum adducti.

Ismaelitæ, cur Saraceni dicti.

Saracenorum ritus & mores.

A præscripto veteres Hebræi ante leges à Moyse conditas vitam moderati fuerant, institutisq; non scriptis vsi erant) prorsus corruperunt. Porrò eadem, quæ vicini, dæmonia colentes, eosdem illis tribuentes & honores & nomina, causam cur à patrijs & auitis legibus desciuerint, in similitudinem religionis, quã cum vicinis habebant, transtulerunt. Eôdem accedit tempus longinquum interiectum, quod, vti assolet, alia obruit obliuione, alia vt colerentur, perfecit. Postea verò nonnulli eorum cũ Iudæis congressi, didicere, vnde originem traxerant: & ita ad cognitionem reuenere, seque institutis addixere & legibus Hebræorum. Ex quo quidem tempore hactenus, complures apud eos Iudæorum viuendi disciplinam secuti sunt. Neque certè diu ante regnum Imperatoris, quo de in præsentia agimus, fidem Christi receperunt. Ad quam deducti sunt consuetudine sacerdotum & monachorum, sibi genere coniunctorum, qui in solitudinibus vicinis monasticam colebant disciplinam: homines quidem & pia vita, & miraculis nobilitati. Fertur etiam, id temporis gentem quandam vniuersam ad religionem Christianam traductam, Zocomo eius principe & rectore tali de causa baptizato. Iste cum sobolis omnino expers esset, ad monachum fama illius adductus venit, vti cum eo colloqueretur: apud quem de sua calamitate grauiter conqueri cœpit. Siquidem tum Saracenis, tum omnibus alijs credo Barbaris, liberos procreare permagni æstimari solet. Monachus autem iubet eum bono animo esse: & precibus Deo adhibitis, eum dimittit, pollicitus pro certo eum filium habiturum, si modò in Christum crederet. Vbi verò Deus promissum re ipsa præstiterat, & filius Zocomo natus erat, ipse baptismatis mysterio initiatus est, suosque subiectos ad idem ipsum induxit. Ex quo tempore hanc gentem & opulentam fuisse, & adeò, numerosam, vt tum Persis, tum alijs Saracenis terrorẽ iniiceret. Quomodo igitur Saraceni initio ad fidem Christi deducti fuerint, & quæ de primo eorum episcopo acceperimus, sit à nobis ad hunc modum commemoratum.

Zocomus princeps.

Princeps natu filio qui promissus erat cũ gente sua Christum profitetur.

Quòd Roma reuersus Petrus, Ægypti ecclesias pulso Lucio obtinuit: & de Valentis contra Barbaros expeditione. CAPVT XXXIX.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 41. Socrat. lib. 4. cap. 30.

B GOncilij Nicæni fautores, qui ciuitates incolebant, animis denuò confidere cœperunt: & maximè omniũ Alexandrini, qui sunt in Aegypto. Nam Petro tum Roma cũ literis Damasi, quæ & decreta concilij Nicæni, & Petri creationem cõfirmabant, reuerso, ecclesias tradiderunt. Lucius autẽ inde eiectus, Constantinopolim nauigauit. Valenti verò, vt est verisimile, curis implicato, vim in istos inferendi otium minimè suppetebat. Nam simul vt venit Constantinopolim, apud populum tum in suspicionem, tum in odium vocatus est. Siquidẽ Barbari & Thraciam populati, & vsque ad suburbia progressi, iam ipsa vrbis mœnia, nemine prohibente, oppugnare aggressi sunt. Quibus de rebus ciues grauiter animis cõmoti, Imperatori, quòd non restitit hostibus, sed bellum gerere distulit, crimini dabãt: dissipabantque rumorem, hostes ab illo ad vrbem deductos fuisse. Tandem verò cum ludis Circensibus interesse viderent, palàm contra eum, vtpote Reip. salutem contemnentem, vociferari, & arma postulare cœperunt, vt illi ipsi cum hoste cõfligere possent. Itaque Valens his affectus contumelijs, ad bellum cum Barbaris faciendum proficiscitur: minaturque, si redeat, se populum tum harum contumeliarum causa, tum quòd antè Procopio tyranno se adiunxerant, probè vlturum.

Lucio ejecto Petrus substitutus.

Constantinopolis à Barbaris vexata.

Valens inuitus cõtra Barbaros profectus.

De sancto Isaacio monacho, & eius in Valentem vaticinio: & quòd fugiens Valens, ac in domunculam quandam delitescens, ibidem incendio extinctus animam efflauit.

CAPVT XL.

Vide Nicephor. lib. 11. cap. 50. Socrat. lib. 4. cap. 40.

EGredienti illi ex vrbe Constantinopoli obuiam fit Isaacius monachus, vir cùm alijs in rebus spectatus, tum in periculis pro Deo contemnendis egregius, sicque eum affatur: Redde, ô Imperator, orthodoxis, qui fidem à concilio Nicæno traditam seruant, ecclesias, quæ illis abstuleris, erisque in bello victor. Imperator autem ei vehementer stomachatus, iussit comprehẽdi, inque custodia teneri vsq; ad reditum, quò pœnas pro facinore admisso ab eo sumeret. Cui respondens Isaacius: Non es, inquit, reuersurus, nisi ecclesias reddideris. Quod quidem ita euenit. Nam vt primùm cum exercitu egressus est, Gothi qui cum eo erant, ab hostibus in fugam conuersi, pedem retulerunt. Ille atem abscedens, relicta Thracia venit Adrianopolim. Cũ verò non longè abesset ab hostibus, qui in loco tuto castra posuerant, celerius aliquanto, quàm debuerat, prælio cum illis congreditur, antè animo neutiquã complexus vel quo modo, vel versus quã partem exercitum instrueret. Quare equitatu eius dispersо, & armatis in fugam coniectis, hostes eum persequuntur: ille inter fugiendum de equo desiliens, cum paucis qui eum comitabantur, in quandam paruam

Isaacij ad Imp. pro Christianis verba.

Valenti interitum prædicit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Valentis dignus interit.

paruam domum vel turrim correpsit,ibiq; delituit. Barbari autem currunt post eum, A quò hominem comprehendant: & paulò longius insequentes, domũ, in qua erat,prætergressi sunt.nam haudquaquam suspicabantur, eum ibi latitare. Iam verò cũ maior pars Barbarorum cum locum præterijsset,& pauci iam à tergo reliqui essent,quidam eorum qui erant cum Valente,tela rursus in eos qui fortè pertransibant conijciunt. Illi ea de re clamare,Hìc Valens est. Quod cùm illi qui propius fortè aberant, audissent,clamore cùm antè tum pòst sublato,his qui erant proximi,rem significabant:adeò vt breui hostes,qui longius abessent,audiuerint,in vnumq; omnes celeriter cõuenerint. Domo igitur circumsessa,& magna lignorum strue comportata,ignem injciunt. Flamma autem secundo vento fortè delata,totã materiem peruasit,pariterq; res in domo repositæ flammã conceperunt:quæ & Imperatorem ipsum,& eius comites incendio absumpserunt. Mortuus est igitur Valens circiter quinquagesimum ætatis suæ annum, cùm iam tredecim annos vnà cum fratre,tres autem posteà imperium administrasset.

SEXTI LIBRI FINIS.

AMPLISSIMO VIRO AC REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO LAMBERTO HANKART, COE-

nobij Gemblacensis Abbati dignissimo,Domino ac Mœcenati suo vnicè colendo, S. P D.

QVàm necessaria sit omnibus Christianis,in primis autem hominibus religiosis, Historiæ sacræ cognitio,non est, Abbas dignissime,cur scienti tibi multis declarem,cum tu, vt integritate vitæ,ita & rerum ecclesiasticarũ cognitione maioribus tuis laudatissimis pulcherrimè respondeas. Itaq; cum celeberrimus typographus Arnoldus Birkmanus à me petijsset, vt vltimos hosce tres libros Hermiæ Sozomeni,quos Historiæ ecclesiasticæ recens interpres Ioannes Christopherson,reliquis omnibus iam translatis, morte præuentus absoluere non potuit,ex Græco in Latinum conuerterem: dandum hoc Birkmani erga me beneuolentiæ,dandum manibus Christophersoni,dandum demũ Reipub. ecclesiasticæ putaui. Accepi igitur hanc prouinciam, & eo quidem libentius,quòd inspecto exemplari Græco per Christophersonum emendato, intelligerem, illum non æmulandi studio, sed syncero veritatis amore ductum, post superiores eius interpretes hoc opus de integro transferendum suscepisse. Nam cum tribus præstantissimis manu descriptis exemplaribus, Vaticano dico, Veneto ac Florentino potius esset, facta eorum ad exemplar vulgatum diligenti collatione, pasim deprauata correxit, luxata restituit, defecta supplexit, quibus remedijs destitutas aliorum translationes, multis in locis truncas ac laceras, in multis absurdas ac falsas esse, nemo negare potest. Sed de Christophersoni laudibus plura dicent, qui in opus vniuersum præfaturi sunt. Ego illius industria magnopere adiutus,in hisce tribus libris conuertendis præstiti quod potui:ac spero meam operam studiosis non ingratam fore. Cæterũ cùm ignorem,quo consilio ille in declaranda suæ translationis præstantia vsurus fuerit, mihi placuit exemplaris Græci diuersitates,vt ab illo accepi,ad calcem versionis meæ subijcere: partim,vt lectorijs fidei meæ constet ratio: partim vt ex his paucis colligat studiosus,quantum lucis ad veritatem toto operi Christophersonus attulerit. Hoc igitur quicquid est opellæ meæ, Reuerende Pater,gratitudinis ergò tibi dedicare placuit:non solum quòd ijs te non difficilem præbueris,qui me ignotum tidi commendarunt:verùm etiam quòd instructissimæ Bibliothecæ tuæ copiam mihi tam benignè feceris. Sed te quidem studiosis libenter benefacere,minus mirum est: cui vt natura ad humanitatem propensa,ita etiam professionis institutum diligentius contigit. Fuit enim hoc vestro ordini ab ipso inde Benedicto quasi patrium,vt in propaganda literarum studia,velut in possessionem suam,assiduè præ cæteris incumberet. Quòd quidẽ si non aliundè, vel ex conuentus vestri historijs abunde patet,in quo vno doctissimi viri penè infiniti claruerunt,& supersunt etiamnum hodie non pauci:inter quos est is,qui te proximo dignitatis gradu cõsequitur,cœnobij tui Prior dignissimus,frater Ioannes à Pastura:cuius eruditissimi Cõmentarij in Psalmos Dauidicos,magno pietatis fructu omnium manibus teruntur. Tu igitur, quod ad te attinet,vt monasticam disciplinã more maiorum ratam conseruas:ita etiam prospicis,vt non solum fratres tui sint quàm eruditissimi, sed etiam vt veterum scriptorum codices antiqui,quorum magna apud te est copia, ad promouendam Remp.literariam eruditis euoluendi concedantur.eaq; de causa eruditissimum pientissimumq; virum Fr. Ludouicum Sonbecum, Bibliothecæ tuæ præfectum constituisti:qui pro singulari prudentia atque diligentia sua tum codices ipsos in ordinem redigere, tum quid cuiq; vel negandum vel concedendum sit,pro cuiusq; dignitate dijudicare potest. Cùm itaq; ex vsu Bibliothecæ tuæ tantum emolumenti ad studia mea redundarit,quantum fauente Deo humanioris literaturæ incrementum breui publicè declarabit:hoc meæ erga te gratitudinis qualecunq; testimonium extare volui. Non quidem vt eo me liberatum,sed vt ad maiora deinceps præstanda tibi obstrictum esse declararem. Cuius promissi mei sponsor, vti confido,esse non grauabitur idem,qui me tibi commendare dignatus est, amplissimus vir ac reuerendus in Christo Pater D. Philippus Hosdenius, S. Gertrudis Abbas Louanij,& eiusdem vniuersitatis conseruator dignissimus,mihi suo merito semper obseruandus.

Ea conditione,si boni consulueris id quod offero,erit cur magnopere gaudeam. Deus Opt. Max. Amplitudinem tuam semper in maius ac melius augere dignetur. Louanij,pridie Kalendas Iunij,Anno 1567.

Tuæ Amplitud. famulus deditiß. Suffridus Petrus Leouardiensis Frisius.

HERMIAE

A Gratianus Imp. anno Chr. 382.

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBER SEPTIMVS.

SVFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI FRISIO Interprete.

Septimus liber continet acta sub Gratiano & Theodosio Magno, annis Septendecim: Huc igitur refer eos authores quos adnotauimus ad Socratis librum 5.

Quomodo Romanis, Barbarorum incursu periclitantibus, Mauia suppetias miserit: & quidam ex plebe victoriam reportarint: item, quomodo Gratianus iusserit suam vnicuiq; religionem esse liberam. CAP I.

Vide Nicet. lib.12.ca.1. Vide Theodorit.lib. 5.cap.1. Socr.lib.5. cap.2.

VAlentem igitur ad hunc modum extingui contigit. Barbari porrò victoria elati,Thraciam vniuersam depopulati sunt, & in ipsa demũ suburbia Constantinopolis incursiones fecerunt. Rebus tum in discrimen adductis ingenti præsidio fuere, primùm pauci quidã ex confœderatis Saracenis à Mauia submissi,deinde & ex ipso populo quã plurimi. hi enim, quia Dominica Valentis vxor ipsis ex ærario certum stipendiũ persoluebat, vt quisq; poterat, armati obuiam hostib. iuerunt,eosq; facto impetu procul ab vrbe fugauerunt.Gratianus interim vnà cum fratre vniuersum Romanorum imperium adeptus,cum patrui sententiã non probaret,qua ille pertinaciter istos erat persecutus,qui in religione ab ipso dissenserãt:omnibus ijs qui illo viuente religionis ergo in exilium pulsi fuerant,reditum concessit: legemq; tulit, vt quisq; liberè quamcunq; religionem, quemcunq; cœtum vellet,sectaretur: exceptis Manichæis, Photinianis,& Eunomianis.

Barbarorum in Constantinopol. suburbia incursio.

Dominica Valentis vxor.

Gratiani ad Imperium euecti, lex Religionis libertatem omnibus concedit præterquam Manichæis Photinianis, Eunomianis.

B *Quomodo Gratianus Theodosium natione Hispanum, Imperij consortem sibi adoptarit: & quomodo Orientales ecclesias vniuersas, excepta Hierosolymitana,hæresis Ariana occuparit. Tum de synodo apud Antiochiam Cariæ congregata: & de primatus constitutione tunc facta.*

CAP. II.

Vide Nicet. lib.12 ca. 2. Vide Socr. l. 5. ca.2.5. Theodor. li.5.ca.5.6.

DEinde cum perpendisset sui esse officij,Barbaros Istri accolas, qui Thraces & Illyrios infestabant, vindicare:simulq; cogitasset,esse necessarium, subditis suis ad Occidentem sitis subuenire,præsertim Alemannis ibi Gallos affligentibus: imperij consortem Theodosium Sirmij fecit, ex Iberis Pyrenæos montes accolentibus oriundum,cum domi nobilem, tum rebus in bello sæpius præclarè gestis illustrem: ad eò vt & antequàm ad imperium adsciscereturr, subditorum suffragijs idoneus princi- patui iudicatus fuerit. Interim verò adhuc ecclesias Orientales,Hierosolymitana excepta, tenebant Ariani. At Macedoniani cum cæteri,tum ij maximè,qui degebant Constantinopoli, post inita cum Liberio pacta, non magnopere contendebant cum his qui Nicæni concilij decreta probabant. Quinetiam oppidatim cum ijs, quasi cum eiusdem opinionis sectatoribus,commercia consuetudinemq; colebant. At verò post legem à Gratiano promulgatã arrepta impunitatis occasione,nonnulli episcopi eius sectę inuaserunt ecclesias quib.sub Valente fuerant exclusi. Atq; apud Antiochiam Carię congregati decreuerunt, filium non ὁμοούσιον, hoc est consubstantialem, sed ὁμοιούσιον, id est substantia consimilem patri, sicut antea vocarant, esse nuncupandũ. Ex eo tempore alij segregati, priuata conuenticula fouebant: alij damnata istorum qui id statuerant contẽtione atq; pugna, ab ijs defecerunt, & constantius adhæserunt illis, qui fidem à Nicæno concilio prescriptam profitebantur. Cęterùm inter illos episcopos qui tum promulgata Gratiani lege ab exilio reuersi sunt, quo imperante Valente fuerant affecti, extiterũt qui primatum nõ affectarent,quin potius ei concordiam populi præferrent: & Arianæ sectę doctores obtestarentur, ne se desererent, neue dissensionibus ecclesiam diuellerẽt, quam vnicam à Deo & Apostolis traditã, pertinacia & ambitio in multas distraheret. Huius quidem studij & Eulalius fuit, Amasiæ in Ponto episcopus. Fertur enim post reditum offendisse quendã alium ex Arianis episcopum præfectum ecclesiæ suæ : esse aũt in vniuersum, qui huic auscultarent, ne quinquaginta quidem. solicitus tamen de sar-

Theodosius Gratiano ad Imperij consortium adoptatus.

Macedoniani rum peruicacia.

ὁμοιούσιον pro ὁμοούσιον.

Ecclesiã vnicam à Deo instituã,dissensionib⁹ in multas distrahi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cienda inter omnes vnione, vltro obsecrasse, vt is primatum obtineret, & communi o- A
Primatus studium. pera ecclesiam gubernaret, quo primatum ipsum haberet quasi præmium seruatæ concordiæ. Verùm ille vt huic non obtemperauit, ita ne paucis quidem istis, quos habebat, diu præfuturus erat: vtpote quòd & hi se reliquis coniunxerint.

De his qui propter sanctum Meletium & Paulinum Antiochienses episcopos, contenderunt: & de iureiurando propter episcopalem sedem facto.

CAPVT III.

EAdem tempestate cum & Meletius ex dictæ legis vigore Antiochiam Syriæ reuersus esset, mira quædam in populo suborta est contentio. Etenim superstite adhuc Paulino, quem Valens imperator ob pietatem (sicuti di- *Vide Nice. lib.12.ca.8. Vide infra Sozo.lib.7. cap.11. Socr.lib.5. cap.5.*
Meletij ab exilio reditus. ximus) reuersus, exilio mulctare nō ausus fuerat, erant qui Meletiū illi in episcopali sede vellent esse consortem. His dum Paulini fautores refragan-
Paulino suffectum Meletius. tur, & Meletij ordinationem, vt per episcopos Arianos factam criminantur, qui pro Meletio stabant, vi perfecerunt id, quod studuerant. Etenim cùm multitudine essent non contemnenda, in vna quadam ecclesia suburbana, in episcopali solio illum collocarunt. Tumultuantibus igitur vtrinque factionibus, cum præsens expectaretur seditio, admirabile quoddam concilium obtinuit, vt ad concordiam reducerentur. Sic enim hinc inde conuentū est, vt iureiurando illos adstringerent, qui vel ad episcopatum
Iusiurandum propter episcopalem sedem factum. inibi administrandum habebantur idonei, vel in eius expectatione essent (qui omnes, præter Flauianum, numero quinq; erant) quòd neque ambituri sint, neque electione facta suscepturi episcopatum istum, quàm diu vel Paulinus, vel Meletius in viuis esset: quinetiam concessuri sint, vt alterutro eorum mortuo, alter episcopatum solus obtineat. Iureiurando igitur in has conditiones dato, vniuersa fermè plebs ad concordiam rediit, paucis aliquot, inter quos Lucifer erat, adhuc obluctantibus, ob id quòd Meletius à diuersæ sectæ fautoribus ordinatus esset. His rebus ita peractis, Meletius Constantinopolim concessit, quo tempore & alijs episcopis eōdem congregatis necessarium visum est, vt Gregorius Nazianzo Constantinopolim traduceretur, eiusq; vrbis episcopatus illi committeretur. B

De imperio Theodosij magni, & quomodo per Ascholium Thessalonicæ episcopum sacro baptismate tinctus sit: & quid aduersus illos decreuerit, qui ex præscripto concilij Nicæni religionem non propagarent.

CAPVT IIII.

SVB hoc tempus Gratianus, Alemannis Galatas occidentales adhuc infestantibus, ad paternam imperij sortem reuersus est, quam ipsi fratriq; ipsius gubernandam reliquerat: cum prius Illyrios & Orientis imperium The- *Vide Nice. lib.12.ca.6. Socrat. lib. 5. cap. 6.*
odosio commisisset. Res autem illi ex voto contra Alemannos, vt & Theodosio contra Istrum accolentes Barbaros cōfecta est. Illos enim bello subegit, hos in amicitiam populi Romani supplices recepit: à quibus acceptis obsidibus firmata pace, Thessalonicam venit. Ibi morbo correptus, cum per Ascholium eius vrbis
Theodosium baptisatus à morbo conualescit. episcopum fidei mysteria edoctus esset, Christo initiatus fuit, & conualuit. Ille enim, cui id auitum erat, vt secundum Nicæni concilij præscripta Christum coleret, Ascholio delectabatur, qui hanc doctrinam tueretur: gaudebatq; tum sibi adiutorem contigisse bonum, & planè (vt numero dicam) ad quamuis officij sacerdotalis functionem accommodatum. Gaudebat etiam Illyrios vniuersos ab Ariano dogmate esse synceros. Scisciatus porrò de cęteris nationibus, comperit, ad Macedoniā vsq; inter sese ecclesias consentire, & omnes ex æquo cum patre Deum verbum & Spiritum sanctum venerari: reliquas deinceps illinc Orientem versus omnes tumultuari, ita vt populus in varias sectas distraheretur, maximè autem Constantinopoli. Considerans igitur fore consultius, vt ipse prius suam de religione confessionem subditis suis ederet, ne opprimere videretur eos, si repentè religionem suscipiendam præciperet, nulla lege circunscriptam:
Theodosij pro religione catholica lex. legem ex vrbe Thessalonica populo Constantinopolitano irrogauit. Considerabat enim, istinc, velut ex arce totius imperij, etiam reliquis vrbibus breui tempore notum fore rescriptum suum. Eo autem declarabat, se velle, vt vniuersi subditi eam religionem amplecterentur, quam Petrus Apostolorum princeps Romanis ab initio tradidisset, quamq; tum temporis Damasus Romæ, & Petrus Alexandriæ episcopus conserua-
Ecclesia catholica quæ. Hæretici qui. rent: & vt illorum duntaxat ecclesia diceretur catholica, qui Trinitatem diuinam æquali honore colerent: qui diuersum sentirent, eos hæreticos appellari, intestabiles esse, ac supplicio affici.

De Gre-

A *De Gregorio theologo, & quòd illi ecclesias tradiderit Theodosius, eiecto Demophilo, & ijs qui filium Patri consubstantialem non esse docebant.*

CAPVT V.

Vide Nice. lib.12.c.7.8. Socrat. lib. 5.cap.7. HAc lege lata, non multò pòst Constantinopolim venit. Tenebant autem illic adhuc ecclesias Arij sectatores, quibus præerat Demophilus: Gregorius verò Nazianzenus præsidebat ijs qui Trinitatem consubstantialem profitebantur, Is in exigua quadam cellula cœtum suum colligebat, quæ per quosdam suę fidei homines tum ipsi, tum ijs qui consimilem religionem amplectebantur, in domum precatoriam constructa erat. Sed eadem postea templum vrbis effecta fuit præ cæteris illustre: estq; non solùm structuræ elegantia & maiestate, sed & euidenti quoq; diuinæ appariti-
Gregorius Naziāzenus, eiusq; cellula in ampliss. templum mutata. onis vtilitate conspicuum. Etenim diuina vis manifestè hîc apparens, tum per se, tum per somnium sæpe multis, qui & morbis & varijs rerum casibus affligebantur, opem tulit. Creditum autem est, hanc esse sacram virginem Mariam, Christi matrem. in huius enim honorem templum extructum conspicitur. Porrò hanc ecclesiam Anastasiam
Anastasiæ templum, vnde dictum. appellant (quod nomen resurrectionem significat:) ob id, vt ego quidem puto, quòd Nicæni concilij dogma Constantinopoli per diuersa docentium potentiam collapsum iam, atq; (vt ita dicam) intermortuum, per Gregorij prædicationem hîc resuscitatum sit, ac reuixerit. Seu potius (vt à quibusdam audiui, qui se rem veram referre asseuerabant) quòd congregato ad concionem populo, grauida mulier è sublimi porticu delapsa hic expirarit: eademq; factis super ipsa communibus omnium precibus reuixerit, & vnà cum fœtu saluata sit: ideoq; ex miraculo diuinitùs edito deinceps istam appellationem locus ille sortitus fuerit. Atq; hac quidem de re eiusmodi rumor etiā hactenus durat. Imperator autem per nuncium Demophilo præcepit, vt aut ex Nicæni concilij
Demophilus cum Lucio extra vrbē concionatur. decreto religionē propagaret, & populum ad cōcordiam reduceret: aut ecclesijs excederet. Ille verò conuocato populo, mandatum Imperatoris exposuit, & in posterum diem se extra vrbem cōcionaturum significauit: quandoquidem, inquit, diuina lex iubet, vt si vos ex hac vrbe pellant, fugiatis in aliam. Hæc cū præfatus esset, deinceps extra vrbem concionatus fuit: & vnà cum eo Lucius, qui ab Arianis quondā Alexandrinæ ec-
B clesię præfectus fuit, qui expulsus, exul (vt dictum est) Constantinopolim concessit, ibiq; moratus fuit. Postquam igitur ecclesiam Demophilus reliquisset, ingressus Imperator,
Consubstantialis assertoribus templa restituta. preces fudit: & ex eo tempore, qui consubstantialem trinitatem profitebantur, templa recuperarunt. Erat aūt hic annus, quo Gratianus quintùm, Theodosius primùm Cons. fuerunt, quadragesimus scilicet, ex quo Ariani ecclesias occuparant.

De Arianis, & item de Eunomio tum florente: & de libertate S. Amphilochij, qua ille in oratione ad Imperatorem vsus est.

CAPVT VI.

Vide Nice. li.12.c.8. 9. Theodor. lib.5.ca.16. ADhuc autem isti, quia numero pollebant, Constantij atq; Valētis prędiudicio freti, securius conueniebant, ac de Deo, eiusq; essentia publicè disputabant: & vt Imperatoris animum pertentarent, eos subornabant, quos in aula suę sectæ fautores habebant. Rebantur enim se obtenturos id quod proposuerāt, cùm ea considerarent quæ sub Constantio acciderant. Quæ quidem res & Ecclesiæ catholicæ sectatorib. formidinē ac solicitudinē incusserat: qui tamen non minimè & hinc metuebant, quòd considerarent quantum esset Eunomij in disputando acumen. Hic enim nō multò an-
Eunomij in disputando acumen. tè ob controuersiam quā cum clericis suis, imperante adhuc Valente, Cyzici habuerat, ab Arianis discessione facta, priuatus agebat in Bithynia, eregionē Constantinopolis, ac frequens ad eum populus traijciebat: multiq; aliunde confluebant, partim vt illū pertentarent, partim vt eius doctrinā cognoscerent. Huius rei fama ad Imperatorē quoq; permanārat, qui iam conueniendi eius desiderio tenebatur. Cæterùm imperatrix Pla-
Placilla imperatrix orthodoxa. cilla eum studiosè deprecando cohibuit. Nam cùm Nicæni cōcilij doctrinam ipsa fidelissimè conseruaret, metuebat, ne (quod consentaneum videbatur) maritus colloquio circūuentus, in illius sententiam deflecteret. Vigente autem adhuc vtriq; huiusce cōtentionis studio, episcopis ijs qui Constantinopoli versabantur, palatiū Imperatoris salutādi gratia (vt moris erat) frequentantib. etiam senex quidā cum his vnà venisse dicitur, ignobilis oppidi sacerdos, simplex, ac nullo rerum vsu tritus, sed in diuinis apprimè cordatus. Cùm aūt cæteri candidè admodū ac religiosè Imperatorem consalutassent, etiam sacerdos senex ipsum consimiliter salutauit: filio verò Imperatoris qui patri as-
Amphilochij cū Imperatore pugnia. sidebat, equalē honorē non exhibuit, sed propius accedens, veluti puero, Saluc (inquit) fili. simulq; caput illi digito demulcebat. Cōmotus igitur ira Imperator, & quasi ob in-

Universidad de Deusto
Biblioteca

iuriam filio factam indignatus, quē ille non æqualiter honorasset cū patre, foras extur- A
bari cū contumelia senem iussit. Ille verò cùm raptaretur, conuersus: Ad hunc, inquit,
modū Imperator existima, & cœlestē quoq; patrem excandescere in eos, qui filium cū
patre non æqualiter honorant, & genitore inferiorē nuncupare audēt. Delectatus hoc
dicto Imperator, senē reuocat: & veniam precatus, verè illum locutum esse confitetur.
Firmior itaq; factus, eos qui ab hoc diuersum sentirent, non admisit: contentiones etiā
& conuentiones in foro habere vetuit: & vt de essentia ac natura Dei solito more dispu-
tare tutum deinceps non esset, effecit, lata in eam rem lege, & constituta pœna.

Theodosius orthodoxam fidem amplexus.

De secundo vniuersali concilio, vnde, & quam ob causam conuocatum sit: & de recusatione Gregorij Theologi. CAP. VII.

Concilium 11. ab Imper. conuocatum.

Macedoniani.

Vide Nicen. li. 12. ca. 10. Socrat. lib. 5. cap. 8.

BReui deinde concilium episcoporū sibi consentientiū conuocauit, par-
tim vt Nicæni concilij decreta confirmarentur, partim vt ordinaretur a-
liquis qui Constātinopolitanæ sedis episcopatum administraret: partim
etiam, quòd existimaret eos qui Macedoniani appellantur, cum Ecclesia
catholica posse conciliari. Nam & hos quoq;, vt qui grauiter admodum,
quantum ad huius quidem doctrinæ quæstionem attinet, à catholicis dissiderent, con-
uocauit. Conuenerunt igitur ex his qui Trinitatem consubstantialem profitebantur,
circiter centum & quinquaginta: ex ijs qui Macedonij sectabantur hæresim, sex ac tri-
ginta, quorum plurimi ex ciuitatibus ad Hellespontum sitis erant. His præerant Eleu-
sius Cyzici, & Marcianus Lampsaci episcopus: cæteris verò Timotheus Alexandrinæ
sedis antistes, non ita pridē defuncto fratri suo Petro suffectus: & Meletius Antiochiæ
episcopus, qui nuper admodum Constantinopolim ob Gregorij ordinationem vene-
rat: & Cyrillus episcopus Hierosolymorum, ductus tum pœnitentia, quòd antea Ma-
cedonianæ opinionis sectator extitisset. Cum his autem erant Ascholius Thessaloni-
censis, & Diodorus Tharsensis, & Acacius Beroœnsis: qui quidem omnes cum decreti
in Nicæno concilio confirmati approbatores essent, eos, qui cum Eleusio erāt, obtesta-
bantur, vt suæ sententiæ subscriberent: in memoriam illis redigentes ea, quę ad Liberiū
per legatos Eustachium Syluanum ac Theophilum scripsissent, & contestati essent, vt
diximus. Cæterùm illi cùm se nunquā filium patri consubstantialem asserturos palàm B
affirmassent, quamuis diuersa confessioni suę apud Liberium factę dicerent, recesserūt:
& eos qui in vrbe secum sentiebant, scripto monuerunt, ne concilij Nicæni decretis sub-
scriberent. Reliqui ergo Constantinopoli remanentes consultabant, cuinam potissi-
mùm istius vrbis cathedra committeretur. Dicitur autē Imperator Gregorium, ob vitā
atq; doctrinam admiratus, dignū censuisse hoc prę sulatu: eiusq; iudicium cōcilij quoq;
partem maximam, quæ integritatem viri suspiceret, approbasse. Ipsum etiam Gregori-
um ab initio statuisse primatum ecclesię Constantinopolitanę suscipere: sed postquam
sensisset, quosdam præsertim ex Aegyptijs esse refragaturos, fuisse auersatum. Proinde
mihi cùm in omnibus alijs hunc sapientissimum virum, tum in præsenti hoc negotio
nō minimè mirari subit. neq; enim propter eloquentiā fastu intumuit, neq; inanis glo-
riæ causa principatū affectauit eius ecclesiæ, quam ipse susceperat tum, quum interitus
periculo illa laboraret. Siquidem reposcentibus episcopis depositum reddidit, nihil de
multis laboribus suis, nihil de periculis conquestus, quæ sustinuit, dū cominus pugna-
ret cum sectis. Atqui dolere nulli poterat, illum manere Constantinopoli s episcopum
quia alius ibi tum non erat: præsertim cùm etiam Nazianzi alius episcopus ordinatus
esset. nihilo minus tamen synodus & patrias leges, & ecclesiasticam ordinationem ob-
seruans, quod dederat, àvolente recepit, nihil reuerita viri tanti prærogatiuam. Quan-
quam autem Imperatori ac sacerdotibus ista cōsultatio, velut ob rem maximi momē-
ti suscepta, vnicè cordi esset: insuperq; mādaret Imperator, vt diligens fieret inquisitio,
quo vir inueniretur quàm maximè probus & integer, cui amplissimæ ac regię vrbis sum
mum sacerdotium concredi oporteret: Synodus tamen idem propositum non habuit.
singuli enim ex necessarijs suis aliquem cupiebant ordinari.

Cyrillus & Macedoniano error conuersus.

De electione Nectarij in episcopum Constantinopolitanum: & cuias fuerit, & quibus moribus.

CAPVT VIII.

Nectarij mira in episc. Constantinopol. electio.

Vide Nice. lib. 12. c. 12. Socr. lib. 5. cap. 6.

EO tēpore Nectarius quidā Tharsensis, è Cilicia splendidissimo senatorij ordinis
gradu ortus, Constantinopoli morabatur. Is iā accinctus ad iter in patriā, Dio-
dorum Tharsi episcopum cōuenit, vt literas peteret, si quas ille scribere vellet.
Meditabatur autem Diodorus, tum fortè secum, quémnam potissimum ipse ad electi-
onem tam seriam proponere deberet, & intuitus Nectarium, dignum episcopatu cen-
suit:

Macedonianorum pertinacia.

Gregorius Cōstantinopolitanæ ecclesiæ primatū recusat. Gregorij Iapientia.

A suit: eique statim tota mente addictus fuit, cùm propter caniciem viri, & vultum sacer-
dote dignū, tum propter suauitatem morum. Itaq; velut aliud agens, eum ad Antiochię
episcopum adduxit, commendauit, & vt illi studeret, hortatus est. Hic verò in negocio
serio, ad quod multi viri spectatissimi suffragijs expeterentur, risit votum Diodori: ni-
hilominus tamen accitum ad se Nectarium, paulisper adhuc manere iussit. Non mul-
to pòst, cum sacerdotibus nomina eorum, quos ad ordinationem dignos iudicabant,
chartæ inscribere Imperator iussisset: ac sibi ipsi ex omnibus ijs, vnius electionem reser-
uasset, alij alios in album retulerunt, quare & Antiochenæ ecclesiæ præsul inscripsit i-
pse quoq; quos voluit: quibus omnibus vltimo loco & Nectarium adiecit, in gratiam
Diodori. Imperator igitur perlecto inscriptorū catalogo, substitit in Nectario: & intē-
dens mentis aciem, secum tacitè consultabat, impresso vltimæ nomenclaturæ digito:
rursusq; ad caput egressus, cunctos ordine percurrit, ac Nectarium deligit. Hoc factum
admirantur omnes, ac sciscitantur, quisnam esset iste Nectarius, & quod sectaretur in-
stitutum vitæ, & vnde esset? Cognito autem, hominem ne baptizatum quidē esse, mul-
to etiamnum magis admirati sunt insolentiam iudicij in Imperatore. Ignorabat autē
id opinor etiam Diodorus: neq; enim ausus fuisset sciens, nondum baptizato dare suf-
fragium sacerdotij: sed, vt consentaneum est, quia canus erat, putauit eum iam olim
fuisse baptizatum. Facta verò hæc sunt non sine prouidentia diuina, cùm & Imperator,
postquam baptismatis expertem intellexisset, in eadem sententia perstiterit, multis sa-
cerdotibus reluctantibus. Postquam igitur omnes cesserunt, & in Imperatoris calculū
consenserunt, baptizatus fuit, & sacri baptismatis conuenienti habitu etiamnum in-
dutus, communi synodi suffragio Constantinopolis episcopus declaratus est. Hæc ita
gesta esse multi crediderunt, prænonito diuinitùs Imperatore: quod quidem vtrùm
ne verum sit, necne, ego non excutio. mihi tamen persuadeo, absq; nutu diuino nihil
accidisse, quod euenit: dum & ad electionis ipsius miraculum respicio, & ea quæ hinc
sunt consecuta, considero, quo modo ad mansuetissimum & bonum & honestum virū
Deus huiusce sacerdotij functionem transtulerit. Et quod quidem ad Nectarij ordina-
tionem attinet, ita res se habuit, quantum ego intellexi.

Nectarius baptizatus declaratur episcopus Constantinopolitanus.

B *Quibus de rebus in secundo vniuersali concilio statutum fuerit, & de Maximo philo-*
sopho Cynico. CAPVT IX.

Vide Nice. lib. 12. c. 12. Socr. lib. 5. cap. 8. Theodor. lib. 5 cap. 8.

POst hæc habito conuentu, ipse Nectarius & alij sacerdotes, Nicæni concilij fidē
ratam esse habendam, & vniuersam hæresim abrogandam censuerunt: tum vt
omnes vbiq; ecclesiæ secundum veteres canones gubernarentur, vtq; episcopi
proprijs ecclesijs suis præsiderent, neq; extraneas temerè inuaderent, neq; se priuatorū
tacitis electionibus expectantibus committerent, sicut antea sæpe contigerat, dum per-
secutioni subiaceret Ecclesia catholica: præterea quæ in vnaquaque cuiusque nationis
synodo cōstituerentur, vt ea quàm rectissima apparerēt, ordinarent ac facerent. Adhęc,
vt post Romanum episcopum Constantinopolitanus prerogatiuam dignitatis obtine-
ret, vtpote qui nouæ Romæ sedem gubernet. Iam enim non modò hanc appellationē
vrbs ea adepta erat, senatuq;, & ordinibus ac magistratibus cōsimiliter vtebatur: verùm
& insignia quoq; eadem Romano ritu præferebat, & iura pariter atq; honores vtrinque
in omnibus congruebant. Deniq; Maximum neq; fuisse, neque esse episcopum, neque
clericos, eos, qui ab ipso ordinati essent. Insuperq; omnia quæ vel ab ipso, vel ipsius no-
mine facta erant, irrita esse decreuerunt. Hunc enim natione Alexandrienſem, pro-
fessione philosophum Cynicum, sed doctrinæ in Nicæno concilio comprobatæ stu-
diosum, furtiua electione Constantinopolis episcopum constituerant ij, qui tunc ex
Aegypto conuenerant. Atq; hæc quidem ad hunc modum synodo placuerunt: quibus
suum suffragium Imperator adiecit, legemq; addidit, vt rata haberetur fides concilij
Nicæni, vtque Ecclesiæ vbiuis gentium collectæ, illis committerentur, qui in substan-
tijs trium personarum, eadem dignitate, eademq; potentia præditarum, vnam & eā-
dem confiterentur diuinitatem patris & filij & Spiritus sancti. Hos porrò esse, qui con-
gruerent in fide cum Nectario, Constantinopoli: in Aegypto, cum Timotheo Ale-
xandriæ episcopo: in Orientalibus ecclesijs cum Diodoro Tharsensi, & cum Pelagio
Laodicensi in Syria episcopo: apud Asianos, cum Amphilochio Iconiensis eccle-
siæ præsule: in ciuitatibus verò Ponti, à Bithynia vsque ad Armeniam, cum Helladio
Cæsariensis in Cappadocia ecclesiæ episcopo, & cum Gregorio Nysæ, & Otreino Me-
litæ episcopo: in Thraciæ autem Scythiæque vrbibus cum Terentio Tomosum, & Mar-
tyrio Marcianopolis episcopo. Hos enim & Imperator quoque visos, & coràm allocu-
tus approbauit: de quibus & integra constabat fama, quòd suis ecclesijs religiosè præsi-

Decreta post Nectarij electionem.

Constantinopolis noua Roma.

Maximus philosophus Cynicus.

Nicæni fidei approbatores episcopi qui.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sent. Postquam igitur hæc ita peracta essent, finemque concilium cepisset, cæteri qui. A dem domum quisque reuersi sunt.

De Martyrio Cilicis: & de translatione reliquiarum sanctorum, Pauli confessoris, & Meletij Antiochiæ episcopi. CAPVT X.

Cyriacus Adanorum episc.

NEctarius autem præceptore Cyriaco Adanorum episcopo officium sacerdotale didicit: cum hoc enim ipso, vt secum aliquandiu maneret, Diodorum Tharsensium episcopum rogauerat. Inuitauerat & alios multos Cilicas, vt secum morarentur: ex quibus & Martyrium, quem vt medicum familiarem, ita commissorum in iuuentute delictorum conscium habuerat, diaconum ordinare cogitabat: cæterum Martyrius id auersatus est, indignum se esse ministerio diuino asseuerans, actæ; sibi antea vitæ testem Nectarium ipsum citans. Cui Nectarius: Nunquid ego, inquit, idem qui nunc sacerdos sum, vitam meam hactenus multo magis dissolutè traduxi, quàm tu tuam: cum vel tu ipse id testari possis, qui frequenti intemperantiæ meæ opem persæpe tulisti? Tum ille vicissim. Atqui tu, ô beate, recens baptizatus ac purificatus, & mox insuper sacerdotio auctus es, vtraq; autè hæc peccatorum expiatoria esse Deus constituit. Ac proinde, vt mihi quidem videris, tu ab infantib. iam recens natis nihil differs: ego verò iam olim sacri baptismatis factus particeps, in vsu vitæ meæ semper antiquum obtinui. Atque ille quidem talia causatus, ordinationem non admisit: & sanè ego quidem ob eam recusationem hûc virum laudo, eaq; de causa eum in partè huiusce historiæ retuli. Porrò Imperator vbi cognouisset ea quæ Paulo, quondam Constantinopolis episcopo, acciderant: transtulit eius corpus, & in ecclesia sepeliuit, quâ Macedonius eius persecutor extruxerat, quæq; adhuc de ipsius nomine nomen seruat, augustissima existens ædes, & nobilissima: quę res multos veritatis ignaros, velut & mulierculas, & è plebe cõplures, suspicari facit, Paulũ apostolum hîc esse conditum. Circa idem tempus & Meletij reliquię Antiochiam translatę, & iuxta loculum Babylæ martyris conditæ fuerunt. Fertur autem, eas regia continuè via ex Imperatoris mandato intra mœnia in ciuitates fuisse receptas, præter consuetudinem Romanis vsitatam, & alternatis psalmorum cantibus vnoquoq; in loco honoratas, donec Antiochiam vsque transportarentur. B

Martyrius diaconi officium recusat.

Pauli confessoris corpus translatũ Constantinopolin.

Meletij reliquiæ trãslatæ Antiochiam.

De ordinatione Flauiani episcopi Antiochiæ, & ijs quæ huius nomine acciderunt, propter datum olim iusiurandum. CAPVT XI.

VideNicen. lib. 12. ca. 14. Socrat. lib. 5. cap. 9.

AC Meletius quidem talem ibi sepulturam sortitus est: eligitur verò in illius locum Flauianus, præter datum iusiurandum. adhuc enim Paulinus in viuis erat. Ex eo igitur maxima rursus perturbatio Antiochenam ecclesiam corripuit, ac plurimi se à Flauiani communione abstraxerunt, & priuatim sub Paulino conuentum egerunt. Quin & ipsi quoq; sacerdotes ob hanc rẽ inter sese cõtendebant. Atq; Aegyptij quidem & Arabici & Cyprij, velut ob Paulinum iniuria affectum, stomachabantur: Syri verò, Palæstini & Phœnices, tum etiam ex Armenijs, ex Cappadocibus, ex Galatis, & ex Ponticis plurimi, pro Flauiano stabant. Non minimè autem indignatus fuit episcopus Romanus, & cum eo cuncti sacerdotes Occidentales: ac Paulino quidem ceu Antiochiæ episcopo consuetas scribebant epistolas, quas Synodales appellant: ad Flauianum verò, silentium agebant. Quin & Diodorum Tharsi & Acacium Beroeæ episcopos, qui illum ordinarant, reos agebant, & pro excommunicatis habebant. Itaq; vt de hisce rebus cognosceretur, scripserunt tum ipsi, tum Gratianus imperator, in Occidentem conuocantes episcopos Orientales.

Flauianus Meletij successor. Paulinus.

VideNicen. lib. 12. c. 14. Socr. lib. 5. cap. 15. Theodor. lib. 5 cap. 3. Vide Sozom. lib. 7. cap. 3. Theodorit lib. 5. cap. 3.

Quòd Theodosius concilium agitauerit, vt omnes hæreses in vnam concordiam redigeret: tum de Agelio & Sisinnio Nouatianis, quid introduxerint: & quòd concilio rursus conuocato, Imperator solos eos receperit, qui trinitatem consubstantialem profitebantur: qui aliter sentirent, ecclesijs exturbarit.

CAPVT XII.

HOc temporis tractu Ecclesiæ catholicæ fautoribus templa recuperantibus, in multis imperij locis tumultus oborti sunt, quòd Ariani se illis opponerent. Theodosius verò Imperator exiguo post priorem synodum intermisso tempore, vigentium tunc sectarum antesignanos rursus conuocauit, vt aut discerẽt aut docerent eorũ veritatem, de quibus inter sese contendebant. Sperabat enim se omnes effecturum esse concordes, si communem ipsis de controuersijs doctrinæ disputationem proposuisset. Postquam igitur conuenissent (erat autem hic annus, quo Merobaudes iterum, & Saturninus consules

Theodosius rursus concilium agitat, vt dissidia ecclesiarum componantur.

VideNicen. lib. 12. c. 19. Theodorit. lib. 5. cap. 2. 9. 10. Socr. lib. 5. cap. 10.

A consules erant, & quo Imperator Arcadium filium sibi imperij consortem assumpsit) Imperator Nectarium accersit, & cum eo de futura synodo communicat: & quæstiones eas, quæ hæreses peperissent, vt in disceptationem proponeret, iniungit, quò vna fieret credentium in Christum ecclesia, & doctrina consona, qua religio conformari debeat. Nectarius igitur priuatim secum meditatus, Agelio Nouatianæ ecclesię episcopo, vt in fide secum sentienti, voluntatem Imperatoris aperuit. Ille verò, qui vt vitæ sanctimoniam operibus repræsentabat, ita in verborum argutijs ac lenocinijs minimè exercitatus erat, sibi considerandum proponebat, si quid facto opus esset: sin verò disputandum foret, virum producebat ex lectoribus suis tunc vnum, nomine Sysinnium, sed cui posteà idem episcopatus est commissus, ratione & oratione præstantem, qui sacrorum librorum explicationes exactè calleret, & variam eorum cognitionem haberet, quæ tum ab Ethnicis, tum ab Ecclesiasticis authoribus conscripta erant. Qui quidem vir etiam hoc articulo rectissimè consulere visus, autor fuit, vt fugerent institutas cum sectarijs disputationes, vtpotè rixarum atque pugnarum fomites. Sed ex ipsis quęreretur, reciperéntne eos, qui ante Ecclesiæ distractionem interpretes ac doctores fuissent Scripturæ sacræ? Etenim si horum testimonia reiecerint, inquit, à suis ipsorum consortibus explodentur. Sin autem sufficere eos ad controuersias decidendas arbitrabuntur, produci oportet illorum libros. Certò enim sciebat, veteres, qui coæternum cum patre filium cognouerant, ausos nõ fuisse dicere, illum ex aliquo principio duxisse originem. Cum igitur & Nectario id se rectè habere videretur, & Imperator edoctus consilium collaudasset, animos sectariorum pertentabat, quidnam ipsi de veterum interpretationibus sentirent? Illis ea magnificè laudantibus, ipse palàm verbis expressis proposuit, num illorum dictis in finiendis quæstionibus staturi sint? & satísne locupletes doctrinæ testes eos esse iudicent? Orta & circa hanc quoque rem inter sectarum principes dissensione (neq; enim consimiliter singuli de veterum libris sentiebant) animaduertit Imperator, quòd nudis priuatarum opinionũ altercationibus nixi, definitum aliquid pronunciare detrectarent. Quamobrem damnata hac illorum peruicacia, iussit, vt vna quæq; secta doctrinæ suę libellum ipsi porrigeret. Cum itaq; huic negocio conficiendo præstitutus dies adesset, conuenerunt in palatium, pro ijs, qui consubstantialem Trinitatem profitebãtur, Nectarius & Agelius: pro Ariana hæresi, Demophilus eius antistes: pro Eunomianis, ipse Eunomius: Eleusius autem Cyzici episcopus, pro ijs, qui vocantur Macedoniani. Acceptis autem singulorum libellis, solos eos approbauit, qui consubstantialem Trinitatem asserebant: reliquos verò, vt absurdos disrupit. Ac Nouatianis quidẽ hinc præter sentẽtiam nihil accidit, siquidem conformem cum ecclesia Catholica opinionem de Deo habent. Cæteri verò suis ipsorum sacerdotibus indignabantur, quòd coram Imperatore sibi ipsis insciti fuissent aduersati: multiq; cæteris damnatis, ad sententiam approbatam conuersi sunt. Imperator verò lege lata sanxit, vt sectarij neq; conuentus agerent, neque doctrinam fidei profiterentur, neq; episcopos aut alios ordinarent: atq; vt alij vrbibus agrisq; expellerentur, alij notarẽtur infamia, & Reipub. consimiliter ac cæteri, participes non essent: & graues quidem legibus adscribebat pœnas, sed eas non exequebatur. neque enim vt pœnas irrogaret, sed vt metum incuteret subditis suis, studebat, vt sibi in diuinis cõcordes fierent: siquidem & illos laudabat, qui sua sponte conuertebantur.

Agelius Nouatianus episcopus.

Sysinnius & eius prudens consilium.

Disputationes cum sectarijs, vt fomites rixarum fugiens.

Theodosius sectarum libellos oblatos discerpit.

Theodosij lex contra sectarios.

B

De tyranno Maximo: & quæ illo grassante acta sint inter Iustinam imperatricem & sanctum Ambrosium: & quomodo per dolum interemptus sit imperator Gratianus, & Valentinianus vnà cum matre Thessalonicam ad Theodosium confugerit.

CAPVT XIII.

VideNicen. l. 12. c. 19. 20. Vide Theodorit. lib. 5. ca. 12. 13. Socr. lib 5. ca. 11. 12. 14.

EA tempestate, dum Gratianus in bello contra Alemannos gerendo occupatus esset, bellum mouet ex Britannia Maximus, & in suam potestatem Romanum imperium redigere conatus est. In Italia autem tunc agebat Valentinianus, adhuc iuuenis: & Remp. ibidem præfectus administrabat Probus, vir consularis. Quo tempore Iustina Imperatoris mater Arianæ sectæ fautrix, Ambrosio Mediolanensium episcopo negocium facessebat, & ecclesias turbabat, noua tentans aduersus decreta concilij Nicęni: & studiosè id agens, vt Arimenensis concilij fides præualeret. Cæterùm cũ illi aduersaretur Ambrosius, indignata calumniatur eum apud filium, perinde ac si ab eo contumelijs affecta esset. Valẽtinianus igitur calumnias eas veras esse ratus, matris vindicandæ titulo militũ turbã Ecclesię immittit: qui quidẽ facto in templum impetu, per vim irrumpunt intrò, & Ambrosiũ raptant, euestigiò in exiliũ abducturi. Sed ab ecclesia circũfusa multitudo militib. restitit,

Maximi tyrãnis.

Iustina Imp. mater Arianæ, Ambrosio infensa.

Ambrosius cũ militum vim à populo defensus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& vel mori citius quàm sacerdotem deserere statuit: ex hac causa Iustina maiori etiam. A
num ira excanduit, & edicto roborari conatus suos voluit. Accito igitur ad se Beniuo-
Beniuolus officium contra pietatem iniù. dū detrectat. lo, qui decretorum scribis tunc præfectus erat, mandauit vt legem quàm ocyssimè con-
deret, in confirmationem fidei per Ariminense concilium promulgatæ. Quod quidem
negocium cum ille verecundè detrectaret, (erat enim fautor Ecclesiæ catholicæ) illa e-
um precibus vrgere, & amplioris dignitatis promissionibus inescare pergit: sed tamen
non persuasit. Nam Beniuolus detractum sibi baltheum antè pedes Imperatricis abie-
cit, ac dixit, Sibi neque præsentem hanc, neq; ampliorem aliam vllam dignitatem tan-
ti fore, quam in mercedem impietatis affectaret. Cum itaq; in eo persisteret, quod illud
nunquam facturus esset: alij reperti sunt, qui ad huiusmodi legis compositionem deser
uirent. Mandabat verò lex ista, vt intrepidè conuenirent, qui eandem sectarentur fidē,
quam illi, qui Arimini, & posteà Constantinopoli congregati fuerant: vtq; illi, qui aut
his ipsis obstitissent, aut Imperatoris legi contraria tentassent, morte mulctarentur.
Gratiani mors Hæc dum studet Imperatoris mater, & legem ad vsum producere festinat, annūciatur,
Acta circa annum 388. dolo Andragathij, qui dux erat Maximi, interemptum esse Gratianum. Ille enim Im-
peratorio curru, quo vehebatur, occultatus, ijs qui præcedebant iniunxerat, vt vxorem
Imperatoris in eo esse nunciarent. Gratianus igitur fluuium, qui illic erat, inconsidera-
tè transgressus, cum & matrimonium non ita pridem contraxisset, & iuuenis esset, ac
miro coniugis amore flagraret, præ desiderio eius videndæ nihil prospiciens, in Andra-
gathij manus incidit: & comprehensus, non ita multo post è medio sublatus est, cum
Maximi in Italiam expeditio. annos vixisset plus minus viginti quatuor, imperasset autem quindecim. Iustina igitur
tanta accepta clade, iræ aduersus Ambrosium conceptæ oblita fuit. Interea Maximus
contracto ex Britannis, & finitimis Gallis & Iberis, ac vicinis gentibus copiosissimo ex-
ercitu, in Italiam tendebat, eo quidem prætextu, quasi passurus non esset, vt in fide pa-
tria & ordine ecclesiastico quicquam innouaretur: vero autem proposito, vt se ipsum
tyrannidis existimatione purgaret, ad principatum respiciens. interim & hoc agitans,
num qua ratione efficere posset, vt imperium Romanum non violentia sibi, sed iure
vindicare videretur. Valentinianus ergo temporis necessitate coactus, imperij sui insi-
gnia accepit: ac veritus ne quid sibi accideret, fugiens Thessalonicam venit, & cum eo v. B
nà tum mater, tum Probus Hyparchus.

De natiuitate Honorij: & quod Theodosius relicto Arcadio filio Constantinopoli Imperatore, in Italiam profectus sit: & de successione Nouatianorum, & reliquorum patriarcharum: & de audacia Arianorum: & quomodo Theodosius sublato tyranno, magnificum triumphum egerit.

CAPVT XIIII.

Vide Nicē. lib. 12. c. 21. Socr. lib. 5. cap. 13. 20.

Honorius Theodosij F. INterea temporis Theodosio sese ad bellum contra Maximum præparanti, nascitur filius Honorius. Deinde cum omnia ipsi, quæ ad expeditionē
necessaria fuerant, ritè confecta essent, relicto Constantinopoli Impera-
tore Arcadio filio, Valentinianum Thessalonicæ conuenit: Legatos autē
Agelius moriturus duos successores constituit. à Maximo ad se missos, neque remittebat manifestè, neq; admittebat, sed
assumpto exercitu in Italiam tendebat. Hoc tempore cum moriturus esset Agelius Cō-
stantinopoli Nouatianorum episcopus, suffragio suo suffecit sibi ex presbyteris suis v-
num Sisinnium: conquerente autem plebe, quòd non potius ordinasset Marcianum
spectatę pietatis virum, commodius se acturum ratus, Marcianum ordinauit, & in ec-
clesia ad populū hæc verba fecit: Post me, inquiens, Marcianum habetis, post hunc verò
Sisinnium. atq; ille quidē non multò post quàm hęc dixisset, mortuus est, cum sectę suę
quadraginta annis cum laude præfuisset. Sunt etiam, qui hunc virum Græcanicarū per-
Timothei & Cyrilli successores. secutionum temporibus confessorem quoq; extitisse asseuerant. Non multò post Ti-
motheo & Cyrillo vita defunctis, in Alexandrinam sedem Theophilus, in Hierosoly-
Demophili successor Marinus. mitanam Ioannes succedit. Apud Constantinopolim item Demophilus Arianæ sectæ
Dorotheus. præses mortuus est, ac Marino quidem ex Thracia accito eius successio committitur:
sed postquam Dorotheus ex Antiochia Syriæ Constantinopolim aduenisset, quia is vi-
debatur magis idoneus, eius sectæ primatū obtinuit. Interea temporis Theodosio in I-
taliā ingresso, rumores de bello pro cuiusq; votis rati erāt. Inter Arianos percrebuerat,
quòd multis in prælio fusis, Imperator in tyranni potestatem redactus esset: ideoq;, per-
inde ac si euentu iam cōprobata fuissent ea, quæ verbis ipsi sparserant, cristas erexerunt,
Nectarij domus ab Arianis succensa. & concursu facto Nectarij episcopi domū succenderunt: id indignati, quòd ille primas
teneret in ecclesijs. Atqui Imperatori alea belli ex voto cecidit. etenim milites quos ha-
bebat Maximus, seu metu apparatus aduersus ipsos instructi, seu ꝓditione, tyrannū cō-
prehen-

A prehensum de medio sustulerunt: Andragathius verò, qui Gratianum occiderat, vbi *Maximi tyranni, & Andragathij interitus, anno 392.* hoc factum cognouisset, vnà cum armis ipsis in prætersluentem fluuium insiluit ac per-
ijt. Bello ad hunc modum finito, vbi Gratianum deinceps, vt erat æquum, vindicasset,
Romam venit: ac pro victoria triumphum vnà cum Valentiniano egit, & ecclesiarum
statum per Italiam rectè constituit. Contigerat enim, vt & Iustina moreretur. *Iustinæ mors.*

De Flauiano & Euagrio Antiochiensibus, & de ijs, quæ Alexandriæ contigerunt in euersione templi Serapidis: de templo Serapidis, & euersis alijs templis idololatricis.

CAPVT XV.

Vide Nicē. lib. 12. c. 24. 25. 26. 27. Vide Socr. lib. 5. c. 15. 16. Ruff. lib. 2. cap. 23. Theodor. lib. 5. ca. 3. 23.

IVnc temporis Paulino Antiochiæ mortuo, auditores eius Flauianum, vt *Flauianus ab auditoribus suis repudiatus.*
qui datum Meletij tempore iusiurandum transgressus esset, auersari per-
gebant, & quidem in dogmate nihil ab illo discrepantes. Constituitur er-
go eorum episcopus Euagrius. Quo quidem breue admodum tempus su- *Euagrius pro Flauiano episcopus.*
peruiuente, nemo alius hanc successionem adimpleuit, obstāte Flauiano.
Priuatos igitur conuentus agitarunt, quotquot communionem illius recusabant. Per *Bacchi templum in ecclesiam redactū.*
hoc tempus Alexandriæ episcopus templum Bacchi, quod apud ipsos erat, in ecclesiā
transformauit: dono enim illud ab Imperatore peritum acceperat. Dum autem expur-
gantur simulachra, dum aperiuntur penetralia, cum ille opportunè deridere studeret *Priapi in mysterijs reperti.*
mysteria Paganorum, hæc ipsa pandebat: ac Priapos, & si quod aliud in secretis penetra-
libus ridiculū erat, aut videbatur, publicè in conspectum proferebat. Ibi & veritate &
nouitate rei gestæ consternati Pagani, quiescere nō sustinuerunt: sed conspiratione in-
ter sese facta Christianos adorti sunt, & alijs occisis, alijs vulneratis, templum Serapidis *Serapidis templum.*
occupant. Erat hoc templū & pulchritudine & amplitudine illustrissimum, in colliculo
situ. Hinc igitur velut ex arce quapiā de improuiso irruentes, ex Christianis multos
comprehenderunt, ac tormentis adhibitis sacrificare coēgerunr: quod qui facere detre-
ctabant, eorum alios in crucem egerunt, alios confractis crurib. alios alijs modis sustu-
lerunt. Cum aūt ad multum tempus duraret hæc seditio, accedunt eos principes, ac le-
gum cōmonefaciunt, & à bello cessare iubent, ac Serapidis templū relinquere. Præerat
autem tunc militū cohortibus per Aegyptū Romanus: cæterùm Euagrius Hyparchus *Euagrius Hyparchus.*
B Alexandriæ præfectus erat: qui quidē cum nihil proficerent, Imperatori factum indi-
carunt. Illos interim, qui in templo Serapidis erant, animosiores faciebat, tū quòd eorū
scelerum, quæ hactenus perpetrarant, sibi cōscij essent: tum quòd Olympius quidam in *Olympius paganorum error assertor.*
habitu philosophico cum ipsis esset, ac persuaderet, non oportere negligi ritus patri-
os: sed æquū esse vel mori pro his, si res postularet. qui quidē cum ob iecta simulachra
conspiceret eos esse consternatos, hortatur ne à religione sua deficerent, asserēs imagi-
nes ac statuas nihil aliud esse, quàm materiā corruptibilem, ac proinde ad nihilum po-
tuisse redigi: inhabitasse autem his virtutes quasdam, & eas iam in cœlum auolasse. At-
que ille quidem talia docens, ac turbam Paganorum secum habens, in templo Serapi- *Christianorū interfectoribus à Theodosio parsum est.*
dis morabatur: Imperator verò annunciatis his, quæ acta erāt, Christianos eos, qui sub-
lati erant, beatos pronunciauit, vt qui martyrij præmium consecuti essent, pro doctrina
sua periclitati: interfectoribus autem veniam concedi iussit, vt accepti beneficij reueren-
tia promptius ad Christianismum conuerterentur. Cæterùm templa, quæ Alexandrię
erant, quoniam seditionum fomites populo exisserent, euerti voluit. Fertur itaque, ijs
quæ ab Imperatore de hisce rebus rescripta fuerant, in publico recitatis, magnos à Chri
stianis clamores fuisse sublatos, propterea, quòd ille statim ab initio paganos culpæ ar-
gueret: & ex hinc metu correptos eos, qui templum Serapidis tenebant, in fugam sese
coniecisse: & ab eo tempore Christianos eum locum recuperatum obtinuisse. Olym-
Offenta. pius deniq;, vt audiui, non multò anteà, concubio noctis eius, post quam superuenien-
te die hęc transacta sunt, subaudiuit quendam in templo Serapidis Alleluia canentem, *Alleluia in Serapidis templo auditum, nemine qui cecinisset, conspecto.*
& quoniam foribus clausis, & constante quiete neminem conspiceret, sed solam tan-
tummodo vocem audiret eundem Psalmum modulantem, præsagium intellexit: & *Hieroglyphicæ literæ, crucis signo similes.*
clàm omnibus templo Serapidis egressus est, & nauigium fortè nactus in Italiam traie-
cit. Fertur porrò, dum templum hoc expurgaretur, aliquot ex literis quas Hieroglyphi-
cas appellant, signo crucis similes, lapidibus insculptas apparuisse: eandemq; scripturā
illam ab his, qui eius periti erant, interpretatam fuisse, vitam superuenientem. Quam
quidem rem multis paganis præbuisse causam suscipiendi Christianismi, cum & alia *Serapidis templum in ecclesiam conuersum.*
scripta testarentur hoc templum tum finem esse habiturum, cum hic character appa-
ruisset. Ac templum quidem Serapidis hoc modo euersum, & non ita multò post in
Ecclesiam Imperatori Arcadio cognominem reformatum fuit. Adhuc autem in qui-
busdam ciuitatibus pro templis suis alacriter pagani dimicabāt: velut in Arabia Petræi

& Acro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Paganorum pro templis suis dimicationes.

Marcelli episcopi mors.

Aulonis templum.

& Aeropolitæ,in Palæstina Raphiotæ &Gazei,in Phœnicia ij,qui Heliopolin incolũt: A in Syria potissimùm vindices templi Apamiæ, quæ colitur ad Axium fluuium: quos quidem ego intellexi ad protectionem templorum suorum frequẽter auxilijs vsos hominum Galilæorum, & collectorum ex pagis Libano vicinis:ac demùm ad tantã prorupisse audaciam,vt etiam Marcellum,qui eius prouincię episcopus erat,interficerent. Hic enim cum iudicaret,illos non alia ratione faciliùs à priori superstitione posse conuerti,templa, quæ in vrbe & in pagis habebant,euertit:& certior factus, in Aulone(is est tractus Apameorum prouinciæ)templum esse amplissimum, militibus aliquot ac gladiatoribus assumptis,aduersus istud contendebat.Cui cum appropinquasset, extra telorum iactum ipse restitit:erat enim pedibus debilis,& neque pugnare, neque hostẽ vel fugare vel fugere poterat. Militibus deinde ac gladiatoribus in destruendo templo occupatis,ex paganis quidã, intellecto, quòd ille ibi relictus esset solus,ea ex parte, qua locus pugna vacabat,egrediuntur,& ex improuiso adorti eum corripiunt,& rogo iniectum interimunt,ac in præsentia quidem clàm id habuerunt. Sed postquam temporis progressu proditi sunt,filij Marcelli patrem vindicare studebant. Quanquam synodus eius gentis id fieri prohibuerit:æquum non esse censens, vindictam sumere de huiusmodi morte,pro qua gratias agere deceret tum ipsum illum,qui mortuus erat,tum cognatos & amicos eius:vtpotè qui,vt pro Deo moreretur,dignus habitus esset. Atq; hæc quidem ita se habuerunt.

Quomodo & quam ob causam exauthoratus sit sacerdos ille, qui pœnitentibus præesse solet:tum historia de modo pœnitentiæ.

CAPVT XVI.

Pœnitentiarius presbyter à Nectario sublatus.

HOc tempore presbyterum,qui pœnitentibus deputatus esset, esse non amplius passus est omnium primus Nectarius ille Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopus:quem omnium fermè ecclesiarum prælules imitati sunt. Quid autem hoc sit,aut vnde originem sumpserit, aut quam ob causam sublatũ fuerit,alij fortassis aliter referunt. Ego aũt quid mihi videatur explicabo. Etenim cum prorsus non peccare,naturæ sit humana diuinioris: pœnitentib. autem,quamuis frequenter deliquissent,veniam dare Deus iusserit, & ad impetrãdam denique veniam confiteri peccata necessarium sit:odiosum,vt credibile est, sacerdotibus ab initio visum fuit,tanquam in theatro, audiente Ecclesiæ multitudine, delicta pronunciare. Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quàm maximè spectabilem,secretorum etiam tenacem ac sapientem,huic officio præfecerunt:eum accedentes,qui peccarant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille verò,pro cuiusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus,absoluebat, vt à se ipsi commissorum pœnas exigerent. At Nouatianis quidem,quos pœnitentiæ nulla cura tangit, isto nihil opus fuit:in cæteris autem sectis,in hunc vsque diem durat.Solicitè autem in Occidentalibus ecclesijs,& maximè in Romana seruatur:ibi enim manifestus est pœnitẽtium locus.Stant autem in eo mœsti,ac veluti lugentes:finitoque demum Dei sacrificio participes non facti,quorum participes fieri puros Dei cultores fas erat, cum planctu ac lamentatione semetipsos in terram pronos abijciunt. Tum ex aduerso lamentabundus episcopus accurrens,consimiliter humi cum eiulatu collabitur:ac tota deniq; ecclesiæ multitudo lachrymis suffunditur. Post hæc episcopus primus exurgit,ac iacentes erigit:& quantum satis est,pro peccatoribus pœnitentiam agentibus precatus, eos dimittit. Priuatim deinde sponte sua quisque vel ieiunijs,vel lotionum ciborúmue abstinentia,vel alijs quibus iussus est,semetipsum affligens,tempus expectat, in quantum episcopus præstituit. Elapso demum præfinito die,pœna iam quasi debito quopiam exoluta,à peccatis absoluitur,& populo in ecclesia coniungitur. Hæc Romani sacerdotes,ab ipso inde exordio etiam ad nostram vsque memoriam custodiunt. In ecclesia verò Constantinopolitana presbyter pœnitentibus deputatus,hoc munere functus est, donec mulier quædam nobilis,ob peccata, quæ confessa erat,ab hoc presbytero ieiunare ac Deo supplicare iussa,& ob eam ipsam causam in templo morata,se ab homine diacono constupratam prodidisset.Hoc enim cognito,vulgus,vt ob contumeliam Ecclesiæ illatam,indignabatur,acerbissimisque calumnijs premebantur sacerdotes. Nectarius itaque perplexus,quodnam remedium huic infortunio adhiberet, stupratorem istũ diaconatu priuauit:& consulentibus quibusdam, vt vnicuique liberum permitteret, prout sibi ipse conscius esset & confideret,ad mysteriorum communionem accedere, pœnitentiarium illum presbyterum exauthorauit.quod quidem ex eo tempore porrò in ritum vindicatum fuit,iam tum(vt opinor)ipsa vetustate,& ei coniuncta grauitate atque

Pœnitentiarij presbyteri institutio.

Nouatiani pœnitẽtiario nullo vsi.

Pœnitentium ritus in Occidentalibus ecclesijs.

Matrona quædam à pœnitẽtiario in templo compressa.

VideNice. lib.12.c.28. Socr.lib.5. cap.19.

A atque seueritate,in promiscuam ac dissolutam vitam paulatim delabi incipiente. Si quidem anteà,vt ego existimo,minora erant peccata,tum obverecundiam eorum,qui sua ipsorum delicta ipsi enunciabant,tum ob seueritatem eorum, qui iudices eius rei constituti erant.Hac porrò de causa Theodosium Imperatorem equidem cõijcio,prouidentem Ecclesiæ honori ac dignitati,edicto cauisse,ne mulieres,nisi liberos haberẽt, & annum sexagesimum excessissent, diuinum ministeriũ vllum susciperẽt, secundum Apostoli Pauli expressum mandatum.Illæ verò, quæ caput ornarent, ecclesijs exturbarentur:& episcopi,qui has ipsas admitterent, episcopatibus suis priuarentur.

Vitæ seueritate sublata, dissolutio morũ subsecuta.

Theodosij lex de mulieribus ab ecclesiasticis officijs arcendis.

Quomodo extra imperij Romani fines exulare Theodosius Magnus Eunomium iusserit: & de Theophronio,eius successore: & de Eutychio ac Dorotheo,& secta eorum:deq; his, qui appellantur Psathyriani,& quomodo Arianorum secta,in diuersas factiones distracta sit:& illi magis mniti sint, qui degebant Constantinopoli.

CAPVT XVII.

VideNice. lib.12.c.29. Socr. lib. 5. cap.22.23.

SEd hæc quidem suo iudicio quisque hic expendat. Porrò Imperator Eunomium extorri exilio tum condemnauit.Hactenus enim Constantinopoli moratus, vel in suburbijs,vel in domibus priuata conuenticula fouebat,& libros quos conscripserat,edebat,multosq;verbis in sententiam suam inducebat:ita vt intra breue tempus frequẽs eorum populus esset, qui sectam ab ipso denominatam amplecterentur. Sed ille multo post exilium elapso tempore mortuus,in patria tandem sepulturam sortitus est. Erat ea Cappadocum pagus Dacora, eratque adscripta territorio Cæsareæ ad Argæum sitæ. Theophronius autem, qui illo præceptore eisdem opinionibus imbutus erat, & ipse quoq; Cappadox, dogma eius tuebatur:& cum Aristotelica doctrina mediocriter exercitatus esset, accommodata ad cognoscendos ipsorum syllogismos rudimenta reliquit,quæ de Exercitio mẽtis inscripsit.Cæterùm in absurdas disputationes prolapsus,vt accepi, in ijsdẽ cum præceptore opinionibus permanere dignatus nõ fuit. Nãm cum rebus nouandis studeret, ex verbis Scripturæ sacræ vsitatis contendit,quòd Deus,quia futura prospiceret,præsentia sciret,præterita meminisset,sui similis semper non esset:vtpotè qui pro ratione futuri, præsentis ac præteriti,scientiam mutaret.Ob hanc doctrinam cum ne Eunomianis quidem ferendus videretur,ab eorum ecclesia explosus,de se Theophronianos appellatos peperit.Non longè autẽ post,etiam Eutychius quidam Cõstantinopoli, sectator Eunomij,sui nominis hæresim reliquit.Etenim cum quæreretur, an nouissimã horam sciret filius:& ad negationẽ huius,ea quæ in Euangelijs dicuntur, nempè,quod eam solus pater sciat,opposita esse videantur:confidenter asseuerabat, ne huius quidẽ scientiæ expertem esse filium,vt qui sine defectu cuncta accepisset à patre. Hanc sententiam cum non reciperent ij,qui tum sectæ erant antistites, ille seipsum à communione segregauit:& ad Eunomium,qui tum in exilio degebat,profectus est, cum iam diaconus & alij anteuertissent,ex vrbe Constantinopolitana missi, vt illum vel accusatione, vel(si opus foret)disputatione subuerterent:Eunomius edoctus ad quid venissent, Eutychij sententiam approbauit,& in orationis communionem cum illo venit:cum quidem inter ipsos fas non esset,in orationis communionem venire cum his, qui aliunde aduenirent,nisi literas apportent,quæ ipsos in opinione cum hisce conuenire declarẽt, per notas quasdã epistolis inscriptas,quas alij non intelligant.Nõ multo post hanc cõtrouersiã Eunomio defuncto,is qui apud Cõstantinopolim eius sectæ antistes erat, Eutychium reijciebat,offensus illi ex inuidia:quòd illius,qui ne clericus quidem erat, cũ sententiam studiosè oppugnaret,quæstionẽ soluere nequiret.Ex hinc ergo Eutychius, cum ijs,qui secum sentiebant,in peculiarẽ sectã segregatus fuit. Eius porrò controuersiæ,quæ de sacro baptismate mota fuit,constans rumor tũ ipsum hunc,tum Theophronium authorẽ arguit.Atq; hæc quidem ego ex ijs,quæ comperi, ad cõpendiariam earũ causarum noticiam conscripsi,ob quas diuisi sunt Eunomiani.omnes enim controuersias exponere,quæ hac de re motæ sunt,prolixum fuerit,ac mihi nequaquam facile:siquidem ne peritus quidem sum eiusmodi disceptationum.Eadẽ ferè tempestate inter Arianos Constantinopolim incolentes est exorta quæstio.Vtrúmne, antequam filius esset,(cũ apud ipsos,hunc ex non existentibus esse,in confesso sit) potuerit appellari pater Deus?Ac Dorotheus quidem,qui in locum Marini Antiochia accitus præerat huic sectæ,quia nomen Patrium relatiuum esset,antequã filius existeret,patrem non appellari Deum pronunciauit:Marinus verò contrarium affirmabat, & etiam noũ existente filio,semper esse patrẽ asseuerabat:seu quòd ita sentiret,seu quòd obniteretur Dorotheo,qui in gubernanda illorum ecclesia ipsi prælatus esset.Ex hac igitur causa in duas partes

Theophronia-ni.

Eutychij hæresis.

Deus an Pater appellari potuerit ante filium natum.

Noua Dorotheo & Marini cõtentio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

partes plebs diuisa fuit. & cum Dorotheus vnà cum sectatoribus suis, in ijs templis, quæ A tenebat persisteret: Marinus extructis alijs, separatim conuentus agebat. Cognominabantur autē isti tum Psathyriani, tum Gothici. Ac Psathyriani quidē, propterea, quòd Theoctistus quidam Psathyropola (est autem Psathyros tenuis cuiusdam placentæ genus) opinionem istam impensè defenderit: Gothici verò, quod & horum episcopus Selinas eiusdem opinionis fuerit. Nam hunc vniuersi propemodum barbari sectati, illū conuentum frequentabant: morigeri enim Selinæ erant, vt quàm maximè cum is & amanuensis & successor Vlphilæ ipsorum quōdam episcopi, & in ecclesia ad docendum idoneus esset, non modò patria ipsorum lingua, sed etiam Græca. Non multò pòst orta de primatu controuersia inter Marinum & Agapium, quem sectatorum suorum episcopum apud Ephesum crearat, modò non bellum inter sese gesserunt, defendentibus Agapium Gothis. At fertur quidem hac de causa multos ibi clericos de præsulum suorum ambitione conquestos, ad ecclesiæ catholicæ communionem reuertisse. Hoc igitur modo Ariani ab initio segregati sunt: atq; etiam nūc, in quibus ciuitatibus sunt, separatim congregantur. Eos verò, qui Constantinopoli degebant, triginta iam tum & quinque annis inter sese rixatos, in concordiam postmodum redegit ipsorum sectator Plinthas, vir consularis, tum equestris tum pedestris exercitus præfectus, qui tum in aula Imperatoris potentissimus erat. Atque illi quidem, cum in vnum conuenissent, decreuerunt, hanc quæstionem deinceps in controuersiam nunquam esse vocandam: & hæc quidem posteà sic acta sunt.

Pſathyriani. Gothici Theoctiſtus. Selinas epiſc.

De primatu controuerſia.

Agapius.

Plinthæ ſtudio Arianorū diſſenſiones compoſitæ.

Quòd Nouatiani aliam etiamnum hæresim ex se produxerint, eorum qui appellantur Sabbatiani: item de synodo Sangariana, & de festo Paschali traditio, seu expositio historica.

CAPVT XVIII.

DVrante eodem hoc imperio, etiam Nouatiani inter sese de festo Paschali disceptantes, aliam sectam eorum, qui Sabbatiani appellantur, constituerunt. Sabbatius enim presbyter à Martiano ordinatus vnà cùm Theoctisto & Macario, cum compresbyteris secutus eos, qui Pasucomæ concilium agitarant sub Valente Imperatore, volebat festum Paschatis more Iudæorum celebrari: & cum ab ecclesia defecisset, in initio quidem, partim quasi sui exercendi gratia secederet (integerrimè enim viuebat) partim quasi animaduerteret quosdam mysteriorum communione indignos, excusabatur: sed postquam in rerum nouandarum studio deprehensus esset, tum verò de ordinatione eius plurimum conquerebatur Marcianus, & satius erat, inquiens, in spinas imponi manus, quàm in ipsum, sæpius exclamabat: & quoniam in diuersam multitudinem sibi distrahi ecclesiam conspiceret, suæ sententiæ episcopos Sangarum conuocauit, (est is locus Bithyniæ, non procul ab Heleopoli ad mare situs) quò postquam cōuenissent, Sabbatium accersiuerunt: & quoniā offensæ suæ causam reddere postulatus, diuersitatem festi causaretur, suspicati illum hæc primatus desiderio confingere, iusiurandum ab eo exegerunt, quod episcopatum nunquam susceptурus esset. quod quidem cum ille cum iuramento professus esset, illi hanc causam dignam non esse rati, ob quam communio distraheretur, decreuerunt vt omnes in vna concordia, & in eodem cætu simul perdurarent, vtq; vnusquisq; festū hoc vtcunq; vellet celebraret. Eaq; de re canonem conscripserunt, quem ἀδιάφορον, hoc est promiscuum appellarunt. Atq; hæc quidem ita Sangariano concilio placuerūt. Ex hoc autem tempore Sabbatius Iudęos secutus, si non eodē tempore cunctos hoc festū simul celebrare contigisset, præueniens (vti moris erat) ieiunabat, & priuatim ex legis præscripto peragebat Pascha. Sabbato verò à vespera ad tempus competens in vigilijs ac precationibus versatus, die postero publicè cum omnibus in cœtu coniunctus, & mysteriorum particeps fuit. Ac primo quidem plebem latuit: sed postquam hinc progressu temporis nobilitatus est, multos imitatores habuit, & maximè quidem Phrygas ac Galatas, quibus est patrium, vt festum hoc modo celebrent. Tandem verò cum manifestè defecisset, eorum episcopatum assumpsit, qui ipsum sectabantur, sicuti mox suo loco dicetur. Cæterùm mihi quidem mirari subit, tum hunc ipsum virum, tum eos etiā, qui ipsi auscultabant, cur hanc altercationem commenti sint: cum prisci Hebręi, sicuti refert Eusebius, Philone ac Iosepho & Aristobulo, alijsq; plurimis attestantibus, post æquinoctium vernum Pascha immolarint, cum sol primùm duodenarium gradum peragit, quem κριὸν, hoc est arietem Græci vocant, ex opposito videlicet lunæ, decimæquartæ dici cursum perficientis. quandoquidem & Nouatiani ipsi in euidentię partem asseuerant, quòd neque sibi, neque sectæ suæ antesignano anteà id moris fuerit, sed à Pazucomano concilio nuper introductum sit. Quinetiam sectæ suæ fautores in hunc vsque

Nouatianorū de festo Paschatis dissensio. Sabbatiani. Sabbatius.

Vide Nicē. lib. 12. c. 30. 31. 32. 33. Socr. lib. 5. cap. 20.

Sangarum, et ibidem synodus Nouatianorum.

Nouatianorū canon adiaphorus, de die Paschæ.

Phrygum & Galatarum Pascha.

Hebræorum Pascha.

Item Nouatianorum.

A vsque diem apud Romam veterem cum alijs Romanis hoc festum celebrare, quos etiam aliter id celebrasse superiori vllo tempore deprehensum non sit, propterea quòd Apostolorum Petri ac Pauli traditione vterentur. Ad hęc etiam Samaritani, qui Mosaicæ legis æmulatores sunt vel maximi, priusquam noui maturentur fructus, hoc festum celebrare non sustinent. Nouum enim, inquiunt, ipsum hoc festum lex appellat, vt his nondum apparentibus festum celebrare fas non sit: vnde præcedere vernum æquinoctium oportere, necessitas ipsa conuincat. Mirum ergo est, istos qui Iudæos in hoc imitantur, non magis probasse antiquitatem, ab ipsis conseruatam. Atqui, vt videtur, præter hos ipsos, & istos qui per Asiam sunt, Quartadecimanos appellatos, consimiliter cum Romanis & Aegyptijs, etiam ij qui alijs adhærent sectis, hoc festum agunt, sed hi quidem in ipsa decimaquarta die cum Iudæis feriantur, vnde etiam huiusmodi sortiuntur nomen: Nouatiani verò resurrectionis diem celebrant. Iudæos autem & ipsi sequuntur, & in idem cum Quartadecimanis recidunt: nisi fortè in quartamdecimam diem lunæ prima dies sabbati incidat. tanto enim Iudæis posteriores euadunt, quot dies contigerit sequentem diem Dominicam esse posteriorem decimaquarta lunæ. Montanistæ autem, quos Pepuzitas & Phrygas appellant, peregrinam quandam rationem commenti sunt, secundum quam Pascha celebrant. siquidem eos, qui in hoc negocio lunæ cursum curiosè obseruant, reprehendunt: ac dicunt solos esse solares circulos ijs sequendos, qui ista rectè ordinare volunt: & menses quidem singulos esse triginta dierum statuunt: incipere aūt diem primam ab æquinoctio verno, quę Romanorum more dicatur nona Calendas Apriles, quandoquidē, inquiunt, duo ista luminaria tum creata sunt, quib. & tempora & anni declararentur. Idq; eo demonstratur, quòd luna elapso vnoquoq; octennio cum sole coniungatur, & vtrisq; eodem tempore nouilunium contingat: siquidē octennij spacium in cursu lunari nonaginta nouem mensibus, dieb. verò bis mille nongentis viginti duabus completur: intra quas sol octo cursus absoluit, destinatis vnicuiq; anno diebus trecentis sexaginta, cum quarta insuper vnius diei parte. Etenim à nona Calendas Aprilis, vt ab exordio creationis solis ac primi mensis supputant, memoratam in sacris literis decimamquartam diem: & hanc esse dicunt octauam Idus Aprilis, in qua Pascha perpetuò celebrant. Quod si cum hac die dies resurrectionis fortè concurrat, tum proximè sequenti Dominica ferias agunt. Scriptum est enim, inquiunt, A` decimaquarta die vsque ad vicesimam primam.

Samaritanorum.

Quartadecimanorum.

Montanistarū Pepuzitarum.

Catalogus Authoris scitu dignus, de consuetudinibus apud diuersas nationes & ecclesias vsitatis. CAPVT XIX.

Vide Nicē. lib. 12. cap. 34. 35. Socr. lib. 5. cap. 21.

ATque hæ quidem extiterunt circa hoc festum diuersitates. Sapientissimè autem arbitror soluisse subortam olim de eo controuersiam, Victorem, tunc temporis Romæ episcopum, & Polycarpum Smyrnensem. Etenim cum Occidentis sacerdotes traditionem Petri ac Pauli non esse contemnē. dam arbitrarentur, & Asiani se Ioannem euangelistam sequi affirmarent, decretò in communione sancito, singuli vt consueuerant festum celebrantes, à mutua inter se cōmunione non recesserunt. Friuolum enim, & quidē meritò, iudicarunt, consuetudinis gratia à se mutuò segregari eos, qui in præcipuis religionis capitibus cōsentirent. Neque enim easdem traditiones per omnia similes, in omnibus ecclesijs, quamuis inter se consentiant, reperire possis. Etenim per Scythiam cū sint ciuitates multę, vnum duntaxat hę omnes episcopum habent: apud alias verò nationes reperias, vbi & in pagis episcopi ordinantur, sicut apud Arabes ac Cyprios ego comperi, & apud Nouatianos ac Montanistas eos qui degunt in Phrygia. Diaconi apud Romanos hactenus non plures sūt, quàm septē, ad similitudinē eorum, qui ab Apostolis ordinati fuerāt, inter quos erat Stephanus ille, qui primus martyrium subijt: Apud alios verò numerus horū promiscuus est. Rursus autem singulis annis duntaxat semel Romæ Alleluia canunt, prima die Paschalis festi, vt à multis Romanis hic hymnus iurisiurandi instar tum audiri tum cantari expetatur. Ad hæc neq; episcopus, neq; alius quispiam hic in ecclesia docet: apud Alexandrinos verò solus ciuitatis episcopus. Aiunt tamen hanc consuetudinem non prius inoleuisse, quàm ex quo Arius presbyter de doctrina disserens, insolitā introduceret. Nouum & illud apud eosdem Alexandrinos est, quòd episcopus, dum recitatur Euangelium, non assurgat: quod apud alios vsquam fieri, equidem neq; comperi, neque audiui. Hunc etiam sacrum codicem hic legit solus archidiaconus, apud alios verò diaconi, in multis etiam ecclesijs soli sacerdotes: diebus autem solennibus episcopi, vt Constantinopoli, prima feria resurrectionis Dominicæ. Iam illam quæ huic præcessit, quæque appellatur Quadragesima, in qua populus ieiunat, alij in sex di-

In religionis capitibus consentientes, traditionum gratia dissident, absurdum.

Diaconi apud Rom. non plures VII.

Alleluia semel tantum in anno cantari solitum.

Quadragesima.

crum septimanas computant, vt Illyrij & qui ad Occidentem siti sunt, nec non vt vniuersa Libya & Aegyptus cum Palæstinis: alij in septem, vt Constantinopolitani, & nationes circumiacentes vsq; ad Phœnices: alij sparsim tres intra sex aut septem istas ieiunant: alij, tres Pascha immediatè præcedentes continuant: alij duas, vt Montani sectatores. Imò verò ne ecclesiæ quidem conuocandæ apud omnes idem tempus ac modus est. Siquidem alij sabbato, consimiliter ac postridie sabbati conueniunt, vt Constantinopoli, & apud alios ferè omnes: Romę autem & Alexandriæ non item: apud Aegyptios denique multis in ciuitatibus ac pagis, præter consuetudinē communiter apud oēs consecratam, sub vesperum sabbato cōuenientes, ac iā pransi mysteriorum participes fiunt. Precibus quoq; & cantibus & lectionibus nec ijsdem, nec eodem tempore cunctos vti inuenire est. Sic enim reuelationem Petri, quam vocant, à veteribus vt adulterinam prorsus reprobatam, in ecclesijs quibusdam per Palæstinam adhuc semel singulis annis recitari compertum habeo: nempe in die Parasceues, quam populus admodum religiosè ieiunat in memoriam passionis Dominicæ. Eam etiam quā nunc circunferunt quasi reuelationem diui Pauli Apostoli, quam veterum nemo vidit, monachi plurimùm commendant. Hoc autem durante imperio, nonnulli hunc librū fuisse repertum asseuerant. aiunt enim, ex diuina reuelatione Tharsi Ciliciæ in ædibus Pauli apostoli marmoream arcam sub terra esse repertam, & in ea fuisse istum librum. Sed mihi super hoc percontanti, mendacium esse dixit Cilix Tharsensis ecclesiæ presbyter, quem quidem virum multos annos fuisse natum ipsa canicies arguebat. Aiebat aūt se nihil comperisse, quòd huiusmodi quicquam apud ipsos acciderit: ac mirari se, si non id commentum sit hæreticorum. Sed de hoc hactenus. Multas autem consuetudines per vrbes ac pagos, reperias, quas ob reuerentiam vel eorum qui eas ab initio introduxerūt, vel eorum qui istis successerunt, præuaricari sibi nec licitum, nec tolerandum putent esse ij, qui his innutriti sunt. Quod idem & in hoc quoq; festo hominibus vsuueniſſe putandum est: cuius gratia in hanc de istis commemorationem digressus sum.

Ecclesiæ cōuocandæ diuersus modus.

Precum, cantionum & lectionum diuersitas.

Reuelatio Petri & Pauli.

Reuelatio D. Pauli.

Cilix presbyter.

Vnde natasit hæc obseruationum diuersitas.

De incremento doctrinæ catholicæ, & perpetua destructione templorum idololatricorum: ac de exundatione Nili fluuij. CAP. XX.

B Videlicet lib. 12. cap. 37.

DIuulsis ita (vti dictum est) ijs qui aliarum sectarum fautores erant, maius etiamnum incrementum capiebat Ecclesia catholica, cum illi accederent plurimi cùm ex discordia inter sese dissidentium hæreticorum, tum vel maximè ex multitudine Paganorum. Imperator enim, quia animaduertebat superioris temporis consuetudine subditos adhuc ad cultum patrium & religiosos ipsorum locos aduduci, statim in imperij initio vetuit, ne hos accederent: ac tandem multos etiam subuertit. Illi itaque templorum defectu, temporis progressu ad ecclesias ventitare consuefacti sunt. neque enim ethnico ritu clàm sacrificare tutum erat: sed capitis & facultatum ablationem pœnæ nomine lex continebat, aduersus eos lata qui talia auderent. Ferunt autem Aegypti fluuium tunc solito tardiùs ad primum exundationis gradum constitisse. Aegyptij ergo indignabantur, quòd non permitterentur secundum leges patrias fluuio sacrificare. Animaduertens autem gentis eius præfectus, eos ad seditionem adornari, Imperatori rem indicauit. Imperator re intellecta: Satius est, inquit, erga Deum permanere fidelem, quàm fluenta Nili, & ex ijs expectatam anni fertilitatem præposuisse pietati. vel nunquam enim fluxerit iste fluuius, siquidem reuerà & excantationibus pellici, & sacrificijs delectari, & sanguinis fluxu inquinare influentes ex diuina Paradiso riuos potest. Cæterùm Nilus haud multo pòst largiter effusus, etiam sublimioribus vndas immisit: & postquam ad perfectissimam, ac rarò completam mensuram accessisset, ac nihilominus aqua intumescceret, in contrarium timorem coniecti sunt Aegyptij: ac metus erat, ne & Alexandropolim, quæ Libyæ portio erat, fluuius inundaret. Fertur itaq; Alexandrienſiū Paganos, ob hoc ipsum stomachantes quod præter opinionē euenerat, subsannasse, & in theatris exclamasse, quòd fluuius veluti senex ac delirus eminxisset: ex eo plurimi Aegyptij patria superstitione damnata, ad Christianismum transierunt. Atque hæc quidem, vt comperi, conscripsi.

Ecclesiæ catholicæ incrementum ex gentilitate.

Lex aduersus clancularium idololatriam.

Nilo sacrificare interdictū.

Nili inusitata inundatio.

De inuentione venerabilis capitis diui Ioannis Baptistæ, & quæ eius nomine facta sint.

CAPVT XXI.

Vide Nicet. lib. 12. c. 49.

CIrca hoc tempus Constantinopolim translatum fuit Ioannis Baptistæ caput, quod Herodias ab Herode tetrarcha petierat. Fertur autem fuisse repertum apud monachos quosdam sectæ Macedonianæ, qui cum primùm Hierosolymis habitassent, postea migrarunt in Ciliciam. Sub eo autem imperio, quod ante præsens hoc fuit, iudicante

Ioannis Baptistæ caput Constantinopol. translatum.

A cante Mardonio, qui domus Imperatoriæ maior eunuchus erat, iusserat Valens illud Constantinopolim transferri. Itaq; illi qui in hoc missi erant, publico vehiculo impositum agebant. Sed vbi ad Pantichium peruenissent (qui locus est Chalcedonis) non vlterius procedere voluerunt muli, qui vehiculum trahebant: & quidem comminantibus equisonibus, & auriga flagris acriter vrgente. Cùm autem nihil proficerent, videreturque cunctis, & ipsi quoque Imperatori, res ea non sine miraculo ac numine diuino geri: sacrum hoc caput in Cosilai pago deposuerunt. erat enim is fortè in proximo, & ad Mardonij huius ditionem pertinebat. Circa hoc autem tempus, siue Deo, siue ipso propheta exuscitante, venit in hunc pagum Theodosius Imperator. Cui quidem, cum Baptistæ reliquias tollere vellet, solam aiunt restitisse Matronam: ea erat virgo sacra, sed quam sectarentur minister & custos. Cum autem illa cunctis viribus resisteret, ratus non esse cogendam, precibus contendebat vt concederet: & postquam grauatè cessisset, irritum fore Imperatori quod conabatur, ex eo rata, quod tempore Valentis acciderat: purpura sua thecā in qua iacebat, caput inuoluens, accipiebat, ac reuersus ante vrbem Constantinopolitanam condidit, in loco quem Hebdomon vocant, ædificato ibidem in honorem Dei amplissimo pulcherrimoq; templo: Matronam porrò quamuis frequenter ac multum precatus, & blandis pollicitationibus adortus esset, inducere Imperator nō potuit, vt ab opinione sua desisteret: erat enim sectę Macedonianę. Quanquam tamen Vincentius presbyter, eiusdem sectæ fautor, qui & ipsam & prophetæ locutus ex equo venerabatur, & sacerdotio in hunc ipsum vsū fungebatur, eueſtigiò secutus est, & cum ijs qui de catholica ecclesia erāt, communicauit, cum quidē (vti Macedoniani dicunt) cum iureiurando protestatus esset, se ab eorum opinione nūquam esse recessurum. Sed ille ad extremum id hac adiecta conditione manifestè terminauit, vt si Baptista sequi vellet Imperatorem, & ipse quoq; cum eodem absque omni hæsitatione conscientiæ communicaret. Fuit autem hic natione Persa: & cum sub imperio Constantij persecutio Christianos affligeret, fugiens vnà cum Adda consobrino suo, ad Romanos venit, atque ipse quidem in clerum allectus est, & ad presbyterij dignitatem processit. Addas autem vxore ducta, plurimum profuit Ecclesiæ & filium reliquit Auxentium, virum erga Deum fide, erga amicos promptitudine insignem, vita integrum, literarum amatorem, & omnigena tum gentilium tum ecclesiasticorum scriptorum eruditione præditum, moribus commodis, licet Imperatori & aulicis familiaris esset, & in bellicis expeditionibus splendidè se gessisset. Verùm illius quidem crebra mentio est tum apud probatissimos quosque monachos, tum apud homines studiosos, qui ipsum familiariter cognouerunt. Matrona verò vsque ad obitum in Cosilai pago versata est, vixitque religiosè admodum & castè, & sacris virginibus præfuit: quarum etiam nunc multas superesse intellexi, quæ mores disciplina per Matronam accepta dignos repræsentent.

Pantichium.

Cosilai pagus.

Matrona. Virgo Macedoniana.

Hebdomos in quo repositum D. Iohannis caput excitato ibi templo. Vincentius presbyter.

Addas. Auxentius eius filius.

De strangulatione ac interitu Valentiniani adolescentis Imperatoris Romani: & de Tyrannide Eugenij: & de vaticinio Ioannis monachi, Thebaide morantis.

CAPVT XXII.

Vide Nicet. lib. 12. c. 18. Socr. lib. 4. ca. 27. lib. 5. cap. 24.

AC Theodosius quidem cum Orientale imperium in pace gubernaret, his operam dabat, & studiosè admodum diuinum numen venerabatur. Interea temporis nunciatur, Valentinianum Imperatorem strangulatione interisse. Dicebatur autem, hanc mortem illi per cubicularios eunuchos, & alios quosdam aulicos, & Arbogasten exercitus præfectum esse structam: ob id, quòd patrissantem in Imperio iuuenem, & ad multa difficilem reperissent, quę ipsis placuissent. Alij putant, eum sibi ipsi manus intulisse, quòd quædam conatus quę eius ætatis feruori non conueniunt, prohibitus fuerit: ac propterea viuere dignatus non sit, quòd Imperator cum esset, quod vellet facere, non permitteretur. Aiunt sanè, hunc adolescentulum ob generositatem corporis, & virtutum regalium excellentiam, impendiò dignū esse visum imperio, vt qui magnanimitate ac iusticia patrem superare potuisset, si ad virilem ætatem peruenisset. Sed is quidem tametsi talis esset, ita perijt. Porrò Eugenius quidam, erga Christianorum religionem non syncerè affectus, principatum inuasit, & imperij insignia assumpsit. Putabat enim, se id quod conabatur, absq; impedimento consecuturum: inductus quorundam verbis, qui se futura prædicturos pollicebantur, ex victimarum immolatione, ex viscerum inspectione, ex obseruatione siderū. Harum rerum studiosi tunc erāt cùm alij multi apud Romanos, in dignitate constituti viri: tum etiam Flauianus tunc temporis Hyparchus, vir eximius, & in rebus politicis prudens habitus, quiq; insuper ex omnis generis diuinationis scientia exactè præscire

Valentiniani imp. strangulatio. Anno 396.

Eugenij tyrannis, & expeditio ad occupandum imperiū.

Flauianus Hyparchus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

futura credebatur. hac enim existimatione Eugenium potissimùm perpulit, vt ad bellū A sese pararet, cum imperium illi fato destinatum esse asseueraret, & victoriā ex pugna illi cessurā, & mutationem religionis Christianæ. Atq; Eugenius quidem hac spe inescatus, maximum parauit exercitum: & Italiæ portas, quas Romani Iulias alpes vocant, occupatas præsidio continuit, vt quæ per angustias vnum duntaxat accessum præbeant, cum vtrinq; præruptis scopulis & altissimis montibus communitæ sint. Theodosius interim sollicitus quémnā exitum habiturum esset hoc bellum, quod contra se susceptū erat: & vtrúmne seipsum subducere, an verò ingruentem hostē sustinere oporteret: constituit in hanc rem vti consilio Ioannis monachi, Thebaide morantis, quē inibi ob futurorū scientiam celeberrimum fuisse superius dictum est. Itaq; Eutropium, ex eunuchis aulicis vnum, qui ipsi fidus erat, in Aegyptū misit, vt, si fieri posset, ipsum adduceret: vel si sequi grauaretur, saltem quid facto opus esset, ex ipso cognosceret. Ille igitur cum ad Ioannem peruenisset, vt ad Imperatorem veniret, non impetrauit: sed reuersus nunciauit illi, quòd & in illo bello victor futurus esset, & sublato tyranno in Italia moriturus. Quę vtraque fuisse vera, euentus docuit.

Iuliæ alpes, Italiæ portæ.

Ioannes monachus in Thebaide, vates.

De exactione vectigalium, de Imperatorijs statuis apud Antiochiam deiectis, & Flauiani episcopi legatione. CAP. XXIII.

Vectigalium exactio Antiochiæ. Imperatoriæ ob id statuæ deiectæ.

Vide Nicet. lib. 12. c. 4. Theodorit. lib. 5. ca. 19.

HOc tempore ob necessitatem belli visum est præfectis, quibus id ex officio competebat, vt plus solito tributorū à vectigalibus exigerent: cuius rei nomine concitata seditione, populus Antiochenus in Syria statuas Imperatoris & coniugis eius deiecit, & iniecto fune raptauit: emissis etiam contumelioſis vocibus, quales emitti consentaneum est à multitudine grassante. Cæterum cum Imperator ex Antiochiensibus multos perdere decreuisset, ad solum eius propositi rumorem plebs consternata fuit, & remisso furore pœnitentiam egit: ac perinde vt ob præsentia mala, quæ futura nunciabantur, gemebat ac plorabat: & Deo supplicabat, vt Imperatoris iram mitigaret, cantilenis quibusdā lugubribus ad eam supplicationem vsurpatis. Tum etiam Flauianus Antiochiensium episcopus pro ciuibus suis intercedens, offenso etiamnū Imperatore, persuasit adolescentibus qui ad mensam Imperatoriam canere solebant, vt eas pronunciarent cantilenas quæ in Antiochiensium B supplicationibus erant. Quo facto, ferunt Imperatorem humanitatis affectu perfusum, & misericordia victum, confestim iram posuisse, & vrbi reconciliatum, lachrymis irrigasse phialam, quam tum fortè manu tenebat. Aiunt porrò, præcedente nocte, post quā succedēte die seditio mota fuit, spectrum mulieris fuisse visum magnitudine inusitatū, & aspectu horrendum: quod quidem in sublimi per ciuitatis plateas discurrens, aërem diuerberaret flagello horrisono: vt quemadmodum ad iram feras incitant ij qui ad huiusmodi spectacula operam suam nauāt, ita hanc seditionem dæmonum insidijs genius aliquis malus commouerit. Ac fuisset sanè cædes ingens consecuta, nisi iram suam Imperator sacræ supplicationis reuerentia motus remisisset.

Flauiani episc. stratagema in mitigāda Theodosij ira.

Spectrum mulieris per aērē discurrentis.

De libertate D. Ambrosij, qua apud imperatorem Theodosium in loquendo vsus est: item de cæde Thessalonicæ facta: deniq; enarratio aliquot præclarè factorum sancti Ambrosij.

CAPVT XXIIII.

Vide Nicet. lib. 12. c. 4. Theodor. li. 5. c. 17. 18.

POstquam igitur omnia illi instructa essent, quæ ad bellum necessaria erāt, Honorium iuniorem filium suum Cæsarem declarat: Arcadium enim iā antea inaugurauerat. vtroq; autem filio Constantinopoli relicto, properē cum exercitibus ex Oriente ad Occidētales imperij regiones festinabat, sequebaturq; ipsum ingens auxiliarium manus ex barbaris, Istri accolis. Fertur aūt, quòd cum egressus Constantinopoli ad septimum miliare peruenisset, Deo precès nuncuparit in ecclesia illa, quam in honorem Ioannis Baptistæ construxerat: ac petierit, vt expeditionis istius alea tum sibi, tum exercitui suo, tū Romanis omnibus feliciter caderet: & auxiliarem sibi inuocauerit ipsum Baptistā. Hæc igitur precatus, in Italiam contendit: & irruptione in Alpes facta, primas custodias occupat. Superato autem transitus cacumine, vbi ad descensum peruenisset, videt planiciem equitibus ac peditibus refertam: & non procul istinc à tergo multos ex hostibus, in vertice montis tū quiescentes. Cum igitur primi transgressi cum hostibus in campo iam pedem contulissent, ac pugna acris & anceps mota esset, adhuc autē supereſſet exercitus, considerans (quantum quidem ad humanas vires attineret) suos, quantumuis cupiant, saluari non posse, siquidē & illō irruerent, qui montis cacumen à tergo occuparant, pronus in terram prolapsus orabat, ac Deus eum confestim exaudiuit, sicut comprobauit euentus. Siquidem duces istorum qui mōtis verticem tenebant, missis quibusdā nunciarunt, se illi auxilio venturos

Honorius Cæsar declaratus.

Theodosij ad bellū profectu ri precatio.

Theodosij preces à Deo exaudiuæ.

A venturos esse, siquidem apud eum in dignitate futuri sint. Cum igitur nec chartam nec atramentum petitum reperiret, accepta tabula, quam ex astantibus quidam fortè habebat, adsignauit illis præclari ac digni exercitus præfecturam, quam apud ipsum sint consecuturi, siquidē promissa adimpleuerint. Quocirca & illi accepta hac conditione, Imperatori iunguntur. Adhuc autem neutra parte cedente sed pugna in campo etiamnum vtrinq; æqualiter feruente, ex aduerso in hostes illapsus ventus inusitatus, & qualem antea nunquam cognouimus, aciem eorum disrupit: tela verò & spicula in Romanos eiaculata, velut ex solido repercussa, in eorum corpora conuertit, qui emiserant: & scuta eorum de manibus excussa, cum puluere & illuuie aduersus ipsos volutauit. Nudati itaq; armis pleriq; eorum euestigiò trucidati sunt: pleriq; ad exiguum tempus fuga saluati, non multo pòst capti sunt. Eugenius autem ad pedes Imperatoris accurrēs, vt seruaretur supplicabat: sed interim dum supplicaret, à milite quopiam capite truncatus est. Arbogastes verò fugiens, post pugnam sibi ipse manus intulit. Fertur autem, quòd eo tempore quo pugna hæc committeretur, ex eo templo Dei quod erat in Hebdomo, in quo preces fuderat Imperator, egressus dæmon quidam, subreptus in sublime, Ioanni Baptistæ sit conuiciatus, & capitis obtruncationem exprobrarit, magnaq; voce clamarit: Túne me vincis, & exercitui meo insidiaris? Huic rei qui fortè præsentes aderāt, cum magnum esset apud omnes studium de bello vel audire aliquid, vel dicere noui, obstupefacti adnotarunt, eundem hunc fuisse diem, quo hunc euentum belli extitisse, non multo pòst ab ijs cognouerunt, qui pugnæ interfuerant. Atque hæc quidem sic esse acta dicuntur. Imperator autem sublato Eugenio, cum Mediolanum venisset, ad ecclesiam processit, vt oraret. Sed cum iam ad ostium peruenisset, occurrit ei Ambrosius eius ciuitatis episcopus: & apprehensa illius purpura, in præsentia populi, Siste gradum, inquit. homini enim ob peccata prophano, & manus innoxio sanguine commaculatas habenti, fas non est, antequam pœnitentiam egerit, vel sacrum ingredi solium, vel ad diuinorum mysteriorum communionem admitti. Imperator libertatem sacerdotis admiratus, cogitationibus conscientiā accusantibus regressus est, pœnitentia compunctus. Erat aūt peccati insimulatio huiusmodi. Botherichæ, tum temporis apud Illyrios militum præfecti, auriga, pincernam domini impudicè intuitus, de stupro interB pellarat: eaq; de causa cōprehensus, in vinculis erat. Instante aūt solenni equestri certamine, populus Thessalonicensis illum, velut ad eam concertationem necessarium, dimitti postulabat. Quod quoniam non impetrabat, in grauem seditionem efferbuit, ac tandem etiam Botericha ipsum interfecit. Qua re nunciata, Imperator prēter modum excanduit: & certum eorum numerum, qui adfuerant, interfici præcepit, ex quo ciuitas multis iniustis cędibus impleta fuit. Siquidem peregrini, qui modò vel adnauigauerāt, vel de via aduenerant, ex improuiso apprehendebantur, fiebantq; miserabiles clades, in quibus & hęc quoq;. Mercator pro filijs suis duobus captis seipsum offerens, orabat vt filijs seruatis, ipse interficeretur: & in eius facti mercedem, auri quicquid habebat, militibus pollicebatur. Illi calamitatem hominis miserati, pro vno ex filijs, quocunq; vellet, supplicationē admittunt: duos verò dimittere, tutū sibi non esse dicunt, ob id quòd numerus deficeret. Pater itaq; vtrumq; lamentabundus ac plorans intuitus, neutrius electionē facere sustinuit, sed in continua hæsitatione, donec interficerentur ambo, sustpensus mansit, æquali vtriusq; amore victus. Quinetiam frugi quendam seruum accepi pro domino suo qui ad lanienā raptabatur, alacriter tunc oppetijsse mortem. Taliū igitur, ac talibus consequentium malorum, vt consentaneum est, Ambrosius Imperatorem insimulans, ab Ecclesia arcuit, & à communione seclusit. Imperator, verò publicè coram ecclesia peccatum confessus est: ac toto tempore quod illi ad pœnitentiā prefinitum erat, vt qui lugeret, Imperiali ornatu vsus non est. Quin & legem quoq; illis irrogauit, qui imperialibus mandatis famulantur, vt in tricesimum vsq; diem supplicia differant, eorum qui ad mortem cōdemnati sunt: vt intermedio tempore imperatoris ira mitigari, & placato eius animo misericordiæ locus esse posset. Ab hoc Ambrosio & alia multa præclarè gesta sunt, officio sacerdotali digna: quæ, vt consentaneum est, indigenis solis constant. Ex præcipuis autem eius factis ego & illud quoq; cognoui. Moris erat, vt Imperatores, dum sacris interessent, in sacrario sederent, Maiestatis ergò à populi consortio separati. Ambrosius autē considerans eam consuetudinem vel ex assentatione, vel ex ordinis inscitia esse natā, Imperatori in ecclesia locum assignauit ante sacrarij cancellos, ita vt populum Imperator, Imperatorem sacerdotes ordine sedis antecederent. Hanc autem optimam constitutionem Theodosius imperator approbauit, & successores eius corroborauerunt, ac nos eam ex eo vsq; tempore conseruatam cernimus. Eiusdem viri huius & illud factum memorabile hoc libro complecti necessarium

Ventus hostib. aduersus, subitò excitatus.

Eugenij & Arbogastis interitus.

Dæmō Ioannē Baptistæ conuiciatus.

Diui Ambrosij in Theodosiū Imperatorem παῤῥησια.

Theodosij seditionem Thessalonicensium.

Botherichæ cædes.

Cædes Thessalonicæ miserabiles.

Pater pro filijs se necandū offert.

Seruus pro domino suo.

Theodosij Imp. lex de suspendenda morte damnatorum sententia

Ambrosij præclarè gesta.

Imperatori in ecclesia locus ab Ambrosio assignatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

duxi. Paganus quidam ordine illustris vir, Gratianum conuicijs prociderat, & patre in- A dignum appellauerat, eiusq; rei habito iudicio, capitis damnatus erat. Cumq; iã ad supplicium duceretur, venit in palatium Ambrosius, pro illo supplicaturus. Cæterùm cũ Gratianus, eorum instinctu qui illi dãnato insidiabantur, distineretur spectaculis venationũ (quales priuatæ delectationis, non publici cõmodi gratia, Principes exhibere cõsueuerunt) nec atrien sium quisquã illi rẽ indicaret, quasi opportunum nõ esset, recessit. Progressus autem ad illam portam, per quam feras introducebant, clanculum se habuit: ac simul cum venatoribus ingressus, non antea causam rei agere omisit, neque prius Gratiani & aulicorum eius obsecrationibus cessit, quàm salutiferum suffragium Gratiano extorsisset, quo morti destinatum liberaret. Quinetiam circa legum ecclesiasticarũ obseruantiam, & institutionem clericorum sibi commissorum, admodum sedulus erat. Ex multis itaq; eius præclaris factis, hæc à me dicta sint: vt intelligatur, quanta apud Imperatores propter Deum loquendi libertate polluerit.

Venationum spectacula cui modi.

Ambrosius legum ecclesiasticarũ studiosus & cleri.

De sancto Donato, episcopo Euoreæ, & de Theotimo Scytharum antistite.

CAPVT XXV.

HAc memoria multi, multis in locis, per orbem terrarum inter episcopos præclari extiterunt: vt Donatus Euoreæ Epiri. quem & alia multa mirabilia fecisse testantur indigenæ, & illud maximè, quòd in draconis interfectione præstitit, qui in Chamęgephyris, quas vocant, ad viam regiam, lustrum habebat, & oues & capras, & boues & equos, nec non & homines & alia rapiebat. Neq; enim ille vel gladium vel hastam ferens, vel aliud aliquod telum habens, hanc belluam adortus est: sed cum illa eum aduentantem sensisset, & caput, velut impetum factura, exeruisset, signum crucis aduersus ipsam aëri digito inscripsit, & illi in faciem expuit. Illa sputo in os accepto, statim concidit: ac mortua iacens, amplitudine non minor apparuit ijs serpentibus, qui visuntur apud Indos. Siquidem, vt ego quidem accepi, octo iugis in proximum campũ extractam indigenę combusserunt, ne putrefacta aërem inquinaret, & morbos pestilẽtes gigneret. Donato huic sepulchrũ est insigne templum, ab ipso denominatum: prope quod etiam fons est aquis vberrimis scaturiens, quem, cum antea non esset, Deus illius precibus exoratus edidit. erat enim is locus prorsus aridus. Nam cum ille aliquan- B do ex itinere huc aduenisset, fertur sodalibus eius aquæ defectu laborãtibus, effossa manibus terra orasse, & simul ad votum aquam vberem scaturiuisse, & ab eo tempore defecisse nunquam. Sed huius quidem rei testes sunt, qui Isoriam incolunt, pagum Euoreæ, in quo hæc acta sunt. Eãdem memoria Tomiensium & reliquæ Scythię ecclesiam gubernabat Theotimus Scytha, vir in philosophia enutritus: quem ob virtutem admirati Hunni Istri accolę, Barbari, Deum Romanorum appellabant. nam sanè diuinas in eo virtutes experti fuerant. Fertur enim, quòd aliquando iter per hanc Barbarorum terram facienti, eadem via obuiam facti sint, † qui ad prædationem adequitabãt. Lamentantibus igitur eius socijs, perinde vt qui iamiam essent perituri, ille descendens ab equo, orabat: quo facto Barbari, neq; ipso neq; comitibus eius, neq; equis quibus insidebant, conspectis, præterierunt. Cum autem crebris incursionibus Scythas infestarent Hunni, quamuis natura essent feri, tamen ad mansuetudinem conuertit, tum conuiuijs, tum muneribus eos liberaliter excipiens. Qua quidẽ ex re vir quidam Barbarus eum suspicatus esse opulentũ, dolo capere statuerat. parato igitur in hoc laqueo ad scutum alligato, sicut in hostes consueuerat, illi dum colloquitur, sublata dextra funẽ immissurus erat, tanquam eum ad se & ad contribules attracturus. At verò manus in ipso conatu eleuata, in aëre remansit: nec antea Barbarus ex inuisibilibus istis vinculis liberatus est, quàm alijs pro ipso intercedentibus, Theotimus Deum exorasset.

Donatus episc. & eius miracula.

Chamagephyræ.

Draco crucis signo, & sputo necatus.

Donati sepulchrum.

Pons precibus excitatus.

Theotimus Scytha eiusq; miracula.

ad prædationem.

† Videantur pag. 103. lat. 2. lin. 3.

Aiunt porrò, quòd hic in coma nutrienda perseuerarit, & philosophiæ studium vti cœperat, prosecutus, ac tenui victu vsus sit: sumendiq; nutrimenti non semper idem, sed in fame atq; siti tempus determinauerit. Philosophi enim erat, opinor, his quoque pro necessitate, & non pro otio locum dare.

De sancto Epiphanio episcopo Cypri, & particularis quædam rerum eius expositio.

CAPVT XXVI.

EAdem tempestate metropolitanæ Cypriorum ecclesiæ præerat Epiphanius: quem non solum in rebus politicis ob virtutes, sed & ob miracula illustrem Deus effecit, quæ in honorem eius tum viuentis, tũ defuncti, peragere dignatus est. Defuncto enim, quod viuenti non contigerat, ad sepulchrum eius etiam adhuc dæmones expelli, & sanationes fieri, fama est. Sed & eo tẽpore quo viueret, multa illi admirabilia tribuuntur.

Epiphanius Cypri episc. eiusq; miracula.

Vide Nicephorum lib. 12 cap. 46.

Quorum

A Quorum vnum, quod quidem nobis innotuit, illud est. Nam cum largus esset in pauperes, & eos, qui vel naufragijs vel alijs infortunijs afflicti erant, postquam iam olim suas ipsius facultates insumpserat, exigente necessitate, etiam pecunias Ecclesiæ erogabat. Fuerant hæ sanè multæ: vndique enim multi, quibus opes suas in pios vsus conuertere decretum fuerat, & viuentes illius ecclesiæ tradiderunt, & morientes reliquerunt. Considerabant enim, quòd ille, qui & rerum dispensator, & numinis diuini cultor bonus erat, munera quæ contulerant, ex ipsorum sententia distributurus esset. Aiũt igitur, quodam tempore paucis admodum reliquis pecunijs, ecclesiæ dispensatorem indignatum fuisse, & quasi nimis profusum reprehendisse: sed illum ne sic quidem abstinuisse à munificentia sua erga egenos declaranda. Erogatis igitur cunctis, accessit quidam ad domunculam, in qua dispensator habitabat, & crumenam multis nummis aureis refertam dedit. Sed cum neque qui dederat, neque qui miserat, manifestus esset: videreturq; meritò insolens, hominem quenquam in tantarum pecuniarum largitione se ipsum præbere ignotum, tum verò omnes rem diuinitus esse gestam agnouerunt. Quin, quale etiam aliud de ipso referatur, commemorare volo: quanquam & hoc ab eximio isto Gregorio, qui Neocæsariensem gubernauit ecclesiam, itidem gestum esse accipio: quod libenter credo. nam propterea diffidendum non est, id consimiliter & ab Epiphanio esse actum. Siquidem nec solus Petrus Apostolus mortuum suscitauit, sed & Ioannes Euãgelista Ephesi, & Philippi filiæ Hierapoli; & eadem à multis tum veteribus tum nostri temporis pijs viris esse gesta reperias. est autẽ huiusmodi, quod dicere volo. Duo quidam mendici Epiphanium aliquò abeuntem aucupati, hoc agebant, vt ab eo plusculum aliquid auferrent. Itaque eorum alter, cum se humi extendisset, iacebat scilicet mortuus: alter assistens plorabat, qui videlicet & socij lugeret mortem, & simul paupertatem accusaret, ob quam ne sepelire quidem illũ posset. Epiphanius iacenti requiẽ imprecatus est, & quæ ad funus necessaria forent, largitus, lachrymanti, Sepulturam, inquit, procura mi fili, & plorare desine, neq; enim resurget nunc. In hoc enim casu, id qđ est incuitabile, & prorsus fatale, generoso animo perferre oportet. Atq; hic quidem his dictis transijt. Cum autem nemo iam in conspectu esset, tum pede iacentem mouens ille, qui astabat, ac simul collaudans, quod perquam euidenter mortuum expressisset, E- B rige te ipsum, inquit, vt ex laboribus tuis hunc lætum consumamus diem. Cæterùm cũ ille consimiliter iaceret, & nihilo magis vel clamantem audiret, vel cunctis viribus obuoluentem sentiret: effuso cursu sacerdotem assecutus, imposturæ suæ certiorem facit, ac plorans & capillos vellicans obsecrat, vt socium resuscitet. Atqui Epiphanius hominem hortatus, ne id, quod actum erat, molestè ferret, ab se dimisit. Neq; enim quoduis factum Deus simpliciter resoluit: ob id, opinor, vt hominibus fidem faciat, quòd ipsum cuncta videntem & cuncta audientem decipiant ij, quicunq; erga ministros eius sese tales præbent.

In pauperes munificentia.

Eadem à diuersis gesta.

Medicus mortẽ simulata, vere mortuum.

Deũ non simpliciter quod-uis factum resoluere.

De Acacio Beroeæ episcopo: & de Zenone & Aiace viris illustribus, & ob virtutem claris. CAPVT XXVII.

Vide Nicephorum lib. 12. c. 47.

HAec ita gesta esse accepi. Ex eo autem tempore & Acacius inter episcopos clarus extitit, qui iam anteà Beroeæ in Syria episcopus fuerat. Huius & alia facta scripto digna ferri consentaneũ est, propterea quòd ad solitariam vitam à puero exercitatus, officio suo præclarè functus sit. Sed tamen illud maximum virtutis argumentum dedit, quòd omni tempore apertum habuerit episcopale habitaculum, vt & cibi & somni capiendi tempore, tum à peregrinis, tum à ciuibus suis, quibuscunq; placeret, liberè conspiceretur, id quod maximè laudo. Nam aut propterea sic vixit, quod sui fiduciam semper habuerit: aut quòd hoc exercitij genere naturæ procliuitatem ad vitia propensam refrenare cogitarit, vt dum perpetuo se deprehensum iri suspicatur, ab ijs, qui ex improuiso superuenirent, in continuis excubijs neq; ab ijs deuiaret, quæ ipsum decebant, & honestis negocijs continuò occuparetur. Eodem tempore etiam clari erant Zenon & Aiax fratres, qui philosophati quondam erant non in solitudinibus, sed in Gaza maritima, quam etiam Maiumam vocãt. Ambo autem circa doctrinam fidelissimi extiterunt, ac Deum viriliter confessi sunt, adeò vt à paganis sæpenumerò grauiter admodum & immaniter vexati sint. Fertur autem Aiax pulcherrimam duxisse vxorem, & ter modò cum ea toto tempore congressus, tres sustulisse proles. ac deinceps ob huiusmodi cõsuetudinis abstinentiam ab vxore separatus, solitariam duxisse vitam. ac duos ex filijs ad rem diuinam & cœlibatum, tertium verò ad matrimonium educasse, moderateq; & admodum præclarè Botoliam ecclesiã gubernasse. Zenon verò etiamnũ iuuenis mundo ac matrimonio contẽpto, diligentissimus extitit circa ministeriũ Dei. Aiunt eum, imò & nos quoq; vidimus,

Acacij episc. virtutes.

Cur apertum semper habitaculum episcopale habuerit.

Zenon & Aiax fratres. Maiuma.

Exemplum temperati cõtugij in Aiace.

Exemplum ieduli & probi episcopi in Zenone.

Universidad de Deusto
Biblioteca

cum Maiumanam ecclesiam gubernaret,iam senem,& natum plus minus annos cen. A tum,nunquam vel matutinos vel vespertinos hymnos neglexisse, nisi fortè morbus ipsum impediret:& cum in philosophia monastica vitā traduceret, ex lino texebat vestes vnica tela:atq; hinc tum sibi necessaria acquirebat,tum alijs suppeditabat. atq; hoc quidem opificium ille ad mortem vsq; exercere non cessauit, etiamsi propter senium reliquis eius gentis sacerdotibus esset superior,ac populo & pecunijs maximè Ecclesiæ præesset. Horum igitur ego mentionem feci, vt constaret, quales eo tempore sacerdotes extiterint. omnes enim recensere longum foret,quandoquidem plurimi ex his boni extiterunt. Siquidem Deus ipsorum vitam testimonio suo comprobauit, cum & orantes promptè exaudiuerit,& miraculis plurimis illustrauerit.

De inuentione reliquiarum Abbacuc & Michææ prophetarum: & de obitu Imperatoris Theodosij Magni. CAPVT XXVIII.

Abacuci & Michææ prophetarum reliquiæ. Sebēnus episc. Cela, Cila. Baratsatia.

AB huiusmodi viris ecclesia vbique gubernata, ad concordiam, virtutem ac zelum,populum simul & clerum adduxit. Atqui non hæc sola religionem cohonestabant: verùm etiam Abacuc,& post eum non longo interuallo Michæas,inter prophetas primi,circa hoc tempus apparuerūt. Amborum autem corpora(vt intellexi)per diuinam in somnis visionem indicata sunt Sebenno,tum temporis Eleutheropolis episcopo. Erat autem nomen eius ciuitatis Cela,quæ antea Cila vocabatur,in qua repertus fuit Abacuc: at Baratsacia locus est circiter decem stadijs ab ea ciuitate distans, in quo Michææ sepulchrum erat. quod monumentum Fidele vocabant indigenæ,ignari quid dicerēt, Nephasa meemana lingua patria appellantes. Satis igitur opportuna & hæc ad Christianæ doctrinæ celebritatem,sub hoc imperio contigerunt. Theodosius autem Imperator post victoriam de Eugenio obtentam,dum versaretur Mediolani, morbo correptus fuit. Recordatus itaque vaticinij Ioannis monachi,se moriturum suspicabatur. quare filium Honorium quàm poterat ocyssimè Constantinopoli euocauit: quem postquam præsentem conspicatus esset,melius habere sibi visus est,adeò vt & ad equestris certaminis spectaculū vnà cum illo prodiret. Cæterùm cum à prandio statim malè affectus esset, iniunxit filio,vt is spectaculum absolueret:ac sequenti nocte vita defunctus est,Obliuerio & Flauiano fratribus consulibus. B

Vide Nicet. l.12.c.48.50. Socr. lib 5. cap. 25. Sozo. lib.7. cap.28. lib 8.cap.1.

Theodosij Imperat. mors, Anno 399.

SEPTIMI LIBRI FINIS.

HERMIAE SOZOMENI SALAMINII HISTORIAE ECCLESIASTICAE LIBER OCTAVVS.

Arcadius & Honorius Imp. Anno Christi 399.

Octauus liber continet acta sub filijs Theodosij Magni Arcadio & Honorio annis tredecim, ad obitum scilicet Arcadij. Hunc igitur refer authores istos, quos supra adnotauimus ad librum Socratis 6.

De successoribus Theodosij Magni, & quomodo sublatus de medio sit præfectus eius Ruffinus: & de magnarum ciuitatum episcopis, & hæreticorum dissidijs: & Sisinnio Nouatianorum episcopo.

CAPVT I.

Theodosij successores Arcadium & Honorius Ff. Præcipuarum ecclesiarum episcopi. Hunnorum irruptio. Ruffinus præfectus, eiusq; interitus.

ADhuncigitur modum Theodosius, postquam ecclesiam plurimum auxisset,vita defunctus est,annos natus plus minus sexaginta: ex quibus sexdecim imperauit: successores imperij reliquit Arcadium filium, natu maiorem,in Oriente: Honoriū verò,in Occidente: qui quidem vtrique cum patre in religione eandem sententiam amplectebantur. Præerat autem tum temporis ecclesiæ Romanæ successor Damasi, Siricius: Constantinopolitanę verò, Nectarius: ac Theophilus Alexādrinæ,& Flauianus Antiochenæ,& Ioannes Hierosolymitanę. Hac tempestate Hunni barbari Armeniā,& nonnullas alias Orientalis imperij partes deuastarūt. Ferebatur aūt, quòd eos clanculum in imperij limina introduxisset Ruffinus prefectus Orientis,qui & aliàs affectatæ tyrannidis suspectus erat. Sed hic quidem ob huiusmodi suspicionē non multò post sublatus fuit. Nam simulatq; ex bello aduersus Eugeniū gesto reuersus esset exercitus,& Imperator(vt moris erat)illi extra vrbē Constantinopolitanam

Vide Nice. lib.13.ca.1. Vide Theodorit.lib. 5.ca.25.26. Socr. lib. 5. cap. 25. lib. 6.cap.1.

A litanam occurrisset,milites absq; mora Ruffinum interfecerunt. Ea res occasionē præbuit,qua magis etiamnum crescret ecclesia. Primùm enim ipsi Imperatores arbitrabantur,& patrem suum ob pietatem ex tyrannis reportasse victoriam:& Ruffinum demum,qui ipsorum insidiatus esset imperio,ita sine negocio esse sublatum :ac proinde, quæ à præcedentibus Imperatoribus ad ecclesiarum incrementum decreta fuerāt, propensius rata conseruabant,& alias donationes de suo adijciebant. Deinde & subditi ad hos respicientes, qui Pagani erant,ad Christianismum facilius conuertebantur: qui hæretici,ecclesiæ catholicæ accedebant. Quandoquidem Ariani & Eunomiani,quoniam inter sese ob causas prædictas dissidebant,vbiq; minuebātur. multi enim eos ex mutua inter ipsos discordia de Deo non rectè sentire iudicabant:& ad eos transibant, qui eiusdem opinionis cum Imperatoribus erant. Macedonianos aūt Constantinopolis incolas fregit,quòd eo tempore non haberent episcopum: nam ab eo tempore,quo sub Cōstantio imperatore ab Eudoxio eiusq; fautoribus ecclesijs priuati sunt,sub solis presbyteris ad sequens vsque imperium egerunt. Nouatiani verò,tametsi quosdam ex his turbaret quæstio de Paschate,quā nuper mouerat Sabbatius,maiori tamen ex parte in ecclesia sua conquieuerunt. Neq; enim ijsdem pœnis ac legibus ex æquo cum sectis reliquis obnoxij erant,vtpotè,qui Trinitatem consubstantialē assererent: & quod firmius erat,antistitum præstantia ad concordiā exuscitarentur. Nam post Agelij præsidentiā, Marciani viri boni præsidentiā consecuti sunt:& eo rursus per tempus istud recēs mortuo,in episcopatum successit Sisinnius,vir egregius vt quā maximè,& philosophicorū dogmatum ac Scripturæ sacræ iuxtà gnarus , & ad disputandum promptus: adeò vt etiam Eunomius,qui ex eo celebris erat,& huic operam dabat, sæpenumerò congredi cum illo detrectarit. Fuit autem vita cōtinens,vt calumnijs non pateret. In ratione victus erat delicatus & exquisitus,vt ij quibus erat ignotus,fidem non haberent, eum sibi posse temperare in tantis voluptatibus. Moribus erat gratiosis,ac iucundis in consuetudine,& eam ob causam Ecclesiæ catholicæ episcopis,& ijs, qui vel principatu vel eruditione conspicui erant, gratus existebat. Salibus enim ludere cum gratia,ac dicteria vicissim excipere,& vtrunq; sine offensa præstare, facetè etiam & ex tempore ad obiecta respondere admodum opportunè poterat. Proinde interrogatus aliquando, Quamobrem,cum episcopus esset,in die bis lauaretur? Quoniam,inquit,tertium non assequor, Rursus, quoniam assiduè vtebatur veste candida,ex Catholicis quispiā ipsum dicterio perstrinxerat,ad quem ille: Tu igitur,inquit,dicito, vbinam præceptum sit,atrā vestem indui oportere? eo hæsitante,subijciens: Tu quidem,inquit, istud ostendere non poteris. mihi verò Solomon ille sapientissimus præcepit,inquiens: Sint vestimenta tua semper candida. Quin & Christus ipse in Euangelijs,cū candida veste apparuisset, etiā Moysen & Heliam Apostolis in eadē ostendit. Iam & istud quoq; lepidè à Sisinnio dictū puto. Agebat Constantinopoli Leontius Ancyræ apud Galatas episcopus: qui quidem, quòd ecclesiæ Nouatianæ primatu illic deiectus esset, ad hunc supplicaturus venerat, vt eum recuperaret. Sed cum hic eum illi non redderet, ipse Nouatianis cōuiciabatur: & indignos appellabat, quibus ius ecclesiæ concederetur, vt quos pœnitentiam , & spe- ratam diuinitùs humanitatem è medio tollere diceret. Tum Sisinnius : Atqui , inquit, nemo tanta pœnitentia discruciatur, atq; ego. Interrogante ibi Leontio , Quamobrem tandem? respondit, Quòd te aspexerim. Multa etiam alia ab eo opportunè dicta commemorant,& circumferri multos aiunt eius libros haud inuenustos. Magis autem probabatur, quoties viua voce diceret , vt qui omnes actionis partes optimè tueretur , cum & voce, oculis & vultu vrbanissimo auditorem abunde mouere posset. Sed qualis hic vir extiterit, hactenus dictum sit: vt hinc intelligatur, qualem ille indolem, educationē, & professionem sortitus fuerit.

Christianissimæ incrementa, & hæresium remissio.

Nouatiani cum mitius habiti quam reliqui hæretici.

Agelius. Marcianus. Sisinnius, eiusque virtutes.

Sisinnij apophthegmata.

In Leontium scomma.

De educatione, ratione victus, consuetudine vitæ, ordinatione magni illius Ioannis Chrysostomi: & quo modo illi obstiterit Theophilus episcopus Alexandrinus. CAP. II.

Vide Nice. lib.13.ca.2. Theod.lib. 5.ca.26 27. Socr.lib.6. cap.2.3.

DVrante hoc imperio, cum defunctus esset Nectarius, essetq; congregatum concilium, quémnam in eius locum ordinare conueniret: dum alij alios eligunt, nec omnibus probatur idem, tempus extrahitur. Erat autem Antiochiæ ad Orontem presbyter, cui nomen Ioannes, genere patricius, vita integer, ad dicendum ac persuadendum potens, & inter sui temporis oratores excellens, sicut etiā Libanius Syrus sophista testatus est: qui cum moriturus esset, rogantibus amicis, quémnam sibi vellet esse successorem? Ioannem, dixisse fertur: nisi hunc sacrilegio Christiani surripuissent. Plurimis autem suis in ecclesia auditoribus ad virtutem profuit, & suam de Deo opinio-

Nectarij mors & successor Ioannes Chrysostomus.

Libanij de Ioanne Chrysostomo iuueniq; testimonium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

opinionem instillauit. Siquidem eo, quod ipse vitam planè diuinam ageret, ad suæ vir. A
tutis æmulationem auditores excitabat. Ad eandem verò sententiam secum ample-
ctendam eos insuper facilè inducebat, non quidem, quòd arte quapiam aut orationis
Oratio factis ornata fide dignior. vehementia vrgeret, sed quòd sacrorum librorum veritatem sincerè explicaret. Oratio
enim factis ornata, fide meritò videtur esse digna. His autem destituta, scurram, & suo-
rum ipsius dictorum reprehensorem, eum qui loquitur, arguit, quamuis magnâ diligẽ-
Ioan. Chrysostomi encomion tia doceat. In illo igitur erat, vt ex vtroque probaretur. Victus enim ratione sobria vte-
batur, & vitæ consuetudine exquisita, stylo orationis perspicuo, cum splendore. Nam &
natura ipsa habilis erat, & præceptores insuper in exercitijs oratorijs Libanium, in stu-
Andragathio. dijs Philosophiæ Andragathium sortitus est. Cum autem causas in foro acturus, & hoc
genus vitæ sectaturus speraretur: ille sacros scrutari libros, & ex præscripto ecclesiæ phi-
losophari statuerat. Atque huius quidem philosophiæ magistros illos habuit, qui tum
Carterius. Diodorus Tarsensis. temporis ibi celebribus lectorijs præsidebant, Carterium scilicet, ac Diodorum, istum,
qui demum Tarsensis ecclesiæ antistes fuit, quem equidem audiui propriarum com-
mentationum multos reliquisse libros: direxisse aũt ad literam sacræ Scripturæ inter-
pretationes suas, auersatum verò speculationes vniuersas. Non solus autem ad hosce
ventitabat: sed in eandem secum sententiam pertraxit ex Libanij schola sodales suos,
Theodorum quendam, & Maximum. Quorum Maximus posteà Seleuciæ apud Isau-
ros episcopus factus est, Mopsuhestiæ verò in Cilicia Theodorus: ad quem lapsum di-
uinus ille Chysostomus epistolam alteram scribit. Erat is Scripturæ sacræ, ac reliquæ
tum Oratorum tum Philosophorum disciplinæ satis peritus: & ab initio quidem cum
in sacras leges incidisset, & cum sanctis viris conuersaretur, hoc vitæ genus approbabat,
ac seculare damnabat. Sed in eodem hoc proposito non perstitit: verùm pœnitentia du
ctus, ad aliam vitæ consuetudinem pertractus fuit: &, quod est consentaneũ, contrarijs
argumentis propositum suum ornans ex veterum exemplis (erat enim variæ lectionis)
in vrbem reuersus est: conducibilius id sibi fore sua opinione statuens, quo ipse potiri
concupiscebat. Ioannes igitur, intellecto, q̃ ille negocijs mundanis iam implicaretur,
& in Matrimonio contrahendo occupatus esset, epistolam tum verbis, tum sententijs
diuiniorem, quàm vt eam mens humana capiat, ad illum conscriptam transmisit. Ille
verò vbi in eam incidisset, pœnitentia ductus fuit: ac rursus facultatibus relictis, ac nu- B
Chrysostomi singularis in oratione vis & libertas sed magnatibus ingrata. ptijs abdicatis, Ioannis consilio saluatus, & ad philosophicam vitam regressus est. Pro-
inde mihi vel hinc facilè conijci posse videtur, quòd singularis quædam suadela in Io-
annis oratione emineret. Vicit enim ipsa & eos quoq;, qui pari tum dicendi tũ persua-
dendi facultate pollebant. Hac ipsa vulgum cepit, ac maximè cum frequens esset in co-
arguendis peccatis, tam in ecclesia publicè, quàm priuatim apud eos, qui deliquissent,
perinde ac si ipse iniuria fuisset affectus, cũ summa dicendi libertate stomachans. Ea ve-
rò res multitudini meritò grata erat: molesta aũt diuitibus ac potentib. penes quos de-
lictorum pars est maxima. Cũ igitur notis ob experientiam, ignotis ob famã tum eruditionis tum virtutis, per vniuersum Romanorum imperiũ clarus esset: dignus visus est,
qui Constantinopolitanæ ecclesiæ episcopus constitueretur. Postquam itaq; in hoc po
pulus & clerus suffragium suum contulissent, etiam Imperator astipulatus fuit: & qui
Antiochia per Asterium Constantinopolin deducitur Chrysost. ordinandus. eum adducerent, emisit. Conuocauit etiam synodũ, vt ea ratione fauorabiliorẽ redde-
ret illius ordinationẽ. Non multò post igitur, Asterius præfectus Orientis, acceptis Im-
peratoris literis, indicauit Ioanni, vt ad se veniret, perinde ac si illum aliquid rogare ipse
vellet. Qui vbi venisset, confestim vnà cum eo conscenso curru Pagras adequitat, quæ
statio est ita dicta. hîc eo legatis Imperatorijs tradito, reuersus est. Videtur autem ille,
quod ad hoc negocium attinet, percõmodè transegisse, antequam Antiochienses resci
scerent, qui ad seditionem pertinaces erant, & propensi: vt Ioannem sponte sua dimis-
suri nunquam fuerint, nisi prius aliquid vel passi essent, vel ipsi patrassent. Posteaquam
Theophilus Ioannis ordinationi obstat. Isidorus. autem Constantinopolim appulisset, & vocati sacerdotes conuenissent, ordinationi e-
ius obstabat Theophilus, qui promouebat Isidorum. Erat hic ex presbyteris illi subdi-
tis vnus, idemq; peregrinorum ac pauperum præfectus Alexandriæ: à puero autem a-
pud Scetin philosophiæ maximam nauarat operam, vt ex hominib. intellexi, qui cum
ipso versati fuerant. Alij dicunt, Theophilo hunc fuisse amicum propterea, quòd &
particeps & conscius illi esset rei cuiusdam periculosæ. Aiunt eum, quòd cum bel-
lum gereretur aduersus Maximum, Theophilus datis huic muneribus, nec non & lite-
ris tum ad Imperatorem tum ad tyrannũ, Romam proficisci, & ibidem belli euentum
præstolari tusserit, vt victori cum suis literis munera daret: hunc verò in hoc facto
deprehensum, & quoniam sibi metueret, fuga dilapsum, Alexandriã fuisse reuersum.
Ex eo deniq; Theophilũ hunc virũ inter fidelissimos sibi reputasse, & hac occasione co-
gitasse

A gitasse illi in periculi suscepti retributionem Constantinopolitanæ sedis episcopatum
conficere. Verùm siue ob hanc causam, siue ob id, quòd bonum virum iudicarit, hunc *Theophilus tandem Ioannis ordinationi assentitur.*
ordinare studuerit Theophilus, ad extremum consensit tamen suffragijs pro Ioanne la-
tis: quòd planè metueret huius ordinationi studentem Eutropium, qui tum Palatij præ-
fectus erat: quem illi in os esse comminatum dicunt, vt aut cæterorum calculis suum
adijceret: aut illis sese purgaret, qui ipsum reum agere decreuerant. aderant enim tum
fortè multi, qui illum coram synodo accusaturi erant.

Quomodo Ioannes in episcopatu collocatus, rem Ecclesiasticam cordi habuerit, & ecclesias vbiq; correxerit: & quomodo Flauiano Pontificem Romanum reconciliauerit.

CAPVT III.

Vide Nicet. lib. 13. ca. 2. Theodor. lib. 5. ca. 23.

Ioan. Chrysostomus qualiter se in episcopatu gesserit.

IOannes igitur in episcopatu constitutus, primũ clericorum suorum vitã
emendare studuit: & facta in eorũ conuersationẽ, in victum & in reliquã
vitæ consuetudinẽ diligenti inquisitione, redarguebat, corrigebat, & non-
nullos etiam ab ecclesia submouebat. nam cum ad corripiendum natura
propensus esset, ac iustè eos obiurgaret, qui deliquissent, in episcopatu et-
iam non plus indulsit his affectibus: natura enim authoritate fulta, linguam ad redar-
guendum facilè mouebat, & iram aduersus delinquentes promptius incitabat: neque
verò suam duntaxat ecclesiam, sed & aliorum vniuersas ille, ceu bonus ac magnani-
mus episcopus, emendare conabatur. Quamprimùm enim ad episcopatum peruenis-
set, cum Aegyptij sacerdotes & Occidentales adhuc cum Orientalibus dissiderent pro-
pter Paulinam, & cõmunis quædam distractio ob id ipsum ecclesias per vniuersum im-
perium detineret, Theophilum orabat, vt in hoc sibi auxilium ferret, quo Flauianus in *Flauianus episcopo Rom. reconciliatus.*
gratiam Romani episcopi reduci posset. Consensu igitur vtrinq; facto, ad hoc negociũ
eliguntur Acacius Beroensis episcopus, & Isidorus ille, cuius nomine Theophilus or-
dinationi Ioannis obstiterat. Hi profecti Romam, ac legatione pro votis functi, in Ae-
gyptum abnauigabant, & hinc porrò in Syriam peruenit Acacius, Flauiano literas pa-
cificas ab Aegyptijs & Occidentalibus sacerdotibus adferens. Cæterùm ecclesiæ quanq̃
hac dissensione ad hunc modum liberatæ essent, pristinam tamen concordiã inter sese *Eustachiani.*
B nunquam recuperarunt. Antiochiæ verò eorum multitudo, qui Eustachiani dicebantur, ad tempus aliquod inter sese etiam sine episcopo conueniebat. etenim cum exiguũ
tempus superuixisset, defunctus est, vt cognouimus, Euagrius Paulini successor. Hinc e-
nim, vt opinor, extiterunt episcopis delectus faciles, cum nemo sese his opponeret. Po-
pulus igitur, prout vulgus consuecuit, paulatim & identidem his accessit, qui sub Flauia-
no conueniebant, atque ita maxima eius pars vnita fuit.

De Gaina barbaro Gothorum duce, eiusque flagitijs.

CAPVT IIII.

Vide Nicet. lib. 12. c. 5. 6. Socr. lib. 6. cap. 6. Theod. lib. 5. ca. 32 33.

Gainæ Goth. ducis in Rom. Imp. irruptio.

HOc autem Gainas, homo barbarus, ad Romanos trãsfuga, ex gregario mi-
lite præter expectationem ad dignitatem ducum subuectus, sibi vendicare
conabatur imperium Romanum. Hoc autem dum molitur, gentiles su-
os Gothos ex proprijs ãgris in Romanos euocat, & amicos suos secũ præ-
fectos exercituum & chiliarchas constituit. Tumultuante itaque Tirbin-
gilo, qui illum sanguinis vinculo contingens, numeroso militum exercitui præerat in
Phrygia, non latuit quidem cordatos illum hæc machinari: sed tamen quia se indigna-
ri sedulò simulabat, cum ibi euerterentur vrbes, commissum ipsi fuit vt his suppetias
ferret. Vt autem in Phrygiam peruenit, adducta secum barbarorum copia, perinde ac
si ad bellum venisset, animum suum, quem anteà celauerat re ipsa prodidit: ac ciuita-
tes quas defendere iussus erat, alias depopulatur, alias mox videbatur inuasurus. In Bi-
thyniam hinc progressus, ad Chalcedonis fines castrametatus, & bellum comminatus *Legatio ad Gainam de pace.*
est. Rebus igitur in discrimen adductis, maximè ciuitatum earum, quæ per Asiam atq;
Orientem erant, quæq; inter has ipsas & ad Euxinum pontum incolebantur, impera-
tor cum his, qui secum erant considerãs, non esse tutũ imperatos in certamen descen-
dere cum huiusmodi hominibus, quibus erat iam sua deplorata vita, missis literis nun
ciauit, vt peteret quicquid vellet: se enim esse paratum in omnibus gratificari. Ille ve-
rò Saturninum & Aurelianum, viros consulares, quòd eos refragari sibi arbitrare-
tur, postulauit. acceptis autem pepercit: & Imperatorem conuenit in templo quo-
dam ante Chalcedonem, in quo Euphemiæ martyris sepulchrum est: vbi dato & *Pax Gainæ cum Imperatore inita.*
accepto beneuolentiæ iureiurando, arma deposuit, & Constantinopolim traie-
cit, impetrata ab imperatore tum peditum, tum equitum præfectura. At verò præter
meritam

Universidad de Deusto
Biblioteca

meritam dignitatem sibi res euenire tam secundas nequaquã moderatè tulit: sed quo- A niam prima temeritas illi ex animi sententia cesserat, etiam catholicam Ecclesiam turbare conatus est. erat enim ille Christianus quidem, sed ex Barbarorum hæresi, qui Arium sectantur. Persuasus igitur ab eius sectæ antistitibus, aut suo potius studio motus, petijt ab Imperatore, vt suę sectæ homines, ex his, quæ in vrbe erant, vnam ecclesiam haberent. Neque enim æquum, & alioqui absurdum esse querebatur, se, quum dux esset Romanorum, extra mœnia adoratum proficisci. His cognitis, Ioannes non diu acquieuit: sed adiunctis sibi episcopis his, qui in vrbe erant, venit in Palatium, & Imperatore aures præbente, ipsoque Gaina præsente, prolixè disseruit, ac patriam huic & fugam exprobrauit: & quòd Imperatoris patri tum seruatus iureiurando promiserit, se beneuolentiam erga Romanos perpetuò ratam, erga ipsum denique, erga ipsius filios, erga leges esse conseruaturum, quas tamen irritas iam facere conaretur, simulque cum hæc diceret, legem ostendebat quam Theodosius sanciuerat, cum sectarios omnes arceret, ne intra mœnia conuentus agerent. Deinde conuersa ad Imperatorem oratione, eum hortabatur, vt latam aduersus cæteras hæreses legem ratam conseruaret. simulq; consulebat, satius esse imperio cedere, quam prodere domum Dei, & à religione deficere. Atq; is quidem ad hunc modum viriliter vsus loquendi libertate, nihil innouari passus est in ecclesijs sibi concreditis. Gainas igitur iã infringere iusiurandum, & ciuitatẽ euertere cogitabat. Quo tempore & cometa has insidias portendebat, qui supra ciuitatem maximus apparuit, ad ipsam vsque terram fermè pertingens, & qualis antèa nun quam fuisse dicitur. Tentarat autem primum argentariorum tabernas inuadere, quod se hinc pecuniarum aceruos conuasaturum esse speraret. Rumore sparso, quòd ista decreuissent, & argentarijs proinde præsentes maxime opes abscondentibus, neque pecuniam in mensis vt solebant publicè amplius proponentibus, noctu turba Barbarorum immissa præceperat succendi palatium. Illi autẽ perculsi, re infecta reuersi sunt. Nam cum propè accessissent, videre sibi visi sunt multitudinem armatorum vastis corporibus formidabilium. Suspicati ergo nouitium esse exercitum, nunciarunt Gainæ. Ille verò (sciebat enim nihilo plures solitis milites in vrbe degere) dictis fidem adhibere nolebat. Cæterùm cũ & in sequenti quoque nocte missi alij, idẽ annunciassent, quod priores illi: ipse progressus, oculatus testis fuit admirandi spectaculi. Ratus igitur sua gratia B conuenisse ex alijs vrbibus milites, ac noctu custodire vrbem atque palatium, interdiu verò latitare, simulat se dęmonio vexari, & quasi oraturus ecclesiam occupat eam, quã in honorem Ioannis Baptistæ Imperatoris pater in Hebdomo construxerat. Ex barbaris autem alij in ciuitate manseruut, alij vnà cum Gaina egressi sunt. Clanculum verò arma ac telorum pharetras fœmineis vehiculis impositas secum eduxerunt. At cum deprehensi essent, portarum vigiles interficiunt, quòd hi armorum exportationẽ prohibere conarentur. Qua ex re ciuitas motu ac tumultu repleta fuit, haud secus ac si iam iam capienda esset. Sed præsentibus malis remedio fuit consilium sanum. Imperator enim nihil cunctatus, Gainam declarabat hostem, & relictos in vrbe barbaros interfici præcepit. Hos itaque milites adorti, plerosque occidunt: appellatam verò Gothorum ecclesiam incendunt. Hîc enim velut in templo consueto congregati erant, quibus amplius effugere non dabatur, occlusis foribus. His intellectis, Gainas per Thraciam profectus, in Cherronesum venit, & Hellespontum traijcere conatur. Cogitabat enim, quòd si transmarinam Asiæ partem occupasset, facilè vniuersas Orientalis imperij gentes in potestatem suam redacturus esset. Sed & hæc illi præter spem euenerunt, Romanis etiam hîc auxilio diuino vtentibus. Præstò enim exercitus erat terra mariq; ab Imperatore missus, cui præfectus erat Phlaubitas, vir natione quidem Barbarus, sed & vita integer, & rei bellicæ habilis. Barbari ergo cum naues non haberent, iunctis ignorum compagibus, per Hellespontum in oppositam continentem traijcere conantur. Subitò autem vehementer Zephyrus exortus, compages istas vi disrupit, & contra eas ipsas Romanorum naues impulit. Itaque ex Barbaris plurimi vnà cum equis ipsis submersi, reliqui à militibus interfecti sunt. Gainas tum quidem cum paucis saluatus fuit: sed non multò post, dum per Thraciam oberrat ac fugit, in alium exercitum incidit, & vnà cum barbaris suis sublatus est. Atq; hic quidem audaciæ pariter ac vitæ illius finis. Phlaubitas ex ea pugna clarus factus, hyparchus constituitur.

Tum porrò hoc ipso & Vincentio consulibus, Imperatori nascitur filius, qui auum nomine referebat, qui sequentis consulatus initio Cæsar appellatur.

Gainas Arianus intra Constantinop. petit ecclesiam.

Chrysostomi sum Gaina expostulatio.

Theodosij lex contra sectarios

Imperio cedere satius quã à Deo & religione deficere.

Cometa.

Gainas Constantinopolis interitum molitus, spectro obiecto abstertetur.

Se dęmonio vexari fingit.

Gothorum ecclesia incensa.

Gainæ fuga.

Phlaubitas.

Barbarorum clades.

Gainæ interitus.

A *Quomodo Ioannes Chrysostomus doctrina sua vulgus attraxerit: ac de mulier e hæreseos Macedonianæ, cuius panis est in lapidem conuersus.*

CAPVT V.

Vide Nicet. lib. 3. c. 7. 8.

IOannes autem vt Constantinopolitanam ecclesiam optimè gubernabat: ita multos ex Paganis, multos ex hæreticis alliciebat. Confluebat ad illum quotidie multitudo, tum eorum quos vtilitas doctrinæ, tum eorum quos tentandi illius cupiditas ducebat: quos quidem vniuersos ille captiuos tenuit, & vt sibi in religione consentirent, persuasit. Tanta verò frequẽtia eorum erat qui concionibus illius inhiabant, ac satiari non poterant, vt, quoniam illi ex mutuo impulsu atq; obtritu periculi tarẽtur, dum singuli prorsum nituntur semper, vt propius astantes dicentẽ certius audiant, ipse medium se omnib. exponens è suggestu lectorum docuerit. Opportunè autem mihi relaturus in hanc historiam videor miraculum istud, quod illius memoria factũ est. Vir quidam sectator hæreseos Macedonianæ, eiusdẽ sectæ vxorem habebat. Hic cũ Ioannem de syncera erga Deum religione disserentẽ fortè audiuisset, doctrinã amplexus, & vxorẽ quoq; vt sibi consentiret, hortatus est, & quoniã illa notarum mulierum solita consuetudine captiua teneretur, vt maritus, quamuis admouisset sępe, nihil tamẽ proficeret, Nisi, inquit, in religione mihi consors fueris, ne in vitę quidem cõmunione post hac eris. Ibi mulier data fide, se id factura, cum ancilla quadam, quam fidã arbitrabatur, de hac re cõmunicat: eamq; sibi ad fraudẽ marito faciendam, sociam adiungit. Itaq; tempore communionis (intelligunt autem, qui Christo sunt initiati, quid dicam) illa, quod acceperat, continens, velut oratura procumbit: famula interim astans, furtim porrigit id quod manibus aduenies ferebat: quod quidem simul atq; dentibus admotum esset, in lapidem induruit. Tum mulier timore consternata, ne quid sibi grauius eueniret ob tantum miraculum in se diuinitùs editum, cum festinatione ad episcopum accurrit, se ipsam indicat, ac lapidem ostendit: qui manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam, & inusitatum quendam colorem referebat. Cumq; profusis lachrymis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit. Si cui autem hæc verisimilia non videntur esse, testis est ipse lapis, qui etiamnum hodie inter Constantinopo- B litanæ vrbis cimelia conseruatur.

Ioannis Chrysostomi in docendo gratia & successus.

Macedonianæ mulieris simulatio miraculo prodita.

Panis in lapidem versus.

De his quæ Ioannes Chrysostomus per Asiam & Phrygiam egerit: de Heraclide Ephesi & Gerontio Nicomediæ episcopis. CAP. VI.

Vide Nicet. lib. 13. ca. 9. Theodorit lib. 5. ca. 29. 30. 31. Socr. lib. 6. cap. 1.

IOannes porrò certior factus, ecclesias in Asia circumquaq; ab indignis gubernari, & alios donis ac largitionibus, alios gratia motos vendere sacerdotia, venit Ephesum: & nonnullis in Lycia, nonnullis in Phrygia, nonnullis in ipsa Asia, in vniuersum autem tredecim episcopis exauthoratis, alios in locum surrogauit. Ephesinæ ecclesiæ (nam huius episcopus tum fortè mortuus erat) Heraclidem præfecit, hominem natione Cyprium, monachorum suorum apud Scetin diaconum, Euagrij monachi discipulum. Quinimo & Gerontium Nicomedienſi ecclesia expulit. hic enim cum sub Ambrosio Mediolanensi episcopo diaconus esset, haud scio qua re motus, vtrúmne præstigias molitus, an verò dæmonis instigationibus ac spectris agitatus, noctu indicabat se Onoscelidem (est hoc dæmonum genus, asininis cruribus apparens) appręhensum, capite raso in pistrinum conieciſſe. Qua de causa Ambrosius eum vt indigna ministro Dei locutum, præscripto tempore manere domi, & pœnitentia expiari iusserat. Ille verò cum & medicus præstantissimus, & ad dicendum persuadendumq; promptissimus, & ad amicos conciliãdos accommodatissimus esset, Constantinopolim profectus est, eo proposito, vt Ambrosium criminaretur. Vbi intra tempus exiguum, ex his qui in aula potentes erant, sibi nonnullos amicos facit, ac nõ multo pòst Nicomediẽsis ecclesiæ episcopatũ consequitur; ordinabat verò eum Helladius Cæsareę Cappadocum episcopus, gratitudinis ergò, quòd ille filio suo splendidè exercitus administrationẽ in Palatio, intercessor cõfecerat. His igitur cognitis, Ambrosius ad Nectariũ Constantinopolis episcopum scribit, vt Gerontium sacerdotio priuaret, nec se & ecclesiasticum ordinem contumelia affectum negligeret. Cæterùm Nectario, quamuis id magno studio egerit, perficere tamen fuit impossibile: propterea quòd Nicomedienses passim ac vulgò illi fortiter obstiterint. Ioannes igitur illo exauthorato, Pansophium ordinauit, qui vxoris Imperatoris pædagogus fuerit: qui quidem tametsi pius, moribusq; compositis ac placidis esset, acceptus tamen Nicomedienſibus non fuit. Ac proinde mota sæpenumero seditione, non modò beneficia tũ publicè tum priuatim per Gerontium in ipsos collata, verùm etiam ex arte medica inexhaustã vtilitatem, & erga omnes, tã pauperes

Ioannis Chrysost. per Asiã & Phrygiam res gestæ.

Gerontius pulsus.

Onoscelis.

Gerontius Cæsareæ Cappadocum præfectus.

Pansophius Nicomediensib. præfectus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quàm diuites ex æquo declaratam fynceritatem, atque ſedulitatem eius recẽſebant. His A
& alias virtutes accumulabãt, quas eos æquum erat, qui illum diligebant, & haud ſecus
atque terræmotum aut ſiccitatem, aut aliud aliquod diuinitùs exhibitum oſtentum de-
precaturi, per plateas tum patriæ ſuæ, tum vrbis Conſtantinopolitanæ circumeuntes
cantillabant, ac Deo ſupplicabant, vt illum retinerent epiſcopum. Ad extremum au-
tem vi compulſi, illum dimiſerunt cum luctu ac lamentatione, & hunc cum metu & o-
dio receperunt. Ex hinc ergo tum illi qui exauthorati erant, tum illorum amici Ioan-
nem accuſabant, quòd is rerum nouandarum primus author extitiſſet in eccleſijs, & or-
dinationum conſuetudinem præter leges patrias inuertiſſet: & præ inuidia, etiam illa
quę ab illo ſecundum vulgi etiam opinionem memoria poſteritatis digna acta fuerant,
calumniabantur: quemadmodum videlicet & illud ipſi vitio vertebant, quod in Eu-
tropio contigerat.

Toan. Chryſoſtomi accuſatio.

De Eutropio eunucho primario, de lege quam tulit, & quomodo ex templo retractus, & occiſus ſit: & de obmurmuratione hinc aduerſus Ioannem Chryſoſtomum facta.

CAPVT VII.

HIc enim, vt inter Imperatoris eunuchos præcipuus erat: ita & primus etiam VideNice. lib. 11. ca. 4. Socr. lib. 6. cap. 5.
& ſolus ex his quos quidem nos vel cognouimus vel audiuimus, ad eam di-
gnitatem euectus fuit, vt & conſulatum adipiſceretur, & Imperatori patris
loco reputaretur. ſed quia neq; præſenti potentiæ impendentia, neq; con-
tingentes humanarum rerũ viciſſitudines conſiderabat, eos extrahere tem-
plis aggrediebatur, qui propter ipſum in his ad Deum confugæ ſupplices hærebant: in
primis verò Pentadiam Timagij coniugem, quem quidem potentem ac ſtrenuum du-
cem ille tyrannidis affectatæ condemnatum, perpetuò apud Oaſin Aegypti exilio mul-
tarat. ſed ille quidem, ſiue quòd ſiti defecerit, ſicut à quodam accepi: ſiue quòd veritus
ſit, ne quid ſibi grauius accideret, arenis illic inuolutus repertus eſt mortuus. Eutropij
verò cura ſancitur lex, præcipiens ne quis omnino ad eccleſiam confugeret, & vt expel-
lerentur etiam illi, qui ad eam iam confugerant. Non multo pòſt autem ipſe, quaſi Im-
peratoris coniugem contumeliosè tractaſſet, ex inſidijs impetitus primus ipſe legem ſu-
am præuaricatus eſt, & ex palatio profugus ad eccleſiam ſupplex accurrit. Quo quidem B
tempore ſplendidam ſanè orationem aduerſus illum, ſub menſa ſacra iacentem, Ioan-
nes habuit: tum vt potentum ſupercilia retunderet: tum vt populo declararet, quòd
humanarum rerum nihil in eodem ſtatu durare ſoleat. Hoc igitur factum, qui illi ſuc-
cenſebant, calumniabantur: quòd eum, qui de vita periclitabatur, cum conſolari debu-
iſſet, obiurgarit, calamitatibus eius inſultans. Cæterùm Eutropius impiæ audaciæ ſuæ
pœnas dedit, cum capite truncatus ſit. Et lex quæ lata fuerat, ex publicis commentarijs
prorſus eſt eraſa. Eccleſia porrò laudabiliter proficiebat, vtpote cum Deus ipſe iniqui-
tatis in illam intentatæ vindex in tempore fuerit. Itaq; & cultu diuino augebatur, mul-
toque promptius ob hanc cauſam populus Conſtantinopolitanus matutinis ac veſper-
tinis hymnis vtebatur.

Eutropij arrogantia.

Pentadia. Timagius.

Eutropij lex, ab ipſo autore primum violata.

Chryſoſtomi in Eutropium oratio. Eutropij interitus.

Quomodo Ioannes Chryſoſtomus, ad æmulationem Arianorum reſponſorias cantiones inſtituerit, & eius doctrinares catholicorum ſuccreuerit: item quomodo ſibi diuites infenſos habuerit. CAP. VIII.

ETenim cum Ariani, Theodoſio imperante vrbanis eccleſijs Conſtantino- Vide Nice. lib. 13 ca 8. Socr. lib. 6. cap. 8.
poli priuati, ante mœnia conuentus agerent, noctu primùm in publicis
porticibus congregabantur: & in cœtus diſtributi, alternatim & ad reſpõ-
ſoriorum modum canebant, & corollaria adijciebant in ſectæ ſuæ gratiã
compoſita. Sub auroram verò hæc publicè modulantes, in eum locum
abibant, in quo conuenire ſolebãt. Atq; hoc quidem faciebant tum in feſtis ſolennibus,
tum in prima & vltima cuiuſq; ſeptimanæ die. Ad extremum deniq;, & litigioſas quoq;
cantiones adijciebant, Vbi ſunt (inquientes) illi, qui tria numina vnam dicunt eſſe po-
teſtatem? & alia his conſimilia ſuis hymnis immiſcentes. Ioannes igitur veritus, ne qui
fortè ex ſua eccleſia pellicerentur, populum ſuum ad conſimilem canendi modũ exuſ-
citauit: & hi breui tempore illuſtriores facti, aduerſę hęreſis ſectatores cùm frequentia,
tũ apparatu ſuperabant. Siquidẽ crucis argentea ſigna, facibus accenſis eos præcedebãt:
& eunuchus coniugis Imperatoris in hoc præfectus erat, vt & ſumptus his rebus neceſ-
ſarios, & hymnos procuraret. Hinc itaque ſiue inuidia moti, ſiue vindictæ cupidi A-
riani, catholicos pugna adorti ſunt, & vtrinque nonnulli interficiuntur. Ac Briſon-
etiam (hoc enim nomen erat eunucho Imperatorio) in frontem lapide percutitur:
Imperator

Arianorum conuentus & ritus, & contumelioſæ cantilenæ.

Arianorum cum catholicis pugna.

A Imperator ira percitus, huiuſmodi Arianorum cõuentus abrogauit. Catholici verò ex
huiuſmodi cauſa ad prædictum modum canere exorſi, in hunc vſq; diem ita perſeuera-
runt. Ioannes ergo ex his & ex concionibus eccleſiaſticis apud populum ſui amorẽ ad-
augebat: apud potentes verò & clericos, ex libertate linguę qua aduerſus eos vtebatur,
augebat odium. Hos enim quoties delinquentes cerneret, corripiebat: illos opibus, im-
pietate, & voluptatibus inhoneſtis deprauatos, ad virtutem reducebat.

Ioannis Chryſoſt. odium apud diuites & clerum.

De Serapione archidiacono, & ſancta Olympiade: & quomodo Ioannem Chryſoſtomum nonnulli conuicijs proſciderint, ac moroſum & iracundum appellarint.

CAPVT IX.

VideNice. lib. 13. c. 24. Socratem lib. 6. ca. 4.

IN imicitias autem clericorum aduerſus ipſum auxit Sarapion, quem ſibi ar- *Serapion archidiaconum.*
chidiaconum conſtituerat, homo Aegyptius, propenſus ad iram, ad con-
tumeliam pronus: non minimè autem, admonitio eius ad Olympiadem
facta. Hanc enim, cum genere eſſet nobiliſſima, quamuis iuuenculam, ex
quo vidua facta erat, quia ex præſcripto eccleſiæ egregiè philoſopharetur,
in miniſtram Nectarius ordinarat. animaduertens igitur Ioannes, eam patrimonium *Olympias Nectarij miniſtra, à Ioanne increpata.*
ſuum perentibus profundere, & cæteris contemptis tantummodo curare diuina, Lau-
do (inquit) propoſitum tuum. Sed bonum diſpenſatorem rerum ſuarum oportet eſſe
eum, qui coram Deo ſummam virtutem conſequi ſtudet. Tu verò, dum opulentis opes
accumulas, haud aliter facis, ac ſi in mare profunderes tua. An ignoras, quòd ob amorẽ
Dei ſponte tua profunderes tua? facultates tuas egentib. deuouiſti: quodq; ijs diſpenſa-
trix oppoſita ſis, qui pecunijs inhiant dominationis tuæ, & rationibus reddendis adſtri-
cta tenearis? Si ergo mihi obtẽperes, pro neceſſitate petentium in populo moderaberis
largitionẽ tuam: hoc enim pacto pluribus gratificaberis, & miſericordiã ac promptiſ-
ſimam beneuolentiam corã Deo conſequẽris. Fertur aũt illi & cum monachis pleriſq; *Ioannis cum monachis ſimultas.*
nonnulla ſimultas, & maximè cum Iſaacio. Etenim eos, qui in monaſterijs ſuis mode-
ſtè conquieſcerent, atq; ita philoſopharentur, magnificè laudabat: vtq; à nemine lædẽ-
rentur, haberentq; neceſſaria, ſolicitè procurabat. At ſi quando foras egrederentur, ac
per vrbẽ conſpicerentur, tũ eos quaſi philoſophiam ſuã dedecore afficerent, conuicijs
B proſcindebat, & ad ſua repellebat. Ex huiuſmodi igitur cauſis tũ clerici tũ monachi mul-
ti ab eo ſunt abalienati, ac moroſum & iracundum & ſęuum & arrogantẽ appellarunt:
quin & vitam eius apud populum traducere occœperunt: eoq; argumento ſe vera dice-
re illi perſuadere, quòd is neq; ad menſam ſuam quenquam vocaret, neq; ad conuiuiũ
vocatus quôquam iret. Cuius quidem facti ego cauſam aliã reddere non poſſum, quàm *Ioan. Chryſoſtomi frugalitas, & à conuiuijs abſtinentia.*
eam, quam ſciſcitanti mihi vir quidam minimè (vt opinor) mendax expediuit: videli-
cet, quòd ob aſſiduum ſtudium ex capite & ventriculi orificio plerumq; laboraret, ac
proinde ab huiuſmodi conuiuiorum ſocietatibus abhorreret. Sed iſti interim hinc
maximas aduerſus ipſum calumnias ſtruebant.

De Seueriano Gabalenſi, & Antiocho Ptolemaidis: & quæ inter Seucrianum ac Serapionem acta fuerint: & quomodo per Imperatricem res inter eos compoſita fuerit.

CAPVT X.

VideNice. lib. 13. ca. 9. Socr. lib. 6. cap. 4. 10.

SVborta autem illi quædam odij cauſa fuit etiam apud coniugem Impera- *Seueriani & Antiochi cum Ioanne diſſenſio. Chryſoſtomi appellatio.*
toris ob Seuerianum Gabalorum Syriæ epiſcopum. Etenim & hinc ipſe,
& Antiochus epiſcopus Ptolemaidis (ea ciuitas eſt Phœnicię) eâdẽ memo-
ria clari, & ad docendum in Eccleſia idonei extiterunt. Sed hic expeditè &
perquàm clarè dicebat, ſic vt à nonnullis Chryſoſtomos, hoc eſt, aurei o-
ris homo nominaretur. Seuerianus verò, tametſi ſententijs & Scripturarũ teſtimonijs
præſtantior habitus, aſperitatem tamen Syrorum lingua repræſentabat. Antiochus igi-
tur cum prior Conſtantinopolim veniſſet, dicendo laudem conſecutus eſt: ac pecunijs
collectis, ad ciuitatem ſuam redijt. Ad huius imitationem & Seuerianus poſtea veniẽs,
& beneuolum fortè Ioannem nactus, cum frequenter in eccleſia concionaretur, in ad-
miratione & honore erat, & authoritate pollebat, ipſiq; Imperatori atq; Imperatrici in-
notuit. Itaque cum Ioannes in Aſiam proficiſceretur, eccleſiam illi commendauit: il-
lum enim qui palpum ſibi obtruſiſſet, amicum ſyncerum eſſe arbitrabatur. Ille igitur
impenſius auditoribus gratificari, & populum verbis demulcere ſtudebat: quo cognito,
Ioannes ſuſpectum habuit, Serapione (vt aiunt) eum huc inſtigante. Poſtquam enim ex *Serapionis & Seuerianiſmultas.*
Aſia reuerſus eſſet, fortefortunà præteribat alicubi Seuerianus: cui tamen, quãuis con-
ſpecto, Serapion non aſſurrexit, data id declarans ijs qui præſentes aderant, ie hominem
contẽnere. Ille verò ob eã rem indignatus, exclamauit: Si Serapiõ Chriſtianus moritur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christus non est factus homo. ob hoc dictum à Serapione accusatus, per Ioannem vrbe A quasi contumeliosus & in Deũ blasphemus eijcitur. Nam testes in hanc rem subornati erant, qui quidem cum Serapionis amici essent, integrum dictum reticentes, id solum dixisse illum testati sunt, quòd Christus homo factus non esset. Imperatoris verò coniunx, simulatq; hæc facta essent, ex fautorib. Seueriani resciuit, ac statim ipsum ex Chalcedone reuocauit: Ioannes autem quamuis multis obsecrantibus illius consuetudinem auersatus est, donec Imperatrix in templo Apostolorum ipsius genibus impositò Theodosio filio, obsecrando, ac sæpius obtestando vix tandem amicitiam inter illum ac Seuerianum resarciuit. Atque hæc quidem ita comperi.

De quæstione in Aegypto mota, an Deus humana forma præditus sit: ac de Theophilo Alexandrino episcopo: & de libris Origenis. CAP. XI.

Deus an humana forma præditus. Anthropomorphitæ. Theophili Alexandrini hæresis.

INterea temporis haud multo antea exorsa quæstio per Aegyptũ mouebatur, oporteátne Deũ ἀνθρωπόμορφον, hoc est humana forma præditũ credere? Huius autem sententię plurimi erant ex monachis istic commorantibus, qui præ simplicitate, sine examine Scripturam sacram accipiebant, & in ea Dei oculos & faciem & manus, & quæcunq; alia huiusmodi audire consueuerant. Illi verò qui reconditum in verbis sensum considerabant, diuersum sentiebant: eosq; qui talia dicerent, aduersus Deum simpliciter blasphemos asserebant. Ac Theophilus etiam in ecclesia hanc sentẽtiam amplectendam esse docebat: & in epistola quam ex consuetudine de festo Paschali scripsit, & incorporeum cogitari oportere Deum admonuit, & humanæ formæ exortem. Quod quidem vbi Aegyptiorum monachis innotuisset, Alexandriam sese cõferunt, & in vnum cõgregati seditionem mouent, & Theophilum ceu impium de medio tollere cogitant. Cæterùm ille cuestigiò etiamnum tumultuantibus apparens, Perinde, inquit, vos aspexi, ac faciem Dei. Hoc dicto homines abunde compescuit, adeò vt etiam iram ponerent. Itaq; inquiunt, Si sic reuerà sentis, etiam libros Origenis damnato, cum illi suos lectores in istam sententiam inducant. Atqui mihi, inquit ille, iampridem illa sententia stetit, ac faciam vt videtur vobis. nam & ipse non minus quàm vos, illis succenseo, qui Origenis opinionem sectantur. Atque ille quidem fraterculos istos ita mitigatos dimisit, ac seditionem soluit. B

Vide Nicer. lib. 13. c. 10. Socratem lib. 6. ca. 7.

Origenis scripta damnata.

De quatuor fratribus monachis, cognomine Longis: quibus Theophilus ex amico hostis est factus. CAPVT XII.

Longi fratres.

POrtassis autem tunc temporis omnino sublata fuisset ista quæstio, nisi consopitam iam ob inimicitiam priuatam suscitasset ipse Theophilus, insidiatus Ammonio & Dioscoro & Eusebio & Euthymio, qui cognominabantur Longi: quos quidem cum fratres essent, celebres euasisse inter eos qui apud Scetin philosophabantur, ex præcedentibus cognouimus. Atque hi quidem inter omnes Aegypti monachos illi charissimi erant, quos & congerrones plerunque sibi & familiares adiungebat, ac Dioscorum etiam Hermopoleos episcopum constituit. In odium autem horum venit ex inimicitia aduersus Isidorum suscepta, quem defuncto Nectario in Constantinopolis episcopatum sufficere studuerat. Sunt enim qui dicant, mulierem quampiam ex Manichæorum secta ad ecclesiam catholicam fuisse conuersam. Theophilus autem quasi hanc inconsideratè mysterijs communicare passus esset, antequam priorem sectã abnegasset, presbyterum accusabat. At Petrus (hoc enim illi nomen erat) & ex Ecclesiæ præscripto, & ex mandato Theophili se mulierculam in communionem admisisse asseuerabat: eiusq; rei testem aiebat esse Isidorum. Atque is quidem, vti tunc temporis Romam fortè missus erat: ita domum reuersus Petrum vera dixisse testatus est. Theophilus igitur indignatus, quasi calumnijs circumuentus esset, vtrumq; ecclesia expulit. Atque hæc quidem nonnulli sic referunt. Cæterùm ego ex viro fide digno, qui cũ hisce monachis conuersatus fuerat, duplicem cognoui causam extitisse Theophilo inimicitiæ aduersus Isidorum susceptæ: alteram cõmunem illi cum presbytero Petro, quòd hi ipsum à sorore sua hęredem fuisse scriptum testari detrectassent: priuatam alteram, quòd ille Theophilo tanquam in ecclesiarum structuram capere volenti insumendas non concessisset pecunias eas, quæ sibi vt pauperum dispensatori multæ adferebantur: sed præstabilius esse diceret, ægrotorum corpora, quæ verius templa Dei cogitare possumus, & ob quę pecuniæ ipsæ quærebantur, conuenienti cura restruendis studendum creare, quàm parietes ædificare. Verùm siue ob hanc, siue ob aliam causam à Theophilo excommunicatus Isidorus, Scetin venit ad monachos ibi commorantes, velut ad sodales. Assumptis igitur quibusdam secum, Ammonius ad Theophilum profectus orabat,

Vide Nicer. lib. 13. ca. 11. Socratem lib. 6. ca. 9.

Theophili cũ Longis fratrib. familitas, item cum Isidoro.

Ægrotorum corporibus curandis potius, quàm templis construendis studendum.

A orabat, vt Isidorum in communionem reciperet. Atq; ille tum quidem se id facturum promptè pollicitus esse dicitur: sed elapso aliquo tẽpore, cum nihilo plus ipsis succederet, ac manifestum iam esset quòd Theophilus ipsos falleret, maiori quodam cum apparatu reuersi, postularunt vt promissa præstaret. Ibi ille ex monachis vnum publicæ custodiæ tradidit, vt reliquis metum incuteret: sed ea spe frustratus est. Siquidem Ammonius, eiusq; socij, quia custodiæ præfecto ad suppeditanda captiuis necessaria aduenire videbantur, facilè intromissi sunt: ingressi autem, rursus exire non voluerunt. Qua re intellecta, Theophilus iudicat, se istos homines ad se vocare. Verùm illi primùm, vt ipse eos educturus veniret, postularunt. neq; enim æquum esse, eos qui contumelia publicè affecti essent, clanculum è custodia emitti. Sed concedentes tandem ad illum venerunt: quos ille tum deprecatos, quasi non vlterius offensurus dimittebat: secum interim frendens ac stomachans rationẽ meditabatur, qua illos posset lædere. Cumq; sollicitus esset, quidnam his facere posset mali, qui possessiones nullas haberẽt, qui omnia præter sapientiam contemnerent: decreuit eorum tranquillitatem perturbare. Itaq; cũ ex ijs, quę præsentes cum ipso disputarant, eos his infensos esse sciret, qui Deum humana forma præditum esse docent, quoniam Origenis erant sectatores: ipse quanquam aliter sentiret, cum vulgo monachorum conspirauit. Ex hinc igitur mira quędam contentio inter monachos inualuit. neq; enim disputationibus ad formam compositis, se se in mutuam sententiam inducere dignati sunt: sed ad conuicia semet conuerterunt. Atq; illi eos qui Deum incorporeum esse statuebant, Origenistas appellabant: hi verò Anthropomorphianos eos, qui contrarium sentiebant.

Isidorus à Theophilo excõmunicatus.

Origenistæ. Anthropomorphitæ.

Quomodo hi monachi Ioanni se adiunxerint: indeq; Theophilus insidiatus fuerit ipsi Ioanni. CAPVT XIII.

Vide Nice. lib. 13. ca. 11. Socratem lib. 6. ca. 9.

AMmonius autem ac Dioscorus intellectis insidijs Hierosolymam secesserunt, & inde Scythopolim venerunt, quòd eam habitationem sic commodam esse ducerent ob frequentiam palmarum, quarum folijs vtebantur ad consueta monachorum opera. Sectabantur enim ipsos viri plus minus octuaginta. Interea temporis Theophilus quosdam Constãtinopolim emiB sit, tum vt iam antea in tempore calumnias quasdam sererent aduersus illos: tum vt obsisterent, si qua in re illi Imperatoris opem implorarent. Ea re cognita, Ammonius Constantinopolim traiecit, & cum eo Isidorus: qui communi studio id agebant, vt coram Imperatore iudice & Ioanne episcopo detegerentur insidiæ, quæ ipsis erant intentatæ. arbitrabantur enim, illũ legitimæ libertatis in loquendo studiosum, sibi opem legitimè posse ferre. Ille verò istos viros, postquam venissent, comiter excepit, & in honore habuit, & in ecclesia preces fundere non prohibuit: ad mysteriorũ verò communionem admittendos non censuit, quòd id ante causam cognitã fieri fas nõ esset. Scripsit aũt Theophilo, vt communionis ius illis redderet, quoniã de Deo rectè sentirent, aut si in iudicio putaret examinandã eorum causam, mitteret quem actorẽ vellet. At verò ille his nihil rescripsit: multo igitur iã elapso tempore, progredientem Imperatoris coniugẽ ij qui cum Ammonio erant, accedũt, & de his conqueruntur quę à Theophilo aduersum se tentata erant. Illa eos insidijs circumuentos iam antea senserat, ideoq; honore exhibito subtitit: & ex Imperiali curru prominens, capite annuit, ac, Bene precemini, inquit, & orate pro Imperatore ac me, & liberis nostris, & imperio: mihi curę erit, vt synodus breui conuocetur, & Theophilus huc veniat. Atq; illa quidẽ hæc curauit. Cæterùm cum falsus rumor apud Alexandriã inualuisset, quòd Ioannes Dioscorum cum socijs ad communionem admisisset, ijsq; in omnibus adesse studeret: Theophilus meditabatur, si qua ratione Ioannem ipsum episcopatu deijcere posset.

Longi fratres Constãtinopolim ad Chrysostomum confugiunt.

Qualiter ab eo excepti.

Imperatricis qualis animus erga Longos fratres.

Theophilus Ioanni insidiatus.

De peruersitate Theophili: & de sancto Epiphanio, quomodo is Constantinopolim appulerit: & populum aduersus Ioannem concitauerit. CAP. XIIII.

Vide Nicer. li. 13. c. 12. 13. Socr. lib. 6. cap. 9. 11. 12. 13. 14.

HAec dum animo continet ac versat, oppidatim ad episcopos scribit, ac libros Origenis reprehendit. Considerãs autem plurimum sibi profuturum, si studij sui socium nactus esset Epiphanium Salaminis in Cypro episcopum, virum ea ætate ob integritatẽ vitæ clarissimum, sibi amicum reddidit. hunc enim cum antea reprehendisset, quòd Deum humana forma præditum censeret: iam velut ex pœnitentia rectam sententiam doctus, se cum illo consentire scripsit: & aduersus libros Origenis, qui huiusmodi dogmatum author extitisset, calumniam instituit. Epiphanius igitur iã olim auersatus Origenis scripta, libenter assentitur epistolæ Theophili: & conuocato Cypriorum episcoporum cõcilio, lectionem librorum Origenis damnat: & præscripto

Epiphanius aduersarius Ioanni excitatus à Theophilo.

eorum ipsorum decreto, tum alijs, tum Constantinopolitano episcopo suadet, vt synodum conuocent, & eadem decernant. Animaduertens igitur Theophilus se absque periculo Epiphanium posse sectari, qui laudaretur à multis, & ob vitæ præstantiam (vt cunq; de religione sentiret) approbaretur, ipse quoq; vnà cũ episcopis sibi subditis consimilia decreuit. Ioannes verò studium quod his rebus impenderetur, concilio dignũ non esse censebat: atq, Epiphanij Theophilíq; literas susq; deq; ferebat. At verò potentes & clerici qui illi infensi erant, cum intellexissent Theophilum in hoc esse, vt Ioannem exauthoraret, studiosè suam operam contulerunt: & vt frequentissima synodus Constantinopolim conuocaretur, procurarunt. Hoc intellecto, Theophilus magis etiamnum vrget, & episcopos Aegyptios nauigio traijcere iubet: atq; Epiphanio reliquisq; per Orientem episcopis scribit, vt properè conueniant, ipse pedes iter conficit. Ac primus non multo pòst Epiphanius ex Cypro traijciens, in locum Constantinopoli vicinum appulit, quem hebdomon appellant: & precibus in ecclesia ibi fusis, porrò in ciuitatem venit. Ioannes ingredientem totius cleri processione veneratus est. Cæterùm Epiphanius manifestè præ se tulit, quòd calumnijs aduersus illum structis consensisset. Nam cum inuitaretur vt in domibus ecclesiasticis diuersaretur, non acquieuit. Et quia consortiũ habere cum Ioanne fugeret, conuocatis priuatim episcopis ijs qui Constantinopoli morabantur, ostendebat ea quę aduersus libros Origenis decreta erãt: ac nõnullos induxit, vt his ipsis suum suffragium quoq; adijcerent, quod tamen plurimi facere detrectabãt. Quin Theotimus Scythiæ episcopus, Epiphanium in os perstrinxit. Aiebat enim, Nequaquam esse fas, eum qui iampridem esset mortuus, afficere contumelia: neq; extra blasphemiam esse, maiorum censuram calumniari, & quæ ab illis decreta sint, reprobare. Hæc vbi dixisset, librum quendam Origenis in medium profert, ac recitat: & recitata ecclesijs vtilia esse demonstrans, Ineptum quiddam (inquit) his accidit, qui ista vituperant. periculum enim est, ne & ea ipsa damnent, de quibus hi libri cõscripti sunt. Porrò Ioannes etiamnum venerabatur Epiphanium: eumq; rogabat, vt & vna ecclesia & vna domo secum vteretur. Sed ille neque eadem domo vsurum se, neque vnà precaturum esse cum illo, renunciabat, nisi damnaret libros Origenis, & Dioscorum vnà cum sociis expelleret. Verùm cum ille id ante causam in iudicio cognitam facere iustum non esse diceret, ac proinde differret, quoniam in templo Apostolorum communio celebranda instabat: Epiphanium subornant inimici Ioannis, vt is prodiret, ac publicè coram populo libros Origenis damnaret, & vnà Dioscorum eiusque socios, vt qui eandem cum Origene opinionem fouerent: & interim episcopum quoque ciuitatis taxaret, qui hisce faueret. Atq; hi quidem id studebant. putabant enim, se eum hac ratione in odium populi coniecturos. Itaq; postridie in hoc egressus Epiphanius, iam propè ad ecclesiam peruenerat, cum obuiam illi veniens Serapion ab Ioanne missus (perceperat enim ea quæ pridie fuerant constituta) protestabatur eum neq; æquum facere, neq; quod ipsi expediret, cum quidem & ipse in periculum venturus sit, si fortè tumultus aliquis in populo aut seditio moueatur, cuius author ipse exstiterit. Atque ea quidem oratione ille ab impetu isto auersus fuit.

Potentes & clerici Ioanni infensi.

Epiphanius magnificè à Ioãne excepitus.

Epiphanius à Theotimo in os perstrictus.

Epiphanij cũ Ioanne simultas.

Origenis libri publicè ab Epiphanio damnati.

De filiolo Imperatricis, & de sancto Epiphanio: & quomodo Longi in colloquium cum Epiphanio venerint, & quomodo ipse rursus in Cyprum abnauigauerit: ac de Epiphanio & Ioanne amplius. CAPVT XV.

INterea tẽporis accidit, vt morbo corriperetur filiolus Imperatoris. Mater ergo sollicita, ne quid illi grauius accideret, misso nuncio Epiphanium rogabat, vt pro eo oraret. Ille pollicetur ægrotum esse victurum, si quidẽ illa Dioscorum eiusq; socios hæreticos auersaretur. Imperatrix verò, Atqui, inquit, meum filium si Deo repetere placuerit, ita fiat: Dominus enim idẽ qui dedit, rursus aufert. Tu verò si mortuos excitare posses, mortuus vtiq; nõ esset archidiaconus rus. erat enim nõ multo antea mortuus Crispion quem fratrẽ existentem Phisconis Salamini monachorum, quorum sub Valenti mentionẽ fecimus, cum familiarẽ haberet, archidiaconũ constituerat. Iam verò Ammonius eiusq; socij ad Epiphanium veniunt (ita enim ipsi Imperatrici visum fuit) & scisciranti ei quinam essent, respondens Ammonius: Longi, inquit, sumus, ô pater: ac nũ quando vel in discipulos vel in libros nostros incideris, libens equidem cognoscerem. Illo negante, iterum rogauit: Vnde ergo hæreticos eos esse censuisti, qui illorum sententiæ probationem nullam habes? Et cum se id ex auditu habere, ille respondisset: Atqui nos, inquit, planè diuersum fecimus. nam & in discipulos tuos frequenter incidimus, & in libros, ex quibus is est qui

Vide Nicet. lib. 13. ca. 38. Socratem lib. 6. ca. 30. Vide Sozo. lib. 6. ca. 32. & annot. nostras pag. 111. lin. 1. lin. 30.

Imperatricis in Epiphanium scomma. Crispion archidiaconus.

Ammonij in Epiphanium increpatio.

A ex anchora titulum præfert: & cùm multi te conuicijs proscindere, ac velut hæreticum calumniari vellent, nos vt patrem æquum erat, defendimus, & responso tutati sumus. Quocirca nec tu indicta causa ex solo auditu damnare debebas, quæ certò ipse non cognoueras, neque huiusmodi vicem rependere illis, qui de te loquuntur benè. Epiphanius itaq; deinceps moderatius locutus, viros istos à se dimisit, ac non multò post abnauigauit in Cyprum, siue quòd eum Constantinopolitanæ profectionis pœnitentia cepisset, siue quòd eum oraculo admonuisset Deus, ac mortẽ ipsi (vt consentaneum est) prænunciasset. Siquidem inter nauigandum, priusquam in Cyprum peruenisset, est mortuus. Cum autem nauem iam conscensurus esset, episcopis illum ad mare comitantibus, dixisse fertur: Ego vobis relinquo vrbem & palatium & actionem: ipse autem decedo. festino enim, & quidem admodum festino. Atque equidem ex multis cognoui, adhuc durare rumorem, quòd Ioannes Epiphanio mortem in mari futuram prædixerit, & ille vicissim huic episcopatus amissionem. nam quo tempore inter sese litigarent, ille Ioanni protestatus est, Spero te non moriturum episcopum: & Ioannes illi vicissim protestatus est, Et ego spero nec te quidem ingressurum esse ciuitatem tuam.

Epiphanij mors.

De simultate inter Ioannem & Imperatricem, & quo modo venerit ex Ægypto Theophilus: & de Cyrino, Chalcedonis episcopo. CAPVT XVI.

Vide Nicet. lib. 13. c. 14. Socr. lib. 6. cap. 14.

POstquam Epiphanius ita abnauigasset, Ioannes in Concione mulieres cõmuni oratione perstrinxit. eam populus ita accepit, ac si sub inuolucris aduersus Imperatoris coniugem directa esset. Itaq; hostes episcopi eam orationem exceptam ad Imperatricem detulerunt. Illa de cõtumelia apud maritum cõquesta, id vrgebat, vt Theophilus quàm ocyssimè aduenire, & synodum congregaret. ad hanc rem & studium suum, & operam etiam Seuerianus Gabalensis commodabat: nondum oblitus prioris offensæ. Vtrum autem Ioannes casu aliquo in istam orationem prouectus fuerit, an verò quòd (vt quidam dicunt) suspicaretur Imperatricem induxisse Epiphanium, vt sibi insidiaretur, certò expedire nõ possum. Non multò post autem Theophilus Chalcedonem aduenit, & vnà alij multarum ciuitatum episcopi, partim per Theophilum exuscitati, partim Imperatoris edicto vocati: studiosè autem conueniebant, quotquot ab Ioanne per Asiam suis episcopatibus exuti fuerant, & quotquot alioqui alia de causa illi infensi erant. Iam verò naues ex Aegypto, quas Theophilus expectabat, Chalcedonem appulerant. Cum igitur hîc rursus essent congregati, atque id studerent, vt quàm maximè sibi ex animi sententia succederet suum istud aduersus Ioannem inceptum: Cyrinus, qui tum Chalcedonẽsi ecclesiæ præsidebat, & propter cognationem Theophilo fortè gratificabatur (erat enim Aegyptius) quanquam & alioqui Ioanni infestus, plurimis conuicijs eum onerabat. Sed illum velox istius cõtumeliæ vindicta corripuisse visa est. siquidem Maruthas, qui ex Mesopotamia cum episcopis illis aderat, imprudens alterum pedem illi calcando protriuit, ex quo cum doloribus differretur, non vlterius iam cum reliquis sacerdotibus Constantinopolim traiecit, quanquam ad insidias Ioanni struendas perquam necessarius esse videretur. Tandem verò, cum malè sæpius à medicis tractatus esset, crus illi serra abscissum est. coincidens enim putrefactio totum corpus depascebatur, ita vt & alter pes idem pateretur ex contagione mali: itaq; ille non multò post in doloribus finiuit vitam.

Ioannis oratio in mulieres in calumniam apud Imperatricem rapta.

Concilium cõtra Ioannem coactum.

Cyrini in Ioannem contumelia paulò post vindicata.

De synodo per Theophilum collecta, & de accusatione Ioannis Chrysostomi in Ruffinianis facta: & quomodo Ioannes, quia vocatus non comparuisset, vt contumax à Theophilo depositus sit. CAP. XVII.

Vide Nicet. lib. 13. c. 15. Socr. lib. 6. cap. 14.

THeophilo autem, cum Constantinopolim traiecisset, nemo ex eius vrbis clericis obuiam processit. Erat enim iam deprehensus episcopi hostis. Nauta verò Alexandrini, qui tum Constantinopoli degebant, tum etiam ex alijs nauibus, & maximè frumentarijs, collecti in vnum sunt, & alacriter illũ cum laudibus exceperunt. Præterita igitur ecclesia ille in domum Imperatoriam venit, in qua ipsi diuersorium præparatum erat. Et cum multos esse animaduerteret, qui Ioannem odissent, & accusare parati essent: reliquis prius dispositis prout cõmodum sibi fore videbatur, ad Quercum profectus est. est id suburbium Chalcedonis, quod à Ruffino consulari iam cognomen habet, in quo & regia est, & ampla ecclesia, quam ipse Ruffinus in honorem Apostolorum Petri ac Pauli extruxit, & Apostoleum ex ipsis appellauit. Monachos etiã in vicino collocauit, qui clerum ecclesiæ supplerẽt. Hoc loco Theophilus vnà cum cęteris episcopis conueniens, de libris Origenis nullam

Theophilus à nautis tantùm non exceptus.

Quercus suburbium.

Apostoleum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quidem mentionem fecit: sed Scetenses istos monachos ad pœnitentiam inuitauit, A pollicitus se neque iniuriæ acceptæ fore memorem, neque mali quicquam esse factu-
Monachi Scetenses pœnitẽtes in gratiã recepti. rum. Cum igitur suis clamoribus illos vrgerent fautores Theophili, vt veniam peterẽt: & interim simularẽt synodum pro ipsis supplicare: monachi perturbati, atq; hoc planè fieri oportere rati, multis episcopis præsidentibus, illud scilicet, quod ipsis dicere solenne est, Etiamsi iniuriam fecerimus, ignosce inquiunt. Theophilo igitur illos promptè in gratiam simul & in cõmunionem recipiente, soluta est cognitio, quæ aduersus Scetenses istos instituta fuerat: quod opinor non ita successisset, si vnà cum reliquis monachis Dioscorus & Ammonius adfuissent. Nam Dioscorus iam anteà mortuus, in templo Mocij martyris est sepultus. Ammonius autem modò cum synodus cõuocaretur, corpore languere cœpit: & postquam ad Quercum traiecisset, morbo grauius correptus fuit, ac non multò post finiuit vitam, & apud vicinos monachos, vbi etiã iacet, splendida sepulturam sortitus fuit. Theophilus tandem vbi id intellexisset, illachrymasse
Ammonius mortuus Theophilo deplora tus. fertur, ac dixisse, Quòd inter vniuersos monachos suos talis non esset, qualis fuisset Ammonius, etiamsi ipsi turbarum extitisset autor. processerat interim illi & hoc ex sententia. Synodus porrò vniuersus Constantinopolis clericos conuocauit, depositionem illis minitata, qui non obtemperassent. Vocauit & Ioannem quoque, vt sese defenderet.
Synodus vniuersos clericos vocat & ipsũ quoq; Ioannẽ Iussit autem, vt cum eo adesset Serapion & Tygrius presbyter, & Paulus lector. Ioannes igitur & alios quosdam clericos familiares suos, & Demetrium Pisinuntis episcopum ad illos mittẽs, ait se non detrectare iudicium: quin paratum esse, si prius tamen accusatores cognouerit, & obiectum crimen expenderit, coram ampliori synodo sui defensionem suscipere. Neq; enim se tam stultum fore, vt iudices ferat eos, qui essent manifesti hostes. Indignantibus igitur Ioanni, tanquam non obedienti synodo, episcopis: illorum, qui hæc nunciarant, nonnulli metu territi, non sunt reuersi amplius. Demetrius verò, & quotquot Ioannis familiaritatem præferebant, ad illum sunt regressi. Eodem autem die notarius ex aula festinabundus aduenies, Ioannem vrsit, vt ad episcopos exiret: illos autem, vt in ferenda sententia non cunctarentur. Cum igitur quater vocatus, ad œcumenicam synodum prouocasset: illi nihil aliud causati, quàm quod vocatus non obtemperasset, eum deposuerunt. B

Iudices non fe rendi ij, qui aperti sunt hostes.

Ioannes quia vocatus ad cõcilium non cõparuit, depositus.

Quomodo populus aduersus Theophilum, eiusque synodum tumultuatus fuerit: & Imperatoribus maledixerit, & Ioannes proinde reuocatus, episcopalem sedem recuperarit.

CAPVT XVIII.

Seditio Constãtinopoli propter depositũ Ioannem.

VIdeNice. lib. 13. c. 16. Socr. lib. 6. cap. 14.

VIgus autem vbi hæc ad seram vesperam Constantinopoli resciuisset, ad seditionẽ insurrexit: & concursu manè ad ecclesiam facto, clamitarunt tũ alia multa, tum quòd maior synodus de illo cognoscere deberet. Et cum hi, quibus id ab Imperatore fuerat iniunctum, cum in exilium adducere properarent, nequaquam concesserunt. Cæterùm ille veritus, ne quod sibi crimen aliud confictum impingeretur, vel quasi aduersus Imperatorem fuisset contumax, vel quasi populum concitasset: tertio post depositionem die, plebe iam dispersa, circa meridiem furtim relinquit ecclesiam. Iam verò abducto eo, grauem seditionẽ populus concitabat, atq; Imperatorem ac synodum, & præcipuè Theophilum & Seue-
Seuerianus cõtra Ioannem, concionatus, eius depositionem laudat. rianum conuicijs incessebat. ambo enim insidiarum antesignani erant. At verò Seuerianus cum in ecclesia doceret, Ioannis depositionem collaudabat, vtpote in hominẽ arrogantem factam, si ob nullum aliud crimen. Nam cætera, inquit, peccata remittit hominib. Deus, sed superbis resistit. His auditis, maiori odio aduersus Seuerianũ plebs inflammata fuit, iramq; renouauit, & sine intermissione grassata est: & neq; in templis neq; in foris quiescere potuit, verùm cum luctu ac lamẽtatione ad ipsa vsq; palatia prorumpens, pro Ioãnis reuocatione supplicabat. Imperatrix igitur populi precibus victa, marito persuadet, vt annuat: & misso confestim Brissone fideli eunucho suo, ex Prene-
Brisso eunuchus ad Ioannem missus. to Bithyniæ Ioannem reduxit, declarans simul se & earum insidiarum esse insontem, quæ in eum essent intentatæ: & venerari ipsum vt sacerdotem, ac filiorũ suorũ in religione gubernatorẽ. Ille itaq; reuersus, in suburbio imperatricis in portu morabatur:
Ioãnes ab exilio reuocatus, recipere sedẽ suam à populo cogitur. & donec maioris synodi iudicio declaratum esset, ipsum iniustè ab episcopatu esse depositum, vrbem ingredi vlterius detrectauit. Sed cum rursus stomacharetur populus, & Imperatoribus conuiciaretur, coactus introijt. Tum verò populus cantilenis pro renata cõpositis obuiã procedens, cum & ardentes tedas plurimi ferrent, ducunt ipsum ad ecclesiam: & quanquã reluctantem, ac sæpenumerò asseuerantẽ, oportere prius eos calculum suũ reuocare, qui contra ipsum tulerant, vti moris est sacerdotibus: cõpulerunt illum & populo benedictionẽ impertiri, & in episcopali sede considere. Coactus itaque

A itaque extemporalem quandam orationem habuit: & ex venustissima similitudine argumento sumpto, subindicauit Theophilum occepisse contumeliam facere ecclesiæ sibi commissæ, vt & regem Aegyptium vxori Abrahami patriarchæ, quemadmodum referunt libri Hebræorum. Cumq; populum, vti par erat, ob propensum animum, Imperatores ob beneuolentiam erga se, collaudasset, in multos applausus ac benedictiones Imperatoris eiusq; coniugis vulgum excitauit, adeò vt semiplenam orationem abrumpere cogeretur.
Ioannis concio extemporalis.

De peruersitate Theophili: deq; dissidio inter Ægyptios & Constantinopolitanos: de fuga Theophili: de Nilammone monacho, & synodo pro Ioanne Chrysostomo collecta.

CAPVT XIX.

VideNice. lib. 13. c. 17. Socr. lib. 6. cap. 15.

THeophilus interim perplexus ac sollicitus, quod remedium rebus præsentibus adferret, sibi non confidit: quamuis in hoc propensus, vt publicè Ioannem traduceret, quod præter legem sacerdotio post depositionem fungeretur. Nam cum ille iam apud Imperatores eum calumniaturus esset, ipsi metu seditionis popularis etiam reluctantem recedere compulerunt. Heraclidæ ergo accusatoribus iudicium proposuit etiam contra absentem, ratus se hinc probabiliorem fortè causam inuenturum exauthorandi Ioannis. Sed contradicentib. eius amicis, & neq; iustum, neq; ecclesiasticum esse dicentibus, hominem absentem iudicare: contraq; Theophili sectatoribus asseuerantibus: suam deinceps eam litem faciens tum Alexandrinorum & Aegyptiorum multitudo, tum populus Constantinopolitanus, ad mutuã pugnam concitatus fuit, adeò vt multi vulnerarentur, nonnulli interficerentur. Quamobrẽ tum Seuerianus, tum reliqui episcopi, præter eos, qui pro Ioanne stabant, correpti metu, Constantinopolim facta fuga relinquunt. Ac Theophilus etiam statim nihil cunctatus, quanquã iam hyems ingrueret, fugiens vnà cum Isaacio monacho Alexandriã abnauigauit. Sed cũ tempestas maris vrgeret, appulit Geras: quæ ciuitas est pusilla, plus minus quinquaginta stadijs à Pelusio distans. Huius vrbis episcopo tum vita defuncto, ciues, vt accepi, elegerant ecclesiæ suæ antistitem Nilammonem, virum bonum, & qui ad monasticæ vitę fastigium conscendisset: is habitabat ante ciui-
Seditio alia propter Ioannem orta.

Theophili fuga.

Gera.

Nilammon Gerarũ episcopus electus, priusquam munus
B tatem in domuncula, in quam se ipse concluserat, ianua lapidibus obturata, eo proposito vt sacerdotium auersaretur. Theophilus itaq; veniens hortabatur, vt ordinationẽ à se oblatam acciperet: apud quem ille quamuis frequenter se excusans nihil obtinuit, tandem instanti, Cras (inquit) ita facias ô pater, si placet, vt ego hodie res meas anteà disponam. At cum Theophilus postridie ex condicto venisset, atq; eum fores aperire iussisset, Age verò, inquit Nilammon, oremus primum. Quo laudato, Theophilus quidem orauit, sed Nilammon inter orandum hanc vitam reliquit. Hoc autem & Theophilo primũ & ijs etiã, qui vnà cum illo foris stabant, ignotum erat: verùm cum paulatim tereretur dies, quia sæpenumerò intentius euocantes non audiret, deiectis, qui ad ianuã erant, lapidibus, reperiunt hominem mortuum. Inuolutum igitur quibus oportebat, publica sepultura dignati sunt: ac templum etiam supra illius sepulchrum indigenæ construxerunt, & summa cum solennitate adhuc diem mortis eius celebrant. Ac Nilammon quidem ad hunc modum mortuus est: si tamen mortem dicere oportet, q̃ ille subire maluit, quam episcopatum suscipere, quo se indignum esse ob ingenij modestiam censuit. Porrò Ioannes Constantinopolim reuersus, magis etiamnum gratus populo apparuit. Et cum eo tempore Constantinopolim conuenissent circiter sexaginta episcopi, decretum per eos est, vt & irrita haberentur ea, quæ ad quercum acta fuerant, & vt Ioannes episcopatum retineret. Itaq; ille in officio sacerdotali perseuerauit, & sacerdotes ordinauit: ac cætera, vt in ecclesijs antistites oportet, administrauit, quando & Serapionem Heracleæ in Thracia episcopum constituit.
iussa, iubeat, moriatur inter orandum.

Ioannis Constantinopolim reditus.

Ad Quercum decreta abolita.

Serapion Heracleæ episcopus.

De statua Imperatricis, & ijs, quæ huius nomine facta sunt: de doctrina Ioannis: de Synodo aduersus eum rursus congregata, eiusque depositione.

CAPVT XX.

VideNice. lib. 13. c. 18. Socr. lib. 6. cap. 16.

NOn multo autem post, cum argenteum simulachrum Imperatricis columnę purpureæ impositum dedicaretur (quod quidem adhuc supereſt ad meridionalem templi plagam, ante domum magni Senatus ingẽti pede subnixum) & applausus ob id, ac publica saltatorum & histrionum spectacula ibi ederentur, sicut tunc moris erat in regiarum imaginum dedicatione: Ioannes ea, quasi ad Ecclesiæ contumeliam fierent, in concione ad populũ habita reprehendit. Quocirca Imperatrix, cũ recens adhuc esset memoria superioris offensę, quasi cõtumeliã passa, rursus ira intumuit, ac synodũ rursus
Regiarũ imaginum solennis dedicatio.

conuo-

Universidad de Deusto
Biblioteca

conuocari studet. Ille nihil cessit, sed etiamnum manifestius eam pro cõcione perstrin- A
gens, ad iram inflammauit. Quo tempore celebrem illam orationem habuit, ad hunc
Ioannis in Imperatricem cõtu. modum exorsus, Rursus Herodias insanit, rursus saltat, rursus Ioannis caput in lancem
accipere gestit. Haud multò post igitur cùm alij episcopi, tũ verò & Leontius Ancyræ,
& Acacius Beroeæ appulerunt. Cum autem Christi dies natalitius illuxisset, Imperator,
vt consueuerat, in ecclesiam non venit: sed Ioanni indicauit, se non communicaturũ
esse cum ipso, antequam de obiectis criminibus purgatus, insons appareat. Sed quoniã
is diceret, se libenter sese defensurum: accusatores eius metu territi, accusationem pro-
sequi ausi non fuerunt. Iudicibus autem visum est, ne opus quidem esse, cum qui semel
quomodocunque depositus esset, secundò iudicio sisti. Ideoque ex reliquis nihil excus-
serunt, sed ad illud Ioannem tantummodo respondere voluerunt, Cur ipse, cum de-
Ioannes rursum depositus. positus esset, anteq; synodus permitteret, iterũ in episcopali sede consedisset. & cum ille
suffragia eorum episcoporum protulisset, qui post priorem synodum secum commu-
nicassent, qui plures extitissent, quàm qui ipsum deposuerant: ac proinde Canon eccle-
Arianorum Canon. siasticus depositionem prohibeat: illi hanc defensionem non recipiunt, sed eum de-
ponunt, obijcientes istam sectariorum esse legem. Siquidem Ariani, postquam calum-
nijs circumuentum Athanasium Alexandrina ecclesia eiecerũt, metu vicissitudinis re-
rum, Canonem istum condiderunt: id agentes, vt ea, quæ aduersus illum fucrãt machi-
nati, manerent indiscussa.

Quæ mala vulgò propter Ioannis eiectionem euenerint: & de insidijs per sicarios illi structis.

CAPVT XXI.

Quadragesima & resurrectionis festi annuum. IOannes ergo depositus, ecclesiastico munere non amplius fungitur, sed in *Vide Nice. l.13. c.20.21 Socr. lib.6. cap.16.*
episcopali diuersorio quiescit. Iam autem finita quadragesima, in ipsa sa-
cra nocte, qua anniuersarium festum celebratur ad memoriam resurre-
ctionis Dominicæ, qui Ioannis fautores erant, ecclesia extruduntur, inua-
dentibus eos interim dum mysterijs adhuc occupantur, militibus, atq; il-
Seditio rursũ propter Ioannem. lius nomine quæ quidem res cum ex improuiso accideret, ingens tumultus oriebatur
circa Baptisterium, mulieribus eiulantibus ac turbatis, pueris plorantibus, sacerdotib.
verò ac ministris vapulantibus: & in ornatu, vt erant, per vim raptis. Cætera enim, quæ B
in tanta confusione fuisse facta consentaneum est, qui Christo dederunt nomen, haud
ignorant: ego aũt necessariò tacebo, ne quis fortè profanus in hanc historiam incidat.
Reliqua igitur multitudo vbi insidias istas cõperisset, postridiè relicta ecclesia, in publi-
cum Balneum, admodum amplum, Imperatoris Constantij nomine insigne, congre-
gata, Pascha celebrauit, sub episcopis & presbyteris & reliquis alijs, quibus ecclesiam gu-
bernare fas est, qui tum (vt Ioannis fautores) populo aderant. Cæterùm & hinc rursus
expulsi, conuenerunt ante vrbem in quendam locum, quem Constantinus Imperator,
nondum ciuitatem auspicatus, in equestris certaminis spectaculum adornarat, asseri-
bus conuallatum. Deinceps verò interdum hîc, interdum alibi, prout concedebatur,
Iohannitæ. priuatim congregabantur, ac Ioannitæ vocabantur. Eadem tempestate vir quidam dæ-
Sicarius Ioan. ni. insidiatus, ab eodem à supplicio liberatur. monijs agitatus, seu agitari creditus, gladiolum habens, & velut ad cædem Ioannis in-
structus, sed facinus nondum aggressus, deprehenditur: & à multitudine, tanquam pre-
cio ad insidias faciendas conductus esset, captus, ad Hyparchum abducitur. Quem ta-
men Ioannes, missis aliquot episcopis secum versantibus, liberauit, antequam suppli-
Elpidij presbyteri seruus flagrarius. cio afficeretur. Posteà verò & Elpidij presbyteri (qui quidem diaconi manifestus hostis *Diaconi, sed rectius* erat) seruus in episcopales ædes effuso cursu irrupit. eum agnitum quidã ex his, qui for- *fortasse ele-*
tè aderant, è cursu remoratus est, & causam cursus inquisiuit. Ille verò nihil respondẽs, *gas Episco-*
confestim cultello hominem pungit: & post eum etiam alterum, qui ad huius cædem *pi, ipsius*
exclamauerat: quin & præter hos, etiam tertium vulnerat. Tumultuãtibus igitur cum *icilicet Io-*
clamore his, qui aderant, conuersus aufugit: & cum hi, qui eum persequebantur, eos, *annis. Vi-*
qui procul erant, adhortarentur, vt fugientem comprehenderent, ex balneo quidam *de annot.*
accurrens, ex quo recens lotus progrediebatur, illum apprehendit: ac lethaliter ab illo *nostras.*
Græcas.
Sæuij supplicium. percussus, mortuus extenditur. Tandem verò cum à multitudine vndique cinctus, ac
vix demum comprehensus esset, abducunt eum ad palatium, & ibi tum hostium Ioan-
nis insidias, tum ipsum hunc homicidam, tum & huius facinoris instinctо-
res contestati, supplicio afficiendos esse vociferantur. Itaque
Hyparchus, vt iram populi mitigaret, illum tan-
quam supplicio affecturus
accepit.

Quomodo

A *Quomodo Ioannes Chrysostomus iniustè sua sede expulsus, & ob eam rem tumultus excitatus fuerit: & de ecclesiæ incendio, & de Ioannis apud Cucusum exilio.*

CAP. XXII.

Vide Nice. l.13. c.21.26 Socrat. lib. 6. cap. 19. EX eo tempore Ioannem porrò custodierunt, qui in populo feruentiores e- *Studium Constantinopolitanorum in Ioannem.*
rant, noctu iuxtà atque interdiu vicissim domum episcopalem circumsidẽ-
tes. Episcopi verò, qui aduersus illum cõuenerant, ecclesiasticarum legum
confusionem fieri conquesti, ad seipsos recipere aiebant, quòd iustissima es-
set, latam aduersus ipsum sententiam: atque illum vrbe excedere iubebant,
Ioannes denuò vrbe excedere iussus. alioqui enim nec populum quidem conquieturum. Cum itaq; & ab Imperatore mis-
sus insuper quidam, minis adiectis id faciendum præciperet, clam populi custodibus e-
gressus est: id conquestus tantùm, quod præter leges ac per vim ejiceretur: quem ne iu-
dicio quidem dignati essent, quod & homicidis & præstigiatoribus & adulteris ex lege
concederetur. & exigua nauicula statim traijcit in Bithyniam, atq; inde continuò iter
ingressus est. Prospicientes autem nonnulli ex inimicis eius, quod si animaduertat hoc
populus, ipsum consectaturus, ac rursum redire coacturus esset, præueniunt, & eccleſię
fores occludunt. Cæterùm cum illi, qui in plateis versabantur, factum intellexissent, a-
Tumultus propter discessum Ioannis exortus. lij cursu ad mare properabant, tanquam eum intercepturi: alij timefacti, in fugam con
uersi sunt, perinde ac si ob tantos motus atq; tumultus & seditio & Imperatoris ira ex-
pectanda esset. Illi verò, qui in ecclesia erant, etiamnum magis obstruxerunt exitus, ad
hos confluentes, ac sese mutuò propellentes. Itaque vix tandem magna cùm violentia
fores aperuerunt, alijs eas lapidibus impetentibus, alijs ad se retrahentibus, & turbam à
tergo imminentem retrorsum repellentibus. Interea temporis ignis vndique repentè *Incendium subsecutum.*
ecclesiam depascitur, & cum vniuersam percurrisset, cum vicinam illi ad Austrum
domum amplissimam secreti Concilij inuasit. Huius rei causam sibi vicissim ac mutuò
impingebant. Atque hostes quidem Ioannis, eius fautores insimulabant ideò hoc feci-
sse, quòd ob synodi suffragium indignarentur. Hi verò se calumnijs illorum circumue-
niri aiebant: & ab illis ipsorum facta sibi imputari, qui se vnà cum ecclesia ipsa exurere
voluerint. Igni autem à vespera vsq; ad solis exortum semper vlterius progrediente, &
B ad ædificia adhuc integra serpente, alij Ioannem assecuti Cucusum Armeniæ produxe- *Cucusum relegatus Ioannes.*
runt, cùm rescripto Imperatoris illic habitare iussus esset: alij episcopos & clericos, qui
cum illo conuenerant, Chalcedonem abductos in vincula conijciunt: alij circumeun-
tes in ciuitate, fautores eius indicatos comprehendebant, & in carcerem conijciebant,
& Ioannem execrari cogebant.

De Arsacio Ioannis successore, & quantum malorum is Ioannis fautoribus intulerit: & de sancta virgine Nicarete. CAP. XXIII.

Vide Nice. lib. 13. c. 22. Vide Socr. lib. 6. ca. 17. HAud multò post ordinatur Constantinopolis episcopus Arsacius, frater Ne- *Arsacius Ioannis successor.*
ctarij, eius qui antè Ioannem hunc episcopatum administrauerat, vir mansue-
tus, & erga Deum pius. Labefactarunt eius existimationẽ, quam in presbyterio
habuerat, clerici quidam: qui, cum ipsi pro libito facerent, quæ vellent, illi facta impu-
tabant. Deinde & ea quoque infamabant vel maximè, quæ Ioannis sectatoribus posteà
acciderunt. Etenim cum vel cum illo, vel cum familiaribus illius cõmunicare ac pre-
cari tutum non esse arbitrarentur, ob id, quod his intermixti semper essent Ioannis
hostes, ac proinde (vti dictum est) seorsum in extremis vrbis recessibus congregarentur,
In Ioannis etiam sectatores sæuitum. ad Imperatorem rei cognitio refertur. Iussus igitur cohortium dux vnà cum militibus
in congregatos impetum facere, multitudinem ipsam fustibus ac saxis feriens in fugam
vertit: at eos, qui manifestius ac propensius Ioannis partes agebant, in vincula conijcit.
Hic autem (vt fieri consueuit, vbi militibus ferocire permittitur) mulierculas ornatu
suo per vim spoliant: & alij monilia, zonas aureas, collaria, ac fibulas deprędantur: alij
cum ipsis auriculis inaures detrahũt. Et quanquam igitur tumultus ac luctus maximus
per vrbem accidisset, tamen ne sic quidem quicquam de amore erga Ioannem concep-
to remiserunt. Itaque ad ecclesiam publicam non amplius conueniebant, ac multi ne
in forum quidem, neq; in balnea ventitabant. Imò quibusdã ne domi quidem mane-
re tutum fuit: quare & exilio sibi ipsis iniuncto, ciuitate excesserunt cum alij multi viri
honesti ac mulieres probę, tum etiã Nicarete Bithyna, apud Nicomedienses inter Nobi- *Nicarete Bithynæ enco-*
les genere illustris, ac perenni virginitate præstantiaq; vitę celebris. modestissimam in- *miũ, & Christianæ charitatis in fœmina exemplum.*
ter laudatas fœminas, quas nos meminimus, hanc cognoui, cum & moribus & verbis & vitę genere cõcinna fuerit, ac res diuinas vsq; ad mortẽ humanis præposuerit, ac tũ for-
titudine tum prudentia aduersus impẽdentes aduersarum rerum casus sustinẽdos sese
corro-

Universidad de Deusto
Biblioteca

corroborarit,adeò vt neq; amplissimis bonis iniustè spoliata stomacharetur:& ex pau.A cis, quæ reliqua erant,prudentissima dispensationis ratione,& quidem ad senium prouecta, tum ipsa cum familiaribus ea, quæ necessaria erant,haberet,tum alijs largiter suppeditaret.Quin & pro humanitatis alacritate rerum honestarum studiosa existens, & omnis generis remedia præparabat in pauperum ægrotantium vsum:quibus ex amicis suis sanè multis frequenter opem tulit,nihil adiuuantibus eos medicis consuetis. Nam diuino quodam nutu,quicquid inceperat,ad felicem exitum producebat.atq;, vt summatim dicam,inter nostrę memorię fœminas laude dignas aliam nullam cognoui,quę ad tantam probitatem ac grauitatem ac reliquam virtutem conscenderit.Sed hæc quidem,tametsi talis esset,vulgus tamen latuit.Siquidem ob modestiam ingenij,ac sapientiæ studium, perpetuò latêre voluit,ita vt neque ipsa studeret ad ministræ dignitatem ascendere: neque, Ioanne sæpius exhortante, vnquam virginum Ecclesiasticarum primatum susceperit.Maximo porrò metu omnibus incusso,postquam manifestum esset, multitudinem non amplius tumultuaturam: præfectus vrbis publicè circumibat, ac velut in incendium & curiam inquisiturus,multos malè mulctauit.Siquidem cum paganus esset,Ecclesię calamitatibus insultabat:& pro delectamento habebat infortuniũ, quod acciderat.

De Eutropio Lectore,& de sancta Olympiade,& de presbytero Tigrio,quantis calamitatibus propter Ioannem sint afflicti,præterea de successione præsulum ecclesiæ.

CAPVT XXIIII.

Eutropius Lector, & eiusdem mors.

EOdem tempore & Eutropius quidam Lector productus, vt eos indicaret, qui ignem templo iniecerant,quamuis illi & loris & fustibus & vnguibus latera genæq; discerperentur,quamuis insuper faces ardentes corpore sustineret,& quidem iuuenis ac tenellæ cutis existens, nihil tamen se scire confessus est.qui quidem post ea tormẽta includitur in carcerem, in quo non multò post moritur.Dignum autem fuerit,quod huic inseratur historiæ, somniũ illud,quod de illo contigit.Sisinnio enim Nouatianorum episcopo dormiẽti, vir quidam & statura & forma eminentissimus,astans altari ecclesiæ ipsorum,quam in honorem Stephani protomartyris ædificauerat, mœrere videbatur ob raritatem virorum bonorum:vtpotè qui horum gratia totam ciuitatem peragrasset, neq; reperisset quenquam,præter vnum Eutropiũ.Hac visione perculsus Sisinnius,cuidam ex suis presbyteris fidelissimo somnium confessus,iussit exquirere,quis nam vir ille sit. Ille coniectura veritatem assecutus,quòd inter eos hunc esse,consentaneum esset,qui nuper à præfecto tormentis affecti erant,carceres circumiens sciscitatur,sitne in his aliquis Eutropius. & cum reperisset,alloquitur,& somnium episcopi illi refert:ac plorans, vt pro se oraret supplicat:& quod quidem ad Eutropium attinet,ita se habuit.Iam & Olympias illa ecclesiæ ministra,harum calamitatum perferendarum fortitudine sese conspicuam reddidit.Nam cum ob eandem hanc causam ad tribunal esset pertracta,quęrenti præfecto, vt quid ecclesiam succendisset:illa respondens,Non hoc est institutum vitę meę. Quin ego facultates meas,quæ amplæ fuerunt,in reparationem templorum Dei impendi.Illo tum,se vitam eius exploratam habere,dicente:subiecit, Itaque tu in accusatoris locum transito,& alius de nobis iudicet.Et cum accusatio testibus careret,Hyparchus nihil habens,quod iure culparet,paulò moderatiùs ad aliud crimen sese cõuertit, ac veluti consultando tum huic ipsi,tũ cæteris mulieribus,stulticiam exprobrat,quod episcopi cõmunionẽ auersarentur,cum resipiscere atq; illis molestijs extricari possent. Ac cæteræ quidem Hyparcho hæc præcipienti, propter metum cedunt: Olympias verò, Nõ est æquum, inquit, me, quæ in multitudine per calumniam capta, & in foro nullius obiecti criminis conuicta sum,ad defensionem trahi expostulationũ eiusmodi, quæ in iudiciũ non veniunt.Concede igitur mihi,vt ad priorem actionẽ defensores adhibeã. Quamuis enim prẽter leges illi cõmunicare cogar,cui non oportet:non faciam tamen id,quod pijs facere nefas est.Ille itaq; cum non posset illã inducere vt Arsacio communicaret,in præsenti dimittit,quasi aduocatos instructuram:altero verò die rursus addu ctam,magna vi auri multauit.Putabat enim,se illã ea ratione à sententia sua deiecturũ. Sed illa pecuniam negligens,nihil cessit:ac relicta Constantinopoli , Cizyci habitauit.

Vide Nice. l.13. c.23.24.

Sisinnij visio in somnis obiata.

Olympiadis Constantia.

Tigrius presbyter.

Eadem occasione etiã Tigrius presbyter vestibus exutus,flagris in tergũ cæsus, manibus ac pedib.vinctus & extensus,membris dissolutus fuit. Erat hic natione Barbarus, & eunuchus,sed non à natiuitate.Cum aũt in familia potẽtis cuiusdã seruijsset,ab hero probatus,libertatem consecutus fuit.Deinde ad presbyterij dignitatem euectus progressu temporis apparuit ingenio mansueto atq; miti,& erga pauperes ac peregrinos,vt si quis alius,beneuolentissimus.Atq;ita quidem sese res Constantinopoli habebant. Interea tem po-

A temporis cum Siricius Romanorum episcopatum annis quindecim,& Anastasius post cum tribus gubernasset, Innocentius hanc successionem adimpleuit. Defunctus est & Flauianus, qui in Ioannis depositionẽ non consenserat: huic in Antiochenum episcopatũ succedit Porphyrius. & quoniã ille suffragatus ijs erat, quæ aduersus Ioannem decreta fuerant, multi per Syriã ab hac ecclesia secesserunt: qui quoniã seorsum conuentus agebãt, difficultatibus ac molestijs multis exercitati sunt. Siquidẽ propter communionem tum Arsacij,tum huius Porphyrij,tum Theophili Alexandriæ episcopi,studio magnatum in aula lex est proposita, Ne orthodoxi extra ecclesiam conuenirent,& qui in horum episcoporum communionem non venirent, vt expellerentur.

Episcoporum præcipuarum vrbium successio Rom. Syricius Anastasius Innocentius Rom. episc. Porphyrius Antiochen. Lex contra orthodoxos lata.

Quòd ecclesia malè affecta, etiam Respub. mundanæ fuerint perturbatæ. tum de Stilicone, Honorij duce.

CAPVT XXV.

Vide Nice. lib.13. c.35.

Ecclesia malè affecta etiam rempub. perturbari.

Hunnorum irruptio. Stilico.

Alarichus. Iouius.

EOdem fermè tempore, sicuti vniuersim accidisse in sacerdotum dissidijs inuenire est, ita etiam Respublica morib.ac turbis agita fuit.Quandoquidem & Hunni Istrũ transgressi, Thraciam populabantur: & in Isauria latrones in turbã congregati ad Cariam vsq; & Phœniciam,ciuitates intermedias affligebant,& vicos. Ad hæc Stilico dux Honorij,vir(si quis alius vnquam)in magna potẽtia constitutus, Romanã Barbaramq; iuuentutem sibi obsequentẽ,ducibus Arcadij infensam reddidit,& vtrumq; imperium inter se mutuò collidere conatus est. Ideoq; cum Alaricho Gothorum principi, ducis exercitus dignitatẽ apud Honorium confecisset, Illyrios concitauit: ac Iouium etiam eorum constitutum Hyparchum præmisit,inito pacto,vt ad Romanos duces transirẽt, vt ea ratione scilicet hanc prouinciam imperio Honorij adijceret. Alarichus igitur adsumptis suis militibus ex Barbaris, ad Dalmatiam & Pannoniam, vbi versabatur, regionibus collectis, venit in mediterraneas: & cum multum temporis inibi moratus esset, in Italium reuersus est. nam cum ex composito Stilico iter ingressurus esset, literis Honorij impeditus fuit. Atque hæc quidem eo in statu erant.

Epistolæ duæ Innocentij Romani Papæ, altera ad Ioannem Chrysostomum, altera pro eodem ad clerum Constantinopolitanum.

CAPVT XXVI.

Vide Nice. libro 13 ca.32.

BCertior autem factus Innocentius Romanorum episcopus,eorum quę aduersus Ioannem acta erant, indignè tulit: atq; vt ea damnauit, ita etiam œcumenicum concilium conuocare studuit, & tum ad Ioannem, tum etiam priuatim ad clericos Constantinopolitanos scripsit. vtramq; autem epistolam ex lingua Romana versam,vt accepi, proposui. habet autem sic:

Epistola Innocentij ad Chrysostomum.

Consolatoria Innocentij epistola ad Chrysostomum.

„ Quanquam insontem omnia expectare bona,& à Deo misericordiam petere conue.
„ niat: sunt tamen & à nobis, qui patientiam suademus, competentes literæ per diaco-
„ num Cyriacum missæ,vt contumelia plus posse non debeat in bona conscientia prote-
„ renda,quàm spes in eadem erigenda. Neq; enim tu docendus es,tot populorum doctor
„ ac pastor, optimos quosq; semper & continuè probari, velintne in vigore tolerantiæ
„ persistere, ac nulli afflictionis molestiæ succumbere. Etenim conscientia bona firmum
„ reuera munimẽtum est aduersus omnes casus immeritos: quos quidem qui tolerantia
„ non superat, is verò finistræ suspicionis argumentum de se ipse prębet.Omnia enim suf-
„ ferre debet, quisquis primùm Deo,deinde conscientia sua nititur. Siquidem ad patien-
„ tiam exerceri potest vt quàm maximè vir bonus & honestus, vinci non potest:quando
„ quidem conseruant eius animum Scripturæ diuinæ, & exemplis eundem communiũt
„ lectiones sacræ, quas populo proponimus: quę quidẽ vniuersos penè sanctos varijs mo-
„ dis & continenter exercitatos, ac velut in examine quodam exploratos fuisse,atque ita
„ ad patientiæ coronam peruenisse docent. Hæc igitur ipsa conscientia charitatem tuam
„ consoletur, honorandissime frater: quo facto, in tribulationibus ex virtute consolati-
„ onem habebis. Inspectante enim Domino nostro Christo, in tranquillitatis portum
„ conscientia mundata sistetur.

Conscientia bona murus abeneus.

Patientia cõmendatio.

Altera epistola ad clericos.

Innocentij epistola ad clericos Constantinopolitanos.

„ Innocentius episcopus presbyteris ac diaconis, vniuersoq; clero ac populo ecclesiæ
„ Constantinopolitanæ, qui subditi sunt episcopo Ioanni, dilectis fratribus salutem . Ex
„ literis charitatis vestræ, quas per Germanum presbyterum & Casianum diaconum mi-
„ sistis,tragœdiã malorum,quam ob oculos posuistis,anxia sollicitudine cognoui,quan-
„ tisq; miserijs ac difficultatibus istic laboret fides,lectione sæpius repetita perspexi.quam
„ quidem rem vnica patientiæ consolatio sanat. Dabit enim breui Deus noster tantis tri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bulationibus finem: & hæc olim meminisse iuuabit. At verò nos quidem, vti necessa- A
riam consolationem istam, quam in exordio Epistolæ vestræ proponitis, approbamus: "
ita & intelligentiam charitatis vestrę agnouimus, quę multa patientię testimonia com- "
plectitur. Etenim nostram cōsolationem, quam litteris adferre vobis debebamus, scri- "
ptis vestris vos ipsi præuenistis. Hanc autem tolerātiam Dominus noster laborantibus "
præstare solet, vt etiam in ipsis tribulationibus constituti serui Christi, se ipsos conso- "
lentur: reputantes secum, & antea sanctis accidisse eadem quę nunc patiuntur ipsi. Itaq; "
nos iam vel ex literis vestris depromere consolatione possumus. neq; enim tam alieni "
sumus à vobis, vt non condoleamus, cum & nos in vobis cruciemur. Etenim quis ferre "
poterit eorum delicta, quos vel præcipuos esse fautores trāquillitatis ac pacis & concor- "
diæ debebat? Atqui nunc præpostero modo, de primatu ecclesiarum suarum deturban- "
tur sacerdotes insontes: quo quidem primus frater noster & in ecclesiastico munere so- "
cius Ioannes episcopus vester iniustè oppressus est, cui ne id quidem cōtigit, vt se defen- "
surus audiretur: nullum crimen obijcitur, nullum auditur. Quod igitur hoc commen- "
tum est tam deploratum, vt ne vel suppetat, vel quæratur occasio iudicij, in locum sa- "
cerdotum viuentium alij substituātur? quasi illi qui per huiusmodi peruersitatem irre- "
punt, vel habere ipsi, vel agere quicquam recti, à quoquam iudicari possint. neq; enim "
vnquam à patribus nostris talia fuisse patrata cognouimus: sed interdictum potius fuis- "
se decreto, quo caucbatur, ne cui fieret copia, qua in viuentis locum inauthoraretur. "
Nec enim reproba ordinatio sacerdotis dignitatem auferre potest: quando nec episco- "
pus quidem esse potest ille, qui iniustè surrogatur. Nos enim quantum ad Canonum "
obseruantiam attinet, illis obsequendum esse scribimus, qui Nicææ determinati sunt: "
quibus solis obtemperare, & suum suffragium addere, ecclesia catholica debet. Si qui "
verò & alij quibusdam proferuntur, qui à canonibus Nicænis discrepant, & ab hæreticis "
compositi deprehenduntur, hi verò ab episcopis catholicis reijciuntur. Hæreticorum "
enim commenta, catholicis canonibus assuere nō licet: semper enim vel per contraria, "
vel per illicita, labefactare voluntatem student concilij Nicæni. Non solum igitur his "
non obtemperandum esse dicimus, sed ipsa potius vnà cū hæreticis ac schismaticis do- "
gmatibus esse condemnanda: quomodo & antea in Sardicensi synodo ab episcopis præ- "
decessoribus nostris factum est. Nam sanè longè præstiterit, vel ea condemnari, fratres B
charissimi, quæ rectè facta sunt: quàm ea robur vllum sortiri, quæ aduersus istos Cano- "
nes acta sunt. Sed quódnam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria "
erit Sinodalis cognitio, quam etiam multo iam antea congregandā diximus. Ea quippe "
sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere potest.

Ioannis innocentiæ patrocinatur.

Canon de episcoporum successione.

Nicænæ synodi Canonibus acquiescendū reijciendaque hæreticorum decreta.

Synodorum vsus.

Quam quidem donec consequamur, expedit medelam calamitatis huius committe- "
re voluntati magni Dei, ac Christi eius, domini nostri. Illa vniuersis quæ nunc per inui- "
diam diaboli ad examen fidelium perturbata sunt, tranquillitatem dabit. Nihil aūt de- "
sperare debemus, freti nostra in Deum fide. Ac nos quidem multum deliberamus, quó- "
nam modo synodus Oecumenica congregari possit, per quam diuina voluntate turbu- "
lenti isti motus consopiri possint. Expectemus itaq; tantisper, ac vallo patientiæ com- "
muniti, speremus auxilio Dei cuncta nobis esse restituēda. Vniuersa verò quę eis ibi suf- "
fere dixistis, iam antea à coepiscopis vestris, qui Romam licet diuersis temporibus con- "
uenerunt, Demetrio videlicet, Cyriaco, Eulisio, & Palladio, qui nobiscum sunt, dili- "
genti inquisitione habita cognouimus.

De calamitatibus quæ propter Ioannem acciderunt: & de morte Eudoxiæ imperatricis, & Arsacij: tum de patriarcha Attico, cuias fuerit, & quibus moribus.

CAPVT XXVII.

Grando. Eudoxiæ imperatricis mors. Cyrini episc. interitus.

HAE sunt igitur Innocentij literæ, ex quibus animaduertere licet, quam ille Vide Nicc. lib. 13. c. 28. 29. 30. Socr. lib 6. cap. 18. & lib. 7. c. 2. 3.
opinionem de Iohāne habuerit. Eodem temporis tractu perquàm magna
grando Constantinopoli & in suburbijs cecidit, & quarta post eam die Im-
peratoris vxor mortua est: quæ omnia, Deo propter Iohannem indignan-
te fieri vulgò credita sunt. Nam certè Cyrinus Chalcedonensis episcopus,
qui illum præ cæteris calumniatus erat, non multo antea ex infortunio, quod pedi illi-

Arsacij mors.

Atticus succedit.

us acciderat, vtroq; crure per medicos mutilatus, miserabiliter interijt. Et Arsacius cū
exiguo tempore Constantinopolitanæ ecclesiæ præfuisset, est mortuus. Huius successi-
onem multis ambientibus, quarto post obitum illius mense ordinatur Atticus, Consta-
tinopolitani cleri presbyter, vnus ex insidiatoribus Iohannis. Hic quidem natione erat
ex Sebastia Armeniæ: sed à puero ad religionem institutus, per monachos hæresis Ma-
cedonianæ sectatores, qui tum temporis Sebastiæ in huius sapientię studio clarebant, ex

schola Eustathij progressi, quem episcopum ibi ac præsulem præstantissimorum mo-
nachorum fuisse iam antea commemorauimus. Hic autem cum ad virilem ętatem per-
uenisset: ad catholicam ecclesiam transijt. Et quoniam natura magis quàm doctrina
prudens erat, rerum agendarum insidiator fuit, vt qui & ad struendas insidias & ad eas-
dem euitandas sufficeret: ingenio pellaci, ita vt multis gratus esset. In concionibus ec-
clesiasticis mediocris, vt hæ neq; scripto dignæ viderentur auditoribus, neq; eruditionis
prorsus expertes. Nam cum affectatus esset, si quando occasionē nactus erat, præcipuos
quosq; Græciæ scriptores lectitabat: & eo ipso quòd indoctus haberetur, dum de hisce
dissereret, etiam doctos sæpenumerò latebat. Ferebatur autem erga suæ opinionis ho-
mines industrius, aduersus diuersa sentientes formidabilis, & facilè his ipsis quoties vel-
let incutere metum, & mox mutatus apparere mansuetus. Atque hunc quidem talem
fuisse aiunt illi, qui hominem norant. Ioannes porrò postquam in exilium eiectus fuit,
etiamnum clarior euasit. Nam cum pecuniarum haberet copiam, quas & alij multi af-
ferebant, & Olympias illa ministra mittebat: multos captiuos ab Isauris redimebat, ac
suis restituebat. multisque egenis necessaria suppeditabat. quibus autem pecunijs opus
non erat, eos oratione sibi conciliabat: eratque perquam charus Armenijs, apud quos
agebat, & eorum finitimis: ac multi tum Antiochia, tum ex reliqua Syria & Cilicia ad
illum frequentabant.

Attici ingenium subdolum.

Ioannes exilio clarior factus.

Quòd Innocentio fuerit studio, Ioannem per synodum reuocare. De aggrauato eius exilio ac morte.

CAPVT XXVIII.

Vide Nicc. lib. 13. c. 27.

INnocentius verò Romæ episcopus, prout antea scripserat, cum reuerti ipsum
cuperet, vnà cum Orientalibus episcis, ijs qui pro eo supplicabant, misit eccle-
siæ Romanæ episcopos quinq;, & presbyteros duos, ad Honorium & Arcadium
Imperatorem, vt & synodum, & eius definitum tempus ac locum imperarent. At Io-
annis hostes apud Constantinopolim hanc rem, quasi in contumeliam eius imperij fie-
ret, calumniati sunt: & vt illi tanquam transmarini imperij turbatores ablegarentur,
effecerunt. tum etiam vt ipse Ioannes etiamnum vlterius Petyuntem scilicet exulatum
transferretur, procurarunt. Quod quidem perquam celeriter aduenientes milites per-
B fecerunt. Aiunt autem illum, dum ab his duceretur, in itinere præuidisse diem qua mo-
riturus esset, apparente sibi Basilico martyre in Comanis Armeniæ: quo in loco cum
ad iter vlterius non sufficeret (laborabat enim dolore capitis, & solis radios perferre nō
poterat) morbo finiuit vitam.

Innocētius synodum pro Ioanne cogi cupit.

Ioannis exilium aggrauatū. & mors, Anno 411. die 14. Septembris.

FINIS OCTAVI LIBRI.

Honorius & Theodosius iunior Imp. Anno Chr. 412.

HERMIAE SOZOMENI ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER NONVS.

SVFFRIDO PETRO LEOVARDIENSI FRISIO interprete.

Nonus liber continet acta sub Honorio & Theodosio iuniori Arcadij filio annis quindecim. Vsq; ad obitum scilicet Honorij. Huc igitur refer authores istos quos supra adnotauimus ad Socratis lib 7.

De morte Arcadij imperatoris, & de imperio Theodosij iunioris, de sororibus eius, de pietate, virtute ac virginitate Pulcheriæ imperatricis, & de pijs eiusdem factis, tum quàm honestè Imperatorem educauerit.

CAPVT I.

Vide Nicc. lib. 13. c. 38. Eclii. 14. c. 1. Socr. lib. 6. cap. 21. lib. 7. cap. 1. 41. Vide infra Sozo. lib. 9. cap. 3.

ADIoannem igitur quæ attinent, ita se habuerunt. Non multo autē
post illius mortem, cum Atticus annum tertium in episcopatu Con-
stantinopolitano ageret, Basso ac Philippo consulibus, vita defun-
gitur Arcadius: relicto imperij successore Theodosio, filio recens ab-
lactato: & filiabus insuper Pulcheria, Arcadia & Marina, etiam-
num admodum iuuenculis. Qua in re mihi vel maximè declarat-
se videtur Deus, solam pietatem regibus ad salutem sufficere: absq;
illa verò nihil esse vel exercitum, vel imperatoris fortitudinem, vel apparatum reliquū
Etenim cum pientissimum euasurum hunc Imperatorem prouidisset huius vniuersi
conditrix diuina potentia, tum ipsius Theodosij, tum etiam imperij procuratricē con-

Arcadius Imp. mortuus est anno 412. Calend. Maij.

Pietatem solā regib. ad salutem sufficere.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pulcheria imperij procuratrix, & eius virtutes.

stituit Pulcheriam sororem: quæ quidem nondum decimum quintum agens annum, A supra ætatem sapientissimum ac diuinum spiritum accepit. ac primùm Deo virginitatē suam deuouit, deinde & sorores suas ad idem vitæ institutum educauit, ne fortè virum quenquā alium imperio subinduceret, sed potius omnē inuidiæ & insidiarum occasionem præcideret. Vt igitur ea quæ constituerat, confignaret, ac Deum ipsum ac sacerdotes, omnesq; subditos testes faceret voluntatis suæ, ex auro gemmisq; pretiosis admirabile quoddam donarium, & spectaculum omnium pulcherrimum pro virginitate sua & imperio fratris, sacram mensam ecclesiæ Constantinopolitanę dedicauit: idq; ipsum vt cunctis esset conspicuum, in fronte eiusdem mensæ literis expressit. Postquam autem principatus curam suscepisset, rectissimè, & magno cum decore Romanum imperium gubernauit, cum & bene consuleret, & consulta expeditè perageret ac scriberet. Diligentem enim operam impenderat, vt Romana Græcaq; lingua propriè loqueretur ac scriberet. Rerum porrò gerendarum dispositionem fratris authoritate fulciebat: atque id curabat, vt is pro ætate disciplinis idoneis ex Imperatoriæ maiestatis dignitate quàm maximè institueretur. Itaque equestris quidem pugnæ, ac reliquam in armis ac literis scientiam ab harum rerum professoribus discebat: vt verò in processu ornatè se atque regaliter gereret, à sorore erudiebatur, de qua videlicet hoc discebat, quid in vestitu, quid in sedendo, quid in egressu decorum esset, quomodo cohibere risum, & pro re nata tum amabilis tum formidabilis esse, & eos qui quid peterent, appositè audire deberet. Haud minimè autem eum ad pietatem instituebat, assuefaciens vt & continenter oraret, & ecclesias frequenter accederet, & donarijs ac cimelijs templa honoraret, & in precio haberet sacerdotes ac cæteros viros bonos, & eos qui sapientiam Christianorum legibus approbatam sectarentur. Quinetiam cum per doctrinas adulterinas videretur esse turbanda religio, studiosè ac prudenter obstitit: nam quòd nostra memoria nouæ hæreses non insurrexerint, ipsam potissimū in causa fuisse comperiemus: sicut in consequentibus videbimus. Et sanè quum magna cum reuerentia Deū coleret, dicere longum foret, apud quos, & quot templa magnificè illa construxerit, quotque pauperum diuersoria & conuentus monasticos instituerit, perennes his ipsis largita sumptus ad suppeditandum incolentibus alimentum. Si quis verò de harum rerum veritate experientiæ suæ credere malit, quàm verbis meis, comperiet me neque falsè neque ad gratiam hæc scribere, si modò apud eius curiæ præfectos conscriptam perlegerit harum rerum historiam: & ex actis publicis æstimet, an scriptis nostris res gestæ consonent. Si cui verò hæc sola ad faciendam fidem non sufficiunt, fidem insuper vel Deus ipse faciat, qui illam omnibus modis ob rationem vitæ charam habet, vt quam & precantem promptè exaudiat, ac sæpius de rebus agendis sua apparitione certiorem faciat. Nemo enim Dei amorem hominibus vnquam conciliari dixerit, nisi ipsi suis operibus se illo dignos præstiterint. Cæterùm quantum quidem ad particularem demonstrationem in singulis diuinitùs exhibitis attinet, vt intelligatur Deo charam esse Imperatoris sororem, deinceps volens supersedebo: ne quis fortè calumnietur, me, qui alia scribere susceperim, in laudum campos expaciari. Illud autem quod mihi & ecclesiasticæ historiæ proprium, & diuini erga illam amoris illustre argumentum esse videtur, hoc loco referam, etiamsi tempore quidem serius acciderit: habet autem se hoc modo.

Eiusdē donarium Constantinopolitanæ Ecclesiæ sacrum.

Theodosij iunioris institutio.

Doctrinis adulterinis religionem turbari.

Pulcheriæ pietatis argumenta.

Dei amor quo modo concilietur.

De inuentione reliquiarum sanctorum quadraginta martyrum.

CAPVT II.

Eusebia Macedoniana.

Quadraginta milites, martyres: eorum reliquiæ quomodo repertæ.

MVlier quædam Eusebia nomine, hæreseos Macedonianæ ministra, domū & hortum habebat extra mœnia ciuitatis Constātinopolitanæ: & sanctas reliquias hîc asseruabat quadraginta militum, qui apud Sebastiam Armeniæ, tempore Licinij martyrium fecerant. Ea cum esset moritura, locum hunc reliquit monachis sibi in religione conformibus, & eos iureiurando adstrinxit, vt se ibidem sepelirent, atq; vt supra caput in sublimi loculum suum priuatim expolirent, & secum vnà martyrum reliquias reconderent, ac nemini rem indicarent. Ac monachi quidem fecerunt sicuti mandatum fuerat. Vt autem debitum cultum martyres consequerentur, & externi tamen rem nescirent, secundum datum Eusebiæ iusiurandum, oratorium sub terra construxerunt ad illius loculum: in ædificio autem conspicuo supernè coctis lateribus vestitum pauimentum, & ex eo descensum clancularium ad martyres. Post hæc Cæsarius, vir ea tempestate cum primis potens, qui & ad consularem & ad præfectoriam dignitatem peruenerat, defunctam vxorem su-

Vide Nicet. lib. 14. c. 10.

Cæsarius templum in Thyrso martyrus honorem excitat.

A rem, suam iuxta loculum Eusebiæ sepeliuit: hoc enim illis ita decretum erat, dum adhuc in viuis essent, cum & miro amore inter sese mutuò tenerentur, & in religione ac doctrina cōcordes essent. Et hinc Cæsario huius loci emendi data occasio fuit, vt & ipse propè vxorem sepeliretur. Prædicti ergo isti monachi aliò emigrarunt, neq; tamen de martyribus quicquam indicarunt. Domo postea collapsa, terraq; ac ruderibus ingestis, vniuersus ille locus exæquatus fuit, quia templum inibi magnificum Deo Cæsarius ipse in honorem Thyrsi martyris ędificarat. Deus autem, vt apparet, hunc locum ita obscurari, & tantum temporis elabi de industria voluit, vt & martyrum inuentionem & inuentricis pietatem admirabiliorem illustrioremq; redderet. Et erat Imperatrix Pulcheria, soror Imperatoris. Huic enim cum tertiò apparuisset admirandus ille Thyrsus, eos qui sub terra absconditi latebant, indicauit, & ad se transferri iussit, vt & eiusdem loci & eiusdem quoq; honoris secum participes essent: simul & ipsi quoq; Quadraginta martyres, militaribus vestimentis candidis induti, semetipsos illi conspicuos fecerunt. Hæc verò res & supra fidem, & prorsus inextricabilis esse videbatur: neq; enim aut clerici, qui hoc in loco seniores erant, quamuis sæpe rogati, aut alius quisquam indicare martyres poterat. Ad extremùm cunctis iam desperantibus, Polychronio cuidā presbytero, qui olim ex familiaribus Cæsarij fuerat, in mentem Deus redegit istos monachos, qui hunc locum quondam incoluerant: qui quidem ad Macedonianorum clericos veniens, scisciatur de ipsis. Omnibus autem illis iam defunctis, cum vnum duntaxat superstitem reperisset, qui in hoc ipsum videbatur in vita conseruatus, vt quæsitos martyres indicaret: orabat, vt diceret, cognouissétne sanctas reliquias sub indicato loco reconditas? Sed cum eum propter datum Eusebiæ iusiurandum subdetrectantem videret Polychronius, diuinam illi apparitionem, & perturbationes Imperatricis, & ipsorum desperationem commemorat. tum ille vera esse confitetur ea, quæ Deus Imperatrici reuelarat. Nam se, quia adolescentulus tum ibi sub senibus præceptoribus ad monasticam institutus esset, certò scire, martyres iacere circa loculum Eusebiæ: ignorare tamen, vtrúmne sub delubro, an verò alibi defossi sint: propterea quòd multum temporis effluxerit, & prior loci facies in eam sit mutata quæ nunc est. Atqui, inquit Polychronius, mihi non idem accidit. Recordor enim me fortè adfuisse sepeliendæ con-
B iugi Cæsarij, & ex vicina via publica rationem ducens, conijcio eam iacere circa ambonem, quod est suggestum lectorum. Proinde, respondens monachus, etiam Eusebiæ loculus (inquit) prope vxorem Cæsarij quærendus est: quandoquidem & viuæ plerumq; vnà erant, & post mortem se coniunctum sepulchrum habituras pactæ sunt. Cum itaq; secundum hæc quæ dicta sunt, fodere, & sanctas istas reliquias inuestigare oporteret, Imperatrix facta certior, opus vrgeri iussit. Effosso igitur illo circa ambonem loco, repertus fuit loculus vxoris Cæsarij, sicuti coniectarat Polychronius. Paululum autem hinc distans ex transuerso stratum coctis lateribus pauimentum erat, & ad huius ambitum æquali mensura respondēs tabula marmorea, sub qua ipsius Eusebiæ loculus ostēdebatur, & huic imminens delubrum perquam scitè marmoribus leucoporphyris incrustatum. Ipsum porrò loculi tegmen, velut in mensam sacram fabrefactum erat. In summo autem, vbi martyres iacebant, exiguum foramen apparebat. Astans igitur quidam de familia Imperatoris, tenuem virgulam, quam fortè habebat, per foramen immisit, & extractam naribus admouit, & vnguentum fragrantissimum olfecit: ex quo statim tum laborantibus, tum astantibus bona spes suborta fuit. Itaque cum loculum auidè aperuissent, Eusebiam inueniūt. Illud verò quod ad caput eius eminebat, in arcę formam celatum, proprio intus tegebatur operculo: & vtrinque ei ad labra circumdatum, plumbo conglutinatum ferrum, ipsum continebat. In eius medio rursus foramē istud apparens, etiamnum manifestius declarabat intus haberi martyres. Hæc vbi annunciata essent, euestigiò accurrunt Imperatrix & episcopus ad martyrium. Tum solutis per artifices ferreis istis vinculis, confestim sine negocio operculum extractum fuit. sub hoc autem multa vnguenta, & in his pyxides argenteæ duæ repertæ sunt, in quibus sanctæ reliquiæ iacebant. Tunc igitur Imperatrix Deo preces gratulatorias fundebat, tum quòd se tanta reuelatione dignatus esset, tum quòd sanctarum reliquiarum inuentionem assecuta esset. Post hæc preciosissima theca martyres honoratos, iuxta venerabilem Thyrsum composuit, publica festiuitate, vt æquum erat, cum debito honore ac pompa ac psalmodijs celebrata. Cui & ipse ego interfui. Atque hæc quidem sic esse gesta, testabuntur illi, qui huic festiuitati interfuerunt: omnes enim fermè adhuc supersunt, cum multò postea gesta fuerint, Proclo scilicet ecclesiam Constantinopolitanam gubernante.

Polychronius 40. martyres coniectura sua eruit.

Ambo.

Martyrum reliquiæ mirabiliter inuentæ.

Sozomenus se stiuitati reperiarum reliquiarum ipse interfuit.

De virtute Pulcheriæ ac sororum eius, deq; singulari beneuolentia, qua Deus eas prosecutus est. CAP. III.

Sororum Pulcheriæ virtutes.

PAma autem est, & in alijs quoq; negotijs Imperatrici Deum, quę futura erāt, reuelasse: plurimaq; tum huic ipsi, tum sororibus huius accidisse, quæ diuinum erga eas amorem testarentur. Nam & ipsæ quoq; idem vitæ institutum sectabātur, erga sacerdotes ac templa benignè affectæ, erga peregrinos indigos ac pauperes munificæ. Mensa vt plurimum erat eadem omnibus, idemque processus, & simul Deum noctu iuxtà atq; interdiu laudabant: & pro honestarum mulierum consuetudine, texturis & huiusmodi operibus vacabant. Otium enim atque desidiam, quamuis Imperatrices, & in imperio natę atq; educatę essent, sacra virginitate, quā profitebantur, indignam iudicabant, & ex vita sua reiecerunt. Qua de causa cum Deus illis manifestè propitius esset, earumque domum vindicaret, Imperator ipse tum ætatis tum imperij amplitudine profecit: & quicquid insidiarum aut belli aduersus ipsum conceptum esset, sua sponte rursus dissoluebatur.

Otium & desidia, virginitate indigna.

Vide Nicc. lib. 14. c. 2. 3. Vide supra lib. 9. ca. 1.

De fœdere Persarum, & de Honorio ac Stilicone: & quid Romæ & in Dalmatia actum sit. CAPVT IIII.

Persarum inducię cum Rom. Stiliconis mors.

PErsæ enim cum bellum tunc mouissent, centum annorum inducias cum Romanis pepigerunt. Ac Stilico Honorij exercitus dux, quòd suspectus esset, qui suum filium Eucherium Orientis imperatorem declarare vellet, à militibus Rauennæ occiditur. Hic autem & antea, viuente adhuc Arcadio, quia illius ducibus infensus erat, vtrunq; imperium inter se collidere studuerat: & Alarichum Gothorum ducem, cui apud Honorium Romani exercitus præfecturam cōfecerat, hortabatur, vt Illyrios inuaderet. Et Iouium eorum ordinatum præfectum inito pacto præmiserat, vt is ad Romanos milites quoque transiret, quo ea natio videlicet ad imperium Honorij transferretur. Atq; Alarichus quidem suis militibus ex vicina Dalmatiæ ac Pannoniæ Barbarorum terra assumptis, in mediterraneas profectus est: & multum temporis ibi commoratus, re infecta redijt in Italiam. Nam cū ex cōposito Imperij Romani fines egressurus esset, Honorij literis impeditus fuit. Postquam verò Arcadius esset mortuus, Honorius commiseratione ductus, qua fratris filiū prosequebatur, Constantinopolim reuerti properabat, vt fidos præfectos constitueret ipsius tum saluti, tum Imperio. Nam cum eū filij loco haberet, verebatur ne quid illi accideret, qui propter iuuentutē insidijs esset expositus. At verò iam tum itineri accinctū Honorium Stilico hortatur, vt in Italia maneret: id planè necessariū esse asserens, quandoquidem iam tum Arelati Constantinus quidam tyrannidem inuasisset. Itaq; ipse Stilico, altero ex sceptris quod Romani Labarum vocant, & literis Imperatorijs acceptis, quibus illi profectio in Orientem committebatur, iam profecturus erat, cum quatuor militum legiones ibi adsciuisset. Sed cum interea rumor increbresceret, quod ille Imperatori insidiaretur, & ad tyrannidem filio suo conficiendā pararetur, & ad eā rem vteretur auxilio potentum, milites seditione mota, Hyparchum Italiæ & Galatiæ, & duces, ac cæteros omnes qui præfecturas in palatio habebant, interficiunt. Interficitur autem & ipse quoq; à militibus Rauennæ: vir, si quis alius vnquam, ad magnam potentiam euectus, & qui vniuersos (vt ita dicam) Romanos ac Barbaros sibi habuerit obtemperantes. Stilico itaq;, postquam Imperio malè velle iudicatus esset, ita interfectus est. Occiditur autem simul & Eucherius quoque, eius filius.

Honorij pius affectus in Theodosium iuniorem. Labarum.

Eucherius Stiliconis F. etiā cæsus.

Vide Nicc. lib. 14. c. 6. 28. 29. 30. 31. Socr. lib. 7. cap. 18.

De diuersis nationibus Romanos impugnantibus: sed diuina prouidentia aut oppressis, aut fœdere adstrictis.

CAPVT V.

Hunnorum vltronea fuga.

EOdem tempore quoq; accidit, vt & Hunni, qui in Thracia exercitum habebant, Imperatore ipsos neq; impetente, neq; persequente, multis amissis, cum dedecore in fugam versi sint. Vldes enim Barbarorum Istri accolarum dux copiosissimo exercitu instructus fluuium traiecit, & in Thracum finib. castrametatus est: & cum Castra martis, Mysiæ ciuitatem, proditione cepisset, hinc in reliquam Thraciā excursiones fecit: & inducias cū Romanis facere præ superbia dedignatus est. Nam cum Thracium exercituū præfectus cum ipso de pace loqueretur, ille solem exorientē demonstrans, Non difficile sibi aiebat fore, si quidem vellet, vniuersam terram, quā hic lustraret, subuertere. Huiusmodi minas dum ille intonat, & Romanis tributum quantum ipse vellet, imperat, & optionem defert, vt aut his præstandis pacem obtineant, aut negandis expectent bellum,

Vldes dux.

Martis castra.

Vldæ arrogantia punita.

Vide Nicc. lib. 14. c. 57.

A bellum, ac proinde res in ancipiti stat: declarauit Deus, quantam erga præsens hoc imperium curam gereret. Neq; enim ita multò post inter familiares ac satellites Vldę, sermo coortus est, de Romanorum politia, & de ipsius Imperatoris humanitate, quibusq; & quantis præmijs ille viros strenuos ac bonos prosequatur. Ea re illi non sine diuino nutu in amorem Romanorum pellecti, ad ipsos deficiunt, & cum ipsis castra iungunt, vnà cum his, qui sibi subditi erant. Vldes igitur vix tandem in vlteriorem fluuij ripam incolumis euasit, cum ex suis multos amisisset: omninò autem illos, quos Scirros vocant. Gens erat hæc satis populosa, antequam in hanc calamitatem incidisset. nam cum hi in fuga posteriores essent, alij ex ipsis interfecti, alij captiui ac vincti, Constantinopolim transmissi sunt. Et cum præfectis consultum videretur dispergere istos, ne fortè, si numero valerent, aliquid tentarent noui: alios exiguo precio vendiderunt, alios in seruitutem gratuitos donarunt, ea tamen conditione, ne vnquam vel in ciuitatem Constantinopolitanam, vel in ipsam adeò Europam ingrederentur deinceps, sed intermedio mari eo loco secluderentur, qui ipsis deputatus esset. Ex ea porrò multitudine, quæ ex his vendi non poterat, alij alibi habitare iussi sunt: multos autem in Bythinia equidē vidi, sparsim ad montem quem Olympum vocāt, habitantes, & colles ibi & montium radices percolentes.

Barbarorū ad Romanos defectio.

Scirri capti, et dispersi.

De Alaricho Gotho, & quomodo Romanos adortus bello afflixerit. CAPVT VI.

Vide Nicc. lib. 14. c. 57. & lib. 15. cap. 35.

ORientis itaque imperium hostibus liberatum, & summo cum decore gubernatum fuit præter omnium expectationem: vtpote cū iuuenis adhuc esset Imperator. At verò Occidens in perturbatione erat, cum multi tyranni insurgerent. Nam eodem tempore post Stiliconem interemptum Alarichus Gothorum dux, cum pace ab Honorio petita frustratus esset, vrbem obsidione cinctam oppugnat, multis Barbaris ad fluuium Tiberim dispositis, ne fortè commeatus oppidanis importaretur ex portu. (sic autem Latini vocāt, quod Greci vocant ἐπίνειον.) Cum autem diuturna esset obsidio, & pestis simul & fames vrbem affligeret, atque interim serui multi, ac maximè quotquot natione Barbari erāt, ad Alarichum transfugerent: necessarium videbatur ijs, qui in senatu adhuc pagani erant, vt & in Capitolio & in reliquis templis sacrificaretur. Nam Thusci quidā ad hoc acciti ab vrbis Hyparcho, promiserant se fulminibus ac tonitruis abacturos esse barbaros. Gloriabantur enim, ab se huiusmodi quippiam esse factum in conseruationem Larinæ, ciuitatis Thusciæ, quam Alarichus, dum Romam contenderet, prætergrediens, non cepisset. Cæterum istarum nullum fuisse futurum vsum, euentus ipse declarauit. Cordatis verò, hæc ob indignationem Dei Romanis euenire videbātur, ad eorum pœnam, quæ ipsi quōdam præ nimia proteruia ac petulātia in ipsos & pauperes iniquè deliquissent. Fertur itaque probus aliquis monachus, ex his, qui in Italia erant, † Romam festinanti Alaricho consuluisse, vt vrbi parceret, nec se tantorum malorum authorem constitueret. Cui & Alarichus respondisse dicitur, se non volentem hoc tentare: sed esse quendam, qui se obtundendo vrgeat, ac præcipiat vt Romam euertat, quod & ille tādem fecit. Ex eo autem, quod vrbem obsidione premeret, acceptis plurimis muneribus obsidionem ad tempus soluit, pactis cum eo Romanis se Imperatorem inducturos, vt ab illo in gratiam reciperetur.

Thuscorum ineptantia.

Larina vrbs.

Romanorum in pauperes proteruia vindicata.

†Videantnostras Græcas pagi. 119. lat. 2. lin. 5.

Alarichus nomine ad Romam euertendā impulsus.

De Innocentio antiquæ Romæ episcopo, quomodo legationem ad Alarichum miserit: & de Iouio Italiæ hyparcho, & legatione ad Imperatorem facta: & quid cum Alaricho actum. CAPVT VII.

Vide Nicc. lib. 14. c. 57. & lib. 15. cap. 35.

HAnc autem ob rem legatione missa, qui Alaricho aduersabantur in aula, pacem impediebant. Posteà cum legationem eius nomine misisset Innocentius episcopus Romanus, reuocatus Imperatoris literis Alarichus Ariminum venit: quæ ciuitas ducentis ac decem stadijs Rauenna distat. Ibi ante muros ciuitatis castrametatum cum allocutus esset Iouius Italiæ hyparchus, Imperatori exponit petitionem Alarichi: & quòd oporteret eum actis publicis declarari præfectum vtriusq; exercitus. Imperator verò pecuniæ & commeatus copiam, vti petierat, haud secus ac Iouio hyparcho facit: cęterùm dignitatē quam petebat, se illi nunquam esse concessurum rescripsit: Imprudenter aūt Iouius in tentorijs Alarichi, legatū ex aula missum præstolatus, Imperatoris sententiā Barbaris astantib. recitare iussit. Nam Alarichus ob negatam dignitatem offensus, perinde ac si contumelia affectus esset, eadem hora signo tubæ dato Romā contendit. Veritus igitur Iouius, ne fortè

Ariminum.

Iouius Italiæ hyparchus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Imperatori suspectus esset, quasi faueret Alaricho, in temeritatem priori etiamnum A grauiorem incidit: ac per salutem Imperatoris cùm ipse iurauit, tum & alios quoque præfectos iurare induxit, nunquam se de pace cum Alaricho faciẽda quicquam acturos. At verò Barbarus non ita multò post pœnitentia ductus, significat se dignitatem iam nullam petere, quin se auxiliarem Romanis fore, si modò commeatum mediocrem, & habitationem donent locorum, qui à Romanis non magni fierent.

Conditiones pacis ab Alarico propositæ.

De defectione Attali, & præfecto Heracliano: & quo modo postea Honorio supplex ad pedes aduolutus, veniam consecutus sit.

CAP VIII.

Roma ab Alarico obsessa. Attalus Imp. creatus. Ataulphus. Alarichus vtriusq; exercitus dux.

CVM autem legatione per episcopos quosdam facta, huius rei petitione bis frustratus esset, Romam reuersus, ciuitatem oppugnat: & portu ex altera parte occupato, cogit Romanos, vt Attalum vrbis tunc temporis Hyparchum, crearent Imperatorem. Romanis igitur ad aliud Imperium translatis, constituitur vtriusque exercitus dux Alarichus: & sororis eius maritus Ataulphus præfectus equitũ, quos domesticos appellant. Attalus porrò senatu conuocato, orationem habuit prolixam ac splendidè elaboratam, qua senatui promittebat, se patria omnia illi conseruaturum, & Aegyptum insuper & vniuersum Orientis imperium Italis subiecturum: sed ille vtcunq; sese iactitaret, ne integro quidem anno Imperator vocandus erat. Atqui tamen à vatibus quibusdam excantatus, pollicitantibus ipsum Aphricam sine pugna obtenturum, ne Alaricho quidem obtemperabat, suadenti vt modicam manum Carthaginem transmitteret, ad interficiendos Honorij præfectos, si fortè hi se ipsi opponerent: neque Ioanni, quem stipatoribus suis præfecerat, qui monebat oportere Constantem, quem ipse in Libyam mittendum decreuerat, quasi ab Honorio missum, rescripto, vt moris erat (quod edictum vocant) Heraclianum principatu deponere, cui tum temporis militum in Aphrica præfectura commissa erat. Fortassis autem & hæc successissent: nondum enim res Attali innotuerant ijs, qui erant in Libya. Cum itaque Constans ex vatum sententia Carthaginem abnauigauisset, Attalus vsque adeò mente B captus fuit, vt ne dubitare quidem dignaretur, sed planè sibi persuaderet, se Aphros iam secundum prædictiones vatum habere subditos. Itaque Rauennam versus expeditionem mouet. Simulatq; igitur Ariminum vnà cum Romanorum ac Barbarorum exercitu peruenisse nunciaretur, scribit ad illum ceu ad Imperatorem Honorius: & legatis missis, ijs qui sub ipso maximis dignitatibus fungebantur, declarat, se illum libenter in regni consortium esse recepturum. Attalus verò se imperij consortem admissurum esse negat: sed indicat Honorio, vt vel Insulam vel locum eligat, quem vellet, in quo priuatus degat, omni Imperatorio cultu deposito. In eo cardine cum res versarentur, vt & naues iam haberet paratas, si fortè necessitas eum abnauigare cogeret ad fratris filium: ex improuiso sub sex signis circiter quatuor milia militum ex Oriente noctu Rauennã appulerunt, quibus ille mœnium excubias commisit, quòd indigenarum militum procliuitatem ad proditionem metueret. Interea temporis Heraclianus interfecto Constãte, vigiles constituit in portubus & litoribus Aphricæ, & mercatorum naues Romam proficisci vetuit. Ex quo cum fames Romanos inuaderet, illi hac de re legatos mittunt ad Attalum. ille verò cum huic rei nullum videret remedium, Romam reuersus est, quasi cum senatu super hac re consulturus. Fame interim in tantum inualescente, vt & castaneis pro frumento vterentur, & nonnullos etiam carnes humanas gustasse suspicarentur, Alarichus quidem suadebat vt quingentos Barbaros aduersus Heraclianum mitterent: sed senatui & Attalo videbatur, non oportere cõcredi Barbaris Aphricam. Cum igitur manifestum esset Deum aduersari imperio Attali, animaduertens Alarichus frustra se laborare in rem, quæ sibi in manibus non esset, cum Honorio promissis acceptis de Attali imperio dissoluendo pacisci tur. Omnibus itaq; congregatis, ante ciuitatem Attalus imperij insignia deponit, & simul etiam sua cingula deponunt ipsius duces. cunctisq; delictorum veniam impartitur Honorius, vt in eo honore, eaq; dignitate vnusquisq; permaneat, quem anteà sortitus erat. Attalus tamen vnà cum filio suo apud Alarichum porrò mansit, vt qui sibi deinceps apud Romanos versari tutum non esse arbitraretur.

Vide Nicer. lib. 13. ca. 35.

Attali vesana arrogantia.

Honorium cõsortem imperij habere negat.

Constans ab Heracliano cæsus.

Fames Romanos infestat.

Attalus imperio renunciat, & Alaricho adhæret.

De

A *De motu inter Christianos ac Paganos facto. De Attalo, de Saro. Quomodo Alarichus dolo Romam ceperit, & D. Petri templum * asylum constituerit.*

CAPVT IX.

**De Abloui de infra ad finem cap. 10.*

Vide Nicer. lib. 13. c. 35. Socr. lib. 7. cap. 10.

HAsce res huiusmodi euentum fuisse sortitas, haud mediocriter doluerunt tum Pagani, tum illi Christiani, qui Arianam sectabãtur hæresin. Isti enim ducta coniectura ex Attali tum proposito, & priore educatione, prorsus existimabant, illum palàm paganismum amplexurum, & ipsis templa patria restituturum, & ferias & victimas. Hi verò se primatum in Ecclesijs, sicuti tẽpore Constantij ac Valentis, rursus consecuturos arbitrabantur, siquidem ille firmatũ contineret imperium: propterea quòd à Sigesario Gothorum episcopo baptizatus, & ob id cùm ipsis vniuersis, tum vel maximè Alaricho charissimus esset. Non multò post autem Alarichus cum venisset ad Alpes (locus hic est plus minus sexaginta stadijs Rauenna distans) cum Imperatore de pace cõmunicat. Sarus autem quidam natione barbarus, sed in rebus bellicis egregiè exercitatus. qui circiter trecentos solos, omnes tamẽ strenuos ac fideles, secum habebat, cùm Alaricho ob priorem simultatem suspectus esset, considerabat sibi nequaquam vtilia fore inter Gothos ac Romanos percussa fœdera. Ideoq; repentè cum suis irruens, nõnullos ex Barbaris interficit. Hinc igitur & metu simul & ira percitus Alarichus, eadem via reuertitur, & Romam obsidione cinctã per proditionem capit. ac militibus suis vniuersis ac singulis permisit Romanorum opes diripere, vtcunq; possent, omnesq; domos eorum deprædari: nisi quòd asylum esse voluerit, ob reuerentiam Apostoli, diui Petri templum illud amplissimum, quod suprà illius tumbam cõstructum est, & loci plurimum ambit. Ea res in causa fuit, quo minus Roma prorsus deleretur. Nam illi, qui hic saluati fuerant, vrbem restaurarunt, cum eorum ingens esset multitudo.

Paganorũ & Arianorũ spes in Attalo.

Sigesarius & pisc.

Sarus.

Roma ab Alarichо capta, et directa.

Roma cur non prorsus deleta.

De muliere Romana, quæ castitatis opus perfecit.

CAPVT X.

Vide Nicer. lib. 13. ca. 35.

B VM autem, vt credibile est, in huiusmodi ciuitatis expugnatione multa accidissent: ego, quod mihi tum ecclesiastica historia dignum cõtigisse visum est, literis mandabo. Declarat enim viri Barbari factum pium, & fortitudinem mulieris Romanæ in conseruanda castitate: vtriusq; autem Christiani, sed non eiusdem sectæ: quandoquidem ille Arianam, hæc Nicænam doctrinam sectabatur. Hanc igitur perquam formosam conspicatus iuuenis aliquis Alarichi miles, pulchritudine captus ad concubitum trahebat: reluctãtem verò, ac vi aduersantem ne quid obscœni pateretur, ille stricto gladio se interfecturũ minabatur: & interim summam illi cutem in collo, quasi qui ob amorem parceret, perstringebat. Tum illa multò perfusa sanguine, collum gladio subiecit: optabilius sibi rata, mori cum castitate, quàm viuere expertam virum alium, quàm illum cum quo legitimo matrimonio coniuncta erat. † Barbarus igitur, cùm etiamnũ maiore cum terrore illam adortus, nihil adhuc proficeret: admiratus eam ob castitatem, duxit in ecclesiam Apostoli Petri, & traditam custodibus, & expensis in eius sustentationem sex aureis, iussit vt custodirent marito suo.

Matronæ Romanæ memorabilis castitas.

† Ex hoc loco satis apparet Apostoli Petri templũ fuisse Asylũ ab Alarichо constitutum, vti nos superiorem capite vertimus, etiãsi Curcio id nõ probetur: cui in mentem venisse videtur publicum placere edictũ ab Alarichо promulgatũ: vide Anot. * Ad hoc cap. Vide Niceph. lib. 14. c. 6. 7.

De tyrannis, qui illa tempestate aduersus Honorium in Occidente insurrexerunt: & quo modo omnes sublati sint, ob Honorij erga deum pietatem.

CAPVT XI.

CIrca * hoc autem tempus, cum multi tyranni insurgerẽt in imperio Occidentali, & alij sese mutuò conficerent, alij præter expectationem caperentur, haud vulgarem Dei erga Honorium beneuolentiam testabantur. Primùm enim milites in Britannia, per seditionem Marcum tyrannum inaugurant: & mox eo rursus interfecto, Gratianũ. & cum & is quoq; non amplius quatuor mensibus elapsis per eosdem interfectus esset, rursus Constantinum eligunt, quòd putarent eum ex nominis sui præsagio imperium constanter obtenturum. Ex huiusmodi enim causa videntur etiam reliquos ad tyrannidem elegisse. Constantinus igitur vbi ex Britannia traiecisset, in Galliæ ciuitatẽ Burboniam ad mare sitam, conduxit ex Gallia & Aquitania milites, qui ibi erant: & eas prouincias sibi subijciebat, vsque ad montes eos, qui Galliam separant ab Italia, & à Romanis Coctiæ Alpes nominantur. Constantem verò filium suum natu maiorem, quem posteà Imperatorio ornatu insigniuit, tunc Cęsarem appellauit, & in Hispaniam misit. Hic cùm ea gente potitus esset, præfectos peculiares constituit, ac vinctos ad se adduci iussit Didymum & Verianum, cognatos Honorij. qui quidem cum anteà inter se dissiderent, postquam cœperunt periclitari, in mutuam concordiam redig-

Dei erga Honorium singularis benenolentia.

Constantinus tyrannus.

Constans tyrannus Cæsar dictus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

redierunt. Et collecta agricolarum & seruorũ turba, iunctis copijs in Lusitaniam expe. A ditionem fecerunt, multosq; trucidarunt ex his, qui à tyranno ad ipsos comprehenden dos missi erant.

De Theodosiolo & Lagodio, & de Vandalicis ac Sueuicis gentibus. De morte Alarichi. De fuga Constantini & Constantis tyrannorum.

CAPVT XII.

Vide Nice. li. 14. 5. c. 6.

POsteà verò cum hostes copijs auxiliaribus aucti essent, illi capti, & vnà cum v- xoribus suis abducti, ac tandem interfecti sunt. Theodosiolus autem & Lagodius eorum fratres, qui in alijs prouincijs morabantur, ex patria diffugiunt, ac saluantur: ac Theodosiolus in Italiam ad Honorium Imperatorem, Lagodius ad Theodosium in Orientem venit. Atq; Constans quidem his rebus gestis ad patrem reuersus est, præsidio constituto ex militibus suis in aditu Hispaniæ: quem, obsecrantibus Hispanis, pro veteri consuetudine custodire non concessit. Quæ res posteà causa fuit, vt omnes, qui hic erant constituti, interficerentur. nam collapsa Constantini potentia, recolligentes sese Vandali, Sueui, Alani, gentes barbaræ, aditum istum occupãt, & multa præsidia, multasq; vrbes tum Hispanorum, tum Gallorum capiunt, & cum his etiam tyranni præfectos. Constantinus igitur, cum sibi hactenus ex animi sententia rem gerere videretur, Constantem filium ex Cæsare Augustum fecit: & mox ipse Italiam inuadere cogitauit. Cum itaque Coctias Alpes superasset, Liberonam Liguriæ ciuitatem venit: & cum iam Eridanum transiturus esset, per eandem viam reuersus est, quòd Alarichi mortem intellexisset, qui cum dux esset Honorij eo nomine suspectus, quòd Constantino faueret, vniuersi Occidentalis Imperij præfecturam sibi commissam tunc temporis habebat. Cum autem pro consuetudine principum, ex processu quopiam tum reuerteretur Imperator, statim equo descendens, publicè gratias Deo nuncupatis precibus egit, quòd esset insidiatore manifesto liberatus. Constantinus autem fugiens Arelatum se recepit, quo & Constans eius filius eodem tempore ex Hispania profugiens redierat. Collapsa enim Constantini potentia, recolligentes sese Vandali, Sueui & Alani, Pyrenæum montem properè occupant, cum fertilem & opulentissimam regionem esse audissent: & quia negligentes erant illi, quos in præsidio Constans ibi reliquerat, etiam in Hispaniam irruperunt.

Theodosioli et Lagodij fuga.

Vandali, Sueui, & Alani Gallias & Hispanias vastant.

Alarichi mors.

De Gerontio, & Maximo. De Honorij exercitu: quo modo Gerontius obsessus & interfectus sit: ac de vxore eius.

CAP. XIII.

Vide Nice. lib. 14 ca. 6.

INtereà temporis Gerontius inter duces Constantini præcipuus, hostis illi factus est: & Maximum, familiarem suum, quem ad tyrannidem accommodatum iudicabat, Imperiali ornatu induit, ac Taraconæ morari permisit: ipse verò aduersus Constantinum exercitum eduxit, eo proposito, vt in transitu Constantem eius filium Viennæ commorantem cõficeret. Constantinus igitur cum intellexisset id, q̃ de Maximo actum erat, Ebodichum ducẽ suum ad vlteriores Rheni partes misit, vt Francos & Alemannos in auxilium vocaret: Constanti autem filio suo Viennæ ac cæterarum ibi ciuitatum custodiam cõmisit. Ac Gerontius quidem cũ Arelatum castra mouisset, ciuitatem oppugnauit. Nõ multo aũt post exercitu Honorij aduersus tyrannum aduentante, cui præerat Constantinus Imperatoris Valentiniani pater, statim fugit cum paucis quibusdam militibus. Nam eorum plurimi se Constantio coniunxerant. Milites igitur in Hispania Gerontium ob fugam factam contemptu dignum rati, interficere statuerunt, & concursu facto domum eius circumuallant. Ille verò cum Alano, vno necessario suo, paucisq́ue seruis, eiaculatis desuper sagittis vltra trecentos milites interficit. sagittis tandem deficientibus seruis aufugiunt, & clam sese de domo illa demittentes euadunt, ac Gerontius quidem, quãuis & ipse eodem modo saluari potuerit, tamen Nonnichiæ vxoris amore detentus noluit. Itaque cum milites ignem domo manè immisissent, nullam habens deinceps spem salutis, Alano familiari suo volenti caput amputat: & deinde propriæ vxori quoque, lamentanti, & seipsam cum lachrymis in gladium ingerenti, ac potius quàm in alterius potestatem perueniat, vnà cum marito perire cupienti, & munus hoc vltimum ab eo impetrare flagitanti. Atque hæc quidem mulier satis viriliter, & vt illius religione dignum fuit, (erat enim Christiana) mortua est: sui memoriam stabiliorem posteritati relinquens, quàm quæ obliuione obscurari posset. Gerontius porrò cùm

Gerontius Constantini ex duce hostis.

Gerontij, Alexandri, & Nonnichiæ interitus.

A cum se tertiò percussisset, nec tamen vulnus lethale accepisse sensisset, euaginato gladiolo, quem fœmori alligatum habebat, sibi ipsi cor transfixit.

De Constantino, & exercitu Honorij: de Ebodicho duce: & quo modo is ab Vlphila Constantij duce victus, & fuga dilapsus, ab hospite ingrato obtruncatus sit.

CAPVT XIIII.

Vide Nice. lib. 14. c. 6.

COnstantinus autem, circumsidente adhuc Honorij exercitu, obsidionẽ tamen sustinebat: quòd illi nunciatum esset, Ebodichum cum maximis suppetijs aduenturum, quæ quidem res & Honorij quoque duces non modicè terrebat, ita vt in Italiam reuerti, & illic bellum experiri vellent. Atq; hoc vbi statuissent, quia appropinquare iam nunciabatur Ebodichus, Rodanũ fluuium traijciunt: & Constantius secum pedites retinens, aduentantem expectat hostem. Sed Vlphilas Constantij prefectus, haud procul istinc in insidijs cum equitibus latitat. Postquam igitur hostes cum exercitu Vlphilam prætergressi, pedem iam collaturi essent cum militibus Constantij, dato signo repentè prorumpens Vlphilas, hostes à tergo inuadit. Et facta statim ordinum perturbatione, alij diffugiunt, alij occiduntur: plurimi autem positis armis veniam precantur, & misericordiam consequuntur. Ebodichus autem equo conscenso fugit in agrum quendam ad Ecdicium, qui plurimum fuerat ab ipso consecutus olim, quemq́; Ebodichus sibi ob accepta beneficia amicũ arbitrabatur. Atqui is caput eius amputatum, ducibus Honorij attulit, spe magnorũ munerum ac dignitatum. Constantius autem caput quidem accipi iussit, ac gratias Ecdicio agi Reipub. nomine, qui Vlphilæ officio functus esset. Sed cum in exercitu remanere vellet, cum excedere iussit, nequaquam vel sibi vel exercitui faustam fore ratus hospitis tam ingrati præsentiam. Atq; is quidem hominis amici ac hospitis in calamitatem delapsi impijssimam cædem ausus, in vanum, vti dici solet, hians recessit.

Ebodichus.

Vlphilas.

Hospitis & amici ingrati exemplum.

Proditor sua spe frustratus.

Quo modo tyrannus Constantinus insignia Imperij deposuerit, ac presbyter ordinatus fuerit, ac tandem interfectus sit: tum de reliquis tyrannis, qui aduersus Honorium insurrexerant.

CAPVT XV.

B Vide Nice. li. 14. c. 6. 7.

POst victoriam rursus traijciente Honorij exercitu ad ciuitatem, certior factus Constantinus Ebodichum esse sublatum, ipse sibi purpuram & Imperij insignia detrahit: & ad Ecclesiam confugiens, ordinatur presbyter: tum accepto prius iureiurando, qui intra mœnia erant, portas aperiunt, ac veniam consequuntur omnes. Itaq; ex eo tempore prouincia ista rursus ad Honorij Imperium reuersa est, ac ducibus ab illo constitutis paruit. Constantinus autẽ vnà cum Iuliano filio in Italiam transmissus, antequam eò perueniret, in itinere occiditur. Nec multò post, præter expectationem, interimuntur Iouianus & Maximus, tyranni prædicti: tum etiam Sarus, & alij plurimi cum his, qui imperio Honorij fuerant insidiati.

Constantinus tyr. ex Imp. presbyter, tandem cum Iuliano F. cæsus.

Iouiani et Maximi tyranni cædes: item Sari.

De Imperatoris Honorij pietate. De morte Constantij, eiusq́; liberis, qui Honorio successerunt. De pace, quæ tum per vniuersum orbem viguit.

CAPVT XVI.

Vide Nice. lib. 13. cap. 1.

SEd hæc recensere, non est huius temporis. Necessariò tamen ideò commoraui, vt hic sciremus, Imperatori ad conseruationem imperij sui sufficere, si Deum studiosè colat, ac sit qualis hic Imperator extitit. Aderat autẽ ipsi & Galla Placidia soror eius ex patre, consimiliter magnam gerens curã pro religione & ecclesijs. Eam in vxorem duxit Constantius, is qui Constantini tyrannidem sustulit, vir in armis strenuus, & in rebus bellicis exercitatus, quem Imperator præmij loco tum sorore, tum corona, tum purpura, tum Imperij consortio honorauit, qui quidem cum paululum temporis superuixisset, defunctus est, relictis liberis Honorio & Valentiniano, Honorij successore. Interea Orientale Imperium hostib. liberatum fuit, eiusq́; prouinciæ multo cum decore administrabantur præter omnium sententiam. erat enim adhuc iuuenis Imperator. Sed Deus præsenti hoc Imperio manifestè delectari videbatur, qui non solum præter expectationem, quod ad hostes attinet, ita disponeret: verùm etiam multorum sancta corpora manifestaret ex his, qui olim ob pietatem illustres extiterunt. Cuiusmodi vtiq; & illud est, quod tunc accidit in Zacharia vetusto propheta, & in Stephano diacono ab Apostolis ordinato. Vtriusque autem inuentionis, cum miraculosa sit, ac diuina, modum exponere necessarium esse duxi.

Ad imperij conseruationẽ sufficere pietatem Gallæ Placidiæ Constantio iunctæ.

Zachariæ prophetæ & Stephani protomartyris inuentio.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De inuentione prophetæ Zachariæ, & Stephani protomartyris.

CAP. XVII.

Cophar villa Calemerus. Zachariæ prophetæ quomodo inuentus.

EXordiar autem à propheta Zacharia. Cophar villa est in territorio Eleutheropolis Palæstinæ. Huic præfectus erat, agri ipsius conseruus, Calemerus quidam, domino quidem suo fidelis, sed morosus interim ac difficilis, & in conterminos agricolas iniquus. Quamuis autem talis esset, propheta tamē ei vigilanti clara luce apparens se ipsum reuelauit. & horto quodam demōstrato, Age quæso, inquit, hic fodito, ab hac sepi in hortum mensura ducta ad cubitos duos, iuxta viam, quæ ducit ad ciuitatem Bethrerebin: reperies enim arcam duplicatā, ligneam interiorem, in exteriori plumbea, & propter hanc arcam vitreum item vas aquis plenum, & duos etiam serpentes amplitudine mediocres, mites & innoxios, adeò vt mansueti videri possint. Calemerus igitur ad locum indicatum ex prophetę mandato profectus, operi gnauiter incumbit, & cum secundum prædicta signa iam in apertū producta & recluſa esset arca sacra, apparuit diuinus propheta candidam stolam indutus, vt potè qui (vt opinor) etiam sacerdos fuerit: sub pedibus autem eius extra arcam iacebat puer regali apparatu sepultus: habebat enim in capite coronam auream, & aurea in pedibus calciamenta, & vestem preciosam. Disquirentibus igitur tum sapientibus ac sacerdotibus de isto puero, quis nam & vnde esset, & cur sic ornatus esset: fertur, Zachariam, qui tum in Geraris conuentui monastico præerat, in vetustum quoddam, sed nō canonicum, Iudæorum scriptum fortè incidisse, quo tradebatur, quòd Ioas rex Iudææ, non multò post quàm prophetam Zachariam interfecissent, in domum suam ingētem calamitatem acceperit. Quandoquidem septimo post interfectum prophetam die, filius admodum ipsi charus repentè interijt. Colligens igitur, se propter iram diuinam in huiusmodi calamitatem incidisse, sub illius pedibus puerum sepeliuit: quasi hac ratione sese purgaret illis, quæ aduersus prophetam deliquerat. Atque hæc quidem ego sic accepi. Propheta verò, tametsi seculis iam plurimis sub terra iacuisset, viuus tamē ad huc apparebat: capite raso, naso oblongo, barba modicè prominenti, capite breuiusculo: oculos habens aliquantulum profundos, ac supercilijs contectos. B

Filius Ioæ Regis sepultus ad pedes Zachariæ.

Zachariæ prophetæ forma.

Vide Nice. l. 14. c. 9. 10. Euagrium lib. 1. c. 22.

FINIS LIBRI NONI.

EVAGRII SCHOLASTICI,

Theodosius 2. & Valentinianus 3 Anno Christi 426.

EPIPHANENSIS, ET EX PRÆFECTIS ORIVNDI, HISTORIAE ECCLESIASTI. CAE LIBRI SEX.

Primus hic liber continet acta sub Theodosio secundo Arcadij filio, & Valentiniano tertio, annis 27. Huc igitur refer authores ipsos, quos supra aduocauimus ad librum Socratis 7.

Authoris proœmium, quomodo ad scribendum præsentem historiam accesserit, & quod post impij Iuliani interitum, cum hæreses pauliſper conquieuissent, postea diaboli malignitas denuo fidem exagitauit.

CAP. I.

Eusebij Pamphili, Sozomeni, Theodoriti Socratis, cum Euagrio conuexio.

EVSEBIVS cognomento Pamphilus, vir sanè cùm in alijs rebus disertissimus, tum in scribendo tantum pollens, vt possit Lectores suorum librorum, etsi non efficere perfectè Christianos, ita tamen persuadendo impellere, vt Christianam religionem lubentes colant: Eusebius, inquam, Sozomenus, Theodoritus & Socrates, de clementissimi nostri Seruatoris in mundum aduentu, de eius in cœlos ascensione, de rebus gestis Apostolorum, de certaminibus à sanctis martyribus confectis, & si quid aliud factum sit, dignum commemoratione, vel secus ad aliquam partē regni Theodosij literis accuratissimè prodiderunt. Et quoniam ea, quæ deinceps gesta sunt, illis videntur non multò inferiora, atq; hactenus nullo ordine commemorata sunt: quamuis ipse in eiusmodi rebus tractādis indisertus videar, tamen arbitror laborē in illis memorię prodendis à me ponī, hocq; opus suscipi, inque

A inque eo qui & piscatores singulari imbuit sapientia, & linguam indisertam ita limauit, vt voces articulatim & distinctè possit exprimere, firmam spem collocari debere: ad eum planè finem, vti res gestas iam obliuione intermortuas, quasi ad vitam denuò reuocare queam, sicq; animare oratione, & sempiternę memoriæ commendare: non modò vt quisq; tum quid factum sit ad nostram vsq; ætatem, tum quo tempore, quóue loco, tum quomodo, tum aduersum quos, tum deniq; à quibus, verùm etiam vt nihil dignum memoria, præ languida & dissoluta inertia, obliuione, quæ illi rei finitima est & vicina maximè, obruatur. Ibi igitur diuino adiutus auxilio, initium faciam scribendi, vbi illi scriptores, quos suprà dixi, finem Historiæ imposuerunt. Cum iam impia Iuliani crudelitas sanctorum martyrum sanguine satiata erat, & amens Arij furor veræ doctrinę quasi catenis in concilio Nicæno fabricatis constrictus, & Eunomius ac Macedonius sacrosancti spiritus virtute in Bosphoro acerbè exagitati, & Constantinopoli, vrbe in primis illustri, fracti debilitatiq;, & sancta Ecclesia sordes, quibus recens contaminata fuisset, deposuerat, eratq; ad pristinum decus restituta, & in vestitu deaurato circundata varietate, & amatori ac sponso adornata: hostis probitatis dæmon, quia ista ferre non posset, peregrinum quoddam & monstrosum belli genus contra nos excitauit. Ac cum videret & cultum simulachrorum quasi pedibus conculcatum, & seruilem illam atq; abiectam Arij insaniam penitùs ab Ecclesia depulsam: quanquam verebatur fidem aperte, vt hostis, oppugnare, præsertim à tot ac tam sanctis patribus roboratam, firmeq; munitam (quippe in ea obsidēda multum amisisset virium) ex occulto tamen rem aggreditur, & rogatis quibusdā, responsisq; excogitatis, errorē ad Iudaismum nouo more ac modo traducere studuit: neq; intellexit miser inde se euictum & profligatum iri. Quod autem antea vnum sibi habuit aduersariū, iam idem ipsum reuereri & quodammodo amplecti videbatur: quandoquidem non vtrum Ecclesiam à fide vniuersa detrudere, sed vtrum verbum aliquod in ea deprauare posset, insolens laborauit. Atq; sæpenumero sua ipsius inuolutus malitia, etiam literam ad ipsum sensum & sententiam inuertendam pertinentem immutare subdolè molitus est. Cæterum quemadmodū sensum à lingua disiunxerit, quo hæ duæ res minimè velut vno consensu Deum & syncerè confiterentur, diuinisq; efferrent laudibus, quin etiam qua ratione istarum rerum vnaquæq; gesta sit, & quem ad exitum peruenerit, suo loco explicabo: attexamq; præterea, si quid aliud potero reperire, quod ab instituto videatur alienum, dignum tamen quod historiæ mandetur: ibique finem scribendi faciam, vbi Deo clementi ac propitio visum fuerit.

Euagrius vbi scribendi initium faciat.

Pſal. 44.

Dæmonis astutia.

Quomodo Nestorius ex Anastasij discipuli sui dissertatione, sanctam Dei matrem, non Deiparam, sed Christiparam vocitasse, deprehensus sit, qua de causa hæreticus habitus est. CAPVT II.

Vide Nice. lib. 14. c. 32. Socr. lib. 7. c. 29. 32. 33.

VOniam Nestorius, qui lingua Deum oppugnauit, qui alterum cum Caipha contra filium Dei coëgit concilium, qui blasphemię officinam, in qua Christus denuò trucidatur & diuenditur, instruxit, qui naturas illius (qui in ipsa cruce neos quidem, vti scriptum est, omnino habuit confractum, neq; vestem penitùs textilem à parricidis discissam) diuisit diremitq;, vocem hanc Deiparam, à multis lectis spectatisq; patribus fabricatam repulit, atque adeò reiecit, & vocem Christiparam, ab se veteratoriè effictam & conflatā ei opposuit, seditionibusq; infinitis referſit Ecclesiam, atque intestina ac ciuili sanguinis effusione repleuit: arbitror orationem mihi deesse non posse, cùm ad historiam aptè appositeq; contexendam, tum ad ratione ac via in ea ad finem vsque progrediendum, si Christo omnium gubernatore opem ferente, à nefaria istius impij Nestorij blasphemia exordium capiam. Concertatio in Ecclesijs susceptа hinc habuit initium. Anastasius quidam presbyter peruersa imbutus opinione, Iudaicorum dogmatum, quæ tenebat Nestorius, acerrimus fautor, & ei ad episcopatum proficiscenti comes, vbi Nestorius cum Theodoro in vrbe Mopsoëstia congressus, audita illius doctrina à vera pietate desciuit: Anastasius (inquam) vt à Theodulo in epistola quadam de ijs rebus scriptum est, in disputatione apud populum Christum sanctè colentem, in ecclesia Constantinopolitana habita, palàm ausus est dicere, Nemo Mariam Deiparam vocet. Nam Maria, inquit, homo erat: atq; ab homine Deus nasci non potest. Quæ quidem verba cum populus Christo consecratus grauiter & acerbè ferret, & disputationē illam non sine causa haberet pro blasphemia: Nestorius istius blasphemiæ author & dux, non solùm non prohibuit illum, neque rectam sanamque doctrinam tutatus est, verùm etiam eius verba reuera in primis roborare contendit, & in eisdem defendendis acrius institit. Atque sua ipsius opi-

Ioan. 19. Nestorius Mariam Christi-param nō Dei parā appellat. Nestorius Ecclesiā seditionibus infinitis repletet.

Anastasij consilio impia Nestorius instruxit ad hæresin.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nione hisce adiuncta atque adeò ascripta, venenoq; animi sui in ecclesiam effuso & eic. A
cto, multò maiorem blasphemiam docere conatus est, adeò vt ad suijpsius capitis per-
niciem, hanc impiam sententiam, nimirum, *Ego eum qui spacijs menstruis, hoc est, bimestri & trimestri, & ita deinceps, adoleuerit, Deum certè non appellauero,* proferre non dubitaret: sicut tum à Socrate, tum à priore concilio Ephesi celebrato perspicuè narratum est.

Quid magnus Cyrillus ad Nestorium scripserit, & de tertio Concilio Ephesino, ad quod Ioannes Antiochenus episcopus & Theodoritus tardius accesserunt.

CAPVT III.

Cyrillus Nestorij refutator.

HAec nefaria Nestorij dogmata cum Cyrillus, episcopus Alexandriæ, vir sanè ipsa famæ celebritate insignis, sigillatim per literas refutasset, Nestoriusq; eius scriptis reluctatus est, & neq; Cyrillo neque Celestini antiquæ Romæ episcopi consilijs obsecundauit, sed suum ipsius virus nihil veritus euomuit in Ecclesiam, postu-
lauitq; vt authoritate ac nutu Theodosij iunioris, qui tum Orientis administrauit Im-
perium, primum concilium Ephesi cogeretur. Itaque literæ Imperatoris erant ad Cy-
rillum, & ad alios omnes vbiq; sanctarum Ecclesiarum præsides missæ: quæ diem Pen-
tecostes, quo die vitalis & sacer Spiritus ad nos descendit, conuentui præstituerunt. Ne-
storius autem, propterea quòd Ephesus non longè abest à Constantinopoli, omnino
anteuertit. Cyrillus verò, & qui cum eo erant, eò veniunt ante diem præstitutum. Io-
annes præsul Antiochię vnà cum suis ad diem dictum abfuit, nõ quidem sua sponte, sic-
ut multis videtur, qui eius factum defendere volunt: sed quòd suos episcopos tam citò
cogere non poterat, quippe nonnullæ è ciuitatibus quibus præerant, ab Antiochia (sic
enim olim appellabatur, at iam Theophilis dicitur, id est, ciuitas Dei) homini expedi-
to ac strenuo distant, iter duodecim dierum, & quibusdam amplius eo: & Ephesus ab-
est Antiochia circiter triginta dierum iter. Ac cum Ioannes constanter affirmaret, se
non posse ad statutum diem, id est ad nonum Dominicum (sic enim vocatur) adesse, sui
omnes apud sedes proprias ac suas mansere.

Vide Nicet. lib. 14. c. 39. Socr. lib. 7. cap. 32. 33.

Ephesi ab Antiochia distantia.

Quomodo Ioanne Antiocheno episcopo non præsente, Nestorius gradu depositus sit. B

CAPVT IIII.

VBI igitur quindecim dies vltra diem præfinitam præterierũt, episcopi qui Ephesi conuenerant, quasi iam episcopi versus Orientem habitantes non essent venturi, aut si fortè venirent, multum dilaberetur temporis ante-
quam in vnum cogerentur, Cyrillo locum Celestini episcopatum anti-
quę Romę, vt suprà docui, gerentis obtinente, accersunt Nestorium, hor-
tanturq; vt criminibus ipsi obiectis respondeat. Ac cum superiore die polliceretur se
venturum, si ita res postularet, & postea etiam ter vocatus, promissa negligeret, qui cõ-
uenerant, res in quæstionem vocare cœperunt. Atque cum Memnon antistes Ephesi
dies vltra diem statutum præterlapsos (præterierant autem numero decem & septem)
percensuisset, & diuini & admirabilis Cyrilli epistolæ quas scripserat ad Nestorium, &
quas hic ad illum denuò, essent perlectæ, & epistola illa planè diuina Celestini, viri cum
primis illustris, scripta itidem ad Nestorium, recitata, & Theodotus episcopus Ancyræ,
& Acacius sedem obtinens ecclesiæ Melitinæ, verba blasphemiæ, quæ Nestorius Ephesi
profuderat, in medium protulissent, & multæ præclaræ sententiæ à sanctis & spectatis
patribus sanam & synceram fidem aperiẽtibus in eo congressu commemoratæ, & non-
nullæ etiam, quæ à Nestorio inconsideratè & cum blasphemia prolatæ fuissent, inter
eas interiectæ, sanctum concilium ista totidem verbis contra Nestorium pronunci-
auit: Vt omittamus alia honoratissimi scilicet Nestorij scelera, quoniam à nobis
accersitus, obtemperare noluit, neque sanctissimos religiosissimosque episcopos à
nobis ad eum missos recipere, inducti necessitate, ad impia eius dogmata excutienda
aggressi sumus: & cum partim ex ipsius epistolis & libris à nobis perlectis, partim ex ver-
bis nuper in hac vrbe primaria recitatis ab eo, & quasi testimonio confirmatis, eum im-
piè & sensisse & prædicasse deprehẽderimus, tum Ecclesiæ canonibus, tum epistola san-
ctissimi patris nostri, & collegæ Celestini, episcopi ecclesiæ Romanæ, necessariò com-
pulsi, idque non sine crebris lachrymis ad hanc seueram sententiam contra eum pro-
nunciandam venimus. Itaque Dominus noster IESVS Christus, contra quem blasphe-
mias loqui non dubitauit Nestorius, per istud sanctum concilium decidit statuitque,
eum & episcopatus dignitate abdicandum, & ab omni conuentu sacerdotum penitus
excludendum esse.

Vide Nicet. lib. 14. c. 34.

Nestorius vt contumax dãnatus absens. Memnon antistes.

Theodotus episcopus. Acacius episcopus.

Concilij in Nestorium sententia.

Nestorius epi. scopatus dignitate abdicatus.

Quòd

A *Quòd Ioannes episcopus Antiochenus, quum quinq; dies pòst aduenisset, Cyrillum Alexandrinum episcopum abdicat, & Memnona Ephesinum: quos contrà concilium absoluit, & Ioannem vicissim cum suis loco mouet: & quomodo Cyrillus & Ioannes scriptis ad vtrumq; à Theodosio Imperatore literis in gratiam redierint, & Nestorij abdicationem approbauerint.* CAP. V.

Vide Nice. lib. 14. ca. 35. Socr. lib. 7. cap. 33. †Vide annot. pag. 32. lat. 1. lin. 1.

POst istam autem æquissimam iustissimamq; pronunciatam sententiam, Ioannes Antiochiæ episcopus vnà † cum suis sacerdotibus, quinque dies post abdicationem Nestorij venit Ephesum, & suis omnibus ibi in vnum conuocatis, Cyrillum & Mem-
nonem abdicat. Deinde post libellos à Cyrillo & Memnone, concilio cum his in vnum
coacto (licet Socrates rem aliter, vtpote eiusdem ignarus, commemoret) oblatos, acces-
situr Ioannes, de abdicatione ab ipso facta responsurus. Qui cum iam ter accitus, mini-
mè aduentaret, Cyrillus quidem & Memnon liberantur ab abdicatione, ipse autem
suiq; sacerdotes à sancta communione, & omni authoritate sacerdotali amouentur:
atque vbi Theodosius (qui primò Nestorij abdicationem minimè approbauit, pòst ta-
men eius blasphemia exploratè cognita, eidem assensus est) literas admodum pias ad
Cyrillum & Ioannem episcopos dederat, illi inter ipsos redeunt in gratiam, abdicatio-
nemq; Nestorij ratam faciunt.

Ioannes Ephesum venit.

Socrates reprehensus.

Theodosius Ioannem cum Cyrillo reconciliat.

De aduentu Pauli Emiseni episcopi Alexandriam, & laude, qua Cyrillus Ioannis epistolam prosecutus est. CAPVT VI.

Vide Nice. lib. 14. c. 35.

IEadem tempestate, cum Paulus episcopus Emisæ, aduentasset Alexandriam, inq; ecclesia concionem illam, quæ illius nomine circunfertur, recitasset, Cyrillus epistolam Ioannis ad ipsum scriptam laudauit plurimùm, hæcq; scripsit his ferè verbis, Lætentur cœli & exultet terra: diruta est enim inter-
„ posita materia: & bilis, quæ animos vexabat, compressa, & omnis dissensio-
„ nis materia sublata. Quippe seruator noster, IESVS Christus, pacem largitus est Eccle-
„ sijs, & nos ad idem ipsum impulerunt religiosissimi sanctissimiq; Imperatores: qui qui-
„ dem patriam & auitam pietatem summo studio imitati, rectam veramq; fidem firmã
„ ac stabilem in suis ipsorum animis retinent, singulariq; animi cura ac prouisione san-
„ ctis prospiciunt Ecclesijs, vti ipsi percelebrem nominis famam in perpetuum duraturã
„ inde consequantur, & suum Imperium ad summam gloriam efferant. Quibus Domi-
„ nus exercituum larga liberaliq; manu defert beneficia: largiturq; præterea, vt nõ mo-
„ dò hostes profligent, verùm etiam ab eisdem illustrem semper reportent victoriã. Neq;
„ enim Dominus mentiri poterit, qui dicit: Viuo ego, quòd glorificantes me, glorifico.
„ Atqui cum dominus Paulus, frater & collega noster sanctissimus, venisset Alexandriã,
„ maxima sanè efferebamur lætitia, idq; iure optimo: propterea quòd ille, vir planè exi-
„ mius, se medium interposuit, & grauiores quàm vires ferebant, susceptit in concionan-
„ do labores, quò tum diaboli superaret inuidiam, tum distracta Ecclesiæ membra amo-
„ re copularet, tum deniq; Ecclesiam nostram pariter ac vestram ad mutuam concordi-
„ am & pacem reduceret. Ac paulò pòst addit ista: Quòd autem contentio in Ecclesia sub-
„ orta, leuis fuit, & leui admodum de causa suscepta, iam plenissimè persuasum habemus,
„ quòd dominus meus sanctissimus, Paulus episcopus literas, in quibus sana & syncera fi-
„ dei elucebat confessio, ad me attulit: easq; affirmauit à tua sanctitate & episcopis religi-
„ osissimis, qui ibi sunt, compositas esse. Literæ quidẽ ita se habent, & in epistola ista Cy-
„ rilli totidem verbis inseruntur. De Deipara quidem certè, & quæ sequuntur. Quas vo-
„ ces adeò pias cum legissemus, vosq; ipsos ita sentire comperiremus (Vnus Dominus, v-
„ na fides, vnum baptisma) totius vniuersitatis conseruatorẽ Deum laudibus extulimus:
„ & sumus propterea inter nos animis admodum lætati, quòd vestræ simul & nostræ Ec-
„ clesiæ partim Scripturis diuinitùs inspiratis, partim nostrorum sanctorum patrum tra-
ditione impulsæ, concordem inter ipsas fidem amplectantur. Ista quidem ei qui res id
temporis gestas accuratè indagare voluerit, erunt facilia ad cognoscendum.

Paulus Emisæ episcopus.

Ioannis Antiocheni epistola ad Cyrillum & Cyrilli ad eundem responsio.

Quænam impius Nestorius passum fuisse se literis suis declaret, & quòd tandem lingua vermibus erosa, apud Oasim insulam expirauit.

CAPVT VII.

Vide Nice. lib. 14. c. 36.

QVemadmodum autem Nestorius in exilium eiectus sit, & quid postea de illo factũ, & quem vitæ exitum sit consecutus, & quas pœnas blasphemiæ causa dederit, neu-
tiquam ab illis, qui eius res gestas literis prodiderunt, traditum est: quæ omnia planè
intercidissent, fuissentq; tẽporis diuturnitate ita deleta obrutaq;, vt ne ex illis omnino
vel semel audiri posset, nisi in librum quendam ab ipso Nestorio editum, in quo istarũ

Narratio de Nestorio ex ipsius scripto.

Matth. 7.

rerum continetur narratio, fortè fortuna incidissem. Itaque blasphemiæ parens Nesto- A
rius, qui non super fundamentum firmè positum, sed super arenam ædificium extruxe-
rit (quod quidem, vt domini loquitur parabola, citò dissoluitur) ad eos qui illi crimini
dederant, tum quòd inconsideratè res nouas molitus erat, tum quòd imprudenter po-
poscerat concilium Ephesi cogi, præter alia nonnulla, quibus suam blasphemiam tu-
eri ac defendere volebat: ista præterea scribit, se nimirum ad hoc institutum suscipien-
Christotocos vocabulũ qua occasione introductum à Nestorio. dum necessitate compulsum fuisse, quippe cùm Ecclesia distraheretur, & pars Mariam
hominiparam, vt ita dicam, pars Deiparam nominandam affirmarent: ipse equidem,
inquit, quo in neutram partem peccarem, vel Christum morti minimè obnoxium esse
† Vide annot. pag. 325. lat. 2. lin. 11. asseuerando, vel in alteram partem inclinando, † eũ immortalitate priuarem, hanc vo-
cem Christiparam, qua Maria appellaretur, excogitaui. Porrò autem in eodem libro
ostendit, Theodosium primò propter amorem, quo eum complectebatur, eius abdi-
cationem minimè ratam fecisse: deinde cum quidam episcopi ex vtraque factione ab
vrbe Epheso ad Theodosium (idem ipsum namque Imperator postulauerat) missi es-
sent, potestatem sibi datam ad suum monasterium reuertendi: quod ante portas Anti-
ochiæ, quæ iam Theopolis dicitur, situm est: cuius nomen à Nestorio non ponitur il-
Euprepij monasterium, in quo aliquan diu egit Nestorius. lud quidem, tamen fertur appellatum esse monasterium Euprepij: quod quidem ante
portas Antiochiæ locatum esse pro certo cognoscimus, & ab ijsdem non amplius duo-
bus stadijs distare. Narrat item ipse Nestorius, se in eo loco quadriennij spacio com-
moratum esse varijs affectum honoribus, varijsque præmijs donatum: postea autem re-
legatum ad Oasim edicto Theodosij. Verùm quod caput omnium erat, penitùs occul-
tauit. Neque certè in eo loco vitam degens, à sua destitit blasphemia, adeò vt Ioannes
Antiochię pręsul istam in apertum proferret sententiam, Nestorium scilicet perpetuo
exilio mulctandum esse. Scribit præterea Nestorius alium libellum acutè & subtiliter
ad quendam videlicet Aegyptium, de sua in Oasim relegatione: in quo de ijs rebus dis-
putat vberius. Quę autem pertulerit supplicia ob conceptas ab ipso blasphemias (quip-
pe obtutum Dei omnia contemplantem latêre non potuit) ex alijs literis quas ad † præ-
Nestorium diuina vltio ex improuiso opprimit, vt olim Arium. fectum Thebaidis dabat, satis poterit intelligi. Nam in illis videre licet, quòd cum iu-
† Vide ibi de lin. 28. stas hominibus pœnas non luerit, vltio diuina eum ex improuiso oppressit, & quasi ca-
B ptiuum ducens, in acerbissimam omnium coniecit calamitatem. Nam quoniam ma-
iores luere debebat pœnas, ex Blemmyis, à quibus captus erat, dimissus, Theodosio re-
ditum illi per edicta decernente, circiter extremas oras Thebaidis, de vno loco in alium
demigrans, atque ad terram collisus, finem viuendi dignum antè acta vita est consecu-
tus, ipsoque vitæ exitu alter Arius declaratus: in quo perspicuè elucet, & quasi pro cer-
Arijs & Nestorij similes blasphemiæ. to dignoscitur, quę merces sit impiæ in Christum blasphemiæ proposita. Vterque enim
& Arius & Nestorius in eum similiter iecit blasphemiã, alter appellando creaturã, alter
hominem esse existimando. Libenter equidem à Nestorio, qui acta Ephesi, nõ vt æqui-
Refutatur Nestorij in Cyrillum conuicia. tas poscebat, sed vt astutia & iniqua quasi machinatione Cyrilli aduersus eum insidias
parantis edita, queritur, sciscitari vellem, qua de causa tandem, cùm Theodosius eum
tanto studio prosequeretur, solum vertere coactus sit, & absque vlla misericordia tam
acerbis addictus exilijs, & adeò infelicem vitæ exitum habuerit? Aut quid aliud sit præ-
terea, quàm diuinum iudicium, quod à Cyrillo & cæteris cum eo sacerdotibus facta ita-
tum est, præsertim cum ambobus, id est, Nestorio & Cyrillo in numerum mortuorum
iam ascriptis (quando, vt sapienti inter gentiles scriptori placet, quisque stabili & con-
sentiente omnium beneuolentia, modò nihil sit, quod iure debeat esse impedimento,
honorari solet) Nestorius, vt author blasphemiæ, & Dei hostis iudicatur: Cyrillus au-
tem, vt præco verbi insignis, & strenuus veræ ac salutaris doctrinæ antesignanus, laude
& prædicatione celebratur. Verùm ne crimen subeamus mendacij, ipsum Nestorium,
Nestorij ipsius verba ex epistola ad præfectũ Thebeũ. Oasis, aliàs Ibis. qui nos istas res doceat, in medium adducamus. Age Nestori, recita mihi quædam ad
verbum ex epistola abs te ipso de his quæ iam dudum Ephesi de sanctissima religione
agitabantur, conscripta, & ad præfectum Thebaidis missa. Ex Imperatoris edicto Oa-
sim, „alio nomine Ibin appellatam, demigrare coacti sumus. Ac quibusdam deinceps
interpositis, adiungit ista: Postquam Oasis, quam suprà dixi, à barbaris capta erat, igni-
que & sedibus funditùs vastata, nos ab eisdem barbaris, qui nos, qua causa adducti ne-
scio, sunt derepentè commiserati, dimissi sumus: minacibus quibusdam contestatio-
nibus ad nos perterrefaciendos adiectis, vt quamprimùm è regione illa egrederemur.
Nam Mazici, inquiunt, nobis abeuntibus, sunt extemplò eam occupaturi. Venimus
igitur in Thebaidem cum captiuis quibusdam, quos barbari ob misericordiam (quid
autem voluerint, equidem non habeo dicere) nobis adduxerunt. Postremò isti ad chara
sua quisque domicilia dimissi sunt, nos autem ad Panopolim nosipsos properè recepi-
mus.

A mus. Verebamur namque, ne quis, quoniam captiui eramus, ansam inde ad nego-
„ cium nobis facessedũ arripiens, vel fugitiuorum crimen contra nos confingeret, vel
„ alio quodam accusationis genere (variæ calumniæ hominibus malicios is solent abun-
„ dè suppetere) nos per fraudem implicare moliretur. Quapropter vestram celsitudinem
„ obsecramus, vt nostræ captiuitatis, sicut leges postulant, curam habeatis, & ne patiami-
„ ni quenquam hominem captiuum veteratoribus ad peniciem dedi: ne omnis posteri-
„ tas velut tragicè hoc decantet, satius esse à barbaris duci captiuum, quàm auxilij causa
„ ad imperium Romanum confugere. Atq; iureiurando adiecto, sic præterea ab illis po-
„ stulauit: Nobis per vos, quæso, liceat in hoc commorari domicilio, ad quod ab Oasi, cũ
„ essemus à barbaris dimissi, accessimus, vt quicquid à Deo de nobis decretum sit, id iam *Ex alia eiusdem ad eundem epistola.*
„ nobis obueniat. Ex secunda etiam epistola Nestorij scripta ad eundem, ista itidem sum-
„ psimus: Has literas ad tuam amplitudinem à nobis perscriptas, siue vt argumentum a-
„ moris erga tè mei, siue vt admonitionem à patre ad filium missam ducis, animum, quæ-
„ so, attende rebus in illis explicatis: quæ sanè permultæ sunt, eæque paucissimis verbis,
„ quantum fieri poterat, à nobis comprehensæ. Oasis, quæ Ibis quoq; dicitur, Nomadum
„ multitudine in eam irruptionem facièt e iam pridem penitùs vastata est. Et paulo pòst:
„ Quæ res cum ita accidissent, tua amplitudo, nescio qua causa impulsa, aut qua arrepta *Elephantina regio.*
„ occasione, iussit vt ad regionem quandam, Elephantinam nomine, sitam ad extremam
„ oram prouinciæ Thebaidis, per milites barbaros ex Panopoli abduceremur: quò qui-
„ dem manu militum, quos dixi, miserè raptati sumus. Ac cum itineris longitudine esse-
„ mus fracti contritique, mandatum minimè scriptum illud quidem rursus à tua ma-
„ gnanimitate accepimus, vti Panopolim reuerteremur. Itaque molestijs quæ in tan-
„ to & tam prolixo itinere nobis obtigerunt, debilitati, corpore morbo vexato &
„ præ senectute languido, manibus etiam & lateribus confractis, venimus denuò
„ Panopolim, ibique aduersis casibus, & acerbo dolorum morsu concisi, verè animam
„ egimus. Rursus aliud mandatum scriptum à tua celsitudine ad nos allatum, nos à
„ Panopoli ad quoddam illius confinium traduxit. Ac cum nos iam finem mandatis
„ contra nos editis statutum fore putaremus, expectaremusq; Imperatorum illustriss. de
„ nobis voluntatem, de improuiso aliud crudele sanè dabatur mandatum, vt iam quar-
B to mulctaremur exilio. Ac paulo infrà: Sis, quæso, his rebus gestis contentus: satis sit ti-
„ bi tot exilia contra vnum corpus decreuisse: acquiescas, amabo te, incommodis, quæ iã
„ abs tua amplitudine accepimus. Quæstionem, quæ est exercenda de nobis (per quos o-
„ portuerat causam declaratam fuisse) quæso Imperatoribus nostris inuictissimis, vt æqui
„ tas postulat, permittas. Ista consilia à nobis ad te, tãquam à patre ad filium scripta sunt.
„ Quòd si eadem iam, sicut antea, grauiter & iniquo animo feras, fac quod voluntas iu-
„ bet, si modò vincere ratio non possit voluntatem. Ad istum modum Nestorius tã Im-
peratores, quàm eorum magistratus literis, velut pugnis & calcibus verberare, maledi-
ctisq; figere non dubitauit: neq; rebus aduersis, quas pertulerat, ad modestiam traductus *Nestorius quo modo è vita decesserit.*
fuit. Ipse equidem accepi à scriptore quodam, modum quo decessit è vita, talem fuisse:
nimirum eius linguam vermibus exesam esse, sicq; eum ex huius vitæ miserijs ad grauio-
ra supplicia iusto Dei iudicio infligenda, eaq; sempiterna migrasse.

Quòd Nestorio Constantinopoli successit episcopus Maximianus, et illi Proclus, deinde Flauianus. CAPVT VIII.

Vide Nicer. lib. 14. ca. 37. Socr. lib. 7. ca. 34. 39. 40.

POst scelerati Nestorij mortem, episcopatum Constantinopolis, vrbis percelebris, *Maximianus Nestorij successor, huius Proclus, huius Flauianus.*
capessit Maximianus, cuius temporibus Ecclesia Dei pace fruebatur tranquillissima.
Quo mortuo, Proclus illius sedis gubernacula suscipit. Cui viam vniuersæ carnis con-
ficienti, succedit Flauianus.

De infortunato Eutyche, & quomodo à Flauiano Constantinopolitano episcopo de gradu deturbatus sit, & de secundo concilio, illo scilicet nefario, quod Ephesi coiuit. CAPVT IX.

Vide Nicer. lib. 14. c. 47.

TEmporibus Flauiani, error impij Eutychis oritur, de quo Concilium prouinciale *Eutychis error quando ortus, & quomodo in Synodo Constantinop. damnatus sit, ortus est autẽ anno. 449.*
cogitur Constantinopoli: inq; eo Eusebius Dorylæensis episcopus, & dicẽdi facul-
tate peritus, prolatis libellis, primus Nestorij blasphemiã coarguit. Vbi verò Eutyches
accedit vocatus, istos errores tenere suis ipsius verbis deprehenditur. Nam confiteor, in-
quit, Dominum nostrum, antequam diuinitas cum humanitate coniungeretur, ex dua-
bus fuisse naturis: at post harum rerum coniunctionẽ, vnam solùm naturam in eo ex-
titisse affirmo. Idem etiam corpus Domini non ex eadem substantia cum nostro corpo-
re constare asseruit. Abdicatur igitur sacerdotio: & tamen cum Theodosiũ pro se ipse

Universidad de Deusto. Biblioteca

orauisset(libellos enim contra ipsum à Flauiano falsò confictos dixit)primum concilium A Constantinopoli ex finitimis episcopis ad eam rem exquirendam conuocatur:à quo in Flauianum, & ab alijs quibusdam ecclesiarum præsidibus accuratè inquisitum est. Ac libellis, quòd veri essent, confirmatis, alterum Ephesi celebratur concilium.

Quòd studio & opera Dioscori & Chrysaphij effectum est, vt venisanum Ephesi conciliabulum congregaretur.

CAPVT X.

Vide Nicet. lib.14.c.47.

Dioscorus Cyrilli successor. Ephesina Synodus 2. quæ Latrocinij dicitur, in qua restituitur Eutyches & omnes episcopi bene sentientes condemnatissimus.

HIVius concilij Dioscorus, qui in Alexandriæ episcopatum post Cyrillum successit,quò odium in Flauianum incenderetur(Chrysaphius enim, qui tum præfectus palatij fuit, hanc rem callidè molitus fuerat)præses designatus fuit: eoque Iuuenalis Hierosolymorum episcopus, qui etiam Ephesinam rexisset ecclesiam, multis ipsum comitantibus sacerdotibus commeauit. His accessit Domnus, qui Ioanne mortuo Antiochiæ creabatur antistes: Iulius præterea, qui locum suppleuit Leonis, antiquæ Romæ episcopi. Aderat quoq; Flauianus, cum suis episcopis. Theodosius ista quæ sequūtur Elpidio mandauit: Qui antehac iudicium de Eutyche religiosissimo abbate tulerunt, interfint concilio illi quidem, & quietè se gerant, & iudicandi authoritatē nullam habeant: sed communem omnium sanctissimorum patrum sententiam expectent, quandoquidem ea quæ fuerunt antèab illis iudicata, iam excutiuntur. In hoc concilio Eutyches à Dioscoro ac suis episcopis abdicatione liberatus fuit, sicut in actis eiusdē concilij continetur. At Flauianus & Eusebius Dorylæensis episcopus abdicati. In eodem concilio Ibas quoque Edessenorum episcopus ecclesia interdictus. Abdicatus præterea Daniel episcopus Carrorum, & Ireneus Tyri. Itemq; Aquilinus episcopus Bibli. Nōnulla porrò ibidem acta fuēre contra Sophronium episcopum Constantinopolitanum. Abdicatur etiam ab illis Theodoritus episcopus Cyrenensis, & Domnus quoque ecclesiæ Antiochenæ antistes. De quo quid postea factum sit,non constat. Hoc modo secundum concilium Ephesi habitum, dimissum fuit.

Eutyches à Dioscoro abdicatione liberatus.

B

Authoris pro opinionum apud Christianos repugnantia apologia, & de ridiculis gentilium deorum deliramentis.

CAPVT XI.

Vide Nicet. lib.14.c.48.

Excusat diuersitatem iudiciorum de controuersijs Religionis Christianæ. Clementia Dei imperuestigabilis.

NE quisquam gentilium, qui insano simulachrorum colendorū erroreducuntur, nos Christianos propterea irrideat, quòd posteriores episcopi priorem sententiam abrogant, & semper videntur aliquid noui fidei nostræ adiungere. Nam nos,quanquā clementiā Dei,quæ nec verbis exprimi, nec ratione vlla peruestigari possit, sedulò perscrutamur: hoc tamen animo sumus, vt siue in hanc siue in illam sententiam deflectimus, eam assiduè summa gloria decoremus,laudibusq; in primis extollamus. Neq; quisquam eorum qui hæreses inter Christianos excogitarunt, dedita opera blasphemiam loqui voluit, neq; sua sponte ad diuinum numen contumelia afficiēdum ruere: sed potius persuasum habuit, si hoc vel illud asseueranter affirmaret, se melius dicturum, quàm alios qui ipsum antegressi fuissent. Ac quod ad ea quæ sunt fidei fundamenta, quæq; rata esse debent,attinet,communi omnium consensu conceduntur. Nam numen quod adoramus, Trinitas iudicatur:& personæ,quibus laudes decantamus,vnitas: Deiq; Verbum ante secula genitū,& ob commiserationem creaturæ suæ secunda generatione incarnatum creditur. Quod si in alijs rebus quædam nouantur, fiunt ea quidem, Deo liberè hominum voluntati permittente potestatem, de illis pro arbitratu sentiendi, quo sancta, catholica & apostolica Ecclesia ea quæ in vtramq; partem dicantur, coerceat, ad sanam doctrinam veramq; pietatem traducat, & ipsa ad planam rectamq; viam se recipiat. Et ob hanc causam dictum est ab Apostolo planissimè: Oportet hæreses in vobis esse, vt qui probati sint, manifesti fiant. Atque in hoc etiam arcanam Dei sapientiam licet admirari, ad diuum Paulum sic loquentis: Virtus mea in infirmitate perficitur. Ex quibus namque rebus Ecclesiæ disrupta sunt membra, ex eisdem recta dogmata, quæ in nullam reprehensionem possunt incurrere,accuratius limantur,& reponuntur integrius, & Ecclesia catholica indies crescit,& ad cœlum quodammodo extollitur. Gentiles autem erroris alumni, qui neq; Deum neq; eius de hominibus susceptam curam omnino studient inuenire,hi & quæ antegressa sunt,& quæ ipsi inter se sanciuerunt, antiquant, tum nouos deos,alios ex alijs excogitando, tum suas animorum perturbationes pro dijs consecrando, nominaque deorum illis imponendo, tum denique res eiusmodi in deorum numerum abscribendo, quo suæ ipsorum intemperantiæ parent impunitatem. Ac propterea

Hæreses magna Dei prouidētia cedūt in Ecclesiæ vtilitatem In Gentium Deos.

A pterea certè,qui apud illos summo habetur pro Deo,pater nempè hominumq; deūmque,in auis speciem mutatus,adolescentulum Phrygem per lasciuiam rapuit, mercedemq; turpis & flagitiosi facinoris poculum tribuit,amoris causa propinare ipsi permittens,quo cum nectare probra vterque communiter hauriret. Idem Deus alijs infinitis se obstrinxit sceleribus, quæ etiam vulgus hominum detestatur. Nam in omnem speciem animantium rationis expertium se commutans flagitiosissimus ille,androgynus factus est:& quanquam fœtum non gessit vtero,fœmore tamen gessisse dicitur, vti hæc res ab eo contra naturam fieri videretur. A quo etiam Bacchum editum ferunt,eumq; androgynum quoq; fuisse,qui vtrumq; sexum affecit ignominia:eundemq; extitisse ducem ebrietatis,temulentiæ, crapulæ,grauedinis ex hesterna ingurgitatione contractæ, & malorum inde nascentium. Huic Aegiocho,& altitonāti Ioui aliud facinus memorabile attribuunt,parricidamq;(quod scelus apud omnes gentes grauissimo supplicio coerceri debet)nuncupāt. Nam Saturnum, qui eum ad perniciē in lucem ediderat, memorant ab eo è regno exturbatum. Quid stuprum commemorem,in deos relatum,cui Venerem Cypriam è concha fatam præficiunt: quæ & continentiam, tanquam scelus execrabile & planè absurdum odit,& stupris omniq; flagitij genere delectatur, seque his placari vult. Qua cum Mars turpitudinem admisit, Vulcaniq; astutia constrictus, dijs contemplandus deridendusque proponebatur. Quis est,qui non iure rideat illorū Phallos, Ithyphallos, Phallagogia, maximumque illum Priapum & Pana turpi membro honoratum, & mysteria in Eleusine celebrata,ob vnam rem solùm laudāda, quòd ea sol non videt,sed in tenebris peragenda decernuntur. Verùm istis,qui turpiter & colunt & coluntur,relictis, redeamus,vnde digressi sumus, & reliquam partem Imperij Theodosij omnium quasi oculis subijciamus.

Iupiter in aquilam mutatus Ganymeden rapit.

Iuppiter Androgynus.

Bacchus androgynus.

Saturnus regno expulsus.

Venus Cypria

Quomodo Theodosius Imperator hæresim Nestorij abegerit.

CAPVT XII.

B Ium admodum decretum à Theodosio scriptum est, & positum in libro Iustiniani, qui Codex dicitur,lege tertia primi tituli: quo quidem Nestorium, cuius amore ac desiderio olim,sicut idem ipse scribit Nestorius,admodū tenebatur,diuina impulsione ad id incitatus, omnibus, vt dicitur calculis condemnauit,eiq; denunciauit anathema. Sic enim scribit: Ità decernimus,vt qui impiam fidem sectentur Nestorij,aut nefariæ eius doctrinæ obtemperent,si episcopi fuerint,è sanctis ecclesijs eijciantur: sin laici, damnentur anathemate. Extant aliæ leges ab eo pro nostra religione editæ,quæ ardens illius erga eam studium perspicuè declarant.

Extat hæc lex in codice Iustiniani eo loco,quo hic indicatur,idq; Græcè & Latinè, in ijs tamen editionibus,quæ correctæ sunt. in Theodosiano codice non est.

De sancto Symeone, qui columnam incolebat.

CAP XIII.

Vide Nicet. li.14.c.51.

EIsdem temporibus floruit,inq; magna gloria fuit Symeones, vir & insignis pietatis,& memorię percelebris: hic primus stationē in columna instituit, domicilium que in ea,cuius mensura vix duos continebat cubitos,construxit. Per idem tempus Domnus Antiochenum procurauit episcopatum: qui vbi venit ad Symeonem,mansionem & rationem viuendi admiratus, ea quæ apud illum secretiora erant,cognoscere valdè cupiebat. Ambo igitur simul ingrediuntur,& puro Christi corpore consecrato,vitalem inter se mutuò participant cōmunionem. Iste Symeones vitam cœlestium potestatum in carne æmulatus, se à rebus terrenis abstrahere laborauit,vim afferre naturæ, quæ solet suopte nutu deorsum ferri, res in sublimi locatas persequi:& inter cœlum & res terrestres quasi medius interiectus,cum Deo colloqui,eum pariter cum angelis laudibus extollere, & tum preces pro hominibus è terra in cœlum subleuans, Deo offerre, tū misericordiam Dei de cœlo in terram deferens, hominibus imperiri. Huius res gestas literis prodidit sùm alius quidam, qui eum oculis aspexisset, tum Theodoritus ecclesiæ Cyrenensis episcopus eadem disertè exposuit: à quo cùm alia, tum hoc, quod deinceps dicemus, in primis prætermissum est, quod quidem inuenimus apud sanctæ eremi incolas reseruatum, ipsumque ab illis accepimus. Cùm Simeones iste, qui in terra angelus, in carne cœlestis Hierusalem ciuis fuit, peregrinam hanc viuendi viam, hominibus planè incognitam institueret, sanctæ eremi incolæ mittunt quendam ad illum, iubentque vt ab eo sciscitaretur,quid hæc noua & inusitata vitæ ratio sibi vellet,& quamobrem trita viuendi via & sanctorum pressa vestigijs relicta,aliam quandam peregrinā,

Symeones quā do floruerit.

Domnus episcopus cum Symeone cōgressus.

Symeonis res gestæ à Theodorito descriptæ, sed non plenè.

Universidad de Deusto
Biblioteca

& hominibus omninò ignotam sequeretur: eumq; hortantur per nuncium, vt ex suo A domicilio descenderet, viamq; electorum patrum instaret. Quòd si alacri animo ac parato descendere videretur, mandarunt, vt ei sua ipsius viendi via insistendi potestas fieret, (ex obedientia enim satis constare posse dixerunt, eum Deo duce in eam viam ingressum fuisse, tamque graue certamen ad se afflictandum in vita suscepisse) sin resisteret, aut suæ inseruiret voluntati, ac non statim ipsorum hortationi morem gereret, vt vi inde abstraheretur. Nuncius, vbi accessit ad eum, & patrum mãdatum illi exposuit, isq; extemplo alterum produxit pedem, patrum hortationi obsecuturus, permisit sua ac propria viuendi via incedere, sic eum affatus: Bono animo sis, & strenuè rem gere, statio tua à Deo est instituta. Hęc res ab alijs, qui de eo scripserunt, prætermissa, digna tamẽ quæ literis prodatur, à me hoc loco commemorata est. Virtus porrò diuinę gratię tam penitùs in istius insedit animo, vti ad Imperatorem Theodosium per legem iubentem, vt Iudæis Antiochiam incolẽtibus ipsorum synagogę, quas antè Christiani ab illis abstulissent, redderentur, adeò liberè scripsit, adeoq; acriter eum propterea increpauit (solum namq; suum imperatorem Deum veritus est) vt Imperator Theodosius, quòd Christianorum satisfaceret voluntati, sua mandata reuocaret, præfectumque qui ipsum de Iudæorum synagogis reddendis docuerat, abdicaret magistratu, & sanctissimum ac aërium oraret martyrem, vti nominatim pro ipso Deum obsecraret obtestaretur q;, atq; sua ipsum impertiret benedictione. Iste Symeones hoc seuerum viuendi genus in carne traducẽs, vitam ad quinquaginta sex annos propagauit. Nam in monasterio, in quo primùm diuinas viuendi præceptiones didicit, annos vixit nouem: in Mandra autem, sic enim vocatur, quadraginta septem: atq; horum annorum decem in loco admodum angusto confecit: in columnis arctioribus, septem: deniq; in columna quadraginta cubitorum, triginta. Huius sanctissimum corpus post migrationem è vita Antiochiam deportatum fuit, Leone tum Imperium gerente, & Martyrio administrante episcopatum Antiochiæ: Ardaburio prætereà præfecto præsidiorum in Oriente, cum militum ducibus & cæteris ordinibus in ipsa Mandra commorantibus, seruantibusq; sanctissimum beati Symeonis corpus, ne vrbes vicinæ illud surriperent. Itaq; corpus sacratum, multis miraculis in itinere editis, defertur Antiochiam: quod Leo Imperator posteà ab Antiochenis petiuit. At Antiocheni contrà Imperatori aliud postulatum offerebant, B quod ita se habet: Quoniam ciuitas mœnibus caret (Imperatoris namq; furor ea diruit) « sanctissimum Symeonis corpus huc apportauimus, vt nobis & muri & munimenti lo- « co sit. Quibus verbis persuasus Leo, eorumque obsecutus postulationi, venerandũ cor- « pus illis concessit. Istius corporis cùm multæ aliæ partes ad nostram vsq; ætatem fuêre reseruatæ, tum caput ipse equidem conspicatus sum: Gregorio viro magni nominis id temporis episcopatum illius ecclesiæ gerente, & Philippico efflagitante vti sanctorum reliquiæ, quo tutius in Oriente expeditiones militares faceret, ad ipsum mitterentur. Atque quod valdè mirandum videtur, capilli in capite inhærẽtes, minimè consumpti sunt, sed perinde, ac si viueret, & cum hominibus versaretur, integri manserunt. Frontis item cuticula, quanquam contracta fuit in rugas, exaruitque, tamen mansit incorrupta: multi etiam ex dentibus, qui hominum fidelium manibus minimè fuissent euulsi: hiq; figura sua indicarunt, qualis diuinus ille Symeones fuerit, & qua statura. Ibi quoque catena ferrea quam collo gestabat, reponebatur: qua cum (nam ne mortuum quidem charum illud ferrum Symeonem deseruit) corpus omnium sermone celebratũ, quod tam graues exantlasset labores, diuinos honores consecutum est. Cuius singulas res gestas cum ad meam ipsius, tum ad legentium vtilitatem narrando percenserem, nisi de eisdem à Theodorito, vti suprà dixi, vberius diffusiusque disputatum esset.

Obedientia argumentũ pietatis.

Theodosius quantum tribuerit Symeoni.

Symeonis vitæ cursus & mors & trãslatio Antiochiã vsque.

Symeonis caput visum Euagrio.

Symeonis catena ferrea.

De stella, quæ sæpenumero in porticu columnæ Symeonis conspicitur, quam scriptor hic & alij complures viderunt, & de ipso etiam S. Symeonis capite.

CAPVT XIIII.

DEinceps aliud, quod ipse oculis vidi, scriptis mandabo. Permagno tenebar desiderio templum istius sancti Symeonis aspiciendi. Abest autem Theopoli, id est, Antiochia, stadijs ad summum trecẽtis, positum in ipso montis iugo. Istud Mandriam vocant indigenæ: cui loco seuera vitæ disciplina, arbitror, quam sanctissimus Symeones in eo exercuit, istud nomen tribuit. Montis autem accliuitas porrigitur ad viginti stadia. Templi ædificium extructum est in modum crucis, porticibus ex quatuor lateribus pulchrè illustratum. Porticibus verò columnæ ex polito lapide concinnè fabricatæ, adiunctæ sunt, quæ tectum scitè admodum in sublime erigunt. Versus medium templum, atrium est sub dio, summo artificio elaboratum: in quo

Vide Nice. lib. 14. c. 51.

Symeonis templum.

Columna in atrij medio.

A quo sita est columna illa quadraginta cubitorum, in qua vitam cælestem iste terrestris corporeusque angelus transegit. Atqui porticus, quas diximus, tanquã cancellos, quos fenestras vocant, in tecto habent, tum ad atrium, tum ad ipsas porticus vergentes. Ad læuam columnæ in vno cancellorum ipse equidem cum tota agricolarum circa colũnam incedentium multitudine ibi in vnum coacta, vidi stellam inusitata magnitudine, discurrentem per totam rimam, iubarq; fundentem: neque id quidem semel bisue aut ter, sed sæpius, eandemque crebrò euanescentem, & ex improuiso apparentem denuò: quæ solùm in istius sanctissimi viri die festo cernitur. Sunt qui memorant (ac miraculo sanè tum propter fidem eorum, qui idem ipsum narrant, tum propter alia, quæ ipsi sumus conspicati, credendum est) veram personæ illius effigiem huc illucq; volitãtem se vidisse, barba demissa, & capite, vt solet, tiara operto. Viris, qui ad eum locum veniunt, liber & facilis patet introitus: hiq; cum iumentis suis columnam sæpè circumeunt. Fit autem custodia accuratissima, ne mulier (qua de causa haud equidem habeo dicere) aliquando in templum ingrediatur: sed si quæ accedunt, extra limen consistunt, miraculum admiratæ. Nam eregionè stellæ fulgentis vna ex portis sita est.

Stellæ & sancti facies apparentes eius die festo.

Mulieres templum Symeonis non ingrediuntur.

De Isidoro Peluseota. & Synesio Syrenæ episcopo.

CAPVT XV.

Vide Nice. l. 14. c. 53. 54. 55.

EOdem Imperatore regnante, magno etiam in honore fuit Isidorus, cuius gloria ob illius tum facta, tum dicta longè lateq; peruagata est, omniumq; sermone celebrata. Iste carnem sic macerauit laboribus, sicque animum arcanis & diuinis doctrinis saginauit, vt vitam angelicam in terris traduceret, & viuam expressamque effigiem vitæ monasticæ, & diuinæ contemplationis omnibus perpetuò intuendã proponeret. Scripsit quidem cùm alia multa opera perquàm vtilia, tum vnum ad Cyrillũ: ex quo perspicuum est, cum eisdem cum admirabili illo Cyrillo vixisse temporibus. His iam à me ea elegantia qua poteram explicatis, deinceps veniat in medium Synesius Cyrenensis, vti mentione, quæ de illo fiet, nostra illustretur oratio. Iste Synesius fuit cum in alijs rebus disertus, tum in philosophia egregiè excolenda adeò præ cæteris eximius, vt etiã à Christianis, qui neque amore, neq; odio adducti, de eo iudicium fecerunt, in magna B haberetur admiratione. Itaque illi persuadent, vt licet nondum doctrinam de resurrectione carnis admisisset, neque ita censere vellet, salutari regenerationis lauacro tingeretur, & iugum susciperet sacerdotij: rectè admodum de eo augurantes, quòd hę res alias eius virtutes sequerentur, diuinaque gratia nihil pateretur in eo desiderari. Quæ spes illos minimè frustrata est. Nam qualis & quàm eximius vir euaserit, argumento sunt tum epistolæ ab eo post sacerdotij susceptionem eleganter & ornatè compositæ, tum liber ille, quem dedicauit Theodosio, tum aliæ præclaræ illius, quæ extant lucubrationes.

Isidorus quo tempore floruerit.

Isidori opera.

Synesius Cyrenensis eiusq; scripta.

Quòd diuus Ignatius à Theodosio Roma translatus, Antiochiæ sepultus est &c.

CAPVT XVI.

MAiora robustioraq; Ignatij viri planè diuini ossa à bestijs relicta (quæ, sicut tum à Ioanne rhetore, tum ab alijs memoriæ proditum est, posteaquam sanctus martyr bestiarum ventres, vti ei erat in optatis, sepulchri loco in amphitheatro Romano cõsecutus fuerat, Antiochiã deportata fuerunt) regnante etiam Theodosio, quod fuit longo tempore post eius martyriũ, in cœmiteriũ trãslata sunt: quippe Deus opt. max. animũ Theodosij impulit, vt diuinũ illũ martyrem maioribus afficeret honorib. & templũ iam olim dæmonibus dedicatũ (quod indigenæ templum Fortunæ nuncupant) Ignatio victori & martyri consecraret. Itaque quod olim Fortunæ dicatum fuit, iam sacrum sanctuarium, & templum augustum ad Ignatij memoriam celebrandam factum est: cuius martyris sacræ reliquiæ curru cum solenni pompa per ciuitatem portatæ, & in templo repositæ fuerunt. Qua de causa festum celebre, & læticiæ communis ad nostram vsque ætatem peragitur: quod quidem festum à Gregorio pontifice multò maiore magnificentia illustratum est. Ista propterea in eo loco facta fuerunt, quòd Deus sacras sanctorum suorum memorias ibi coli honorarij; voluit. Nam sceleſtus ille & impius tyrannus Iulianus, quoniam Apollo (qui in Daphne coli solet, quiq; vocem & vim vaticinandi ex fonte, qui Castalius dicitur, hausit) ei tum Imperium gerenti, sciscitantiq; illius oraculum, responsum dare non poterat (sanctus namque Babylas, cuius corpus in proximo cõditum fuit, ei os obturauerat) Iulianus, inquam, licet inuitus, & quasi plagis ad eam rem cõpulsus, sanctum Babylæ corpus honorificè ex eo loco transtulit, templumq; amplissimum, quod adhuc integrum manet, ante portas vrbis Antiochiæ extruxit: hocq; egit ad eum planè finem, vti

Ignatij ossa Antiochiam deportata ibique recondita dedicato in eius honorem templo. Ioan. Rhetor.

Apollo Daphnæus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iulian Imp. Babylæ martyri templum extruit.

vti dæmones in posterum sua liberè obirent negocia, quemadmodum se facturos antè A Iuliano, vt fertur, polliciti fuissent. Verùm istud certè Dei seruatoris prouidentia administratum fuit, cùm vt virtus, quæ insit martyribus, omnibus pateat, tum vt sacratæ huius sancti martyris reliquiæ in locum transferrentur sacratum, & templi præclarissimi honore decorarentur.

De Attila rege Scytharum, & quomodo partes tum Orientales, tum Occidentales depopulatus sit, & de inaudito terræmotu, alijsq; terribilibus, quæ orbi incumbebant signis.

CAPVT XVII.

Vide Nice. lib. 14. c. 57.

Attilæ bellū.

Priscus rhetor Attilæi belli scriptor.

Terræmotus sub Theodosio, itemq; & inundatio.

TEmporibus ijsdem bellum, quod multorum sermone celebratur, ab Attila Scytharum rege excitatum fuit: de quo accuratissimè disertissimeque cum magno verborum apparatu scribit Priscus rhetor, ostenditque & quo modo partes tum Orientem tum Occidētem versus inuaserit, & quas ac quàm multas vrbes subegerit, & quibus deniq; rebus gestis nobilitatus, ex hac luce migrauerit. Porrò autem eodem Theodosio Imperium gubernante, maximus maximeque memorabilis terræmotus, qui sua magnitudine omnes terræmotus, qui antè extitissent, omninò obscurauit, orbem terrarū occupauit, propè dixerim vniuersum: sic vt multæ turres in palatio ad terram ruerent, murus Cherrhonesi, qui longus dicitur, concideret, dehisceret terra, & multos pagos deglutiret, multæ atq; adeò innumerabiles terra mariq́ue grassarentur calamitates, nō nulli fontes exiccarentur, alibi aquæ, vbi nullæ antè fuissent, inundarent, arbores ingentes extirparentur radicitùs, plurimæ terræ moles ita coaceruarentur, vt montes efficerent, mare pisces ejceret mortuos, multæ in eo submergerentur insulæ, nauigia per mare tranantia, vndis retrocedentibus, in arido consistere cernerentur, multa denique loca Bithyniæ, Hellesponti, & vtriusque Phrygię grauibus afficerentur incommodis Hęc clades terram multum diuque oppressit: non tamen tam grauis esse pergebat, vt cœperat, sed vsque eo sensim langueſcere & remittere videbatur, quoad penitùs extincta esset.

De Antiochiæ ædificijs, & illorum conditoribus.

CAPVT XVIII.

B

Antiochiam ædificijs memorabilibus exornarunt, Memnonius,

Zoilus,

Calixtus.

EAdem tempestate Memnonius, Zoilus & Calixtus, viri propter accuratam no strę religionis obseruationem præstabiles, à Theodosio ad magistratus Antiochiæ gerendos missi fuerunt. Ac Memnonius quidem locum illū, qui à nobis Plephium appellatur, à primis fundamentis magnificè & artificiosè extruendū curauit, atrio, quod libero cælo patebat, in medio relicto. Zoilus autem regalem porticum (hoc quidem nomine etiam nostra ætate, quamuis multis variatus ędificijs, nuncupatur) qui ad Australe latus tecti palatij, quod Ruffini nomen obtinet, spectat, exædificauit. Quinetiam Calixtus magnificum & illustre ædificium, quod tum à veterib. tum ab huius ætatis hominibus porticus Calixti dicitur, ante sedes, quæ ad exercendum iudicium positæ sunt, eregione fori (in quo pulcherrima domus est, quam præfecti præsidiorum incolere solent) extruxit. Post istos Anatolius rursus, qui ordinibus in Oriente militiam exercentibus præficiebatur, eò missus porticum ipsius nomine appellatam ædificauit, camq́; varia exornauit materie. Ista quidem, licet à proposito videantur aliena, sunt tamen studiosis non inelegantia ad cognoscendum.

De bellis varijs tum in Italia, tum Perside regnante Theodosio susceptis.

CAPVT XIX.

Theodosius Persarum furorem euincit.

Scriptores rerum Theodosij Eustathius Syrus & Epiphanius.

REgnante item Theodosio crebræ in Europa seditiones conflatæ, idq́; dum Valentinianus Romæ imperabat: quas Theodosius ingentibus copijs & exercitu tum pedestri tum nauali terra mariq́; emissis, adeò penitus repressit. Atque eo pacto etiam Persarum euicit furorem, quorum rex tum fuit Isdigerdes, pater Bararanis (vel vt Socrati placet, ille ipse Bararanes) & missis ab illis de pace legatis, pacem eis concessit: quæ ad duodecimum annum imperij Anastasij continuata est. Quæ res cùm ab alijs scriptoribus commemoratæ sunt, tum ab Eustathio Syro ex Epiphanio valdè scitè & eleganter compēdio quodam explicatæ, qui quoque scribit, quo pacto Amida capta fuerit. Eodem tempore Claudianum & Cyrū poëtas hominum fama celebratos ferunt. Ac Cyrum primarium præfectum, quem maiores nostri præfectum aulæ vocant, constitutum: copijsque Romanis versus Occidentē eo tempore præfuisse, quo Carthago capta fuit à Vandalis, & Genzericus barbarorum ductauit exercitum.

De

A *De Eudocia Imperatrice & filia eius Eudoxia, & de eius Hierosolymas profectione & statua, qua ab Antiochenis donata est &c.*

CAPVT XX.

Vide Nice. lib. 14. c. 50.

Eudocia Theodosius in matrimonium ducit, ex qua Eudoxiam procreat. Vxorē postea Valentiniani.

ISte Theodosius impulsu Pulcheriæ Imperatricis, fororis suę, Eudociam, genere Athenienſem, forma sanè perhonesta & liberali, postquam salutari baptismatis lauacro tincta fuit, duxit in matrimonium, ex qua filiam suscepit, nomine Eudoxiam. Hanc cum esset nubilis, Imperator Valentinianus duxit vxorem, abduxitq́; Roma antiqua, & ad Constantinopolim deduxit. Eudocia verò posteà ad sanctam Christi Dei ciuitatem profecta est, vbi habita oratione ad populum, in extrema parte illius hoc carmen recitauit:

Scirpe satam vestra me, & sanguine glorior esse.

Quo quidem significauit, colonias è Græcia eò deductas fuisse. Quòd si quisquam istarum rerum accuratius cognoscendarum studio teneatur, sunt à Strabone Geographo, Phlegonte, Diodoro Siculo, Arriano, & Pisandro poëta, ab Vlpiano præterea, Libanio, & Iuliano Sophistis omnium præstantissimis, scriptis exquisitè mandata. Posteà autem Antiochiam profectam, Antiocheni illam statua ex ære artificioſe fabricata, quæ adhuc integra seruatur, honorarunt. Eius hortatu Theodosius impulsus, maximā ciuitati adiūxit accessionem, murumq́; amplificauit ad portam vsq;, quæ ad Daphnem suburbium ducit, sicut cuiq́; cupienti perfacilè est videre. Nam ad nostram vsque ætatē veteris muri vestigia exiptis reliquijs, quæ oculos quodāmodo ad eam quasi manu ducunt, facilè indagari possunt. Sunt tamen, qui dicunt, murū illum ab antiquiore Theodosio dilatatum: quinetiam eundem aurum ducētarum librarum reficiendo Valentis balneo in quadam parte accenso tribuisse.

Scriptores originum & antiquitatum.

Theodosius Antiochiæ magnam accessionem adiungit.

Quòd Eudocia multa Hierosolymis præclarè administrauit, & de diuersa monachorum Palæstinæ victus quotidiq́ue ratione.

CAPVT XXI.

Vide Nice. lib. 14. c. 50. B

Eudociæ bis Hierosolymā profectæ, quid ibidem præstiterit.

EVdocia verò Constantinopoli Hierosolymam bis profecta est: & quanq́; qua de causa, aut quid potissimùm, vt aiunt, animo intenderet, eis qui de vita illius scripserūt, licet mea quidē sententia, minimè verè rem, vt gesta est, narrant, relinquendum censeo: tamen constat, eam cum in sancta illa Christi ciuitate versabatur, multas res ad Dei seruatoris honorem illustrandum, gessisse. Nam sancta ædificauit monasteria, & loca illa, quæ Lauras vocant: in quibus tametsi varia ratione viuitur, tamen vitæ institutio ad vnum eundemque finem spectat, eumque sanctissimum. Nam alij gregatim vitam degunt, nihil rerum, quæ animos hominum ad terram deprimere solent, possident, quippe aurum illis non suppetit: at quid dixi aurum? imò verò, ne propria vestis, aut cibariorum quicquam. Nam quo pallio aut tunica vnus iam induitur, alter vestitur eodem paulò pòst, adeò vt omnium vestitus vnius esse videatur, & vnius omnium. Quinetiam mensa communis apponitur, non opiparis instructa delicijs, aut alio quouis cibariorum genere: sed oleribus solum & leguminibus apparata, ijsque eatenus suppeditatis, quatenus solùm satis essent ad viuendum. Porrò autem in precibus solùm, quas communiter inter ipsos ad Deum fundunt, se dies noctesque defigunt: sicq́; atterunt sese, sic laboribus affligunt, vt mortui insepulti super terram iacentes videantur. Nonnulli eorum leges, quas ὑφηθέσμους vocant, id est, leges legibus, quibus tenentur, suprà irrogatas, sæpè exequuntur: quippe ieiunant ad biduum, atque etiam ad triduum. Sunt ex illis, qui quinque dies continuos & amplius ieiunant, & vix tum quidem cibum capiunt necessarium. Alij autem aliud ingrediuntur viuendi genus, idq́; diuersum à superioribus. Nam se separatim in ædiculas concludunt, quæ tantum habent latitudinis altitudinisque, vt in illis neque corpore erecto consistere, neque se liberè inclinare possint. Quorum alij, vt est apud Apostolum, in speluncis & cauernis vitam assiduè degunt, vnaque cum bestijs habitant, & in quibusdam occultis & ignotis terræ latibulis Deo precationes adhibent. Quinetiam alius viuendi modus à nonnullis eorum excogitatus est, qui omnem fortitudinis & tolerantiæ vim superat. Etenim viri ac mulieres in solitudinem ardoribus efferuescenten se abdunt, & solis illis membris, quæ naturæ seruiunt necessitati, obtectis, reliquum corpus frigoribus immensis & feruidis aëris caloribus nudum exponunt, æstu æquè atque algore contempto. Eò accedit, quòd alimentis, quibus homines vesci solent, penitùs reiectis, depascuntur terram, vnde βόσκοι, id est, pabulatores appellan-

Diuersa monachorum victus instituta ad eundem tamen finem spectantia.

Hebr. 11.

Monachi Palæstinæ βόσκοι

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui victus cõ suetudine vt imitantur, ita moribus quoq; referũt feras. Aliud genus monachorum.

pellantur: indeq; solum victum sibi suppeditant, adeò vt tempore beluis similes effici. A antur, quippe cùm forma corporis & animi habitu ab alijs hominibus omninò discrepent. Ac si fortè viderint homines, statim aufugiunt: & si qui eos insequantur, aut elabuntur velocitate pedum, aut abstrusis terræ locis, ad quæ difficulter accedi possit, se occultant. Aliud præterea commemorabo, quod quamuis præ alijs meritò primas tenet, ipse tamen penè præterijssem. Etsi perpauci sunt ex hoc genere, sunt tamẽ aliqui, qui simul ac virtutis subsidio ab omnibus animi perturbationibus liberi ac vacui sint, prodeunt in hominum societatem, seq; in medias turbas inijciunt, seq; dementes esse simulant: sicq; inanem gloriam, quam vt sapiens Plato ait, anima postremò omnium, tanq; vltimam tunicam solet exuere, quasi pedibus conculcant. Adeò etiam sine delectatione cibum capiunt, inq; ea re tam austeram exercent disciplinam, vt siue ad cauponam, siue ad lupanar eos diuertere cogat necessitas, nec locum refugiunt, nec operiunt faciem, nec quicquam prorsus erubescunt. Porrò, balneis crebrò vtuntur, ac sæpè vnà cum mulieribus versantur, simulque lauant sese: atque ita perturbationum omnium sunt expertes, vt naturam ipsam sibi subiecisse videantur: quandoquidem neq; aspectu, neq; tactu, neque denique ipso complexu mulieris ad naturalem concupiscentiam inclinari impelliue possunt. Sed sunt cum viris viri, mulieres autem cum mulieribus: atque tametsi non recusant cum vtroque sexu coire societatem, tamen vnius solum vsum norunt. Verùm vti comprehendam breui, in hoc sanctissimo diuinissimoque vitæ genere virtus naturæ iura præscribit, legesque constituit proprias: nempè vt nemo eorum, res ad vitã necessarias capiat ad satietatem, quandoquidem ipsorum lex cos esurire & sitire iubet, corpus eo vestitu tegere, quem poscit necessitas. Eorum vitæ ratio adeò exquisitis libratur laudibus, vt cum in contrariam partem, eamque ab altera multùm distantem se inflexerint, nullam se mutationem fecisse sentiant. Ita enim res contrariæ in illis temperatæ sunt, diuina gratia ea, quæ nullo modo commisceri poterant, in vnum cogente, eademque rursus dirimente, vt vita in illis ac mors, duæ res & natura & effectu pugnantes maximè, simul habitent: & in quibus rebus perturbationes dominari solent, in illis mortui esse, & quasi in sepulchro conditi: & vbi assidua facienda sit ad Deum precatio, ibi, etiamsi ætate exacta fuerint, corpore valentes & viribus integris esse videantur. Atque sic in istis vtrunque vitæ genus cohæret, vt certè tum veluti carne prorsus deposita, perpetuò viuant, cumque viuis versentur. tum corporibus medelam adhibentes, supplicum voces Deo offerant, aliaque officia, quæ superiori viuendi modo aptè conueniant, exequantur, & neque rebus necessarijs egeant, neq; locis circumscribantur, sed omnes audiant, & cũ omnibus versentur: crebris, imò verò assiduis genuum flexionibus vtuntur, quas graues vicissim stationes excipiunt, solo appetitu ætatem, & imbecillitatẽ spontè susceptam recreante. Sunt athletæ carne nudati, sunt luctatores expertes sanguinis: qui etsi ieiunium habeant pro cõuiuio omni ciborum genere instructo, proq; opiparis delicijs, ac nihil, si modò ita viui possit, gustare, loco mensæ dapibus onustæ ducunt: tamen quando hospes aliquis ad eos accedit, si etiam primo mane illud fortè eueniat, magna cum beneuolentia & amica inuitatione tum ad comedendum, tum ad bibendum, illum accipiunt, alio ieiunandi genere excogitato, videlicet vt inuiti comedãt, adeò vt res magnam omnibus admirationem excitet, quippe qui cùm pluribus ad naturæ sustentationem egeant, admodũ paucis contenti sunt, proprię voluntatis inimici & naturę. Iuxta veterum placita proditores, sic vt omnibus modis illecebræ carnis arceantur, & anima gubernet, pulcherrima Deoq; placita prudenter tum diligens † tum obseruans: felices sanè illi propter præsentis vitæ institutum, multo tamen feliciores hinc discessuri, quo omnes suos conatus direxerint, ad illud quod in optatis habent, videndum properantes.

Exercitatio quantum valeat in domandis affectibus hoc exemplo patet.

Monachorum Palæstinæ ieiunium.

† Videantur pag. 130. lat. 1. li. 20.

Quæ Eudocia Imperatrix in Palæstina reparauerit, & de S. Stephani ecclesiæ exædificatione.

CAP XXII.

Eudocia Hierosolymorum mœniorum refectrix.

CVm multis huius generis hominibus Theodosij coniunx collocuta est, & multa eiusmodi monasteria, vt antè dixi, ædificauit: Hierosolymorum refecit mœnia, eaq; pulchriora reddidit. Templum extruxit præterea ad memoriam S. Stephani, primi & diaconi & martyris, splendore ac pulchritudine eximium, (quod quidem nõ stadio ab vrbe Hierosolyma distat) inq; eo simulatq; ad vitam immortalem profecta est, condita fuit. Theodosius autem posteà, vel vt quidam putant, ante mortem Eudociæ, vbi triginta octo annos Imperium gubernauerat, decessit è vita: inq; eo honoris gradu post eum locatus fuit vir omnium facilè præstantissimus, Martianus. Cuius res gestas, Imperium etiam Orientis administrantis, perspicuè, cælesti Dei gratia benignè nobis opem ferente, sequens docebit historia.

Theodosij mors.

Vide Nicc. l. 14. c. 50 9.

Sozo. lib. 9. cap. 17.

FINIS LIBRI PRIMI.

EVA.

A Valentinianus 3. & Martianus Imp. anno Chr. 452.

EVAGRII SCHOLASTICI.

ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER SECVNDVS.

Secundus & Tertius liber simul continent acta sub Valentiniano tertio, Marciano, Leone, Zenone, Anastasio, annis sexaginta sex. Hue refer Vitam Rom. Pontif. Leonis 1. Hilarij, Simplicij, Felicis 2. Gelasij, Anastasij, Symmachi, & Hormisdæ, quos ex illis scriptoribus adnotauimus ad Eusebij lib. 1. & 2. Adde his Tomos Concil. & Hæreses adiunge Rerum Rom. lib. 14. 15 Ioh. Maiorem, Bedam in Hist. Angl. Trithemium de Regibus Francorum: Paulum diaconum lib. 16. Ioannem Baptistam Egnatium, item Cassiodorum, Procopium etiam de bello Vandalico, item Blondum, & Agathium de bello Gothico: Iornandem.

De Martiano Imperatore, & quæ signa præcesserint, Imperium eius portendentia. CAP I.

Vide Nicc. lib. 15. ca. 1.

Martianus Imperator, quis, vnde, quomodo ad Imperiũ euectus.

Patriscus Rhetor Martiani res gestas descripsit.

RES quidem Theodosij temporibus gestas primus liber complexus est: sequitur, vt deinceps Martianum, celebrem illum Romanorum Imperatorem ponamus in medio, commemoremusque quis fuerit, vnde ortus, & quomodo ad gubernacula imperij Romani ascẽderit. Sic namq; res ab eo gestas, suo quasque loco commodè exponere poterimus. Cuius vita cùm ab alijs multis, tum à Patrisco rhetore literis prodita est. Thrax erat genere, filius viri rem exercentis militarẽ: qui propterea quòd studio paternæ vitæ æmulandæ ducebatur, ad Philippopolim rectà se contulit, inque ea ciuitate ascriptus est in militum numerum. Fortè fortuna ei illic proficiscenti inter vias, corpus recens occisum, humiq; proiectum visum est. Cui astans (erat enim cùm in alijs vitæ officijs facilè præstantissimus, tum propensissimus ad misericordiam) factum admodum miseratus est, & diu ibi propterea commoratus, quòd funeri iusta soluere cupiebat. Verùm vbi quidam istud viderunt, rem deferunt ad magistratus Philippopolis. Illi prehendunt Martianum, quæstionem de cæde facta in eum exercent: ac cũ coniecturis & signis plus tribueretur, quàm aut veritati, aut verbis Martiani cædem pernegantis: cumq; Martianus iam pœnas homicidæ esset persoluturus, ex improuiso, diuina largiente gratia, deprehensus est ille ipse, qui cædem fecisset: quo pro facinore capite mulctato, Martianus capitis periculo liberatur. Quocirca mirandum in modum ereptus discrimine, ad quandam militum turmam ibi accolentium venit, cupiens in eorum numerum nomen dare. Illi admirati hominem, & præpotentem fore certissimis coniecturis augurati, libentissimè eum admittunt, inque suum album referunt: neque ponunt infimo in loco, sicut lex postulabat militaris, sed ad quendam honoris gradum, quem vir nuper mortuus (cui nomen erat Augustus) obtinuerat, Martianum, qui Augustus itidem appellabatur, efferunt, inque album inscribunt. sic vt nomen, quo donantur Imperatores nostri, vnà cum purpura (vocantur namque Augusti) prius quàm potiretur Imperio, obtineret. Neque certè nomen absq; dignitate in eo residere poterat, neq; rursus dignitas Imperij aliud nomen ad suum decus illustrandum requirebat, adeò vti idem ipsum nomẽ & proprium & appellatiuum existeret, semelque prolatum tum dignitatem eius significaret, tum appellationem. Aliud præterea accidit, quod itidem Martiano portendebat imperium. Cum enim contra Vandalos simul cum Aspare bellaret, deuicto à Vãdalis Aspare, ille cum alijs quàm plurimis captus, & cum reliquis captiuis deductus fuit in campum, vbi Genzerichus eos viuos videre voluit. Quibus in vnum coactis, Genzerichus in tabulato quodam sedens, multitudinem captiuorum spectando multum cepit voluptatis. Captiui autem, tempore pro cuiusque arbitratu contrito (nam Genzerichi mandato custodes eorum vincula dissoluerant) in campo manserunt. Proinde cum alij alias res agerent, Martianus corpore humi posito, in sole feruido & vehementius quàm tempus anni ferebat, exardescente, somno se dedidit. Cui dormienti aquila desuper imminens, & corpore soli velut ad perpendiculum oppositio, alis passis obuolitans, instar nubis, illum vmbra texit, indeque magnam ei attulit leuationem, vsque adeò vti Genzerichus ostentum admiratus, de rebus quæ ei euenturę essent, verissimam coniecturam faceret. Itaq; Martianum accersitum, liberum dimisit, eumq; obstrinxit iureiurando, vt si ad Imperium aliquando ascenderet, fœdera iungeret cum Vandalis, nec vnquam contra eos arma ferret: quod quidem Martianum firmè re ipsa tenuisse scribit Procopius. Sed omissis illis quæ sunt ab instituto aliena, ad historiam redeamus. Iste quidem Martianus, sicut pietate erga Deum, sic iustitia erga subiectos admodum excelluit. Diuitias putauit, non

Martianus capitis periculo liberatus.

Omne Imperatoriæ dignitatis in Martiano.

Aspar à Vandalis deuictus

Augurijs portendens Martiano Imperiũ. Genzerichus Martianũ libertum dimittit.

Martiani vitutes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ sunt conditæ in thesauro, aut ex tributis collectæ: sed eas solùm, quæ possint tum A his qui opis indigent, subsidio esse, tum illis qui multa possidēt, vitam tutam securamq; præstare. Suis erat formidini non in puniendo, sed ne aliquando puniret: ac propterea Imperium ei fuit nō hęreditas, sed virtutis pręmium: quod quidē consecutus est suffragijs omnium tam senatorum, quàm aliorum cuiuscunq; fortunæ & conditionis essent, idque Pulcheria illis idem ipsum suadente: quam tametsi in domum suam asciuit, vt Imperatricem: tamen cum ea, vtpote quæ virgo ad summam manserit senectutem, nunquam rem habuit. Ista confecta fuēre, cum Valentinianus Romanus Imperator nondum quidem Martiani electionem confirmauerat, qui tamen postea propter hominis virtutem ei suffragatus est. Martianus igitur magnopere cupiebat, vt communis honos ab omnibus Deo tribueretur, & linguę, quas impietas confusione quadam referserat, iam piè inter ipsas concordantes sacrum eius numen vno eodemque laudationis genere percelebrarent.

Quibus suffragijs ad Imperium ascendерit.

Pulcheria per petuam virginitatem colit in coniugio Martiani Imp.

De Chalcedonensi concilio, & eius congregandi causa.

CAPVT II.

MArtiano igitur ista in animo habenti, accedunt tum illi, qui Leonis antiquioris Romæ episcopi responsa ad alios perferre solent, docentq; Dioscorum decisionem Leonis in secundo Ephesino concilio rectā sanamq; doctrinam præscribentē repudiasse, tum alij qui erant à Dioscoro iniurijs & cōtumelia affecti, orantq; vt de ipsorū rebus conciliū dijudicaret. Quod quidem ab Imperatore maximè omnium contendit Eusebius Dorylæensis episcopus, ostenditq; tum se tum Flauianum fraude & fallacijs Chrysaphij Theodosij satellitis abdicatum fuisse: quòd Flauianus Chrysaphio aurum pro eius ad episcopatum ordinatione postulanti, sacra ecclesiæ vasa, quò eum pudore suffunderet, misisset, quodque Chrysaphius in simili errore & prauitate cum Eutyche versaretur. Ait prętereа, Flauianum miserādum in modum à Dioscoro interfectum, per vim ab eo ecclesia extrusum, & calcibus verberatum. His de causis concilium Chalcedoni coactum est, nuncijque ac tabellarij missi, sacerdotes per literas plenas pietatis vndique acciti. Ac primò Nicæam, adeò vt cum Leo episcopus Romanus ad eos literas daret, per Pascasianum, Lucentium & cæteros quos eò ad suum locum supplendum miserat, eas sic inscriberet: EPISCOPIS NICEAE CONVOCATIS, s. Postea autem Chalcedonem vrbē Bithyniæ, quo Nestorium etiam accersitum Zacharias rhetor affectione quadam animi inductus narrat. Verùm rem minimè ita se habere, argumento esse potest, quòd Nestorius concilio penitùs per anathema interdictus fuit. Quod etiam perspicuè declarat Eustathius episcopus Beryti per literas, quas tum ad Ioannem episcopum, tum ad alterum Ioannem presbyterum de rebus in eo concilio agitatis dedit. sic enim scribit: Huc aduentarunt, « qui Nestorij reliquias sedulò conquirunt, & contra concilium ita cœperunt vociferari: Quid est, quamobrem sanctis viris denuncietur anathema? sic vt Imperator « rem grauiter & acerbè ferens, iusserit satellitibus, vti eos inde procul expellerent. « Quomodo igitur Nestorius, qui hinc demigrauerat, sit accersitus, non possum equidem dicere.

Vide Nicę. lib. 15. ca. 2.

Chalcedonē se concilium cur coactum.

Zacharias Rhetor refutatus Nestorij concilio Chalcedonensi interfuisse scribens.

Templi sanctæ martyris Euphemiæ apud vrbem Chalcedonensem descriptio, & editorum in illo miraculorum commemoratio.

CAPVT III.

ITaque congregantur episcopi in sacro Euphemiæ martyris templo, quod Chalcedoni vrbi Bithyniæ locatum est. Abest autem hoc templum à Bosphoro amplius duobus stadijs, situm in loco quodam amœno, qui adeò paulatim erigitur in accliuitatem, vti ascensus perfaciles minimeq; molestos præbeat ad templum martyris accedentibus: qui quidem videntur sibi derepentè in sublime sublati, atq; adeò intra ipsum templi sanctuarium versari. Vnde tanquam specula oculos dijcientes, campos omnes substratos cernunt, eosque inæquabilem & patentem planiciem porrectos, herba quoque virentes, onustos segetibus, arboribus cuisque generis pulchrè ad aspectum † vestitos: quinetiam montes asperos, scitè erectos, in altitudinem leuatos incuruatosque: diuersos prætereа pelagos, partim præ tranquillitate purpureum colorem præ se ferentes, & placidè ac quietè cum ipsis quasi ludentes litoribus, quibus adiacentes agri à tempestatibus vacui sunt: partim turbulentos, & vastis furentes fluctib. vnde vmbilici, alga, & minutiores piscículi ex testaceorum genere, reciproco vndarum impetu excutiuntur. Porro autem istud templum eregionè

Euphemiæ templi à Bosphoro distantia.

Vide Nicę. lib. 15. ca. 2.

† *Vide annot. pag. 121. lat. lin. 30.*

A eregionè Constantinopolis positum est, adeò, vt talis & tam egregiæ vrbis aspectus illi permultum splendoris afferat. Hoc templum constat ex tribus amplissimis ædificijs: vnum libero cœlo patens, atrio oblongo, & columnis vndique concinnè exornatum. Alterum deinceps, latitudine longitudineque, paruis itidem columnis priori simile, fastigio supposito solum modo dissimile. Ad cuius latus versus Aquilonem est alterū ędificium ductum in gyrū, quod spectat ad solis ortū, ipsumq; ad formā testudinis, columnis valde artificiose fabricatis, ex eadem confectis materia, magnitudine eadem, intus in orbem tornatum. subter his tabulatum est sublime, eodem opertum tecto, in quo liberum est cuique preces martyri fundere, & sacris interesse mysterijs. Intra testitudinem ad Orientem, est sacrarium decorè constructum: in quo sanctissimæ martyris reliquiæ in capsa bene longa (quam propterea quidam μακρὰν, id est longam, veluti proprio nomine appellant) eaque ex argento valde scienter confecta conditæ reponuntur. Miracula autem, quæ ab ista sanctissima martyre quibusdam temporibus eduntur, nemini Christiano obscura sunt. Nam sæpenumero aut episcopis qui ordine illius vrbis ecclesiam rexerant, secundum quietem ipsa martyr apparens, aut alijs quibusdam ob piam vitæ rationem nobilitatis accedens, iubet, vt in ipso templo festum delicijs & opiparis epulis celebrent. Quod vbi significatum est Imperatoribus, pontifici & toti ciuitati, ad templum accedunt omnes, tam qui reip. clauum tenent, quàm sacerdotes, magistratus, & reliqua vniuersa multitudo, quò efficiantur mysteriorum participes. Deinde omnibus his inspectantibus, episcopus Constantinopolis vnà cum suis sacerdotibus sacrarium, in quo sanctissimum martyris corpus, de quo suprà dixi, reconditum est, ingreditur. Est in ipsa capsa ad lævam velut transenna exigua, paruis ianuis obfirmata, per quam ferrum oblongum spongia circumligatum ad reliquias vsque immittunt: quod quidem vbi circunторserint, spōgiam plenam sanguine retrahunt, plenamque cruentis guttis concretis plurimis. Quod vbi videt populus, statim Deum propterea veneratur, gloria ac laudibus effert. Tanta autem guttarum concretarum inde extractarum copia, vt pijs Imperatoribus, sacerdotibus omnibus ibi congregatis, & vniuersæ populi frequentiæ abundè satis suppetant, tum ad participandum, tum ad mittendum cæteris fidelibus, per orbem vniuersum illarum rerum cupientibus fieri partiB cipes. Ac guttæ illæ concretæ manent integræ perpetuò, & sacer sanguis neutiquam in aliam formam commutatur. Quæ res fiunt non certo aliquo & definito tempore, sed prout episcopi vita, & morum illius grauitas fert. Aiunt namque cum aliquis spectatus vir, & virtutibus eximius eam gubernet Ecclesiam, hoc miraculum sæpissime fieri solere: cum autem improbus illo munere fungatur, rarò admodum signa illa diuina edi. Aliud prætereа commemorabo, cui neque tempus neque occasio vlla est impedimento, neq; discrimen inter fideles & infideles ab eo confertur, sed omnibus ex æquo ostendit sese. Cum aliquis eo loci accedat, vbi sacra capsa, in qua sunt conditę sanctissimę illæ reliquiæ, reponitur, tam fragrante completur odore, vt alij omnes odores, quibus homines vti solent, ab eo longè superentur. Nam neque odori florum, qui ex pratis colliguntur, similis est, neque illi qui ex rebus suauissimè olentibus capitur, neq; talis, qualis conficitur ab vnguentario: sed peregrinus est, & præ cæteris eximius, ex ipsius martyris reliquijs vim & virtutem illam ei tribuentibus efflatus.

Templi structura.

Capsa argentea qua D. Euphemiæ reliquiæ continentur.

Euphemiæ martyris miracula.

Olei copia & fragrantia fluentis ex sepulchro.

De ijs quæ in concilio tractata statutaq; sunt, & quòd Dioscoro Alexandrino episcopo ab episcopali sede summoto, Theodoritus & Ibas & aliquot alij reuocati fuerunt.

CAPVT IIII.

Vide Nicę. lib. 15. cap. 4. 5. 6. 7.

HOc eodem in loco concilium cogitur, in quo aderant Pascasianus & Lucentius episcopi, & Bonifacius presbyter, vicarij, vt dictum est, Leonis antiquæ Romæ Pontificis: Anatolius item antistes Constantinopolis, Dioscorus Alexandriæ episcopus, Maximus episcopus Antiochiæ, & Iuuenalis Hierosolymorum, & horum omnium sacerdotes eidem concilio interfuerunt. Quorum numero adiuncti erant senatores primarij: quibus dixerunt vicarij Leonis, Dioscorum non debere cum illis in concilio considere. Istud enim suum episcopum Leonem mandasse: quod quidem si minimè obseruarent, se ab ecclesia decessuros. Ac cū senatores rogarent, quænam crimina obijcerentur Dioscoro, responderunt, illum qui personam iudicis præter æquum & bonum suscepérat, debere pro iudicio, quod ipse de alijs dederat, iudicium subire. Quę cū dixissent, & Dioscorus de sententia senatus in medio cōsessu statueretur, petebat Eusebius, vt supplex libellus quem ad Imperatores miserat, coràm iam perlegeretur, hæcq; verba adiecit: Mihi certè à Dioscoro facta est iniuria, fidei etiam facta iniuria: Flauianus episcopus ab eo interfectus, vnaq; mecum iniquè sacerdotio abdicatus.

Concilij Chalchedon in D. Euphemiæ templo.

Pascasianus episcopus.

Lucentius episcopus.

Bonifacius presbyter.

Anatolius episcopus.

Dioscorus episcopus.

Dioscorus à Leonis Legatis & Eusebio accusatus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Iubete meum ſupplicem libellum legi. Quæ cum dixiſſet, ſupplex libellus lectus fuit, A qui eſt hæc verba complexus:

Supplex † libellus Imperatoribus noſtris Chriſtum verè colentibus, religioſiſſimis & ſanctiſſimis, Fl. Valentiniano & Martiano ſemper Auguſtis, ab Euſebio humilimo e. piſcopo Dorylæenſi, qui pro ſe, pro orthodoxa fide, † pro Flauiano deniq; ſanctiſſimo epiſcopo Conſtantinopolitano verba fecit, oblatus. †† Vide annot. pa. 33. lar. 1. lin. 6. & 7.

Supplex Euſebij libellus ad Impp aduerſus Dioſcorum in Synodo reenſitus.

Eſt quidem veſtræ amplitudini propoſitum, vt cunctis, qui veſtro parent Imperio, ſedulò prouideatis, & cùm cæteris omnibus iniuria affectis, tum maximè ſacerdotibus benignè opitulemini. In hoc enim diuinum numen, à quo mortalium imperium & dominatus vniuerſi orbis vobis tributus eſt, verè colitur. Quare quoniã & fides Chriſtiana & nos etiam incommoda multa grauiaq; contra æquitatis regulam à Dioſcoro reuerendiſſimo epiſcopo Alexandriæ vrbis primariæ, accepimus, ad veſtram benignitatẽ ſupplices accedimus, vt quod æquum eſt à vobis impetremus. Cauſa autem querelæ eiuſmodi eſt. In concilio nuper Epheſi vrbis primariæ habito (quod vtinam nunquam fuiſſet habitum, ne orbem terrarum tantis malis ac turbis oppleuiſſet) ille bonus vir Dioſcorus, qui iuris & æqui normam pro nihilo putauit, qui timorem Dei contempſit, qui eandem tenuit cum Eutyche homine pleno inanitatis, atque adeò hæretico, opinionem & ſententiam, qui quiſnam eſſet, aliquandiu multos celauit: poſtea tamen ſciipſum prodidit, cum ex criminatione, quam ego Eutychi intuliſſem, & ex ſententia, quam Flauianus ſanctæ ac piæ memoriæ epiſcopus contra eum pronunciaſſet, occaſionem arripuiſſet, multitudine populorum ſeditioſorum coacta, & potentia ſibi pecuniæ ſubſidio acquiſita, piam orthodoxorum religionem, quoad eius fieri poterat, labefactare, & peruerſam Eutychis monachi doctrinam, quæ ab ipſis apoſtolorum tempo-

Eutychis doctrinam peruerſam Flauianus ſtabilire laborat.

ribus hactenus à ſanctis patribus condemnata fuerit, ſtabilire laborauit. Itaq; cum facinora, quæ tam confidenter tum contra Chriſtianam fidem, tum contra nos admiſerit, non exigui momenti ſint, ſupplices accedimus ad genua veſtræ celſitudinis, obſecramuſq;, vt iubeatis reuerendiſſ. epiſcopum Dioſcorum ad crimina ei à nobis obiecta, reſpondere, nimirum ad commentarios rerum ab eo contra nos geſtarum in ſancto concilio perlectos: quibus certè oſtendere poterimus, eum & à noſtra orthodoxa fide alienum eſſe, & hæreſim propugnare impietatis plenam, & iniquè nos abdicaſſe, & grauibus nos affeciſſe incommodis: atq; oramus præterea, vt diuina & honorifica veſtra mandata mittere dignemini ſancto & generali diuiniſſimorum epiſcoporum concilio: quò & quid nos, & quid prædictus Dioſcorus egerit, audiri, & omnia quæ in concilio gerentur, veſtræ pietati ſignificari poſſint, vti immortali noſtro capiti Chriſto placeamus. Cuius rei facti compotes, Imperatores ſanctiſſimi, aſſiduas preces pro proſpero veſtri Imperij ſtatu perpetuando Deo offerre non deſiſtemus. Quæ autem in ſecũdo concilio Epheſino ab epiſcopis acta erant, poſtea rogatu tum Dioſcori, tum Euſebij publicè legebantur: quorum ſubtilem & exquiſitam diſputationem cùm à multis alijs traditam, tum in actis concilij Chalcedonenſis comprehenſam, ne his quorum animus inter legendum ad exitum rerum geſtarum cognoſcendum feſtinat, nugas, ſi hoc loco ponerem, agere videar, extremo huic libro, qui in manibus eſt, ſubiũgam: quò etiam his qui omnia ad vnguem, vt dicitur, ſcire volunt, copia ſit & cuncta perlegendi, & rem quamq; vt geſta eſt, accuratè in memoria imprimendi. Aciam ea quę ſunt inſtituti noſtri maximè propria perſequamur: nempe quomodo Dioſcorus tum ex reiectione epiſtolæ Leonis antiquæ Romæ epiſcopi, qualis eſſet, deprehenſus ſit, tum præterea ex abdicatione Flauiani epiſcopi nouæ Romæ, quam vno eodemq; die fecerat, callideq; prouiderat, vt epiſcopi in vnum coacti, chartæ, in qua iam nihil inerat ſcripti, poſtea tamen in eadem Flauiani inſcriberetur abdicatio, ſubſcriberẽt. Poſt hæc ſenatores iſta decreuêre. Poſtridiè cùm concilium exquiſitius habitum eſſet, de orthodoxa & catholica fide multò accuratius quę ſitum videmus. Ac quoniam Flauianus, pię memorię epiſcopus, & Euſebius reuerendiſſim. Dorylæi epiſcopus, ex concilij actorum decretorumq; inquiſitione. & ex verbis eorum qui tum concilio præſederunt (dixerant enim ſe errore lapſos fuiſſe, iniuſteq; Flauianum & Euſebium abdicaſſe) declarati ſunt minimè in fide hallucinari. & propterea iniquè abdicati, æquum nobis ſanè videtur, idq; Deo noſtram approbante ſententiam, vt Dioſcorus (modò ita placuerit diuiniſſimo & ſanctiſſimo Domino noſtro Imperatori) reuerendiſſimus Alexandriæ epiſcopus, Iuuenalis reuerendiſſ. epiſcopus Hieroſolymorum, Thalaſſius reuerendiſs. Cæſariæ Cappadociæ epiſcopus, Euſebius reuerendiſſimus epiſcopus Armeniæ, Euſtathius epiſcopus reuerendiſſimus Beræti, & Baſilius reuerendiſſimus epiſcopus Seleuciæ Iſauriæ (penes quos tum poteſtas erat, concilioq; illi præſidebant) ſacri concilij ſententia ac iudicio, eodem

Petitio.

Dioſcorus & ſocij, concilij decreto excõmunicati.

Thalaſſius epiſcopus. Euſtathius epiſcopus.

pœnæ

A pœnę genere ſicut canones Eccleſiæ poſtulant, mulctati dignitate epiſcopali abdicentur, omniaq; de ſententia Imperatorum diuiniſſ. decernantur. Poſt iſta libelli ab alijs contra Dioſcorum, cùm de criminibus quæ admiſerat, tum de pecunia quam acceperat, prolati, & Dioſcorus iterum ac tertiò ad concilium vocatus, cauſis quibuſdam ſimulatis pro ſe adductis, non veniret, Leonis epiſcopi antiquæ Romæ vicarij iſta totidẽ verbis in concilio pronunciarunt: Facinora ea quæ ſunt à Dioſcoro dudum Alexandriæ vrbis primariæ epiſcopo contra canonum præſcriptionem & diſciplinam Eccleſiaſticã admiſſa, partim ex illis quę in priore confeſſu inquiſita erãt, partim ex his quę hodie acta ſunt, omnib. ſunt exploratè perſpecta. Iſte enim (vt multa alia miſſa faciamus) Eutychem eiuſdem cum ipſo opinionis, à proprio ac ſuo epiſcopo, patre videlicet ſanctiſſimo, & epiſcopo noſtro Flauiano, ſicut canon poſcebat Eccleſiæ, abdicatum, ſua ipſius authoritate contra Eccleſiæ canonem recepit in communionem: idq; antequam concilio illi, quod Epheſi cum epiſcopis ſanctiſſimis habebat, interfuiſſet. Quibus epiſcopis ſedes Apoſtolica veniam propterea tribuit, quòd res quas ibi geſſerant, contra voluntatem geſſiſſent: qui ad præſens vſque tempus Leoni epiſcopo ſanctiſſimo, & vniuerſo ſancto & generali concilio morem gerunt: & ob eam cauſam eos, vtpote eidem fidei conſentientes, in ſuam recepit communionem. At iſte Dioſcorus de illis rebus, de quibus gemere, lugere, ſeq́ue humi abijcere debuerat, etiam adhuc gloriari non deſinit. Accedit eodem, quòd epiſtolam beati papæ Leonis, quam ſcripſit ad Flauianum ſanctæ memoriæ epiſcopum, legi non permiſit, idq́ue ſæpius rogatus ab ijs qui eam attulerant, vt legeretur, ipſeq; cum iureiurando adiecto ſe eam legendam curaturum pollicitus eſſet. Quæ minimè perlecta, ſanctiſſimis per orbem terræ Eccleſijs & offenſioni fuit, & detrimento. Atquanquam talia conſciuerat facinora, tamen concilium à nobis initum eſt, quomodo tum ei prò impio ſcelere ab ipſo antè admiſſo, tum reliquis itidem pijs epiſcopis, penes quos minimè par cum eo erat poteſtas iudicandi, aliqua impertiretur miſericordia. Verùm quoniam prior eius impietas poſterioribus ſceleribus longè ſuperata eſt, (non enim dubitauit etiam ſanctiſſimum & religioſiſſimum antiquæ Romæ archiepiſcopum communione interdicere: quin etiam cum libelli pleni impietatis ab ipſo commiſſæ contra eum eſſent producti, & ille ipſe ſemel, iterum ac tertiò, vti canon Eccleſiæ vult, eſſet ad concilium per Deo amatiſſimos epiſcopos vocatus, minimè obtemperauit, vtpote propriæ conſcientiæ ſtimulis exagitatus, & eos qui à varijs concilijs iurè eſſent abdicati, contra ius recepit ad ſe: denique varijs Eccleſiæ legibus ab eo quaſi pedibus conculcatis, contra ſe ipſe quodammodo ſententiam pronunciauerat) quoniam, inquam, hæc omnia deinceps admiſit, idcirco ſanctiſſimus & beatiſſimus archiepiſcopus magnæ & antiquæ Romæ Leo, per nos & præſens concilium, cum beatiſſimo & omni laude celebrando apoſtolo Petro, qui eſt petra & baſis catholicæ Eccleſiæ, & fidei orthodoxæ fundamentum, ſpoliauit omni dignitate epiſcopali, & omni ſacerdotali miniſterio prorſus abdicauit. Quamobrẽ hoc ſanctũ & frequens concilium ſententiam, quam Eccleſiæ canones poſtulant, contra Dioſcorum, de quo noſtra ſuperior inſtituta fuit oratio, pronunciat. His rebus à concilio confirmatis, alijsq; nonnullis confectis, epiſcopi qui fuerant cum Dioſcoro abdicati, concilij rogatu & conſenſu Imperatorum ad ſuos epiſcopatus reuocantur: & cum aliæ res his quæ geſtæ erant, adiunctæ eſſent, deciſio concilij recitata fuit, his ferè verbis: Dominus noſter & ſeruator IESVS CHRISTVS, dum diſcipulos fidei cognitione confirmare voluit, Pacem, inquit, meam do vobis, pacem meam relinquo vobis: vt nemo videlicet cum proximo de pietatis dogmatis diſſentiat, ſed vt conſentientibus animis verbum prædicaretur veritatis. Poſtea verò, lecto ſancto cõcilij Nicæni ſymbolo, lecta etiam deciſione centum quinquaginta ſanctorum patrum Conſtantinopoli congregatorum, hæc quæ ſequuntur, adiunxerunt: Diuinum iſtud & ſalutare diuinæ gratiæ Symbolum, cùm ad abſolutam fidei cognitionem, tum ad certam eiuſdem confirmationem ſatis profectò habet momenti ac ponderis. Nam de patre & filio & Spiritu ſancto, quæ ſunt neceſſariò cognoſcenda, docet accuratiſſimè, & Domini incarnationem his qui eam cum fide amplexantur, manifeſtò tradit. Cæterùm quoniam quidam ſuis erroribus veritatis doctrinam tollere molientes, multas inanitates pepererunt, quorum alij myſterium incarnationis Domini pro nobis ſuſceptæ deprauare, & vocem Deiparam, quæ virgini Mariæ tribuitur, denegare non ſunt veriti: alij confuſione quadam & commixtione naturarum introducta, vnam eandemq́ue carnis & diuinitatis naturam eſſe ſtultè commenti ſunt, & ea confuſione diuinam vnigeniti naturam patibilem monſtroſè cõfinxerunt: idcirco hoc præſens, amplum & generale concilium, cupiens omnibus machinis contra veritatem paratis quaſi aditum præcludere, prædicationem fidei à patribus ductam,

Quibus cauſis Dioſcorũ epiſcopatus dignitate priuarit concilium.

Dioſcorus omni epiſcopali dignitate ſpoliatus.

Cõcilij deciſio qualis. Ioan. 14.

Universidad de Deusto
Biblioteca

firmam ac ſtabilem manere debere docet: ac propterea decernit, fidei formulam à tre- A
centis decem & octo ſanctis patribus traditam potiſſimùm omnium integram ſeruan-
dam eſſe. Quinetiam quo Spiritus ſancti oppugnatores conuincantur, doctrinam poſt-
ea à centum quinquaginta patribus, qui Conſtantinopoli vrbi primariæ conuenêre, de
Spiritus ſancti eſſentia editã ratam facit: quã quidem illi patres omnibus palàm propo-
ſuerunt, non quaſi aliquid quod in decretis concilij Nicæni antè promulgatis deſidera-
batur, adiecturi, ſed vti ſuam ipſorum de Spiritu ſancto ſententiam ac mentem contra
eos, qui eum Dominum eſſe denegabant, teſtimonijs ex Scriptura petitis perſpicuè de-
clararent. Porrò autem, quò eos qui myſterium incarnationis Dominicæ deprauare
non dubitabant, & eum qui ex ſancta Virgine natus fuit, hominem ſolum eſſe impu-
denti & maledico ore affirmabant, beati Cyrilli eccleſiæ Alexandrinæ paſtoris epiſto-
las, quæ Synodicæ dicuntur, ad Neſtorium & epiſcopos verſus Orientem incolentes
ſcriptas, authoritate ſua approbauit: quippe quæ tum ad amentiam Neſtorij refutan-
dam, tum ad eos erudiendos, qui pio ſtudio ad ſalutare Symbolum ritè intelligendum
rapiuntur. Quibus epiſtolis beatiſſimi quoque & ſanctiſſimi antiquæ Romæ archiepi-
ſcopi Leonis epiſtolam, ad ſanctiſſimum archiepiſcopum Flauianum de tollendo inſa-
no Eutychis errore ſcriptam, vtpote eximij Petri confeſſioni conſentientem, & velut
columnam quãdam ad veram doctrinam contra malè de fide ſentientes roborandam
non ſine cauſa adiunxit. Nam illis qui myſterium incarnationis in duos filios dirimere
nituntur, ſtrenuè reſiſtit, & eos qui diuinitatem vnigeniti patibilem dicere audent, à
ſanctorum conuentu excludit, & illis qui in duabus Chriſti naturis commixtionem aut
confuſionem eſſe ſtatuunt, fortiter aduerſatur, & qui formam ſerui, quã ex nobis ſum-
pſit, ex cœleſti aut alia quapiam eſſentia conſtare præ inſania ſentiunt, eos exagitat: de-
nique eis, qui ante coniunctionem naturarum duas naturas, poſt coniunctionem au-
tem vnam ſolùm in Domino inaniter & falsò confingunt, anathema edicit. Quamob-
rem ſanctorum patrum ſententiam ſecuti, vnum & eundem filium Dominum no-
ſtrum Ieſum Chriſtum confitemur, & vno conſenſu omnes docemus eum perfectum
in diuinitate, perfectum etiam in humanitate, verè Deum, hominem verè, eumque ex
animo rationis participe & corpore conſtare, ſecundum diuinitatem patri conſubſtã- B
tialem, nobis autem conſubſtantialem ſecundum humanitatem, nobisque in omni-
bus, excepto peccato, ſimilem: ante ſecula à patre genitum ſecundum diuinitatem, in
extremis diebus propter nos noſtramque ſalutem, ex Maria virgine & Deipara natum
ſecundum humanitatem: vnum & eundem IESVM Chriſtum, filium, dominum, vni-
genitum, ex duabus naturis ſine earum confuſione, ſine mutatione, ſine diuiſione, ſine
ſecretione cognitum: & naturarũ differentiam propter copulationẽ minimè ſublatã,
ſed proprietatẽ vtriuſq; naturæ integram ſeruatã: & in vna perſona, ſiue ὑποστάσει vna, vt
Græci loquuntur, cohærentem, non in duas partitã aut diuiſam perſonas, ſed vnum &
eundẽ filium vnigenitũ, Deum verbũ, & Dominum IESVM Chriſtum, ſicut antiquitùs
Prophetæ de eo, & pòſt ille ipſe Chriſtus nos docuit, & idem ipſum nobis patrum Sym-
bolum tradidit. His igitur accuratiſſimè, & ſumma cum diligentia à nobis deciſis deſi-
nitisque, ſanctum & generale concilium ſtatuit, vt nemini liceat aliam fidem aut pro-
ferre, aut conſcribere, aut componere, aut aliter ſentire doceréue. Eos autem qui aude-
ant aliam fidem componere, aut inferre, aut docere, aut aliud Symbolum his qui ex gẽ-
tilitate, vel ex iudaiſmo, vel ex alia qualicunq; ſecta ad cognitionem veritatis aliquan-
do ſe transferunt, tradere, ſi epiſcopi fuerint, dignitate epiſcopali priuari: ſin clerici, cle-
ricali miniſterio: ſin aũt monachi vel laici, anathemati addici iubet. Itaque hac deciſi-
one perlecta, Martianus Imperator, qui concilio Chalcedonenſi interfuit, quique ora-
tionem in eodem habuit, Conſtantinopolim reuertitur. Iuuenalis & Maximus, Theo-
doritus & Ibas ad epiſcopatus, quibus erant abdicati, reuocantur. Alia præterea ibi agita
ta, quæ vt ſuprà dixi, in extremo hoc libro ponentur. Decretum eſt præterea vti ſedes
epiſcopalis nouæ Romæ, id eſt, Conſtantinopolis, propterea quòd ſecundas poſt Ro-
mam antiquam obtinebat, primas inter alias vrbes ferret.

Commendantur Cyrilli epiſtolæ Synodales aduerſus Neſtorium, & ea Leonis quæ eſt ad Flauianum, contra Eutychen.

Epiſcoporum reuocatio. Decretũ de dignitate & prærogatiua Sedium Epiſcopalium Rõ. & Conſtant.

Vide ſupra lib. 1. ca. 10.

De ſeditione propter ordinationem Proterij Alexandriæ ſuſcitata, & itidem Hieroſolymis.

CAP. V.

Gangrena Paphlagoniæ vrbs Proterius in Dioſcori exules locum

PORrò autem Dioſcorus ad Gangrenam vrbem Paphlagoniæ incolendam condemnatus, & Proterius communibus concilij ſuffragijs ad epiſcopatum Alexandriæ gerendum delectus. Quo in ſede illa epiſcopali locato, maximus tumultus & planè intolerabilis

Vide Nicep. lib. 15. cap. 8. 9.

A intolerabilis à populo varijs æſtuante ſententijs cietur. Nam, vti in eiuſmodi rebus cue- *Alexandriæ epiſcopus, vnde pop. ſeditio.*
nire ſolet, alij Dioſcorum repetere, alij partibus Proterij firmè adhæreſcere cœperũt,
adeò vt clades ingens eaq; certè inſanabilis inde naſceretur. Nam Priſcus rhetor ſcribit, *Priſcus rhetor de ſeditione Alexãdriæ*
præfectum Thebaidis eadem tempeſtate veniſſe Alexandriam, vidiſſeque populũ vno
conſenſu contra magiſtratus impetum feciſſe, ieciſſeq; lapides in militum copias, quæ
ſeditionem comprimere ſtudebant, atque milites vi coëgiſſe ad templum, quod olim
Serapidis dicebatur, confugere: tum populum concurriſſe eò, templum expugnaſſe,
militesque viuos ignis cremaſſe incendio. De quibus rebus cum certior factus eſſet Im-
perator, militum recens ad eam rem lectorum duo millia illò miſiſſe. Quos adeò ſecun-
do ventu & proſpera vſos nauigatione, vt ſexto pòſt die Alexandriam appellerent. De-
inde cum milites petulanter in vxores & filias Alexandrinorum inſultarent, cladem
poſteriorem priorẽ ſua acerbitate penè obſcuraſſe. Poſteà populum in circo congrega-
tum oraſſe Florum, qui & præſidiarior um militum geſſit præfecturam, & ciuilem vr- *Florus præfectus ſeditionẽ ſedat.*
bis adminiſtrationem tenuit, vti ipſis frumenti congiarium, quod illis ademerat, quin-
etiam balnea, ſpectacula, & alias denique res, quæ eis propter tumultuoſam ipſorum
ſeditionem ablatæ fuerant, reddenda curaret. Florum autem populi impetum, cùm co
ram adeſſet, ſua hortatione cohibuiſſe, pariterque ſeditionem ad tempus ſedaſſe. Verũ *Alia ſeditio monachorum in Palæſtina Theodoſio quodam eius ordinis in eccleſiã furente.*
interea monachi, qui ſolitudinem in confinijs Hieroſolymorum ſitam incolebant, mi-
nimè pacato tranquilloque animo fuêre. Nonnulli enim eorum, qui concilio inter-
fuiſſent, & ab eius decretis penitùs diſſentirent, veniunt in Palæſtinam, de fide prodita
conqueſturi, & alios monachos ad ſeditionem incendere excitareque cœperunt. Ac cũ
Iuuenalis ad ſui epiſcopatus ſedem reuertiſſet, & vi compulſus ab illis aduerſarijs, qui
illum in contrariam ſententiam retrahere nitebantur, ſuam ipſius ſententiam refelle-
re deteſtarique, ad vrbem, in qua tum Imperator vixit, confugiſſet, qui concilio Chalce
donenſi, vti ſuprà diximus, refragabantur, in vnum coacti, in ſancto die feſto Reſurre-
ctionis Theodoſium, qui maximè omnium concilium illud perturbaſſet, quique pri-
mus illos de eo certiores feciſſet, deſignant epiſcopũ: de quo poſteà monachi in Paleſti- *Acliſo cur monaſterio excluſus.*
na ſcripſerunt ad Acliſonẽ, quòd à ſuo proprio epiſcopo in maleficijs deprehenſus, ex-
pulſus fuit monaſterio: & quòd, dum fortè Alexandriæ verſabatur, adhæſerat Dioſco- B
ro, & multis, vtpote ſeditioſus, verberibus dilaceratus, cameloque maleficorum more
impoſitus, circa vrbem ductus fuerat. Ad iſtum multi ex vrbibus Palæſtinæ accedentes, *Petro Maiumæ epiſcopatus donatus.*
effecerunt, vti ipſis ab eo deſignarentur epiſcopi. Inter quos Petro ex Iberia orto, epiſco
patus Maiumæ prope Gazam ſitæ donatus fuit. Quibus rebus nunciatis, Martianus pri-
mùm iubet Theodoſium militum manu ad ſe adduci: mittitque eò Iuuenalem, qui res
ibi perturbatas ad meliorem tranquillioremque ſtatum reduceret: quinetiam omnes
à Theodoſio ad Eccleſiæ miniſterium deſignatos exturbari mandat. Poſteà verò quàm
Iuuenalis eò aduentauit, multa & acerba mala, qualia (dæmone inuido, & Deo infeſto
vafrè excogitante) animus cuiuſque ſuggerere ſolet, ex vtraq; factione manarunt. Nam
dæmon ex mutatione vnius literæ, falſaque eius interpretatione perfecit, vt vtrouis mo
do efferretur, ſententiam omninò diuerſam induceret: quæ quidem tam diſcrepans à
compluribus putatur, ſenſusque tam penitùs inter ſe pugnantes inferre, vt alter alterũ *Vnius literæ diſcrimen diſſenſiones in Eccleſia pepe-rit.*
prorſus labefactet. qui enim fatetur Chriſtum ἐν, hoc eſt, in duabus eſſe naturis, perſpi-
cuè dicit, eum ἐκ, hoc eſt, ex duabus naturis conſtare: ſiquidem Chriſtum in diuinitate
pariter & humanitate ineſſe concedens, eũ ex humanitate & diuinitate pariter cõſtare
cõcedit: qui rurſus ἐκ, hoc eſt, ex duabus naturis conſtare dicit, omninò cõfitetur ἐν, hoc
eſt, in duabus ineſſe: quippe ex diuinitate & humanitate conſtare aſſerens, eum in diui-
nitate & humanitate ineſſe aſſerit: ſic tamen vt neque caro in diuinitatem, neque diui-
nitas in carnem (quarum coniunctio inexplicabilis eſt) cõmutetur: atq; adeò per hanc
vocem prolatam, EX DVABVS, intelligatur ſimul proferri, IN DVABVS: & per vocẽ,
IN DVABVS, intelligatur pariter proferri, EX DVABVS, & alteram ab altera minimè
abeſſe: quandoquidem ex abundanti conſtat non modò totum ex partibus cõſtare, ſed
in partibus totum intelligi: & tamen iſta penitùs ab ſe mutuò ſeiuncta quidã homines
opinantur, quippe quorum animi ſunt antè ita occupati, vel quadam de Deo opi-
nione, quæ ipſis aſſueta eſt, vel tali voluntate, vt quoduis mortis genus
ſubire malint, quam ei, quod verum eſt, aſſentiri. Vnde
mala, quæ ſupra poſuimus, profecta ſunt.
Sed iſta quidem hoc
modo.

De imbrium penuria, fame ac peste, vtrq; incredibiliter quibusdam in locis tellus sua sponte fructus protulerit. CAP. VI.

Vide Nicc. lib. 15. c. 10.

Imbrium paucitas. Fames. Pestis.

EIsdem temporibus tanta fuit imbrium paucitas in vtraq; Phrygia, Galatia, Cappadocia & Cilicia, vt homines rerum necessariarum penuria coacti, alimentum pestiferum & exitiale caperent, vnde etiam pestis nata est, & ob victus mutationem ægrotare cœperunt, & corporibus intumescentib. propter nimiam inflammationem lumina amiserunt: ac tussi simul afflicati, tertio die migrarunt ē vita. Cui quidem pesti quanquam nullum potuit omninò remedium inueniri, fames tamen his quibus vita suppetebat, per salutarem Dei omniū moderatoris prouidentiam leuata est: quippe anno illo sterili & effœto alimentum ex

Manna ex aere delabitur. Fruges sponte natæ.

aëre non aliter atq; manna olim Israëlitis delapsum dicitur, & insequente anno fructus maturos terrā sua sponte produxisse. Atq; non modò hæc mala per Palæstinam grassabantur, verumetiam aliæ graues calamitates per alias multas & propè infinitas regiones pererrabant.

De Valentiniani cæde, & Romæ expugnatione, & alijs qui illic imperitabant.

CAPVT VII.

Vide Nicc. lib. 15. c. 11.

Aetij interitus. Valentiniani interitus. Heraclij interitus. Pœna libidinis.

DVM hæc in Oriente geruntur, in antiqua Roma Aëtius miserè interfectus est. Valentinianus quoq; partium versus Occidentem Imperator, & Heraclius vnà à quibusdam Aëtij militibus è medio sublati: insidijs à Maximo, qui Imperium ambierat, propterea contra eos comparatis, quòd coniunx Maximi fuerat à Valentiniano stuprata, & per vim compressa. Iste Maximus Eudoxiam Valentiniani vxorem coëgit inuitam sibi nubere. Illa igitur, neq; id sanè immeritò, hoc facinus & contumeliæ & turpitudinis maximæ loco ducens, & omnem aleam, vt dicitur, iacere cupiēs, pro-

Maximus imp.

Furens quid fœmina possit exemplo suo docet Eudoxia.

pter ea, quæ maritus passus est (mulier enim est, & propter pudicitiam quam ipsa amisserat atrox, & animo implacabili, cum pudicitiam retinere studens ea spoliatur, idq; ab eo maximè, cuius atrocitate virum amisit) mittit in Libyam ad Genzerichum, dona quàm plurima illi dat, bonamque spem etiam animo eius inijcit, de alijs in posterum potiundis: suadet vt ex inopinato Imperium Romanum inuadat, polliceturque se omnia in B manus eius traditurum. Qua re confecta, Roma capitur. Genzerichus, vtpotè barbarus, morum inconstantia & mobilitate præditus, fidem huic minimè seruauit, sed vrbe incensa, rebusque omnibus direptis, Eudoxia deniq; cum binis filiabus capta, reuertitur: in-

Genzerichus Romam diripit, nec domui Valentiniani parcit.

que Libyam se recipit, & Eudoxiam maiorem natu filiam filio suo Honoricho collocat in matrimonium: Placidiam autem natu minorem vnà cū Eudoxia matre postea famulatu planè regio comitatam, quò Martiani animum (nam & incēdium Romæ, & Imperatoris Valentiniani filiæ tam contumelioſè tractatæ ei bilem mouerant) pacatum & tranquillum efficeret, mittit. Itaque Placidia iussu Martiani eam desponden-

Tyrannis in Imperio.

tis, nubit Olybrio, viro nobili ex ordine senatorio: qui Roma capta, confugit Constantinopolim. Mortuo Maximo Imperium Romanorum obtinet Auitus ad mēses octo. Quo peste extincto, Maiorinus proximo anno suscipit Imperij gubernacula. Maiorino etiam à Rhecimero Romanorum duce per insidias interempto, Seuerus triennio Imperium occupauit.

Auitus. Maiorinus. Seuerus Imppp. Occidentis, circa annū Christi 460

De morte Martiani & Leonis Imperio, & quòd hæretici Alexandrini Proterium occidunt, eiusq; episcopatum Timotheo Æluro tradunt.

CAP VIII.

Vide Nicc. lib. 15. c. 15. 16. 17.

Martianus quandiu regnarit.

SEuero porrò Romanorum adhuc Imperium gerente, Martianus, cum septem solùm annis regnasset, deposito hoc regno, ad præstabilius domicilium demigrauit, exemplari imperandi vere regio omnibus ad intuendū relicto. De cuius morte Alexandrini certiores facti, iracundiam cum maiore furore & æstu contra Proterium renouarunt. Nam populus ad iram facilè accendi, leuiq; arrepta occasione ad tumultus ciendos inflammari solet, idq; A-

Populus Alexandrinus in primis seditiosus.

lexandrinus in primis: qui quidem frequenti sua multitudine eaq; obscura & abiecta maximè se efferens, temeraria audacia magnos sumit spiritus. Atque ea de re aiunt, plebeium quenq;, modò ipse voluerit principium dare, ciuitatem illam ad popularem ac ciuilem seditionem posse incendere, & quò velit deducere rapereque, adeò vti eam nō pudeat res planè ridiculas & ineptas (sicut de Amasi scribit Herodotus) plerumq; consectari. Ac talis est in eiusmodi quidem rebus populus iste: at in alijs tamen non est talis, qualis contemnendus videatur. Alexandrini ergo tempore, quo præsidiorum præfectus

Timotheus Aelurus Alexandriæ episcopus per seditionē constitutus persistit adhuc Proterio.

A ctus Dionysius in superiori Aegypto cōmorabatur, diligenter obseruato, Timotheum cognomento Aelurum, qui iam pridem monasticum vitæ genus excoluisset, posteà autem esset in numerum presbyterorum Alexandrinorum ascriptus, ad episcopatus gradum capessendum suffragijs deligunt: ac simul atq; in magnam ecclesiam, quæ Cæsaris nomine nuncupatur, deduxerant, illum suum declarant episcopum, dum Proterio adhuc suppeditabat vita, sacerdotisq; muneribus fungebatur. Timothei electioni interfuit Eusebius antistes Pelusij, & Petrus ex Iberia ortus, Maiumæ ciuitatis episcopus: quas etiam res, historicus ille, qui vitam Petri literis prodidit, commemorat: à quo traditur Proterium non à populo, sed à quodam milite trucidatum. Nam cum Dionysius, scelerib. ibi admissis impulsus, maxima cum celeritate Alexandriam veniret, maturaretque incensam seditionis flammam restinguere, quidā ex Alexandrinis, Timothei suasu, vti scriptum erat ad Leonem, Proterium abeuntem, confugientemq; ad Baptisterium, viscera eius gladio transfixis, conficiunt, funeq; circumligatum, in loco, qui Tetrapylon, id est, quatuor portæ, dicitur, omnium oculis subijciunt ad contemplandum, ac cum irrisione & clamore Proterium occisum prædicant. Posteà verò corpus per totam ciuitatem raptatum, igni cremandum tradunt: atque more beluarum viscera eius

Proterij episcopi miseranda cædes, ab Arianis facta

Tetrapylum locus.

Leo Imp. anno Christi 459.

degustare neutiquam exhorrescunt: sicut ex postulatione episcoporum Aegyptum incolentium, & totius cleri Alexandrini hæc omnia complectente constat, quæ ad Leonem imperio Romano, vti diximus, post Martianum potitū, facta fuit, ijsq; ferè verbis conscripta.

Pio Christi amantissimo, & victori à Deo declarato, triumphatori, Augusto Leoni
" postulatio ab episcopis omnibus diœceseos Aegypti vestræ, & à clericis maximæ & san
" ctissimæ vestræ Ecclesiæ Alexandrinæ missa. Cū sis humanæ vitæ diuina & cœlesti gra-
" tia velut dono tributus, Auguste Imperatorum omnium sanctissime, non desinis re-
" uera proximè & secundum Deum in dies singulos communi reip. vtilitati prouidere.
" Et postea Timotheus, qui tum presbyter fuit, pace populi rectè de fide sentientis cùm a-
" pud nos, tum apud Alexandrinos disturbata, se statim post concilium Chalcedoni ce-
" lebratum cum quatuor aut quinq; duntaxat episcopis & paucis monachis, tum peruer-
" so Apollinarij, tum pernicioso eius ipsius Timothei errore pariter cum eo infectis (ob
B " quem omnis id temporis à Proterio, viro diuinę planè memorię & cōcilio episcoporū
" in Aegypto coacto, dignitate sacerdotali, sicut canon ecclesiæ postulat, abdicati ab Im-
" peratoribus, quibus bilem mouerant, in exilium eiecti fuerunt) ab Ecclesia catholica &
" fide se separauit seiunxitque. Ac paulò post: Idem Timotheus tempore, quo Martianus
" sanctissimæ memoriæ Imperator ex hac luce ad Deum migrauit, diligenter obseruato,
" maledicis verbis, vtpotè nullis subiectus legibus, eum impudens lacerare non dubita-
" uit: sancto etiam & generali Concilio Chalcedoni habito, quasi perfricta fronte ana-
" thema denunciare, pertrahere ad se populi venalis & seditiosi turbam, contra diuinos
" canones, ordinem Ecclesiasticum remp. & leges dimicare, se intrudere in sanctam Dei
" ecclesiam pastorem tum & doctorem habentem, sanctiss. nostrum patrem & archiepi-
" scopum Proterium, consuetas celebrantem synaxes, & preces nostri omnium seruato-
" ri Christo pro sancto vestro Imperio, & pro palatio vestro Christi amantissimo offerē-
" tem. Et paulò infrà, Vno die præterlapso, Proterio sanctissimo episcopatus munere, vt
" moris est, perfungente, Timotheus assumptis sibi duobus episcopis dignitate episcopa-
" li abdicatis, & clericis itidem exilio, vt diximus, mulctatis, à duobus illorum creatur e-
" piscopus, nullo omninò episcoporum orthodoxorum ex diœcesi Aegyptiaca, sicut in
" creando episcopo Alexandrino fieri solet, præsente: & ita cathedram archiepiscopatus,
" sicut ipse putabat, obtinet, stupro planè contra ecclesiam habentem suum proprium
" sponsum, qui diuina in ea obibat mysteria, sedemque suam, vti ecclesiæ canon flagitat,
" gubernabat, admisso. Et quibusdam interpositis, sequuntur ista: Beatus ille Proterius
" nihil aliud facere poterat, quàm dare locum iræ, sicut scriptum est, & quò impetum eo-
" rum, qui ad necem illi inferendam accurrebāt, effugeret, ad venerādum se recipere ba-
" ptisterium: quem locum maximè omnium, etiam barbari & agrestes homines, qui sa-
" cratum eius decus & gratiam inde emanantem penitùs ignorant, violare extimescunt.
" At isti tamen, qui propositum ab initio Timotheo concilium reipsa perficere nitebā-
" tur, ne in puris illis et inuiolatis quasi adytis Proterium seruari passi sunt, neque sancti-
" moniam loci, neque tempus (solennis enim dies festus salutaris Paschatis tum celebra-
" batur) reuerentes, neque reformidantes sacerdotij dignitatem, quæ inter Deum & ho-
" mines mediatrix est, innocentem occidunt, crudeliterque cum alijs sex è medio tol-
" lunt: atque corporis reliquias vulneribus vndique plenas abducunt secum, trahunt per
" vniuersam ferè vrbem, ludibrio miserandum in modum exponunt, atrociter verbe-

De Timothei hæresi & sceleribus.

Episcoporum Aegyptum incolentium postulatio apud Leonē aduersus Timotheū.

Timothei episcopi creatio.

Proterij interitus.

Rom. 12.

ribus

Universidad de Deusto
Biblioteca

ribus lacerant corpus illud, quod verbera minimè sentiebat, discindunt membratim, A & ne à visceribus, more ferarum, degustandis illius quem nuper mediatorē inter Deū & homines existimabant, se continuerunt. Postremò quod reliquum erat corporis, igni tradunt absumendum: & cineres illius in ventum spargunt dissipantq;, adeò vt efferatam bestiarum immanitatem longè superare viderentur. Atq; istorum omnium malorum author & architectus fuit Timotheus. Zacharias autem, qui res easdem narrat, literis nimirum Timothei ad Leonem missis persuasus, tradit plura præterea gesta esse, idq; culpa Proterij, qui maximas turbas, vti ait ille, in Alexandriam inuexerat: facinoraq; ea non à populo, sed à quibusdam militibus designata: eoq; missum Stelam ab Imperatore Leone, pœnas illis inflicturum.

Zacharias de Timotheo & Proterio.

De circularibus Leonis literis. CAP. IX.

Leo consulit Occidentis episcopos super istis rebus.

LEo Imperator cùm ab episcopis remp. Romanam incolentibus, tum ab alijs pijs viris ob monasticum vitæ genus plurimùm commendatis, de concilio Chalcedonensi, & Timothei cognomento Aëluri creatione interrogasset, literas generatim ad omnes scripsit: missitq; vnà exemplaria supplicum libellorum tum à Proterij, tum à Timothei fautoribus sibi oblatorum. *Vide Nicephorum lib. 15. c. 18. 19.*

Literæ autem Leonis quaquauersum ad omnes missæ, sunt his verbis compositæ: Exemplar literarum diuinarum sanctissimi Imperatoris Leonis, Anatolio episcopo Constantinopolitano & omnibus alijs per totum orbem terrarum metropolitanis episcopisq; reliquis missarum.

IMPERATOR CAESAR LEO, PIVS, VICTOR, TRIVMPHATOR,
Maximus semper Augustus, Anatolio episcopo, S.

Leonis literæ ad Anatolium.

Fuit meæ pietati in optatis, vt tum omnes sanctissimæ orthodoxæque Ecclesiæ, tum præterea ciuitates reip. Romanæ subiectæ summa tranquillitate fruerentur, nihilq; acci deret, quod quietum earum statum perturbaret. Quæ autem turbæ nuper Alexandriæ contigerint, tuæ sanctitati minimè iam obscurum arbitramur. Verùm quo accuratius omnia intelligas, & quæ causæ tanti tumultus, tantæque perturbationis extiterint, verè cognoscas, exemplaria supplicum libellorum, quos sanctissimi episcopi & clerici à prædicta vrbe & diœcesi Aegyptiaca Constantinopolim vrbem Imperij primariam aduentantes, contra Timotheum ad meam pietatem attulerunt, quinetiam exemplaria supplicum libellorum, quos quidam etiam Alexandria à Timotheo ad castra nostra accedentes, nostræ clementiæ tradiderunt, ad tuam pietatem misimus: ad eum planè finem, vti quid factum sit à Timotheo, quem et populus Alexandrinus, & primarij viri, & ciues, & naucleri sibi poposcerunt episcopum: deque alijs rebus in ipso supplicum libellorum corpore comprehensis, & præterea de Chalcedonensi Concilio, cui minimè assentiuntur quidam, sicut libelli supplices infrà positi declarant, tua sanctitas perspicuè intelligere possit.

Etiam exemplaria supplicum libellorū misit Leo.

Proinde tua pietas faciat, vt omnes orthodoxi & sancti episcopi, qui in hac vrbe primaria in præsentia commorantur, quinetiam omnes sanctissimi clerici cōfestim apud se conueniant, & omnibus rebus (quippe Alexandria, quæ vti in statu tranquillo & pacato locetur, nobis maximè curæ est, iam est vehementer turbata) diligenter tractatis disquisitisque, quid de eo, de quo suprà diximus, Timotheo, quid etiā de concilio Chalcedonensi, omni humano timore, gratia & odio penitùs depositio, soloq; Dei omnipotentis timore ante oculos statuto (nostis enim vos de hac re sanctæ eius & syncerè diuinitati rationem reddituros) quid, inquam, vobis videatur, planè significetis, quo nos de omnibus per vestras literas certiores facti, edictum, quod appositè illis conueniat, promulgare possimus. Istæ quidem sunt literę scriptę ad Anatolium. Non dissimiles ab eodem Imperatore scriptæ fuerunt, cum ad alios episcopos, tum ad viros illustres, qui per id temporis, vt suprà demōstratum est, vitam inopem, & rebus omnibus ad victum necessarijs destitutam egerunt: ex quorum numero Symeones (de quo superior nostra mentionem fecit Historia) fuit: qui quidem primus omnium cœpit in columna habitare, illudque domicilij genus inuenit. His annumerantur Baradatus & Iacobus Syrij.

Symeonis habitaculū quale Vide supra lib. 1. cap. 13.

De quibus rebus episcopi & Symeones, qui columnam incolebat, rescripserunt. CAPVT. X.

Leonis episcopi Rom. iudicij de Synodo Chalcedonēsi & causa Timothei Aeluri

PRimùm igitur Leo episcopus antiquæ Romæ pro defensione concilij Chalcedonē sis scripsit, creationemque Timothei, vtpote contra Ecclesiæ leges factam, improbauit: quam Leonis epistolam Imperator per silentiarium eius mandata exequentem, Timo- *Vide Nicephorum lib. 15. c. 19. Euagrium lib. 1. c. 13.*

A Timotheo Alexandriæ antistiti mittit: cui rescripsit Timotheus, & cùm concilium Chalcedonense, tum Leonis epistolam coarguit. Istarum epistolarum exemplaria extant in literis Leonis Imperatoris generatim ad omnes scriptis, & à me quidem omittuntur, ne nimis multa eius generis scripta in hoc Opere intexere videar. Porrò alij itidem episcopi Chalcedonensis concilij firmè adhæsere decretis, & creationem Timothei consentientibus suffragijs condemnauêre. Ac solus Amphilochius episcopus Sidæ epistolam scripsit ad Imperatorem, in qua vti contra Timothei creationem grauiter vociferatur, sic Concilium Chalcedonense improbat: quæ res sunt etiam à Zacharia rhetore literis mandatæ, ipsaq; epistola Amphilochij in eius libro posita. Symeones item vir sanctæ memoriæ, binas de ijsdem rebus scripsit epistolas, alteram ad Leonem Imperatorem, ad Basilium Antiochiæ alteram: quarum eam, quæ est scripta ad Basilium, vtpotè breuem, in hac mea ponam Historia: cuius hæc est sententia.

Vide Cassiodorum in vita Anastasiæ.

Aliorum episcoporum iudicia.

Symeonis literæ binæ.

DOMINO MEO RELIGIOSISSIMO, SANCTISSIMO, DEOQVE CHARISSIMO *Basilio archiepiscopo, Symeones humilis peccator in Domino, S.*

Symeonis ad Basilium epistola de Concilio Chalcedonensi.

„ Iam opportunè dicere possumus: Benedictus Deus, qui non auertit precem nostram, „ & misericordiam suam à nobis peccatoribus. Cum literas vestræ amplitudinis accepis„ sem, admiratus sum, tum singulare studium & pietatem Imperatoris nostri sanctissi„ mi, quam non modò erga sanctos patres, verumetiam erga fidem ab illis confirmatā „ demonstrauit, declarauitque. Verùm hoc non ex nobis donum, vt sanctus loquitur A„ postolus, sed ex Deo, qui per preces vestras hāc propensam illi largitus est voluntatem. „ Postea adiungit ista: Quapropter ego abiectus & vilis velut abortus monachorum, Im„ peratori significaui, tum quid ipse de fide sexcentorum illorum & triginta sanctorum „ Patrum Chalcedoni in vnum coactorum senserim, tum me illi adhæresce re, & ab ea„ dem vtpotè sancti Spiritus afflatu demonstrata confirmatum affirmaui. Nam si SeruaB „ tor adest in medio duorum aut trium in nomine eius congregatorum, qui fieri potest, „ vt tam multorum tamque sanctorum patrum non interfit Concilio, cùm Spiritus san„ ctus fuerit cum illis ab initio? Et postea: Quamobrem confortare, & esto robustus in „ veræ pietatis defensione, non aliter atque Iesus filius Naue, seruus Domini in populo „ Israëlitico gubernando tuendoq;. Vniuerso clero tuæ sanctitati obsequenti, & populo „ benedicto ac fideli, à me, quæso, salutem dicito.

De Timothei Æluri exilio, & Timothei Salofacioli creatione, & de Gennadio & Acacio Constantinopolitanis episcopis. CAP. XI.

Vide Nicephorum lib. 15. c. 16.

Timothei Aeluri exilium.

POst ista Timotheus Aelurus addicitur exilio, iubenturque Gangrenæ domicilium rerum suarum collocare. Itaq; Alexandrini alterum Timotheum Proterij successorē designant: quem alij Basilicum, Salofaciolum alij vocarunt. Mortuo Anatolio, sedem episcopatus Constantinopolis vrbis primariæ capessit Gennadius: cui Acacius, qui in eadem vrbe orphanorum collegio præfuerat, successit.

Anatolio succedit Constantinopoli Gennadius, huic tursus Acacius.

De terræmotu, qui accidit Antiochiæ, trecentos & quadraginta septem annos post illum, qui fuerat, regnante Traiano. CAPVT XII.

Vide Nicephorum lib. 15. c. 20.

Antiochiæ terræmotus quādo acciderit, & quantum Vrbi nocuerit. accidit autem anno Christi 462.

SEcundo anno Imperij Leonis ingens terræmotus & conquassatio Antiochię accidit, ante cuius initium quidam è populo eiusdem vrbis fati, supra modum insanire, & omnem belluinam feritatem lōgè superare visi sunt, quasi procœmium eiusmodi cladibus præbituri. Anno autem sexto & quingentesimo post nomen illi vrbi impositum, grauissimus terræmotus accidit, quippe decimo quarto die mensis Gorpiæi, quem Romani Septembrem vocant, circiter horam quartam noctis, tercentum quadraginta septem annis decursis, ab eo terræmotu, qui sub Traiano fuit. Ille enim terræmotus anno centesimo quinquagesimo nono post ciuitatem liberam & sui iuris factam cōtigit: hic autem regnante Leone, sicut à scriptoribus, qui eum accuratè persecuti sunt, commemoratur, accidit, sexto & quinquagesimo anno. Qui quidem omnes ferè ædes vrbis nouę disturbauit, quę vrbs à multis hominibus incolebatur, nullaq; eius pars deserta fuit aut neglecta, sed tota Imperatorum magnificentia aliorum alios in ea re superare contendentium exquisitè elaborata extructaq;. Quinetiam prima & secunda palatij domus deiecta, alijs ædibus vnà cum adiuncto balneo, quod cum antè nulli fuisset vsui, iā tum in ea calamitate necessariò propter clades, quę reliquis balneis obtigerunt, ciuitati abluēdæ inseruiuit. Euersę etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tetraphylon. etiam porticus ante palatium,& locus qui Tetraphylon dicebatur:& turres circi propè A ianuas,& quasdam etiam porticus ex illis egredientes:aliquam item partem balneorũ Traiani,Seueri & Adriani concussit diruitq;:aliquam quoq; viciniæ,quæ Ostracina di- Io Rhetoris historia deter. citur,vnà cum porticibus,& Nymphæum(sic enim nominatur) prostrauit: quorũ sin- tæmotu Antiochiæ. gula accuratè à Ioanne rhetore narrantur. Ait porro tum ciuitati de tributis mille auri talenta ab Imperatore esse condonata,tum ciuibus etiam vectigalia,qui ea cladeafflicti erant,tum deniq; ab eodem curam de publicis ædificijs reficiendis susceptam.

De incendio, quod extitit Constantinopoli.

CAP. XIII.

Constantino- polis incendiũ quale. Lades preterea huic non dissimilis,imò verò multo acerbior Constantino- Vide Nice. lib.15.c.21. poli accidit, quæ in parte vrbis mare tangente, quam Viam Bouis nuncu- pant,primùm incœpit.Fertur dæmonem quendam maleficum & conscelera- tum mulieris gerentẽ similitudinem,siue mulierem egentem, quæ vi- ctum manibus quæritabat(vtrunque namque dicitur)circiter tempus, quo Dæmon incendiarius fomitem incendij ponit. lucernæ accendi solent,lucernam in forum detulisse,quasi aliquid salsamenti empturam, depositaque ibi lucerna seinde subduxisse Flammam lucernæ stupam occupasse, maximum excitasse incendium,ædificiumq; in foro positum dicto citius combussisse, atque ædificia alia in proximo sita,non modo quæ facilè incendi poterant, verumetiã quę erant ex lapidibus constructa,depascentẽ,facilè absumpsisse: quod quidẽ incendiũ durasse ad quatriduum,nullisq; viribus comprimi potuisse:per vrbem mediam rotam pererrans,à Septentrionali regione ad Australem vsque omnes domus ad quinque stadia in longum, in latum autem ad quatuordecim stadia penitùs vastasse,nullumq; ædificium vel publicum vel priuatum,nullas columnas,nullosdenique fornices ex lapidibus structos,toto illo spacio,quo grassabatur, omninò reliquisse: sed omnem duram concremasse materiam,perinde ac si fuisset res perfacilis ad incendendum. Hanc cladẽ in Boreali vrbis regione,in qua nauale est,à Via Bouis(hoc enim nomine est) vsque ad Concordiæ templum. vetus templum Apollinis oberrasse:in Australi autem à portu Iuliani ad ædificia eccle- siæ,quæ Concordiæ nomine nuncupatur,non multùm distantia grassatam. In media ci- uitate,à foro Constantini ad Tauri forum vsque,miserabile spectaculum, & cum pri- B Deformatio Constantinopolis ex incendio. mis horrendum ante omnium oculos posuisse.Nam quæcunque vrbis loca in sublime cum summa pulchritudine erecta fuissent, aut quæ ad magnificentiam & singularem præstantiam affabre elaborata,aut ad publicos priuatósue vsus extructa,aceruatim vel- ut in montes collesque inuios & abruptos aggerata fuisse, atque conferto omni mate- riæ genere sic priorem deformasse effigiem, vt ne ab eorum habitatoribus internosci poterat,qui locus hic vel ille antè fuisset,vel vbi situs.

De varijs variarum regionum calamitatibus.

CAP. XIIII.

Terræmotus. Eisdem temporibus, bello Scythico,quod contra Romanos versus Orien- tem incolentes susceptum fuit,exardescente,Thracia,Hellespontus,& Io- nia terræmotu admodum concussæ sunt: concussæ etiam eodem Cycla- Priscus Rhetor. des insulæ, concussæ item Cnidus & Coo insulæ,vsque adeò,vt multa in illis deturbarentur ædificia. Porrò autem Priscus memorat tam ingentẽ Pluuia inusitata. pluuiam Constantinopoli,& in Bithynia extitisse, vt ad tres aut quatuor dies aquæ in- star fluuiorum de cœlo præcipitarent, & montes illarum violentia in planiciem depri- merentur: quinetiam sic obruerentur pagi,vt in exitij discrimen venirent, inque Boa- na lacu,qui non longè abest Nicomedia,ob crebram sordidæ cuiusq; generis materiam in eum congestam, nonnullæ fierent insulæ. Verùm ista euenêre posteà.

De Zenonis & Ariadnæ nuptijs.

CAP. XV.

Leo Imp. Zenoni filiam suam despõdet. Imperator Leo Zenoni Ariadnam despondet filiam,eum sibi generum a- Vide Nice. lib.15 c. 27. scisceit, qui ab incunabulis Aricmesus quidem vocatus fuerat: at post nu- ptias nomen à quodam viro ab Isauris oriundo,sic appellato, qui ad ma- Eustathius Syrius historiam. gnum decus & splendorem peruenisset,obtinet. Vnde verò iste Zeno ad tantam dignitatem ascenderit,& quam ob causam omnibus à Leone sit prælatus,ab Eustathio Syrio commemoratum est. De

De Imperatore Romano Anthemio, & qui post illum imperauerint.

CAPVT XVI.

Romani Imp. Occidentis Anthemius anno Chr. 464. Vide Nice. lib.15.c.27. ANthemius porrò rogatu legatorum à Romanis ad Occidentem habitantibus Cõ- stantinopolim ad Leonem missorum, Imperator ad Romam gubernandam mit- titur: cui Martianus, qui dudum rexerat Imperium,filiam desponderat. Basiliscus prę- terea, frater Berinæ coniugis Leonis,cum exercitu ex militibus lectissimis collecto dux contra Genzerichum mittitur: quæ res sunt à Prisco rhetore accuratissimè conscriptæ: neq; hæ solùm, verum etiam quomodo Leo Asparem,qui Imperium ei tradiderat,per dolum, quasi mercedem honoris, ad quem ipsum extulerat, ei redditurus, è medio su- stulit: quinetiam filios eius Ardaburium,quem antea Cæsarem creauerat, & Patriciũ, quo Asparis patris eorum insolentiam & inscitiam ludificaret,itidem trucidauit. Post occisum Anthemium,qui quinquẽnio Romanum Imperium administrauerat,Olym- brius à Rhecimere Imperator renunciatur: quo extincto,Imperator creatur Glycerius: quem Nepos post quintum Imperij sui annum exturbat,ipseq; potitur Imperio,episco- pum autem Romanum Glycerium apud Salonas vrbem Dalmatię designat.Istum Ne- potẽ regno eijcit Orestes: post Orestẽ filius eius Romulus, cognomine Augustulus,qui postremus Romæ Imperator fuit, 1300. annos post regnum Romuli, Imperium occu- pauit. Quo mortuo,summam rerum Romanarum administrat Odoacer,qui Impera- toris nomine repudiato, se regem appellari voluit.

Anthemius Imperator. Priscus Rhetor. Leo sustulit Asparem Ardaburium Patricium. Finis Imperij Rom. in Occidentẽ à regnãre lapsi. Olymbrius, Glycerius, Nepos, Orestes, Romulus, Odoacer. Odoacer ex Imp. Rõ. Reæ anno 471. post quẽ Imperiũ occidentis cecidit annis 33. Videlicet, vsq; ad Carolum Magnum: & sunt proinde interea tẽporis oẽs qui hoc opere memorantur Imperatores Orientis.

De morte Leonis & parui Leonis imperio, & Zenonis rursum patris eius.

CAPVT XVII.

Leo Iunior Imperat. Orientalis, Mox Zenoeius pater anno Chr. 475. Vide Nice. lib.15.c.29. PEr idem tempus Leo Imperator, cum decem & septem annos regnasset, Constanti- nopoli deponit Imperium, Leonemque Ariadnæ filiæ suæ & Zenonis filium, iam admodum tenerum ætate,in Imperij gradu locat. Post quem Zeno pater purpuram in- duit, vt Leonis gener, subsidio Berinæ coniugis Leonis: mortuoq; puero paulo post, Zeno solus Imperij obtinet gubernacula. Quæ autem res fuerint vel ab eo vel contra eum gestæ, quæque eius temporibus acciderint, proximus Liber, Deo iuuante, persi- B cuè docebit.

Leo Imperator Imperium deposuit anno 475. Zeno obtinuit Imp. año 476.

Compendium rerum in Chalcedonensi concilio gestarum,in huius secundi Libri fine collocatum. CAPVT XVIII.

EPITOMAE EORVM QVAE ACTA SVNT, ET DECISA IN CONCILIO Chalcedonensi.

Episcopi præcipui concilij Chalcedonẽsis Leonis Pont. vicarij. Vide Nice. lib.15.ca.30. Euagr. lib. 2.cap. 4. PAscasianus & Lucentius episcopi, & Bonifacius presbyter in hoc concilio, Le- onis antiquæ Romæ pontificis fuêre vicarij: Anatolius item antistes Constan- tinopolis, Dioscorus Alexandriæ episcopus, Maximus episcopus Antiochiæ, & Iuuenalis Hierosolymorum, & horum omnium sacerdotes, eidem concilio inter- fuerunt. Quorum numero adiuncti erant senatores primarij, quibus dixerunt vicarij Leonis, Dioscorum non debere cum illis in concilio considere. Istud enim suum epi- scopum Leonem mandasse: quod quidem si minimè obseruarent, se ab Ecclesia deces- suros. Ac cum senatores rogarent,quænam crimina obijcerentur Dioscoro? respondẽ- runt, illum qui personam iudicis præter æquum & bonum susceperat absque Romani pontificis † præsidentis permissu, debere pro iudicio, quod ipse de alijs dederat, iudici- um subire. Quæ cum dixissent,& Dioscorus de sententia senatus in medio consessu sta- tueretur, petebat Eusebius, vt supplex libellus quem Imperatores miserãt, coràm iam perlegeretur, hæcque verba adiecit: Mihi certè à Dioscoro facta est iniuria, fidei etiam facta iniuria: Flauianus episcopus ab eo interfectus, vnaque mecum iniquè sacerdotio abdicatus. Iubete meum supplicem libellum legi. Quæ cum dixisset, supplex libellus lectus fuit, qui est hæc verba complexus: Supplex libellus Imperatoribus nostris Chri- stum verè colentibus,religiosissimis & sanctissimis, Fl. Valentiniano & Martiano sẽm- per Augustis, ab Eusebio humillimo episcopo Dorylæensi, qui pro se, pro orthodoxa fide, pro Flauiano denique sanctissimo episcopo Constantinopolitano verba fecit, oblatus:

† Curteri, cum ἐξώπυς habeat co- dex Græcus impressus, suspicor malo ani- mo abali- quo vocẽ Romani, sublatam, Nice. li. 15. cap. 30. eã etiã habet, & debet in textum hoc loco redire: tu Vide an- no. nostras Græcas pa- gg. lat. 1. lin. 22.

Est quidem vestræ amplitudini propositum, vt cunctis qui vestro parent Imperio,se- dulò prouideatis,& cùm cęteris omnibus iniuria affectis,tum maximè sacerdotibus be- nignè opitulemini. In hoc enim diuinum numen,à quo mortalium imperium & do- minatus vobis tributus est, verè colitur. Quare,quoniam & fides Christiana & nos etiã incommoda multa grauiaq; cõtra æquitatis regulam à Dioscoro reuerendiss.episcopo

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dioscorus Alexandriæ episcopus aduersus Eusebij libellus supplex.

Alexandriæ, vrbis primariæ, accepimus: ad vestram benignitatem supplices accedimus, A
vt quod æquum est, à vobis impetremus. Causa autem querelæ eiusmodi est: In concilio nuper Ephesi vrbis primariæ habito (quod vtinam nunquam fuisset habitum, ne orbem terrarũ tantis malis ac turbis oppleuisset) ille bonus vir Dioscorus qui iuris & æqui normam pro nihilo putauit, qui timorem Dei contempsit, qui eandem tenuit cum Eutyche homine pleno inanitatis atq; adeò hæretico opinionem ac sententiam, qui quisnam esset, aliquandiu multos celauit: postea tamen seipsum prodidit, cum ex criminatione, quam ego Eutychi intulissem, & ex sententia, quam Flauianus sanctæ ac piæ memoriæ episcopus contra eum pronunciasset, occasionem arripuisset, multitudine populorum seditiosorum coacta, & potentia sibi pecuniæ subsidio acquisita, piam orthodoxorum religionem, quoad eius fieri poterat, labefactare, & peruersam Eutychis monachi doctrinam, quæ ab ipsis apostolorum temporibus hactenus à sanctis patribus cõdemnata fuerit, stabilire laborauit. Itaq; cum facinora, quæ tam confidenter tum contra Christianam fidem, tum contra nos admiserit, non exigui momenti sint, supplices accidimus ad genua vestræ Celsitudinis, obsecramusque vt iubeatis reuerendiss. epi-

Dioscorus ab orthodoxa fide alienus.

scopum Dioscorum ad crimina ei à nobis obiecta respondere, nimirum commentaria rerum ab eo contra nos gestarum in sancto concilio perlegantur, quibus certè ostendere poterimus, eum & ab orthodoxa fide alienum esse, & hæresim propugnare impietatis plenam & iniquè nos abdicasse, & grauibus nos affecisse incommodis: atq; oramus præterea, vt diuina & honorifica vestra mandata mittere dignemini sancto & generali diuinissimorum episcoporum concilio, quò & quid nos, & quid prædictus Dioscorus egerit, audiri, & omnia quæ in concilio gerentur, vestræ pietati significari possint, vt immortali nostro capiti Christo placeamus. Cuius rei facti compotes, Imperatores sanctissimi, assiduas preces pro prospero vestri Imperij statu perpetuando, Deo offerre nõ desistemus. Quæ autem in secundo concilio Ephesino ab episcopis acta erant, rogatu tum Dioscori, tum Eusebij publicè ac palàm legebantur: ex quibus constabat, epistolam Leonis minimè lectam fuisse, idque cum verba de eadem semel atque iterum facta fuissent. Vnde Dioscorus causam rogatus, respondit se semel atque iterum egisse cum episcopis, vt illud fieret: postulauitque Iuuenalis Hierosolymorum episcopus, &

Thalassius Cappadociæ episcopus.

B Thalassius Cæsariæ Cappadociæ episcopus, vt res istæ apertè declararentur (hos namq; vna cum Dioscoro authoritatem in concilio Chalcedonensi sibi assumpsisse constat) atque Iuuenalis dixit, affirmauitque, Dioscorum quidem per literas Imperatoris de legenda Leonis epistola admonitum, postea tamen mentionem eiusdem epistolæ à nemine factam: Thalassius autem dixit se minimè obstitisse, quo minus legeretur, neque tantum habuisse authoritatis, vti ipse solus decidere posset, vt legeretur. Itaque actis concilij perlectis, & quibusdam episcopis nonnullas veteratorias & quasi commentitias sententias in illis deprehendentibus, Stephanus Ephesiorum antistes rogatus, qui-

Stephanus Ephesiorum episcopus.

nam eorum qui tum subscribebant, cum exceptione subscripsissent, respondit Iuliaum, qui postea Lebidi fuit episcopus, & Crispinum ita subscripsisse: eos tamen qui

Acta concilij Ephesini lecta in Synodo Chalcedonensi sessione prima.

subscribebant Dioscoro, istud fieri minimè permisisse, sed prehendisse subscribentium digitos, adeò vt turpissima ignominiæ nota affecti viderentur. Proinde Stephanus confitebatur eodem ipso die abdicationi Flauiani fuisse subscriptum. Quippe Acacius Ariarathiæ episcopus, chartæ, in qua nihil scriptum erat, omnes per vim &

Episcopi necessitate coacti per Dioscorũ subscribere abdicationi Flauiani.

necessitatem infinitis ferè malis à militibus, qui cum cruentis gladijs districtisque circumsistebant, diuexatos, ad subscribendum impulit. Deinde alia rursus accusatione perlecta, Theodorus episcopus Claudinopolis dixit, † neminem ista locutum fuisse. Cum autem ita actorum lectio progrederetur, vbi locus quidam occurebat, qui complectebatur, Eutychem & eos, qui asserunt carnem Dei & Domini ac seruatoris nostri

† Videatur not. pap. 1. 9. lat. 2. lin. 38.

Iesv Christi de cœlo descendisse, ita locutos, actorum commentarij ostenderunt, Eusebium respondisse, Eutychen dixisse quidem de cœlo, sed non adeciisse, vnde sumpserat. Diogenem autem episcopum Cyzici tum vrgere: Dic ergo vnde? eos verò vlterius quærere non fuisse permissos. Tum ipsa acta in medium proferunt. Deinde Basilius episcopus Seleuciæ Isauriæ dixit: Adoro vnum Dominum nostrum

Iesvm Christum, filium Dei, solum Deum verbum, qui post incarnationem & copulationem diuinitatis & humanitatis in duabus naturis consistere intelligitur. Contra ista cœperunt Aegyptij ita vociferari: Nemo eum qui partiri nequit, in partes diuidat: vnum filium oportet, non duos dicere filios. Tum episcopi Orientis clamare: Anathema sit Christum partienti, anathema eum diuidenti. Eadem etiam

Eutychetis impius error.

acta referunt, Eutychem interrogatum, vtrum duas in Christo esse naturas asseverer? respondisse, se scire Christum ante coniunctionem diuinitatis cum humanitate

ex duabus

A ex duabus cõstitisse naturis, at post copulationem, vnam in eo esse? Basilium tum dixisse: Quòd si non dicat, post coniunctionem naturarum duas esse naturas, quæ nec separari nec confundi possint, confusionem inducere & commixtionem: sin autem adijciat, diuinitatem incarnatam esse, & humanitatem induisse, & incarnationem eo modo quo Cyrillus intelligat, eadem cum dicere, quæ ipsi. Nam aliud diuinitatem esse quæ ex patre fuit, humanitatem autem aliud quæ ex matre. Qui cum essent interrogati, quamobrem abdicationi Flauiani subscripsissent, actorum commentarij declarant, episcopos Orientis sic clamasse: Omnes peccauimus, omnes igitur veniam petimus. Deinde cum vlterius in actis legendis procederetur, constabat episcopos rogatos fuisse, cur Eusebium in congressum & colloquium cum illis venire cupientem non permisissent? ad quę Dioscorus respondet, Elpidium literas admonitorias attulisse illis, confirmasseq; Imperatorem Theodosium dedisse in mandatis, vt in concilium minimè intromitteretur. Idem quoque Iuuenalem respondisse, docent ipsa acta. Thalassius autem dixit, ea nihil habere authoritatis, quæ à principibus condemnationem habuissent, neque fidei propositæ hanc defensionem esse. Vnde Dioscorum quæ fiebant reprehendisse acta indicant, his ferè verbis: & dixisse, Quales iam seruantur canones? Cum Theodoritus in conuentum venisset, tum fertur senatum dixisse, quod pro accusatore ingressus est: respõdisse Dioscorum eum episcopi loco considere. Tum senatum dixisse, cùm Eusebium, tum Theodoritum locum accusatorum obtinere, non aliter quàm Dioscorum ipsum locum tenere rei. Omnibus igitur actis secundi concilij Ephesini perlectis, sententia quoque contra Flauianum & Eusebium pronunciata, vsque ad verbum quod-

Vociferatio Synodi aduersus Reos Episcopos, Dioscori abdicatio.

dam: quo prolato, Hilarius episcopus loqui cœpit. Episcopi Orientis & qui cum illis erant, clamabant: Anathema Dioscoro. Eodem momento Christus abdicauit Dioscorum: Flauianus à Dioscoro abdicatus est. Sancte Domine, tu in illũ animaduerte: tuq; Imperator orthodoxe, illũ vlciscere. Viuat Leo multos annos, multos annos viuat patriarcha. Postremò lectis illis literis, quę ostẽdebant, omnes episcopos ibi in vnum collectos abdicationi Flauiani & Eusebij consensisse, illustrissimi magistratus ista quæ se-

Flauiani abdicatio.

„quuntur, totidem verbis locuti sunt:

„ Postridie cum concilium exquisitius habitum esset, de orthodoxa & catholica fide
„multo accuratius quæsitũ videmus. Ac quoniam Flauianus, piæ memoriæ episcopus,
B & Eusebius reuerendiss. Dorylæi episcopus ex concilij actorum decretorumq; inquisi-
„tione, & ex verbis eorum qui tum concilio præsederunt (dixerant enim se errore lapsos
„fuisse, iniusteq; Flauianum & Eusebium abdicasse) declarati sunt minimè in fide hallu-
„cinati, & propterea iniquè abdicati: æquum nobis sane videtur, idq; Deo nostram ap-
„probante sententiam, vt Dioscorus (modò ita placuerit diuinissimo & sanctiss. domi-
„no nostro Imperatori) reuerendiss. Alexandriæ episcopus, Iuuenalis reuerendiss. episco-
„pus Hierosolymorum, Thalassius reuerendiss. Cæsariæ Cappadociæ episcopus, Eusebi-
„us reuerendiss. episcopus Armeniæ, Eustathius reuerendiss. episcopus Seleuciæ Isauriæ
„(penes quos tum potestas erat, concilioq; illi præsidebant) sacti concilij sententia ac iu-
„dicio eodem pœnæ genere sicut canones Ecclesiæ postulant, mulctati, dignitate episco-
pali abdicentur, omniaque ex sententia Imperatorum diuiniss. decernantur. Quibus verbis recitatis, clamare Orientis episcopi: Iustum est istud quidem iudicium. deinde vociferari episcopi Illyrici, Omnes erraumus, omnes veniam postulamus. Ac cum episcopi Orientis rursus clamassent, Iusta est ista sententia: homicidam abdicauit Christus, martyres vltus est Christus, senatores iusserunt, vt singuli episcoporum ibi coactorum, seorsum suam ipsorum fidem exponerent: vt qui pro certò cognoscerent, Imperatorẽ diuinissimum secundum formulam illam fidei à trecentis decem & octo patribus Nicææ, & à centum quinquaginta Constantinopoli coactis editam, & secundum epistolas sanctorum patrum, Gregorij, Basilij, Hilarij, Athanasij, Ambrosij, & secun-

Concilij sententia aduersus Dioscorũ eiusq; socios.

Eutyches cum a Leone Rom. episcopo abdicatus.

dum epistolas Cyrilli in primo concilio Ephesino palàm recitatas credere. Etenim Leonem reuerendiss. antiquæ Romæ episcopum Eutychem propterea abdicasse. Isto igitur conuentu ad hunc modum dimisso, cum episcopi sanctiss. ad alium conuentum agendum in vnum cogerentur, Eusebius Dorylæi episcopus libellos pro se ac Flauiano illis obtulit: quibus Dioscorum, vtpote eundem cum Eutyche tenentem errorem, & quòd ipsos sacerdotio abdicauerat, accusauit: addidit præterea, quòd Dioscorus voces quasdam in concilio tum congregato minimè prolatas in commentarijs inseruerat, quòd chartas, in quibus nihil inerat scripti, subdolè parauerat, quibus ipsi subscriberẽt, postulauitque vt omnia acta secundi concilij Ephesini sententia episcoporum iam coactorum abrogarentur, ipsiq; restituerentur ad sacerdotium, sceleratumque illud Eutychis dogma anathemate damnaretur: petebat porrò vt post actorum lectionem aduer-

Sessio secunda rursus contra Dioscorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sarius in concilio compareret. Quod cum vt fieret concessum esset, Aetius primicerius notarius dixit, se ad Dioscorum venisse, sicut etiam ad alios: respondisseq; Dioscorum, non sibi à custodibus suis permissam potestatem ad concilium accedendi. Ferebatur etiam Dioscorum ante concilium coactum quæsitum fuisse: quo minimè inuento, dixisse Anatolium episcopum, eum debere accersi, & ad concilium venire. Qua re confecta, qui ad eum missi erant, reuersi dixerunt, dixisse Dioscorum, Teneor equidem à custodibus: quod si faciant mihi copiam veniendi, dicant. Ac cum illi qui missi erant, dixissent se ad eum, non ad Magistrianos missos, eum ferunt sic dixisse: Paratus sum ad sanctum & generale concilium venire, sed impedior. Quibus adiunxit Himerius, quòd ipsis redeuntibus à Dioscoro obuiam factus est Boetius, magistro diuinorum officiorum, & cum eo rursus episcopi ibant ad Dioscorum, & quòd quædam de colloquio habito cum Dioscoro schedis notata habebant: quæ cum essent perlecta, declarabant Dioscorum ista his ferè verbis dixisse: Cum hanc rem mecum ipse considero, comperioq; per quàm vtilem mihi esse, ista respondeo: quoniam præsides illustrissimi, qui in isto concilio sedent, multa post crebra singulorum colloquia decreuerunt. ipseq; ad secundum iam vocor concilium, quò ea quæ antè dicta fuerint, retractentur: quæso ab illis, vt præsides excellentissimi sacerq; senatus, qui primo interfuêre concilio, etiam huic interfint, vt eædem res denuò accuratè disquirantur. Cui acta referunt, Acacium respõdisse ad hunc modum: Non iussit sanctum & eximium concilium, vt tua sanctitas ideo accedat, vti ea quæ coram illustrissimis præsidibus, & coram sacro senatu acta fuerunt, retractentur: sed nos misit eo planè animo, vti tu ad concilium venias, & ne tua sanctitas absit ab illis. Cui Dioscorum dixisse, ostendunt actorum commentarij: Significastis mihi, Eusebium iam libellos concilio obtulisse: vos obtestor denuò, vt coram præsidibus & senatu mea causa penitùs expendatur cognoscaturque. Postea alijs quibusdam eius generis interpositis, mittebantur denuò quidam ad Dioscorum hortandum, vti rebus in concilio gerendis interesset. Quo facto, qui missi erant, redeuntes dixerunt, se eius verba in schedis notasse, quæ significabant dixisse eum: Iam pridem significaui vestræ sanctitati, me morbo teneri, idcirco peto, vt illustrissimi præsides, & sacer senatus rerum disquirendarum dijudicationi adsint. Acquoniam morbus ingrauescit, eam ob causam aduentum differo. Tum Cecropium, actorum commentarij memorant, dixisse Dioscoro: Antea nulla abs te de morbo facta est mentio, debueras igitur canonibus Ecclesiæ fecisse satis. Huic autem respondisse Dioscorum: Semel dixi, præsides debere interesse concilio. Deinde Ruffinum episcopum Samosatenum dixisse Dioscoro: Ea quæ quærebantur, secundum canones Ecclesiæ quæri, & propterea eum ad concilium accedentem posse, quæ vellet, liberè dicere. Persuaso igitur Dioscoro, Iuuenalis etiam & Thalassius eò aduentarunt. Eustathius autem protulit ea quæ nihil ad rem pertinebant. Ad quæ respondisse Dioscorum, acta docent: rogasseque Imperatorem Christi amantissimum, vt præsides, & illi qui cum ipso iudicium in concilio dedissent, eò accederent. His rebus eos qui missi erant respondisse, Eusebium eum solùm accusare: & propterea non necesse esse, vt omnes accederent: dixisse tum Dioscorum, Omnes qui cum ipso iudicium in concilio dederant, debere accedere. Nam Eusebium non habere priuatam contra ipsum actionem: sed ea de quibus omnes decidissent iudicassentque. Rursus illis qui missi erant, idem vrgentibus, respondisse Dioscorum: Semel dixi, quæ dixi, & amplius quod dicam non habeo. Post ista Eusebium Dorilæi episcopum dixisse, se contra Dioscorum solùm habere actionem, contra alium præterea neminem: postulasseque vt tertiò accerseretur Dioscorus: quem interpellantem Aëtium, docuisse, iamdudum quosdam, qui se clericos esse dicebant, vnà cum laicis quibusdam Alexandria ad concilium venisse, dedisse libellos contra Dioscorum, eos stantes pro foribus templi, in quo concilium sedebat, clamores edidisse. Ac primùm Theodorum cõcilio libellum exhibuisse, qui sanctæ ecclesiæ Alexandrinæ diaconus fuit, deinde Ischyrianum eiusdem ecclesiæ diaconum, tum Athanasium presbyterum filium fratris Cyrilli: Sophronium item dedisse libellos, quibus Dioscorum tum ob blasphemiam, tum ob res ad corporis vsum pertinentes, violentamque pecuniarum direptionem criminabatur. Porrò autem vocatur tertiò Dioscorus, vt ad concilium accedat. Qui autem ad hoc negocium designati erant, reuersi significabant concilio, Dioscorum dixisse: Satis multa docui vestram pietatem, quibus nihil addere possum. Ac rursus illis qui ad eam rem missi erant, vrgentibus vt veniret, Dioscorus eadem ipsa respondit. Tum Paschasinus dixit: Dioscorus iam tertiò vocatus non venit, conscientiæ stimulo perculsus? rogauitque quid meritus esset. Ad quod responderunt episcopi, eum factum Ecclesiæ canonibus obnoxium. Deinde Proterius, episcopus Smyrnæ: Quando, inquit, sanctus Flauianus

Dioscorus per nuncios ad cõcilium vocatus patres verbis eludit.

Dioscorus ab ecclesiasticis ad laicos principes prouocat.

Dioscori excusatio.

Ruffinus episcopus.

Dioscorus Tertio ad concilium frustra vocatus.

Dioscorus Ecclesiæ canonibus obnoxius.

A Flauianus ab eo fuit interfectus, non prout meruerat, pœnas persoluit. Postremò Leonis antiquæ Romæ archiepiscopi vicarij, ista totidem verbis in concilio recitarunt: Fa „ cinora ea quæ sunt à Dioscoro dudum Alexandriæ vrbis primariæ episcopo, contra ca- „ nonum præscriptionem & disciplinam Ecclesiasticam admissa, partim ex illis quæ in „ priore consessu inquisita erant, partim ex his quæ hodie acta sunt, omnibus sunt explo- „ ratè perspecta. Iste enim (vt multa alia missa faciamus) Eutychem eiusdem cum ipso o- „ pinionis à proprio ac suo episcopo, patre videlicet sanctissimo, & episcopo nostro Fla- „ uiano, sicut canon poscebat Ecclesiæ, abdicatum, sua ipsius authoritate contra Ecclesiæ „ recepit in communionem: idque ante, quàm concilio illi quod Ephesi cum episcopis „ sanctissimis habebat, interfuisset. Quibus episcopis sedes Apostolica veniam propter- „ ea tribuit, quòd res quas ibi gesserant, contra voluntatem gessissent: qui ad præsens vs- „ que tempus Leoni, episcopo sanctissimo & vniuerso sancto & generali concilio mo- „ rem gerunt, & ob eam causam eos vtpote eidem fidei consentientes, in suam recepit „ communionem. At iste Dioscorus de illis rebus, de quibus gemere, lugere, seque hu- „ mi abijcere debuerat, etiam adhuc gloriari non desinit. Accedit eodem, quòd epistolam beati Leonis, quam scripsit ad Flauianum sanctæ memoriæ episcopum, legi non „ permisit: idque sæpius rogatus ab his qui eam attulerant, vt legeretur, ipseque cum iu- „ reiurando adiecto se eam legendam curaturum pollicitus esset. Quæ minimè perlecta, „ sanctissimis orbis terrarum Ecclesijs & offensioni fuit, & detrimento. At quanquam ta- „ lia conscíuerat facinora, tamen consilium à nobis initum est, quomodo tum ei pro im- „ pio scelere ab ipso antè admisso, tum reliquis itidem pijs episcopis, penes quos minimè „ par cum eo erat potestas iudicãdi, aliqua impertiretur misericordia. Verùm quoniam „ prior eius impietas, posterioribus sceleribus longè superata est (non enim dubitauit et- „ iam sanctissimum & religiosissimum antiquæ Romæ archiepiscopum communione „ interdicere: quinetiam cum libelli pleni impietatis ab ipso commissæ contra eum es- „ sent producti, & ille ipse semel, iterum ac tertiò, vti canon Ecclesiæ vult, esset ad con- „ cilium vocatus, minimè obtemperauit, vtpote propriæ conscientiæ stimulis pulsus, & „ eos qui à varijs concilijs iure essent abdicati, contra ius recepit ad se: denique varijs Ec- B „ clesię legibus ab eo quasi pedibus conculcatis, contra se ipse quodammodo sententiam „ pronunciauerat) quoniam, inquam, hæc omnia deinceps admisit, idcirco sanctissimus „ & beatissimus archiepiscopus magnæ & antiquæ Romæ Leo, per vos & præsens concil- „ lium cum beatissimo & omni laude celebrando apostolo Petro, qui est petra & basis „ Ecclesiæ catholicæ & fidei orthodoxæ fundamentum, spoliauit omni dignitate episco- „ pali, & omni sacerdotali ministerio prorsus abdicauit. Quamobrē hoc sanctum & fre- „ quens concilium sententiam, quam Ecclesiæ canones postulant, contra Dioscorum, de „ quo nostra superior institutа fuit oratio, pronunciat. Quibus ab Anatolio, Maximo & reliquis episcopis confirmatis, illis exceptis qui à senatu erant vnà cum Dioscoro abdicati, de his per literas à concilio referebatur ad Martianum: & abdicatio per idem concilium missa fuit Dioscoro, quæ ita se habet: Scito te tum quòd diuinos Ecclesiæ cano- „ nes contempseris, tum quòd sancto huic & generali concilio minimè obtemperaueris, „ tum propter alia multa crimina præterea, quæ commisisse deprehensus es, tum quòd „ tertiò vocatus à sancto hoc & celebri concilio, vt illis quæ sunt tibi obiecta, responderes, non veneris: scito, inquam, te propter ista omnia à sancto & generali concilio, ter- „ tio idus istius mensis Octobris episcopatu abdicatum esse, & ab omni iure Ecclesiasti- „ co penitùs abalienatum. Quibus verbis in commentarios relatis, missisque ad pios sanctissimæ Ecclesiæ Alexandrinæ episcopos, & decreto contra Dioscorum edito, conuentus iste dimissus fuit, eoque modo exitum habuit. Verùm pòst in vnum rursus congregati, primùm responderunt ad rogatum principum de vera rectaque fide doceri cupientium: deinde dixerunt, non debere quicquam amplius de causa Eutychis semel ab episcopo Romano concluſa definitaque statui: in quam sententiam omnes quasi pedibus iuerunt. Quinetiam cum omnes episcopi se eadem affirmare clamarent, & principes verbis quemque patriarcham hortarentur, vt vna & altera persona cuiusq; eorum diœceseos in medium prodiret, quò sententia cuiusque perspicuè cognosceretur, Florentius episcopus Sardensis potestatem petijt, vt cum concilio & rebus tempore deliberatis, ipsi possent ad veritatem accedere: & Cecropius episcopus Sebastopolis: Fides, „ inquit, & præclarè exposita est à trecentis decem & octo sanctis patribus, & confirmata „ deinde à sanctis patribus, Athanasio, Cyrillo, Celestino, Hilario, Basilio & Gregorio, „ & iam denuò à sanctissimo Leone stabilita. Itaq; petimus, vt fidei formula tum trecen- „ torum sanctorum patrum, tum Leonis sanctissimi legatur, qua perlecta, totum concilium clamauit, Ista est fides orthodoxorum: sic omnes credimus, sic Papa Leo credit,

Vicariorũ Leonis Papæ sententia aduersus Dioscorũ.

Episcopis venia tributa, ob id quod coacti deliquerint & veniam petierint.

Dioscori crimina.

Dioscori abdicationis ratio, per concilium Chalcedonense.

Acta Chalcedonensis Synodi post condẽnationem Dioscori.

Florentius episcopus. Cecropius episcopus.

Nicena fides lecta & probata.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic credidit Cyrillus, sic Papa interpretatus est. Ac cùm colloquium inter eos fieret, vt A formula fidei à centum quinquaginta sanctis patribus Constantinopoli edita legeretur, illa quoque lecta fuit. Posteà totum denuò concilium clamauit, Hæc fides orthodoxorum: sic omnes credimus. His confectis rebus, Aëtius archidiaconus: Habeo, inquit, ad manum diui Cyrilli epistolam ad Nestorium, quam omnes episcopi Ephesi congregati, suis subscriptionibus ratam fecerunt: habeo etiam alteram eiusdem Cyrilli epistolam, scriptam ad Ioannem episcopum Antiochiæ, eamque confirmatam: quæ epistolæ vt perlegerentur, postulauit. Colloquio igitur de his facto, vtraque lecta fuit. Prioris autem quandam partem hoc loco posuimus, quæ se habet ad hunc modum.

Acclamatio patrum.

Ephesinæ primæ Synodi acta lecta & probata.

REVERENDISS. SANCTISSIMOQVE COLLEGAE NOSTRO
Nestorio Cyrillus S.

Cyrilli epistola ad Nestorium.

Sunt, vt audio, nonnulli, qui meæ existimationi apud tuam reuerentiam obtrectent, « idque non rarò: quod quidem tum faciunt potissimùm, cùm illustres viros ac magi- « stratus in vnum frequentes conuenisse animaduertunt, rati fortasse tuas aures eiusmo- « di rebus audiendis oblectari. Ac paulò infrà: Sanctum & celebrè concilium asserit, eum « qui ex Deo patre naturaliter genitus est, filium esse vnigenitum, Deum verum ex Deo « vero, lumen de lumine, per quem pater omnia fecit: descendisse de cœlo, incarnatum « esse, hominem factum, passum: resurrexisse tertio die, ad cœlos ascendisse. His verbis, « huicque doctrinæ nos oportet assentiri, rationeque & mente lustrare, quid sibi velit in- « carnari, quid, verbum Dei hominem fieri. Non enim dicimus, quòd Dei verbi natura « commurata, facta sit caro: neque quòd in totum hominem, qui constat ex animo & « corpore, conuersa: sed illud potius, quòd verbum secundum subsistentiam carnem « anima rationis participe animatam sibi coniugens, factus est homo, eo certè modo, qui « nec exprimi verbis, nec cogitatione comprehendi potest: & vocatus filius hominis, « non secundum voluntatem solam, aut quòd suæ benignitati ita visum erat, neque as- « sumptione duntaxat personæ, aut quòd diuersæ naturæ in veram vnitatem coniun- « ctæ erant: sed quòd vnus Christus ex duabus constabat naturis, vnusque filius: non « quòd naturarum differentia sublata erat propter vnitatem, sed diuinitas & humanitas « inexplicabili quadam & arcana coniunctionis concursione vnum dominum & Chri- « stum & filium effecerunt. Et alijs quibusdam interpositis ista adiungit: Quoniam pro- « pter nos & propter nostram salutem sibi secundum subsistentiam naturam iunxit hu- « manam, & processit ex muliere, idcirco dicitur secundum carnem natus esse. Nam non « primùm, vti communis natura fert, natus est homo ex sancta virgine, ac deinde Ver- « bum Dei in eum ingressum est: sed in vulua cum carne copulatus, dicitur carnalem « sustinuisse natiuitatem, vtpote qui suæ carnis natiuitatē sibi propriam effecerit. Eodem « modo dicimus eum passum esse, resurrexisse, non quòd Deus verbum in sua natura « aut plagas aut confixus clauorum, aut alias afflictationes passus est (diuinum enim nu- « men, quia sit corporis expers, pati non potest) sed quòd corpus, quod ipsius proprium « factum est, patiebatur, dicitur ille ipse ista pro nobis passus esse. Nam in corpore quod « patiebatur, inerat ille qui pati non poterat. Sed de hac quidem Epistola hactenus. Al- « terius epistolæ magna pars in primo Historiæ libro posita est. In ea quidem epistola « quam Ioannes episcopus Antiochiæ scripsit, Cyrillus verò etiam suo suffragio penitùs « confirmauit, talis extat sententia: Confitemur sanctam virginem Deiparam esse, pro- « pterea quòd ex ea Deus Verbum carnem sumpsit & humanitatem, & ex ipsa concepti- « one sibi templum, quod accepit ab ea, coniunxit. Ac non sumus nescij, homines di- « uinitùs inspiratos voces euangeliorum & epistolarum scriptarum ab Apostolis, quæ « sunt de Domino traditæ, partim communes asseruisse, velut de vna persona prolatas: « partim separatim diuisisse, velut de duabus naturis positas: partim diuinas affirmasse, « velut de Christi diuinitate duntaxat loquentes: partim denique humiles & abiectas, « velut de humanitate solum conscriptas. Quibus addit ista: Cum istas vestras pias vo- « ces legissemus, vosque ipsos ita sentire comperiremus (Vnus Dominus, vna fides, v- « num baptisma) totius vniuersitatis conseruatorem Deum laudibus extulimus: & su- « mus proptereà inter nos animis admodum lætati, quòd vestræ simul & nostræ Eccle- « siæ partim scripturis diuinitùs inspiratis, partim sanctorum patrum traditione impul- « sæ, concordem inter ipsas fidem amplectantur. His epistolis perlectis, qui aderant « in concilio, sic acclamabant: Omnes ita credimus, ita Leo Papa credit: anathema ei « qui Christum diuidit, qui eius confundit naturas: ista fides Leonis archiepiscopi, « sic credit Leo: Leo & Anatolius etiam sic credunt. Omnes sic credimus: & Cyrillus « ita credit: sempiterna sit memoria Cyrilli & epistolæ eius similiter. Sic nos sentimus, sic nos

Duæ in Christo naturarum vnio.

Eiusdem incarnatio.

Christus cur secundùm carnem natus esse dicatur.

Passio. Christus quomodo passus esse dicatur. Resurrexio.

Ex epistola Ioannis Antiocheni.

Concilio probata Cyrilli epistola.

A sic nos & credidimus & credimus. Leo archiepiscopus sic credit, sic scripsit. Ac cum fieret colloquium inter eos vt Leonis epistola legeretur, lecta fuit, & interpretatio illi adiuncta, quæ in Actis concilij extat. Post lectam epistolam, cum episcopi clamassent, Hæc fides patrum, hæc fides Apostolorum, omnes sic credimus, orthodoxi sic credunt, anathema ei, qui sic nō credit, Petrus per Leonem ista pronunciauit, Apostoli sic docuerūt, Leo piè & verè ista docuit, Cyrillus sic docuit, Leo & Cyrillus similiter docuerunt, anathema ei, qui sic non credit, ista vera fides, sic orthodoxi sentiunt, ista fides patrum, ista cur in concilio Ephesino non legebantur, ista Dioscorus occultauit: cum, inquam, episcopi ad hunc modum clamassent, acta concilij referunt, quòd cum pars epistolæ Leo- » nis, quæ hæc verba complectebatur: Ad persoluendum nostræ naturæ debitum, diuina » natura naturæ patibili iuncta fuit, quò vnus & idem mediator Dei & hominum, ho- » mo Christus Iesus (quæ quidem res ad nostra vulnera curanda admodum accommo- » data fuit) ex vna natura mori posset, ex altera non posset: cum, inquam, hæc pars lecta esset, & de verborum sensu ac sententia episcopi Illyrici & Palæstini ambigerent, Aëtius Archidiaconus sanctissimæ ecclesiæ Constantinopolitanæ sententiam Cyrilli in medium protulit, quæ ita se habet:

Leonis epistola in concilio lecta & interpretata probata.

Ambigentibus Illyrico & Palæstinæ episcopis super Leonis quibusdam verbis, Aetius Cyrilli sententiam in medium profert ad clariorē ex collatione intelligendum. Hebr. 2.

» Quoniam corpus ipsius proprium, gratia Dei, vt ait Apostolus Paulus, pro omnibus » gustauit mortem, idcirco ipse dicitur pro nobis mortem passus: non quod ipse mortē, » quantum ad ipsius naturam pertinebat, esset expertus (istud namque vel dicere vel sen- » tire insania est) sed quòd, vt dixi modò, caro eius gustauit mortem. Ac rursus de sen- » tentia epistolæ Leonis, quæ ita se habet: Agit vtraque forma alterius cōmunione, quod » vtriusque proprium est: verbo quidem illud operante, quod verbi est, corpore autem » ea exequente, quæ sunt corporis: atque illud clarer miraculis, hoc cōtumelias sustinet. de hac, inquam, sententia cum dubitarent Illyrici & Palæstinæ episcopi, idem Aëtius » sententiam Cyrilli legebat, hæc verba complectentem: Quædam voces de Domino in » Sacris literis traditæ, maximè diuinæ naturæ conueniunt: aliæ rursus humanæ, aliæ me- » dium locum obtinent, vtpotè, quæ filium Dei, & Deum & hominem pariter esse declarant. Posteà cum de alia parte epistolæ Leonis episcopi suprà positi ambigerent, quæ » sic se habet: Tametsi in Domino IESV CHRISTO vna est reuera Dei & hominis per- B sona: tamen aliud est, vnde in vtroque communis est contumelia: aliud, vnde com- » munis est gloria. De nostro enim illi est minor patre humanitas, de patre illi est » æqualis cum patre diuinitas. Theodoritus, re ponderata, dixit à Beato Cyrillo hæc » esse ad verbum tradita: Cùm homo factus erat, non deposuit, quod proprium » erat, sed mansit, quod erat: & altera natura in altera habitauit, hoc est diuina natu- » ra in humana.

His explicatis, cum illustres ptincipes scisciterentur, vtrum quisquam esset qui amplius dubitaret? omnes responderunt, se non amplius dubitare. Pòst Atticus episcopus Nicopolis dies aliquot omnibus dari postulauit ad deliberandum, vt ea quæ & Deo placerent, & sanctorum patrum doctrinæ consentirent, constanti & stabili mente decernerentur: postulauit etiam epistolam Cyrilli ad Nestorium scriptam, in qua Cyrillus hortatur Nestorium, vt duodecim fidei quasi capitibus consentiat, quibus omnes consenserunt. Ac cum principes de hac re verba inter se fecissent, concessissentq; illis ad deliberandum dies quinq;, vt cum Anatolio Constantinopolis antistite conuenirent: omnes assenserunt, dicentes: Nos sic credimus, omnes sic credimus: vt Leo credit, sic credimus: nemo nostrûm dubitat, nos omnes subscripsimus. Ad quæ rursus dicebātur ista: Non necesse est vt omnes conueniant: sed quoniam consentaneum videtur, vt qui ambigant confirmentur, reuerendissimus episcopus Anatolius ex illis, qui subscripserunt, eligat eos quos ad docendum ambigentes, idoneos putauerit. His adiecit concilium: Petimus à patribus, vt concilij huius primarij pro nobis orthodoxis Imperatori & Augustæ supplicēt: omnes peccauimus, omnibus detur venia. Clerus autem ecclesiæ Constantinopolitanæ clamauit: Pauci clamant, non totum loquitur concilium. Tum clamant episcopi Orientis: Exilio abdicatur Aegyptius. Ac cum episcopi Illyrici idem postularent, clamauit clerus Constantinopolitanus: Exulet Dioscorus, exulet Aegyptius, exulet hæreticus, Christus Dioscorum abdicauit. Rursus Illyrici episcopi, & qui cum illis erant, clamant: Omnes peccauimus, veniam omnibus tribuito. Dioscorus concilio, Dioscorus expelletur ecclesijs. His rebus alijsque eiusdem generis exagitatis conuentus dimissus est. Proximo pòst conuentu, cum senatus simul collocutus esset, vt formulæ iam postulatæ legerentur, Constantinus secretarius à scheda ista quæ sequuntur, legit:

Atticus episc. Nicopolitanus Synodi Acta scribenda suscipit.

Cyrilli ad Nestorium epistola argumentū

Constantinus secretarius recitat acta concilij.

» Postridiè cum Concilium exquisitius habitum esset, de orthodoxa & catholica fide

Universidad de Deusto
Biblioteca

Eadem supra posita sunt, tū in hac epitome tum in 4. cap. lib. eiusd.

multò accuratius quæsitum videmus. Ac quoniam Flauianus piæ memoriæ episcopus, A
& Eusebius reuerendiss. Dorylæi episcopus ex concilij actorum decretorumq; inquisi-
tione, & ex verbis eorum, qui tum Concilio præsederunt (dixerāt enim se errore lapsos
fuisse, iniusteque Flauianum & Eusebium abdicasse) declarati sunt minimè in fide hal-
lucinati, & propterea iniquè abdicati: æquum nobis sanè videtur, idq; Deo nostram ap-
probante sententiam, vt Dioscorus (modò ita placuerit diuinissimo & sanctissimo do-
mino nostro Imperatori) reuerendissimus Alexandriæ episcopus, Iuuenalis reueren-
dissimus episcopus Hierosolymorum, Thalassius reuerendissimus Cæsariæ Cappado
ciæ episcopus, Eusebius reuerendissimus episcopus Armeniæ, Eustathius reuerendissi-
mus episcopus Beryti, & Basilius reuerendiss. episcopus Seleuciæ Isauriæ (penes quos tū
potestas erat, concilioq; illi præsidebant) sacri concilij sententia ac iudicio eodem pœ-
næ genere, sicut Ecclesiæ canones postulant, mulctati, dignitate episcopali abdicentur,
omniaque de sententia Imperatorū diuinissima decernantur. Deinde alijs scriptis per-
lectis, episcopi qui ibi erant coacti, cum rogarentur, vtrum literæ Leonis fidei trecento-
rum decem & octo sanctorū patrum in concilio Nicæno olim congregatorum, & fidei
etiam centum & quinquaginta patrum, qui Constantinopoli in vnum conuenerant,
consentirent? Anatolius Constantinopolis antistes, & omnes ad vnum qui aderant, re-
sponderunt, epistolam Leonis cum fide sanctorum patrum quos diximus, consentire:
eidem epistolæ subscripserunt. Quibus ita constitutis, clamauit concilium: Omnes as-
sentimur, omnes ista approbamus, omnes similiter credimus, omnes eadem sentimus,
omnes sic credimus. Sic credere patres, qui sunt in concilio, sic qui subscripsere cōcilio.
Ad multos annos viuat Imperator, ad multos annos viuat Augusta, ad multos annos
viuant patres, qui intersunt concilio, qui eiusdem fidei sunt cum concilio. Ad multos
annos viuat Imperator, ad multos annos viuant, qui eadem sentiunt cum concilio, ad

Episcoporum acclamatio probantiū decreta Concilij.

multos annos Imperator. Omnes fidei subscripsimus, sic sentit Leo, sic nos sentimus.
postremò sic locuti sunt: de ijs rebus retulimus ad diuinissimum & sanctissimū domi-
num nostrum Imperatorem, responsumq; ab eius clementia expectamus. Ac cū illis à
quibusdā diceretur, Vestra reuerētia & de Dioscoro à vobis abdicato, diuinis. Impera-
toris celsitudine insciente, & nobis similiter inscientib. & de omnib. illis de quibus à vo
bis postulatio facta est, & de huius concilij actis est Deo rationē redditura: clamarunt, B
Dioscorum Deus abdicauit, Dioscorus iure abdicatus est, Dioscorum Christus abdica-
uit. Post ista, cū responsum, quo quid de abdicatis constituere episcopis permisit, à Mar
tiano allatum erat, quemadmodum à principibus monstratum est, petebant episcopi i-
sta sic locuti: Oramus, vt qui eiusdem sunt opinionis, qui idem sentiunt cum concilio,
qui epistolæ Leonis in concilio subscripserunt, in cōciliū ingrediantur. Qui, facto col-

Libelli supplices Martiano oblati quid cōtinuerint.

loquio, in concilium ascripti sunt. His cōfectis rebus, supplices libelli ab episcopis dioe-
ceseos Aegypti Imperatori Martiano oblati legebantur, qui præter alia ista etiam com
plexi sunt: Sentimus, sicut à trecentis decem & octo episcopis in concilio Nicæno coa-
ctis, fides exposita est: & sicut beatus Athanasius & sanctus Cyrillus sentiunt, ana-
thema denunciantes omni hæresi, tum Arij, tum Eunomij, tum Manetis, tum Ne-
storij, tum eorum, qui dicunt carnem Domini nostri de cœlo delapsam, & non ex
Maria Deipara & semper virgine sumptam, eamque nostri omniū carni omninò, pec-
cato excepto, similem. tum omnes, qui erant in concilio clamarunt: Cur isti dogmati
Eutychis nō denunciarunt anathema? subscribant epistolæ Leonis, denuncientq; ana-

Controuersia inter Episcopos de Eutychis damnatione.

thema Eutychi & eius dogmatis, Leonis epistolæ consentiant: volunt fortasse nos delu
dere, nos in fraudem impellere. Quibus dixerunt episcopi Aegyptij, multos esse in Ae-
gypto episcopos, seque non posse absentium personam suscipere: rogaruntque concili-
um, vti expectarent suum archiepiscopum, quò, sicut mos postulat, illius sententiæ mo-
rem gererent. Quòd † si ante primatis electionem aliquid transigerent, episcopos Aegy
ptiacæ diœceseos in illos impetum facturos. Cum autem multum precarentur, & con-
cilium illis admodum resisteret, fit sermo, vt spacium episcopis Aegyptijs vsq; eò dare-
tur, quoad archiepiscopus illis designaretur. Tum supplices libelli quorundam mona-

Supplices libelli monachorum.

chorum proferebantur, quorum summa fuit, vt nemo chartis vllis subscriberet, donec
concilium frequens cogeretur, quod cogi decreuerat Imperator, & decreta intelligere.
Quibus perlectis, Diogenes episcopus Cyzici memorat, Barsumam vnum ex numero

Barsumas Flauiani interfector.

corum, qui conuenerant, Flauianum trucidasse. Eum enim clamasse, Occidito, & cum
in libello insertus non sit, contra quàm oportet in concilium intrasse. Clamare o-
mnes Episcopi: Barsumas vniuersam Syriam perdidit, induxitque contra nos mil-
le monachos. † Accum rogatum erat, vt qui conuenerant, decisionem Concilij ex-
pectarent, monachi postularunt, vt libelli ab ipsis compositi legerentur. In quibus

† Vide antenot. pag. 144. lar. 1. lin. 25.

† Videi bid lin. 6.

contine-

A continebatur, vt Dioscorus & episcopi, qui cum eo sentirent, concilio interessent. Quo
omnes ad vnum commoti, clamarunt: Anathema Dioscoro, Dioscorum Christus ab-
dicauit, istos foras eijcito: tolle è concilio contumeliam, tolle vim. Has impias voces

Vociferatio contra aduers. libellos monachorum.

Imperatori adime, tolle è concilio contumeliam, tolle dedecus. His restiterunt mona-
chi, clamaruntque: Tolle contumeliam à monasterijs. Cum rursus eadem concilium
clamasset, fit sermo, vt reliqui libelli legantur, qui asserunt Dioscorum iniquè abdica-
tum, oportereque, fide ad discutiendum proposita, eum concilij fieri participem: & nisi
hoc fieret, se suorum vestimentorum excussuros puluerem, & à cōmunione episcopo-
rum, qui ibi conuenerant, se separaturos. Quæ cum dixissent, Aëtius archidiaconus le-
git canonem de his, qui se separant. Rursus cum monachi rogatis sanctissimorum epi-
scoporum, & Aëtij etiam archidiaconi repugnarent, & pars concilij Nestorio & Euty-
chi anathema edicerent, pars illud deprecarentur: habitum est colloquium à principi-

Fausti supplicesli belli quid ab Imperatore petierint.

bus, vt supplices libelli Fausti, & reliquorum monachorum legerentur: qui quidem li-
belli petebant ab Imperatore, ne monachi, qui antè rectis dogmatis restitissent, dein-
ceps reciperentur, propterea quòd Dorotheus monachus Eutychem vocauerat ortho-
doxum. Contra quem varia Eutychis dogmata coram principibus agitabantur. Pòst

Quinta sessio. Asclepiades diaconus.

quinto conuentu facto, principes iubent decreta de fide plana fieri: legitq; Asclepiades
diaconus Constantinopolis decisionem, quæ videbatur non esse in commentarios re-
ferenda. A qua nonnulli dissederunt, alij assensi sunt eidem. Cum autem clamores tol-
lerentur contrarij, dixêre principes, dixisse Dioscorum, Flauianum ob hāc rem à se ab-
dicatum, propterea quod duas affirmarat in Christo naturas, & decisione contineri, eū
ex duabus constare naturis. Tum Anatolius, Nō, inquit, ob fidem abdicatus erat Dios-
corus: sed quòd Leonem à communione excluserat, & ter vocatus ad concilium non
venerat. Deinde principes epistolam Leonis in decisione inseri voluerunt. Cui cum e-
piscopi contradicerent, affirmarentque aliam non debere fieri decisionem (eam enim
perfectam esse) referebantur ista ad Imperatorem: qui iubet, vt ex episcopis Oriētis sex,

Decretum Bonifacij de plenaria fidei constitutione.

tres ex Ponto, ex Asia tres, ex Thracia tres, tres ex Illyrio, præsente vnà Anatolio & epi-
scopi Romani vicarijs, in templo conuenirent, rectèque de fidei rebus deciderent: vel
vt singuli suam ipsius fidem declararent, vel certò scirent, concilium in Occidente ea
B de re coactum fore. Cum autem ab illis rogatum esset, Dioscoróne assentirentur Chri-
stum ex duabus esse naturis asserenti, an Leoni dicenti duas naturas in Christo esse?
clamarunt, se & Leoni credere, & eos, qui ei contradicunt, habere pro Eutychianistis.
Dixêre tum principes, à Leone hoc adiungi, nempè duas in Christo cōiunctas naturas,
quæ nec conuerti, nec partiri, nec confundi possunt: templumq; diuæ Euphemiæ vnà
cum Anatolio & Vicarijs Leonis, & Maximo episcopo Antiochiæ, & Iuuenali Hiero-
solymorum episcopo, & Thalassio Cæsareæ Cappadociæ, & alijs prætereà ingrediuntur.

Fidei decisio qualis. Cap. 4. huius libri, eademq; & approbata.

Quibus ingressis decisio fidei legebatur, quæ ita se habet: Dominus noster & seruator
Iesus Christus, & quæ sequuntur: quæ suprà in Historia à nobis posita sunt. Qua perle-
cta clamatum est: Ista omnium patrum fides, episcopi primarij iam huic subscribant:
ista Apostolorum fides, huius quasi vestigijs omnes insistimus, omnes ita sentimus. Tū
principes: Ea, inquiunt, quæ sunt decreta à patribus, quæq; omnibus probata, ad diuinā
Imperatoris celsitudinem referentur. In sexto verò conuentu aderat Martianus Im-

Sexta Sessio.

perator, deque concordia ad episcopos orationem habuit: atque eius iussu decisio fi-

Martiani conatus in Conciliandis episcopis.

dei per Aëtium archidiaconum Constantinopolitanum lecta fuit, cui subscripsere ad
vnum omnes, sciscitatusq; est Imperator, illáne decisio facta esset de omnium senten-
tia? Quod ita esse omnes secundis acclamationibus confirmarunt. Rursus Imperator
binas habuit apud eos conciones, quas omnes vehementer collaudabant. Atque Im-
peratoris hortatu canones sanciti sunt, iusque metropolitanum Chalcedoni tribu-
tum, à quo etiam mandatum, vt episcopi ad triduum aut quatriduum manerent, &
quod cuique visum esset, illud coram principibus quisque proponeret ad exqui-
rendum, & vt quæ essent consentanea constituerent. Quibus confectis, conuentus di-

Concilium de finibus Diœceseon.

missus est. Alia prætereà acta sunt, alij constituti canones. Aliud item celebratum con-
cilium à Iuuenale & Maximo: in quo decretum est, vt episcopus Antiochiæ vtranque
Phœniciam & Arabiam suæ diœcesi subiectam haberet: episcopus autem Hierosoly-
morum, tres Palæstinas. Quod quidem colloquio à principibus & episcopis habito
confirmatum fuit. In nono conuentu tractabatur causa Theodoriti, qui Nestorium

Nona Sessio. Theodoritus restitutus

damnauit anathemate, hisque verbis vsus est: Anathema Dioscoro & ei qui negat san-
ctam Mariam virginem Deiparam, quique vnum vnigenitum filium in duos fi-
lios diuidit. Ego, inquit, & fidei decisioni, & Leonis epistolæ subscripsi. Ita-
que facto inter omnes colloquio, ad propriam Episcopatus sedem restitutus est.

Decima sessio.

In a-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ibæ causa agitata. In alio conuentu Ibæ causa fuit agitata, & legebãtur iudicia, quæ Photius episcopus Tyri, & Eustathius Beriti episcopus, de eo pronunciauerant: sententia autem in posterum diem dilata fuit. Vndecimo conuentu, cum multi episcopi ei ad sacerdotium suffragati essent, certi episcopi restiterunt, dixeruntq; accusatores pro foribus esse, & ingredi debere. Legebantur etiam acta de eo promulgata. Fit prætereà à principibus sermo, vt acta Ephesini concilij de Iba legerentur, omniaque acta concilij secundi Ephesini irrita fierent, creatione Maximi episcopi Antiochiæ sola excepta: orabãtq; de ea re Imperatorẽ, vt nihil eorum, quæ post primum concilium Ephesinum, cui præsidebat sanctus Cyrillus Alexandriæ pontifex, ratum fieret: iudicatumque est, vt Maximus episcopatum retineret. In altero conuentu, causa Basiani episcopi Ephesi examinata fuit, & decretum, vt Basianus de eo dignitatis gradu dimoueretur, inque eius locum sufficeretur Stephanus. Altero conuentu facto, ista stabilita fuêre. Cõuentu decimo tertio, causa Eunomij episcopi Nicomediæ, & Anastasij episcopi Nicææ disquisita fuit, qui inter se de suis ipsorum ciuitatibus contenderunt. Decimo quarto conuentu, causa Basiani fuit excussa. Ad extremum decretum fuit, vt episcopalis sedes Constantinopolitana, proximum locum post Romanam obtineret.

Vindecma sessio.

Acta concilij Ephesini primi abrogata.

Duodecima sessio. Electo Basiano restitutus Stephanus.

Sessio 13.

Sessio 14.

Decretum de primatu sedis Rom.

FINIS SECVNDI LIBRI.

EVAGRII SCHOLASTICI ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER TERTIVS.

De Zenonis Imperio & vita. CAP. I.

Zenonis libido. ZENO posteaquam Imperij clauum filio suo mortuo obtinuit, perinde ac si persuasum sibi haberet, se minimè totius orbis terræ dominatu posse potiri, nisi omne voluptatum genus, quod fortè occurreret, licenter & effuse consectaretur: in initio ita libidinum illecebris se totum dedidit, vt à nulla turpitudine & nefario flagitio se continuerit, sed sic in illis volutaretur, vti eadem ista in tenebris & in occulto admittere, abiecti & pusilli animi putaret: palàm autem atque in oculis omnium, regale quiddam esse, & solo Imperatore dignum. In qua re peruerso & planè seruili iudicio vsus est: quippe Imperator non ex eo, quòd alijs imperat, spectari debet, sed ex eo, quòd seipsum ita regere ac moderari potest, vti nullum absurdũ voluptatis genus sinat in animum irrepere, sed ita inuictum se ab intemperantia præstet, vt vita eius sit tanquam imago virtutis, quam & imitentur subiecti eius, & ad virtutem erudiantur. At iste se exposuit voluptatum blanditijs, pedetẽtimq; in tam turpem seruitutem redactus fuit, vt inde nullo modo redimi posset: quippe qui dominos persæpè mutarit, non aliter atq; serui inutiles ac perditi, quibus voluptates innumerabiles velut dominæ præficiuntur: quæ quidem continenter titillant animum, & crebræ alia aliam sequuntur, quando quidem voluptati, quę iam quasi in manibus est, nullus terminatur modus: sed ex ea quidem alia atque alia vsque eò incenditur, ortumq; habet, quoad aliquis vel ita sibi imperare aggrediatur, vti totum voluptatum imperium abs se penitùs repellat, deque cætero regno potiatur ille ipse, vel earum tyrannide oppressus ad extremum vsque spiritum illis inseruiens, tandem ad inferos miser detrudatur.

Imperator quomodo se gerere debeat.

Voluptatis nullus modus.

Vide Nicet. lib. 16. ca. 1.

De Barbarorum tum in Oriente, tum in Occidente incursionibus. CAPVT II.

Zenonis subiecti grauibus incommodis effecti. Vide Plin. lib. 6 cap 28. AD hunc modum Zeno in initio Imperij sui vitam instituit. Illius autem subiecti tam qui Orientem, quàm qui Occidentem incolebant, grauibus afficiebantur incommodis: quippe Barbari, qui Scenitæ vocantur, loca omnia populati sunt, multitudoq; Hunnorum, qui olim vocabantur Massagetæ, in Thraciam incursionem fecit: quinetiam traiecit Danubium, prohibente nemine. Zeno verò reliquis etiam Imperij partibus per vim barbaro quodam more ac modo spoliatus fuit.

Vide Nicet. lib. 16. ca. 1.

De

De tyrannide Basilisci, & Zenonis fuga. CAP. III.

Vide Nicet. lib. 16. ca. 2. ISte Zeno, cum Basiliscus Berniæ frater contra eum arma ferre pararet (erat enim suis ideò odiosus, quòd omnes ex æquo flagitiosissimam eius vitam detestabantur: quandoquidem nulla in eo animi magnitudo eluceret, sed ignauia & desperata nequitia, quæ fractam illius & euictam à voluptate socordiam satis indicauit) animo demisso fugam capessit, augusto Imperij honore sine vllo negotio Basilisco relicto. Atque vna cum coniuge Ariadna, quam secum habebat, quæque fugerat à matre, & si quis alius erat, in quo quicquã erga eum residebat beneuolentiæ, in Isauria, quæ illum antè educauerat, obsessus est. Hoc modo igitur Basiliscus Imperij Romani nactus gubernacula, Marcum filium Cæsarem renunciauit: rationemq; imperandi tum Zenoni, tum Imperatoribus, qui antè regnauerant, omninò contrariam secutus est.

Basiliscus contra Zenonem arma parat.

Zenonis fuga.

Basiliscus Imperio occupato Marcũ Cæsarem designat.

Quòd Basiliscus, Timotheo Æluro reuocato, ab eo persuasus, circulares quaqua versum literas ad condemnandum Chalcedonense concilium emiserit.

CAPVT IIII.

Vide Nicet. lib. 16. ca. 3. ISte Basiliscus, rogatu quorundam Alexandria ad ipsum missorum, Timotheum ab exilio, in quo decem & octo annos ætatem degerat, reuocauit, Acacio id temporis episcopatum Constantinopolis gerente. Timotheus igitur cum venisset Constantinopolim, suadet Basilisco, vt literas generatim ad omnes vbiq; sacerdotes scribat, & tum acta concilij Chalcedonensis, tum Leonis de fide decisionem anathemate damnet: quę literæ scriptæ fuêre in hunc modum.

Basiliscus Timotheũ ab exilio reuocat.

Epistola Basilisci aduersus acta concilij Chalcedonẽsis.

Imperator Cæsar Basiliscus, Pius, Victor, Triumphator, Max. semper Augustus: & Marcus Cæsar illustriss. Timotheo reuerendiss. & sanctiss. nobilis ciuitatis Alexandriæ archiepiscopo S. Leges pro defensione synceræ, & Apostolicæ fidei à sanctissimis Imperatoribus, qui nos sunt antegressi, quiq; beatam, æternam & vitæ parentem Trinitatem rite coluerunt, sancitas, vtpotè, quæ vniuerso mundo semper salutares fuerint, B nullo tempore antiquari, imò verò eas vt nostras ac proprias diuulgari volumus. Nam & pietatem & singularem amorem erga Deum & seruatorem nostrum Iesum, qui nos tum fabricauit, tum ad gloriam extulit, vniuerso illi studio quod in rebus humanis ponimus, proque certo credimus, firmam Christi gregis in charitate colligationem cum saluti nobis ipsis subiectisq; omnibus, tum fundamẽtum, quod nequit frangi, atque adeò murum, qui expugnari non potest, nostro Imperio esse. Itaque diuina mentis impulsione cõmoti, concordem sanctæ Ecclesiæ consensum non sine causa velut primitias Imperij nostri Deo & seruatori nostro IESV CHRISTO offerre animo instituentes, basim & firmamentum vitæ beatæ, quæ hominibus tribuitur, symbolum nimirum trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Nicææ olim Spiritus sancti instinctu in vnum congregatorum (in quod quidem cum nos, tum omnes maiores nostri credentes baptizati sunt) decernimus, vt solum in omnibus sanctissimis DEI Ecclesijs à populo orthodoxo seruetur custodiaturque: quippe in quo vno syncera fides verè & abundè satis, cum ad errorem quemque tollendum, tum ad concordiam sanctarũ Dei Ecclesiarum stabiliendam definita sit: quinetiam acta, quæ ad illius symboli confirmationem edita sunt, satis reuera ad eam rem habent in se virium & firmitatis. Porrò sanctum symbolum à centum quinquaginta sanctis Patribus in hac vrbe Constantinopoli, contra eos, qui blasphemias aduersus Spiritum sanctum locuti sunt, compositum, ratum facimus. itemque acta concilij Ephesini contra impium Nestorium, & eos, qui post eadem cum illo sentiebant, edita confirmamus. At ea, quæ consensum & ordinem sanctarum Dei Ecclesiarum, & pacem totius orbis terræ disturbant, nempè Leonis de fide decisionem, & omnia, quæ in Concilio Chalcedonensi de fide definienda, de expositione symboli, interpretatione, doctrina aut disceptatione eiusdem dicta actáue, quo noua fides contra sanctum illud symbolum à trecentis decem & octo episcopis compositum (de quo iam diximus) introducatur: statui, mus decernimusque, vt tum hic, tum in singulis alijs passim Ecclesijs à sanctissimis vbique episcopis anathemati addicantur, & vbicunque locorum fortè reperta fuerint, igni tradantur comburenda (quandoquidem Imperatores piæ ac beatæ memoriæ Constantinus & Theodosius Iunior, qui ante nostram ætatem vixerunt, eodem modo de omnibus hæreticorum dogmatis decreuêre) atque ita abrogata, ex vna solaque Catholica, Apostolica & orthodoxa Ecclesia prorsus ejciantur: vtpotè, quæ tum salutaria illa trecen-

Approbatio fidei Nicenæ.

Decisionẽ Leonis Papæ & acta concilij Chalcedonen. sis Zeno damnat.

Constantinus & Theodosius quid de omnibus hæreticorũ dogmatis decreuerint.

Universidad de Deusto
Biblioteca

trecentorum decem & octo sanctorum decreta, quæ perpetuò rata esse debent, tum ea, A
quæ beati patres Spiritus sancti impulsu in concilio Ephesino sanciuerunt, penitùs tol-
lunt. Deniq; ne cuiquam vel sacerdoti vel laico integrum sit diuinissimam illam sancti
symboli legem violare, sed vt vnà cum omnibus nouis sanctionibus in concilio Chal-
cedonensi editis etiam hæresis eorum, qui non confitentur filium Dei vnigenitum ex
Spiritu sancto, & sancta Maria semper virgine, & Deipara verè incarnatũ, hominemq;
factum, sed carnem eius aut è cælo delapsam, aut viso quodam & specie figuratam mõ-
strose confingunt: & omnis omnino error, et si quid aliud aliquo in tẽpore, aliquo mo-
do locóue in toto mundo nouandarum rerum studio vel cogitatum, vel verbis expres-
Imperatoris officium. sum ad diuinum hoc symbolum euertendum fuerit, funditus profligetur. Ac quoniã
Imperatoris est sedulò prospicere, vt subiectis non in præsentia solùm, sed etiam in po-
sterum secura tranquillaq; vita prouido eius consilio suppeditetur: decernimus, vt san-
ctissimi vbiq; episcopi his diuinis nostris literis generatim scriptis ad omnes, palamque
diuulgatis subscribant, quo declarẽt perspicuè, se in solo diuino trecentorum decem
& octo sanctorum patrum symbolo velle insistere, quod etiam centum & quinquagin-
ta sancti patres confirmarunt: idemq; post ab orthodoxis ac sanctis patribus, qui Ephesi
vrbis primarię conuenerunt, definitè stabilitum: visumq; solum illud trecentorum de-
cem & octo sanctorum patrum symbolum velut ratam fidei decisionem sequendum,
anathemaq; indicendo actis concilij Chalcedonensis, quę populo orthodoxo offensio-
ni esse possunt, eaq; Ecclesijs penitùs eijciant, vtpotè à quibus cùm totus orbis terrarum
conturbetur, tum nostra impediatur felicitas. eos autem, qui post has nostras diuinas li-
Concordia omnibus optabilis. teras acceptas, quas, vti credimus, Dei nutu diuulgari curauimus, quò concordia, quæ
omnibus optabilis est, in sanctis Dei ecclesijs stabiliatur, aliquando aggredientur vel
proferre, vel nominare siue disputando, seu docendo, seu scriptis vllo tempore, modo
aut loco nouam illam decisionem in concilio Chalcedonensi contra fidem promulga-
tam, velut tumultus & perturbationis sanctis Dei ecclesijs, & omnibus, qui nostro pa-
rent Imperio, authores: Deo præterea & nostræ saluti aduersarios, iubemus, idq; secun-
dum leges iam ante nostram ætatem ab Imperatore beatæ & diuinæ memoriæ Theo-
dosio, contra talem & tam peruersam amentiam conditas, hisq; nostris diuinis literis
generatim ad omnes scriptis subiunctas, si episcopi fuerint aut clerici, dignitatis suæ & B
ministerij gradu abdicari: sin monachi aut laici, exilio, omnium bonorum publicatio-
ne & alijs grauissimis supplicijs mulctari. Enimuerò sancta, consubstantialis, procrea-
trix omnium & vitæ parens trinitas tali à nobis obseruantia honorata, iam non solùm
propter zizania, quæ modo commemorauimus, per nos radicitus extirpata: sed etiam
propter rectas & Apostolicas sancti symboli traditiones à nobis stabilitas propitia & cle-
mens animis nostris, omnibusque nostris subiectis futura est, semper vna nobiscum
administratura Imperium, rebus denique humanis statum pacatum & quietum alla-
tura.

De ijs, qui circularibus Basilisci literis assensi concilium reiecerunt.

CAPVT V.

Timotheus HIs literis à Zenone generatim ad omnes scriptis, Timotheus, qui modo, vti dixi, ab exilio reuerterat, vti à Zacharia rhetore literis proditum est, assensit. Idem fecit Pe- VideNice. lib. 16. c. 14.
trus antistes Antiochiæ, cognomento Cnapheus, qui erat tum Constantinopoli vnà
Basilisci Imp. literis assentitur itemque alij complures. cum Timotheo. His rebus ita constitutis, Paulus ad sedem archiepiscopatus Ephesiani
capessendum deligitur. Fertur Anastasium quoque, qui post Iuuenalem antistes Hiero
solymorum fuit, illis Basilisci literis scriptis ad omnes generatim, subscripsisse: alioscq;
prætereà complures circiter quingentos numero idem præstitisse, qui Leonis decisionẽ
& concilium Chalcedonense abrogarunt.

Quinetiam extat supplex libellus ab episcopis Asiæ, qui Ephesi conuenerunt, ad Ba-
Fragmentum supplicis libelli episcopo rum quorundam ad Basiliscum. silisci scriptus: ex quo nonnulla sumpsimus, quæ sunt hoc loco à nobis posita: San-
ctissimis Christiq; amantissimis, dominis nostris Basilisco & Marco Victoribus, semper
Augustis S. Et alijs interiectis adiungit ista: Omninò ô sanctissimi & Christo deditiss.
Imperatores, vnà cum fide, quæ & inuisa est, & varijs modis impugnata, vos impugnari
declarastis. Ac paulò post: Terribilis quædam expectatio iudicij, diuinæ iræ flamma,
& iusta vestræ clementiæ indignatio euestigiò aduersarios occupauit, qui & præpoten-
tem Deum & vestrum Imperium vera fide roboratum arroganter inuadere impugna-
réque moliuntur: quique non modo non cessant nostram tenuitatem varijs incommo-
dis afficere, verùm semper nos calumniari, falsa crimina contra nos confingere stu-
dent, nimirum vestris diuinis & Apostolicis literis generatim scriptis ad omnes, nos

non

A non nisi vi ac necessitate compulsos subscripsisse: quibus certè nos libentibus animis &
propensa voluntate subscripsimus. Ac rursus infrà paulò: Nolite alia decreta contra li-
teras vestras generatim scriptas decernere, pro certo, vti diximus, persuasi, mundum, si
id feceritis, seditionibus euersum iri, & mala à concilio Chalcedonẽsi orta (ob quæ qui-
dem infinitæ cædes factæ, sanguisq; orthodoxorum iniustè & iniquè fusus est) exigua
admodum videri. Postea etiã addit: Cõtestamur coram seruatore nostro IESV Christo,
nostrum cultum erga Deum & pietatem liberam esse: oramusq; vt cùm illi tum præci-
puè episcopus Constantinopolis, qui nequiter multis in reb. suo officio functus depre-
henditur, iusto, canonico & Ecclesiastico iudicio condemnetur, abdicetúrque episco-
patus gradu. Zacharias porrò ista quoq; scribit ad hunc modũ: Literis Imperatoris, quas *Zacharias Rhetor.*
scripsit generatim ad omnes, diuulgatis, monachi, qui Constantinopoli peruerso erro-
re Eutychis infecti erant, rati, se, cum Timotheum & literas Imperatoris nacti fuissent,
subsidia ad hæresim suam tuendam inuenisse, sperantesque se iam suum institutum *Monachi item accedam sententiæ Imp.*
cõmodè posse persequi: properè ad Timotheum se conferunt, ac cum à Timotheo, qui
Dei verbum secundum carnem nobis consubstantiale, patri autem consubstantiale se-
cundum diuinitatem ostendit, essent refutati, domum reuerterunt.

Quòd Æturus Timotheus Alexandrino episcopatu recuperato, patriarchatus ius Ecclesiæ Ephesinæ reddens, Chalcedonense concilium anathemate percellebat.

CAPVT VI.

VideNice. lib. 16. ca. 5. IDem scriptor narrat, Timotheum Constantinopoli egressum perrexisse Ephesum, *Timotheus Paulũ episcopum in sede Episcopali collocat Timotheus ecclesiæ Ephesiæ. patriarchatus ius reddit. Zachariæ Rhetor.*
Paulumq; illius vrbis pontificem (qui quidem iam dudum ab episcopis prouinciæ, si
cut vetus Ecclesiæ consuetudo postulat, creatus fuerat, sede tamen post excíderat) in se-
de episcopali collocasse. Reddidit præterea idem Timotheus ecclesiæ Ephesianæ ius pa-
triarchatus, quod concilium Chalcedonense, vti antè demonstratum est, ei ademerat.
Inde tandem soluit, petitq; Alexandriam: ibi ab omnibus, qui ad eum accedebant, po-
stulauit, vt concilio Chalcedonensi anathema denunciarent. Resilierunt ab eo, sicut à
Zacharia traditum est, cum alij complures suæ factionis, tum Theodotus, vnus ex eo-
rum numero, qui loppeà Theodosio, episcopo tum à quibusdam designato Hieroso-
B lymorum, cùm Iuuenali Constantinopolim confugerat.

Quòd monachis Acacij suasu motum concitantibus, Basiliscus timens sibi, circulares literas superioribus contrarias, in omnes partes emisit.

CAPVT VII.

VideNice. li. 16. c. 6. 7. ESt porrò apud eundem scriptorem, Acacium antistitem Constantinopolita- *Acatius cõtra Basiliscum tumultum concitat.*
num ijs de rebus circuisse, monachosque & populum Constantinopolis con-
tra Basiliscum, vtpote hæreticum, concitasse, illumque denegasse literas gene-
ratim scriptas ad omnes, atque adeò decreuisse, vt ea quæ tam temerè & quasi repenti-
no impetu facta fuissent, penitùs abrogarentur: effecisseq;, vt contrariæ literæ ab eodem
Imperatore, quæ concilium Chalcedonense approbabant, passim ad omnes mitteren-
tur. Has autem literas, quas ait contrarias alteris fuisse, Zacharias, qui quandam animi *Zacharias cũ ex fide sed ex affectu historiam scripsit.*
» affectionem secutus, totam illam conscripsit historiam, missas fecit. Quæ quidem lite-
» ræ ira se habent: Contrariæ literæ Imperatoris Basilisci. Imperatores ac Cæsares Basilis- *Basilisci literæ superioribus contrariæ.*
» cus & Marcus: Apostolicam & orthodoxam fidem ab initio in ecclesijs conseruatam
†Vide annot. pag. 347. lat. 2. lin. 24. » & ad nostrum vsque continuatam Imperium, & nobis iam regnantibus custoditam,
» & in perpetuũ custodiendam, in qua baptizati sumus, & credimus, solam integram fir-
» mamq; retinendam, retentamq; in omnibus catholicis & Apostolicis orthodoxorum
» Ecclesijs perpetuò continuandam decernimus, nullamque prætereà quærendam esse.
» Quam ob causam literas, nobis imperantibus, seu generatim ad omnes scriptas, seu
» alias, vel si quid præterea fidei & Ecclesiasticæ constitutionis gratia à nobis editum sit,
» mandamus irrita fieri, abrogarique: atque tum Nestorio & Eutychi, tum omnibus qui
» sunt eiusdem cum illis opinionis, tum omni denique hæresi anathema denunciari, &
» nec concilium cogi, nec inquisitionem fieri de fide: sed ea quæ de ea decreta sunt, rata
» stabiliaque manere: quinetiam prouincias, quarum episcoporum creatio penes sedem
» huius regiæ & illustris ciuitatis est, reuerendissimo & sanctissimo patriarchæ & episco-
» po Acacio restitui: atque episcopos qui illis iam præsunt prouincijs, proprias nihilomi-
» nus sedes tenere, sic vt post istorum mortem nullum præiudicium contra ordinationis
» ius, quod ad sanctam sedem huius regiæ & eximiæ vrbis pertinet, ex ea re fiat. Denique
» quod hoc diuinum nostrum decretum vim habeat diuini edicti, nemini dubium aut
» obscurum esse volumus. Istæ res isto modo fuêre confectæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De reditu Zenonis. CAPVT VIII.

Zenonis aduersus Constantinopolim exercitus.

ZEno verò per visionem, vt fertur, cohispicatus sanctam, strenuam & eximiam martyrem Theclam non ipsum solùm impellentem, verùm etiam Imperij pollicentem restitutionem, versus Constantinopolim exercitum ducit. Atq; viris qui illum obsidebant muneribus inductis, Basiliscum, cũ iam biennio regnauerat, Imperio exturbat, & ad sacri templi adyta confugientem, hostibus auferendum tradit. Quam ob causam Zeno egregię martyri Theclæ amplissimum templum, splendore & pulchritudine eximium, Seleuciæ vrbis Isauriæ dedicauit, pluribusq; ac planè regalibus monumentis, quæ ad nostram vsq; ætatem seruata sunt, exornauit. Basiliscus autem mittitur in Cappadociam mortem oppetiturus. Vbi in diuersorio nomine Aconso vnà cum vxore & liberis trucidatur. Zeno autem legem sancit, qua decreta Basiliſci tyranni in literis generatim ad omnes perscriptis comprehensa, abrogata fuêre: & Petrus cognomine Cnapheus ecclesia Antiochena, & Paulus Ephesiana expellitur. Vide Nice. lib. 16. ca. 8.

Theclæ visio Zenonẽ ad Imperium recuperandũ animat.

Basiliſci exitus.

Zenonis decreto acta Basiliſci rescissa.

Quòd vita functo Basiliſco, episcopi Asiæ, dum Acacij bilem placare studeant, quòd Chalcedonense concilium damnassent, pœnitentiæ libellum exhibuerunt.

CAPVT IX.

Asianorum episcoporũ pœnitentia de reprobato Concilio Chalcedonensi.

EPiscopi Asiæ, quò Acacium placarent, deprecari culpam, veniamq; petere cœperunt: mittunt quoq; ad eum pœnitentiæ libellos, quibus asserebant se non sua sponte, sed vi ac necessitate coactos literis Basiliſci generatim ad omnes datis subscripsisse: atque adeò iureiurando confirmant rem ita reuera se habere, seq; non aliter, quàm concilium Chalcedonense vel credidisse, vel credere. Libelli autem hanc habent sententiam. Vide Nice. lib. 16. ca. 9.

Asianorũ episcoporũ ad Acacium supplex libellus.

†Epistola, siue supplex libellus ab episcopis Asiæ ad Acacium episcopum Constantinopolitanum missus. Acacio sanctissimo religiosissimoq; ecclesiæ Constantinopolis, quæ Roma noua dicitur, Patriarchæ S. Et postea: Venit ad vos, vti par est, qui nostrum locum suppleat. Ac paulò infrà: Per istos libellos agnoscimus, nos non nostra volũtate, sed necessitate adductos literis subscripsisse Basiliſci: eisdemq; non animo, sed verbis B duntaxat consensisse. Nã Dei opt. max. aspirante numine, cui nostræ preces gratæ acceptæq; sunt, credimus non aliter quàm à trecentis illis decem & octo orbis terræ luminibus, & centum quinquaginta sanctis patribus accepimus. Credimus præterea actis, quę à sanctis patribus Chalcedoni coactis sanctè syncereq; decreta sunt. †Vide annot. pag. 148. lat. 2. lin. 15.

Confessio episcoporum Asianorum.

Quòd autem ad ea attinet, quæ Zacharias rhetor de ijs episcopis tradidit, siue ipse falsò eos criminatus est, siue illi ipsi mentiti sunt, se inuitos literis Basiliſci subscripsisse, non possum pro certo affirmare.

De ijs qui Antiochiæ episcopatu fungebantur.

CAPVT X.

Stephani episcopi interitus tragicus.

PEtro ecclesia Antiochena exturbato, Stephanus illius sedem capessit: quem Antiocheni calamis, ad similitudinem hastarum præacutis, vti scribit Ioannes rhetor, confecerunt. Quo extincto, Calandio illius sedis clauum suscipit: qui “ omnes qui ipsum adibant induxit, vt tum Timotheo, tum literis Basiliſci generatim “ ad omnes scriptis anathema indicerent. Vide Nice. lib. 16. c. 10.

Quòd Imperator Zeno cum Ælurum persequi constituisset, illi ob ingraueſcentem ætatem pepercit: qui cum è viuis excessisset, Petrus Mongus episcopus Alexandrinus creatus est: sed Timotheus, qui Proterium in episcopatu sequebatur, pulso illo, sedem eius Imperatoris mandato capessit. CAPVT XI.

Timotheũ cur Zeno Alexandria pellere destiterit.

ZEno autem, quanquam habebat in animo Timotheum Alexandria expellere: tamen, cum à quibusdam iam certior factus esset, eum admodum senem esse, & quàm primum commune vniuersæ carnis domicilium subiturum, destitit de sententia. Timotheus verò non multo pòst commune naturæ debitum persoluit. Quo mortuo, episcopi Alexandrini Petrum cognomento Mongum sua ipsorum authoritate sibi episcopum diligunt. Quod Zenonem, vbi ad aures eius peruenit, vehementer conturbauit. Itaque Petrum mulctauit morte: Timotheum autem qui Proterio successerat, quique tum propter quandam populi seditionem ætatem degebat in Canobo, accersit. sic Timotheus Imperatoris iussu suam episcopalem sedem denuò obtinet. Vide Nice. lib. 16. ca. 11.

Timotheo Petrus Mongus Petro Timotheus Alexãdriæ successit

De

De Ioanne, cui post mortem Timothei ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula obtigerunt, vtq; illum Zeno tanquam peierantem abigens, Petrum Mongum ecclesiæ Alexandrinæ præficit. CAPVT XII.

Vide Nice. lib. 16. c. 11.

IOannes presbyter, cui augusti templi diui Ioannis Baptistæ & præcursoris Domini administratio commissa fuit, quorundam impulsus consilio Constantinopolim venit, Imperatorẽ precaturus, vt si fortè episcopus Alexãdriæ migraret è vita, sibi liceret antistitẽ, quem vellet, ciuibus illius ciuitatis nominare: qui quidem, vt Zacharias memorat, episcopatum pro se ambire ab Imperatore deprehensus est: & cùm se iureiurando obstrinxisset, se nunquam sedem episcopalem Alexandrinã petiturum, domum reuertitur. Quapropter Zeno eum pòst mortem Timothei episcopum creandum decreuit, quem clerus & laicorum multitudo deligerent. Non longo tempore pòst, mortuo Timotheo, Ioannes data pecuniæ summa, quemadmodum ab eodem Zacharia traditum est, & iureiurando, quod Imperatori dederat, neglecto, Alexandrinorum deligitur episcopus. Qua re cognita, Imperator illum Alexandria exigendum mandat: atq; quorundam impulsu epistolam scribit Alexandrinis, quam ἑνωτικὸν vocauit, id est, de concordia: decreuitque, vt Petro sedes episcopalis Alexandrina redderetur, modò epistolæ illi subscriberet, & eos qui Proterianæ factionis erant, in communionem reciperet.

Ioannes episcopatum ambit.

Ioannes Alexandrinorum episcopus deligitur data pecunia.

Iohanni exulthorato Petrus Mongus suffi-

Quòd Petrus Mongus Zenonis henoticum, hoc est, conciliatricem epistolam recipit, & ijs qui à Proterij partibus steterunt, coniungitur.

CAPVT XIII.

Vide Nice. lib. 16. c. 12.

HVius rei administrationem Pergamius præfectus Aegypti iam designatus, de sententia Acacij episcopi Constantinopolis, suscepit: qui cum Alexandriã appulisset, comperisset q; Ioannem aufugisse, venit cum Petro in colloquium: suadet, vt epistolam Zenonis Alexandrinis dedicatam, & eos etiam qui ab ipso dissentiunt, admittat. Itaque Petrus epistolam, quam dixi, recipit, eiq; subscribit: polliceturq; se eos qui partes aduersarias sequebantur, admissurum. Postea ergo cum celebris conuentus Alexandriæ ab vniuerso populo ageretur, & ad vnum omnes epistolam Zenonis de concordia admitterent, Petrus quoq; eos qui stabant à Proterio, recipit: & concione apud populum in ecclesia habita, epistolam Zenonis de concordia legit. B

Pergamius Aegypti præfectus.

Petrus Mõgus ab Imperatore imperata facit.

De Henotico quod vocant Zenonis, hoc est, conciliatrice eius epistola.

CAPVT XIIII.

ZENO IMPERATOR, CAESAR, PIVS, VICTOR, TRIVMPHATOR, MAX.
semper Augustus, reuerendiss. Alexandriæ, Aegypti, Libyæ & Pentapolis episcopis, clericis, monachis, & laicis S.

Vide Nice. lib. 16. c. 12.

QVoniam pro certo scimus, Imperium nostrum à syncera solùm & vera fide tum initium habuisse, tum stabilitum esse, tum robur ac præsidium, quod expugnari nequit, ex ea sumpsisse (quam quidem fidem diuini numinis instinctu trecenti decem & octo sancti patres Nicææ congregati exposuerunt, quamque etiam confirmarunt centum & quinquaginta sancti patres Constantinopoli coacti) noctes diesq; non precibus solùm, sed studio omni & legibus sanciſs laborauimus, vti ea in sancta, catholica & Apostolica Dei Ecclesia, quæ vbiq; terrarum est, queq; immortalis & sempiterna nostri principatus quasi parens est, plenè perfectaq; expleatur: piusq; Dei populus in pace & diuina concordia perseuerans, gratas acceptasq; precationes vnà cum sanctissimis episcopis & clero pietati deditissimo, & monasteriorum præpositis & monachis, Deo pro nostri Imperij conseruatione offerat. Nã si præpotens Deus & seruator noster IESVS Christus, qui ex sancta virgine Maria Deipara carnem sumpsit & natus est, nostras consentientes laudes & cultum quem ei tribuimus, approbet, lubensq; & quasi parato animo excipiat: non modò omnia aduersariorum genera, fracta debilitataq; concident, verùm etiam alij omnes mortales suam ipsorum ceruicem iugo nostri Imperij, proximè ac secundum Deum, sponte subijcient: & pax eiusq; commoda, æquabilis aëris temperatio, fructuũ cuiusq; generis abundantia, aliaq; omnia quæ sunt ad humanæ vitæ vsum accommodata, affatim suppeditabũtur. Iam igitur cum constet inter oẽs, nos Imperium q; Romanũ syncera fidei subsidio conseruari, afferuntur nobis libelli supplices à pijs monasteriorum præfectis heremitis, & alijs reuerendissimis viris, qui nos vehementer obtestantur, vt sanctissimis Ecclesijs restituatur concordia, membraque membris coniungantur, quæ hostis probitatis dæ-

Zenonis de concordia epistola in concione ad populum recitata

Ecclesia Dei catholica vbique terrarum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mon iã longissimo temporis spacio derimere pro virili laborauit: pro certo persuasus, A
si corpus Ecclesię concordiæ vinculis firmè cohærens impugnaret, se superatum iri. Nã "
quia membra Ecclesiæ non coalescebant, factum est, vt infinitæ hominum multi- "
tudines, quas temporis longinquitas tot annorum curriculis ex hac vita exemerit, "
partim baptismatis lauacro carentes mortem obierint, partim diuinæ communionis "
minimè factæ participes, ex corporis custodia (quod nemo homo vitare potest) emi- "
grarint: quinetiam cædes ferè infinitæ inde factæ, & non terra modò, verumetiam aër "
copiosa sanguinis effusione inquinata. Quotusquisque ergo est, qui nõ optarit ista cor- "
rigi, adq; statum reduci meliorem? Quocirca dedimus operam, vt vos intelligatis cùm "
nos, tum omnes vbique Ecclesias non aliud symbolum, vel doctrinam, vel decisionem "
fidei, vel fidem, quàm sanctum symbolum, de quo diximus, trecentorum decem & o- "
cto episcoporum, quod centum quinquaginta patres, quos suprà commemorauimus, "
confirmarunt, aut habuisse, aut habere, aut habituros esse, aut scire alios habere. Quòd "
si quisquam aliud habeat, eum alienum ab Ecclesia existimamus. Nam hoc solo no- "
strum Imperium, vti docuimus, conseruari confidimus, idemq; ipsum populi ample- "
xati, salutari Spiritus sancti illustrantur lumine, sacroque Baptismatis lauacro tingun- "
tur: eidem quoque assensi sunt sancti patres in concilio Ephesino congregati, qui im- "
pium Nestorium & eius erroris fautores ministerio Ecclesiastico abdicarunt. Cui et- "
iam vnà cum Eutyche (vterque enim fidei decretis, quæ diximus, repugnat) anathema "
denunciamus, approbamusque ea quæ duodecim capita dicuntur Cyrilli piæ memo- "
Christus patri consubstantialis. riæ sanctæ & catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ archiepiscopi. Nam confitemur, vnige- "
nitum Dei filium Dominum nostrum IESVM Christum, verè incarnatum esse, con- "
substantialem Patri secundum diuinitatem: secundum humanitatem nobis consub- "
stantialem: descendisse de cœlo: carnem suscepisse à spiritu sancto & Maria virgine "
Deipara: vnum esse, non duo. Vnius enim esse dicimus & miracula quæ edidit, & pas- "
siones quas in carne sustinuit. Eos autem qui eum diuidunt, aut naturas eius confun- "
dunt, aut carnem susceptisse imaginariam introducunt, omninò reijcimus. Quippe in- "
carnatio sine labe peccati ex Deipara reuera facta, accessionem alterius filij non effecit. "
Nam manet trinitas, etiam cum vna trinitatis persona, nempe Deus sermo, incarnata "
sit. Quare cum exploratum habeamus, cùm omnes sanctas vbiq; & orthodoxas Eccle- "
sias, tum earum præsides Deo charissimos, tum nostrum Imperium nullum aliud sym- B
bolum, aliámue fidei decisionem præter symbolum, de quo supra modò locuti, vel "
admisisse vel admittere velle, absque vlla hæsitatione nos ad concordiam reducamus. "
Ista quidem certè vobis scripsimus, non vt nouaremus fidem, sed vt vobis de fide peni- "
tùs persuaderemus. Cuique autem, qui aliud quiddam vel senserit vel sentiat, seu iam, "
seu aliàs, seu in concilio Chalcedonensi, seu in alio quouis concilio, anathema indici- "
mus: maximè verò omnium Nestorio, Eutychi, & illorum doctrinæ fautoribus. Quo- "
circa vos spirituali matri Ecclesiæ adiungite, atq; secundum vnam solamq; fidei decisi- "
onem trecentorum decem & octo sanctorum patrum nobiscum vnà diuina in ea com- "
munione fruimini. Nam sacrosancta vestra mater Ecclesia, tum vos ingenuos suos fili- "
os amplecti cupit, tum vestram diu optatam, dulcemq; vocem audire desiderat. Prope- "
rè igitur vos ad eam recipite. Nam si hoc præstiteritis, non modò Domini seruatoris & "
Concordia constituta in Ecclesia Alexandrina. Dei nostri IESV Christi beneuolentiam vobis conciliabitis, verumetiam à nostra cel- "
situdine magnam laudem consequemini. Ista epistola perlecta, omnes Alexandrini se
sanctæ, catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ adiunxerunt.

Quòd Ioannes Alexandrinus episcopus Romam profectus, effecit vt pontifex Romanus Simplicius ad Zenonem de irrogatis ipsi iniurijs literas daret.
CAPVT XV.

Ioãnes Romæ magnis turbas concitat. Zenonis respõsum ad Simplicium Papam de Ioanne Alexandrino.

IOannes, de quo suprà mentio facta est, fugiens Alexandria, ad antiquam Vide Nice. lib.16.c.13.
Romam contendit: ibique magnas concitauit turbas. Dixit namque, se
pro decretis Leonis & Chalcedonensis concilij sua sede episcopali extur-
batum fuisse, alterumque qui illis aduersabatur, in ipsius locum surroga-
tum. Qua re cum Simplicius antiquæ Romæ episcopus vehementer con-
turbaretur, & literas propterea ad Imperatorem Zenonem daret, rescribit Zeno, cri-
menque periurij obiectat Ioanni, eumque eius rei, non autem alterius gratia episcopa-
tu abdicatum esse. De

A *De Calandione Antiocheno pontifice, qui propter amicitiæ cum Ilo, Leontio & Pamprepe suspicionem, in exilium actus est: & quòd cum Petro Cnapheo Mongus, & Constantinopolis & Hierosolymorum episcopi, amicitiæ fœdus inierunt.*

CAPVT XVI.

Vide Nice. lib.16.ca.13.

CAlandio antistes Antiochię scribens ad Imperatorem Zenonem & Acacium Constantinopolitanum episcopum, Petrum non solùm adulterum vocat, verumetiam eum cum esset Alexandriæ, Chalcedonensi concilio anathema indixisse asserit: qui postea ad incolendam Oasin condemnatus fuit, quòd partes Ili & Leontij & Pamprepis contra Zenonem fouebat. Petrus verò cognomento Cnapheus, qui ante Calandionem & Stephanum episcopus fuit, vt suprà dixi, Antiochiæ, propriam sedem recuperauit: qui & epistolæ subscripsit Zenonis de concordia, & synodales literas ad Petrum Mongum Alexandrinorum episcopum scripsit. Isti Petro Acacius etiam episcopus Constantinopolitanus reconciliatus fuit. Martyrius item episcopus Hierosolymæ ad eundem literas synodales scripsit. Postea tamen nonnulli se à Petri communione separarunt: vnde factum est, vt Petrus concilio Chalcedonensi palàm denunciaret anathema. Quæ res ad aures Acacij episcopi Constantinopolitani perlata, magnopere eum conturbauit: & propterea quosdam misit, qui quid esset factum, sedulò cognoscerent: quibus Petrus, quoniã cupiebat illis penitùs persuadere, se nullum eiusmodi facinus admisisse, scripsit literas quibus se purgaret: in quibus tamen Petrum nihil tale scripsisse, quidam se certò scire affirmant.

Calandio antistes de sceleribus Petri Cnapheo.

Petrus reijcit Concilium Chalcedonense.

De ijs quæ ad Acacium Chalcedonensis concilij propugnatorem Petrus scripsit. CAPVT XVII.

Vide Nice. lib.16.c.14.

ISte Petrus, homo fraudulentus, versutus & temporibus seruiens, minimè in vna perstitit sententia: sed modò concilium Chalcedonense anathemate damnauit, modò palinodiam cecinit, idemq; ipsum concilium omnibus suffragijs approbauit. Itaque epistolam scripsit ad Acacium episcopum Constantinopolitanum,
„ his ferè verbis. Summus omnium Deus tuam sanctitatem pro tantis tuis laboribus & vi
„ gilijs susceptis, compensetur: qui tot annorum temporis curriculo non modò fidem san-
B ctorum patrum obseruasti ipse, sed etiam eandem sine intermissione palàm prædican-
„ do confirmasti. Ad quam roborandam symbolum à trecentis decem & octo sanctis pa-
„ tribus aptè compositum animaduertimus: secundum quod symbolum baptizati, cre-
„ didimus & credimus: quod etiam quinquaginta sancti patres, qui Constantinopoli in
„ vnum conuenerant, ratum fecerunt. Proinde tu assiduè omnibus præis, vt dux: sanctam
„ Dei Ecclesiam traducis ad concordiam, nobis deniq; firmissimis argumentis persuades,
„ nihil in sanctissimo & generali concilio Chalcedonensi actum contra ista patrum de-
„ creta: sed ea quæ erant olim Nicææ à sanctis patribus sancita, hoc concilio consensu
„ omnium confirmata esse. Nos igitur, quoniam nihil in fide nouatum inuenimus, no-
„ stra sponte illi consensimus credidimusque. Attamen non sumus nescij, monachos
„ quosdam qui nostræ fraternæ concordiæ inuident, tuis pijs auribus quædam incul-
„ casse conuicia, quæ tuam sanctitatem non adeò facilè offendere potuerunt: primum
„ quod reliquias sanctissimi & beatissimi nostri patris Timothei archiepiscopi in alterum
„ locum trãstulimus: quem rem nec acceptam Deo, nec legibus consentaneam esse præ-
„ dicant. Deinde ad alterum crimen transiliunt, quod vt commenticium, ita priore mul-
„ to deterius est. Nam quî fieri potest, vt nos concilio Chalcedonense anathemate dam-
„ nemus, cum idem credendo confirmemus? Tuę enim pietati minimè obscuram aut in-
„ cognitam esse arbitror, populi qui apud nos est, æmulationem, monachorumq; leuita-
„ tem nouis rebus studentium: qui vnà cum alijs quibusdam sceleratis hominibus ab Ec-
„ clesia refugere cogitarunt, populumq; inde auellere conati sunt. Quamobrem vestris
„ precibus adiuti, literas hasce excogitauimus, quæ huic malo remedio sint, quæq; de au-
„ thoritate concilij Chalcedonensis nihil detrahant: pro certo persuasi, nihil in eo noua-
„ tum esse. Atq; quo tum simplicibus persuaderemus, tum vt illi qui nobiscum vnà ver-
„ sabãtur, pro defensione idem ipsum dicerent, effecimus: in quod quidem negocium cũ
„ assiduè incumberemus, exiguo momento populi animum repressimus. Illud etiam ve-
„ stra sanctitas intelligat velim, quòd adhuc etiam monachi non desinunt dissemina-
„ re zizania, sibiq; quosdam homines, qui nunquam vixêre in monasterijs, velut instru-
„ menta sibi admiscere, & circumcursitando rumores varios contra nos, & contra pacem
„ Ecclesiæ Christi dissipare: nihilq; nobis permittere, sicut canones & decus etiam sanctę
„ & catholicæ Dei Ecclesiæ postulat, obire: sed efficere, vt noster populus nobis potius
„ imperet, quàm pareat: omniaq; moliuntur, quæ Deo indigna sunt, & indecora. Spes est

Petri Cnapheo versutia & ad Acacium Constantinopolitanum epistola.

Purgat duo ab iecta crimina.

Accusat monachos quosdã.

igitur, tuam sanctitatem diuinissimo totius orbis terræ domino Imperatori de omnibus significaturam, effecturamq; vt decretum ab illius clemẽtia illis tribuatur, quòd ea quæ sunt consentanea Ecclesiasticæ tranquillitati (quæ tum Deo tum Imperatori congruens est) præscribat, ad eum sanè finem, vt omnes in illis rebus acquiescant. A

Quomodo Ioannes Alexandrinus episcopus Felici pontifici Romano consuluerit, vt Acacio Constantinopolitano episcopo abdicationem denuncier.

CAPVT XVIII.

Felix Simplicij successor. Hanc epistolã reperies Tom. 2. Concil. generali.

IOannes, qui Romam confugerat, Felicem, qui post Simplicium episcopus Romanus fuit, admonet de rebus à Petro gestis, suadetq;, vt narrat Zacharias, vti epistolam abdicationis ideo mittat Acacio, quòd cum Petro communicauerat. quod quidem, vtpote cõtra canones Ecclesiæ factum (quidã enim qui vitam monasticam in monasterio eorum qui ἀκοίμητοι vocantur, eam epistolam attulerunt) Acacius admittere noluit. Quæ res etiam à Zacharia scriptis proditæ sunt. Sed mihi videtur nihil istarum rerum exploratè cognitum habuisse, sed extremis, vt dicitur, auribus solùm accepisse, sicque commemorasse. Itaque ipse res vtgestę sunt, accuratè explicaturus venio. Cum libelli Felici à Ioanne contra Acacium, quòd contra Ecclesiæ ritum cum Petro communicauerat, deq; alijs facinoribus ab eo contra canones admissis, dati erant, mittuntur à Felice ad Zenonem Vitalius & Misinus episcopi, vt eius authoritate tum concilium Chalcedonense confirmaretur, tum Petrus vt hæreticus episcopatu pelleretur: tum denique Acacius mitteretur ad ipsum Felicem, rationem de rebus, quas Ioannes (cuius mentionem sæpe fecimus) ei obiectasset, redditurus. Vide Nice. lib. 16. c. 16.

Mesenus aliàs Tom. 1. concil. generali. Decretũ Felici in Rom. Papæ.

De Cyrillo monachorum qui insomnes vocantur præfecto, quònam pacto Romam ad Felicem literas dederit, extimulans eum, vt illatas contra fidem iniurias vlciscereturs. CAPVT XIX.

ATprius quàm Vitalis & Mesenus venêre ad Imperatorem, Cyrillus qui monachis, quos ἀκοίμητους vocant, præerat, mittit ad Felicem, quo eum, cùm tam grauia peccata contra veram fidem admissa essent, insimularet tarditatis. Felix igitur scribit ad Misinum, vt nihil ante moliretur, quàm esset cum Cyrillo collocutus, & ab eo quid esset faciendum didicisset. Vide Nice. lib. 16. c. 16. B

ἀκοίμητοι monachi quorum præses Cyrillus. Felicis literæ ad Misinum de Cyrillo.

De ijs quæ Felix ad Zenonem, & Zeno vicissim ad eum scripsit.

CAPVT XX.

Filicis Papæ literæ ad Zenonẽ & Acaciñ.

ALiæ præterea literæ à Felice tum ad illos tum ad Zenonem scriptæ fuerunt, quibus eos non modò concilij Chalcedonensis, verùm etiam persecutionis in Africa, regnante Theodorico excitatæ in memoriam redigeret. Scripsit porro aliam ad Acacium epistolam. Zeno autem rescripsit, eum frustra perturbatum verbis Ioannis: qui cum iureiurando se astrinxisset, nunquam omnino sedẽ episcopatus Alexandrini occupaturum, violata fide & iureiurando neglecto nullum non sacrilegij genus admisisset. Petrum verò non sine accurata de eius fide inquisitione ad sacerdotij gradum elatum fuisse: sed eum subscripsisse sua manu, se fidem trecentorum decem & octo sanctorum patrum, qui Niceæ olim in vnum conuenerunt, cui sanctum concilium Chalcedonense consentit, approbare. Ista enim à Zenone scripta sunt his verbis: “ Debes pro certo cognoscere, & nostram pietatem, & Petrum sanctissimum, de quo antè dictum est, & omnes sanctissimas Ecclesias, sanctissimum concilium Chalcedonense amplecti & venerari: quod quidem concilium cum fide concilij Nicæni consentit. “ Extant præterea in actis eiusdem concilij epistolæ tum à Cyrillo, quem suprà posuimus, tum ab alijs monasteriorum præpositis Constantinopolis, tum ab episcopis, & clericis Aegypti ad Felicem contra Petrum, vtpote hæreticum, & eos qui cum eo communicabant. Qui autem ex domicilio monachorum, quos ἀκοιμήτους vocant, venêre ad Felicem, Misinum & Vitalem propterea coarguerunt, quòd ad ipsorum vsque Constantinopolim aduentum, Petri nomen clàm & occultè in sacris tabulis legi consueuerat: ex eo autem ad præsens vsque tempus palàm & apertè & Mesinum ac Vitalem cum Petro communicasse. Epistola quidem Aegyptiorum tum ista de Petro complexa est, tum etiam quod Iohannes & orthodoxus esset, & vt leges Ecclesiæ postulant, ordinatus, Petrus autem ex duobus solùm episcopis eadem erroris prauitate cum illo infectis, creatus, tum denique quòd statim post Ioannis fugam, nulla non supplicij genera orthodoxis ab eo inflicta. Quæ omnia Acacio per quosdam, qui Constan- Vide Nice lib. 16. c. 15. 16. 17. 18. 19

Zenonis literæ ad Felicem Papam. Rom. Legati à monachis reprehensi. Epistola Aegyptiorum.

A Constantinopolim venerunt significata esse, Acaciumq; Petro in omnibus, quæ molie batur, subsidio fuisse memorant.

Quòd Symeones monasterij Insomnium monachus Romam profectus, eos qui Roma Constantinopolim missi erant, cum hæreticis communicasse accusat, quodq; tum illos, tum qui cum Petro communicabant, Ecclesia Romana abdicabat.

CAPVT XXI.

REuêre etiam res istę sermone Symeonis monachi (qui fuit ex numero eorum, qui vocantur ἀκοίμητοι,) missi à Cyrillo ad Felicem. Nam Misinus & Vitalis ab eo fuêre reprehensi, propterea quòd cum hæreticis communicarant, idq; cum nomen Petri, vt hæretici palàm in sacris tabulis recitaretur: quodq; ea ratione multi simplices homines ab hæreticis in errorem inducerentur, qui affirmare non dubitarũt, Petrum ab episcopo Romano in communionem receptum esse. Addidit etiã Symeones, cum quædam quæstiones rogarentur, Misinum & eius fautores noluisse quenquã orthodoxorum in colloquium venire, vel literas reddere, vel quicquam contra veram synceramq; fidem admissum accuratè examinare. Producebatur item in medium Syluanus presbyter, qui vnà cum Misino & Vitali fuisset Constantinopoli, isque verba monachorum confirmauit. Lecta est prætereà Acacij epistola ad Simplicium, quæ significabat, Petrum iam pridem & abdicatum fuisse, & filium tenebrarum declaratum. Quibus de causis Misinus & Vitalis de sacerdotij gradu dimouentur, & à sacrosancta ac pura separantur communione, idque de sententia totius concilij, quod ista quæ sequuntur, de Petro pronunciauit, Petrum hæreticum iam pridem sentẽtia sacræ sedis apostolicæ condemnatum, interdictum ecclesia & anathemate mulctatum, ecclesia Romana non recipit: cui quidem licet nullum aliud crimen obijciatur, hoc profectò satis habet ponderis, eum quidem non posse orthodoxis præesse, quòd ab hæreticis ordinatus fuit. Eadem concilij sententia hoc quoq; complexum est: Acacium episcopum Constantinopolis grauissimo crimine dignum, res ipsa declarauit: quippe qui tametsi literas ad Simplicium scripserit, & Petrum appelarit hæreticum: tamen idem ipsum iam Zenoni minimè patefecerit, cum certè istud, si modò amaret Zenonem, præstare deberet. Vbi Imperatoris desiderio satisfacere, quàm fidei consulere expetit. Sed ad ea, quæ deinceps explicanda sunt, sermonem transferamus. Extat epistola Acacij ad antistites Aegypti, clericos, monachos & ad populũ vniuersum, qua eos schismate dissidentes conatur ad concordiam reducere. De quibus rebus scripsit etiam ad Petrum episcopum Alexandrinum. Misini & Vitalis reprehen sio. Vide hanc epistolam Tom. 1. Concil. generali. Acacius cur grauissimo crimine dignus.

De turba Alexandriæ ac plerisq; in locis alijs ob Chalcedonense concilium suscitata

CAPVT XXII.

ITaque cum schisma Alexandriæ arderet, Petrus quibusdam episcopis, & monasteriorum præpositis persuasit, vti cum ipso communicarent: Leonisque etiam de fide decisionem & acta concilij Chalcedonensis, & eos, qui libros Dioscori & Timothei non reciperent, damnauit anathemate. Quinetiam alios plurimos, cùm illis idem persuadere non posset, suis ipsorum monasterijs exturbauit. Quibus de causis Nephalius Constantinopolim profectus, quid factum sit nunciat Zenoni: qui animo propterea conturbatus, Cosmam vnum ex satellitum suorum numero eò mittit, qui quidem grauissimis minis coargueret Petrum, quòd tum contra literas Zenonis de concordia scriptas fecisset, tum sua asperitate grauem seditionem excitasset. At cum nihil Cosmę succederet ex sententia, præterquam quòd monachi expulsi eius opera, suis ipsorum monasterijs essent restituti, ad Imperatorem reuertitur. Quare Imperator rursus mittit Arsenium, Aegypti præsidem, & militum præsidiariorum præfectum: qui vnà cum Nephalio Alexandriam profectus, de concordia inter eos constituenda verba facit: ac cũ illis non posset persuadere, nonnullos eorum mittit Constantinopolim. Et quanquã multa verba coram ipso Zenone de concilio Chalcedonensi fiebant, nihil tamen de eo conclusum est: quandoquidem Zeno illi neutiquam omninò assensit. Vide Nice. lib. 16. c. 17. Alexandrina seditio ob Petrum Mongũ Chalcedonensis Synodi oppugnatorem. Zeno non assentit concilio Chalcedonensi.

De Phranita & Euphemio Constantinopolitanis, Athanasio, & Ioanne Alexandrinis, Palladio & Flauiano Antiochenis, & alijs.

CAPVT XXIII.

INtereà temporis, cum Acacius episcopus Constantinopolis communem vniuersæ carnis viam esset ingressus, Phranitas episcopatum illum capessit. Qui cum literas ad Petrum de communicando inter ipsos scripsisset, respondit Petrus per literas, Vide Nice. lib. 16. cap. 19. 20. Acacij obitus. Phranitas Acacij successor & Phranita Euphemius.

Universidad de Deusto
Biblioteca

actaque concilij Chalcedonensis grauiter perstrinxit. Vbi Phranitas, qui quatuor solũ A mẽses eo episcopatus munere fungebatur, è vita migrauit, Euphemius episcopus illius vrbis deligitur: qui cum literas Petri de mutua inter ipsos communione accepisset, animaduerteretque eas actis concilij Chalcedonensis anathema indixisse, valde animo commotus fuit, secq; à Petri communione penitus seiunxit. Vtraque istorum extat epistola, tum Phranitæ ad Petrum, tum Petri ad Phranitam: quas quidem epistolas propter earum prolixitatem missas facio. Quapropter cum Euphemius & Petrus essent inter ipsos grauiter dimicaturi, & synodos alter aduersus alterum conuocaturi, fortè Petrus antè excessit è vita: in cuius locum successit Athanasius: qui quidem dedit operam, vt partes inter ipsas dissidentes reconciliaret. Verùm id efficere ideo nõ poterat, quòd earum animi erant in tam varias & discrepantes sententias distracti. Idem Athanasius posteà literis de communione mutua ad Palladium, qui post Petrum Antiochiæ rexit episcopatum, missis, idem ipsum, quod Petrus anteà, de Concilio Chalcedonensi præstare molitur. Idem quoque conatur Ioannes, qui sedem episcopatus Alexandrini post Athanasium obtinuit. Porrò Palladio episcopo Antiochiæ morte extincto, & Flauiano in eius locum suffecto, Salomon presbyter Antiochiæ mittitur ab illo Alexandriã cum literis de communicando inter ipsos mutuo ad Ioannem, illiusq; responsum per literas Flauiano requirit. Ioanne mortuo, alter Ioan. episcopus Alexandriæ deligitur. Atque hæ quidem res ad aliquot annos, quibus Anastasius gessit Imperium, (hic enim Imperator Euphemium episcopatu eiecit) ad hunc modum progressæ sunt: quas quidem, quo Historia planior & magis perspicua redderetur, coactus sum ordine percensere.

Petro Mongo defuncto Alexandriæ successit Athanasius.

Palladius episcopus Antiochiæ.

Ioannes Alexandriæ episc.

Flauianus Antiochiæ episc.

Ioannes alter Alexandriæ episc.

De Armati Imperatricis Berinæ cognati interitu.
CAPVT XXIIII.

ZEno autem Armatum, cognatũ Imperatricis Berinę, quem à Basiliſco ducem contra ipsum missum, muneribus ad suas partes pellexerat, & socium pro hoste effecerat, & Basiliscũ filiũ eius Cæsarẽ Niceæ designauerat, de sententia Iii interficit. Nam Constantinopolim profectus, & Armatũ per dolum tollit è medio, & Basiliscum eius filium pro Cæsare sacerdotem creat: qui postea ad gradum episcopatus elatus fuit. B

Vide Nice. lib. 16. c. 21.

Armati interitus.

De Theodorichi Scythæ, qui contra Zenonem arma ceperat, morte.
CAPVT XXV.

PER idem tempus Theodorichus, Scytha genere, contra Zenonem arma ferre parat, & copijs suis in Thracia collectis, bellum gerit aduersus Zenonem: agrisque omnibus, qui ante pedes iacebant, vsque ad ostium Ponti vastatis, parum aberat, quin Constantinopolim cepisset, nisi quidam ex illius maximè necessarijs vehementer erga eum offensi, consilium de illo interimendo iniuissent: qui cum suorum intellexisset maleuolentiam, retulit pedem, atq; non adeò multò post in mortuorum numerum ascriptus est. Verùm quo genere mortis occubuerit, dicam: quod ita habet. Pro castris eius hasta cuspide bifida in sublimi suspensa fuit, more barbarico. Deinde corpus suum agitare exercereque cupiens, equum sibi adduci iubet. Tum absque mora (cuius etiam in alijs rebus gerendis impatiens esse solet) in equum insilit. Equus autem vtpotè indomitus & ferox, cum nondum Theodorichus, pedibus vtrinque ritè dispositis, firmè insideret, pedes anteriores tollit in sublime, ac posterioribus solum insistit erectus, adeò vt Theodorichus cum magna contentione cum eo luctaretur, & neq; auderet eum freno, ne in ipsum caderet, retrahere: neque adhuc in sella firmè sederet, huc illucq; sic volutaretur, vt hastæ suspensæ cuspidem vehementer agitaret, qui in eũ impactus, latus grauiter vulnerauit. Inde igitur in lecto coactus decũbere, paucis post diebus ex eo vulnere perijt.

Vide Nice. lib. 16. c. 21.

Theodorichi bellũ contra Zenonẽ geris.

Theodorichi interitus.

De Martiano, qui contra eundem bellum mouit, & quid illi postea acciderit.
CAPVT XXVI.

HIS rebus confectis, Martianus cum Zenone inimicitias exercere cœpit: qui filius fuit Anthemij, qui Romæ imperauerat: affinis autem Leonis, qui antè Imperium gesserat. Iste vbi Leontiam Leonis filiam minorem natu vxorem duxerat, tyrannidem occupare molitur. Ac pugna graui in palatio cõmissa, & multis vtrinque cadentibus, Martianus aduersarios terga dare cogit: atq; certè palatio potitus fuisset, nisi negocio quod susceperat, in crastinum dilato, oblatam occasionem omisisset. Nam

Vide Nice. lib. 16. c. 22.

Martiani cum Zenone inimicitiæ.

Fronte capillata, post est occasio calua.

A Nam occasio præceps est, quæ vt cum ad pedes accedit, forsan capi potest: sic cum quasi è manibus elapsa est, in sublime subuolat, ridetq; insequẽtes, ac de reliquo omnem aditum ad se illis penitùs præcludit. Itaq; qui fingendi pingendiq; artem norunt, solẽt quidem in illius sincipite comam adhibere, in occipiti velut abradere ad cutem: scitè admodum innuentes, quòd dum adhuc à tergo est, ab illis qui comam eius prehendunt, teneri potest: verùm vbi à fronte est, penitùs auolat, nihil habens quò à persequente capi queat. Quod planè euenit Martiano, qui vt tempus opportunum sibi datum amisit, sic idem ipsum de cæterò reperire non potuit. Nam postero die à suis proditus, & relictus solus, confugit ad templum sanctorum Apostolorum: indeque vi abstractus, Cæsaream Cappadociæ demigrat: ibiq; ad quosdam monachos se aggregans, posteà dum latitare cuperet, deprehensus est: atq; ab Imperatore Tarsum vsque Cilicię amandatus, coma abrasa, presbyter designatus est. Sunt ista quidem ab Eustathio Syro scripta pereleganter.

Martianus presbyter desi gnatur.

Eustathius Syrus Historicus

De Ili & Leontij tyrannide. CAP. XXVII.

Vide Nice. lib. 16. c. 23.

EST apud eundem scriptorem, Zenonem infinitas ferè insidias contra Berinam socrum suam struxisse, posteà autem eam relegasse in Ciliciã: eamque inde denuò ad arcem, quæ Papiriana dicitur, illo iam tyrannidem exercente, transtulisse: in qua excessit è vita. Res autem ab Ilo gestas idem Eustathius perdisertè scribit, tum quemadmodum à Zenone insidijs appetitus effugerit, tum quo pacto Zeno eum, cui dederat mandatum, vt Ilum interficeret, morte mulctarit, capite ideò ceruicibus abscisso, quòd eum ob conatus frustrationem tali mercede compensare voluit. Ilum verò, quò facinus tentatum occultaret, ducem copiarum in Oriente militantium designauit. Is amicitia non cum Leontio solùm, sed cum Marso etiam, viro spectato, & Pamprepe contracta, in partibus Orientis commoratus est. Iam verò quod narrat Leontius, Tarsi Ciliciæ Imperator renunciatus fuerit, & quem fructum isti ex tyrannide sua perceperint, cum Theodorichus vir genere Gothus, & apud Romanos in magno honore habitus, dux cùm nostris, tum exteris copijs stipatus, contra eos emissus esset, quinetiam qua ratione miseri à Zenone pro beneuolentia, quam versus illum præstiterant, trucidati, & præterea quòd Theodorichus, co- B gnito Zenonis consilio & voluntate, ad antiquam Romam se receperit: idem Eustathius literis concinnè admodum persequitur. At quidam memorant Theodorichum, Zenone authore, vicisse Odoacrem, & ita tum Romam sibi subiecisse, tum se regem nuncupasse.

Vide Cuspinianum in vita Zenonis.

Odoacer à Theodorico Gotho victus & ab eodem capta Roma.

De Mammiano & gestis eius. CAP. XXVIII.

MAmmianum temporibus Zenonis fuisse, narrat Ioannes rhetor. Cum esset infimo loco natus, ad ordinem senatorium peruenisse, eumque ędificium in suburbio Daphne, quod antiphorum dicitur (qui locus antea vites produxit, fuitque ad agriculturam idoneus) extruxisse, è regione balnei publici, vbi posita est statua ænea, quæ hanc habet inscriptionem: MAMMIANVS AMATOR CIVITATIS. Idem præterea Ioannes scribit, eum in vrbe duas regales porticus cùm ob eximiam ædificationẽ valdè magnificas, tum ob lapidum concinnitatem & splendorem in primis ornatas ædificasse: erexisseq; tetrapilon, velut interstitium inter duas illas porticus interiectum, columnis & ænea materia pereleganter & exquisitè elaboratas. Ac nos quidem hasce porticus vidimus, quæ non nomen solum, verùm etiam reliquias antiqui sui splendoris adhuc propterea retinẽt, quòd lapides ex Proconneso insula deportati, in solo constrati iacent: at ipsum tamen ædificium nihil insignium, quibus olim decoratum erat, omninò habet: siquidem ex veteribus eius ruinis nouum ædificium extructum est: nihil tamen ornatus illi veteri ex eo accessit. Quòd autem ad tetrapilon attinet à Mammiano ædificatum, ne vestigium quidem illius reliquum vidimus.

Mammianus quando floruerit.

Structuræ insignes à Mammiano factæ.

De morte Zenonis, & Anastasij electione. CAP. XXIX.

Anastasius Imp. anno Christi 492 Vide Nice. lib. 16. c. 24.

CVm autem Zeno absque liberis, decimo septimo regni sui anno confecto, comitiali morbo extinctus esset: Longinus eius frater magnam adeptus potentiam, tametsi spem animo concepit, se imperio potiturum, tamen ea, quæ expectabat, minimè est consecutus. Nam Ariadna Anastasio, qui nondum ad senatorium ordinem ascẽderat, sed solum in scholam silentiariorũ eorum, (sic enim dicitur) ascriptus erat, coronam imposuit Imperatoriam. Cõmemorat porrò Eustathius, annos ducentos septem à regno Diocletiani ad mortem Zenonis, & Anastasij designationẽ præterijsse: ab Imperio autẽ Augusti, qui solus regnauit, quingentos triginta duos annos & menses

Zeno quoto regni sui anno fit extinctus.

Vide Cus in vita Anastas.

Eustathij Syri chronologia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

menſes ſeptem: à regno Alexandri Magni regis Macedonum, octingentos & triginta A duos annos, & menſes itidem ſeptem: à Roma condita, & regno Romuli, mille & quinquaginta duos annos, & menſes prætereà ſeptem: à Troia capta, mille ſexcẽtos & octogintaſex annos, & menſes ſeptem.

Zenoni in Imperium ſucceſſit Anaſtaſius anno Chriſti 494.

Iſte Anaſtaſius patriam habuit Epidamnum, quæ iam Dyrrhachium nuncupatur: ac non imperium ſolùm Zenonis, ſed etiam eius vxorem ſibi comparauit: & primum Longinum fratrem Zenonis officio fungentem magiſtri, quem vetuſtiores præfectum ordinum aulicorum vocabant, mittit in patriam: multisq; alijs poſteà Iſauris idem poſtulantibus, ad ſuos reuertendi conceſſit poteſtatem.

De Anaſtaſio Imperatore, qui cum nouare quicquam in Eccleſiæ ſtatu noluerat, Eccleſiæ tum plagis innumeris afflictæ ſunt, tum complures ob id epiſcopi eiecti.

CAPVT. XXX.

Anaſtaſius pacis ſtudioſus.

ISte Anaſtaſius pacis ſtudioſus, cùm in rep. tum maximè in Eccleſię adminiſtratione nihil omninò rerum nouarum moliri voluit: imò verò omnib. modis elaborauit, vt tum Eccleſiæ ſanctiſſimæ ab omni tumultu & pertur- batione vacarent, tum omnes, qui ipſius parebant Imperio, ſumma tranquillitate fruerentur, omni contentione & diſcordia ex rebus tam Eccleſiaſticis, quam ciuilibus prorſus ſublata. Quod autem ad Concilium Chalcedonenſe attinet, illud id temporis neque palàm in eccleſijs ſanctiſſimis prædicatum fuit, neque ab omnibus reiectum. Nam ſinguli eccleſiarum præſides pro ſuo arbitratu in ea re egerunt. Atque vt nonnulli decretis in eo concilio editis firmè & conſtanter adhæſerunt, & ne ſyllabam de rebus in illo definitis remittere, imò verò ne literæ mutationem admittere voluerunt, quinetiam ab illis, qui eiuſdem decreta repudiabant, magna cum animi confidentia refugerunt, recuſaruntque penitùs cum illis communicare: ſic alij nõ ſolũ illud concilium & eius decreta reiecerunt, verumetiam tum illud, tum Leonis de fide deciſionem damnarunt anathemate. Alij verò epiſtolam Zenonis de concordia mordicùs tenuêre, idque cum inter ſe vtrum vna, an duæ ſint in Chriſto naturæ, grauiter diſſiderent. Ac pars eorum ipſa literarum compoſitione decepti ſunt, pars ad pacem ſe magis inclinarunt, vſque adeò vti omnes Eccleſię in ſeparatas factiones diuiderentur, & earum præſides inter ipſos minimè communicare vellent. Vnde plurimæ diſſenſiones tum in Oriente, tum in Occidente, tum in Libya ortæ ſunt, dum epiſcopi Orientis neq; cum epiſcopis Occidentis, neq; cum epiſcopis Libyæ, neq; ipſi viciſſim cũ Orientalibus in gratiam reduci poterant: ſed res ad maiorem abſurditatem indies prolapſa eſt. Quippe antiſtites Orientis, nec ſecum ipſi communicare voluerunt, nec Europæ prætereà, & Libyæ epiſcopi, nedum cum exteris. Quas res cum Anaſtaſius Imperator animaduerteret, epiſcopos, ſicubi eos nouis rebus ſtudentes, aut quenquam præter conſuetudinem illorum locorum, in quibus ætatem degebat, Concilium Chalcedonenſe prædicantem, aut idem ipſum damnantem anathemate comperiret, exturbauit. Ac primum Euphemium, vt ſuprà ſcripſi, eiecit Conſtantinopoli: deinde Macedonium, cui ſucceſſit Timotheus: Antiochia porrò Flauianum expulit.

Vide Nicer. lib. 16. cap. 25. 26.

De Chalcedonenſi ſynodo diſſentientes ſententiæ.

Epiſcoporum & eccleſiarũ inter ſe ſuper Chalcedonenſi concilio diſſidia.

Anaſtaſius in exilium mittit epiſcopos.

Monachi Palæſtinæ ad Alciſonem de Xenaia monacho, & alijs quibuſdam epiſtola.

CAPVT XXXI.

De Macedonio & Flauiano quales literæ ad Alciſonem ſint ſcriptæ à monachis Palæſtinæ

ATqui ſunt literæ de Macedonio & Flauiano à monachis Palæſtinæ ad Alciſonem his ferè verbis ſcriptæ: Cum Petrus exiuiſſet de vita, Alexandria, Aegyptus & Libya inter ſe denuò diſſidere cœperunt, reliquæque partes « verſus Orientem contra ſe ipſæ digladiari: quandoquidem Eccleſiæ ver- « ſus Occidentem non alia conditione cum illis communicare volebant, « niſi præter Neſtorium & Eutychem & Dioſcorum, etiam Petrum cognomine Mon- « gum, & Acacium Anathemati addicerent. Itaque cum eccleſiæ totius orbis terrarum « hoc loco erant conſtitutæ, fautores Dioſcori & Eutychis fuêre ad minimum planè nu- « merum redacti. Ac cum parum abeſſet, quin fuiſſent funditus è terra ſublati, adeò vt nõ « amplius inter homines verſarentur, Xenaias quidam, à Deo reuera ξένος, id eſt, peregri- « nus, neſcio quid apud animum proponens, aut quas inimicitias contra Flauianum ſuſ- « ceptas vlciſci cupiens, ſimulata fidei ſpecie, vti multi prædicant, hominum animos ad- « uerſus eum concitare, eique tanquam Neſtoriano obtrectare cœpit. Ac cum Neſtorio « vnà cum eius errore anathema indixiſſet, ex illo digreſſus ad Dioſcorum, & Theodorũ « & Theodoritum, & Ibam, & Cyrum, & Eutherium, & Ioannem, & ad alios neſcio « quos, neque vnde collectos, tranſit: quorum alij reuera Neſtorij doctrinam tuebantur: « alij

Vide Nicer. lib. 16. cap. 27. 28.

A alij, quoniam eiuſdem doctrinæ in ſuſpicionem venerant, Neſtoriũ anathemate damnabant, inque Eccleſię communione conquieſcebant. Iſtos omnes, inquit Xenaias, Neſtorij olentes hæreſim, niſi anathemate damnaueris, tu ipſe Neſtorij errori fauere videberis, etiamſi ei cum ſua doctrina & opinione millies anathema edixeris. Idem porrò Xenaias per literas cùm eos, qui Dioſcori errorem ſequebantur, tum hæreſis Eutychianæ patronos commouit perſuaſitque, vt ipſi contra Flauianum ſubſidio eſſent: non tamen concilium, ſed perſonas duntaxat, de quibus antè dictum eſt, anathemate damnari poſtularent. Quibus cum Flauianus epiſcopus diu reſtitiſſet, alijq; ſe cum Xenaia contra eum coniunxiſſent, & Eleuſinus epiſcopus vrbis cuiuſdam Cappadociæ minoris, & Nicias epiſcopus Laodiceæ, quæ eſt in Syria, & ex alijs locis alij (quorum criminationes, quas æmulatione nimis abiecta adducti Flauiano inferebant, non noſtrum eſt, ſed aliorum certè commemorare) tandem Flauianus ratus, illos propter hos, quibus anathema denunciari cupiebant, placatos fore, ceſſit eorum contentioni. Ac cum ſcripto perſonas illas anathemate damnaſſet, ſcripſit ad Imperatorem. Etenim animum eius iſti cõtra Flauianum, vtpote opinionis Neſtorij patrocinium ſuſcipientem, commouerant. Neque his rebus contentus Xenaias, poſcebat denuò à Flauiano, vt tum Concilium ipſum, tum eos, qui duas naturas in Domino eſſe dixerunt, carnis alteram, alteram diuinitatis, anathemati addiceret. Quem eius poſtulationi neutiquam obſequentem, rurſus vt Neſtorianum accuſat. Poſtremò cùm de ijs rebus vehementer certatum eſſet, & patriarcha Flauiano formulam fidei edidiſſet, in qua ingenuè fatebatur, Concilium quantum ad abdicationem Neſtorij & Eutychis attinebat, approbandum eſſe, at quantum ad deciſionem & doctrinam fidei, non item: rurſus illum vt ſubdolè ac latenter errori Neſtorij patrocinantem, ſe adoraturos minantur, niſi tum Concilio ipſi, tum illis qui duas naturas in Domino eſſe dixerunt, alteram carnis, diuinitatis alteram, anathema denunciare vellet. Iſauros prætereà verborum fuco & fallacijs in ſuam pertrahunt ſententiam, formulamque fidei componunt, in qua concilium vnà cum illis, qui duas in Domino eſſe naturas dixerunt, anathemati addicunt: & ad extremum ſe ſeparant à Flauiano & Macedonio, & ad alios, qui formulæ illi ſubſcribebant, aggregant. Intereà etiam poſtulant ab epiſcopo Hieroſolymitano, vt formulam fidei ſcriptis B prodat: quam cum edidiſſet, per Dioſcori ſectatores mittit ad Imperatorem. Quam fidei formulam illi tandem proferunt, in qua iam tum comprehenſa fuit, eos anathemate damnatos, qui duas in Domino naturas eſſe aſſerebant. Attamen ipſe epiſcopus Hieroſolymitanus, eam ab illis deprauatam conſtanter affirmans, aliam in medium producit, in qua nullum tale continebatur anathema. Nec planè mirum. Etenim ſanctorum patrum libros ſæpè deprauarunt, multosq; Apollinarij libros Athanaſio, Gregorio cognomento Thaumaturgo, id eſt, qui eximia edebat miracula, & Iulio, inſcriptionibus commutatis, attribuerunt: quibus quidem libris plurimos in ſuum impium errorem induxerunt. Popoſcerunt item formulam fidei à Macedonio ſcriptis mandatam: qui fidem trecentorum decem & octo Nicææ olim, & quinquaginta etiam Cõſtantinopoli conuocatorum, ſolum ſe noſcere aſſeueranter affirmauit, atque Neſtorio, Eutychi & ijs, qui duos filios aut Chriſtos eſſe ſtatuunt, aut naturas diuidunt, indixit anathema: & tamen nec concilij Epheſini, quo abdicatus fuit Neſtorius: nec Chalcedonenſis, quod abdicauit Eutychem, vllam mentionem fecit. Qua de re monachi Cõſtantinopolitani grauiter commoti, ſe à Macedonio epiſcopo ſeparant. Interim Xenaias & Dioſcorus cùm multos epiſcopos ſibi adiunctos haberent, adeò moleſti fuêre illis qui anathema nolebant denunciare his quibus ipſi anathema denunciari cupiebant, vt intollerabiles & non ferendi viderentur: quorum nonnullos, cum cedere nollent, per fallaciam exilio mulctandos curarunt. Ad hunc modum igitur Macedonius, Ioannes epiſcopus Palti, & Flauianus, ſolum vertere coacti ſunt. Sed de monachorum literis hactenus.

Xenaias Flauianũ ad Chalcedonẽſis ſynodi condemnationem tentat adigere.

Conciliũ Chalcedonenſe.

De Macedonij Conſtantinopolitani epiſcopi, & Flauiani Antiocheni electione.

CAPVT XXXII.

Vide Nicer. lib. 16. c. 26. 37.

SED quæ occultè animum Anaſtaſij angerent, longè diuerſa fuêre. Nam cùm Ariadna haberet in animo Anaſtaſium habitu induere purpureo, Euphemius epiſcopus vſque eo conſentire noluit, quoad Anaſtaſius chirographum iureiurando confirmatũ ei dediſſet, quod planè declararet, eum ſi ſceptra ſuſciperet Imperij, fidem ſynceram ſeruaturum, nihilque rerum nouarum introducturum in ſacroſanctam Dei Eccleſiam: quod chirographum Macedonio ſacri theſauri cuſtodi tradidit. Factum autem eſt illud propterea ab Euphemio, quòd Anaſtaſius putabatur à nonnullis errore Manichæorũ

Euphemius eur in Anaſtaſij coronatione conſentire noluerit, vnde eo odiũ Anaſtaſij in Euphemium.

Hæreticis familiare eſt patrum libros deprauare falſoſq; ſupponere

Gregorius Thaumaturgus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Anastasius Manichæ hæresis suspectus.

chęorum infectus esse. Vbi verò Macedonius ad sacerdotij dignitatem ascendit, voluit A Anastasius chirographum suæ confessionis recipere: Quippe dedecori, inquit, est imperio, si chirographum illud reseruetur. Cui postulationi cum Macedonius strenuè resisteret, seque fidem minimè proditurum constanter asseueraret: Anastasius Imperator insidias contra eum tendere cœpit, ad eum sanè finem, vti episcopatu exturbaret. Itaq; tandem accedunt adolescentes calumniatores, qui tum se tum Macedonium flagitiosi cuiusdam facinoris falso reos agunt. At verò vbi Macedonius genitalibus carere deprehensus fuit, ad alias fallacias se conuertunt: nec destiterunt, quoad consilijs Celeris aulicorum ordinum præfecti ex occulto sede episcopali dimouissent. Istam Flauiani expulsionem aliæ quoque res secutæ sunt. Nam ipsi ab hominibus ætate proiectissima, qui ea, quæ acciderant Flauiano, firmè memoria tenebant, accepimus, quod à Xenaia (fuit hic quidem episcopus Hierapolis vrbis Antiochiæ finitimæ, Græcoque vocabulo Philoxenus appellatus) monachi Cynegicæ (sic enim vocantur) qui apud gentem, quæ Syrorum primaria est, accolunt, persuasi, frequentes cum tumultu & summa confusione Antiochiam præcipites feruntur, vi Flauianum coacturi, vt tum cõcilio Chalcedonensi, tum decisioni Leonis anathema indicat. Quod cum Flauianus valde ægrè ferret, & monachi impetu instarent, populus ciuitatis, seditione conflata, tam magnam cædem fecêre monachorum, vt multi eorum, atque adeò ferè innumerabiles Orontẽ fluuium, corporibus fluctibus conditis, pro sepulchro haberẽt. Euenit porrò aliud hisce nihilo inferius. Monachi enim, qui Cœlosyriam, quæ iam Syria minor dicitur, accolebant, quique amore incredibili ac studio erga Flauianum propterea incendebantur, quòd vitam monasticam in cœnobio in agro (huic quidem nomen est Tilmogiũ) posito, agebat, properãt Antiochiam eo quidem consilio, vti Flauianum propugnarẽt, vti ex eo non exigua incommoda contingerent. Quamobrem Flauianus, siue priorib⁹ de causis, siue de posterioribus factum, siue de vtrisque, eiectus fuit, & ad Petras incolendas, quæ sunt in vltimis oris Palæstinæ sitæ, condemnatus.

Macedonius calumnijs supplantatur.

Monachi tumultuantur aduersus concilium Chalcedonense.

Monachorum cædes.

Monachorum Syriorum tumultuatio.

Flauiani exilium.

De Seuero Antiocheno episcopo. CAP. XXXIII.

Seuerus quando ad episcopatũ Antiochiæ delatus sit.

B Vide Nicet. lib. 16. cap. 29. 30. 31.

Flauiano igitur in exilium eiecto, Seuerus ad episcopatum Antiochiæ delatus fuit, anno quingentesimo sexagesimo primo pòst illud nomen ciuitati impositum mense Nouembri: iam verò, hoc est, tempore quo ista à me scribuntur, anno sexcentesimo quadragesimo primo. Huic Seuero patria fuit Sozopolis, vrbs Pisidiæ: qui antequam episcopatu potitus sit, Beryti in oratione forensi ac iudiciali se exercuit. Verùm simulac in sacro templo Leontij, diuini martyris, quem Tripolis Phœniciæ vrbs maritima colit, fuit lauacro baptismi tinctus, se à legum studio ad vitam monasticam transtulit: quam quidem vitam traduxit in monasterio, quod medium locũ inter vrbem Gazam & oppidum Maiumam occupat. In quo loco Petrus Iberus, qui eiusdem Gazæ fuerat antistes, quiq; cum Timotheo Aeluro fugerat, eisdem incedẽs gradibus, hominum sermone pòst multum prædicatus fuit. Porrò autem Seuerus, de quo instituitur oratio, cum Nephalio (qui antea eiusdem cum eo sectæ & opinionis fuisset, nimirum quòd vna in Christo natura sit, postea tamen concilio Chalcedonensi, & doctrinæ eorum qui duas naturas in Domino nostro IESV Christo inesse asserunt, consensit) in disputationem veniens, à Nephalio & eius fautoribus vnà cum alijs compluribus qui eadem fuêre opinione, è monasterio suo pulsus est. Inde igitur Constantinopolim rectà se contulit, pro se quoq; illis qui cum eo electi erant, legationem obiturus: sicq; Imperatori Anastasio, sicut traditum est ab eo, qui vitam Seueri scripsit, notus esse cœpit. Itaq; literas scripsit ad suos fautores de mutua inter se communione, in quibus nominatim concilium Chalcedonense anathemate damnauit. De qua re literę monachorum scriptæ ad Alcisonem ista loquuntur: Literæ Timothei, qui iam episcopus Constantinopolitanus est, de mutua communione hic in Palæstina receptæ sunt. At abdicatio Macedonij & Flauiani, quinetiam literæ Seueri de mutua communione rectæ fuerunt. Porrò qui eas literas huc attulerunt, dedecore & contumelia meritò sanè affecti (populus namq; ciuitatis & monachi contra eos cõcitati erant) fuga salutẽ sibi quæsiuêre. Hoc quidẽ in loco res fuêre Palęstinę. Qui aũt ecclesię Antiochenę peruerunt, partim fuerunt vnà cũ cęteris in errorẽ inducti, ex quorũ numero fuit Martinus episcopus Beryti, partim vi & necessitate cõpulsi, literis Seueri de mutua communione (quæ non concilio solùm, verumetiã cæteris omnib. qui duas naturas siue proprietates in domino inesse, alterã carnis, diuinitatis alterã, asserebant, anathema indixerunt) consentiebant. Verùm quos necessitas ad consentiendum compulerat, hi postea mutata sen-

Monachorum literæ ad Alcisonẽ de actis concilij Chalcedonensis & de Seuero.

A sententia, se ad Ecclesiam reuocarunt. Ex quorum numero fuerunt episcopi qui Ec-
„ clesiæ parebant Apameę. Erant verò alij qui omnino consentire noluerunt: ex quibus
„ erant Iulianus episcopus Bostri, & Epiphanius Tyri episcopus, & alij nonnulli, vt fer-
„ tur, episcopi. Isauri autem, qui iam resipuerant, ob priorem suum errorem se ipsi con-
„ demnarunt, Seueroq; & eius sectatoribus denunciarunt anathema. Alij episcopi & cle-
„ rici qui sub Seuero erant, ecclesijs suis relictis fugerũt: inter quos est Iulianus episcopus
„ Bostri, & Petrus Damasci episcopus, qui hic vitam degunt: Mamas item, alter è duobus
„ illis Dioscorianis, qui duas ab initio naturas asserebant: quorum arrogantem pertina-
„ ciam ab illis ipsis ad id quidem coactus, Seuerus condemnauit. & paulò infrà: Monaste-
„ ria autem, tum quæ hic sunt, tum quæ Hierosolymis, Dei iuuante gratia, in recta fide
„ consentiunt: aliæq; plurimæ ciuitates & episcopi eodem modo. Pro quibus omnibus,
„ & pro nobis quoq; tu sanctissime domine & pater noster honoratissime precari digne-
„ ris, ne intremus in tentationem.

De missa ad eum à Cosma & Seueriano abdicatione. CAPVT XXXIIII.

Vide Nicet. lib. 16. cap. 23.

Cosmas & Seuerianus episcopi magno adhuc Seuero exhortationis authore libellum insinuant.

COsmas, qui nostræ Epiphaniæ Orontem fluuium tangentis episcopatum gessit, & Seuerianus episcopus Arethusæ, vrbis finitimæ, literis Seueri de mutua communione grauiter offensi, primùm se ab eius communione segregarunt: deinde libellum abdicationis ad eum iam tum episcopatum Antiochię administrãtem mittunt, quem libellum tradunt Aureliano, præcipuo Epiphanię diacono: qui, quoniam Seuerum extimescebat, & tam illustris episcopatus amplitudinem reuerebatur, vt primùm venit Antiochiam, induit se veste muliebri, & ita ad Seuerum accedit: seq; ipse effœminatũ & mollem ostendit, mulieremq; omnino esse simulat: atq; velamine, quo caput obuoluebatur, ad pectus vsq; demisso, lamentari, & exili voce velut ex imis præcordijs ducta obtestari cœpit, Seueroq; prodeunti, libellum abdicationis dat: & clam omnibus, ex turba quæ sequebatur Seuerum, euadit, fugaq; sibi antè salutem parat, quàm Seuerus ea quæ libellus complectebatur, potuisset cognoscere. At Seuerus, quanquam libellum recipiebat, & quæ in eo scripta erant, satis intelligebat: tamen in sua sede episcopali firmè perstitit ad mortem vsq; Imperatoris Anastasij. Vbi autem Anastasius de his quæ Seuero acciderant, certior factus est (facinus namq; tam benignè & clementer ab Anastasio editum, hoc loco commemorandum est) mandatum dat Asiatico, præfecturã Libæsæ, quæ est in Phœnicia, gerenti, vt Cosmam & Seuerianum suis sedibus expelleret, propterea quòd Seuero libellum abdicationis miserant: qui cum venisset in Orientem, & multos Seueriani & Cosmæ doctrinis adhærescentes, & suas ipsorum ciuitates strenuè propugnantes reperiret, retulit ad Anastasium, hos sine sanguine non posse suis sedibus exturbari. Itaq; tantum in Anastasij animo insedit clementiæ & mansuetudinis, vt per literas Asiatico planè significaret, se velle nullum facinus aggredi, quantumuis magnum & memorabile, si vel gutta sanguinis pro eo fundenda esset. Hic quidem Ecclesiarum totius orbis terræ statu fuit, dum regnaret Anastasius: quem nonnulli, tanquam concilij Chalcedonensis aduersarium existimantes, ex sacris tabulis exemerunt: Hierosolymis autem anathema fuit illi denunciatum.

Anastasius de his factus certior quæ Seuero acciderunt, Cosmam & Seuerianũ suis sedibus expellit.

Clemens Anastasij vox.

De tyrannorum Isaurorum euersione. CAP. XXXV.

Vide Nicet. lib. 16. c. 36.

†pro, duntaxat, lege, Conon. Vide autẽ annot. pag. 155. lat. 1. lin. 29.

NOn fuerit forsan ab eo quod sumus antè polliciti, alienum, si alias quoq; res Anastasij temporibus gestas huic Historię attexamus. Longinus Zenonis frater, cum in patriam, vt antè dixi, venisset, bellum palàm contra Imperatorem parat: & multis copijs vndiq; collectis (quibuscum episcopus † dũtaxat prouincię Apameæ, quę est in Syria, coniunctus fuit) vnà cũ Isauris & ipse quoq; Isaurus ad bellum gerendum proficiscitur. Cui bello finis tãdem imponebatur, partim quòd Isauri, qui vnà cum Longino ad bellum iuerant, penitùs deleti, partim quòd Lõgini & Theodori capita à Ioanne Scytha Constantinopolim missa fuêre: quæ quidem capita Imperator palis alligata, in loco cui Sycæ nomen est, è regione Constãtinopolis in vlteriore maris littore sito suspendit: gratum sanè spectaculum propterea Constantinopolitanis, quòd ipsi à Zenone & Isauris grauibus antè affecti fuissent incõmodis. Alter porrò Longinus, cognomento Selinuntius, qui magnã partem tyrannidis pariter occupauerat, & Indus, vnà à Iohanne cognomine Cyrto, viui capti

Longinus contra Anastasium. Anastasij clemẽtia, cã. 29.

Lõgini et Theodori capita à Iohanne Scytha Constantinopolim missa.

Selemantheus à Cuspin. dicitur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad Anastasium mittuntur. quæ res animos tum Imperatoris, tum Constantinopoli. A tanorum magnopere recreauit: quippe & Longinus & Indus, catenis ferreis collis eorum circumiectis, instar triumphi per plateas ciuitatis, & per circum ducebantur. Atq; ea de causa, quæ iam ante vectigalia Isaurica dicebantur (erant quidem ista summa auri ad quinq; millia librarum, quæ quotannis barbaris pensitari solet) in thesauros Imperatoris importata fuêre.

De Scenetis barbaris, quòd fœdera cum Romanis sanxerunt.

CAPVT XXXVI.

Scenetibarbari arma cõtra Imperium Romanũ ferunt.

BArbari porrò (quos σκηνίτας, id est, in castris & tabernaculis habitantes vocant) arrogantia elati, cõtra Imperium Romanum nõ sine suo damno arma ferunt: Meso- potamiam, vtramq; Phœniciam & Palæstinam depopulantur: qui quidem à ducibus cuiusq; prouincię grauiter & acerbè afflictati, in posterum fœdere cum Romanis omnium suorum nomine pacto, conquieuerunt. Vide Nice. lib. 16. c. 36.

De Abidæ obsidione, & ædificatione Daras.

CAPVT XXXVII.

Persarum in Armeniam irruptio.

PErsæ præterea ruptis fœderibus & proprijs sedibus relictis, Cabade ipsorũ rege duce, primùm in Armeniam incursionem faciũt: atq; oppido, quod Theodosiopolis vocatur, capto, Amidam, vrbem Mesopotamię satis munitam accedunt, eamq; obsidione capiunt, quam Imperator Romanus non sine multis molestijs ac laboribus recuperauit. Quod si quisquam studio ducitur istas res ad vnguem (vt aiunt) cognoscendi, & omnes peruestigandi accuratè, Eustathium legat, à quo disertè admodum summoq; cum labore & exquisita elegãtia narratæ, literisq; proditæ sunt: qui cum Historiam ad tempus, quod nos iam persequimur, deduxisset, & ad annum duodecimum regni Anastasij finem scribendi fecisset, excessit è vita. Hoc bello confecto, Anastasius locum quendam Mesopotamiæ, qui Daras dicitur, in extremis Imperij Romani finibus situm, & velut terminum, quo altera resp. ab altera distinguitur, ex agro in ciuitatem mutauit: ac primùm muro fortissimo circundedit, deinde varia ædificia, eaq; eximia in illo extruxit, vt ecclesias & alias sacras ædes: vt regales porticus, balnea publica & alia id genus, quib. illustres vrbes magnificè & egregiè adornari solent. Feruntautem nonnulli locum illum ideo Daras appellatum, quòd Darius ibidem ab Alexandro rege Macedonum, Philippi filio, penitùs deuictus fuit. Vide Nicet. lib. 16. cap. 36. 37.

Eustathij historia et mors.

Anastasius vrbem Daras munit & amplificat.

De Muro longo. CAP. XXXVIII.

Lõgus murus.

IDem porrò Imperator opus planè amplissimum, & cum primis memorabile ædificauit (quod longus Murus appellatur) in Thracia in loco commodo situm: quod abest Constantinopoli ad summum ducentis & octoginta stadijs. Mare vtrumque complectitur ad quadraginta & viginti stadia, instar freti cuiusdam: & vrbem fermè insulam pro peninsula efficit: transportatq; eos quibus libitum est nauigare, à Ponto ad Propontidem, & mare Thracium cum summa securitate: barbaros deniq;, qui ex Põto Euxino, & Colchide, & Meotide palude excursiones faciunt, quiq; ex locis vltra Caucasum, & qui ex Europa erumpunt, arcet repellitque. Vide Nice. lib. 16. c. 39.

De Chrysargyro, vt vocant, quod Anastasius diruebat.

CAPVT XXXIX.

Chrysargyrũ ab Anastasio sublatum.

EST præterea res supra modum illustris, & planè diuina ab eodem Imperatore in tributo, quod Chrysargyrum dicitur, tollendo gesta. De qua quidem dicturis, vel lingua Thucydidis, vel alia pleniore disertioreq; opus esset. Ipse tamen dicam, non tam oratione, quàm ipsius rei dignitate fretus. Amplæ & eximiæ reipublicæ Romanorum tributum sceleratum, Deo inuisum, & ne ipsis quidem barbaris, nedum Christianissimo Romanorum Imperio dignum impositum fuit, quod ad tempora Anastasij, qua de causa nõ equidem habeo dicere, neglectum, ipse regificè & cum summa omnium commendatione sustulit. Impositum verò fuit cùm alijs compluribus, qui quæstu victum sibi quæritabant, tum meretricibus, quæ corporis pulchritudinem habebant venalem, & effusè ac libidinosè stupris in abditis & occultis locis ciuitatis, id est, in ganeis se dedebant, tum præterea omnibus, quos scortari non pudebat, qui non naturam modò, verùm etiam ipsam rempublicam dedecore & ignominia affecerunt, vsque adeò vti quæstus inde perceptus, non aliter Vide Nicet. lib. 16. c. 40.

A non aliter atq; lex quædam, eos qui tam turpis flagitij cupiditate flagrarent, velut voce emissa, ad id quidem impelleret: & qui in locis singulis impium illud & nefarium tributum, quod ex eiusmodi sceleribus cogi solet, colligebant, idem ipsum singulis quadriennijs ad summũ & primarium magistratũ deferebant, adeò vt non minima tributorum regni pars censeretur, & in priuatis scrinijs (sic enim nuncupant) reponeretur: & qui rerum eiusmodi censores extiterunt, illud munus non obscurorum & ignobilium esse, vt reliqua officia, quæ in republica geruntur, existimabant: quod cum Anastasius intellexisset, detulissetq; ad senatum, & scelus esse ac facinus inauditum ostẽdisset, decreuit statuitq; vt omnino tolleretur: quinetiam schedas, quæ rationem exactionum complectebantur, igni cremandas tradidit. Porrò autem cùm in animo haberet Deo velut sacrificium in ea nequitia delenda offerre, quò ne cuiquam post eum integrum esset veteres illas turpitudines denuò reuocare, simulat se in mœrore esse, & remeritatis se ipse atque extremæ dementiæ insimulat: nimium, inquiens, se inani glorię tribuisse, & eo pacto reipub. neglexisse vtilitatem, propterea quòd tam amplum tributum tamque antiquitùs inceptum, & tam longo temporis spacio continuatum confirmatumq;, tam imprudenter & inconsultò abrogauerat: neq; prospexerat pericula inde impendentia, vel sumptus ex eo in militiã suppeditatos, quibus resp. tanquam mœnibus defendi solet, vel eos qui ad cultum Dei ab eodem conferuntur. Postremò consilio quod intendebat, intra animi sui cogitationem occultato, denunciat se velle tributum illud in integrum restituere: atq; eam ob causam eos qui tributo colligendo præfuissent, accersit ad se, docetq; facti se pœnituisse, nec habere quid agat, aut quo modo culpam suam præstet, præsertim cum schedæ quæ rationem ac summam exactionis demonstrare poterant, essent igne penitùs absumptæ. Atq; cum illi non simulatione vlla, sed verè & ex animo factũ ideo deplorarẽt, quòd inde iniusta iniquaq; merces ipsis suppetere consueuerat: & similiter cum Anastasio tributum non posse restitui affirmarẽt, hortari atq; adeò orare cœpit, vt omnibus modis peruestigare pergerẽt, si fortè possent ex omnibus tabulis, quæ in singulis locis reseruatæ essent, elicere totius tributi exigendi rationem. Itaq; singulis summam pecuniæ, quam in tabulis colligendis consume-
B rent, misit: imperauitq; vt quæq; scheda, quæ ad huius rei declarationem faceret, quocunque in loco inueniretur, ad ipsum apportaretur: quò accurata consideratione, & valde exquisita hæc res denuò sarciri, & in integrum restitui posset. Postea verò quàm aliquo temporis spacio interiecto reuertissent hi, quibus datum fuisset negocium, Anastasius gestire lætitia & gaudio exultare visus est. Nam lætabatur admodum, quòd ea de quibus tantum laborauerat, reuera iam esset consecutus. Rogat, qua ratione tabulas reperissent, & apud quos, & si quid apud quenquam, quod ad tale institutum faceret, etiamnum reliquum esset? Cum autem illi multos se labores in illis in vnum cogendis collocasse asseuerarent, iurarentque per ipsum Imperatorem nullam iam schedam in tota rep. Romana remanere, quæ tributi rationem posset ostendere: rursus magnum rogum incendi, schedasque apportatas in eo comburi, & cineres aqua oppleri obruiq; iubet: eo quidem animo & consilio, vt tributi illius ratio ita penitùs deleretur, vti nec fauilla nec cinis, nec vllum denique literæ ex schedis iam combustis vestigium appareret. Verùm ne dum Anastasij factum in hoc tributo tollendo tanta laude efferimus, ignorare videamur, quæ de eo veteres suis indulgentes affectibus tradiderint, deinceps ea ponemus in medio, & ex rebus ab illis ipsis commemoratis perspicuè falsa ostendemus.

De ijs quæ Zosimus scripsit de Chrysargyro & Constantino Imperatore.

CAPVT XL.

Zosimi calumniæ aduersus Constantinum Magnum.

Vide Nice. lib. 16. c. 41.

ZOsimus vnus eorum qui nefariæ & execrabili gentilium religioni dediti sunt, iracundia propterea contra Constantinum inflammatus, quòd primus ex Imperatoribus, detestabili gentilium superstitione relicta, religionem Christianam amplexatus est: narrat, tributum, quod Chrysargyrum dicitur, ab eo primùm excogitatum, sancitumq; vt ad quartũ quemq; annum illud idem pensitaretur. Alijs item infinitis maledictis pium & magnificum Constantinum lacerat. Nam ait eum cùm alia nonnulla mala contra homines cuiusq; fortunæ & conditionis inuenisse, tum Crispum filium miserandum in modum occidisse, tum Faustam coniugem in balneum extra modum exardescens concluſam, è medio sustulisse. Et cũ de tam nefandis cædib. à suis sacerdotibus expiari laboraret, minimeq; quod volebat consequeretur (illos enim planè respondisse, eas nõ posse expiari) fortè in Aegyptium qui ex Iberia venerat, incidisse, & persuasum ab eo fidem Christiani homi- *Intelligit sacerdotibus simulachrorum.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

nis, ¦vim habere peccati cuiusque tollendi, ea ex animo amplexatum, quæ Aegyptius i- A
psi tradiderat. Deinde patrio de religione instituto relicto, impietatem, vt iste prædicat, sectari aggressum esse. Quod autem ista omnino falsa sint, mox ostendam: interim ista de Chrysargyro dicta sint.

Inuectiua in Zosimum propter nephariam eius in Constantinum & Christianos maledicentiam. CAPVT XLI.

Calumniarũ depulsio.

IVdæmon scelerate & crudelis ais Constantinum, cum vrbem Romæ parem extruere constitueret, primùm in agro Troadis & Ilij amplam & illustrem ciuitatem condere aggreditur: atq; fundamentis iactis muroque in sublime erecto, vbi Byzantium locum ad eam rem commodiorem repérit, sic sepsit mœnibus, sic vrbem antiquam amplificauit, sic splendore illustrauit ædificiorum, vt Roma, quæ pedetentim multorum annorum spacio creuerat, non multo videretur inferior. Dicis præterea, eum populo Byzantij frumenti congiarium tribuisse: & magnam vim auri his qui Byzantium commigrabant, ad ædes sibi extruendas largitum. Addis quoq; (tuis enim verbis vtar) summam rerum ad Constantium, Constantino iam patre mortuo, mortuis etiam fratribus, redijsse: & Constantiũ, cùm Magnentius, & Bretannio tyrannidem occuparent, Bretannioni pacem suadere aggressum: atq; ambobus exercitibus in vnum coactis orationem habuisse, † milites redegisse in memoriam patris sui in eos liberalitatis & magnificẽtię, quo duce multas hostium copias profligassent, & à quo amplissimis munerib. donati fuissent. Vt primùm verò milites ista audiuerant, Bretannionem veste regali nudarũt, dignitatis gradu spoliatum ad Constantium velut priuatum deducunt: qui certè à Constantio (quem vnà cum patre tantis conuicijs consectaris) nihil pertulit incommodi. Quemadmodum fieri posset, vt qui tam liberalis tamq; magnificus fuisset, idem ipse adeò sordidus & parcus existeret, vti tale & tam nefandũ tributum suis imponeret, equidem penitùs ignoro. Quòd autẽ neq; Faustam neq; Crispum interemerit, neq; ab vllo Aegyptio propterea mysterijs nostræ religionis initiatus sit, audi quæso, quid Eusebius cognomine Pãphilus de his rebus scribat, qui eodem tempore cum Constantino & Crispo vixit, & cũ illis multùm versatus est. Tu verò ea quæ ne audiuisti quidem, nedum quæ vera sunt, scribis: qui quidem longo tempore pòst, Arcadio videlicet & Honorio regnantibus, scripsisti, vel post illorum ætatem. Eusebius autem in octauo libro historiæ Ecclesiasticæ scribit hæc hisce ferè verbis: B

Vide Nicephor. lib. 16. cap. 41. 42.

† *Vide annot. pag. 156. lat. 2. lin. 26.*

Constantinus Chrysargyri vectigal non instituit

Constantinus suos non interfecit.

Eusebium cũ Constantio & Crispo eodem tẽpore vixisse.

Lib. 8. cap. 26.

Non longo temporis interuallo interiecto, Imperator Constantius, qui & vniuersam vitam placidissimè instituerat, & erga subiectos suos beneuolentissimè animatus erat, & erga Dei verbum amicissimè affectus, filium suum ingenuum Constantinum, Imperatorem & augustum pro se relinquens, communi lege naturæ finem viuendi fecit. Et paulo infrà: Huius filius Constantinus, statim vt Imperij gubernacula suscepérat, Imperator summus & Augustus cùm ab exercitibus, tum multo antè ab ipso summo omnium imperatore Deo declaratus, se paternæ pietatis erga nostræ religionis disciplinam æmulum & imitatorem præstitit. Quinetiam sub finem totius historiæ his verbis vtitur: Constantinus, Max. Victor, omni pietatis genere ornatus, vnà cum filio Crispo Imperatore Deo charissimo, & patris rebus in omnibus simili, Orientem in suam redegit potestatem. Non tantum profectò laudis Eusebius, cui post Constantinum vita suppetebat, Crispo tribuisset, si à patre fuisset interfectus. Theodoritus porrò scribit, Constantinum in ipso extremo ætatis tempore Nicomediæ baptismi lauacro tinctum, illudq; ad id temporis propterea distulisse, quòd magnopere cupiebat in Iordane fluuio esse baptizatus. At tu, ô nefarie & scelestissime Zosime, ais, ex eo tempore, quo religio Christiana cœpta est diuulgari, statũ Imperij Romani dilapsum esse, & penitùs labefactatũ: quod quidem factum est abs te, vel quòd veterũ scripta minimè euolueris, vel quod erga veritatem malè animo affectus sis. Nam contrarium planè ostenditur, nimirum statum Imperij Romani vnà cum fide nostra creuisse. Considera igitur quæso, quomodo circiter Christi Dei nostri incarnationem complures ex Macedonibus à Romanis subacti fuerint: Albania item, Iberia, Colchi & Arabes Romanorum ditioni subiugati: Galli præterea, Germani & Britanni post centesimam vigesimam tertiam Olympiadem à Caio Cæsare magnis & grauibus prælijs deuicti, & quingentæ ciuitates quas incolebant, Imperio Romano, vti ab Historicis proditum est, adiunctæ. Hic Caius primus post Consules solus Imperio potitus est, viamq; ad monarchiæ decus muniuit, & pro statu reipublicæ populari & multitudinis arbitrio gubernato, illud Imperij genus introduxit. Quod quidem diuinitùs factum est propterea quòd Christi monarchia breui

Constantinus in extremo ætatis tempore baptizatus.

Imperium Romanum Christiana religione auctum nõ imminutum vi male & impie ait Zosimus.

Gentes à Romanis deuictæ post Christum natum Imperium inclytum.

A chia breui esset secutura. Iudæa quoque tota & regiones ei finitimæ Imperio Romano adiectæ, adeò vt tum primus census, in quo Christus vnà censeretur, factus sit: adeò vt ipsa Bethleẽ prophetiæ de se olim editæ expletionẽ perspicuè ante omnium oculos statueret. Sic enim de ea à Michæa propheta dictũ est: Et tu Bethleẽ terra Iuda, nequaquã minima es in principibus Iuda: ex te enim exibit dux, qui reget populum meum Israel. Post natum Christũ Deum nostrum Aegyptus Romano imperio addita fuit, Augusto Cæsare (cuius temporibus Christus natus fuit) regnante, qui Antoniũ & Cleopatrã omnino profligauit: hiq; pòst sibi ipsi necem cõsciuêre. Quibus extinctis Cornelius Gallus ab Augusto Cæsare præses Aegypti cõstitutus est, & post Ptolemæorũ occasum, vti tradunt Historici, Aegypto præficitur. Quæ aũt regiones Persis à Ventidio & Curbulone duce Neronis, à Seuero etiã, Traiano, Caro, Cassio & Odænatho ex Palmyra, ab Apollonio & alijs denique ereptæ, quoties præterea Seleucia & Ctesiphon captæ, quoties Nisibis nunc ad Romanos, nunc ad Persas translata, & quo pacto Armenia, aliæq; gentes finitimæ Romanorum imperio accesserint, tu non aliter atque alij literis prodidisti. At me propemodum præterijssent illa, quæ scribis à Constantino (qui certè nostræ religionis subsidio adiutus, valdè strenuè & viriliter imperio Romano præfuit) confecta esse: quinetiam quæ acciderint Iuliano, tuis impijs mysterijs initiato, & quæ tum vulnera Reip. reliquerit. Vtrum aũt quicquam eorum quæ Prophetæ cecinerunt vel de mundi fine, vel vtrum principium habuerit, vel exitum sit habiturus, altioris mysterij est, quã vt in tuam intelligentiam cadat. Itaque expendamus, si placet, quemadmodum Imperatores, qui gentiliũ superstitionem propugnabant, & qua ratione etiã qui Christianæ religionis studio ducebantur, imperandi finem fecerint. Annon C. Iulius Cæsar, qui primus imperio solus potiebatur, per dolũ occisus, cessit è vita? Annon deinde quidam milites Caium, nepotẽ Tiberij, gladijs trucidarunt? Annon Nero à quodam necessario & familiari interemptus fuit? Annon Galba eundẽ exitum habuit, Otho & Vitellius, qũi tres sedecim dunta xat menses regnarunt? Quid Titum Imperatorem commemorem, quem Domitianus, quamuis esset frater illius, veneno sustulit? Rursus, annon Domitianus miserè à Stephano necatus, ex hac luce migrauit? Quid ais de Cõmodo, annon Narcissus illi vitam ademit? Quid Pertinax, quid Iulianus, annon eodem mortis genere occubuerunt? Quid Antonius filius Seueri, annon Getæ fratri manus violentas attulit, ipsiq; non dissimilis mors à Martiali illata fuit? Quid dicam de Macrino, annon circiter Byzantium instar captiui à suis militibus crudeliter cæsus? Quid Aurelius Antoninus ex Emessa, annon vnà cum matre interemptus? Quid post illum Alexãder, annon vnà cum matre eandem peregit fabulam? Quid loquar de Maximino, qui à suo ipsius exercitu mactatus fuit? Aut de Gordiano, qui Philippi insidijs & dolo, à suis itidẽ militibus confectus, extremum suum diem obijt? Dicito tu, quæso, Zosime, quid Philippo, & post illum Decio obtigerit: annon ab hostibus perempti? Adde his Gallũ, & Volusianum, annon à suis ipsorum copijs è vita extrusi? Quid A Emilianus, annon in eandem cladem incidit? Quid Valerianus, annon in bello captus à Persis, & ab eisdem in triumpho circumductus? Quid? annon Galieno per dolum occiso, & Carino obtruncato, rerum summa ad Diocletianum redijt: quos Diocletianus, ne simul cum ipso regnarent, è medio sustulit. Post quos Herculius Maximianus, & Maxẽtius huius filius, & Licinius etiam cum summa turpitudine & ignominia perierunt. At verò ex eo tempore, quo illustrissimus Constantinus imperare cœpit, & vrbem extructam, suoque ipsius nuncupatam nomine, Deo dedicauit, circunspice iuxta mecum, quæso, num quispiam in ea vrbe Imperator, Iuliano eiusdem tecum religionis ritibus initiato, tuoq; Imperatore excepto, vel à suis, vel ab aduersarijs interijt, vel omnino tyrannus quisquam Imperatorem debellauit, præter Basiliscum solum: qui quanquam Zenonem expulit imperio, ab eodem tamen profligatus, vitam edidit? Quod autem ad Valentem attinet, qui Christianos tot affecit incommodis, facilè tibi dicenti assentior: de alio enim nulla abs te facta est mentio. Ista quidem nemo puret ab historia Ecclesiastica aliena esse, sed càm ad legendum perutilia, tum instituto propterea consentanea, quòd gentiles historici propter maleuolentiam rerum gestarum veritatem deprauare contenderint. Verùm iam ad reliquas res ab Anastasio gestas pergamus.

Michæa. 5. Matth. 2.

Comparatio Christianorum principum & Ethnicorum quoad cuiusq; vitæ finem.

Vid. vlt. cap. Suetonij de vita Tiberij.

Imperatorum idololatrarũ cruentus ac tragicus exitus.

Vid Cuſ. in vita Cari.

Piorum & Christianorũ Imp. eximus tranquilliores.

De Chrysotelia, hoc est, auri tributo. CAPVT XLII.

Vide Nicephor. lib. 16 cap. 44.

QVemadmodum ea quæ suprà commemorauimus, ab Anastasio egregiè, & vt Imperatoris postulat maiestas, facta sunt: sic alia ab eo gesta, quæ istorum dignitatem non parum videntur obscurare. Nam & tributum, quod Chrysoteliam, id est, aureum tributũ vocant, excogitauit, & stipendia militaria vnà cum exactionibus non sine gra-

Chrysoteliæ ab Anastasio excogitatæ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

uissimo Reip. detrimento diuēdidit. Sustulit aūt cōsuetam vectigalium exactionē è curijs, & eos qui vindices appellātur, in singulis ciuitatibus cōstituit, impulsione, vti ferūt, Marini Syri, qui summum magistratum, quem præfectum aulæ nuncupant, administrauit. Vnde factum est, vt magna pars vectigaliū perierit, & ciuitatum decus labefactatū conciderit. Nam ante illud tempus patriciorum nomina in albo cuiusque ciuitatis inscribebantur: quippe vnaquæque ciuitas eos qui in curias erant relati, pro senatu quodam habuit numerauitque. A

Vindices.

De Vitaliani tyrannide. CAPVT XLIII.

Vitaliani tyrannis anno 515.

COntra Anastasium porrò Vitalianus, genere Thrax, tyrannidem occupare studuit. Hic Thracia & Media ad Odyssum & Anchialum vsq; vastata, † Constantinopolim cum multitudine ex gentibus, † quæ incertis sedibus vagari, & habitare sub dio consueuerant, collecta proficisci maturat: cui obuiam iturum Hypatium misit Imperator. At posteaquā Hypatius proditus à suis viuus captus fuit, ingentiq; pecuniæ summa redemptus, Cyrillus belli expeditionem capessit: ac primùm prælio ancipiti pugnatur, deinde non pauci vertuntur in fugam: deinceps cū Cyrillus tum hostes persequendo, tum suos reducendo, superiores partes haberet, Vitalianus in Cyrillum conuersus, eum militibus præ maleuolentia cedentibus, in Odysso capit. Postremò ad Sycas vsque excursus facit, omnia ferro & igni vastat: nihil aliud cogitatione complectens, quàm Constantinopolim excidere, & potiri imperio. Castris igitur in Sycis locatis, Marinus Syrus, de quo antè mentionem fecimus, cum classe ab Imperatore mittitur, contra eum depugnaturus. Itaque exercitus vterque propius inter se accedit, atque puppes nauium alterius Sycas, alterius Constantinopolim versus spectabant. Ac primùm se aliquantisper à pugna continent: deinde fit nauibus excursio, & tanquam prolusione quadam & vmbratili pugna dimicatur: postea graui nauali prælio circiter Bytharia commisso, Vitalianus puppibus nauiū cōuersis, & multis copijs amissis, animo attonito fractoq́ue se fugæ mandat. Fugiunt quoque eius milites, quantum possunt, adeò vt postridie eius dici ne vnus quidem ex hostium numero vel in traiectu, vel circiter ipsam vrbem reperiretur. Vitalianū autem in Anchialo aliquandiu commoratum, acquieuisse ferunt. Porrò aliud genus barbarorum, qui itidem sub dio habitare solebant, transmisso mari, in Pylas vrbem Cappadociæ irruptionem facit. Iisdem temporibus Rhodus ingenti terræmotu iam tertiò intempesta nocte miserè concussa, & propè labefactata fuit. B

Vide Nicephor. li. 16. cap. 38.

† Hunnicis.

Vide annot. nostras Græcas.

Hypatius Anastasij dux viuus capt⁹.

Cyrillus Anastasij dux viuus captus.

Vitalianus fugæ se mandat.

Hunnorum in Cappadociam irruptio

Terræmotus Rhodum concutit.

Aliud genus Hunnorū à superiori vide eadem an not.

Quòd cùm hymno trisagio particulam hanc, QVI PROPTER NOS CRVCIFIXVS EST, Anastasius adiungere voluisset, turba ac seditio in populo excitabantur: quam rem extimescens cum summissionem simularet, silicò plebis furor compressus est, & de Anastasij ex hac luce migratione. CAPVT XLIIII.

Constantinopolitanæ seditionis causa versiculus vnus hymno additus.

PEr idem tempus Constantinopoli grauissima seditio propterea à populo ciebatur, quòd Imperator ad hymnum trisagium, illud, QVI CRVCIFIXVS EST PROPTER NOS, addere voluit: perinde ac si ea particula adiecta religio Christiana tolleretur. Cuius seditionis ducem & principem fuisse Macedonium & clerum ei subiectum, Seuerus ad Soterichū scribens, memorat: qui quidem Seuerus nondum ad sacerdotij gradum ascenderat, sed vitam in aula Imperatoria degebat, neque vnà alijs suo, vt antè à me dictum est, monasterio iectus erat. Macedonium verò non solùm ob crimina illi falsò intētata, quæ suprà posuimus, verumetiam ob ista iam ei obiecta expulsum arbitror. Et cū populus hac de causa effrenatè ferretur, non solùm nobiles in grauissima deuenêre discrimina, verumetiam multa præclara ædificia incensa fuêre: quinetiam monachum quendam, hominem agrestem & simplicem, populus cùm in ædibus Marini Syri offendisset, primùm obtruncat, inquiens, eius hortationibus particulam illam quā dixi, ad sanctum hymnum adiectā: deinde alligat ad contum, & in sublimi suspendit: tum clamore sublato, insidiatorem Trinitatis cum irrisione vocat. Ac sic creuit seditionis flamma vastantis omnia, & omnes vires perfringentis, vti Imperator necessitate ad commiserationem compulsus, corona deposita ad circum veniret, mitteretq́ue præcones ad populum proclamaturos, ipsum ad se imperio abdicandum paratissimum: ac fieri non posse, vt omnes in eo dignitatis gradu locarentur, cùm minimè multos ad se admittat: sed vnum omnino, qui quidem post se esset Imperium gubernaturus. Quæ cùm populus vidisset, subitò velut nutu quodam diuino captus, mutauit sententiam: rogat Anastasium, vt coronam sibi imponat: A

Vide Nicephor. li. 16. cap. 45.

A imponat: polliceturq́ue se ea lege acquieturum. Anastasius autem posthæc ad breuissimum temporis spacium vitam protrahens, cum viginti septem annos, menses tres & dies totidem Romanum rexisset Imperium, ex hac luce migrauit.

Anastasij obitus anno 520.

FINIS TERTII LIBRI.

EVAGRII SCHOLASTICI ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER QVARTVS.

Liber quartus continet acta sub Iustino primo, & Iustiniano Magno annis quadraginta septem: huc refer vitam Pontif. R. Iohannis 1. Bonifacij 2. Iohan. 2. Agapeti, Syluerij, Vigilij, Pelagij, Iohannis 3. ex authorib quos ad 1. & 2. lib. Euseb. adnotauimus. Adde his rerū Ro. fuē Annalium Constantinop. lib. 15. 16. Paul. Diaconum de gestis Longobardorū, Procopium item & Agathium & Blondum, & Pompon Lætum, Paulum Æmylium, Trithemium Annonium. Iornandem de rebus Geticis, Iohannem Maiorem. Adde his tomos Concil. & Hæres. & D. Gregorij dialogos.

Iustinus Imp. anno Christi 518.

Vide Nicephor. li. 16. cap. 1.

De Imperatore Iustino primo. CAP. I.

POstquam Anastasius ex corporis ergastulo ad præclarius domicilium, vti dixi, demigrauit, Iustinus genere Thrax, nono die mensis Pauemi, qui à Latinis Iulius nominatur, anno autem quingentesimo sexagesimo sexto ex eo tempore, quo vrbs Antiochia primùm illud nomē accepit, purpura vestitur Imperatoria: & à militibus prætorianis, quibus antè, cùm esset præfectus ordinum aulicorum, præfuerat, Imperator declaratur. Qui quidem ad istam Imperatoris dignitatem præter omnem spem propterea ascendit, quòd multi & præstantes viri cum Anastasio cognatione coniuncti, adhuc superfuerunt: qui cum omnibus rebus, quas prosper & beatus vitæ status postulat, abundare videbantur, tum eam consecuti potentiam, quæ homines in tam amplo honoris gradu locare possit.

Iustinus quando purpura Imperatoria vestitus & qua ratione imperium adeptus.

De Amantio eunucho & Theocrito, vtq́; Iustinus illos trucidauerit. CAPVT II.

B PEridem tempus Amantius, vir potens in primis, cubiculo Imperatoris præfuit: qui, quoniam non licebat eunucho imperio Romano potiri, cupiebat Theocrito, homini secum fide & beneuolentia coniuncto, coronam donari Imperatoriam. Itaque Iustino accersito, magnam pecuniæ vim ei dat: quam iubet illis distribui, qui possent purpuram Imperatoriam Theocrito impertiri, & ad id præstandum maximè viderentur idonei. Iustinus autem siue quòd populum largitione suum planè reddidit, siue quòd excubitorum beneuolentiam pecunia sibi conciliauit (vtrumq; enim memoratur) imperio ipse potitus est. Ac statim post Amantium & Theocritum cum alijs nonnullis à medio sustulit.

Amantius Imperatoris cubicularius.

Iustinus alienapecunia sibi, quā alijs imperiū mercari maluit.

Quòd dolo Vitalianum Iustinus interemit. CAP. III.

VItalianum verò vitā in Thracia degentem, qui Anastasium imperio extorbare moliebatur, Iustinus Constantinopolim accersit. Nam & potentiam eius extimuit, & ancipitem fortunam, quæ in bellis cerni solet, & nominis eius celebritatem, quæ in omnium ore fuit, & imperij, qua flagrabat, cupiditatem. Ac cum coniectura prospiceret, idque sanè verissimè, se non alia ratione eum posse vincere, nisi amicitiam erga eum simularet: vultu mirè ad fraudem composito, quæ facilè deprehendi non posset, vnum ex ducum numero, qui Præsentes vocantur, eum designat. Et quò magis persuaderetur Vitaliano, & facilior aditus ad fraudem patêret, ad consulatus quoque honorem effert. Qui Consul factus, cùm in palatio versaretur, in porta quadam post aulam posita, per dolum cæsus occubuit: hasq; pœnas pro sceleribus, quæ tam inconsideratè contra imperium Romanum consciuerat, persoluit. At verò ista gesta fuêre postea.

Iustini vafritie conciliū aduersus Vitalianū.

Vid. cus. in vit. Iustini.

Vitaliani cædes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quomodo etiam exacto Seuero Paulum pro illo induxerit, paulò verò post Euphrasius Antiochenæ sedi præficitur.

CAP. IIII.

SEuerus, qui antistes Antiochiæ, vti suprà commemoratum est, ordinatus fuit, quoniam concilio Chalcedonensi in dies singulos anathema indicere nō destitit, & maximè in literis, quæ ἐνθρονιστικαὶ, id est, quæ de episcopis in sede episcopali collocandis scriptæ sunt, & in alijs quas ad istarum defensionem composuit: quasque, licet ad omnes miserit patriarchas, solus tamen Ioannes Alexandriæ antistes, Ioannis alterius successor, Dioscorus & Timotheus, receperunt (quæ literæ etiam ad nostram ætatem reseruatæ sunt) & quoniam etiam hinc in Ecclesia multæ contentiones ortæ sunt, & populus in varias factiones diuisus: Seuerus, inquam, idcirco mandato Iustini, primo regni sui anno prehensus, pœnas dat, lingua, vt nonnulli prædicant, abscissa: quod negocium datū fuit Irenæo, qui magistratum quendam Antiochiæ in Oriente id temporis administrauit. Confirmat quoque Seuerus ipse, supplicij ei irrogandi negocium Irenæo commissum, in literis quas scribit ad Antiochenos, modumq; fugæ suæ exponit: in quib. quoq; Irenæum grauissimis vexat conuicijs, eumque diligentissimè obseruasse ait, ne Antiochia euolaret. Sunt qui dicunt Vitalianum (ad id enim temporis videbatur maximè & authoritate & gratia apud Iustinum valere) linguam Seueri ideò postulasse, quòd Seuerus in suis concionibus probra & contumelias in eum iecerat. Ex sua verò episcopali sede fugit Gorpiæo mense, quem Latini Septembrem vocant, anno quingentesimo sexagesimo septimo post nomē vrbi Antiochiæ impositum. In cuius sedē succesit Paulus, cui dabatur mandatum, vti concilium Chalcedonense palàm prædicaret. Qui sua sponte decedens Antiochia, certo iam vitæ cursu confecto, commune vniuersæ carnis iter ingreditur. Cuius episcopatus sedem Euphrasius Hierosolymis Antiochiam profectus, capessit.

Literæ ἐνθρονιστικαὶ.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 2.

Seuerus Antiochiæ episcopatu pulsus lingua amputata.

Paulus succedit Seuero, Euphrasius Paulo.

De incendijs & terræmotibus apud Antiochiam, quo tempore Euphrasius ruinarum congestu obrutus interijt.

CAP. V.

EIsdem temporibus, regnante Iustino, grauia crebraque incendia Antiochiæ contigerunt, velut prænuncia terræmotuum maximè horribilium in ea ciuitate statim insecuturorum, & aliarum etiam calamitatum præmia. Nam breui tempore pòst, anno septimo regni eiusdem Iustini, mense decimo, Artemisio videlicet, id est, Maio, quarto Calend. Iunij, die Veneris, in ipsa meridie, conquassatio & terræmotus vrbem occupāt, parumque aberat, quin totam penitùs euertissent: quæ duo sequebatur incendium quasi calamitatem cum illis partiturum. Nam quas res illa non attigissent, incendium eas depascens, prorsus absumpsit, & in cineres redegit. Quæ autem ciuitatis partes hac clade labefactatæ fuerint, & quot mortales incendio & terræmotu, sicut verisimile fuit, vastati, quàm præterea graues casus, quamque miri, qui certè nulla dicendi facultate exprimi possunt, id temporis obtigerint, tam luctuoso orationis genere à Ioanne rhetore explicantur, vt cuiusque animum magnopere commouere possint: qui quidem illis commemoratis finem Historiæ suæ imposuit. Postremò omnium Euphrasius (cuius mors aliam nouam calamitatem attulit ciuitati) eisdem cladibus oppressus, interijt, ne quisquam reliquus fieret, qui vrbi res prouideret necessarias.

Antiochiæ incendia & magni terræmotus.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 3. B

Ioannis rhetoris historia. περιπαθὴς.

Euphrasij episcopi interitus.

De Euphraimio Euphrasij successore. CAPVT VI.

VErùm salutaris Dei erga humanum genus prouidentia, quæ ante plagam inflictam remedia parare, & gladium iræ suæ clementia demulcere, & cùm res in desperationem venerint, suæ misericordiæ quasi fores aperire solet, Euphraimium Orientis præfecturam gerentem, ad curam de vrbe illa suscipiendam, quò nulla res ei deesset necessaria, excitauit. Quem Antiocheni propterea vehementer amplexati, episcopum suū deligunt. Itaque sedes Apostolica, velut merces & præmium tantæ erga ciuitatem prouidentiæ ei donata fuit. Ciuitas illa rursus biennio & sex menses pòst, terræmotibus concussa est. Quo quidem tempore tum Theopolis pro Antiochia nuncupata fuit, tum alijs rebus Imperatoris prouidentia locupletata.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 3.

Euphraimius episcopus Antiochiæ.

Terræmotus alius.

Antiochia Theopolis dicta.

De Zosima & Ioanne, qui miraculis claruerunt. CAP. VII.

CAeterùm quoniam calamitatum, quæ suprà positæ sunt, mentionem fecimus, deinceps alias quasdā res planè memorabiles, quas illi q; easdē videbāt, nobis narrarūt, huic

Vide Nicephor. li. 17. cap. 4.

A huic operi adnectamus. Zosimas quidē, genere Phœnix, ex Sinda pago Phœniciæ maritimæ ortus (qui pagus non abest Tyro viginti stadia) qui monasticum vitæ genus excolens, ita tum abstinentia à cibis, tum eisdem capiendis, tum alijs virtutibus, quæ in eius vita elucebant, Dei gratiam sibi conciliauit, vt non modo res futuras præuideret, verùmetiam ab omni perturbatione liber & vacuus existeret, cum fortè fortuna cum nobili quodam viro patricio, & prudentia eximio, nomine Arcesilao, qui & præclaris honoris insignibus & cæteris vitæ ornamentis egregiè decoratus fuit, Cæsareæ vrbis primariæ Palæstinæ versaretur, ipso temporis articulo, quo Antiochia cecidit, subitò ingemiscere, grauiter lamentari, & suspiria ex intimo pectore ducere cœpit, tantamque vim profudit lachrymarum, vt terram madefaceret: deinde thuribulum postulat, & toto choro, in quo simul constiterunt, thuris incensi nidore perfuso, se prosternit humi, precibus & orationibus Deum placaturus. Tum Arcesilao sciscitanti, quid esset, quod eum tantopere conturbaret? liquidò respondit, fragorem ruentis Antiochiæ iam tum eius auribus circumsonuisse: adeò, vt Arcesilaus, & alij qui fortè aderant, præ admiratione obstupescentes, ipsam horam qua res gerebatur, literis mandarent, reperirentque postea ita se habuisse, vti Zosimas declarauerat. Sunt & alia complura ab eo edita miracula, quarum maximam partem silentio præteriens (quippe vix aut ne vix quidem numerari possunt) quædam hoc loco percensebo. Eodem tempore, quo Zosimas in magna nominis celebritate, & pari cum Zosima virtutum excellentia præditus vixit Ioannes, in Chuzica laura, (qui locus positus est in extrema valle ad Aquilonarem partem viæ regiæ, quæ Hierosolymis rectà ducit ad vrbem Iericho) vitamq; monasticam eamq; à rebus terrenis quasi penitùs secretam & liberam degit, & vrbis Cæsareæ, quam diximus, episcopatum procurauit. Hic Ioannes Chuzibites, postquam vxori Arcesilai, de quo suprà locutus sum, alterum oculum radio effossum audiuit, propere ad illam contendit, plagam, quam acceperat, conspicaturus. Vbi autem vidit pupillam penitùs excidisse, & oculum sede dilapsum, cuidam ex medicis, qui eò commearant, mandat vt spongiam afferat, oculumq; dilapsum in sedem, quàm commodè posset, inducat, & spongiam appositam fasciolis alliget. Arcesilaus verò aberat: siquidem id temporis fuit cum Zosima in eius monasterio, quod est locatum in oppido Sindena, quod Cæsarea abest, B id summum quingenta stadia. Cum maxima igitur celeritate itur ad Arcesilaum, vt de his rebus certior fieret. Arcesilaus fortè cum Zosima considens, sermonem cum eo contulit. Quibus rebus nunciatis, flebiliter eiulare, vellere capillum, dilacerare, & eundem cœlum versus iacere cœpit. Zosimæ verò causam roganti, Arcesilaus, quid acciderat, lamentis & lachrymis crebris interpositis, exponit. Itaque Zosimas illo relicto, solus ad cubiculum properè accurrit, in quo Deum, sicut fas est id genus hominib. familiariter cōpellat. Paulò post egressus ad Arcesilaū, gestiēs, & modestè ridens dixit: Abito domū lætus, abito: gratia Chuzibitæ tributa est, vxor tua sanata, vtrumq; oculū habet integrum: nam calamitas ista nihil ei potuit adimere, quandoquidem ita Chuzibitæ placuit. Quæ duo miracula ab vtrisque illis iustis viris vno eodemque momento edita fuêre. Porrò isti Zosimæ iter quodam tempore Cæsaream facienti, secumque asinum, cui res quasdam sibi necessarias imposuerat, ducenti occurrit leo, & asino Zosimæ abrepto, discedit. Zosimas per syluam vsque eo insequitur, quoad leo, voratis asini carnibus, satur esset. In quem hilari vultu & subridenti intuitus, dixit: At verò, ô amice, iter iam mihi penitùs interruptum est: quippe cum annis plurimis onustus sim, & ætate admodum prouectus, nec valeam ea, quæ asino erant imposita, humeris portare. Quare tu hoc onus contra naturæ tuæ consuetudinem gestes, necesse est, si modò Zosimam ex hoc loco discedere volueris: postea autem ad pristinam feritatem naturamq; propriam redibis. Tū Leo, furoris prorsus oblitus, subblādiri, & placidus extemplò ad Zosimam accurrere, & ipso corporis habitu obsequij significationem dare cœpit. Cui Zosimas onus, quod asinus gestauerat, imponit, eumque ad portas vsque Cæsareæ deduxit, quòd declararet tū virtutē & potentiam Dei, tum quòd omnia tam diu honestinibus inseruiant obtemperentque, quandiu secundum eius voluntatem vitam instituimus, & gratiam nobis donatam neutiquam deprauamus. Verùm ne pluribus commemorandis sim longior, reuertar eo, vnde deflexit oratio.

Zosimæ ortus

Zosimas monachus cladē Antiochiæ absens spiritu percepit.

Ioannes Chuzibites monachus Zosimæ coætaneus eodem miraculo clarus.

Sindenæ à Cæsarea distantia.

Zosimæ Leo obtemperat.

De calamitatibus, quæ passim occurrebant.

CAPVT VIII.

Vide Nicephor. lib. 17. ca. 3.

IVstino adhuc Imperium administrante, oppidum, quod iam Dyrrachium, olim Epidamnus appellatū fuit, terræmotu grauiter cōcussum est. Similiter & Corinthus, quæ

Dyrrachium terræmotu grauiter cōcutitur vi & Anazarbus.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ est in Græcia sita. Adde his Anazarbum, vrbem minoris Ciliciæ primariam, quæ A iam quartò illud cladis genus pertulerat. Quas vrbes Iustinus magna pecuniæ summa suppeditata, refecit. Eisdem temporibus Edessa vrbs Osroenorum amplissima, & beata imprimis, vndis Scirti torrentis præterlabentis sic obruebatur, vt multa ædificia aquæ impetu abriperentur, & infinita hominum multitudo, quos flumen secum auexerat, interiret. Edessa igitur & Anazarbus ab ipso Iustino noua nomina accepêre, & vtraq; vrbs Iustinopolis appellata est.

Iustinopoles duæ.

Quòd Iustinus adhuc viuens, Iustinianum, qui simul cum ipso regnaret, asciuit.

CAPVT IX.

Iustinus Iustinianum in societatem imperij gerendi ad. scisc. anno Christi 527. Iustinianus quando Imp. declaratus.

CVm Iustinus octo annos, menses nouem & dies tres regnasset, Iustinianum sororis filium sibi in societatẽ Imperij gerendi ascisc. Qui Imperator declaratus fuit primo die mensis Xanthici, id est, Kalend. Aprilis, anno quingentesimo, septuagesimo quinto post nomen Antiochiæ impositum. His ita constitutis, Iustinus supremum vitę diem obiens, ex isto migrauit Imperio, primo die mensis Loij, id est Kalendis Augusti, qui vnà cum Iustiniano menses regnauit quatuor. Totum autem regni sui tempus nouem annos integros, & tres dies complexum est. Cum autem Iustinianus iam solus totius Imperij gubernacula teneret, & Chalcedonense concilium passim per omnes sanctissimas Ecclesias mandato Iustini, sicut ante à me demonstratum est, prędicaretur, adhuc status Ecclesiæ cum in alijs quibusdam prouincijs conturbatus fuit, tum maximè Constantinopoli & Alexandriæ: quandoquidem episcopatum Constantinopolitanũ administrauit Anthimus, Alexandrinum autem Theodosius, qui vterque vnam in Christo naturam inesse asseuerauit.

Vide Nice. lib. 17. c. 7.

Anthimus Cõstinop. Theodosius Alexandrinus.

Quòd Iustinianus eos, qui Chalcedonense concilium approbabant, charos habuit: sed Theodora coniunx ipsius contrafouit illos, qui concilio renitebantur.

CAP. X.

Theodora Iustiniani coniunx diuersã sectam fouet à marito.

QVemadmodum Iustinianus episcopis, qui Chalcedoni in vnum conuenerant, & decretis ab illis editis valdè constanter adhæsit: sic Theodora eius coniunx, illos qui vnam in Christo naturam inesse asserebant, admodum amplexata est. Siue igitur ita reuera sentiebant (quando enim de fide proposita est controuersia, & parentes à liberis, & liberi à parentibus, & vxor à suo marito, & maritus rursus ab vxore dissentit) siue ita, dedita opera inter eos conuenerat, vt ille eorum, qui duas naturas in Christo Deo nostro post diuinitatis & humanitatis copulationem inesse: hæc eorum, qui vnam asserunt, patrocinium susciperet, (nam neuter alteri cedebat) ille certè decreta concilij Chalcedonensis valdè studiose tuebatur, hæc illis, qui contrariam partem, vnam nimirum inesse in Christo naturam, tenebant, omnibus modis prospexit: & eius opinionis homines, si nostrates essent, benevolè & amicè complexa est: sin exteri, præmijs benignè remunerata: quæ etiam persuasit Iustiniano, vti Seuerum accerseret.

Vide Nice. lib. 17. c. 7.

B

Quòd Anthimum Constantinopolitanum episcopum Seuerus peruertit, & item Theodosium episcopum Alexandrinum, quos expellens Imperator alios constituit.

CAP. XI.

Seueri ad Iustinianum epistolæ, qui Anthimum Constantinopolitanum & Theodosium Alexãdrinum in suã opinionem traxit.

EXtant quidem adhuc epistolæ Seueri ad Iustinianum & Theodorum scriptæ: ex quibus intelligi potest, eum in initio, postquam sedem episcopatus Antiocheni deseruerat, iter suum Cõstantinopolim versus detulisse: postea tamen eò se contulisse, scripsisseque, se, cùm esset Constantinopoli, & cũ Anthimo collocutus esset, comperisseq; eum eandem secum tenere opinionem, idemque de Deo sentire, persuasisse, vt sedem episcopalem relinqueret. Scripsit præterea ijsdem de rebus ad Theodosium episcopum Alexãdrinum literas: in quibus magnoperè gloriatur se Anthimo, vti dictum est, persuasisse, vt eiusmodi dogmata gloriæ terrenæ & sedi episcopali longè præponeret. Extant porrò Anthimi ad Theodosium de eisdem rebus epistolæ, & Theodosij rursus ad Seuerum & Anthimum: quas, ne in librum, qui in manibus est, nimis multas res includere videar, præterire animus est, easq; relinquere his, qui earum euoluendarum cupiditate incenduntur. Ambo isti episcopi, postquam Imperatoris mandatis se opponere, & concilij Chalcedonensis decreta repudiare cœperunt, suis eiecti sunt sedibus, & in sede Alexandrina Zoilus, Epiphanius autem in Constantinopolitana locatus: quò de cætero conciliũ Chalcedonense in

Vide Nice. lib. 17. c. 7. 9

A in omnibus ecclesijs palam prædicaretur, nemoq; illud anathemati auderet addicere: & qui aliter sentirent, hi omnibus modis inducerentur ad ei consentiendum. Nam Iustinianus conscripsit edictum, in quo Seuero & alijs eiusdem sectę anathema denunciauit: eosque qui illorum tuebantur dogmata, grauissimis mulctauit supplicijs: ad eum planè finem, vti ex eo tempore in omnibus totius orbis terrarum Ecclesijs nihil omninò resideret discordiæ, sed patriarchæ cuiusque diœceseos consensu inter ipsos conspirarent, & episcopi singularum ciuitatum suis obsequerentur archiepiscopis, & quatuor concilia in Ecclesijs prædicarentur, Nicænum primum, Constantinopolitanum, Ephesinum primum, & Chalcedonense. Cogebatur etiam quintum concilium mandato Iustiniani: de quo quæ fuerint consentanea, dicam equidem suo loco. Interea res sigillatim ijsdem temporibus gestæ, quæ ad commemorandum præclaræ videantur, huic nostræ Historiæ attexendæ sunt.

Ijdem Imp. iussæ pellunt. Epiphanio & Zoilo in eorũ locũ suffectis.

Iustiniani decreta pro eccl. pace.

De Cabada Persarum Rege, & Chosroe eius filio, ex historia Procopij Cæsariensis.

CAPVT XII.

Vide Nice. lib. 17. c. 10.

PRocopius rhetor, à quo res gestæ Belissarij literis proditæ sunt, scribit Cabaden regem Persarum animo instituisse Chosroę filio suo natu minimo regnum tradere, iniuisseq; consilium, quo pacto ab Imperatore Romano adoptaretur, ad eum planè finem, vti regnum ei eo pacto in tuto collocaretur. Verùm cum id nullo modo assequi potuerit, Procli impulsu, qui assiduus cum Iustiniano fuit, eiusque quæstor constitutus, maiores inimicitiæ inter eos & Romanos susceptæ sunt. Porrò aũt idẽ Procopius res à Romanis & Persis, dum inter ipsos prælijs decertabant, gestas, Belisario tum Orientalium copiarum duce, accuratissimè disertissimeq; narrat. Ac primùm victoriam Romanorum apud Daras & Nisibin partam commemorat: quo quidem tempore Belissarius & Hermogenes copijs Romanis præfuerunt. Quibus adiungit res in Armenia gestas, & mala illa, quæ Alamundarus dux Barbarorum, qui Scenitæ vocantur, in finibus Romanorum patrauit: qui Timostratum fratrem Russini vnà cum militibus suis viuum cepit, ac posteà magna pecuniæ summa accepta eos dimisit liberos.

A Procopio Ø tertio proditæ res.

Iustiniani.

Belizarij.

Hermogenis.

B *De Alamundaro & Azeretho, & populi apud Byzantium coorta seditione, cui nomen à symbolo, quod populo dabatur, impositum erat, Nica, hoc est vince.*

CAPVT XIII.

Vide Nice. lib. 17. c. 10.

INcursionem porrò in fines Romanorum ab Alamundaro, de quo dixi, & Azeretho factam, & quo modo cum his in patriam reuertentibus Belissarius coactus ab exercitu suo, in littore Euphratis, ipso die festo Paschatis appropinquante, manus conseruerit, & qua ratione exercitus Romanus propterea, quòd consilio Belissarij obtemperare noluit, penitùs profligatus sit, & quo pacto Ruffinus & Hermogenes pacem perpetuam (sic enim vocarunt) cum Persis constituerint, tam disertè narrat, vt animos legentium valdè commoueat. Quibus adijcit seditionem popularium Constantinopoli conflatam, quæ nomen ex tessera populi accepit: quippe Nica, id est, vince, fuit propterea appellata, quòd populus inter se congressus, hanc tesseram, Nica, sibi præscripsit, quò alter ab altero internosceretur. In qua quidem seditione Hypatius & Pompeius à plebe ad tyrannidem occupandam cõpulsi, plebe deuicta mandato Iustiniani capite mulctati fuerunt, & in mare proiecti. In qua dimicatione triginta hominum millia cecidisse memorat Procopius.

Alamundarũ & Azerethũ in Romanorũ fines incursio anno 530.

Pax cũ Persis. Seditio Constantinop. anno 532. in qua tessera fuit, Nica, id est, Vince.

De Vandalorum rege Onorycho, & Christianis quorum linguæ ab illo euulsæ fuerunt.

CAPVT XIIII.

Vide Nice. lib. 17. c. 11.

AB eodem authore historiam Vandalorum literis mandante, narrãtur res præclarissimæ & planè dignę, quæ memoriæ sempiternæ commendentur, de quibus iam dicturus venio. Onorichus, qui post Genzerichum in Imperium successit, & hæresi Arianæ addictus fuit, aduersus Christianos, qui Libyam incolebant, maximam exercuit crudelitatem. Nam eos, qui rectam & sanam tuebantur doctrinam, vi coëgit ad opinionem Arianam se transferre: & eos, qui neutiquam eius voluntati cedebant, ignis incendio & alijs infinitis mortis generibus è medio sustulit: quibusdam verò excidit linguas. Quos quidem Constantinopoli, cum eò profugissent, se oculis aspexisse docet Procopius, & perinde locutos, atq; eos quibus nihil tale accidisset: ac tametsi linguæ essent radicitus excisæ, voces articulatim protulisse, & clarè distincteque locutos esse. Quod quidem miraculi genus fuit, nouum certè & penè incredibile. De quibus in

Onorichus Gẽserichi successor, arianus, sæuit in catholicos variis supplicijs.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Miraculũ eorum, qui illingues locuti sunt.

in edicto Iustiniani fit mentio: quorum duo, vti idem scribit Procopius, lapsi sunt. Nã A vt primùm voluerunt cum mulieribus colloqui, vox illis adempta fuit, nec donum martyrij amplius cum illis permansit.

De Cabaone Maurusiorum duce. CAPVT XV.

Vide Nicephor. lib. 17. c. 11.

Cabaon Maurusiorum dux pijs in christianos factis Vãdalos vincere meruit.

ALiud prætereà miraculum commemorat dignum planè admiratione, quod in hominibus (qui licet id temporis religione à nobis dissentirent, piè tamen se in vita gesserunt) Dei seruatoris virtute factum est. Cabaonẽ narrat Maurusijs circiter Tripolim accolentibus præfuisse. Iste Cabaones (Procopij enim verbis præclarè admodum de his rebus differentis vtar) simul atque accepit, Vandalos contra se arma tulisse, ista egit. Primùm edicit omnibus, qui eius ditioni parebant, vti tum ab omni iniusticia, tum à cibarijs, quæ ad luxum facerent, tum maximè omnium à mulierum consuetudine se abstinerent. Deinde duo valla constructit, in quorũ altero ipse vnà cum viris omnibus castra locauit: in alterum mulieres conclusit, minatusq; est, si quis fortè ad vallum mulierũ iret, eum morte mulctatum fore. Posteà missis Carthaginem speculatoribus, imperat ista, vt simul atq; Vandali in expeditione constituti, templum aliquod à Christianis cultu & veneratione dignatum, turpiter violare aggrederentur, ipsi quæ facta essent, diligenter considerarent: & cum Vandali ex eo loco discederent, ipsi templum, à quo Vandali abijssent, contrà quàm fecissent Vandali, purgare cohonestareq; conarentur: eumque dixisse fertur, se Deum, quem colebant Christiani, ignorare quidem, esse tamen verisimile, si tam potẽs sit, quàm prædicatur, & vlturum eos, qui ipsum afficiunt contumelia: & qui honore & obseruantia prosequuntur, eos defensurum. Speculatores igitur, cum venissent Carthaginem, dedêre operam, vti bellicum Vandalorum apparatum penitùs cognoscerẽt. Ac simul vt Vandali Tripolim versus iter susceperunt, speculatores habitu vili & abiecto induti sequuntur. Vandali autem templa Christianorum, sicut primo die, spoliare aggrediuntur, equos aliaque animalia in ea introducere: nihil denique turpitudinis prætermittunt aut contumeliæ, sed suam ipsorum libidinem ceperunt, & intemperantiam explere, sacerdotes quos prehenderunt, verberibus cedere, lacerare eorum terga, ex illisque complures sibi seruire mandarunt. Vt primùm verò inde decesserẽ, speculatores Cabaonis faciunt, quod illis fuit imperatum. Nam statim aggrediuntur templa perpurgare, simum & si quid aliud per impietatem ingestum fuit, diligenter educere, omnes accendere cereos, prosequi magna reuerentia sacerdotes, & cæteris humanitatis officijs complecti: pauperibus denique, qui circa templa illa considebant, pecuniam erogare. His rebus gestis Vandalos sequi, & ex eo tempore per iter vniuersum, vt Vãdali similia conscisscere scelera, sic speculatotes similibus pietatis officijs perfungi non destiterunt. Vbi propius ad Tripolim ventum est, speculatores anteuertunt: nunciãt Cabaoni, quæ tum Vandali, tum ipsi in Christianorum templa præstitissent, & quod hostes essent in proximo. Quibus auditis, Cabaones parat se ad prælium: in quo magna pars Vandalorum interijt: multi ab hostibus capti, perpauci autem ex eo exercitu domum reuerterunt. Atque hæc quidem plaga à Maurusijs Thrasymundo inflicta fuit: qui postquam viginti septem annos Vandalorum gentem rexisset, abijt è vita.

Vandali Christianorum templa spoliant.

Cabaonis Legati templa Christianorũ à Vandalis prophanata purgant.

Cabaonis Victoria de Vandalis.

De Belissarij contra Vandalos expeditione, & eorum internecione. CAPVT XVI.

Vide Nicephor. lib. 17. c. 12.

Iustinianꝰ Vãdalis bellũ indicit admonitus per visionem.

EST apud eundem scriptorem, Iustinianum misericordia erga Christianos, qui in illis locis miserè affligebantur, adductum, bellũ indixisse Vandalis, sed hortatu Ioannis, qui aulæ præfectus fuit, à proposito destitisse: posteà tamen per visionem, quæ ei apparuit, admonitũ, vt eam expeditionem suscipere non tardaret. Nam iniurias Christianis illatas vlciscendo, † esset Vandalos omninò profligaturus. Hac igitur visione animatus, septimo anno imperij sui, † Belissarium ad bellum Carthagini contra Vandalos gesturum mittere statuit. Nauis igitur prætoria, in qua traijceret Belissarius, circiter æstiuum solstitium ad litus, quod ante palatium est, appellit: Epiphanius, qui tum Episcopus Constantinopolitanus fuit, de more precari, nonnullos ex militibus baptismi lauacro tingere aggreditur, postremò eos ad nauem prætoriam deducit. Commemorantur prætereà ab eodem authore nonnulla de Cypriano martyre, quæ sunt huic nostræ Historiæ valde accommodata, sic enim scribit: Cyprianum, virum sanctissimum Carthaginenses ad vnum omnes

Anno Christi 534.

Procopij testimonium de Cypriano martyre eius templo à Vandalis tradito Arianis.

Cypriani dies festus Carthagine-sium.

A mnes in primis colunt, cui templum planè memorabile extra vrbem ad littus maris extruxerunt: eumque cum alijs pietatis officijs venerantur, tum festum diem, quem Cypriana vocant, quotannis celebrant. Atq; nautæ tempestatem quæ solet incidere eo i-

Vide Basilũ in Hexaemerum.

„ pso tempore quo Libyes hoc festũ celebrandum statuebant, huius nomine cuius men-
„ tionem nuper feci, nuncupare solent. Istud templũ Vandali, regnante Onoricho, Chri-
„ stianis vi abstulerũt: indeq; sacerdotibus ignominia expulsis, de reliquo Arianis, vtpote
„ ad eorum ius pertinens, reddiderunt. Ex quibus rebus cũ Libyes magnam ægritudinem
„ & angorem animis caperent, fertur Cyprianum illis secundum quietem sæpe apparuis-
„ se: dixisseq;, Christianos nõ debere ob eam causam in mœrore & solicitudine esse. Se e-
„ nim post aliquod temporis spacium eam iniuriam vindicaturum: quæ prædictio tem-
„ poribus Belisarij expleta fuit. nam idem Cyprianus martyr prædixerat, Carthaginem
„ post nonagesimum quintum annum quo à Vandalis capta & excisa fuit, in potestatem
„ Belissarij ducis exercitus Romani venturam, & Vandalos omnino expugnatos fore, &
opinionem Arianam ex finibus Libyæ prorsus relegatum iri, & Christianos sua templa recuperaturos.

Belizarij de Vandalis victoria Arianorumq; ex Asia expulsio à D. Cypriano præsignificata.

De manubijs quæ ab Aphrica venerunt. CAP. XVII.

Vide Nicephor. lib. 17. cap. 12.

Gelimer Vandalorum dux à Belizario in triumphum ductus.

AB eodem porrò authore literis proditum est, Belissarium, postquam Constantinopolim profligatis Vandalis reuertit, spolia & captiuos circum vrbẽ duxisse, ipsumque Gelimerem Vandalorum ducem, triumpho ei decreto, per circum vndique vexisse, quæ omnia admiratione planè digna fuêre. Inter quæ spolia monumenta erant admodum preciosa, Genzerichi nimirum: qui quidem palatium Romanum id tempo-

lib. 2. cap. 7.

ris, sicut antè narraui, diripuerat, cũ Eudoxia coniunx Valentiniani Imperatoris Romanorum versus Occidentem habitantium, Maximini opera & virum amisit, & ob castimoniam contumelijs affecta, Genzerichum accersiuit, cui pollicita est se vrbem prodituram. Eo tempore igitur Genzerichus, Roma incensa, Eudoxiam vnà cum filiabus in Vandalorum regionem abduxit. Eodem tempore etiam vnà cum alijs monimentis, eripuit ea quæ Titus filius Vespasiani, Hierosolymis subactis, Romam deportauerat: id est, monimenta, quæ Salomon Deo quem eximiè colebat, consecrauisset. Quæ Iustinus ad honorem Christi, Dei nostri, illustrandum remisit Hierosolymam: in qua re certè pietatis in Deum, cui antè illa dedicata fuissent, sedulò, vti par erat, officio perfunctus est. Eodem quoque tempore, memorat idem Procopius, Gelimerem humi proiectum in circo coram Iustiniani Imperatoris sella, in qua sedebat, res quæ ibi gerebãtur, spectaturus, suo & patrio sermone illud diuinum Salomonis prouerbium, Vanitas vanitatum & omnia vanitas, recitasse.

Vide Iosephum de capt. Iud. lib. 7. ca. 17. qualia hæc spolia fuerint.

Spolia Hierosolymis Romã, Roma Carthagin. data, inde rursus Romã, Roma Hierosolymas reuecta.

Eccles. 1.

De Phœnicibus qui à Iosue filio Naue fugerunt, & Theodorico Gotho, & ijs quæ illo regnante Romæ vsq; ad Iustiniani tempora contigerunt: & quòd Roma in potestatem Romanorum Vitige abea discedente denuò redacta est.

CAPVT XVIII.

Vide Nicephor. li. 17 cap. 12. 13. † Vide annotat. pag. 162. lat. 2. lin. 40.

ALiam item rem gestam narrat idem historicus, quæ ad suam ætatem literis minimè mandata fuit, valde tamen memorabilis, & omnem propè superans admirationem. Sic nanque scribit: Mauritios, gentem Libyæ, eiectos Palęstina, in Libyam demigrasse. Hos verò Gergesæos, Iebusæos, † & reliquas gentes, quas Sacra memorant eloquia, à Iosue filio Naue expugnatas. Remque ita se habere, argumentũ capit ex epigrammate, quod literis Phœnicum conscriptum, ait se legisse: illud autem prope fontem esse, in quo loco duæ extant columnæ ex albo lapide fabricatæ, in quibus incisa sunt hæc verba: NOS SVMVS, QVI A FACIE IOSVE LATRONE, FILIO NAVE, FVGERIMVS. Ad hunc modum igitur hæ res fuêre consopitæ, cum Libya denuò Romanis parêret, & tributa quotannis, vt antè consueuerat, penderet. Fertur porrò Iustinianum centum & quinquaginta ciuitates, quarum pars penitùs deletæ fuerũt, pars nõ paruas ruinas perpessæ, in integrum restituisse: & tam eximio splendore, tantis ornamentis, tam præclara ædium tum publicarum, tum priuatarum fabricatione, tam amplis mœnibus circundatis, alijsq; egregijs ædificijs, quibus tũ vrbes exonari solent, tum sacrum numen coli, denique tam multis aquarum ductibus ad vsum partim, partim ad pulchritudinẽ accommodatis: quorum hi iam primùm, cùm antè non suppeterent ciuitatibus, in eas deriuati, illi ad pristinum statũ denuò redacti fuerunt, eas illustrasse, vt nihil fieri posset magnificentius. Iã verò res quæ in Italia gestæ erant, cõmemoraturus venio: quæ etiam ab eodẽ Procopio rhetore aliquousq; sunt scriptis perspicuè proditę. Simul atque Theodorichus, vti suprà demonstratũ est, Romam cepit. Odoacro tyranno penitùs

Mauritij Palæstinorũ insulæ deliũ Coloni à Iesu Naue pulsi. Procopij coniectura. Phœnicum epigramma.

Lybia rursus Imperio Romano subiecta.

Vrbes in Libya per Iustinianum restitutæ.

Theodorichi & Alarichi mors.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitùs profligato, & administratis ad tempus imperij Romani gubernaculis, finẽ viuen. A
Amadasmunthé alias Atalarichus legit Cusp. di fecit: Amalasuntha eius coniunx, Reip. procurationem pro Atalaricho filio, quem Theodorichus ab ea susceperat, capessit, & imperium sic gubernat, sicque eius prospicit rebus, vt ad virilem grauitatem quàm proximè videretur accedere. Hæc primùm induxit Iustinianum, vti bellum contra Gotthos suscipere magnopere cuperet, legatosq; ad eum de insidijs sibi comparatis misit. Atque cũ Atalarichus, dum adhuc valde tenera
Theodatus regno Italiæ exutus. ætate esset, è vita abijsset, Theodatus cognatus Theodorichi imperio Occidentis potitur. Qui simul vt Belissarius à Iustiniano ad partes Occidentales missus fuit, ideo cessit imperio, quòd & literis potius operam nauaret, & vsu belli gerẽdi minimè valeret: quo quidem tempore Vittiges, vir bellicosissimus, copijs Romanorum versus Occidentem
Roma à Belizario capta anno 536. præfuit. Ex historia Procopij præterea intelligi potest, Vittigẽ, Belisario in Italiam ad-
Roma à Gothis capta. uentante, Roma decessisse: Belissarium autem cum exercitu suo Romã venisse, quem Romani, portis patefactis, libentissimè in vrbem receperunt: quippe Siluerius pontifex hoc perfecerat, miseratque ea de re Fidelium curatorẽ Atalarichi ad Belissarium. Ciuitas igitur Belissario sine pugna tradita est, & Roma denuò Romanis subiecta, post annos sexaginta, quib. à Gotthis occupata fuisset, nono die Apellæi, hoc est, ad quint. idus
Siluerius & Vigilius Ro. Pontif. Decembris, vndecimo anno imperij Iustiniani. Scribit item Procopius, quòd Gotthis iterum Romam obsidentibus, Belissarius, quoniam Siluerium pontificem suspectum habebat de proditione, eum in Græciam relegauit, Vigiliumque constituit pontificem.

Quòd Eruli qui dicuntur, Iustiniani temporibus Christi fide initiati sunt.

CAPVT XIX.

Eruli quo tempore Christianam religionem receperint. IIsdem temporibus, vti idẽ scribit Procopius, Erulos, qui tẽpore, quo Anastasius Romanum rexit imperium, Danubium traiecerunt, à Iustiniano benignè & humanitùs tractatos, & magna pecuniæ vi ab eodem donatos, omnes ad vnum religionem Christianam recepisse, agrestemque vitæ consuetudinem in mansuetiorem ciuilioremque commutasse. Vide Nicephor. li. 17. cap. 13.

Quòd rursus Romam, sub Gotthis cùm fuisset, Belissarius iterum in libertatem asseruit.

CAPVT XX.

Roma rursus in Gotthorum potestatẽ venit anno 540. NArrat porrò idem author, Belissariũ redijsse Constantinopolim, & Vittigem cum spolijs Roma secum deportatis eò deduxisse, Totilamq; Romano potitum imperio, & vrbem rursus in Gotthorum venisse potestatem: quinetiam Belissarium secundò in Italiam profectum, Romam recuperasse, eundemque, bello cum Medis suscepto, ab Imperatore Constantinopolim iterum accersitum. Vide Nicephor. li. 17. cap. 13.

Quòd etiam Abasgi ijsdem temporibus Christianæ fidei mysterijs imbuti sunt.

CAPVT XXI.

Abasgi quando Christianã fidem receperint. MEmorat præterea idem Scriptor, Abasgos ad mitius humaniusq; vitæ genus traductos, ijsdem temporibus fidem Christianam recepisse, Iustinianumque Imperatorem quendã ex eunuchis aulicis Abasgum genere, nomine autem Euphratã, ad eos
Lege Iustiniani, castratio puerorũ apud Abasgos vetita. misisse, qui vetaret, ne cuiquam in ea gente, quasi vi illata naturæ, testiculi execarentur. Nam qui cubiculis Imperatorum inseruiebant, quos vulgò vocant eunuchos, persæpe ex ea gente sumi consueuerunt. Per idem tempus Iustinianus, templo Deiparæ apud A-
Templũ Deiparæ virginis. basgos ædificato, sacerdotes illis designauit, à quibus Christianæ religionis dogmata accuratissimè didicerunt. Vide Nicephor. lib. 17. cap. 16.

Quòd qui Tanaim incolunt, eodem tempore Christi fidem amplexati sunt, & de terræ quassationibus, quæ per Græciam & Achaiam euenerunt.

CAPVT XXII.

Tanis fluu. Gens ad Tanain sita Christi fidem suscepit. EST porrò ab eodem Historico scriptis mandatũ, eos qui circiter Tanaim habitant (Tanain autem appellant indigenæ amnem illum, qui ex Mæotide palude in Pontum Euxinum influit) orasse Iustinianum, vti episcopum ad ipsos mitteret. † Iustinianũ autem diligenter, quod erat ab illis rogatum, perfecisse, libentissimoque animo ad eos misisse episcopum. Idem author docet, idq; valde disertè, Gotthos, regnante Iustiniano, ex Mæotide in fines Romanorum excursiones fecisse: ingentesque terræmotus accidisse in Græcia: Bœotiam quoq;, Achaiam, & loca circa sinum Crissæum concussa, re-
Terræmotus per Græciam anno 546. giones infinitas vastatas, vrbes ad terram deturbatas, & hiatus multis in locis contigisse: qui in vnum denuò in aliquibus locis coiuêre, in nonnullis locis aperti mansêre. Vide Nicephor. li. 17. cap. 15. † Vide annot. pag. 163. lat. 2. lin. 6.

De

A *De Narse ductore exercitus, & eius erga Deum pietate.*

CAPVT XXIII.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 13. SCribit etiam Procopius expeditionem Narsis ducis à Iustiniano in Italiam missi, & qua ratione Totilam deuicerit, & postea Teiam, & quem admodũ Roma iam quintò capta fuerit. Commemoratum est porrò ab his qui vnà cum Narse fuerunt, dum precibus & alijs pietatis officijs diuinum numẽ placaret, debitumque cultum ei tribueret, sanctam virginem Deiparam ei apparuisse, planeq; tempus præscripsisse, quo bellum cum hostibus gereret: atque vt non prius ad prælium commitendum se accingeret, quã cælitùs signum acciperet. Multæ alię quoque res à Narse valde memorabiles gestæ sunt. Nam Buselinum & Syndualdum expugnauit, multaq; loca ad Oceanũ vsque in suam redegit potestatem. Quæ res sunt quidem ab Agathio rhetore literis proditæ, nondum tamen ad nos peruenerunt. *Totila à Narse victus.* *Deiparæ virgẽ Narsi apparet.* *Agathius rhetor.*

Quòd Chosroes propter secundas Iustiniani res inuidia tabescens, contra Romanos exercitum eduxit, ac plurimas ciuitates deleuit, inter quas Antiochia magna vna fuit.

CAPVT XXIIII.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 14. LIteris est etiam ab eodem Procopio traditum, Chosroëm, vbi accepit res tum in Libya, tum in Italia tam prosperè successisse imperio Romano, graui inuidiæ flamma exarsisse, Imperatoriq; obiectasse, nonnulla ab eo contra fœdus ictum factitata, & pacem inter ipsos constitutam propterea diremptam esse. Iustinianum verò primùm legatos misisse ad Chosroëm, qui illi suaderent, ne pacem, quam sempiternam vocabant, rumperet, néue fœdera pacta violaret: sed si quid anceps videretur aut controuersum, amicè & beneuolè cõponeretur. Chosroëm inuidiæ æstu, qui in eius animo efferuescebat, furentẽ, nullã æquam conditionẽ admisisse, sed magno exercitu collecto, fecisse in imperij Romani fines decimo tertio anno regni Iustiniani incursionem. Scribit præterea idem author, Chosroëm Surum vrbem ad littora Euphratis sitam, obsidione expugnatam diruisse: qui alia cum illis paciscì videbatur, alia verò eaque scelestissima in eos admittebat: quippe nihil quod pacisceretur seruauit, atq; dolo potius quàm armis vrbe illa potitus est. Eundem item Beroeam incendisse, deinde impetum fecisse in Antio-
B chiam, cùm iam Euphraimius illius episcopatum gessit: qui quidem vrbem propterea reliquit, quòd nemo ex speculatoribus, quos emiserat, ad ipsum reuertit. Cuius prouisione Ecclesiam, & omnia ad eam spectantia seruata dicuntur. Nam eam sacris monimentis vndiq; ornauit, vti eo pacto ab hostium violentia redimeret. Quin est apud eundem scriptorem, acri quodam orationis genere ad animos legentium commouendos commemoratum, qua ratione idem Chosroës Antiochiam ceperit, & quòd omnia in ea ferro & igne vastarit: & quomodo deinde venerit Seleuciam, & Daphnem eius suburbium, & postea Apameam, cuius ecclesiam administrauit Thomas, vir non doctrina modò, sed rectè factis etiam facilè præstantissimus. Qui fortè vnà cum Chosroë certamen equorum in circo spectare (licet hoc ecclesiæ canon vetaret) neutiquam recusauit: quod propterea ab eo factum est, vti omnibus modis Chosrois furorem molliret mitigaretque. Quem percunctanti Chosroi, velletne eum in sua videre ciuitate? respondisse ferunt verè & ex animo, nolle libenter eum ibi videre. Quod eius dictum Chosroëm admiratum esse, hominemque veritatis causa, vti merebatur, admodum amplexatum. *Antiochiam quo ratione Chosroes cepẽrit.*

De miraculo quod Apameæ, honorabilis viuificiq; crucis ligni virtute editum est.

CAPVT XXV.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 15. SEd quoniam in hunc sermonem nostra delapsa est Historia, miraculum, quod Apameæ factum fuit, quodq; huic nostro Operi est valde accommodatum, commemorabo. Vt primùm Apameenses intellexêre Antiochiam igne incensam, Thomam, quem dixi, rogabant, vt salutare vitaleque lignum crucis, licet consuetudo id minimè pati videretur, in medium proferret, inque omnium oculis statueret, quò iam cùm supremum vitæ diem viderentur obituri, illud contemplarentur, amplexarenturque, vt-
C pote in quo solo hominum salus posita esset: atque adeò ad alteram vitam iam profecturi, crucem venerandam haberent pro viatico, quæ posset eos ad meliorem locum incolumes peruehere. Itaque Thomas facit, quod rogatum est, certisque diebus ad eam rem præstitutis, vitale crucis lignũ profert, vti omnes vicini ibi in vnum conuenire possent, & salutis inde promanantis participes fierent. Eò etiam parentes mei vnà cum a- *Crucis Christi lignum quanto in honore Apameæ habitum.* *Euagrij parẽtes.*

lijs commearunt, meq; id temporis ad scholam euntem secum duxerunt. Postquā ve- A
Crucis ligni miraculum. rò data nobis fuit potestas honoratam crucem adorandi amplexandiq;, Thomas sub-
latis manibus, lignum crucis, quo vetus peccati maledictio deleta fuit, totum sanctua-
rium circūiens (vti in statis adorationis dieb. fieri solebat) omnibus ostendit. Ac Tho-
mam de loco in locum progredientem ingens flamma ignis splendescentis, non arden-
tis sequebatur, adeò vt totus locus, in quo consistens venerandam crucē populo osten-
debat, cōflagrare videretur. Atq; hoc factum est non semel aut iterū, sed sæpius, cū Tho-
mas omnē illum locum circuiret, & populus congregatus, eum, vt illud fieret, rogaret.
Quæ res salutē, quæ postea Apameensib. contigit, præsignificauit. Ob quā causam imago
in testudine sanctuarij statuta fuit, quæ inscriptione in basi incisa hoc miraculū illis, qui
eiusdē ignari erant, cōmonstrauit. ipsa imago ad irruptionē ab Adaarmano & Persis in
ea loca factam seruata fuit, ac tum vnà cū sancta Dei ecclesia quæ ibi fuit, & cū tota vrbe
cōbusta: atq; hæ res hunc quidē habuêre exitum. Chosroës aūt in ea incursione, fœderi-
Chosrois scelera. bus violatis, alia præterea (quoniā ita tum animo suo visum est) admisit scelera leuita-
ti & inconstantiæ morum suorum admodum consentanea, non tamen viro rationis
participi, nedum Imperatori fœderis rationem habenti conuenientia.

De Chosrois contra Edessam expeditione.

CAP. XXVI.

Christi ad Abgarum epistola. IDem porrò Procopius literis mandauit, ea quæ sunt de Edessa & Abgaro à veteribus *Vide Eusebium supra lib. 1. ca. 13. Vide Nicephor. lib. 2. cap. 7. Itemque li. 7. ca. 16.*
commmemorata, & quemadmodum Christus ad Abgarum scripserit epistolam: de
inde quo pacto Chosroës altera facta incursione, Edessam obsidere cōstituerit, ratus ea
se falsa esse conuicturum, quæ de ea ciuitate omniū fidelium ore ac sermone celebran
tur, nempe Edessam nunquam ab hostibus subiugatam fore. Quæ res in epistola à Chri-
sto Deo nostro ad Abgarum scripta non ponitur illa quidem (vti studiosi ex historia
Chosrois aduersus Edessam conatus irritus. Eusebij cognomento Pamphili, apud quem hæc epistola ad verbū citata est, intelligere
possunt) sed tamen eum exitum consecuta esse à fidelibus non decantatur solùm, sed et-
iam creditur, ratusq; eius euētus prædictionem illam verā esse cōfirmat. Nam postquā
Chosroës vrbem inuadere aggressus est, quanquam multos in eam impetus fecit, & ag-
gerem adeò ingentem struxerat, vt mœnia ciuitatis facilè transgredi posset, aliasq; com- B
plures machinas apparauit, re tamen infecta inde decessit. Sed quemadmodum res ge-
sta sit, exponam. Chosroës primùm militibus suis imperat, vt magnam struem lignorū,
qualiacunque illa essent, ad vrbem obsidendam in vnum congerant. Quibus dicto ferè
citius in vnum coaceruatis, inque orbem ductis, aggerem in medium injcit, eumq; ver-
sus vrbis murum rectà dirigit: atque extruit pedetentim, ligno & alia materiei conge-
Stratagema militare Chosrois. rie imposita. Tum ita tollit in sublime, & eius altitudine ita mœnia superat, vt tela in
eos qui in muro pro vrbis defensione capita sua periculo obijciebāt, percommodè iace-
re possint. Vbi qui obsessi erant, vident aggerem instar montis vrbi appropinquare, &
verisimile esse, hostes in eam pedibus ingressuros, primo mane è regione aggeris fossam
struere moliuntur, inque eam ignem injcere, ad eum planè finem, vti eius flamma li-
gna aggeris absumpta, ipsum aggerem solo æquarent. Qua quidem machina confecta,
rogoque accenso, neutiquam successit quod intenderant, propterea quòd ignis erum-
pere, aëremque admittere non poterat, quo struem lignorum occuparet. Ad extre-
Christi imago Abgaro missa hostiles impetus retundit. mū igitur, cū desperatione debilitati ferè succumberent, sanctissimam imaginem diui- *Cultus imaginū: vide infra lib. 5. cap. 18.*
nitùs fabricatam, quam non hominum manus effinxerant, sed Christus Deus Abgaro
(quādoquidem eum videre cupiebat) miserat, proferunt: eamque in fossam, quam con
struxerant, importatam aqua conspergunt: ex qua non parum in rogum ac struem li-
gnorum immittunt, atque diuina potentia fidei illorum qui istud moliebantur, subsi-
dio veniente, quòd ab illis antè fieri neutiquam poterat, iam facilè cōfectum fuit. Nam
extemplò ligna inferiora concepêre flammam, & dicto citius in carbones redacta, ad
Stratagema Edessenorū. ligna superiora, igne omnia vndiq; depascente eam transmisêre. Vbi verò qui obsidio-
ne premebantur, vident fumum in sublime erumpere, istam machinam ad hostes ludi-
ficandos excogitant. Paruas educunt lagenas, easque sulfure, stupa & alia id genus ma-
teriæ ad flammam concipiendam apta farciunt, deinde conijciunt in aggerem. Quæ fu-
mum, igne ipsa iaciendi vi & impetu accenso, ex se emittunt: quo quidem fumus e-
rumpens ex aggere adeò penitùs obscuratus fuit, vt omnes qui machinæ ignari erant,
existimarent fumum illum non aliunde, quàm ab ipsis lagenis effusum esse. At verò
triduo pòst, flammulæ ignis è terra erumpentes visæ sunt: ac tum quidem Persæ, qui in
aggere pugnabant, intellexêre in quod discrimen deuenissent. Verùm Chosroës, quasi
diuinæ

A diuinæ virtute ac potentiæ reluctaturus, aquæductus qui extra vrbem erant, ad rogum
deriuat, eumque ita restinguere conatur. At rogus aquam, velut oleum, sulphur aut a-
liud quippiam eorum quæ facilè incendi solent, excipiens, magis magisque exarsit: vs-
que adeò vti totum aggerem vastaret, inque cineres prorsus redigeret. Postremò igitur
Chosroes domum cum ignominia reuertit. Chosroes de spe penitùs deturbatus, cùm reuera intelligeret se turpem admodum de-
decoris notam propterea subijsse, quòd in animum induxerat, se Deum, quem nos coli-
mus, omnino superaturum, domum cùm ignominia reuertit.

De miraculo quod Sergiopoli visum est.

CAP. XXVII.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 17. ALiam præterea rem alio tempore à Chosroë Sergiopoli gestam, hoc loco com- *Sergiopolim Chosroes obsidione expugnare parat.*
memorabimus: quippe quæ & explicari oratione, & sempiternæ memoriæ re-
uera commendari debeat. Hanc vrbem quoque Chosroës inuadere, eamque
obsidione expugnare parat. Ac simul vt mœnia aggreditur, fit vtrinque sermo & collo-
quium de seruanda ciuitate: conuenitque inter eos, vti sacris thesauris ac monumen-
De hac cruce remissa vide infra ca. 20. li. 6. tis, inter quæ crux à Iustiniano & Theodoro missa fuit, vrbs redimeretur. Vbi ista fuêre *Sacris donarijs redempta. Sidus Sergiopolitarum. Prodigiosi exemplum.*
ad Chosroëm apportata, percunctatur à sacerdote & Persis, qui cum eo ad eā rem missi
erant, ecquæ alia superessent? Cui quidam eorum qui verum dicere minimè consueue-
rat, respondet, alia etiam adhuc monumenta restare à paucis quibusdam ciuibus occul-
tata. Relinquebatur autem ab his qui thesauros & monumenta attulerunt, auri argen-
tiue prorsus nihil, sed alterius cuiusdam materiæ multo præstabilioris, quæ Deo omni-
no dicata fuit: sanctiss. dico reliquias Sergij inuicti Christi martyris, quæ in capsa erant
oblonga, argentoque obducta repositæ. Itaque postquā Chosroës his verbis persuasus,
Inuocatio & cultus, diuorum vide infra li. 6. ca. 20. totum exercitum ad vrbem excidendam dimiserat, derepentè in ipsis mœnibus magna
hominum multitudo clypeis munita visa est ciuitatem propugnare. Quam qui erant
Sergius martyr verbē tuetur. missi à Chosroë, conspicati reuerterunt, ac tum multitudinem tum armaturam admi-
rati, ad Chosroëm rem referunt. Vbi autem rursus certior factus est, paucos admodum
in vrbe remanere, eosque vel ætate exacta esse, vel tenera & immatura (quippe omnes
B qui firma fuêre ætate & robusta, è medio sublati erant) pro certo nouit illud miraculū
à sancto martyre editum: & propterea metu perculsus, admiratusque Christianorum
fidem, domum reuertitur: quem ferunt sub extremum ætatis tempus diuino regenera-
tionis lauacro tinctum fuisse.

De pestilente morbo. CAP. XXVIII.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 18. Consimile ferè malū vide apud Euseb. li. 7. cap. 17. IAm venio narraturus historiam nunquam antea memoriæ proditam, de *Pestilens morbus 52. annos inter homines grassatus, multas vrbes ciuibus exhausit.*
morbo, qui quinquaginta duos annos inter homines grassatus est, & ita in-
ualuit, vt vniuersum orbem terrarum depasceretur. Nā biennio post An-
tiochiam à Persis captam, pestifer morbus in eam inuasisse dicitur, in non
nullis rebus ei qui à Thucydide describitur, persimilis, in alijs quibusdam
ab eo multùm discrepat: initium cœpit in Aethiopia, sicut & ille qui à Thucydide cō-
memoratur, orbemque terrarum vniuersum deinceps peragrauit: neq; quisquā mor-
talium fuit, qui eius effugerit contagionem. Ac nonnullas vrbes vsque eò opprimebat,
quo ad eas omnibus suis habitatoribus orbasset: cum alijs autem, quas fortè occupauit,
lenius egit & mitius. Neque certo definitoque tempore grassari cœpit, neque rursus cū
grassaretur, simili ratione & modo desijt: quippe nonnulla loca ineūte hyeme, alia sub
finem veris, media æstate quædam, alia autumno progrediente occupauit: & quibusdā
in locis cùm partem vrbis attigisset, reliquas deseruit. Ac non rarò licebat videre in ci-
uitate morbo illo laborante, quasdam familias prorsus extinctas: interdum verò vna &
altera familia interempta, reliquam vrbem integram incolumemque mansisse. Quin-
etiam familiæ quæ integræ manserunt, sicut accurata obseruatione comperimus, sequē
ti anno solæ morbo vexabantur. Atque quod est omnium maximè mirandum, si qui
fortè vrbes infectas incolentes ad alia loca, quæ morbus minimè inuaserat, demigra-
rent, illi soli morbo opprimebantur, licet ex ciuitatibus infectis ad alias integras se, quò
vitæ consulerent, transtulissent. Atque hæc quidem calamitas circulorum conuersio-
nibus, quos ἐπενιαυσιους vocant, sæpe tum in vrbes tum in alia loca peruasit: sed tamen
maxima omnium pernicies secundo anno circuli, qui spacium quindecim annorum
complectitur, in homines perlapsa est, adeò vt me, qui ista literis prodo (placet enim ea
etiam Historiæ attexere, vt res quarum aliæ alijs appositæ conueniunt, coniungam) me,
inquam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

Morbus etiam Euagrium & familiam eius depeſcitur.

inquam, dum ſcholas adhuc frequẽtarem, in initio huius contagionis abſceſſus illi qui A in inguine naſci ſolent, occuparent. Accidit quoque vt morbo iſto varijs graſſante modis, tum complures ex liberis meis, tum coniugem, tum permultos cognatos partim in vrbe, partim in agris degentes amitterem, prout circuli ἐπινεμήσεως calamitates iſtas mihi diſtribuerant. Cùm autem iſta ſcriberem, quinquageſimo octauo anno ſcilicet ætatis, non biennio antè, morbus iſte quater Antiochiam occupauerat: ac cùm iam quartus ab initio circulus dilapſus eſſet, præter liberos, quos ſupra poſui, filiam præterea & nepotem perdidi. Morbus verò iſte ex varijs morborum generibus compoſitus fuit. Nã in nonnullis hominibus à capite primũ exorſus, oculos cruentos, vultumque tumidum reddidit: deinde in guttur delapſus eſt, & quemcunque occuparit, è medio ſuſtulit. Alijs fluxus alui contigit, quibuſdam abſceſſus in inguine exorti, indeq; febres in primis ardentes, adeò vt biduo aut ad ſummum triduo mortem obirent, perinde tum animo tum corpore affecti, atque illi quibus nihil mali accidiſſet. Alij de mentis ſtatu deturbati, vitam edidêre: quinetiam carbunculi è carne erumpentes multos extinxêre. Euenit etiam interdum, vt qui ſemel atque iterum hoc morbo correpti, euaſiſſent, rurſus eodẽ oppreſſi interirent. Quod autem ad rationem morbi contrahendi attinet, ea ſanè tam varia fuit, vt nulla poſſit oratione explicari. Nam alij ſolùm vnà verſando, pariterque vitam degendo fuêre infecti. Alij tangendo duntaxat, & in eãdem domum ingrediendo, alij in foro: non pauci qui ex vrbibus contagione infectis fugientes, integri manebãt, ſanis & valentibus morbum impertierunt. Alij qui cum ægrotantibus verſabantur, & non modò ægros, ſed etiam mortuos attingebant, non omnino in morbum inciderũt. Alij, quibus tametſi propter liberorum aut neceſſariorum interitũ in optatis fuit morte occumbere, & maximè ob hanc cauſam ſe ægrotantibus admiſcuêre: tamen perinde acſi morbus eorum aduerſaretur voluntati, neutiquã eo occupati ſunt.[a] Morbus autem, vt anteà me dictũ eſt, totum orbem terrarũ iam ad ſpacium quinquaginta duorum annorum depaſtus eſt, omnesque morbos qui vnquam extitiſſent, longè ſuperauit.[b] Philoſtratus autẽ demiratur, peſtem quæ ſua ætate viguit, ad quindecim annos continuatam eſſe. Verùm quæ futura ſunt, hominibus incerta ſunt & incognita, eoque voluuntur, quò Deo qui & cauſas rerum, & quorſum tendant, cognoſcit, viſum eſt. At iam eò redeamus, vnde deflexit oratio, & cæteras res geſtas Iuſtiniani deinceps perſequamur.

[a] *Peſtilentis morbi contrahendi ratio.*

[b] *Philoſtratus ait ante hunc morbũ vixiſſe, & propter ea fuiſſe incognitus. Ideo magis mirandus peſtem illam ſuis temporis, quod ſi hunc morbum vidiſſet, non fuiſſet ea peſte tantopere miratus. Sed quæ futura ſunt, cuique ignota ſunt.*

De inexplebili Iuſtiniani pecuniæ cupiditate.

CAP. XXIX.

Iuſtiniani philargyria.

IN Iuſtiniano verò tam inexplebilis fuit pecuniæ cupiditas, & tam turpis atque adeò absurda rerum alienarum appetitio, vt omnia ſubiectorum bona his qui magiſtratus adminiſtrabant, qui tributa colligebant, qui nulla de cauſa inſidias hominibus ſtruere volebant, ob auri amorem vendiderit. Complures, imò verò innumerabiles qui multa bona poſſidebant, cauſa falſa commenticiaque conficta, omnibus fortunis multauit. Quòd ſi quæ meretrix oculos cupiditatis ad alicuius bona adijciens, conſuetudinem ſe vllam cum eo vel coniunctionem habuiſſe ſimularet, ſtatim omnia iura ac leges, modò Iuſtinianum turpis lucri ſocium conſtitueret, eius cauſa euerſæ iacuerunt, facultatesque omnes illius qui falſo in crimen adductus erat, fuerunt in eius domum translatæ. Erat porrò tam largus in pecunia eroganda, vti multa ſancta & magnifica tẽpla in multis locis extrueret, aliaque ſacra ædificia, quibus tum viri, tum mulieres & ætate tenera, & exacta, tum qui varijs morbis vexabantur, ſedulò accurarentur, ædificaret: magnamque ſeorſum colligeret à ſuis pecuniarum vim, vnde iſta perficerentur: alia denique infinita exequeretur opera, quæ ſanè pia Deoque accepta eſſent, ſi modò vel ille vel alij qui talia moliuntur, de ſuis ipſorum bonis efficienda curarent, ſuæque vitæ actiones vacuas à ſceleris labe tanquam hoſtiam Deo offerrent.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 19.

Eiuſdem in gens largitas.

De ſanctæ Sophiæ ſanctorumq; Apoſtolorum templo eminentiſſimo.

CAPVT XXX.

Sophiæ templum quale. Deſcriptio tẽpli Sophiæ.

IDem Iuſtinianus Conſtantinopoli cùm alias multas ſacras ædes pulcherrimo artificio elaboratas Deo & ſanctis erexit, tum inſigne illud & præ cæteris eximium ædificium, ampliſſimum dico Sophiæ templum extruxit: quod quidem tale fuit, quale non aliquando viſum fuiſſet, quodque ornatu & ſplendore adeò excelluit, vti nulla dicendi vi facilè explanari poſſet. At ipſe tamen illud pro virili deſcribere conabor. Teſtudo ſanctuarij quatuor fornicibus in ſublime erecta, & ad tantam ſublata altitudinem, vt ad

Vide Nicephor. li. 17. cap. 20.

A vt ad eius hemiſphærij faſtigium acies eorum, qui infrà ad baſin conſiſtentes, oculos ſurſum tollebant, ægrè penetrare poſſet: & qui ſuprà ſtabant, etiamſi valde eſſent animoſi, deſpicere neutiquam auderent, oculóſue ad baſin deijcere. Fornices à ſolo vſque ad tectum (vſque eo namque eriguntur) penitùs vacant. In dextro templi latere, ſunt hominiingredienti ad læuam columnæ ordine locatæ, quæ ex lapide Theſſalico confectæ ſunt: ſunt etiam alta tabulata alijs columnis ſimilibus ſuffulta, in quibus, ſi qui volunt, myſteria peracta videre poſſunt. In illis quoque Imperatrix diebus feſtis, dum ſacroſanctæ myſteriorum celebrationi intereſſet, aſſidere ſolet. Quæ quidem partim verſus Oriẽtem ſolem, partim Occidentem verſus ſic diriguntur, vt minimè impedimento ſint, quo minus amplitudo talis operis ſpectari queat. Porrò autem porticus eorundem tabulatorum, quæ infrà columnis paruiſque fornicibus operis extremitates ambiunt. Verùm quò magis admirabilis ædificij fabrica velut ante oculos cuiuſque verſetur, viſum eſt hoc loco intexere, quot pedes eius longitudo contineat, quot latitudo, quot altitudo: & de fornicibus eodem modo, quot pedes vacuus eorum complectatur ambitus, quot denique eorum altitudo. Sic igitur ſe habent: Longitudo à porta, quæ eregione ἱερᾶς κόγχης ſacræ conchæ, in qua incruẽtum offertur ſacrificium, ſita eſt, ad ipſam conchã vſque, pedes continet CLXXXX. Latitudo à parte Septentrionali ad Borealẽ, pedes CXV. Altitudo ab ipſo punctο in vertice hemiſphærij ad ſolum vſque, pedes CLXXX. Latitudo autem cuiuſque fornicis pedes habet LXVI. Longitudo totius templi ab Oriente ad Occidentem, pedes CCLX. Latitudo verò τῶν ἐμφώτων illius, pedes continet LXXV. Sunt præterea verſus ſolis occaſum aliæ duæ porticus valde eximiæ, & atria vndique ſub dio poſita. Ab eodem porrò Iuſtiniano ædificatum eſt templum ſanctorũ Apoſtolorum, quod omnium facilè primas fert: in quo Imperatores & ſacerdotes ſepeliri ſolent. Verùm de ijs rebus iſta hactenus.

Apoſtolorum templum ab eodem Iuſtiniano extructum.

De amentia potius quàm amicitia Iuſtiniani immodicè fauentis Venetorum factioni.

CAPVT XXXI.

Iuſtiniani immanitas vnde initium duxerit, Cyaneis aduerſus Praſinos fauet Iuſtinianus.

Vide Nicephor li. 17. cap. 21.

DE alio item Iuſtiniani facto mihi dicendum eſt, quod quidem ſiue ex naturæ vitio, ſiue ex formidine & timore ortum ſit, non habeo dicere: eius tamen generis fuit, vt omnem beluinam immanitatem longè ſuperaret: duxit autem initium ab ea ſeditione populari, quam Nica, hoc eſt, vince, vocant. Placuit Iuſtiniano ita vehementer in alteram factionem eorum qui Prafini dicuntur, animo propendere, vt impunè poſſent ipſa meridie in media ciuitate aduerſarios trucidare, & non modò non pœnas metuerent, verùm etiam dignarentur honoribus: adeò vt inde multi homicidæ exiſterent. Licebat autem illis in ædes alienas irrumpere, theſauros diripere in illis reconditos, hominibus ſuam ipſorum ſalutem ac vitam diuendere. Et ſi qui magiſtratus illos cohibere moliretur, ſuo ipſius capiti creauit periculum. Vnde certè vir quidam, qui geſſit in Oriente magiſtratum, quoniam nonnullos eorum, qui rebus nouis ſtudebant, neruis coercere voluit, quò modeſtiores efficerentur, per mediam vrbem circumductus fuit, neruisque grauiter cæſus. Callinicus porrò præfectus Ciliciæ, cùm duo Cilices, Paulus & Fauſtinus, homicida vterque, in eum impetum facerent, occidereque in animo haberent, quoniam pœna ex legibus conſtituta eos mulctauit, in crucẽ actus eſt, hocque ſupplicio pro recta conſcientia & legum obſeruatione affectus. Inde factũ eſt, vt qui alterius erant factionis, cùm à domicilijs ſuis fugiſſent, & à nemine vſquã exciperentur hoſpitio, ſed velut ſcelera vbique exagitarentur, tendere inſidias viatoribus, compilare, cædes facere cœperint, vſque eò, vti omnia loca nece immatura, direptione & reliquis id genus maleficijs redundarent. Interdum animo in contrariam ſententiam mutato, eius generis interfecit, legumque permiſit poteſtati etiam eos quos antè paſſus fuiſſet more barbarorum in ciuitatibus impia ſcelera conſciſcere. Sed ad iſta ſigillatim perſequenda mihi nec tempus ſuppetit, nec facultas dicendi. Atque ea quæ diximus, ſatis eſſe poterunt ad coniecturam de reliquis eius facinoribus faciendam.

Vide Chil. Eraſ. In nerũ ducere Vide Procopium item lo. Cuſpin.

Eoſdem tandem perſequitur.

De Barſanuphio monacho. CAP. XXXII.

Barſanuphius monachus quando floruerit.

Vide Nicephor. c. 22. lib. 17.

VIxêre per idem tempus viri planè diuini, qui multis in locis magna edebant miracula, & quorum gloria vbiq; peruagata fuit. Ex quorũ numero erat Barſanuphius, genere Aegyptius. Iſte vixit in monaſterio prope vrbem Gazam, & in carne vitam carni aduerſariã degit, adeò vt multa memorabilia ederet miracula. Creditur porrò eũ in ædicula quadã concluſum ætatẽ egiſſe, atq; à tẽpore, quo in eã ingreſſus eſt, ad ſpacium quinquaginta annorũ & amplius neq; à quoquam viſum eſſe, neque

Universidad de Deusto
Biblioteca

quicquam alimenti vel aliàrum rerum in terra cepisse. Quibus rebus cùm Eustochius A episcopus Hierosolymorum minimè fidem adhiberet, cumque ediculam, in qua vir ille diuinus concluſus fuit, perfodere constituisset, parum aberat, quin ignis ex ea erumpens, omnes qui cum eo illuc venerant, combussisset.

De Symeone monacho, qui propter Christum se morionem esse simulauit.

CAPVT XXXIII.

Symeonis monachi vita qualis.

EVit Emesæ vir quidam nomine Symeones, qui omni inanis gloriæ cupiditate abiecta, quanquam sapientia cuiusque generis, & diuina gratia refertus fuit: tamen his qui eum minimè ignorabant, delirare visus est. Iste maxima ex parte remotus ab aliorum conspectu, vitam transegit, nec cuiquam omnino concessit potestatem cognoscendi, quando aut quomodo Deum precaretur, neque quo tempore solus apud se vel abstineret cibarijs, vel eadem capesseret. Interdum verò cùm in publica platea aut in foro versaretur, visus est à pristina viuendi consuetudine deflexisse, imò verò etiam nihil omnino vel prudentiæ habere, vel ingenij: quinetiam tabernam aliquando ingressus, esculentis, cùm esuriret, & cibis quibuslibet vescebatur. Quod si quispiam inflexo capite eum salutabat, ira accensus, è loco illo celeriter excessit, veritus ne sua virtus à vulgo deprehenderetur. Atque ad hunc modum Symeones, dum esset in foro, se gerere consueuit. Erant tamen nonnulli, quibus sine vlla simulatione se familiarem reddidit. Ex quorum numero vnus fortè habuit ancillam, quæ stuprata à quodam & grauida facta, cũ ab hero heraq; aperte dicere cogeretur, quis hoc fecisset facinus: respondet, Symeonem clàm cum ea concubuisse, & ab eo concepisse, vel eáque non iurare modò rem planè ita se habere, verùm etiam si opus esset, perspicuè probare. Quod cùm Symeones accepisset, ita esse assensus est, seq; carnem gestare, rem sanè quàm lubricam. Vbi verò facinus in omnium ore esse cœpit, & Symeones propterea non exiguam, vti videbatur, subierat notam infamiæ, se tum ab hominum oculis subduxit, tum erubescere simulauit. Postquam igitur dies pariendi aduentauit, eaque de more in lecto sedit, labor pariendi tam asperum, tam ingentem, tam denique intolerabilem dolorem ciebat, vt hominem illam in extremum vitæ periculum deduceret: & tamen partus minimè processit. Itaque cũ Symeonem, qui eò dedita opera venit, orarent, vt preces pro illa ad Deum funderet: dixit palàm, mulierem non prius parituram, quàm verè fateretur, quis infantem, quẽ gestat in vtero, procreasset. Quod cùm feciſſet, & verum ostendisset infantis patrem, extemplò infans, velut veritate obstetricis munus exequẽte, ex vtero exilijt. Idem Symeones à quibusdã visus est aliquãdo in domũ meretricis intrare: q; ostio occluso, solus cũ sola diu cõmoratus est. Deinde ostio reserato, abijt: atque vndique circumspiciens, ecquis eum videret, auxit magnopere suspicionem, adeò vt qui illum vidissent, meretricem ad se accerserent, ab eaque sciscitarentur, quid sibi vellet Symeonis ad eam introitus, tantiq; temporis mora? Iurat illa se inopia rerum necessariarum, triduo antè illum diem nihil gustasse præter aquam solam: Symeonẽ autem obsonia & cibos, & vasculum quoddam vini ad ipsam secum apportasse, & occluso ostio apposuisse mẽsam, iussisse vt cœnaret, seq; illis saturaret epulis, quippe quæ abstinentia à cibo satis pressa afflictataque fuisset. Quæ cũ illis narrasset, reliquias cibariorum, quæ attulerat Symeones, profert. Porrò autem idẽ ipse Symeones, cũ terræmotus, qui Phœniciam maritimã conquassauit, appropinquaret (quo quidẽ tempore Berytus, Biblium & Tripolis grauissimas patiebantur ruinas) flagello manu sublato, columnarum, quæ erant in foro, complures cædebat, sic vociferatus: Consistite firmè, breui nanque estis saltaturę. Itaque quoniam nihil ab eo temerè fieri solebat, illi qui huic rei gestæ intererant, accuratè animo notarunt, quas columnas sinę verberibus præterijsset: quæ certè non multò pòst terræmotus violentia concussæ corruerunt. Multæ aliæ res ab eo præterea gestæ fuêre, quæ opere separato egere videntur.

Obiecta à meretrice stupri quo modo Symeones purgauerit.

Quomodo ebrietatem meretricem pauerit.

Quomodo terræ motũ præsignificauerit.

De Thoma monacho, qui eodem modo fatuitatem fingebat.

CAP. XXXIIII.

Thomæ monachi vita qualis & diuinatio.

PErid temporis Thomas quoq; vitã austeram in Cœlesyria coluit, qui Antiochiam profectus est, vt subsidium, quod inde quotannis monasterio suo suppeditari solebat, acciperet. Ab ea quidem ecclesia presbyter fuerat ordinatus. Hunc Anastasius, qui illam procurabat Ecclesiam, quoniã non rarò multũ ei facessebat molestiæ, in maxilla cædit. Quã rem illis qui aderant ægrè ferentibus, dixit neq; se ab Anastasio postea accepturũ, neq; Anastasiũ daturum. Quæ vtraq; ita acciderunt. Nam Anastasius post vnum diem

Anastasij obitus.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 22.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 23.

A diem mortem oppetijt: Thomas autem in hospitio infirmorum, quod fuit in Daphne suburbio, dum abiret Antiochia domũ, ad vitam immortalem migrauit: cuius corpus conditum est in sepulchro, quod aduenis paratum fuit. Vbi verò vno & altero corpore in eodem sepulchro repositò, eius corpus Deo post mortẽ illius maximũ edente miraculum, illis superiectum fuit (nam ea corpora inde amota longeq; depulsa fuêre) homines sanctum illum admirati, rem significant Ephremio. Itaq; sanctissimum eius corpus cum solenni celebritate ac pompa transportatur Antiochiam, ibiq; in cœmiterio sepelitur: cuius virtute pestis, quæ illic tum grassabatur, sedata est. Ad cuius honorem Antiocheni diem festum quotannis ad nostram vsq; ætatem agere non desierunt. Verùm ad institutam historiam deinceps sermonem transferamus.

Sepultura Thomæ & miracula post mortem.

De Mena patriarcha, & miraculo, quod ea tempestate in Hebræi pueri facium est.

CAP. XXXV.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 25.

ANthimo ex sede Constantinopolitana, vti suprà dixi, electo, Epiphanius eum capessit episcopatum. Epiphanio mortuo successit Menas: cuius temporib. miraculum editum fuit planè memorabile. Vetus fuit consuetudo Constantinopoli, vt si quãdo multæ admodum particulæ puri & immaculati corporis Christi Dei nostri superessent, pueri impuberes, qui scholas frequentabant, accerserentur, easque manducarent. Quod cùm factum fuit, filius cuiusdam hominis, Hebræi quidem opinione, arte autem vitrarij, vnà cum pueris versatus est: qui quidem parentibus percunctantibus ab eo causam moræ, respondit, vti res se habuit, se cum alijs pueris pariter comedisse. Hebræus bile, furore & iracundia inflammatus, in clibanum ardentem, in quo vitrum formare solebat, puerum conijcit. Postquam verò mater puerum quæritans, reperire nõ potuit, passim per totam vrbem ibat, Deum cum gemitu obtestans, & flebilibus lamentis se dedens. Triduo autem pòst ad ostium officinæ viri sui consistens, luctu miserabiliter diuexata, nomine puerum compellat. Puer matris vocem vt agnouit, è clibano responsum dat. Mater effractis foribus intrò irrũpit, videt puerum in medijs carbonibus candentibus consistentem, illæsum ab ignis incendio. Qui cùm rogaretur, quo pacto illæsus manserit? Mulier, inquit, veste amicta purpurea crebrò ad me venit, porrexit aquam, qua B carbonum flammas corpus ambiẽtes extinguerem: cibum deniq; dedit, quoties esuriebam. Qua re ad Iustinianum perlata, puerum cum matre lauacro regenerationis tingẽdos decernit: patrem autem pueri, qui recusauit in numerum Christianorum ascribi, in Sycis cruci suffigendum curauit. Atque ista quidem hoc modo.

Menæ episcopi temporibus quale miraculum editum.

Mos, eucharistiæ reliquias pueris tradendi.

Puer Hebræus in fornace seruatus.

Qui magnarum vrbium id temporis fuerint episcopi.

CAP. XXXVI.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 26.

POst Menam Eutychius ad sedem episcopatus Constantinopolitani ascendit: sedem autem Hierosolymorum obtinet post Martyriũ Salustius, cui successit Helias: hunc Petrus, Petrum autem Macarius secutus est, Imperatore nõdum ei suffragante, qui post ea sede sua pulsus fuit. Nam ferebatur, eum dogmata Origenis tutatum: Cui in eo episcopatu successit Eustochius. Theodosio porrò, vt supra demonstratum est, exturbato, Zoilus episcopus declaratus fuit Alexandriæ: quo mortuo, Apollinarius sedem illam capessit.

Episcopi Constantinopolitani.

Hierosolymitani.

Alexandrini.

De sancto vniuersali, concilio quinto, & quam ob rem institutum fuerit.

CAPVT XXXVII.

Vide Nicephor. cap. 27. 28. li. 17.

POST Euphremium sedes Antiochena Domnino concredita fuit. Iam verò cùm Vigilius antiquæ Romæ, & Menas nouæ primùm, deinde Eutychius, Alexandriæ autem Apollinarius, & Domninus Antiochiæ episcopatum gessit, Iustinianus quintum concilium conuocauit, tali causa adductus: Eustochius, vbi illi qui dogmata Origenis tuebantur, cùm in alijs locis, tum maximè in Noua laura (sic enim vocabatur) inualescerent, omnem curam ac studium suum eò contulit, vti eos expelleret. Qui ad Nouam profectus lauram, omnes inde eiecit, & tanquam communem perniciem omnium longè fugauit. Illi in varia loca dispersi, multos in suam pellexerunt opinionem. Quorum patrocinium suscepit Theodorus cognomine Ascidas, episcopus Cæsareæ, vrbis gentis Cappadocũ primariæ, qui cum Iustiniano assiduè versabatur, eique fidelis fuit & in primis necessarius. Cùm igitur

Iustinianus quando, cur, quintum concilium conuocauerit Constantinopoli.

Universidad de Deusto
Biblioteca

igitur iſte animos nobilium palatium incolentium incendiſſet contra Euſtochium, A
remque omni impietate ac ſcelere plenam affirmaret: Euſtochius mittit Conſtantino-
Rufus Theodoſij monaſterij præſes. Conon Sabæ Abbas. polim Rufum, qui monaſterio Theodoſij præfuit, & Cononē abbatem Sabæ: qui duo
cùm ob virtutis ſuæ præſtantiam, tum ob amplitudinem monaſteriorum, quibus præ-
rant, facilè primas inter monachos ſolitudinem incolentes obtinuerunt. Eos comita-
ti ſunt etiam alij illis dignitate non multò inferiores. Hi potiſſimùm de Origenis do-
gmatis, de Euagrio & Didymo diſceptationem inſtituerunt. Theodorus autem epiſco-
pus Cæſareæ Cappadociæ, iſtos ab ea diſceptatione ad aliam traducere cupiens, cauſam
Theodori epiſcopi Mopſueſtiæ, & Theodoriti, & Ibæ introducit: idque non ſine Dei
clemētiſſimi prouidentia, qui omnes illas res tam præclarè adminiſtrauit, ad eum ſanè
finem, vti omnis profana & impia doctrina vtrinq; reijceretur. Primò igitur quæſtione
Eutychij ſententia, licere etiam in mortuos anathema mittere. propoſita, ſitne mortuis anathema denunciandū, annon, Eutychius, qui tum aderat, vir
in Sacris literis exquiſitè eruditus, non tamen in numero illuſtrium (quippe iam tum
munere functus eſt pro epiſcopo Amaſiæ reſpondendi) viuente adhuc Mena, cùm eos
qui in vnum coacti erant, non ſolùm non ſapere, ſed deſipere potius animaduerteret,
apertè quæſtionem illam nulla egere deliberatione dixit. Nam Ioſiam regem non mo-
dò ſacerdotes, qui dæmones colebant, quibuſque vita adhuc ſuppetebat, trucidaſſe: ſed
eorum etiam ſepulchra, qui iam pridem mortem obierant, effodi curaſſe. Hæc ab Euty-
chio dicta accommodatè omnibus videbantur. Quæ cū Iuſtinianus intellexiſſet, Euty-
chium, ſtatim vt mortuus fuit Menas, ad ſedem epiſcopatus Conſtantinopolitani extu-
lit. Vigilius autem per literas conſenſit concilio, non tamen intereſſe voluit. Cùm verò
Iuſtinianus à concilio iā coacto ſciſcitaretur, quid de Theodoro, quid de his, quæ Theo-
doritus contra Cyrillum & duodecim illius de fide capita diſſeruiſſet, quid deniq; de e-
piſtola Ibæ ad Marin Perſam ſcripta ipſis videretur: vbi multæ ſententiæ Theodori &
Theodoriti perlectæ erant, perſpicueque demonſtratum, iam pridem Theodorum eō-
demnatum fuiſſe, & eius nomen ex ſacris tabulis deletum, & hæreticos poſt mortē et-
iam condemnari oportere, non Theodoro ſolùm, verumetiam verbis Theodoriti con
tra duodecim capita Cyrilli & ſanam veramque fidem habitis, & epiſtolæ Ibæ ad Ma-
rin Perſam ſcriptæ omnibus, vt dicitur, ſuffragijs anathema denunciarent, hæcq; profer
Anathemate damnata quorundam epiſcoporum ſcripta. rent verba: Quoniam à magno Deo & Seruatore noſtro IESV Chriſto, vt eſt in Euāgelij "
parabola, dictum eſt, & cæt. Et paulò pòſt: Condemnamus & anathemati addicimus B
non ſolùm alios omnes hæreticos, qui ſunt à quatuor ſanctis prędictis concilijs, & à ſan- "
cta catholica eccleſia condemnati, verum etiam Theodorum epiſcopum Mopſueſtiæ, "
& impios eius libros, & impia ſcripta Theodoriti, tum fidem veram, & duodecim ſan- "
ctiſs. Cyrilli de fide capita, tum ſanctum concilium Epheſinum primum impugnantia, "
& quæcunq; ab eodem Theodorito pro defenſione Theodori & Neſtorij literas prodi- "
ta ſunt. Præterea anathemate etiam damnamus impiam epiſtolam Ibæ ad Marin Per- "
ſam ſcriptam.

12. Articulos fidei intelligit. Atque alijs quibuſdam interpoſitis, quatuordecim veræ & ſyncerę fidei capita ex-
poſuerunt. De quibus rebus ſic actum accepimus. Poſtquam autem libelli ab Eulo-
gio, Cononе, Cyriaco, & Pancratio monachis contra dogmata Origenis Adamantij,
& eos, qui huius impietatem & errorem ſequebantur, concilio oblati erant, percuncta-
Aduerſus Origenem & ſectatores eius. tur Iuſtinianus à concilio congregato, quid de his ſtatueret: adiungit etiam eodē libelli
vnius exemplar, quinetiam literas Vigilij de ijſdē rebus perſcriptas. Ex quibus animad-
uerti poteſt, quemadmodum elaboratum fuerit ab Origene, vt ſimplicem Apoſtolico-
rum dogmatum doctrinam gentilium & Manichæorum zizanijs referciret. Itaque vbi
contra Origenem, & eos, qui in eodem cum illo errore verſati ſunt, clamores editi fue-
runt, res relata eſt ad Iuſtinianum per epiſtolam, cuius pars aliqua his verbis contine-
batur: Qui animum nobilitatis antiquæ participem tenes, Imperator Chriſtianiſſime. "
Et paulò infrà: Fugimus igitur, fugimus iſtam doctrinam. Nam voces eorum, qui ſunt "
ab eccleſia alieni, non agnoſcimus, imò verò ſi quis talis ſit, eum vt furem & latronem "
vinculis anathematis firmè conſtrictum extra ſacra Eccleſiæ mœnia eijcimus. Ac pòſt "
adiungunt iſta: Actorum noſtrorum vim ex eorū lectione facilè intelliges. His adiun- "
xêre capita, quæ patroni dogmatum Origenis didicerant: quæ non eorum ſolùm con-
Blaſphema vox Theodori in ſanctos martyres. ſenſum, verumetiam diſſenſionem, atque adeò multiplicem errorem perſpicuè decla-
rarunt. Quorum quintum caput fuit blaſphemiarum, quæ ex perſona nonnullorum
monachorum nouum monaſterium incolentium proferebantur, quod ita ſe habet: "
Theodorus, qui Aſcidas dicitur, epiſcopus Cæſareæ dixit, Si iam Apoſtoli & marty- "
res qui miracula edunt, in tanto honore ſint, quæ tandem erit illis reſtitutio in vltima "
carnis reſtitutione, niſi pares & æquales Chriſto efficiantur? Recenſebantur porrò ab
illis

A illis qui has res ſtudiosè admodum collegerunt, complures Didymi, Euagrij, Theodo-
ri, aliæ blaſphemiæ. Poſt iſtud concilium aliquod temporis interuallo interiecto, Euty-
chius ſede epiſcopatus Conſtantinopolitani expellitur, Ioannes ex Sirime ortus (eſt qui
dem Sirimis pagus Cynegicæ regionis Antiochiæ finitimæ) in eius locum ſurrogatur.

Quòd Iuſtinianus à recta fidei cultura excidens, Domini corpus omnis prorſus corruptionis expers eſſe contendebat. CAP. XXXVIII.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 19. EOdem tempore Iuſtinianus à recta ſanæ doctrinæ via auerſus, & ſemitam *Iuſtinianus à recta fidei cultura excidit.*
ingreſſus, quam nec Apoſtoli neque Patres vnquam triuerant, in ſpinas &
tribulos delapſus eſt, quibus eccleſiam farcire inſtituens, id quod volebat
minimè eſt propterea conſecutus, quòd Dominus regiam viam ita firmis
munimentis ſepſerat, vti homicidæ in eam, perinde ac ſi paries eius incli-
natus, & maceries depulſa fuiſſet (in qua re expleta eſt quidem prophetia) minimè inſi-
lirent. Itaque cùm Ioannes, qui etiam Catelinus dicebatur, mortuo Vigilio antiquæ
Romæ, & Ioannes Sirimenſis nouæ, & Apollinarius Alexandriæ, & Anaſtaſius poſt
Domninum Antiochiæ, & Macarius, qui ad propriam ſedem iam reſtitutus fuit, Hie-
roſolymorū epiſcopatum gubernaret, vbi concilium Origeni, Didymo & Euagrio poſt
Iuſtiniani ſuper Domini corpore errores. Euſtochij abdicationē anathema denunciauerat, Iuſtinianus edictum ſcripſit: in quo
aſſeruit, Corpus Domini non eſſe obnoxium internecioni, neque affectionum illarum
quæ naturaliter inſitæ ſunt, inque nullam incurrunt reprehenſionem, particeps eſſe, &
Dominum eodem modo ante paſſionem comediſſe, quo poſt reſurrectionem come-
dit, & corpus eius ſanctiſſimum nullam conuerſionem mutationemue vel ex forma-
tione, quæ in matrice facta eſt, vel ex voluntarijs naturalibuſue affectionibus accepiſſe,
imò ne poſt reſurrectionem quidem: quibus opinionibus vt ſacerdotes & epiſcopi v-
biq; aſſentirentur, compellere inſtituit. At omnes ſe Anaſtaſij epiſcopi Antiochiæ ſen-
tentiam expectare reſpondendo, primum illius conatum depulerunt.

De Anaſtaſio Antiocheno archiepiſcopo. CAP. XXXIX.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 30. ANaſtaſius, vir quidem erat cùm in Sacrarum literarum cognitione apprimè
diſertus, tum in moribus & tota vitæ ratione adeò exquiſitus, vt etiam rerum
leuiculatum magnam curam haberet, inque illis neà conſtanti & ſtabili ani-
mi ſui propoſito decedere vellet, ne dum in rebus maximi momenti & pon-
B deris, & quæ ipſum Deum viderentur attingere. Quinetiam ita ſuum temperauit inge-
nium, vt neque propter lenitatem animi, atq; comitatem, nimis facilè his rebus quæ mi-
nus rationi conſentientes erant, cederet, neq; propter ſeueritatem & inclementiam æ-
grè his quas recta ratio poſtulabat, aſſentiretur. Ac rebus ſerijs audiendis eius patebant
aures, & vt ſermone profluens, ita in quæſtionibus diſſoluendis acutus & perſpicax.
Rebus autem ineptis & nullius momenti occluſit aures: linguam verò ſic quaſi freno
cohibuit, vt & ſermonem ratione moderaretur, & ſilentium loquela præſtabilius effi-
ceret. Iſtum tanquam turrem munitiſſimam oppugnare omni machinarum genere ag-
greſſus eſt, illud ſcilicet complectens animo, ſe, ſi iſtum euerteret, nullo labore ciuitatē
totam occupaturum, recta fidei dogmata redacturum tanquam in ſeruitutem, & oues
Chriſti denique captiuas ab eccleſia abducturum. Verùm Anaſtaſius ſic diuina quadam
animi celſitate elatus fuit (nam ſupra firmam fidei petram conſtitit) vt Iuſtiniano per
literas ſuas liberè & apertè contradiceret, tum perſpicuè admodum, tum diſertè oſten-
deret, diuinos Apoſtolos, & ſanctos Patres confeſſos eſſe, atque adeò tradidiſſe, corpus
Domini internecioni obnoxium eſſe, & affectionum, quæ ſunt natura in animis im-
preſſæ, quæque reprehenſione carēt, particeps. Eodem modo etiam monachis Maioris
& Minoris Syriæ eius de hac re ſciſcitantibus ſententiam, reſpōdit: Omnes confirmauit
mentes, ad certamen ineundum præparauit: in eccleſia denique lectitauit quotidie illā
Pauli, vaſis electionis ſententiam, Si quis vobis Euangelizauerit, præter id quod acce- *Galat. 1.*
piſtis, etiam ſi angelus de cælo ſit, anathema eſto. Quibus omnes, paucis exceptis, aſſenſi,
ſimile ſtudium erga fidei defenſionem declararunt. Idem porrò Anaſtaſius cùm acce-
piſſet, Iuſtinianum velle ipſum in exilium mittere, ſcripſit ad Antiochenos orationē, *Anaſtaſij λόγος συντακτήριος.*
qua eorum animos in fide confirmaret: quæ certè tum ob ſermonis elegantiam,
tum ob crebritatem ſententiarum, tum ob teſtimoniorum à Sacris literis
petitorum frequentiam, tum deniq; ob hiſtoriam, quæ
tam commodè in ea narrata eſt, optimo iure
ſanè permagni facienda eſt.

Antiochiæ epiſcopus Anaſtaſius quomodo ingenium ſuum temperarit.

Anaſtaſius cōſtanter impugnat Iuſtiniani ſententiam de Domini corpore.

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Iustiniani morte. CAPVT XL.

Iustiniani obitus ann. 565.

VErùm Iustiniani edictum diuina prouidentia, qua melius nobis prospectum fuit, minimè diuulgatum est. Nam Iustinianus, qui Anastasio & suis sacerdotibus exilium indixerat, ex improuiso perculsus, cùm triginta octo annos integros & menses octo regnasset, ex luce migrauit.

A Vide Nicephor. li. 17. cap. 31.

FINIS QVARTI LIBRI.

EVAGRII SCHOLASTICI, ECCLESIASTICAE HISTORIAE LIBER QVINTVS.

Quintus liber continet acta sub Iustino secundo, & Tiberio annis octodecim. Huc igitur refer ex authoribus ad Eusebij lib. 1. & 2. supra relatis vitam Pontif. Rom. Benedicti, Pelagij Gregorij Magni: his adde tomos Concil. & Hæres. Item rerum Rom. siue Annalium Constantinop. lib 17 Blondum, Pomponium Lætum, Iornandem, Procopium, Agathium, Paul. Diac. AEmylium, Annonium, Iohannem Maiorem, Polydorum Virgil. & Michaelem Ritium.

Iustinus regnat anno Christi 565.

De Iustini creatione, & eius moribus. CAP. I.

Iustinus Imperatoria purpuria induitur.

IVstinianus igitur cùm omnia omnino turba ac tumultu compleuisset, mercedemq; his rebus debitam in extremo vitæ suæ tempore reportasset, ad supplicia iusto Dei iudicio apud inferos luenda profectus est. Iustinus aũt sororis eius filius, qui præfectus palatij fuit, purpura induitur Imperatoria, cũ nemo præter suos, vel Iustinianum mortem oppetiuisse, vel eum Imperatorem declaratum esse, vsque eò intelligeret, quoad in circo munera, quæ ius imperij postulat, tum ipse exequeretur, tum alij ei præstarent. Itaque his rebus confectis, cùm nemo omnino esset, qui nouis rebus studeret, ad aulam reuertitur. Ac primũ dat mandatum, † vt omnes episcopi & sacerdotes, qui ex omnibus locis in vnum Constantinopoli conuocati erant, ad suas ipsorũ dimitterentur sedes, vti consuetos cultus Deo sanctè religioseque adhiberent: nemoque quicquam quod ad fidem pertineret, nouare moliretur. Atque istud eius factum in laude quidem ponendum est. Verùm q̃ ad vitæ eius rationem attinet, delicijs reuera diffluxit & mollicie, in voluptatibus obscœnis volutatus, alienæ pecuniæ adeò ardenter appetens, vti omnia iniqui quæstus gratia diuenderet: imò verò etiam ipsa sacerdotia, diuinũ numen minimè reuerens, plebeijs hominib. venalia palàm exponeret. Quinetiam audacia & timiditate duobus vitijs contrarijs irretitus, primũ Iustinum cognatum, virum in magna gloria apud omnes, tum ob rerum bellicarum vsum, tum ob alia ornamenta, iam circiter Danubium ideo commorantem, vt Abaros, ne eo flumine traiecto in fines Romanorum irrumperent, prohiberet, ad se accersit. Isti Abari sunt ex gente Scytharum, qui Hamaxobij dicuntur, quiq̃ agros vltra Caucasum iacentes accolunt, oriundi. Qui Turcas vicinos suos, ab illis grauibus affecti incommodis, cũ omnibus suis fugientes, primùm ad Bosphorum venerunt: deinde littoribus Euxini Ponti relictis (vbi multæ gentes barbaræ habitabant illæ quidem, sed vrbes & castella à Romanis incolebantur, atque eò tum nonnulli milites rude donati aduentauerant, tum coloniæ erant de Imperatorum sententia deductæ) recto itinere contenderunt, omnibus barbaris qui ante pedes erant vsq; eò expugnatis, quoad Danubij ad littora peruenirent: vnde legatos miserunt ad Iustinianũ. Ex eo loco Iustinus accersebatur, eo nomine videlicet, vti conditionibus inter ipsum & Imperatorem Iustinum pactis frueretur. Nam quoniam ambo in simili vitæ splendore positi videbantur, & imperium ad vtrunq; spectaret, post magnam de rerum summa disceptationem & controuersiam conuenit inter eos, vt vter illorum ad imperij honorem ascenderet, alteri deferret secundas, eatenus quidem, vti licet secundas ab Imperatore, præ cæteris tamen omnibus primas obtineret.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 32.

Mandatum Iustini.

† Vide annot. pag. 169. lat. 2. lin. 23.

Plin. lib. 4. cap. 12. Abarorum origo.

Abari Turcas fugiunt.

Iustinus Imperatoris cognatus.

B

A

De Iustini cognati sui occisione. CAP. II.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 34.

QVapropter Iustinus Imperator beneuolẽtia quadam fronte simulata alterum Iustinum complectitur, & criminibus paulatim contra eum confictis, & satellitibus, militibus, prætorianis ac stipatoribus ab eo remotis, vetat, quò minus in publicum prodiret (domi enim assiduè se continuit) & tandem mandat, Alexandriam transportandum. In qua vrbe nocte intempesta, cùm iam decumberet in lecto, miserandum in modum interemptus est: istaque mercede tum ob beneuolentiam in Rempub. tum ob res præclarè in bello gestas remuneratus. Atque non priùs Imperatoris, eiusque coniugis furor & iracundiæ flamma restincta fuit, quàm caput eius ceruicibus abscissum oculis cernerent, inque illud calcibus insultarent.

Simulatio Imperatoris.

Imp. cognatum Iustinus miserandum in modum interemptus.

De execrabilibus Addæo & Aetherio. CAPVT III.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 34.

NOn longo tempore pòst, Aetherium & Addæum vtrunque ex ordine senatorio, qui principem locum apud Iustinianum diu tenuerant, in iudicium ob piaculum quoddam adducit Iustinus. Quorum alter, Aetherium dico, cõfessus est se animo instituisse, Imperatorẽ veneno conficere, habuisseque Addæum illius conatus socium, & in omnibus adiutorem. Verùm Addæus graui cum iureiurando affirmat, se istius rei prorsus ignarum esse. At vterque tamen securi percussus est: atque Addæus, cùm iam caput abscinderetur, dixit ingenuè, se, licet falsò de ijs rebus esset accusatus, iusta tamen debitaque à Deo facinoris cuiusq; contẽplatore & vindice sibi inflicta supplicia. Theodotum nanque aulæ præfectum se præstigijs quibusdam è medio sustulisse. Cæterùm ista itane se habeant, an secus, non possum equidem pro certo affirmare. Attamen vterque scelestus fuit: quippe Addæus insano puerorum amore exarsit: Aetherius autẽ nullum calumniæ genus præteriens, tum viuos, tum mortuos nomine aulæ Imperatoriæ, cui regnante Iustiniano præfuit, fortunis spoliauit. Atq; hæ res hunc habuêre exitum.

Aetherij & Addæi interitus.

Quod differtur, non auferetur.

De fide edicto, quod Iustinus ad Christianos vbicunq; scribendum curauit.

CAPVT IIII.

B

Vide Nicephor. li. 17. cap. 35.

POrrò autem edictum omnibus vbique Christianis à Iustino scriptum fuit, his ferè verbis: In nomine Domini IESV Christi Dei nostri, Imperator Cæsar, Fl. Iustinus: fidelis in Christo, Mansuetus, Max. Beneficus, Alamanicus, Gothicus, Germanicus, Anticus, Francicus, Erullicus, Gepidicus, Pius, Fortunatus, Gloriosus, Victor, Triũphator, semper Augustus.

Iustini pium edictum de fide Christiana & seruanda ecclesiæ concordia.

Ioan. 14.

Pacem meam do vobis, inquit Christus Dominus, verus Deus noster: pacem meam „ relinquo vobis, idem Dominus omnibus hominibus prædicat. Atque istud aliud nihil „ est, quàm vt credentes in eum, ad vnam eandemque Ecclesiam se conferant, in recta „ Christianorũ fide ipsi inter se consentiant, eosq; qui ei contradicunt, opinionémue aduersariam consectantur, penitùs detestentur. Est enim prima omnibus hominibus salus, ingenua veræ fidei confessio. Quocirca nos, tum præceptis Euangelicis, tum sancto symbolo, id est, doctrinæ sanctorum patrum obsequentes, hortamur omnes, vti ad „ vnam eandemque Ecclesiam & disciplinam se recipiant, credentes in patrem, & filiũ, „ & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, vnam deitatem, id est, naturam & „ substantiam, ratione & reipsa vnam, vim, potentiam & facultatem vnam in tribus personis glorificantes, in quas baptizati sumus, in quas credimus, quibus in vnum coniungimur. Vnitatem in Trinitate, & in vnitate Trinitatem adoramus, tum diuisionem habentem, tum coniunctionem planè admirabilem: vnitatem secundum substantiam, „ id est, diuinitatem, Trinitatem secundum proprietates, id est, personas (Diuiditur enim „ ratione, vt ita dicam, indiuidua: coniungitur autem diuidua. Siquidem diuinitas, vnum „ est in tribus, & tres vnum, in quibus est diuinitas, vel, vt accuratius dicam, quæ sunt ipsa „ diuinitas) Deum patrem, Deum filium, Deum Spiritum sanctum: quandoquidem singulæ personę per se considerantur, mente, ea quæ seiungi non possunt, seiungente, Deũ „ nimirum tres esse personas, quæ in vnum motus & naturæ, vt ita dicam, identitate coiunctæ intelliguntur. Nam oportet & vnum confiteri Deum, & tres personas, siue proprietates prædicare. Confitemur etiam ipsum vnigenitum filium Dei, Deum verbum „ ante secula & ab æternitate à patre genitum, non factum: & in nouissimis diebus propter nos & propter nostram salutem descendisse de cælis & incarnatum ex Spiritu sancto, & ex domina nostra, sancta & gloriosa Deipara, semperq; virgine Maria, & natum „ ex ea, qui est æqualis patri & Spiritui sancto. Nam quartæ personæ accessionem, id est,

Salus omnium hominum prima quæ.

Trinitatis diuisio & coniunctio.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Dei verbi incarnati, qui est vna persona trinitatis, sancta trinitas non admittit: sed est A
Christus quomodo pari et nobis consubstantialis. vnus & idem Dominus noster IESVS Christus, qui est consubstantialis patri secundum “
diuinitatem, nobis autem consubstantialis secundum humanitatem, patibilis quidem “
carne, diuinitate autem impatibilis. Non enim alium Deum verbum, qui miracula e- “
didit, & alium qui passus est, agnoscimus: sed vnum & eundem confitemur Dominum “
nostrum IESVM Christum, Dei verbum, incarnatum, & verè hominem factum, & tum “
miracula quæ edidit, tum afflictationes, quas sua sponte pro nostra salute carne susti- “
Christum sua sponte passionem pro nobis subijsse. nuit, vnius & eiusdem fuisse. Nam non homo aliquis se ipsum pro nobis tradidit, sed i- “
pse Deus verbum, qui sine diuinitatis mutatione factus est homo, & sua sponte passio- “
nem & mortem pro nobis subijt. Quapropter dum Deum illum confitemur, non infi- “
ciamur hominem esse: & dum illum confitemur hominem, Deum esse non negamus. “
Vnde dum vnum Dominum nostrum IESVM Christum ex vtraque natura, diuinitate “
& humanitate constare asserimus, non confusionem in vnitatē introducimus. Etenim “
quòd secundum nostram naturam factus sit homo, non desinet Deus esse: neque quòd “
Deus sit secundum suam naturam, similitudinemq; habeat nostræ similitudinis haud “
capacē, homo esse detrectabit: sed manet, sicut Deus in humanitate, sic nō minus in di- “
uinitatis præstantia, homo. Ambo igitur in eodem, & vnus Deus pariter & homo qui “
est Emanuel. Eundem porrò dum perfectum in diuinitate, perfectū quoq; in humani- †Vide annot. pag. 170. latin. lin. 33.
tate, ex quibus duabus rebus constat, concedimus,† vni eius compositæ personæ diuisi-
onem sectionemue particularem non inferimus: sed naturarum significamus differen-
tiam, quæ propter copulationem minimè tollitur. Siquidem neque diuina natura mu- “
tata est in humanam, neque humana natura in diuinam conuersa: sed quia vtraque in “
propriæ naturæ finitione rationeque melius intelligatur, existatque, idcirco copulatio- “
nem factam in persona dicimus. Copulatio autem, quæ est in persona, ostendit Deum “
verbum, hoc est, vnam ex tribus personis in diuinitate, non homini, qui antè extitit, cō- “
iunctum fuisse: sed in vtero dominæ nostræ sanctæ & gloriosæ Deiparæ, & semper vir- “
ginis Mariæ sibi ex ea in propria persona carnem nobis consubstantialem, & eisdem “
nobiscum affectionibus, peccato excepto, obnoxiam, eamque anima rationis & intelli- “
Christus eiusdem cum patre & Spiritu sancto gloriæ particeps. gentiæ participi imbutam fabricasse. In se namq; propriam habuit personam, & factus “
est homo, & est vnus & idem Dominus noster IESVS Christus, eiusdem cum patre & B
Spiritu sancto particeps gloriæ. Ac dum mente complectimur inexplicabilem eius co- “
pulationem, confitemur verè vnam naturam Dei verbi incarnatam carne, anima ra- “
tionali, & mentis participi imbuta. Rursus autem cùm cogitatione comprehendimus “
naturarum differentiam, duas naturas, nulla tamen inducta earum diremptione, asseri- “
mus. Nam in eo vtraque inest natura, & propterea vnum & eundem confitemur Chri- “
stum, vnum filium, vnam personam, siue vnam proprietatem essentiæ diuinæ, Deum “
pariter & hominem. Quocirca omnibus qui istis contraria vel senserunt, vel sentiunt, “
denunciamus anathema, alienosq; à sancta, Catholica, & Apostolica Dei Ecclesia iu- “
dicamus. Et cū recta veraque dogmata, quæ sancti patres nobis tradideruut, nobis præ- “
dicata sint: hortamur vos omnes, imò verò etiam obsecramus, vt in vnam eandemq; “
catholicā & Apostolicam Ecclesiam coalescatis. Nam nō grauamur, licet simus in hoc “
eximio imperij gradu locati, eiusmodi verbis pro omnium Christianorum concordia “
& coniunctione vti, eo quidem consilio, vti omnes vno ore laudē & gloriam Dei Opt. “
Max. & seruatoris nostri IESV Christi celebrent, & nemo de reliquo vlla de causa, vel “
de personis Trinitatis, vel de vlla syllaba in ea comprehensa digladietur: quandoqui- “
dem ipsæ syllabæ nos ad vnam & synceram fidem sententiamq; ferunt, & eadem con- “
suetudo & modus in sancta, catholica & Apostolica Dei Ecclesia hactenus omninò fir- “
mus & minimè nouatus manfit, & in vniuersum posterum tempus mansurus est. Huic “
edicto quanquam consensēre omnes, illudque, sicut vera fides posci, editum dixēre: “
membra tamen ecclesiæ, quæ opinionum varietate distracta erant, minimè fuerunt ad “
concordiam reducta, propterea quòd edictum planè & apertis verbis significauit, vnam “
consuetudinem in ecclesijs firmam & minimè nouatam hactenus mansisse, & in poste- “
rum tempus mansuram.

De Anastasij episcopi Theopolitani, id est, Antiocheni electione.

CAPVT V.

Anastasius cur à Iustino sede Antiochena sit exturbatus.

IVSTINVS porrò Anastasium, his illi obiectis criminibus, primùm quòd sacrum thesaurum extra modum & in nullum vsum necessarium profuderat, deinde quòd cōuicia in ipsum iecerat (Anastasiū enim, cùm rogaretur quid causæ esset, cur sacrū the- saurum tam effuse absumpsisset? ingenuè respondisse ferunt: Nea Iustino communi totius *Vide Nicephor. lib. 17. ca. 56*

A totius orbis pernicie diriperetur) sede Antiochena exturbauit. Quinetiam dicitur Iustinum Anastasio succensuisse, quòd postulanti ei pecuniam, cùm episcopus esset designatus, Anastasius dare noluit. Alia præterea crimina à quibusdam, qui Imperatoris instituto, credo, inseruire studebant, ei intendebantur.

Quòd Anastasio successit Gregorius episcopus, & quibus moribus præditus fuerit.

CAPVT VI.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 36.

POst illum Gregorius ad sacrum episcopatus gradum elatus fuit, qui ob poëticam facultatem magnam apud omnes gloriam consecutus est. Hic ineunte ætate monasticam viuendi viam ingressus, adeò viriliter & excelso animo in ea decertauit, vt cū iam primùm pubescere inciperet, ad summum & perfectissimum gradum peruenerit: præfueritque monasterio Constantinopoli, in quo vitam inopem & austeram degit. Deinde mādato Iustini, monasterio in mōte Syna præfectus fuit: vbi obsessus à barbaris Scenetis Arabibus, in grauissima incidit pericula. Accùm in illis locis pacem constituisset, inde ad episcopatum capessendum accersitus fuit. Erat vir quidem, siue prudentiā siue virtutem spectes, omninò præstantissimus, & ad quancunque rem animum suum applicaret, in ea perficienda longè diligentissimus: atque vt metu percelli non poterat, sic nullo modo adduci, vt vel sententia cederet, vel hominum pertimescret potestatem. Ita porrò magnificas pecuniarum fecit largitiones (liberalitate namque & beneficentia in quenq; vsus) vti cùm aliquò prodiret, ingens multitudo præter eos qui illum comitari consueuissent, eum sequerentur, & qui vel viderent vel audirent eum quopiam iturum, frequentes confluerent. Atque ad eximiam illius dignitatis amplitudinem, in qua collocatus fuit, hæc velut secunda adiecta fuêre ornamēta, q̄ videlicet homines sua sponte inducti, tam sæpe vel propè in eum intueri, vel verba facientem audire cuperent. Erat enim ad desiderium in animis omnium, qui quacunq; de causa, vel quocūq; modo ipsum cōpellassent, inserēdū aptissimus: admirabilis cū primis aspectu, sermone propter lepōrē iucundissimus. Et sicut ad rem quampiā intelligētię acumine extempore eliciendam peracutus, sic ad optimum consilium capiendum, & ad iudicādum tum de suis rebus, tum de alienis, solertissimus. Vnde etiam euenit, vt tot & tam egregia facinora gereret. nihil enim distulit in crastinum. In magnam præterea tradu- B xit admirationem, non solùm Imperatores Romanos, verùm etiam reges Persarum, propterea quòd omnibus ita vti poterat, sicut tum poscebat necessitas, tum occasio, quā non aliquando omisit, postulabat. Cuius quidem rei singulæ eius res gestæ argumento esse possunt. Erat quoque in eo multa seueritas, & interdum ira: nō exigua rursus, imò verò etiam permagna comitas & mansuetudo, vt illud prudens Gregorij Theologi dictum in eum optimè conueniret: Seueritas sic cum pudore temperata fuit, vti neutra res læderetur ab altera, sed vtraque alterius ope maximam consequeretur commendationem.

Anastasij successor Gregorius ob poeticam facultatem magnam apud omnes gloriam consequitur.

Vitæ eius & morum probitas.

Quòd qui Persarmeni dicti sunt, se ditioni Romanorum tradiderunt, atq; hinc bellum in Persas susceptum esse. CAPVT VII.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 37.

PRimo anno quo iste episcopatum administrauit, qui maiorem accolebant Armeniam (sic enim olim appellata est, postea tamen Persarmenia, quæ antè fuerat Romanis subiecta, & à Philippo, qui Gordiano successit, Saporæ prodita: atque vt Armenia, quæ minor dicitur, fuit in ditione Romanorum, sic reliqua tota Persis paruit) qui inquam maiorem accolebant, fidem Christianam professi, quoniam à cæteris Persis misere, & potissimum religionis suæ gratia vexabantur, clandestinam ad Iustinum misêre legationem, supplicaturi, vt Romanorum subijcerētur Imperio, quo liberè, nemine impediente diuinos cultus exequerentur. Quam legationem cùm Iustinus admisisset, & quædam conditiones in literis, quas ad eos dabat, explicatæ essent, & sacrosancto ac solenni iureiurando confirmatæ, Armenij suos ipsorum principes trucidant, & se cum suis omnibus Romano adiungunt Imperio. Quibuscum regio finitima, in qua homines cum eiusdem gentis, tum peregrini habitabant, vnà Romanorum ditioni accessit, duce Vardane, qui apud eos tum ob generis & honoris splendorem, tum ob peritiam rei militaris facilè primas obtinuit. Itaque Iustinus Chosroëm his de rebus eum insimulantem hac oratione repulit: Præfinitum paci tempus effluxisse, nec fas esse vt Christiani Christianos in tempore belli ad se confugientes desertos esse patiantur. Atque Iustinus, tametsi istud dedit responsum Chosroi, tamen ad bellum gerendum neutiquam se parat, sed consuetis delicijs tenetur irretitus, omniaque suæ voluptati postponit.

Armeniam. ior, Persarmenia, cur ad Romanos defecerit.

Iustini responsum ad Chosroem de suorum defectione conquerentem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Marciano duce, & obsidione Nisibis. CAP. VIII.

Marcianus à Iustino cū exercitu inepto missus aduersus Chosroem.

INterea Marcianum cognatum suum mittit ducem in Orientem, cui neq; exercitum aptum ad præliandum, neque res alias ad bellum gerendum necessarias suppeditat: qui non sine aperto discrimine & extremo de summa rerum periculo petit Mesopotamiam, ductis secum perpaucis militibus, ijsque inermibus: inter quos habuit & fossores & bubulcos nonnullos ex numero vectigalium exemptos. Leuem igitur pugnam circiter Nisibin contra Persas quosdam instituit, reliquis Persis nondum ad arma paratis: atque superiores adeptus, obsidet ciuitatem. At Persæ ne portas quidem occludere operæ precium putarunt, sed exercitum Romanum turpissimis affectum contumelijs penitùs contemnere visi sunt. Ac quanquam multa alia prodigia calamitates futuras portendentia visa fuêre, inter cætera tamen in ipso belli initio vitulus recens editus visus est, qui duo capita habuit ex vna ceruice excrescentia.

Persas aliquot superat. Nisibin obsidet.

Vitulus biceps

Quòd Chosroes, vbi contra Romanos Adaarmanem ducem emiserat, qui illos magnis multisq; cladibus affecit, ipse Nisibim profectus est.

CAPVT IX.

Adaarmanes Chosroæ dux.

CHosroës verò vbi satis ad bellum gerendum instructus fuit, Adaarmanem aliquo- Vide Nicephor. ca. 38. lib. 17.
usq; perductum trans Euphratem, qui in ditione sua erat, mittit cum exercitu: qui eius iussu in fines Imperij Romani per vrbem, quæ Circesium dicitur, irrumpit. Circesium aũt est vrbs Romanis opportunissima, in extremis oris ditionis Romanæ sita: quæ non solùm mœnibus firmè munita est ad immensam altitudinem erectis, verùm etiam Euphrate & Abora fluuijs circundata, & ab eisdem velut insula facta. Deinde ipse Tigrim fluuium vnà cum copijs suis transgressus Nisibin rectà contendit. Quæ res gestæ diu Romanos latuerunt, adeò vt Iustinus famę, Chosroëm aut mortuum esse, aut ad extremum spiritum edendum venisse loquenti, fidem adhiberet: iniquoq; animo & grauiter ferret, obsidionem Nisibis tardatam esse, missisq; quosdam qui Martianũ incitarent, & claues vrbis quàm primũ ad ipsum adferrent. Verùm vbi res minimè procedit, sed Iustinus grauem subit turpitudinis & infamiæ notam, propterea quòd in tanta & tam ampla vrbe obsidenda, cũ tam abiecto præsertim exercitu rem, quam nullo modo conficere poterat, tentare videbatur, primùm de ea fit certior Gregorius episcopus Antiochiæ. Nam huic episcopus Nisibis amicissimus fuit, magnis muneribus ab eo donatus, & propterea cùm insanam Persarum contumeliam contra Christianos admissam, qua semper ferè premebantur, ægrè admodum pateretur, & magnopere cuperet ciuitatem, cuius ipse fuit episcopus, in ditionem Romanorum venire, omnia quæ extra fines Romanorum circiter Nisibin gerebantur, significauit, opportuneque exposuit. Quę quidẽ Gregorius illicò ad Iustinum retulit, eiq; quã celerrimam declarauit Chosrois incursionem. At verò ille in consuetarum voluptatum sordibus volutatus, Gregorij literis neque animum attendere, neque fidem habere voluit, illud duntaxat verũ arbitratus, quod ipse in animum induxerat. Nam hominum intemperantiũ & luxu perditorum consuetudinem imitabatur, in quorum animis sicut ignauia insita est, ita de prospero rerum euentu nimis magna fiducia, & si quid contra ipsorum voluntatẽ acciderit, ei nolunt vllo modo fidem adiungere. Itaque scribit Gregorio, resque ad se relatas, quasi omninò veræ non sint, reijcit. Quòd si veræ sint, Persas non ante suos obsidionem occupaturos: sin autem antè occuparent, cum magno suo malò discessuros. Deinde mittit Acacium, hominem superbum & contumelioſum ad Martianum cum hoc mandato, vt, si Martianus alterum pedem in ciuitatẽ antè intulisset, honoris sui gradu cum abdicaret. Quod quidem factum est ab eo sedulò, idque non sine Reip. detrimento, quò Imperatoris mandato inseruiret. Nam profectus ad castra Romanorum, Martianum extra fines imperij versantem, insciente exercitu spoliat dignitate. Præfecti autem manipulares & centuriones, vbi peractis vigilijs didicerant ducẽ suum de honoris gradu dimotum, copias non vlterius ducunt, sed clàm se inde subducẽtes, sparsi fugiũt, obsidione cũ omnium irrisione dimissa. Adaarmanes igitur, qui Persarum & Sceneta-
rum barbarorum satis magnum & validum habebat exercitum, Circesium præteriens, res Romanorum incendio, occisione & alijs omnibus vastationis generibus populatur, nec quicquam elementiæ omninò vel cognitione complexus est, vel factis declarauit. Capit castella & pagos multos, nemine propterea repugnante, primùm quòd copię Romanæ nullum ducem habuêre: deinde quòd militibus circiter Daras à Chosroë circũclusis, populationes agrorum, & incursiones absque vllo timore fiebant. Inuadit porrò Chosroës Antiochiam per suos duntaxat milites (ipse namq; eò non venit) qui præter omnem

Gregorius Iustino amicissimus, frustra tamen bene consulit.

Stoliditate Iustini Martiano exasperato Romanus exercitus dilapsus, Nisibin relinquit.

Vide sequens caput.

Hostili exercitu remoto Per se impunè Romanorum diciones populantur.

A omnem spem inde fuêre repulsi, cùm tamen nemo vel pauci admodum in ciuitate remanerent: cumque episcopus inde fugisset, secumque eduxisset sacrum Ecclesiæ thesaurum, propterea quòd magna pars muri ceciderat, & populus, vt fit in ciusmodi præsertim temporibus, seditione conflata nouis rebus studebat: quibus fugientibus vrbs deserta relicta fuit, neque quisquam erat, qui vel ad machinas vllas contra hostes fabricandas, vel ad eisdem vllo modo resistendum animum intenderet.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 38.

De Apameæ & Daræ expugnatione. CAP. X.

Heraclea, post ea Gagalica.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 38.

POstea verò quàm hic conatus Adaarmani minimè successit ex sententia, vrbę, quæ olim Heraclea, postea autem Gagalica nominata est, incensa: Apameam, quã Seleucus filius Nicanoris habitatoribus compleuit, ciuitatem quondam beatam, temporis tamen diuturnitate multum diminutam & propè labefactatam, iter capit. Ac cùm vrbem quibusdam pactis conditionibus acquisiuisset, quoniam ciues resistere minimè poterant, muro præ vetustate ad terram collapso, eam totam igni absumpsit, & direptis omnium fortunis, & omnibus rebus contra pactas conditiones vastatis, & vrbe ipsa agrisque finitimis in seruiturem redactis, abijt: simulq; non episcopum solùm, sed præfectum vrbis etiam viuum secum abduxit. Quinetiam in itinere suo inde suscepto grauissima patrauit mala, obstante ne mine aut omnino resistente, paucissimis copijs exceptis à Iustino eò missis, quibus Magnus præfuit, qui antè mensæ argentariæ Cõstantinopoli præfuisse dicebatur, postea verò vnam ex ædibus Imperatorijs Iustini mandato procurasse: quæ quidem copiæ illinc profugientes attonitæ, parum aberat, quin captæ fuissent. Itaque Adaarmanes his rebus confectis, ad Chosroëm se recipit, qui ciuitatem obsessam nondum expugnauerat. Hic eius copijs adiunctus, & eas effecit valentiores, & suorum confirmauit animos, & hostes deniq; perterrefecit. Vrbem autẽ offendit vallo circundatam, & aggerem ingentem propè mœnia factum, & machinas ad vrbes capiendas accommodatas, & catapultas, tela ex locis superioribus commodè iaciẽtes, quæ vulgò balistæ vocantur. Quibus rebus adiutus Chosroës, vrbem tempore hyberno vi capit, Ioanne Timostrati filio, qui ei præerat, nullam curam ad hostem propulsandum suscipiente, imò verò eam prodente. Vtrumque enim dicitur. Obsederat autem vrbem Chosroës amplius quinque menses, nemine resistente. Omnibus igitur è ciuitate promiscuè eductis, & quibusdam miserandum in modum ibi interfectis, quàm plurimis autem viuis captis, vrbem vtpote sibi suisque opportunam, præsidio muniuit, ipseque domum regressus est.

Daræ expugnatio. Proditor Ioannes.

B

Quòd Iustinus Imperator cùm in phrenitidem incidisset, Tiberius totius imperij administrationem capessit. CAPVT XI.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 39.

HIs rebus auditis, Iustinus præ nimia insolentia ac superbia, sanitate animi & prudentia ex mentis domicilio exturbata, casum qui acciderat, multò acerbius, quàm humana fert consuetudo, tulit: indeque in morbum, quem Græci φρενῖτιδα vocant, id est, mentis alienationem & insaniam incidit, adeò vt de cætero rerũ quæ gerebantur, nullũ omnino sensum haberet. Itaq; Tiberius genere Thrax, qui facilè primas apud Iustinum obtinuit, Reip. capessit administrationem. Hunc Iustinus, ingenti collecto exercitu, ad congrediendum cũ Abaris iam pridem miserat. Qui quidem, militibus aspectum barbarorum haud ferentibus, parum aberat quin captus fuisset, nisi diuina prouidẽtia eum præter omnium opinionem seruasset, & in fines imperij Romani reduxisset incolumẽ: quippe temerarijs Iustini institutis obsecutus, ipse cũ tota Romana Rep. in periculum venit penitùs intereundi, & amplum imperij Romani decus barbaris concedendi ad occupandum.

Iustini phrenesis.

Tiberius imperij præfectus.

Iustini temeritas.

Quòd Traianus ad Chosroem legatione fungens, res Romanorum in integrum restituit.

CAPVT XII.

Vide Nicephor. li. 17. cap. 39.

PRoinde initum est maturè cõsilium rebus Romanis peropportunum & accommodatum, quo illud quod temeritate peccatum erat, in integrum restitutum est. Nam mittitur ad Chosroëm Traianus, vir eximius, ex ordine senatorio, magno inhonore ab omnibus tum ob canos tum ob singularem prudentiam habitus, nõ ex persona Imperatoris aut Reip. legationem obiturus, sed pro Sophia duntaxat Imperatrice verba facturus. Nam scripsit illa literas ad Chosroëm, quibus apud illum de viri calamitate deq; Rep. principe orbata conquesta est, & quòd nõ oporteat illum in mulierẽ viduam,

Traianus legatus Sophiæ Imperatricis ad Chosroen.

Universidad de Deusto
Biblioteca

in Imperatorem iacentem & afflictum, in Remp. desertam opeq; destitutam impetum facere. Nam ei olim morbo diuexato non modò parem benignitatem declaratam, verumetiam optimos quosque medicos à Rep. Romana ad ipsum missos, qui eum morbo leuarent. Quibus verbis persuasus fuit Chosroës: & quanquam in res Romanorum extemplò erat incursionem facturus: tamen ad triennium pacisci tur inducias pro partibus versus Orientem, simulque decretum fuit, vt Armenia simili frueretur cõditione, nullumque bellum ibi gereretur, neque quisquam partibus ad Orientem vergentibus quicquam facesseret molestiæ. Dum hæc geruntur in Oriente, Sermium oppidum à barbaris capitur: quod quidem fuerat iam olim à Gepidis occupatum, postea ab ijsdem Iustino traditum.

Chosroes verbis Imperatris obtemperat.

Tiberius Imp. anno Christi 576.

De cooptato in imperium Tiberio, & morbus eiusdem.

CAPVT XIII.

Tiberius Cæsar declaratur.

INterea temporis Iustinus de consilio Sophiæ Tiberium Cæsarem declarat, taliaque verba in eo declarando locutus est, qualia à nulla historia vel vetere vel recentiore sunt omninò commemorata, Deo videlicet propitio ei tempus largiente tum ad sua ipsius peccata confitenda, tum ad explicanda ea, quæ ex vsu Reip. forent. Nam cũ Ioannes episcopus vnà cum suis, cumque principes ac magistratus, cùm denique milites prętoriani in atrio sub dio, vbi eiusmodi negocia de more inueterato agi solent, in vnum cogerentur: Iustinus Tiberium tunica induens Imperatoria, & læna circumuestiens, sic clara voce locutus est: Ne te in errorem inducat vestis splendor, neque illustris ornatus istarum rerum, quæ sub aspectum cadunt, decipiat: quibus ipse in fraudem impulsus, imprudens meipsum grauissimis supplicijs obnoxium reddidi. Itaque tu in Rep. summa cum mansuetudine & animi lenitate regenda, mea vitia præstato. Atq; digito magistratus demonstrans: Non oportet, inquit, horum consilijs morem gerere. nam hi me in istas, quas cernis, miserias deduxerunt. Aliaque eius generis protulit verba, quæ omnes cũ in maximam traduxêre admirationem, tum ad immensam vim lachrymarum profundendam impulêre. Erat iste Tiberius corpore maximè procero & robusto, & pulchritudinis excellentia omnium opinione maior, adeò vt non regibus solùm & Imperatoribus, sed omnibus etiam hominibus facilè præstaret. Ac primùm quod ad corporis formã attinet, ea principatu planè digna fuit: quod autem spectat ad animũ, illum mansuetudo & benignitas exornarunt. Primò ipso aspectu omnes videbatur ad se diligendum inuitare. Diuitias eas putauit, quæ cuique satis essent ad largiendum, nõ solùm ad necessitatem, verumetiam ad affluentiã. Nam non istud modò considerabat, quòd, qui opis indigeant, illis beneficia accipienda sint: sed quòd Imperatorem Romanum deceat liberaliter dare. Aurum verò adulterium existimauit, quod cũ subiectorũ lachrymis collectum est. Qua re inductus, tributum vnius integri anni vectigalibus cõdonat. Quinetiam prædia, quæ Ardamanes tributis impositis ferè labefactauerat, quasi in libertatem vindicauit: & non modò damnum pro eius magnitudine, sed etiam cum fœnore sarciuit. Atque iniquas largitiones, pro quibus alij imperatores suos subiectos magistratibus pro libidine abutẽdos exponere, & quodammodo diuendere consueuerant, remisit: cauitq; per leges ne quid eiusmodi in posterum committeretur.

Iustini verba Tiberium in ausborantis.

Tiberius qualis fuerit.

Tiberij leges.

Quòd Tiberius Imperator coacto magno contra Chosroem exercitu, illum, ductore militum Iustiniano, ab Romanorum ditione repulit.

CAP. XIIII.

Tiberij contra Chosroen exercitus.

IDem Tiberius, cùm pecuniam malè & iniquè partam ita collocasset, sicut ratio & æquitas postulabat, res ad bellum faciendum necessarias parare, ingentem cogere exercitum virorum facilè præstantissimorum tam ex gentibus transalpinis circiter Rhenum incolentibus, quàm ex cisalpinis, quinetiam ex Massagetis, alijsque ex genere Scytharum, ex Pæonia præterea, Mysia, Illyria & Isauria collectorum, adeò vt propè centũ quinquaginta turmas equitum lectissimorum instructas haberet: quorũ subsidio Chosroëm, qui statim post Daras expugnatas, tempore æstiuo in Armeniam inuaserat, indeque iter versus Cæsaream vrbem Cappadociæ primariam susceperat, penitùs profligauit. Iste Chosroës tam insolenter se gessit aduersus imperium Romanũ, vt, cùm Imperator legatos ad eum misisset, illis ne se quidem adeundi potestatem facere dignaretur, sed iuberet eos Cæsaream vsque sequi. Ibi nanque se consilium de eorum legatione initurum dixit. Postquam verò exercitum Romanum ex aduerso sibi occurrentem, & à Iustiniano fratre Iustini, qui tam miserabiliter interfectus fuit, gubernatum, & armis

Vide Nicephor. li. 18. cap. 2.

Iustinianus dux Tiberij.

A mis firmè munitum, & tubas classicum canentes, & signa ad pugnam sublata, & milites acutè vociferantes, & in acie pulchro ordine locatos iram & furorẽ anhelantes, & tantum ac tam egregium equitatum, quantum nemo aliquando ex Imperatorum numero vel ipsa cogitatione cõceperit, animaduertit: vehementer obstupefactus, præ re tam insperata inexpectataq; ex intimo pectore ingemuit, & prælium exordiri noluit. Eum igitur pugnam differentem, cunctantem, terentem tempus, & callidè ludificantẽ Curs Scytha, qui dextro cornu exercitus Romani præfuit, adortus est: & cũ Persæ impetum eius ferre non possent, sed aciem penitùs desererent, Curs magnam cædem hostium fecit. Postremum agmen à tergo inuadit, vbi apparatus tum Chosrois, tum totius exercitus locatus fuit. Capit thesaurum Regis vniuersum, & omnem præterea apparatum bellicum, idque Chosroë inspectante toleranteque, atque hoc potius perpetiendum arbitrante, quàm Curs impetu facto in ipsum irrueret. Curs igitur cum suis magna pecuniæ vi & multis spolijs potitus est: iumenta cum sarcinis, inter quas ignis fuit, quẽ pro deo coluit Chosroës, abducit: atque Persarum exercitu repulso, lætum pæana canens, sub crepusculum redit ad suos, qui iam stationes, in quibus ordine locabantur, reliquerant. Et adhuc neque Chosroës, neq; illi præliari cœperant, sed quædam duntaxat velitares pugnæ factæ sunt, sicubi singuli ex vtroq; exercitu, vti fieri solet, cum singulis congrederentur. Chosroës autem ingenti rogo noctu accenso, prælium nocturnum instituit. Ac cùm Romani duos haberent exercitus, illum, qui versus Septentrionem erat, intempesta nocte adoritur. Quo repentè & de improuiso pedem referente, Melitinam vrbem sitam in proximo, præsidijs nudatam atque prorsus desertam à ciuibus, inuadit, qua igne absumpta, parat se ad fluuium Euphratem traijciendum. Vbi verò copiæ Romanorum in vnum coactæ eum sequi cœperunt, ipse metuens de salute sua, conscenso elephante, fluuium transmittit: magna autem pars exercitus sui tranando flumine vndis obruta est. Quã, submersam cùm accepisset, maturè decessit. Itaq; Chosroës hoc postremum supplicium pro insana temeritate contra Romanos admissa luens, vnà cum suis, qui supererant, in Oriẽtem reuertit. Ibi autem pactas habuit inducias, ne quis eum inuaderet. Iustinianus verò incursione cum toto exercitu in fines ditionis Persarum facta, tota hyeme ibi commoratus est, nemine quicquam omninò ei exhibente molestiarum. Circiter verò solstitium æstiuum redit, nulla parte exercitus amissa: atque in finibus, quibus Romanorum & Persarum imperium terminatur, cum magna vitę prosperitate & rerum gestarum gloria, totum æstatis tempus contriuit.

Chosroes obstupefactus prælium exordiri detrectat.

Curs Scytha dux Tiberij exercitum Chosrois fundit & impedimenta spoliaque capit.

Acta sunt hæc anno 578.

Quòd Chosroes, cum se superatum pugna dolenter tulisset, mortuus est, filio suo Hormisdæ Persarum Imperio relicto.

CAP. XV.

Vide Nicephor. ca. 2. lib. 18.

CHosroës autem ingenti doloris cumulo oppressus, animo fracto & ancipiti, cura debilitato languens, crebris denique & varijs ægritudinis fluctibus demersus, miserandum in modum interijt: ac legem quam scripsit, ne rex Persarum in posterum contra Romanos arma ferret, velut sempiternum suæ fugæ monimentum post se reliquit. Quo extincto, Ormisdes eius filius regnum capessit: de quo in præsentia omitto dicere, quandoquidem res deinceps exponendæ me ad se vocant, & sermonis nostri cursum eò transferri expectant.

Chosrois interitus.

Ormisdes Patri Chosroi succedit.

Quinam tum temporis præcipuarum Ecclesiarum episcopi fuerint.

CAPVT XVI.

CVm Ioannes, qui alio nomine Catelinus dicebatur, ex vita migrasset, Bonosus episcopatus Romani suscipit gubernacula: cui successit Ioannes alter, hunc rursus secutus est Pelagius. Episcopatum aũt Constantinopolitanum post Ioannem Eutychius, quietiã antea eundem rexerat, capessit. In sedem verò Alexandrinã, Apollinario mortuo, Ioannes successit: post quem Eulogius. Ad episcopatus Hierosolymitani gradum post Macarium ascendit Ioannes, qui in monasterio, quod ἀκοιμήτων dicitur, vitam valdè inopem & austeram transegerat: cuius temporibus nihil in statu ecclesiæ nouatum fuit.

Benedictus vocatur à Plætina.

Episcopi Romani Constantinopolitani. Alexandrini. Hierosolymitani.

De terræmotu Antiochiæ regnante Tiberio.

CAP. XVII.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 3.

ANtiochiæ porrò & Daphnæ, quæ est illi finitima, ad tertium annum imperij Tiberij Cæsaris tam ingens terræmotus in ipsa meridie extitit, vt Daphne tota eius

Daphnæ Antiochiæ finitima.

vi & impetu concideret, & Antiochiæ ædificia tam publica quàm priuata ad terram A
Terræmotus Antiochiæ Daphnæ, & Constantinopoli. vsq; disrumperentur illa quidem, sed non ita tamen, vti ad solum ruerent. Acciderunt præterea tum Antiochiæ, tum Cõstantinopoli alia nonnulla quæ longum sermonem requirunt: quæ quidem certè vtramq; vrbem grauiter exagitarunt, & in maximas turbas coniecerunt: atque vt ex diuino quodam zelo orta sunt, sic exitum habuêre planè admirabilem, de quibus deinceps verba facturus sum.

De tumultu qui propter sceleſtum Anatolium fiebat.

CAPVT XVIII.

Anatolius vnde cũ Gregorio familiaritatem conſtituerit. ANatolius quidam, vir primùm quidẽ plebeius & mollis, postea verò ad magistratus & alia munera obeunda subdolè, nescio quo modo arrepsit, & Antiochiæ ætatem traduxit. Quo in loco res, quas habebat in manibus, sedulò exécutus est. Vnde cum Gregorio eius vrbis antistite maximã conflauit familiaritatem: persæpeque illum adijt, partim gratia de negocijs suis colloquendi, partim vt maiorẽ authoritatẽ ex crebra eius cõsuetudine sibi conciliaret. Iste Anatolius hostias simulachris immolasse fortè deprehensus est: qui cùm vocaretur in quæstionem, homo impius, præstigiator, & infinitis inuolutus sceleribus repertus fuit. Et tamen parum aberat, quin & ipse & sui omnes (habuit nanque alios sui similes, qui idolis itidem sacrificasse manifestò tenebantur) liberi dimissi fuissent, nisi populus excitato tumultu, omnia turbis ita miscuisset, vt consiliũ de illis impijs initum eo pacto diremptum esset. Quinetiam contra Gregorium episcopum clamores tolluntur, eum consilij Anatolij participem fuisse palàm prædicatur. Porrò autem execrabilis dæmon, humanæ vitæ perturbator, nonnullos induxerat, vt victimis immolandis cum Anatolio se socios adiungerẽt. Hinc Gregorius in maximũ venit discrimen, populo eum grauissimè exagitante insectãteq;: hinc etiam tam vehemens in illum mouebatur suspicio, vt Imperator ipse Tiberius coràm ex ore Anatolij rei veritatem expiscari laboraret. Mandatum igitur dat, vt Anatolius & sui omnes Cõstantinopolim quàm celerrimè aduentarent. Quibus rebus cognitis, Anatolius ad imaginem quandam Mariæ Deiparæ funẽ in carcere sublimem appensam accurrens, manibus à tergo complicatis se ei supplicare precesque adhibere ostendit. Illa autem eum velut sacrilegum detestata, & vt Deo inuisum coarguens, penitùs abs se auertit: spectaculum planè horribile, & sempiternæ memoriæ prodendum. Quod quidem à præsidiarijs militibus & ab his, quibus illius custodia commissa fuit, visum est, & ab ijsdem omnibus alijs diuulgatum. Apparuit item Deipara rẽ ipsa nonnullis alijs fidelibus, eosque contra scelestum illum incitauit, inquiens, Anatolium filium suum contumelijs afficere. Vbi verò Anatolius ad vrbẽ Constantinopolim deductus fuit, & ibi verberibus supra modum cæsus, nihil contra episcopum potuit dicere, ipse cũ suis maioris tumultus & seditionis planè popularis ciuitati author & causa extitit. Nam cùm quidam illorum sententiam haberent de se pronunciatã, vt non morte, sed exilio duntaxat mulctarentur: populus diuino quodam zelo incensus, omnia turbare, bile & iracundia exardescere, exilioque damnatos rapere cœpit: qui in nauem piscatoriam impositi, totius populi suffragijs viui ignis tradebantur incendio. Contra Imperatorem porrò & Eutychium episcopum suum tanquam fidei proditores grauiter vociferari. Nec dubiũ quin & Eutychium & eos quibus potestas in Anatolium cum suis inquirendi permissa fuit, (istos nanque in singulis locis conquirere, & vndique circumsidere cœperunt) prorsus è medio sustulissent, nisi Dei prouidentia, quæ omnium saluti prospicit, illos è quærentium manibus eripuisset, & tam ingentis populi multitudinis furorem pedetentim sedauisset: siquidem ita factum est, vt neque vllum atrox facinus eorum manibus ederetur, & Anatolius primùm in amphitheatro bestijs expositus, ab ijsdem dilaniaretur, deinde ageretur in crucem. Neque tamen ita finem suppliciorum sibi inflictorum reperit. Nã lupi corpus eius in terram disturbantes (quod antè nunquam visum fuisset) pastu crudeli membratim deuorarunt. Erat autem quidam è nostris hominibus, qui prius quàm res istæ confectæ essent, dixerat, se secundum quietem vidisse, sententiam contra Anatolium ac suos à populo latam. Quinetiam vir illustris, qui Imperatoris palatio præfuit, quique partes Anatolij acriter admodum tuebatur, dixerat quoque, se vidisse Deiparam Mariam, eamque sic ipsi locutam:

Quousque defendis causam Anatolij, qui tumme,
tum filium meum tantis onerat contume-
lijs? Sed de his hoc modo.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 4.

Gregorius episcopus obſa miliaritatem eiusdem idololatriæ cũ Antiocho inſimulatus.

Anatolius Dijs ſacrificare deprehenſus.

Imago Deiparæ virginis ſupplicem Anatolium auerſata multis videntib.

Cauariæ. Vide Bayſiũ.

Populi Conſtantinopolitani furor in iudices propter nimis leue in idololatras iudicium.

Anatolij ſupplicium dignũ

Diapara virgo patronos Anatolij reprehendit.

B

Cultus imaginum, vide ſupra li. 4. ca. 26.

De

A *De Mauricij præfectura, & eius virtutibus.*

CAP. XIX.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 5. TIberius Iustino mortuo corona decoratus Imperatoria, Iustinianum honore propterea spoliat, quòd non tam feliciter atque antea contra barbaros depugnauerat. Ducem verò Orientis designat Mauricium, qui & genus & nomen traxit ab antiqua Roma: verùm ob parentes, ex quibus proximè oriundus est, Arabissum vrbem Cappadociæ patriam agnouit. Vir erat prudens, ingeniosus, in rebus quibusque diligens, animo constans ac stabilis: ipsa vitæ ratione & moribus compositus, beneque cultus. Ventris etiam cupiditates sic coërcuit, vt non modò rebus necessarijs & facilè parabilibus, verùm etiam alijs omnibus, quibus vita intemperans se insolenter efferre solet, abstinuerit. Vulgus hominum non facilè admisit ad colloquium, neque aures cuiusque sermonibus patefecit, quippe qui sciret alterum contemptum, alterum assentationem parere. Rarò se adeundi concessit potestatem, eamque non nisi vehementer oratus largitus est. Aures sermoni superuacaneo obturauit non cera, vt est apud Poëtam: sed ratione, vt illa pro claui existeret, quæ eas hominum sermonibus commodè tum aperiret, tum occluderet. Insciriam autem matrem audaciæ, & timiditatem, quæ ei vicina & finitima est, sic ab se depulit, vt in temeritate periculum, in cunctatione securitatem esse censeret. Quippe fortitudo & prudentia, quæ in eius animo insidebant, sic ferebantur ad res gerendas, sicut temporum momenta postulabant, habenasq; appetitionis ita direxerunt, vti vsus rerum requirebat, adeò vt in ea tum remittenda, tum intendenda modus quidam & moderatio conseruaretur. Sed de hac re postea accuratius disputabimus. Nã quàm egregius quisque sit, & qualem naturam moresque habeat, ex eius imperio considerandum est: quæ vna res hominem solet perspicuè, qualis sit, ostendere: quandoquidem cùm libera sit ei viuendi potestas, ea, quæ sunt in animi domicilio recondita, omnium oculis subijcit ad contemplandum. Iste Mauricius, cũ bellum in exteris regionibus gereret, ciuitates & arces Persis accommodatissimas cœpit, tantamque prædam inde auexit, vt insulas, vrbes, agrosque diu ab hominibus desertos, captiuis, quos abduxerat, compleret: terramque, quæ antè cultura omninò caruerat, iam sedulò coli efficeret: atque adeò ex illis hominibus ingentem cogeret exercitum, qui contra alias gentes valde viriliter & excelso animo dimicarunt: denique quamque familiam domesticis
B ministerijs impleret, quoniam captiui quàm minimo comparari poterant.

Tiberius adeũtam Iuſtiniano præfecturã Mauricio tradit.

Mauricij mores.

Odyſſ. 22.

Eiuſdem aduerſus Perſas præclarè geſta.

Quòd Mauricius Chosroem & Adaarmanem Persarum ductores superauit.

CAP. XX.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 5. POrrò autem idem Mauricius cum præstantissimis quibusque Persarum, vtpote cum TamoChosroë & Adaarmane, qui copias ingentes ad bellum faciendũ ducebant, prælijs decertauit. Verùm quo modo, quóue tempore, & qua fortuna res istæ ab eo gestæ sint, vel alij literis persequantur, vel nos in alio Opere seperato, (præsertim cùm in Opere, quod in manibus est, aliarum rerum explicationem simus polliciti) fortasse exponemus. Tantum tamen hoc loco dicam, TamoChosroëm in acie non exercitus Romani fortitudine, sed sola ducis pietate, & in Deum fide cecidisse: Adaarmanem autem viribus in prælio profligatum, ac multis amissis copijs versum in fugam, idque cùm nõ solùm Alamundarus, barbarorum Scenetarum dux, Mauriciũ propterera prodiderat, quòd fluuium Euphratem traijcere, & contra Scenetas barbaros, qui ex aduersis partibus militabant, ei subsidio venire noluit (isti enim Scenetæ ab alijs propter equorum velocitatem euinci non possunt, neque sicubi intercluſi sint, capi: sed hostes, dum fuga sit ipsis facienda, longè præuertunt) verumetiam Theodoricus dux Scytharum, qui intra teli iactum consistere non audebat, sed se cum suis illicò fugæ mandauit.

Mauricius cũ quibus decertarit

TamoChosroes, & Adaarmanes à Mauricio ſæpe perati.

Alamandarus Scenetarum dux.

Theodoricus dux Scytharum.

De signis quæ Mauricij imperium indicabant.

CAP. XXI.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 9. SIGNA quoque diuinitùs ostentata antegressa sunt, quæ Mauricium Imperatorem fore præsignificarunt. Nam ad multam noctem ei intra Sanctuarium templi sanctæ & castissimæ virgini & Deiparæ Mariæ dedicati, quod quidem ab Antiochenis templum Iustiniani nuncupatur, thus incẽsum offerenti, aulæum sacræ mensæ igne conflagrare visum est, adeò vt ingens admiratio ac stupor illum inceſſerit, visionẽque magnopere extimuerit. Cui astans Gregorius illius vrbis episcopus dixit, visionem cælitùs

Mauricio quæ ſigna diuinitus oſtenſa.

t.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. cælitùs demissam esse, & summum ei splendorem atque eximium portendere. Appa-
A ruit præterea versus Orientem re ipsa Christus Deus, vltionem de hostibus requirens.
Qua quidem visione Impe rium Mauricij perspicuè prænostratum est. Nam à quo
quæso, nisi ab Imperatore, & ab homine, qui ipsum piè colebat, rem eiusmodi postula-
ret? Quinetiam mihi de his rebus percunctanti, aliæ res sanè memorabiles & dignæ hi-
3. storia à parentibus suis narratæ sunt. Nam pater eius memorauit, se eo tempore, quo
Mauricius conceptus fuit, in somnio vidisse vitem maximam ex suo cubili pullulasce-
4. re, & botros ferè innumerabiles & maturos ex ea dependère. Mater autem narrauit, ter-
ram tempore partus sui suaueolentem odorem, peregrinum, & alternis vicibus varia-
ἔμπασα. tum ex se efflasse: atque sæpe laruam, quam Græci ἔμπασαμ vocant, infantem de loco in
5. locum mouisse, tanquam illum voraturam, minimè tamen ei nocere posse. Itemque
Symeones, qui prope Antiochiam in columna habitauit, vir ad res quasque prudẽter
6. ac studiosè exequendas aptissimus, & omnibus diuinis virtutibus eximiè ornatus, mul-
ta cũ verbis, tum factis expressit, quæ Mauricium Imperatorem fore planè indicarunt.
Symeones stylites. De quo Symeone, quæ sunt ad commemorandum accommodata, proximus liber ex-
plicabit.

Hinc porrò liber hic quintus vnà cum sexto continet acta Mauricij annis 12. vt Euagrius ipse testatur cap. vlt. libri sexti. Refer igitur huc vitam Gregorij Magni Pontif. & scriptores illos vniuersos quos adnotauimus supra ad principium huius libri quinti.

Mauricius Imp. anno 584. Vide Nicephor. li. 18. cap. 8.

De Mauricij & Augustæ creatione. CAP. XXII.

Tiberius Augustam Mauricio in matrimonium collocat. CVm autem Tiberius iam propè ad extremum spiritum edendum ve niret, Mauri-
cio, qui ad Imperium gubernandum iam elatus fuit, filiam Augustam collocauit
in matrimonium, & imperium pro dote tribuit: qui tametsi ad exiguum tempus in ad-
ministrando imperio ætatem propagauit, tamen pro rebus præclarè à se gestis (quas qui-
dem hoc sermone commodè complecti non possumus) tum immortalem nominis sui
memoriam, tum optimam Reip. hæreditatem, Mauricium nempe, quem Imperatorẽ
Mauricius imperium dotale habuit. declarauerat, Reip. reliquit: quique etiam sua ipsius nomina illis impertiuit: siquidem
Mauricium Tiberium, Augustam Constantinam appellauit. Quæ verò res ab illis ge-
stæ sint, proximus liber, Dei iuuante gratia, perdocebit.

De temporis, à Iustino Iuniore vsq; ad Mauricium, supputatione. CAPVT XXIII. B

Iustinus iunior quandiu regnarit. VT autem ordinem temporum accuratissimè complectamur, intelligendum est,
Iustinum Iuniorem per se solùm ad annos duodecim & menses decem cum dimi-
dio regnasse, atque vnà cum Tiberio ad annos tres & vndecim menses, totumque tem-
Desideratur aliquid in Græco codice Vide Cusp. Numerus annorũ desideratur. Vide Chron. Euseb pus regni sui annos sedecim & nouem menses cum dimidio complexum esse. Regna-
uit autem Tiberius per se solum annos quatuor, cum Iustino autem annos tres & men-
ses vndecim: adeò vt si annos à Romulo ad declarationem Mauricij Imperatoris in v-
num colligere volumus, erunt sicut tum numerus annorum antegressus, tum hic, quẽ
in præsentia subduximus, manifestò declarat.

De Historiæ serie ad nos vsque seruata. CAP. XXIIII.

Quid scriptis suis complexi sint Eusebius, Theodoritus, Sozomenus, Socrates. QVod autem ad seriem temporum, quam Ecclesiastica postulat historia, attinet, eã
quidem in monumentis eorum, qui eandem historiam scripserunt, strictim &
breuiter tradita est. Nam tempora à Christo ad Constantinum complexus est Eusebius:
à Constantino ad Theodosium iuniorem, Theodoritus, Sozomenus & Socrates: de
cuius Imperatoris rebus gestis etiam hoc opus, quod habemus in manibus, multa disse-
ruit. Quod verò spectat tum ad veterem, tum ad externam historiam, qua res ab initio
Moyses. mundi gestæ continentur, est illa quidem ordine à diligentibus scriptoribus literis mã-
data. Etenim primum Moyses historiam scribere exorsus (vti est ab illis, qui has res in
vnum colligunt, perspicuè demonstratum) res à primis mundi iactis fundamẽtis gestas,
Esdras & prophetæ. Iosephus. verè, sicut à Deo, qui cum in monte Sina collocutus est, didicerat, literis prodidit. Dein-
de alij qui hunc secuti, viam ad nostram religionem muniebant, res deinceps gestas sa-
cris monumentis exposuerunt. Longam porrò Iosephus scripsit historiam, eamque
refertam vtilitate cuiusque generis. Quæ verò vel fabulis commentitijs redundantia,
Charax. Theopompus. Ephorus. vel re ipsa à Græcis & veteribus barbaris gesta, qui & ipsi inter se & alteri contra alteros
multa prælia commiserunt, referuntur, aut si quid aliud post homines natos factum
constat, hæc omnia tũ à Charace, Theopompo & Ephoro, tum ab alijs ferè infinitis con-
scripta sunt. Quod autem pertinet ad res gestas Romanorum, quę totius penè orbis ter-
rarum

A rarum historiam complectuntur, aut si quid aliud acciderit, siue ex mutua inter ipsos
discordia, siue ex bellis contra alios susceptis, sunt ista à Dionysio Halicarnassæo accu- *Dionysius Halicarnasæus.*
ratè scriptis prodita: qui historiam ab illorum ætate, qui Aborigines vocantur, ad Pyr-
rhum regem Epiri deduxit. Ex cuius temporibus ad euersionem Carthaginis, Polybius *Polybius.*
Megalopolitanus res gestas explicauit: quarum singulas scitè & solerti cum iudicio di-
stinxit Appianus, easque licet varijs temporibus confectas in vnum congessit: quinetiã, *Appianus.*
quæ post illorum ætatem facta sunt, itidem commemorauit. Porrò res vsq; ad Iulium *Diodorus Siculus.*
Cæsarem gestæ, à Diodoro quoque Siculo sunt expositæ: & à Dione Cassio, qui histo- *Dion Cassius.*
riam ad Antonium ex Emesa ortum deduxit. Eadem ferè aut similia sunt ab Herodia- *Herodianus.*
no, qui ad mortem Maximi finem scribendi fecit, explanata. Itemque Nicostratus So- *Nicostratus Sophista.*
phista ex Trapezunte, res gestas ab imperio Philippi, qui Gordiano successit, vsque ad
Odænathum ex Palmyra satum, turpem ignominiosamque Valeriani contra Persas
expeditionem narrauit. De eisdem quoque Dexippus scripsit plurima, qui historiã or- *Dexippus.*
sus est à regno Medorum, & ad Imperiũ Claudij, qui successit Galieno, eam continua-
uit, A quo literis etiã consignata sunt ea, quæ Carpi, & aliæ gentes barbaræ in Hellade, *Eusebius.*
Thracia & Ionia bello gerendo confecerunt. Eusebius item initium ab Imperatore O-
ctauiano capiens, ad Traiani & Marci tempora, quinetiam ad mortem Cari historiam *Arianus.*
prouexit. De eisdem temporibus quædam sunt ab Ariano & Asinio Quadrato nota- *Asinius Quadratus.*
ta. Tempora autem quæ sunt deinceps consecuta vsque ad Arcadium & Honorium *Zosimus.*
Imperatores, pertexuit Zosimus: res verò post eorum ætatem gestas, Priscus Rhetor & *Priscus Rhetor.*
alij complexi sunt. Quas res omnes Eustathius Epiphanẽsis strictim quidem, sed præ- *Eustathius Epiphanensis.*
clarè tamen in primis, duobus voluminibus persecutus est: quorum alterum res ge-
stas à mundi primordio ad IIij vastationem, alterum ab eo tempore ad duodecimum
annum imperij Anastasij comprehẽdit. Quæ deinceps ad tempora Iustiniani facta sunt, *Procopius Rhetor.*
scribit Procopius Rhetor.

Tempora quæ post secuta sunt, etsi Agathius rhetor & Ioannes tũ ciuis, tum cogna- *Agathius. Iohannes.*
tus meus ordine exposuerunt, ad tempus non solùm quo Chosroës Iunior ad Roma-
nos profugit, verùm etiam quo in regnum restitutus est per Mauricium (qui ad eã rem
conficiendam minimè languescere, sed strenuè, vt decebat Imperatorem, aggredi visus
B est, & Chosroëm cum magna pecuniæ vi & exercitu in regnum deducere) tamen Hi-
storias suas hactenus non ediderunt. De quibus postea etiam, benigna Dei gratia nobis
facultatem largiente, ea quæ sunt consentanea, differere animus est.

FINIS QVINTI LIBRI.

EVAGRII SCHOLASTICI
ECCLESIASTICAE HISTORIAE
LIBER SEXTVS.

De Mauricij & Augustæ nuptijs. CAPVT I.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 8.

Mauricij & Augustæ nuptiæ, earũq; magnificus apparatus.

MAVRICIVS susceptis Imperij gubernaculis, primùm ea quę
ad nuptias spectabant, apparauit: deinde Augustam, alio nomi-
ne Cõstantinam appellatam, ritibus, quos decus exigit imperij,
solenniter celebratis, vinculo matrimonij sibi copulauit: tum
pompam magnificè ac splendidè egit nuptiarum: postremo cõ-
uiuia publica cum summo splendore per totam vrbem agitan-
da curauit. Aderant aũt his nuptijs vera pietas & regia magnifi-
centia, quæ eas & præclarissimo comitatu & muneribus hono-
rificẽtissimis adornauêre. Nam altera non solũ vtrunq; Mauri-
cij parentem (q̃ nulli antè Imperatori euenisse aliquando traditũ est) nuptias decora ca-
nicie, & rugis planè venerandis cohonestaturũ, verum etiã fratres pulchritudine & for-
ma eximios, ea solẽnia exornaturos adduxit. Altera verò vestẽ auro intertextã, purpura
& lapidib. Indicis collustratã, coronas multo auro & magna lapidũ prætiosorũ varieta
te ac splendore illuminatas, & oẽs nobiles tam qui in militiam, quã qui in aulã ascripti
erant, attulit: qui quidem & tędas accendebãt nuptiales, & splendidè ornateque, quò se
magis

Universidad de Deusto
Biblioteca

magis in luce & in oculis omnium collocarent, solennem illam nuptiarum celebritatem decorabant: sic vt pompa illa nihil inter homines vel illustrius vel beatius vnquā factum esse memoriæ proditum sit. Quinetiam Damophilus rerum Romanarum scriptor ait, Plutarchum Chæroneum scitè quidem dixisse, quòd huius vnius vrbis gratia (Romam dico) virtus & fortuna societatem inter ipsas coiuerunt: at ipse equidem dicerem, pietatem veram & felicitatem in vno Mauricio ad hunc modum propterea coiuisse, quòd vera pietas felicitatem vi sua adesse coegit, & neutiquam omnino eam euerti labefactariue passa est. His rebus confectis, Mauricius deinceps non corpus modò, verùm etiam animum eximia purpura & corona vestiuit. Nam solus ferè ex Imperatorum numero sibi ipsi imperare nititur, & Imperator reuera factus, primùm popularem perturbationum statum ex animo suo exigere: deinde statum optimatum in rationis domicilio constituens, viuum se virtutis exemplar præbere, quò subiectos ad se imitandū erudiret. Atque ista dicuntur à me quidem, non vti eum blandicijs & assentatione deliniam (cur enim amabo hæc à me ad eum finem dicerentur, cùm ille, quæ ipse literis prodo, penitùs ignoret?) sed quòd tum dona à Deo ei tam munificè tributa, tum res quæ tam varijs modis adeò prosperè & feliciter acciderunt, ea ita se habere liquidò ostendunt. Quæ sanè omnia ex animo & ingenuè Deo accepta referre debemus.

Damophilus historicus.

Mauricius vi virtutis Imperatoriæ exemplar.

De Alamundaro Saraceno & nato eius Naamanè.

CAPVT II.

ISte Imperator præter cæteros omnes operam dabat, vt nullius sanguis, qui læsæ maiestatis reus fuit, omnino funderetur: & propterea ne Alamūdarum quidem Scenitarum Arabum ducem, qui ipsum (vt antè commemoraui) prodiderat, mulctauit morte: sed vna sola insula expulsum cum vxore & quibusdam liberorū, iussit mulctæ loco in Siciliam demigrare. Quinetiam Naamanem huius filiū, qui infinita mala in Remp. in uexerat, qui vtranq; Phœniciam & Palestinam populatus fuerat, qui denique eadem regiones opera barbarorum, quos circum se habebat, eodem tempore, quo pater Alamundarus capiebatur, in seruitutem redegerat, cùm omnes morti addixissent, in libera tenuit custodia, nulloque præterea supplicio affecit. Eadem quoque clementia erga infinitos alios ab eo ostentata est, vti singillatim, cùm locus opportunus inciderit, declarabo.

Alamundarū mulctæ loco in Siciliam migrare iubet Mauricius ra metsi maiestatis reum.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 10.

De Ioannis præfectura, & Philippico, & quæ ab eis gesta sunt.

CAPVT III.

DVx verò copiarum in Oriente militantium primū Ioannes, genere Thrax, à Mauricio missus est, qui in nonnullis prælijs malè rem gerens, in alijs rursus, quod antè peccauerat, farciens, nihil, quod sit in laude ponendum, transegit. Deinde Philippicus, affinitate cum Mauricio (vnam namque ex sororibus duxerat vxorem) coniunctus: qui extra fines Imperij Romani in regiones alienas egressus, omnia quæ ante pedes erant, depopulatus est, magnisque spolijs potitus, multos tum ex nobilibus & patricijs Nisibis, tum ex alijs qui cis Tigrim fluuium accolebant, interfecit. Congreditur porrò cum Persis, & graui commisso prælio, multos è Persis eosque illustres prostrauit, complures vinos cepit. atque vnam turmam, quæ in collem opportuno in loco situm confugerat, cùm capere posset, dimisit illæsam: quæ quidem pollicebatur, se quàm primùm ad regē suum legatos de pace missuram. Alias præterea res, dum copias Romanorum ductabat, confecit, militesque à luxu & delicijs vindicauit, & velut freno ad modestiam & obsequentiā assuefecit. Quas res his qui vel de eiusmodi modo scripserint, vel scribere sint aggressuri, eatenus si placet persequendas relinquimus, quatenus vel auditione acceperint, vel conceperint opinione: quorum oratio præ ignoratione labi, atque adeò claudicare, & vel præ nimio partium studio remissa, vel præ nimio odio cæcata à vero aberrare solet.

Philippici spolia & virtus.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 10.

De Prisci præfectura, & quæ facto repentè à militibus suis in eum impetu, perpessus sit. CAPVT IIII.

POST Philippicum illud ducis munus capessit Priscus, ad quem sine cauſis grauibus & necessarijs non facilis & expeditus patebat aditus: quippe existimauit, si modò multum ipse secū solus versaretur, tum se omnia ex sententia gesturū, tum copias quibus præfuit, eo pacto inductas ad metuendum, multò facilius eius mandatis obtempera-

Priscus Philippici ducis munus capessit.

Vide Nicephor. li. 18. cap. 11.

A obtemperaturas. Verum cum ad exercitum supercilijs elatis, insolenti obtutu & toto corporis habitu ad nimiam arrogantiam composito accederet, militibusq; nonnulla de militum in bellis gerendis tolerantia, de exquisita armatura, deniq; de præmijs quæ essent à rep. accepturi, exposuisset: illi antè de ijs rebus satis persuasi, palàm suæ iræ furorem ostendere, simulq; eò prorumpentes, vbi tentorium sibi posuerat, omnem magnificum eius apparatum & thesaurum preciosissimum barbarorū more diripere cœperunt: atq; parum certè aberat, quin eum ipsum confecissent, nisi equo quodam vectario conscenso, Edessam properè confugisset: quam vrbem, missis quibusdam copijs, oblidebant, Priscumque repetebant.

Prisci arrogantia per milites reiusa.

De Germano, qui Imperij summam inuito reluctanteq; animo suscepit. CAPVT V.

Vide Nicephor. lib. 18. ca. 11.

VBi verò ciues Edessæ Priscum reddere noluerunt, milites eo relicto, Germanum copiarum in Phœnicia Libanesiensi militantium ducem vi manuque captum, suum ducem atq; adeò imperatorem designant. Cum autem is id muneris recusaret, illiq; instarent acrius, & grauis contentio vtring; oriretur, partim quòd hic cogi noluit, illi eum compellere conati sunt: & cū illi minarentur se eum interfecturos, ni sponte munus illud susciperet, hicq; planè declararet, se neq; metuere, neq; vlla ex parte attonitum esse, tandem cum verberibus cædere, & corporis membra mutilare aggrediuntur: quos cruciatus illum minimè toleraturum (nam eum neutiquam plus habere duritiæ ad plagas ferendas, quàm quod natura eius ætasq; præ se ferebat) in animum induxerunt. Eum igitur aggressi, & quid pati posset, experti, cautione quidem & clementia, ne eum grauiter læderent, adhibita, tandem eorum instituto assentiri, & iusurandum dare, se reuera fidem illis seruaturum cogunt. Itaque ad eum modum, illum, cui ipsi imperauerant, imperare; & quem rexerant, regere: & quem velut captiuum duxerant, ipsis dominari compellebant. Quinetiam alios omnes ordinum præfectos, duces, manipulares, tribunos, centuriones, & decuriones de gradibus suis deturbant, sibiq; quos volunt, præficiunt: Imperium denique maledictis figunt. Et quanquam erga vectigales gerebant se moderatius, quàm barbari solent: tamen erga socios & reip. administros animo erant planè alieno. Nam neque commeatum mensura aut pondere accipere, neque diuersorijs sibi præstitutis contenti esse voluerunt: sed mens cuiusque cuique lex, & voluntas pro regula præscripta fuit.

Germanus copiarum dux designatus.

Germanus ad imperatorium munus suscipiendū à militibus coactus.

Quòd cum rursus Philippicum Imperator emitteret, exercitus illum recusauit. CAPVT VI.

Vide Nicec. lib. 18. c. 11.

IMperator igitur mittit Philippicum, qui istas res corrigeret: quem milites non solùm non admiserunt, sed si quem eius partibus fauere suspicarentur, eum in grauissimum vitæ discrimen adduxerunt.

Philippicum exercitus recusat.

De Gregorio Theopolitano, hoc est, Antiocheno episcopo, & intentata aduersus eum calumnia, & quomodo falsam illam redarguerit. CAPVT VII.

Vide Nicec. lib. 18. ca. 12.

HIs rebus hoc loco constitutis, Gregorius Antiochiæ episcopus Constantinopoli domum reuertitur, graui confecto certamine, de quo iam dicturus venio. Cum Asterius Orientis gereret præfecturam, & contentio inter eum & Gregoriū orta esset, primùm omnes ciuitatis primores partibus Asterij se adiunxerūt. Deinde adiuncti sunt etiam ei, si qui populares erant, & artes exercebant in ciuitate (singuli enim se aliquid damni à Gregorio accepisse affirmabant) postremò plebi vt conuicia in Gregorium iacerent permissum erat. Ambo igitur & optimates & populares in eandem cum plebe quasi pedibus iniere sententiam: & tum in plateis, tum in theatro probra & contumelias in episcopum Gregorium intorquere non cessauēre, quinetiam ne à scena quidem talis abfuit petulantia. Quapropter Asterius abdicatur præfectura, ad quam administrandam Ioannes deligitur: cui Imperator dabat mandatum, vt de seditione illa accuratè inquireret. Hic Ioannes vir quidem erat, ne ad minima quidem negocia procuranda, nedum ad tam grauem prouinciam suscipiendam idoneus. Itaq; cum ciuitatem tumultu ac perturbatione refersisset, edictumque publicasset, cuique liberum esse pro arbitratu episcopum insimulare, libellum contra eum à quodam argentario recepit, quo accusabatur, cum propria sorore alteri viro in matrimonium data, rem habuisse. Recipit item ab alijs eius generis hominibus, quòd prosperum ciuitatis

Asterius Orientis præfectus.

Criminationes falsæ in Gregorium.

Asterio abdicato suffici tur Gregorius.

Euagrius cum Gregorio versatus.

statum non semel, sed sæpius labefactauerat. At Gregorius cùm de eo se purgauit crimine, tum de alijs ad Imperatorem & concilium prouocauit. Me igitur cum eo assiduè versante, præsenteq;, iter capit Constantinopolim de criminibus hisce se purgaturus. Ac cum Patriarchæ omnes partim per se, partim per vicarios quæstioni de Gregorio habitæ interessent, & causa esset coram sacro senatu, & multis sanctissimis primarum vrbium episcopis cognita, post multas & graues contentiones secundum Gregorium sententia pronunciata est, vt eius accusator neruis excruciatus, & circum ciuitatem actus, exilio mulctaretur. Itaque Gregorius inde ad suam sedem reuertitur: interea loci milites tumultus ciere non desinunt, Philippico circiter Beroeam & Chalcidem vrbem commorante.

Criminis absolutus Gregorius ad sedem suã reuertitur.

Quòd iterum terræmotibus Theopolis concutiebatur.

CAPVT VIII.

Vide Nicep. lib. 18. ca. 13

Theopolis quãdo terræmotu concussa.

Euagrij nuptiæ.

QVatuor mensibus post reditum Gregorij dilapsis, anno sexcentesimo trigesimo septimo post nomen Antiochiæ vrbi impositum, & anno sexagesimo primo post terræmotum, qui proximus antè in ea ciuitate extitisset, cum ipse pridie calend. Octobris teneram virginem vxorem ducerem, & ciuitas propterea festum celebraret, & publicos cõuentus cum pompa circiter thalamum iugalem agerent, tertia hora post crepusculum turbatio & terræmotus simul cum impetu irruens totam ciuitatem concutit, multaq; loca conquassatis fundamentis deturbat, adeò vt omnia ædificia circa Ecclesiam sanctissimã ad terram prosternerentur, excepto solo hemisphærio, quod Euphræmius ex lauro construendum curauerat, quodq; terræmotu temporibus Iustini facto nõ parum acceperat incommodi, quod deniq; terræmotibus, qui deinceps acciderunt, grauiter agitatum versus Septentrionem ita inclinabatur, vt trabes ligneas eijceret, quæ cum ingenti fragore conciderunt, hemisphærio in proprium locum resiliente, & velut perpendiculo quodam directè locato. Multæ etiam partes Ostracinæ & Psephium, de quo suprà diximus, & omnia illa loca quæ Brisia vocantur, quinetiam ædificia sanctissimi templi Deiparæ Mariç corruerunt, media quadam porticu mirum in modum conseruata. Porrò autem omnes turres quæ in plano constructæ erãt, disiectæ sunt, reliquo ædificio, pinnis muri exceptis, integro stante manenteq;. Pinnarum autem lapides nonnulli retrò pulsi, minimè tamen prolapsi sunt. Alia præterea templa, & vtrumq; balneum publicum, quod duobus distinctis temporibus inseruit, eadem oppressit calamitas. Multitudo quoque promiscuè est eadem inuoluta clade: & vt quidam coniecturam ex pane, qui in tota ciuitate consumi solet, faciunt, hæc lues sexaginta hominum millia extinxit. Verùm episcopus præter omnium expectationem euasit incolumis, toto domicilio in quo sedebat ruinam passo, & solis illis qui eum circumsistebant seruatis, alio præterea nemine: qui illum omni festinatione subleuantes, cum terræmotus locum secunda concussione patefaceret, per funem demissum è periculo eripuerunt. Accidit autem in hoc infelici casu res quædam ciuitati persalutaris. Nam clementia Dei propitij furorem suum mitigantis, & virga miserationis & misericordiarum peccata populi corrigentis, nullum incendium factum est, cum ingens flamma, quæ partim ex foco & lucernis tam publicè quàm priuatim accensis, partim ex culinis, balneis & alijs locis propè infinitis erumpebat, totam vrbem circuiret. Hoc terræmotu oppressi fuêre tum nobiles & illustres viri quàm plurimi, tum Asterius vnà extinctus. Quam cladem vrbi inflictam pecunia sarsit Imperator.

Brisia locæ.

Sexaginta hominum millia terræmotu ablata.

Quòd barbari propter exercitus Romani defectionem audaciam sumentes, illum adorti à Germano fusi prostratique sunt.

CAPVT IX.

Vide Nicep. lib. 18. c. 14.

Barbari à Germano fusi.

QVod autem ad exercitum attinet, eodem ferè loco fuit, adeò vt barbari persuasum habentes, neminem eos prohibiturum, quo minus suo more grassarentur, in fines Romanorũ irruerent. Verùm Germanus cum suis copijs illis obuiã profectus, vi manuq; sic profligauit, vt ne vnus fieret reliquus, qui cladem cæteris Persis nunciaret.

De Imperatoris clementia in eos qui ducem suum deseruerant. CAP. X.

Vide Nicep. lib. 18. c. 14.

Abari quæ ciuitates et arces expugnarint.

EXercitum igitur pecunia remuneratur quidem Imperator, sed Germanum alioscq; in iudicium vocat: & tametsi contra omnes mortis pronuncita fuit sententia, tamẽ neminem eorum vllo affici incommodo passus est, sed munera illis impetijt. His rebus ita constitutis, Abari bis vsque ad locum qui Longus murus appellatur, irruptione facta,

A facta Singedonem, Anchialum, totam Helladem, & alias præterea ciuitates & arces expugnant, sibiq; subijciunt, omnibus rebus ferro & igne vastatis, idq; cum multæ copiæ Romanorum in Oriente versarentur. Itaq; Imperator Andream suorum satellitum facilè principem mittit, persuasurum exercitui, vt duces manipulares & alios præfectos, quos antè habuerant, admitterent.

Andreas Satellitum præfectus.

Quòd Gregorius Theopolitanus episcopus ad reconciliandum exercitum mittitur, & eius apud milites oratio.

CAPVT XI.

Vide Nicep. lib. 18. cap. 14. 15.

Gregorio cur exercitus multum honoris iure debuerit.

ACcum milites Andreæ hortationem ne audire quidem sustinerent, negocium ad Gregorium transfertur, non solùm quòd res maximas commodè conficere poterat, sed quod multum honoris ei iure debebat exercitus: quippe nonnulli milites ab eo pecunia liberaliter donati erant, alij vestitu, cibo & alijs rebus adiuti tum cùm in albũ militum relati, & per eum admissi fuerunt. Itaq; nuncijs in loca singula missis, totius exercitus facilè principes Litarbis (qui locus Antiochia abest circiter trecenta stadia) in vnum cogendos curat. Ad quos cum accessit, genibus humi positis talem habuit orationem: Iam pridem mecem decreueram, ô Romani (qui hoc nomen verè vsurpatis) ad vos iter suscepisse, quò tum de rerum præsentium statu vobiscum communicarem, tum illud vnà inirem consilium, quod mea erga vos beneuolentia, quam vos vestris animis sine dubio percepistis, satis iam tum confirmatã, cum naualem pugnam à vobis susceptam tempestatemq; inde excitatam subsidijs opportunis ac necessarijs subleuaui. Verùm hactenus illud à me dilatum est, diuina fortasse prouidentia neutiquam potestatem concedente, quò tum Persę vires ac fortitudinem Romanorum, à quibus etiam duce destitutis erant profligati, penitùs perspicerent, tũ vester syncerus & beneuolus in remp. animus & tempore exploratè cognitus, & rebus gestis comprobatus, omnino cõfirmaretur. Nam illud planè omnibus notum ac testatum effecistis, quòd quamuis aduersus duces vestros alienato sitis & offenso animo, nihil vobis rep. exstitit antiquius. Quod cum ita sit, deinceps iam quid agendum sit videamus. Imperator vos ad amicitiã vocat, pollicetur omnium quæ antehac à vobis peccata sunt, se prorsus oblaturum: vestram in remp. beneuolentiam, & animorum in bello gerendo magnitudinẽ satis putat habere ponderis ad veniam vobis iure impetrãdam: atque ista omnia velut certissima pignora dat, se vobis vestra errata condonasse. Aitq;, si vestræ erga remp. beneuolentię Deus tantum tribuebat, vt propterea perficeret, vti post peccata depulsa non minor quàm antè in vobis eluceret fortitudo (quod quidem euidens culpæ remissæ argumentum est) quî fieri potest, vt ipse meam voluntatem non dirigam eò, quò diuinus instinctus eam inclinauerit? Mihi igitur, ô Romani, quàm celerrimè obsecundate: & ne prodamus occasionem nobis in præsentia oblatam, neq; nostra incuria eam præterlabi sinamus. Etenim cum prætergrediatur, odit moram, & ægrè admodũ ferens, quòd negligentia præterita sit, se rursus prehendi omnino non patitur. Quocirca paternę & auitæ obedientiæ estote hæredes, quemadmodum estis & fortitudinis, vt in omnibus reb. vos verè Romanos declaretis: atq; nullus obtrectator vel nominis vestri perstringendi causam habeat, vel vos filios degeneres esse ac spurios ostẽdendi. Nã patres ac maiores vestri à Consulibus & Imperatoribus gubernati obedientia & animi celsitate vniuersum orbem terrarum in potestatem ac ditionem suam redegerũt. Quid Manlium Torquatum commemorem, qui filium suum, licet res præclaras gessisset, tamen propter neglectam ab eo obedientiam è medio sustulit? Nam prudenti ducum consilio, & militum alacri obedientia magnæ & præclaræ res confici solent. Verum cum altera istarũ rerum alterius ope careat, negocium susceptum claudicat, labat, & omnino malè geritur: nec immeritò, præsertim cum duæ res, quæ necessariò coniũgi debent, penitùs dissocientur. Ne sit igitur vlla in vobis mora, sed mihi quam primùm morem gerite (quippe episcopus inter Imperatorem & exercitum causam agit) & declarate, quod in vestris conatibus nulla insit tyrannidis exercendę significatio: sed quòd iustum odium à vobis ad tempus contra duces, qui vos iniuria affecerint, susceptum sit. Quod si ita sit, vt nunquam celerrimè his consilijs assentiamini, ipse tamen videbor cum beneuolentiæ in remp. tum amicitiæ erga vos officio perfunctus esse. Illud porrò cum vestris mentibus considerate, quales tyrannorum exitus fuerint. Cogitate præterea, qua ratione res, quas habetis in manibus, expedire possitis, præsertim cum mea quidem sentẽtia, vt omnes vnà consistatis, fieri nullo modo potest (vnde nanq; vel firmamentum vel res, quas mare ad hominum subsidium continenti suppeditare solet, vobis apportabũtur) nisi Christianos bello oppugnantes, & vicissim ab illis oppugnati, turpissimum dedecus tũ

Gregorij oratio ad milites rebelles vt imperatori & Deibus reconcilientur.

Occasio moræ fugienda.

Manlius Torquatus filium inobedientem è medio tollit.

Universidad de Deusto
Biblioteca

admittere,tum subire volueritis? Et quis tandem futurus est exitus? Certè in varia loca A
dispersi dissipatiq; vitam miserè transigetis. Atq; inde euestigiò vltio sequetur,quę vo- "
bis decæterò veniam concedi non sinet. Quare date mihi dexteras, & mutuò inter nos "
consideremus,quid tum ex nostri ipsorum,tum ex reip.vsu futurum sit,præsertim cum "
festos dies tum salutaris passionis, tum sanctissimæ resurrectionis Christi Dei nostro "
instituto quodammodo opem ferentes habeamus.

Quòd post habitam Gregorij orationem milites mutata sententia, denuò Philippicum Imperatorem exercitus recipiunt.

CAPVT XII.

Gregorij oratione persuasi milites.

CVm hæc dixisset Gregorius, magnamq; vim lachrymarum profudisset, omnium illorum mentes velut diuina quadã vi ac virtute momento temporis mutatę sunt, adeò vt postularent potestatem è confessu exeundi,quò separatim ipsi inter se quid agẽdum esset, deliberarent. Itaq; haud diu pòst veniunt,se episcopi voluntati atq; arbitrio dedituri. Ac cum Gregorius Philippicum illis nominaret,quem voluit vt sibi ducẽ peterent: respondent,tum se tum reliquum vniuersum exercitum sanctè iurasse,nunquã se illud facturum. Tum ille sine mora aut vlla omnino cunctatione: Episcopo, inquit, concessũ est,& potestas data soluendi & ligandi in cœlo & in terra,sententiamq; Euangelij illis citauit.Cum verò illi etiam in hac re eius arbitrio cederent,Deum idcirco precibus & obsecrationibus placare cœpit. Atq; immaculato Christi corpore eis distributo(erat enim sacrosancta illa dies, quæ sanctæ Domini passioni proxima est) cum omnes,qui circiter duo millia erant,toris in herba ad eam rem confectis accumbentes cœna excepisset,postridie domum redijt:decreuitq; vt illi quo loco vellent,in vnum conuenirent. Itaq; Philippicum interim Tarsi Ciliciæ ætatem degentem accersit, vt Constantinopolim maturè contendat: deq; his rebus refert ad Imperatorem, eiq; postulata exercitus de Philippico per literas significat. Milites autem Philippico postea Antiochiam profecto occurrunt, & hominibus qui lauacro diuinæ regenerationis tincti erant, sibi, vt pro eis deprecarentur, ascitis, ad genua Philippici accidunt. Qui cum dexteram illis dedisset,se præteritæ culpæ memoriam obliuione penitùs deleturum, cum eo denuò in militiam proficiscuntur. Atq; istæ res ad hunc exitum peruenêre. B

Vide Nicet. lib.18.ca.16.

Milites per episcopum iuramento soluti sacra synaxi muniuntur.

Iurisiurãdi necessitas per episcopũ remissa

Philippicũ exercitus recipit

De capta Martyropoli. CAPVT XIII.

Vide Nicet. lib.18.ca.17.

Sittæ Martyropolis prodidit.

ITtas quidam, vnus ex decurionibus Martyropolis,quoniam animo aduersus quendam militum præfectum exulcerato fuit, ciuitatem prodidit, tempore,quo milites præsidiarij aberant, ad eam rem obseruato. Atq; cohorte Persica, Romanæ cohortis specie in vrbem introducta, eam occupauit, vrbem Romanis planè opportunissimam : ac mulieres complures ætate florente integraq; intra vrbem continuit, aliosq; omnes, seruis quibusdam exceptis, exegit . Quare extemplò Philippicus eò iter maturè facit: vrbem milite circundãs obsidet. Et quamuis res ad obsidionem necessariæ ei deessent, tamen illis quæ suppetebant, depugnauit. Atq; quibusdam fossis excisis, vnam turrim disturbat. Verùm ciuitatem capere propterea non poterat, quòd Persæ de nocte vigilantes, quod dirutum erat,denuò resarciebant. Vbi verò Romani crebrò in murum impetu facto repulsi sunt, (tela enim ex locis superioribus exquisitè in eos conijciebantur, & plus incommodi accepêre ipsi, quàm illis qui erant in vrbeintulêre) dimittunt obsidionem , & paululum inde digressi,castra ponunt: illudq; duntaxat agunt, vt illis qui vrbẽ defendebant,nulli alij Persæ adiungerentur. Cæterùm Gregorius mandato Mauricij ad castra profectus, suadet, vt ad obsidionem reuertantur. At nihil amplius efficere poterant , præsertim cum nulla machina bellica ad vrbes expugnandas accommodata eis suppeteret. Idcirco dimittitur exercitus ad hyberna: inq; finitimis castellis multa præsidia relinquũtur, eo quidem consilio,vt Persæ non clandestino introitu in vrbem ingrederentur. Proxima autem æstate exercitu collecto & Persis ex aduerso dimicantibus,circiter Martyropolim fit grauis pugna. Et quanquam Philippicus in eo prælio superior fuit, & multi Persæ,vno ex illorum principibus deuicto,ceciderunt:tamen satis magna eorum multitudo(de qua re vna potissimùm ab illis laboratum est)in Martyropolim introijt. Inde ergo Romani tametsi de vrbe per obsidionem capienda prorsus desperare cœperunt, (fieri enim haud poterat, vt eam viribus obtinerent) tamen alteram vrbem septem indè stadia ereglonè in loco mõtoso & natura communito, extruunt, vt machinationes quasdam & aggressiones in Martyropolim comminiscerentur. Atq; hæ res æstate ab illis gestæ sunt: hyeme autem dimittitur exercitus.

Philippicus Martyropolin obsidione cingit.

Persæ aliquã pugnã inferiores Martyropolin ingrediuntur.

De Com-

A *De Commentioli ducatu,& Ocbas deuictione.* CAPVT XIIII.

Vide Nicet. lib.18.c.37.

COmmentiolus autem genere Thrax, mittitur in Orientem ad Philippicum in ducatu succedendum: qui tametsi bello felicissimè contra Persas depugnabat,parum tamen abfuit,quin ipse præceps vnà cum equo delapsus,vitam amisisset,nisi vnus ex satellitibus, equo vectario consenso,eum è prælio subduxisset. Persæ verò,qui supererant,omnibus suis ducibus amissis,terga dant,& Nisibin cõfugiunt. Ac quoniam ad regem suum redire extimescebant(mortem enim illis minatus fuerat, nisi duces suos saluos & incolumes reducerent)ibi contra Ormisdam cõiurare instituunt: atq; etiam Barames dux Persarum,qui iam cum suis ex prælio contra Turcas commisso reuerterat,idem ipsum suasit.Interim Cõmentiolus, Martyropolim obsidens,maiorem partem copiarum ibi relinquit:ipse autem cum quibusdã lectissimis militibus excursionem facit ad Ocbas,arcem munitissimam in ripa vlteriore à regione Martyropolis in rupe abrupta sitam,vnde tota ciuitas Martyropolis facilè conspici potest. Quam arcem obsidione cingens,nihil quod ad eam expugnandam facere videbatur , intentatum reliquit:sed quibusdam muri partibus catapultis deturbatis,illac transgressus,arcẽ vi capit.Proinde Persæ de reliquo cœpere de Martyropoli desperare.

Persarũ fuga.

Conspiratio Persarum aduersus Hormisdam Regẽ

Ocbas arx capta.

De cæde Hormisdæ. CAPVT XV.

Vide Nicet. lib.18.c.19.

DVm hæc geruntur,Persæ Hormisdam regem omnium sceleratissimum iniustissimumq; propterea trucidant,quòd subiectos suos nõ modò pecunia, sed varijs etiã mortis generibus mulctasset.

Hormisda cura Persis trucidatus.

De Iunioris ad nos Chosrois fuga. CAP. XVI.

Vide Nicet. lib.18.c.20.

HOrmisda extincto,Chosroem eius filium regem creant,contra quem Barames cũ suis copijs arma fert. Chosroes igitur cum exiguo exercitu illi obuiam it: ac cum suos ab se deficere cerneret,capessit fugam, rectaq; cum Deum, vti ipse aiebat, Christianorum inuocasset,vt equus ipsum eò deportaret,quò ab illo duceretur,Circesium contendit. Vbi autem cum vxorib.duobus tenellis liberis & quibusdam Persis nobilib. qui eum sua sponte comitabantur,eò venisset,inde legatos mittit ad Mauritium Imperatorem. Ille,cùm de hac re cõsilium accuratissimè iniuisset, & inconstantem volubilemq; B vitæ humanæ rationem,& repentinas tum eius tum aliarum similium rerum mutationes vicissitudinesq; ponderasset,supplicem admittit legationem:& Chosroẽ hospitem pro exule,& pro fugitiuo filium efficit:muneribus planè regalibus donat, quibus eum ad se diligendum inuitaret. Atque non Mauritius solum tam magnifica dona misit ad Chosroem,sed imperatrix etiam erga Chosrois cõiuges, & liberi Mauritij erga liberos eius,paria benignitatis officia præstiterunt.

Barames contra Chosroem arma fert.

Κατόρθωμα Vid. Chil. Ex rasm.

Humanitatis officia exhibita Chosroi ab imperatore eiusq; familia

Quòd Imperator Gregorium & Domitianum in Chosrois occursum emisit. CAPVT XVII.

Vide Nicet. lib.18.c.20.

POrrò Mauricius omnes satellites suos & totum exercitum Romanum cum duce, qui Chosroem quocunq; vellet comitarentur,mittit. Quinetiam quò plus honoris ei deferret, mittit quoq; Domitianum episcopum Melitinæ,suum cognatum,virũ prudentia & ingenio præstantem, & tum verbo,tum reipsa ad res maximas gerendas maximè idoneum,& ad grauissima obeunda negocia aptissimum. Mittit præterea Gregoriũ, qui Chosroem cum ob prudentes sermones,quos de alijs rebus omnibus cum eo conferebat,tum ob munerum magnificentiam,& cõsilia,quæ pro rerum quibus perturbatus erat conditione peroppoꝛtunè ei impertiebat,in maximam traduxit admirationem.

Mauricius quantũ honoris Chosroi detulerit.

Domitianus episc. Melitinæ. Gregorius.

Quòd rursum Persarum Imperium Romanorum ope recepit Chosroes. CAPVT XVIII.

Vide Nicet. lib.18.c.20.

CHosroes verò cum Hierapolim,quæ primaria Euphratesię ciuitas est,peruenisset,rursus reuertit.Quod cum intellexisset Mauricius , pluris faciens commodis Chosrois supplicis, quàm suæ ipsius gloriæ consulere,ingenti pecuniæ vi(q̃ non ante aliquando visum fuisset)eum iuuat:atq;ex Persis conscribit exercitum,& impensis omnibus de suo suppeditatis,Chosroẽ vtroq; exercitu,Romano scilicet & Persico instructum,extra fines Imperij Romani ad Martyropolin vsq; producendum curauit.Cui Sittas primum traditus est, deinde à Martyropolitanis lapidibus obrutus, posteà ab eisdem in crucem actus.Traditum est ei quoq; Daras oppidum, à quo clàm exiuerant Persæ:atq; Barame à Romanis solis vnico prælio superato, & solo cum ignominia in fugam verso,Chosroes ad suum ipsius regnum reductus fuit.

Hierapolis ciuitas.

Sittæ proditoris supplicium.

Barames profligatus. Chosroes in in Regnum reducitur.

Quòd id temporis sancta martyr Golauduch viuebat.

CAPVT XIX.

Golauduch martyr. Stephanus Hierapolis episc. historicus.

EOdem tempore vixit apud nos Golauduch martyr, quæ multa tormenta perpessa, & à magis Persis grauiter excruciata, martyrij coronam post magna miracula quæ ediderat, assecuta est. Cuius vita ab antiquiore Stephano, Hierapolis episcopo, literis mandata est. Vide Nicē. lib. 18. c. 25.

De donarijs, quæ ad sanctum Martyrem Sergium misit Chosroes.

CAPVT XX.

Chosroes qualia donaria ad Sergium martyrem miserit 1. 2.

CHosroes autem iam ad suum regnum restitutus, mittit ad Gregorium crucem multo auro & lapidibus preciosis exquisitè elaboratam, qua honorē Sergij martyris inclyti illustrari voluit. Hanc crucem primum Theodora coniunx Iustiniani ei dedicauerat, deinde Chosroes senior cum alijs monimentis, vti à me suprà commemoratum est, inde abripuerat. Mittit quoque aliam crucem auream, in qua literis Græcis ista curauit inscribenda: Hanc crucem ego Chosroes, rex regum, filius Ormisdæ misi. Cum enim diabolico conatu, & veteratorio infelicissimi Baramis, & suorum Caballariorum in Romaniam confugere eramus compulsi, & propter aduentum scelerati Zadespram cum exercitu ad Nisibin, quò Caballarios, qui à partibus Nisibentium stabant, subduceret: Caballarios cum duce ad Charchas vsque, qui Zadespram resisterent, eiusque vires frangerent, miseramus, ope & præsidio comminuti S. Sergij, martyris honoratissimi & in primis memorabilis, quoniam acceperamus, eum res ab se postulatas solere largiri primo anno regni nostri Sc- *Vide supra ca. 27 lib. 4.* *Votū Chosroū.* ptimo idus Ianuarij postulauimus opem ab eo, votumque fecimus, si Caballarij nostri Zadespram vel interficerent, vel captiuum secum ducerent, nos auream crucem lapillis distinctam ad eius templum missuros, qua venerandum eius nomen illustraretur: atque ad quintum idus Februarij caput Zadespram, ad nos perlatum fuit. Itaque postulationis nostræ facti compotes, quo res gesta nemini dubia esset, ad venerandum S. Sergij nomen illustrandum hanc crucem à nobis fabricatam, ad templum eius misimus vna cum cruce, quam Iustinianus Imperator Romanus ad idem templum misit, quamque Chosroes rex regum, filius Cabadi proaui nostri, temporibus, quibus Romani & Persæ grauissimè inter se dissiderent, huc aduexit, quam denique nos in nostris thesauris inuenimus, & ad ædem sancti & venerabilis Sergij mittendam curauimus. Has cruces Gregorius cum de sententia Mauricij Imperatoris accepisset, cum magna pompa ad *2. Operculum calicis.* sacrum martyris templum defert, inq; eo reponit. Haud ita multò post alia dona ad sanctum illud templum misit Chosroes, inter quæ erat discus ex auro confectus, in qua inscribēda curauit hęc verba: Ego Chosroes rex regū, filius Ormisdæ hæc in hoc disco inscribenda curaui, non vt spectentur ab hominibus, neq; vt amplitudo tui venerandi nominis ex meis verbis cognoscatur: sed partim propter rerum in eo inscriptarum veritatem, partim propter multa beneficia & liberalia, quæ abs te accepi. Nam mecum feliciter actum puto, quòd nomē meum in tuis sacris vasis extet. Cum fortè Beramais essem, petebam abs te, sancte Sergi, vt mihi subsidio venires, & Sira coniunx conciperet. Accū Sira Christiana esset, & ego gentilis, & lex nostra non permitteret nobis potestatē, mulierem Christianam in vxorem ducendi: tamē ob meum singularem erga te amorem, legem in hac muliere neglexi, & eam de die in diem inter cæteras vxores ingenuè diligere non destiti, neque desisto. Quamobrem visum erat tuam bonitatem, sancte Sergi, deprecari, vt grauida fieret. Quinetiam votum tibi nuncupaui, sumque pollicitus, si Sira conciperet, me crucem quam illa gestat, ad sanctissimum templum tuum missurum. Quapropter ipse equidem & Sira hoc apud animos nostros proponebamus, vt hanc crucem in memoriam nominis tui, sancte Sergi, ipsi teneremus, & visum erat pro illa precium eius, quod quatuor millia & quadringentos stateres miliaresios non excederet, mittere, & sic idem augere, vt eius summa quinq; millia staterum complecteretur. *Votum alterū Chosroes.* *Lex Persarū.* *Chosroū S. Sergium apparens prolē promittit* Atque ex eo tempore, quo istam postulationem animis nostris concipere, hæcque cogitare coeperamus, ad tempus, quo Rhoson Chosron venimus, non amplius decem dies præterierant: ad quod quidem tempus tu sancte Sergi, non quod ipse dignus essem, sed propter tuam ipsius bonitatem mihi noctu secundum quietem visus es, & iam tertiò dixisti Siram concepturam. Atque ego in eadem visione tertiò apertè tibi, quæ erant consentanea, respondi. Ac quoniam tu rerum abs te postulatarum largitor es, ex eo die Sira morbum, quo mulieres laborare solent, nō sensit. Ego autem etsi hac de re animo hæsitabam, vtrum verbis tuis fidem haberem an non, cum sis postulationum largitor: posteà tamen ex eo, quòd morbus muliebris Siram non attigit, tum vim exploratam habui *Menstrua.*

A habui visionis, tum tuorum verborum veritatem. Quocirca crucem hanc illico, & eius
„ precium vnà ad tuam sanctissimam ædem misi: dedique mandatum, vt ex eius pretio
„ discus vnus, & vnus calix fierent, quò diuinis mysterijs celebrandis inseruirent: quinetiā
„ & crux fieret, & thuribulum fabricaretur, vtrumque aureum in vsum sacræ mensæ, &
„ vnicum vtrinque apertum conficeretur auro colluſtratum. Quod autē de summa pre-
„ cij restaret, ad necessarios vsus tuæ sacræ ædis reseruaretur, vt mihi & Siræ tu sancte Ser-
„ gi, cum in alijs rebus opitulareris, tū maximè in hac petitione subsidio venires: & quod
„ per tuam intercessionem nobis euenerit, idem ipsum per tuam clementiam & bonita-
„ tem mihi & Siræ ex sententia penitùs succedat, quo tum ipse tum Sira, tum alij omnes
„ deniq; in toto orbe terrarum, tua in virtute spem ponamus, & in te deinceps credamus.
Hæc donaria à Chosroe oblata ea loqui videntur, quæ cum Prophetia Balaam consentiunt: quod planè Dei prouidentia factum est, vt gentilium linguæ verba salutaria proferrent. 4. 5. 6. 7. 8. *Prophetia Balaam.*

De Naamane Saraceno. CAPVT XXI.

Vide Nice. lib. 18. c. 23.

PEr id temporis Naamanes gentis Scenetarum tribunus gentilis adeò nefarius & sceleratus, vt propria manu homines dæmonijs suis mactaret, ad sanctum accessit baptisмum, statuamq; Veneris auream igne liquefactam pauperibus erogauit, & omnes qui ad eum spectabant, ad veram in Deum fidem traduxit. Gregorius autem postquam cruces à Chosroe donatæ erant, de sententia Imperatoris omnia monasteria in solitudine, Limetarum dicta, & maximè in quibus peruersa Seueri dogmata regnabant, perlustrauit, expositque illis vera ecclesiæ dogmata, & multa castella, pagos, monasteria & gentes integras ad Dei ecclesiam adduxit. *Naamanes Saracenus quando ad baptisмum accesserit.*

De sancti Simeonis, qui columnam incolebat, morte.

CAP. XXII.

Vide Nice. lib. 18. c. 34. Vide supra lib. 5. ca. 21. li. 1. c. 13. 14.

INterea loci cum Symeones sanctissimus tam grauiter ægrotaret, vt nulla esset spes vitæ reliqua, Gregorius à me de hac re certior factus, maturat, vt Symeoni extremum spiritum agenti adesset. Verùm quod volebat, minimè est consecutus. Erat autem iste Symeones propter eximiam virtutem omnium hominum suę ætatis facilè præstantissimus, qui in columna vitam seueram coluerat, adeò à teneris, vt aiunt, vnguiculis, vti dentes suos in ea mansione cōmutaret. Ad vitam autem in columna degendam tali causa inductus fuit: Cum adhuc valdè tenella ætate esset, & puerorum more per montis iuga ludendo saltandoq; perereret, fortè fortuna incidit in pardum, cuius collo cingulo circunecto, eo velut freno bestiam, quæ iam suam feram naturam exuerat, ad suum monasterium secum ducit. Quod cum magister eius, qui ætatem agebat in columna, videret, percontatur quid sit. Respondet puer felem esse, quem vulgò catum nominant. Hinc igitur coniecturam faciens, quantopere virtute esset in posterum præstiturus, ad vitam in columna degendam eum induxit. In qua colūna, simul & in altera summo in montis vertice sita, sexaginta octo annos vixit, omnibus gratiæ donis repletus: quippe dęmones expulit, sanauit omnem morbum & omnem languorem, res futuras perinde ac pręsentes pręuidit. Qui prædixerat Gregorio, illum eius morti minimè adfuturum, atque adeò ignoraturum, quid post ipsum mortuum eueniret. Quinetiam cum ipse mecum cogitarem de liberorum amissione, quæreremq; quid causæ esset cur gentilibus, qui liberis abundarent, idē ipsum neutiquam accideret: Symeones, quamuis hanc cogitationem nemini omninò patefecissem, scripsit ad me, vt ab eiusmodi cogitationibus, vtpote Deo minimè probatis, desisterem. Porrò autem cum vxor scribæ mei, quoniam lac illi, postquam peperat, ita obstructum fuit, vt infans in maximum vitæ veniret periculum: Symeones, vbi manum dextram viri eius tetigerat, iussit, vt ad vxoris vbera inijceret. Quo facto, extēplò lac velut ex fonte erupit, adeò vt vestem mulieris totam madefaceret. His accedit, quòd puerum à viatoribus, quibuscum iter fecerat Symeones, intempesta nocte à tergo relictum, leo dorso imposuit, & ad monasterium Symeonis aduexit. Itaque ministri Symeonis iussu egressi, puerum à leone apportatum introduxerunt. Multa alia præterea gessit planè memorabilia, quæ & linguam disertam, & vacuum tempus, & separatam tractationē desiderant: quæ certè crebrò hominum ore sunt atq; sermonibus decantata. Nam cuiusq; nationis homines, non Romani solùm, sed etiam barbari ad eum aduentarunt, rerumq; postulatarum compotes facti sunt. Huic Symeoni rami quidam fruticis in monte crescentis, & cibi & potionis loco fuēre. *Symeonis mortis obitus.* *Cur Symeones columnam incolerit.* *Symeonis ad Eugrium literæ.* *Miraculū Symeonis.* *Alia Symeonis.* *Alimentū Symeonis.*

De

Universidad de Deusto
Biblioteca

De Gregorij Theopolitani episcopi ab hac vita migratione.

CAPVT XXIII.

Gregorius episcopus quando obierit.

NON longo tempore post Gregorius podagra correptus, qua maximè torquebatur, cum medicamentum ex Hermodactylo (sic enim vocatur) confectum, quod medicus quidam ei dedisset, ebibisset, exijt è vita. Moritur autem tempore, quo Gregorius, qui successerat Pelagio, episcopatū antiquæ Romæ gessit, nouæ autem Ioannes, & Alexandriæ Eulogius, vt suprà dixi, & Anastasius Antiochiæ, qui post viginti tres annos ad suam sedem restitutus fuisset, & Hierosolymorum Ioannes, qui paulò post obijt mortem, & nemo adhuc ad illius episcopatus gubernacula capessenda designatus est. Vide Nice. lib. 18. c. 26.

Euagrij historia vbi desinat.

Hoc loco Historiæ finem imponere animus est, anno scilicet duodecimo regni Mauricij Tiberij imperatoris Romani, resque quæ deinceps sequuntur, his quibus libitum fuerit narrandas, monimentisque literarum prodendas relinquere. Quod si quicquam à nobis vel omissum negligentia, vel minus accuratè expositum videatur, nemo nobis crimini det: illud secum cogitans, nos historiam dispersam dissipatamq; in vnum collegisse, quò vtilitati hominum, quorum gratia tantos & tam graues labores suscepimus, inseruiremus. Aliud prætereà Opus à nobis elaboratum est, quod relationes, epistolas, decreta, orationes, disputationes, & alias res nonnullas complectitur. Relationes autem, quæ in eo continentur, sunt maximam partem ex persona Gregorij episcopi Antiochiæ factæ. Pro quibus duos honoris gradus consecuti sumus: quæsturam à Tiberio Constantino, & munus tabularum seruandarum, in quibus præfectorum nomina inscribebantur, à Mauricio Tiberio: quo regnāte eas relationes composuimus, idque eo ipso tempore, quo Theodosium, qui tum ei tum Reip. principium felicitatis cuiusque generis dabat, in lucem edidit. Anno Christi 595.

Aliud Euagrij opus.

Euagrij dignitates.

FINIS.

SVFFRI.

SVFFRIDI PETRI LEOVARDIENSIS FRISII V. I. C. CASTIGATIONES, SIVE ANNOTATIONES IN HISTORIAM ECCLESIASTICAM, EVSEBII ET CONSEQVENTIVM SCRIPTORVM, QVIBVS GRAECVS TEXTVS EMENDATVR, ET RATIO EXPLICATVR INterpretationis Christophorsonianæ.

SVFFRIDVS PETRVS LEOVARDIENSIS
Candido Lectori S. P. D.

